Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
36 L
6

Col. I. Tav. 4. N.° 8.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE DIVINAE PIETATIS VINCVLIS.

Quibus quilibet vitæ ſtatus Deo arctiùs coniungitur:

Sacramentis, ſcilicet in genere, Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, Sacrificio Miſſæ, Præcepto audiendi Miſſam, Pœnitentia, Extrema Vnctione, Purgatorio, Suffragijs, Indulgentijs, Iubilæo, & Anno Sancto, Ordine, Oratione vocali, Horis Canonicis, Deuotione, Beneficijs, Penſione, Spolio bonorum Beneficiariorum, Sponſalibus, Matrimonio, &c. Donationibus inter Virum, & Vxorem, Arrhis, Diſpenſationibus, Diuortio, &c.

VNIVERSALES TRACTATVS.

Ex Sacris Concilijs, & Canonibus, iuxta antiquorum, & recentiorum Theologorum Intellectum diligenti diſcuſſione, elaborati, ac declarati.

AVCTORE R.P.F. STEPHANO A S. GREGORIO DE NEAPOLI,
Theolog. Ord. Erem. Diſcalceatorum S. Auguſtini Congreg. Italiæ.

Quibus Sacræ Theologiæ ſtudioſis, Confeſſarijs, Iudicibus vtriuſque Fori, ac cæteris Chriſti fidelibus in ijs præcipuè, quæ ad Diuinum cultum, & Chriſtianam Pietatem ſpectant, conſulitur.



BONONIÆ, Ex Typographia Zeneriana. MDCXLVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

8.36.4.6

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISS. PRINCIPI
FERDINANDO
SECVNDO
ETRVRIÆ MAGNO DVCI, &c.

Carolus Zenerus Typographus Gloriam, & Felicitatem.

TIBI venerabundum occurrit, Sereniſsime Magne Dux, Opus hoc de Diuinæ Pietatis Vinculis, complectens præcipua Chriſtianæ vitæ erudimenta. Nuſquam ambigendum, an Tuo Regio Nomine inſcribendum. Tibi enim tradidit Diuinæ Prouidentiæ infallibilis diſpoſitio quæcumque, ad Pietatem verè extollendam, animis Principum inſident. Opportunior incideret ſermo de tuis inclytis Natalibus, quæ tot Summorum Pontificum ſupremis oneribus decorata, Eccleſiaſticæ dignitatis firmamenta Mediceæ ſoboli peculiariter commiſſa iecerunt. Recenſere fas eſſet Auorum tuorum præclariſsimos labores, qui curſitantia Thracum nauigia toties ſanguinolentis victorijs diſiecta, & ſubmerſa triumpharunt, vt Fidei Pelagus tutè Petri nauiculæ pateret. Aræ Deo erectæ, Templa verè Regio ſumptu extructa, tot ſunt Mediceorum præconia, marmoribus innixa, quæ durabilem tuo Nomini parant æternitatem. At Maiorum Imagines tuæ gloriæ luminibus offunduntur, & fumoſæ Vetuſtorum tabellæ magis ad recentiores tuorum operum memorias deliteſcunt. Teſtis fuit Roma, quod Virtutum præſagijs niterent tuæ adoleſcentiæ primordia, quanta morum ſuauitate, & prudentia, cum Capitolij limina inuiſenda cenſuiſti, vt trophæa maturioribus annis à te comparanda prænoſceret. Suſpexit Germania, admiratus eſt Hadria, licet præclariſsima Politiæ theatra, tuam ingenij ſolertiam, & grauitatem, vnde ſibi ipſis ſecuræ felicitatis complementa tuo imperio ſubditi meditabantur. Verum numquam abeſt à tuo ore, à tuo intellectu, à tuis operibus Pietas; Vnde communi linguarum, & cordium conſenſu Pius Etruriæ Moderator appellaris. Quam benè igitur tuæ Celſitudini obueniunt hæc doctiſsima Pietatis Diuinæ Vincula meis typis exarata. Humilitatis meæ cogitatio à propoſito deterrebat, at non minus congruentia Operis, quam Authoris fama impulerunt, vt vota mei obſequij libens proferrem Ferdinando Magno illi Duci, cuius animi excelſa facinora vbique Pietatis Vinculis connectuntur, & cuius annis à Diuina Pietate largiora munificentiæ Dona inextricabili vinculo alligata obſequentiſsimè deprecor. Vale.

Digitized by Google

AMICE LECTOR.

ET ſi diſcordes humano intellectui ſemper in nitidiſſima luce cæcutienti, viſæ ſunt Iuſtitia, & Pietas, ex vno tamen, & eodem fonte fluxiſſe, non dubium ijs, qui diuina rimantur, imò præſtito iureiurando confœderatæ ab ipſis terrarum orbis incunabulis ſemper apparuerunt. Hinc factum eſt; vt ſi diuina pietas aliquem muneribus cumulet, hæc, vt plurimum velut meridiem laboris, & coronam iuſtitiæ reddi velit. Et ſi iuſtitia aliquem puniat, citra condignum pœnas infligit, vt miſerans quodammodo iuſtitia dignoſcatur, quæ cum ita ſint, mirari non debes, poſt primum de iuſtitia fœtum; Secundum de maximis miſericordiæ diuinæ fontibus partum illicò prodire; neque fas eſt ea ſeparare, quæ ab omnipotenti manu etiam hic in terris iuncta fuere. Labitur enim humana infirmitas, & per deuias iuſtitiæ vias ſordido peccatorum cœno fœdatur. Vnde ni ad lauacra æternæ pietatis accurrat præceps in Thartareum Chaos ruit, vbi aduerte obſecro exuberantem benignitatem, etiam iuſtitiæ faciem præſeferrentem. Hæc eadem, quæ ſumma noſtra egeſtas auido curſu appetere debuiſſet, ne cuiquam ob ſui torporem deſint, ſub præceptis benigniſſima Mater Eccleſia ſui ſponſi ſequuta veſtigia, mandat; Ita tamen, vt dum gladio arripere videtur, virentes olearum ramos pacis, ac fœderis aperta porrigat indicia, quapropter ea te ſuſcepturum fronte, Amice Lector non ambigo hos, qualeſcunque ſint, labores, quam priores, cum ea, quæ dulces præſeferunt fructus, gratiora eſſe conſueuerint Naturæ. Etſi vulnera, quæ læſa iuſtitia infligit tibi placuere, Medicamina, quæ ſuo conficit oleo pietas, non iniucunda tibi ſpero futura. Cum præcipuè in hoc elaborauerim, vt non modo, quæ à recentioribus prolata ſunt in medium afferre, verum etiam, vt à Sanctis Patribus, Sacrorum Conciliorum arcanis, & Summorum Pontificum Diplomatibus veritatis fundamenta eruta, vt ab illa inacceſſibili luce promanata, operi huic inſererem, quo iucundior apparetet ſtructura. Dum mira Spiritus Sancti arte factum eſſe cernitur, vt ſemper eadem veritas firma, ac ſtabili iunctura tàm in priſci, quàm in præſentibus Doctoribus ad cæleſtia aſſurgat. Excipe ergo læta fronte munus exiguum in re, maximum in affectu, & ſi quid in eo, quod tuæ menti conſonum non videatur, reperies, meæ adſcribe imbecillitati. Si quid verò tibi vtile, ac iucundum occurrerit. Omnipotenti refer bonorum omnium largitori, & pro me etiam ipſum precare, quo laborum finem, quem intendo, tandem ipſo miſerante aſſequar. Vale.

Digitized by Google

Nos Fr. Io. Hieronymus à Spiritu Sancto Vicarius Generalis Ord. Diſcalceatorum S. Auguſtini Congregationis Italiæ.

CVm vniuerſales Tractatus de Diuinæ Pietatis Vinculis,&c. *Auctore R. P. Stephano à S. Gregorio noſtræ Congregationis Theologo, duo Patres, videlicet, Reuer. P. Simeon ab Aſſumptione, & Pater Benedictus à S. Iacobo eiuſdem Congregationis Sacræ Theologiæ profeſſores, quibus id commiſſum fuerit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint facultatem concedimus, vt Typis mandentur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur.*

In quorum fidem has litteras manus noſtræ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ die 30. *Iunij* 1644.

Fr. Io. Hieronymus à Spiritu Sancto Vicarius Generalis.

Fr. Bernardus à S. Auguſtino Proſecretarius.

Approbatio R. P. Simeonis ab Aſsumptione, Prioris Conuentus S. Ioſeph Ciuitatis Ferrariæ, Ordinis Diſcalceatorum Sancti Auguſtini Congregationis Italiæ, ac Sacræ Theologiæ profeſsoris.

IVxtà commiſſionem Adm. Reu. P. Ioſeph à Matre Dei, Vicarij Generalis noſtræ Congregationis, recognoui vniuerſales Tractatus de Diuinæ Pietatis Vinculis, &c. *Auctore Reu. P. Stephano à S. Gregorio eiuſdem Congregationis Diſcalceatorum Sacræ Theologiæ profeſſore, quos cum nullius offenſionis obnoxios, ſed potius communi vtilitati paratos, ſalubriterque expeditos, & maximè Sanctæ Fidei conſonos repererim, prælo digniſſimos reputo.*

In quorum fidem propria manu ſubſcripſi die 14. *Ianuarij* 1644.

Ego Fr. Simeon ab Aſsumptione Prior fidem facio, vt ſupra manu propria.

Approbatio R. P. Benedicti à S. Iacobo, Ordinis Diſcalceatorum Sancti Auguſtini Congregationis Italiæ, Sacræ Theologiæ profeſsoris.

EX mandato Adm. Reu. P. Ioſeph à Matre Dei, Vicarij Generalis Congregationis noſtræ Diſcalceatorum S. Auguſtini Italiæ, attentè perlegi vniuerſales Tractatus de Diuinæ Pietatis Vinculis, &c. *In quibus omnia Sacrorum Canonum regulis, & probatiſſimorum Theologorum doctrinæ conſona, eruditè, ac optimo ſtilo exarata eſſe teſtor.*

In quorum fidem manu propria ſubſcripſi, Ferrariæ die 14. *Ianuarij* 1644.

Ego Fr. Benedictus à S. Iacobo fidem facio, vt ſupra manu propria.

EGo infraſcriptus Metropol. Bonon. Pœnitentiarius, Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. D. Principis Cardin. Columnæ Archiepiſcopi Theologus, & pro ipſo librorum Cenſor, recognoui Tractatum hunc Adm. R. P. Fr. Stephani à S. Gregorio de Diuinæ Pietatis Vinculis, &c. *Nihilque in eo regulis S. Trid. Concil. diſſonum animaduertens, eumdem digniſsimum cenſeo, qui præli beneficio perpetuæ commendationis conſignatus euulgetur.*

Datum in Collegio noſtro Pœnitentiariæ die 12. *Iulij* 1644.

D. Ludouicus Modronus Cler. Reg. S. Pauli.

EGo Fr. Dominicus de Manfredis, Conuentus Sanctæ Mariæ Gratiarum Bononiæ Doctor Collegiatus, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultor, ac Librorum Cenſor pro Reuerendiſſimo P. Inquiſitore; accuratè perlegi Librum hunc ab Adm. Reu. P. Stephani à S. Gregorio editum; qui inſcribitur de Diuinæ Pietatis Vinculis, &c. *In eo, quod Fidei Catholicæ boniſve moribus aduerſetur, nihil reperi; imò omnibus fore perutilem cenſeo.*

Imprimatur

Fr. Io. Vincentius Paulinus de Garexio Sacræ Theologiæ Magiſter, Sanctiſs. Inquiſitionis Bononiæ Vic. Gen.

INDEX

Digitized by Google

INDEX MATERIARVM ET CAPITVM,

Quæ in hoc opere continentur.

De Sacramentis in Genere.

1 *Quid ſit Sacramentum. Et an in Sacramentis dentur determinata Res, & verba.*
2 *De neceſſitate Sacramentorum in omni ſtatu naturæ.*
3 *De præcipuo Sacramentorum effectu, qui eſt gratia.*
4 *Sacramenta quo tempore conferant gratiam, & an æqualiter omnibus.*
5 *De ſecundo Sacramentorum effectu, ſcilicet charactere.*
6 *De cauſa efficiente effectum Sacramenti.*
7 *De Miniſtris & eorum conditionibus, vt poſſint conficere Sacramenta.*
8 *De ſuſcipientibus Sacramenta, ac de numero, & dignitate Sacramentorum.*
9 *De poteſtate neceſſaria Miniſtris Sacramentorum, & quomodo obligentur, & teneantur illa adminiſtrare.*
10 *De ſuſcipientibus Sacramenta, eorumque præceptis.*

De Sacramento Baptiſmi.

11 *Quid ſit Baptiſmus, quando inſtitutus, & quæ eius materia.*
12 *De forma Baptiſmi.*
13 *Quotuplex ſit Baptiſmus, & qui eius miniſter.*
14 *De ſuſcipiente Baptiſmum.*
15 *De effectibus Baptiſmi, & an ſit ſimpliciter neceſſarius ad gratiam, & gloriam.*
16 *De ritu conferendi Baptiſmum.*

De Sacramento Confirmationis.

17 *De materia, & forma Sacramenti confirmationis.*
18 *De effectibus Sacramenti confirmationis, ac de ſuſcipiente, & Miniſtro.*

De Sacramento Euchariſtiæ.

19 *Quid ſit Euchariſtia, quanam eius inſtitutio, & neceſſitas.*
20 *De præcepto Eccleſiaſtico ſumendi Euchariſtiam, & quomodo obliget.*
21 *De materia remota panis, & vini Sacramenti Euchariſtiæ.*
22 *De materia remota Sacramenti ſanguinis.*
23 *De conuerſione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti.*
24 *De forma Sacramenti Euchariſtiæ.*
25 *De effectibus Sacramenti Euchariſtiæ.*
26 *De diſpoſitione neceſſaria ad ſumendum Sacramentum Euchariſtiæ.*
27 *De diſpoſitione corporali neceſſaria ad ſuſcipiendam Euchariſtiam.*
28 *De vſu huius Sacramenti, ac de eius miniſtro.*

De Sacrificio Miſſæ.

29 *Quid ſit Miſſa, & de offerentibus hoc ſacrificium.*
30 *De effectibus, & valore Miſſæ.*
31 *De tempore, & loco, in quo tenetur Sacerdos celebrare, ac de violatione Eccleſiæ.*
32 *De Altari, & vaſis, in quibus conficiendum eſt ſacrificium Miſſæ.*
33 *De veſtibus, & ritu celebrandi Miſſam.*
34 *De iuſto ſtipendio Miſſæ, & miniſtro neceſſario ad Miſſam.*
35 *Quonam modo poſsit peccare Sacerdos celebrando Miſſam pro alijs.*

De præcepto audiendi Miſſam.

36 *Quas perſonas, & quibus diebus obliget præceptum audiendi Miſſam.*
37 *De cauſis excuſantibus ab audienda Miſſa.*

De Sacramento Pœnitentiæ.

38 *Quid ſit pænitentia, quodnam eius obiectum, & neceſſitas.*
39 *De pænitentia, prout eſt Sacramentum, de eius inſtitutione, neceſsitate, & præcepto, ac de eius materia.*
40 *De forma Sacramenti pænitentiæ, ac de poteſtate neceſſaria ad remittenda peccata.*
41 *De effectu, & neceſſitate pænitentiæ, quoad remiſſionem peccati mortalis.*
42 *De effectu pænitentiæ quoad remiſſionem peccatorum venialium, & de perfectione effectus pænitentiæ circa remiſſionem peccatorum.*
43 *De partibus pænitentiæ, ac de eius præcepto.*

De Contritione, & Attritione.

44 *Quid ſit Contritio, & Attritio, ac de conditionibus earum.*
45 *De Contritionis, & Attritionis neceſsitate ad effectum Sacramenti conſequendum.*

De Contritione ſecunda parte Sacramenti pœnitentiæ.

46 *Quid ſit Confeſsio, & quas conditiones habere debeat.*
47 *De integritate materiali confeſsionis.*

48 *De*

Digitized by Google

48 De integritate formali confeſſionis.
49 De miniſtro Confeſsionis, tàm reſpectu ordinis, quàm reſpectu iuriſdictionis, & delegationis.
50 De qualitatibus neceſſarijs in Sacerdote aſſumendo pro confeſſore, vel vt ei delegari poſsit iuriſdictio audiendi confeſsiones, aut abſoluendi à reſeruatis.
51 Qui abſoluere poſsint à caſibus reſeruatis, & quomodo.
52 De obligationibus pertinentibus ad confeſſorem, ac de ſigillo confeſsionis.
53 De ſecreto ſeruando circa peccatum, & perſonam complicis.
54 De præcepto confeſsionis, quando, & quomodo obliget, & quas perſonas comprehendat.

De Satisfactione.

55 Vtrum in hac vita poſsimus conſequi remiſsionem pœnæ temporalis per opera noſtra ſatisfactoria.
56 De ſacramentali ſatisfactione.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

57 De inſtitutione huius Sacramenti, ac de eius materia, & forma, & eius effectu.
58 De ſuſcipiente, Miniſtro, ac eorum præceptis.

De Purgatorio.

59 Purgatorium an, & vbi ſit.

De Suffragijs.

60 Vtrum fideles per ſuffragia poſsint ſe inuicem iuuare, ac etiam iuuare animas in Purgatorio exiſtentes.

De Indulgentijs.

61 An ſit Indulgentia. An detur poteſtas dandi Indulgentias, ac de eius effectu.
62 De modis, quibus elargiuntur Indulgentiæ, & de diſpoſitione neceſſaria ad illas acquirendas, tàm reſpectu viuentium, quàm defunctorum.
63 De cauſa finali concedendi Indulgentias, & cauſa efficiente, ac de forma, ſub qua Indulgentiæ concedendæ ſint.

De Iubilæo.

64 Iubilæum quid ſit, & quomodo accipiatur, ac de priuilegijs, quæ in ipſo conceduntur.

De Sacramento Ordinis.

65 Quid, & quotuplex ſit Sacramentum Ordinis, ac eius materia, & forma.
66 De effectibus Sacramenti Ordinis, ac de eius Miniſtro, & ſuſcipiente.
67 De quibuſdam annexis Sacramento Ordinis.

De Oratione vocali.

68 Quid ſit Oratio, quomodo fieri debeat, ac de eius neceſſitate.
69 De Oratione vocali priuata, ac de eius circumſtantijs.
70 De ijs, pro quibus orare poſſumus, vel non poſſumus.

De Oratione Dominica.

71 Quænam ſint petitiones Dominicæ, & quomodo faciendæ.

De Diuino Officio, ſeu Horis Canonicis.

72 Quid ſit diuinum Officium, ſeu Horæ Canonicæ, quot ſint, quo iure inſtitutæ, & de obligatis ad ipſas.
73 De ritu recitandi Horas Canonicas in Choro, & de modo in ipſa recitatione tenendo.
74 Quodnam Officium priuatim recitandum ſit, ac de cauſis excuſantibus à recitatione Officij.
75 De pœnis contra non recitantes Horas Canonicas.

De Deuotione.

76 Quid ſit deuotio, quæ eius cauſa, & effectus.

De Beneficijs.

77 Quid ſit beneficium, quo iure inſtitutum, & qui ſint incapaces beneficij.
78 De conditionibus requiſitis in ſuſcipientibus beneficia.
79 De modis, quibus beneficia acquirantur.
80 Qui poſsint beneficia conferre, & quibus conferenda ſint, ac de eorum reſidentia.
81 De modo, quo beneficiarij reſidere teneantur, ac de eorum obligationibus.
82 De electione ad Eccleſiaſtica beneficia.
83 De permutatione, & reſignatione beneficiorum, & de alijs modis, quibus beneficia amittantur.

De Penſione.

84 Quid ſit penſio, & quid requiratur ad obtinendam penſionem Eccleſiaſticam.
85 Quonam modo penſiones extinguantur, & in alium transferantur, ac de obligatione penſionarij.

De ſpolio bonorum Beneficiariorum.

86 Quid ſit ſpolium, ad quem pertineat, & ex quibus bonis fieri debeat.

De Sacramento Matrimonij, & primò de Sponſalibus.

87 Quid ſint ſponſalia, & de conditionibus neceſſarijs ad illa.
88 De verbis, quibus ſponſalia contrahantur.
89 De obligatione, quæ conſurgit ex ſponſalibus.
90 De modis, quibus ſponſalia diſſoluantur.
91 De alijs cauſis ob quas etiam diſsoluantur ſponſalia.

De Matrimonio.

92 Quid ſit matrimonium, quando inſtitutum, & quæ ſint eius materia, forma, & Miniſtri.
93 Matrimonium an, & quo iure ſit indiſſolubile.
94 De cauſa efficiente matrimonij, ſeu de mutuo conſenſu neceſſariò ad ipſum.

95 An

Digitized by Google

INDEX.

95 *An conſenſus coactus irritet Matrimonium.*
96 *De conſenſu conditionato.*
97 *De conſenſu, ſeu de Matrimonio clandeſtino, ac de conſenſu, & alijs neceſſarijs ad Matrimonium publicum.*
98 *De Miniſtro Sacramenti Matrimonij, ac de præſentia Parochi, & teſtium.*

De Donationibus inter Virum, & Vxorem.

99 *An inter virum, & vxorem validæ ſint donationes, & quonam modo confirmentur.*
100 *De ſponſalitia largitate, ſeu de donatione fieri ſolita inter ſponſos de futuro ob ſpem ineundi Matrimonium.*
101 *De Arrhis, ſeu de donatione propter nuptias, quid ſint, quomodo acquirantur, quis poſſit illas promittere, & qualiter de illis vxor poſſit diſponere.*

De impedimentis Matrimonij.

102 *Vtrum in Eccleſia ſit poteſtas ſtatuendi impedimenta dirimentia Matrimonium.*
103 *De impedimento erroris.*
104 *De impedimento ſolemnis profeſſionis, & voti; quonam modo differant votum ſolemne, & ſimplex, & quo iure votum ſolemne dirimat Matrimonium.*

De impedimento cognationis Carnalis, Spiritualis, & Legalis.

105 *Quid ſit conſanguinitas, qui eius gradus, & quomodo Matrimonium dirimat.*

De impedimento affinitatis, & publicæ honeſtatis.

106 *Quid ſit affinitas, quomodo gradus affinitatis computentur, & quonam modo Matrimonium dirimat.*

De impedimento cultus diſparitatis.

107 *Quonam modo prohibitum ſit contrahere cum infidelibus, ac de validitate Matrimonium infidelium, quando tranſeunt ad fidem Chriſtianam.*

De impedimento criminis, & raptus.

108 *Quæ crimina, quo iure, & quomodo dirimant Matrimonium.*

De impedimento Ligaminis.

109 *Quid ſit Ligamen, quo iure, & quomodo dirimat Matrimonium.*

De impedimento Impotentiæ.

110 *Impotentia quid, & quotuplex ſit, quæ impotentia dirimat matrimonium, quo iure dirimat, & de alijs ad dictum impedimentum pertinentibus.*

De impedimentis non dirimentibus Matrimonium.

111 *Quot, & quæ ſint impedimenta prohibentia contractum Matrimonij, & quonam modo illud impediant.*

De diſpenſationibus Matrimonialibus.

112 *Quonam modo poſſit Summus Pontifex, vel Epiſcopus diſpenſare in impedimentis Matrimonij, & quibus de cauſis.*
113 *Quænam ſint iuſtæ cauſæ diſpenſandi in impedimentis Matrimonij.*

De vſu Matrimonij.

114 *Vtrum vſus Matrimonij ſit licitus, & præceptus, ex quibus cauſis erit licitus, & quibus modis coniuges peccare poſſint in tali vſu.*

De Diuortio.

115 *Quid, & quotuplex ſit Diuortium, quando liceat ob adulterium, an detur compenſatio, & de alijs ad diuortium pertinentibus.*
116 *De aliquibus dubijs ad Matrimonium ſpectantibus.*

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quid ſit Sacramentum, & An in Sacramentis dentur determinatæ Res, & Verba. Cap. I.

1 *Sacramentum dupliciter poteſt conſiderari, ſed hic accipitur prout eſt ſignum gratiæ operandæ in hominem.*

2 *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ, viſibile ſignũ homines aliquo modo ſanctificans, & id fuit in veteri teſtamento varijs figuris præſignatum.*

3 *Sacramenti definitio conuenit vniuocè omnibus Sacramentis nouæ, & veteris legis, licet nouæ, ſpecie differant ab illis veteris legis.*

4 *Sacrificia, & figuræ veteris legis non ſunt Sacramenta, nec ſimiliter conſecrationes, &c. cum non ſint ſigna gratiæ ſanctificantis; ſed tantum rerum ſacrarum.*

5 *Sacramentum tria debet ſignificare, nempè cauſam noſtræ ſanctificationis, formam ſanctificationis, & vltimum finem, ſcilicet, vitam æternam.*

6 *Sacramentorum nouæ legis, & veteris, tres ſunt differentiæ accidentales.*

7 *Sacramenta nouæ legis cauſant gratiam ex opere operato, & in hoc conſiſtit differentia eſſentialis, quam habent reſpectu Sacramentorum veteris legis.*

8 *Sacramenta nouæ legis in multis differunt inter ſe.*

9 *In Sacramentis neceſſariæ fuerunt res ſenſibiles.*

10 *In Sacramentis requiruntur determinatæ Res.*

11 *In Sacramentis requiruntur determinata verba.*

12 *Sacramentorum forma immutari non poteſt, nec etiam eorum materia.*

1 ANtequam ad definitionem Sacramenti deueniamus, primò ſciendum eſt, Sacramentum poſſe dupliciter conſiderari, primo modo, prout eſt ſacrum ſecretum, ſcilicet, quatenus habeat, & contineat in ſe aliquam ſanctitatẽ occultam. Secundo modo modo prout importat, & eſt ſignum ſanctitatis operandæ in hominibus; & licet aliquando fuerit etiam acceptum pro re ſecreta, & occulta, vt Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abſcondere, bonum eſt.* Vel pro myſterio, vt *Apoc.* 17. *Et in fronte eius ſcriptum myſterium, & ego oſtendam tibi Sacramentum mulieris.* Tamen in præſenti non definiemus Sacramentum; niſi prout eſt ſignum ſanctitatis operandæ in hominẽ, vel prout dicit habitudinem ad dictam ſanctitatem; non iam in actu ſignato; ſed in actu exercito, ſcilicet prout dicit habitudinem ad ſanctitatem actualiter præſtandam hominibus, vt notat Caiet. in q. 60. D.Thom. art. 1. par. 3.

2. Dico igitur; Sacramẽtum eſt inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum homines aliquo modo ſanctificans, vel eſt ſignum rei ſacræ, quatenus homines ſanctificat. Prior definitio ſumitur partim ex P. N. Auguſtino de Ciuit. Dei cap. 5. Partim ex Vgone lib. 1. de Sacram. par. 9. cap. 5. Secunda verò ſumitur ex D.Thom. 3. par. q. 60. art. 1. & 2. quas definitiones omnes approbãt cum Magiſtro ſenten. 4. diſt. 1. Vnde Sacramentum debet eſſe ſignum ſacrum ex parte rei ſignificantis; ideſt res aliqua, vel cæremonia ad cultum Dei ordinata, ſeu inſtituta, vt docet Suar. 3. par. q. 60. diſp.

 1. ſect.

1.ſect.1.§.Dico ergo ex cit.Magiſtro ſenten.cum Bonau.Scoto,Gabriel,Caiet. hic art.5. & expreſſius id docet D.Thom.1.2. q.101. art.4. & q.102. art.5. quod probatur inductione ex figuris,quæ præceſſerũt in veteri teſtamento. Nam in illis ſignificabantur hæc noua Sacramenta, vt in circũciſione,per quam homines in Dei populo conſignabantur, & dicebatur ſignum fœderis Gen. 17. & fuit figura noſtri baptiſmi. Sic etiam conſecratio Sacerdotum, fuit figura noſtrorum Sacerdotum, quia per dictam cõſecrationem homines dedicabantur, & dedicantur ad diuinum cultum Exod. 28. Item Agnus Paſchalis fuit figura noſtræ Euchariſtiæ, & dicitur 1. ad Corinth. 11. *ſignum Paſſionis*; quia poterat dici Sacramentum,& ſacrificium. Sacramentum,quatenus dictus Agnus comedebatur certo quodam ritu lege præſcripto, & tãquam cibus Deo dicatus; poterat etiam dici ſacrificium, quia mactabatur in cultum Dei, vt Suar. loco citat. & ſic de alijs figuris. Vnde cum etiam noſtra Eccleſia ſit corpus viſibile,debuit etiã habere Sacramenta viſibilia.

Dicitur deinde, inuiſibilis gratiæ, quia omne Sacramentum debet conferre gratiam actualiter hominẽ ſanctificantem, & debet eſſe non ſolum ſignum ſacrũ ex parte rei ſignificantis; ſed etiam ex parte rei ſignificatæ, ſcilicet gratiæ, per quam Deo coniungimur. Dicitur etiam inuiſibilis gratiæ ad diſtinctionem ſacrificij, quod propriè dirigitur ad honorandum Deum; licet, ſub ratione ſigni, conueniant tam Sacramẽta, quam ſacrificia in genere; differunt tamen in ratione ſanctificationis hominum, vt docet D.Thom.1.2. q.100. art.4. ſeu, vt ait Suar.3. par.q.60. diſp. 1. ſect.1.circa fin. ſacrificium conſiſtit in aliqua actione, & oblatione ad ipſum Deum, & poteſt fieri tam ab vno, quam à pluribus; At Sacramentum conſiſtit in receptione, ſeu quaſi paſſione, quæ in Dei cultoribus aliquo modo ſuſcipiatur, & ab vno tantum fiat, & in vno recipiatur in propriam ſanctificationem.

3. Quomodo autem cõueniãt hæ definitiones reſpectu Sacramẽtorum nouæ, & veteris legis? Dico conuenire vniuocè largo modo loquẽdo, quia conueniunt ratione cæremoniæ ſacræ, ratione ſigni gratiæ, & ſanctificationis ſaltem legalis reſpectu Sacramentorum veteris legis, ac etiam in ſignificanda Chriſti Paſſione; licet non adeò expreſsè, & diſtinctè, prout ſignificãt noſtra Sacramenta, Suar.loc.cit. ſect.2. §.atque hinc. Differunt tamen in ſpecie,quia noſtra Sacramẽta ſunt demonſtratiua gratiæ præſentis, quæ per ipſa datur; vetera autem erãt ſigna promiſſiua in futurum. Item differunt; quia noſtra Sacramenta clarius, & apertius ſignificant gratiam, & gloriam immediatè, illa verò non niſi ex promiſſione,& mediatè; Et ſumitur ex diuerſo ritu, & diuerſis actionibus, quibus noſtra Sacramenta fuerunt inſtituta,vt ponderat S. P. Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. 16. & Epiſt. 118. dicens; *mutata lege, & ſtatu rerum quæ ſignificanda erant, oportuit etiam externum Dei cultum mutare*, & tandem Paul. ad Hebræos 10. ait, *legem fuiſſe vmbram futurorum, noſtra verò continere ipſam imaginem rerum*, vt ibi notat Theodor. & Theoph. cum Gregor. Nazianz. orat. de Paſchate.

4. Per has igitur definitiones,tria expelluntur, primò ſacrificia, ſecundò figuræ veteris teſtamenti, quia licet ſignificabant aliquam rem ſacram, vt manna, gratiam conferendam per Euchariſtiam;Serpens, gratiam dandam per Chriſtum; tamen non erant ſigna permanentia, nec ſignificabãt gratiam hominem ſanctificantem. Tertiò reijciuntur imagines, & Crux Chriſtum, & Sanctos repræſentantes,cõſecrationes vaſorum, vel paramentorum,aqua benedicta,prima tonſura, &c. quæ omnia, licet ſint ſigna rerum ſacrarum, non tamen ſunt ſigna gratiæ ſanctificantis,vt omnes Doctores aſſerunt.

5. Occaſione harum definitionum, quæri poteſt,vtrum Sacramentum debeat eſſe ſignum plurium rerum? in quo quæſito Reſpondet D.Thom. q.60.art.3. quod, cum Sacramentum ſit ordinatum ad noſtram ſanctificationem, tria poſſunt in eo conſiderari, ſcilicet, ipſa cauſa ſanctificationis noſtræ, quæ eſt paſſio Chriſti. Secundò forma noſtræ ſanctificationis, quæ con-

conſiſtit in gratia, & virtutibus, tertiò vltimus finis noſtræ ſanctificationis, quæ eſt vita æterna; Vnde Sacramentum dicitur ſignum rememoratiuum eius, quod præceſſit, ſcilicet paſſionis Chriſti; Demonſtratiuum eius, quod in nobis efficitur, ſcilicet gratiæ per Chriſti paſſionem; & Prognoſticum, ideſt prænunciatiuum futuræ gloriæ.

6. Ex quibus dictis, colligitur, tres eſſe differentias accidentales inter Sacramenta nouæ legis, & veteris legis: & prima eſt, quod noſtra Sacramenta ſint ſigna gratiæ datæ;illa erāt ſigna gratiæ dandæ per Chriſtum. Secunda,noſtra ſignificant apertius gratiam,illa obſcurius. Tertia,noſtra dant gratiam ſufficientem ad introducendum nos in Regnum Cœlorum; illa etiam ſi darent gratiam, non tamen id erat ſufficiens ad aperiendum ianuam Cœli.

7 Et loquendo de differentijs eſſentialibus, potiſſima differentia eſt,quod noſtra cauſent gratiam ex opere operato; illa tantū ex opere operantis,vt ait D.Tho. q.70.ar.4. Capreol. Bellar.l.2.c.14.Suar. diſp.10. ſect.2. In paruulis autem ſi dabatur gratia ex opere operato, erat ob eorum neceſſitatem, licet, vt dicam inferius probabile etiam ſit, non fuiſſe datam ex opere operato. Alia differentia eſt; quod noſtra Sacramenta contineant gratiam Chriſti, quam iam promeruit ſoluendo; Illa autem erant tantum ſigna meriti futuri, nec continebant gratiam, ſi propriè loquendum ſit,vt ijdem Doctores docent, locis citatis.

8. Quas autem differentias habeant inter ſe Sacramenta nouæ legis, licet multæ numerentur à Viuald. de Sacramentis in genere cap. 2. præcipuæ tamen ſunt decem. Prima eſt,quod quædam ex his ſint initerabilia, quia imprimūt characterem, vt Baptiſmus, Confirmatio,& Ordo; quædam ſunt iterabilia,vt reliqua omnia præter extremam Vnctionem in eadem infirmitate. Quædam conſiſtunt in vſu tantum, quædam ſunt Sacramēta etiam abſq; vſu,vt Euchariſtia,& Matrimonium. Tertia,aliqua requirunt in ſuſcipiente ætatem adultam, & vſum rationis, vt Confeſſio, Extrema Vnctio, & Matrimoniū,ac etiam Euchariſtia; Alia non, quarta, quædam dicuntur Sacramenta viuorum, vt Confirmatio, Euchariſtia,Ordo,Extrema Vnctio,& Matrimonium. Quædam mortuorum,vt Baptiſmus, & Pœnitentia. Quinta, quædam requirunt diſpoſitionem propriam ad valorem Sacramenti, vt Confeſſio, & Matrimonium; quædam non, vt Baptiſmus,Confirmatio, & Euchariſtia, ſi Infantibus miniſtretur, adhuc in eo operabitur eius effectum,ſicut etiam Extrema Vnctio, ſi conferatur infirmo ſenſibus deſtituto,vt ſuo loco fuſius dicemus. Sexta, in quibuſdam Sacramētis contrahitur paternitas,& filiatio,vt in Baptiſmo, & Confirmatione,in alijs non. Septima,Infideli, tantum Baptiſmus conferri poteſt,cætera minimè. Octaua, in Extrema Vnctione vtitur forma deprecatiua, in alijs forma abſoluta. Nona,in ſola Euchariſtia miniſter poteſt ſibi ipſi miniſtrare Sacramentum, in alijs non. Decima, aliqua conferunt effectum recedente fictione, vt Baptiſmus, Confirmatio, Ordo,& Matrimoniū, alia non, vt Confeſſio, Euchariſtia, & Extrema Vnctio, vt ſuis locis clarius dicetur.

9. Deinde; dicta Sacramenta debuerunt eſſe in rebus ſenſibilibus (contra aliquos hæreticos, aſſerentes, Sacramenta non eſſe ſenſibilia) nec non etiam cum determinatis verbis,vt probat D.Tho.q.60. art.4. 5.6. & 7.& quod debuerint eſſe in rebus ſenſibilibus, probatur ex inductione in omnibus Sacramentis tam veteris, quam nouæ legis, & ex definitione ſigni,quam tradit P.Auguſtinus 2.de doctr. Chriſt. cap.1. nempe, *ſignum eſt, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*. Nam humana cognitio à ſenſibus incipit, & ideò prima congruentia, ob quam fuerunt inſtituta Sacramenta in rebus ſenſibilibus, eſt, quia homo ex ſenſibilibus traducitur ad intelligibilia; Vnde Dionyſ. de Cœleſti Hierar. cap. 1. ait. *Nec enim aliter fas erat infirmitati noſtræ lucere diuinum radium, niſi ſacrorum varietati velaminum, quibus ad ſuperiora ferremur opertum, & his, quæ nobis familiaria ſunt, prouidentia*

paterna natura mortalium, ſic ſe accommodata veſtitum: & Diuus Chriſoſt. Homil. 60. ad populum, & 83. in Matth. *Si incorporeus eſſes, incorporea tibi dediſſet ipſe dona; nunc autem, quia coniuncta eſt corpori anima tua, ſub ſenſibilibus tibi, intelligenda tradit:* alias congruentias vide apud Suar. 3. par. q. 60. diſp. 1. ſect. 3. vbi etiam notat, Sacramentum dici ſignum non naturale; ſed ex inſtituto, vt docet etiam D. Thom. art. 5. ex P. Auguſtino 2. de doctrin. Chriſt. cap. 3. & ratio eſt, quia Sacramentum eſt ſignum gratiæ datæ, vel dandæ; quod non poteſt fieri naturaliter à rebus ſenſibilibus, niſi ex beneficio illius, qui gratiam dare poteſt.

10 Debēt etiā dictę res ſenſibiles eſſe determinatæ publica, & ſtabili lege, quæ duret pro toto ſtatu, quo homines ex diuina ordinatione talem modum colendi Deum profitentur, prout fusè probat Suar. loc. cit. §. dico tertio, & probatur à D. Tho. art. 5. dicens, quod in vſu Sacramentorum duo poſſint conſiderari, ſcilicet cultus diuinus, & ſanctificatio hominis; primū pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, ſecundum pertinet àd Deum per comparationem ad hominem, & cum non pertineat ad aliquem, quod eſt in poteſtate alterius; Ideò ſanctificatio hominis, cum ſit in poteſtate Dei ſanctificantis, non poterat pertinere ad hominem ſuo iudicio aſſumere res, quibus ſanctificaretur; ſed hoc debuit eſſe ex diuina prouidentia ordinatum.

11, Requiruntur etiam determinata verba; quia Chriſtus ſic inſtituit, vt patet *Matth. 26.* in ſacra Euchariſtia. *Hoc eſt Corpus meum,* & eiuſdem *Matth. cap. vlt. Euntes, docete omnes gentes, &c.* quod etiam probatur à D. Thoma art. 7. quia res ſenſibiles habent ſe in Sacramentis, vt materia, verba autem neceſſaria ſunt per modum formæ. In omnibus autem compoſitis ex materia, & forma, principium determinationis eſt ex parte formæ, ergo eſt quodammodo finis, & terminus materiæ, & ideò ad eſſe rei principalius requiritur ipſa forma, quam determinata materia; materia enim determinata requiritur, vt ſit proportionata determinatæ formæ; Cum igitur in Sacramentis requirantur determinatæ res ſenſibiles, quæ ſe habent in Sacramentis, velut materia; multo magis requiritur in eis determinata forma verborum.

Occurrit tantum difficultas circa Sacramentum Confeſſionis, & Matrimonij; quæ Sacramenta non videntur perfici, niſi tantum verbis; nam confeſſio, & abſolutio conſiſtunt in verbis, & ſic etiam Matrimonium conſiſtit in conſenſu vtriuſque contrahentium: verbis nutibus, aut ſigno expreſſo; igitur hæc Sacramenta non videntur conſtare ex materia. & forma, prout diximus de omnibus Sacramentis; ob hanc difficultatem, quidam hæretici negauerunt Cōfeſsionem, & Matrimonium eſſe Sacramenta, & Durand in 4. diſt. 1. quæſt. 3. ait, ſupradictam doctrinam, nempè Sacramenta nouæ legis conſtare ex rebus, & verbis, nō eſſe vniuerſaliter veram in omnibus Sacramentis; & quoad Matrimonium idem ſentit Adrian. q. 2. de Baptiſ. Attamen reſpondetur in his Sacramentis adeſſe etiam veram materiam, & formam; nam pro materia non eſt tantum intelligenda ſubſtantia ſenſibilis; ſed quælibet actio ſenſibilis; Vnde cum in confeſſione adſint actus pænitentis, ſcilicet, actus contritionis, & ſatisfactionis, dicti actus dicuntur vera materia confeſſionis; ſic etiam in matrimonio datur cōſenſus contrahentium, qui conſenſus fundatur in traditione dominij proprij corporis ad inuicem, & talis voluntas traditionis corporis actualiter facta in dicto conſenſu, dicitur materia huius Sacramenti, vt Suar. 3. par. q. 60. diſp. 2. ſect. 1. §. Sed occurrit.

2. Vtrum autem tam materia, quam forma Sacramentorum immutari poſſit? omninò negatiuè eſt reſpondendum, nec conficeretur Sacramentum, ſi mutatio eſſet ſubſtantialis; ſecus, ſi eſſet accidentalis; Tunc autem erit mutatio ſubſtantialis in materia, quādo iuxta communē ſenſum, & conceptionem hominum materia non conuenit cum illa, qua vtitur Eccleſia, & à Chriſto Domino fuit præcepta; vt v. g. in Baptiſmo, aqua naturalis, ſi mutetur, & fiat Baptiſmus cum aqua roſeacea, non erit Baptiſmus, quia iuxta cōmunem

vſum,

Digitized by Google

vſum, & hominum æſtimationem, aqua roſeacea, non eſt aqua naturalis; è contra verò, ſi in Euchariſtia conſecretur panis fermentatus, loco panis azimi, erit Sacramentum, quia etiam panis fermentatus, verè panis eſt, & differt ab azimo tantum accidentaliter. Sic etiam quando variatur forma eſſentialiter, ſeu ſubſtantialiter; tunc non conficitur Sacramentum; ſecus, ſi varietur accidentaliter, & tunc dicitur forma variari ſubſtantialiter, quando mutatur ſenſus verborum, ſecus ſi non mutetur. Quot autem ſint modi, quibus forma variari poſſit, dicetur infra, agẽdo de vnoquoq; Sacramento. Vide Suar. q. 60. diſp. 2. ſect. 4. & D. Thom. q. 60. art. 8.

De neceſſitate Sacramentorum in omni ſtatu naturæ. Cap. II.

1 *Sacramenta non abſolutè; ſed ſecundum quid fuerunt neceſſaria.*

2 *Sacramenta ex ſuppoſitione, ſunt omninò neceſſaria ad ſalutem.*

3 *Paſſio Chriſti, & gratia, licet ſufficiant ad ſalutem; tamen non datur gratia, nec applicatur paſſio Chriſti, niſi iuxta modum hominibus conuenientem.*

4 *In ſtatu Innocentiæ, non fuerunt neceſſaria Sacramenta.*

5 *Poſt peccatum fuerunt neceſſaria Sacramenta.*

6 *In ſtatu naturæ fuit etiam aliquod Sacramentum.*

1 DVpliciter poteſt conſiderari neceſſitas Sacramentorum, vel ſimpliciter, & abſolutè, aut ſecundum quid, & ex ſuppoſitione. Sacramenta primo modo conſiderata, non ſunt neceſſaria, quia potentia Dei in ſaluando homines, non eſt alligata Sacramentis, cum poſſit illos, ſine his ſaluare; in quo omnes conueniunt; vt videre eſt apud Bellarm. lib. 1. cap. 22. Poſſunt tamen dici neceſſaria ad melius eſſe, vt loquitur N. P. Auguſtinus lib. 12. de Trinit. cap. 10. aſſerendo; Incarnationẽ fuiſſe neceſſariam ad ſalutem.

2. Conſiderando autem Sacramenta ſecundum quid, & ex ſuppoſitione, ſunt omninò neceſſaria ad ſalutem, quã ſententiam probat D. Thom. q. 61. art. 1. 3. par. tribus rationibus, prima eſt, ratione conditionis humanæ naturæ, cuius proprium eſt, vt per corporalia, & ſenſibilia, in ſpiritualia, & intelligibilia deducatur. Secunda ratio ſumitur ex ſtatu hominis, qui peccando ſe ſubdidit corporalibus rebus; ibi enim debet medicinale remedium adhiberi homini, vbi patitur morbũ; & ideò conueniens fuit, vt Deus per quædam corporalia ſigna, homini ſpiritualem medicinam adhiberet. Tertia ratio eſt ſumenda ex ſtudio actionis humanæ, quę præcipuè circa corporalia verſatur; ne ergo eſſet homini durum, ſi à corporalibus actibus abſtraheretur, propoſita ſũt ei corporalia exercitia in Sacramentis. Sumitur etiam hæc concluſio ex P. Auguſtino 19. contra Fauſtum, vbi ait. *In nullum Religionis nomen verum, ſeu falſum coadunari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, aut Sacramentorum viſibilium conſortio colligantur*: Ergo cum neceſſarium ſit, vt homines ſint coadunati ſub vno veræ Religionis nomine, neceſſaria etiam erant Sacramenta.

3. Contra tamen videtur poſſe obijci, primo ex 12. ad Corinth. vbi Paulo dicitur, *ſufficit tibi gratia mea*, ſecundo ex illo ad Rom. 5. *Si inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius*. Igitur vel Dei gratia, vel Chriſti paſſio, eſt ſufficiens cauſa noſtræ ſalutis. ad quod reſpondet D. Thom. q. 61. art. 1. ad 2. & 3. quod licet gratia Dei ſit ſufficiens cauſa noſtræ ſalutis; tamen Deus dat hominibus gratiam ſecundum modum eis conuenientem; & ideò neceſſaria ſunt hominibus Sacramenta ad gratiam conſequendam. Sic etiam Chriſti paſſio eſt ſufficiens cauſa noſtræ ſalutis; tamen dicta Chriſti paſſio applicatur hominibus per Sacramenta ſecundum illud ad Rom. 6. *Quicunque Baptizati ſumus, in morte ipſius Baptizati ſumus.*

4. Sed quęritur, vtrum in ſtatu Innocentiæ, fuerint neceſſaria Sacramenta? & negatiuè reſpondet D. Thom. q. 61. art. 2.

& in

Digitized by Google

& in 4. diſt. 1. art. 2. q. 2. & ibi Bonauent. art. 1. q. 1. & alij multi, quos refert loco cit. diſp. 3. ſect. 3. & probatur à D. Thom. loco primo cit. ex illo *Matth. 9. Non eſt opus ſanis medicus;* Vnde cum Sacramenta ſint quędam ſpirituales medicinæ inſtitutę contra vulnus peccati, non erant neceſſariæ in ſtatu innocentiæ, vbi nullum erat vulnus peccati, ratione etiam hoc confirmat, quia ille ſtatus erat rectus; & ſuperiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis, quia ſicut mens ſuberat Deo, ita menti ſuberant inferiores animæ vires, & ipſi animæ corpus: contra autem hunc ordinem eſſet, ſi anima perficeretur vel quoad ſcientiam, vel quoad gratiam per aliquod corporale, vt fit in Sacramentis, & ideò in tali ſtatu non fuerunt neceſſaria, non ſolum quatenus Sacramenta ordinantur contra peccatum; ſed nec etiā, quatenus ordinantur ad ornamentum ipſius animæ; ſequitur Caiet. Sot. Ledeſm. & alij; quamuis non deſint, qui aſſerant in illo ſtatu non defuiſſe aliquam congruentiam, ob quam poterant Sacramenta inſtitui, licet non cum tali neceſſitate, prout ad præſens eſt, & ita tenet Alex. 4. par. q. 1. memb. 2. art. 1. Durand. diſt. 1. q. 2. num. 9. & conſentit etiam Scot. q. 3. art. 3. Certum tamen eſt, quod in illo ſtatu, nullum fuit Sacramentum, quia ante lapſum, per breue tempus durauit talis ſtatus; nec Matrimonium; quod fuit inter Adam, & Euā, fuit Sacramentum, cum non fuerit ordinatum ad aliquam hominis ſanctificationem, nec inſtitutum aliqua cæremonia ſacra; & quamuis Paulus ad Epheſios 5. vocet coniugium Adæ, & Euæ, *Sacramentum hoc magnum, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia, &c.* Tamen in hoc loco ſumitur Sacramentum genericè pro qualibet ſignificatione myſterij reuelati, vt fusè probat Suar. q. 61. diſp. 3. ſect. 3. §. Solum poteſt obijci.

5. E contra autem, Sacramenta poſt peccatum, tam in lege veteri, quam in lege Euangelica fuerunt neceſſaria ex rationibus iam dictis: & P. Auguſtinus 19. contra Fauſtum loquēdo de dictis Sacramentis, ait, *Sacramenta veteris legis ſunt ablata, quia impleta, & alia ſunt inſtituta, virtute maiora, vtilitate meliora, Actu faciliora, numero pauciora.*

6. Sed dubium eſt, vtrum in lege naturæ fuerit aliquod Sacramētum? tempus autem naturæ intelligitur à peccato primi parentis, vſq; ad inſtitutionem Circumciſionis, quæ fuit ordinata Abrahæ; quod tempus diſtinguitur à tempore veteris legis, quia hæc fuit data per Moyſen multis annis poſt Abraham. Dico igitur in tali lege etiam adfuiſſe aliquod remedium, ſeu Sacramentum in ſalutem infantium; de quo, licet nihil conſtet in ſcriptura ſacra, tamen omnes Theologi ita ſentiunt in 4. diſt. 1. & 2. & probatur auctoritate N. P. Auguſtini 5. lib. contra Iulianum cap. 9. his verbis. *Non eſt credendum, ante datam Circumciſionem, quando famulos Dei quandoquidem illis inerat mediatoris fides, nullo Sacramento eius opitulatos eſſe paruulis ſuis, quamuis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa, ſcriptura tacere voluerit*, & ſimilia habet lib. 2. de nupt. & concup. cap. 12. & lib. 2. de peccat. merito, & remiſſ. cap. 9. quem poſtea ſecuti ſunt Gregor. Beda, & Hugo de S. Victor. & eſt ſententia Innocentij Tertij in cap. Maiores de Baptiſm. & ratio ſumitur ex prouidentia diuina, cui cōſentaneum erat, vt remedium aliquod pro ijs inſtitueret, quod potuit cōſiſtere in aliquo actu externo, veluti in profeſſione Fidei, vt communiter docent Theologi, & Suar. diſp. 4. ſect. 1.

De præcipuo Sacramentorum effectu, ſcilicet, gratia. Cap. III.

1 *Effectus dupliciter poteſt procedere ab aliqua cauſa, vel tanquam à principali Agente, vel tanquam à cauſa inſtrumentali.*

2 *Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam.*

3 *Sacramenta nouæ legis non ſolum conferunt gratiam, ſed etiam virtutes, & dona ſpiritualia.*

4 *In Sacramentis datur etiam gratia Sacramentalis iuxta qualitatem cuiuslibet Sacramenti.*

5 *Non*

5 *Non omnia Sacramenta conferũt primam gratiam.*

6 *Omnia Sacramenta habent virtutem ex paſſione Chriſti.*

7 *Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam iuſtificantem ex propria virtute.*

8 *Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato.*

9 *Sacramenta nouæ legis ſemper operantur eorum effectus, niſi adſit obex.*

1 EST primò notandũ, dupliciter poſſe procedere effectum ab aliqua cauſa, vel tamquam à cauſa principalis agentis, vel tamquam à cauſa inſtrumentali; nam ſi gratia cõſideretur ſecundum ſuum principale agens, clarum eſt, cauſam gratiæ non poſſe eſſe, niſi ipſum Deum; ſi autẽm conſideretur prout prouenit à cauſa inſtrumentali, hoc modo, verè gratia poteſt dici effectus Sacramẽtorum, & in hoc ſenſu hic accipitur gratia. Deinde eſt etiam ſciẽdum; quod gratia accipitur hic pro qualitate quadam animæ impreſſa, qua anima redditur Deo grata, & alio modo dicitur gratia gratum faciens, quæ tantum in Sacramentis nouæ legis confertur; ſed nos hic loquimur de gratia prout eſt effectus Sacramentorum nouæ legis, non prout reddit hominem Deo gratum.

2. Quibus poſitis. Dico. Sacramenta eſſe cauſam gratiæ, quod probatur primò auctoritate D. P. N. Auguſtini ſupra Ioan. tract. 8. his verbis. *Quæ eſt tanta virtus aqua, vt corpus tangat, & cor abluat?* ſed cor non abluitur, niſi per gratiam, ergo cauſat gratiam. Deinde ex Apoſt. ad Galat. *quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis;* Non autem efficitur homo membrum Chriſti niſi per gratiam, ergo, &c. Eſt etiam hæc concluſio de Fide, vt definitur in Concil. Trid. ſeſſ. 7. cap. 6. 7. & 8. & ſeſſ. 6. cap. 7. Idem habetur ex Concilio Florentino ſub Eugenio Quarto, vbi legitur, differentiã inter Sacramenta nouæ, & veteris legis conſiſtere in hoc, quod Sacramenta veteris legis non cauſabant gratiam; nouæ verò legis continẽt, & cauſant gratiã dignè ſumentibus. Idem habetur ex alijs Concilijs, vt Niceno, Mileuitano, & Auraſicano 2. cap. 25. ac denique ex Cõcil. Senon. cap. 10. in quo error Lutheri anathemate damnatur: idem etiã probatur ex mille alijs locis ſacræ ſcripturæ, vt fusè Suar. diſp. 7. ſect. 1.

3. Dico ſecũdo, Sacramẽta non ſolũ conferunt gratiã; ſed etiã virtutes, & dona ſpiritualia, quibus potentiæ animæ perficiuntur in ordine ad ſuos actus; quod probatur à D. Thom. q. 62. art. 2. & ratio eſt, quia gratia ſecundum ſe conſiderata perficit eſſentiam animæ in quantum participat quamdam ſimilitudinem diuini eſſe; & ſicut ab eſſentia animæ fluunt potentiæ, ita à gratia fluũt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes, & dona.

4. Dico tertio, in dictis Sacramentis, datur non ſolum gratia, virtutes, & dona ſpiritualia; ſed etiã datur alia gratia, quæ dicitur gratia Sacramentalis, iuxta qualitatem cuiuslibet Sacramenti; vt in Sacramento Baptiſmi datur ſpeciale auxilium ad conformandum ſe Chriſto, & ſeruanda eius mandata. Confirmatio addit robur ad fidem confitendam, & ſic de cæteris, vt ſuis locis dicetur, quę concluſio eſt etiam D. Thom. loco citato, & omnium Doctorum.

5. Dico quartò, Omnia Sacramenta, licet, abſtractè loquendo conferant gratiam habitualem, & eſt de fide ex Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 7. in quo habetur; *Si quis, dixerit non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus quantum eſt ex parte Dei; ſed aliquando, & aliquibus, etiam ſi ritè ea ſuſcipiant, anathema ſit.* Tamen non omnia hæc Sacramenta nouæ legis per ſe, & ex propria, ac ſpecifica ratione fuerũt inſtituta ad dandam primam gratiam; ſed quædam tantum ex eis ſunt ad hoc inſtituta, alia verò ad dãdum augumentum gratiæ tantum, & probatur; nam Baptiſmus, & Pœnitẽtia iuxta fidem, fuerunt inſtituta ad remittendum peccatum originale, & mortale reſpectiuè; & è contra confirmatio fuit inſtituta ad dandũ Spiritus Sancti robur, & ex conſequenti non ad primam gratiam; ſed de hoc ſuo loco dicemus. Alia denique tria Sacramenta, nempè Extrema Vnctio, Ordo, &

Ma-

Matrimonium, certùm eſt etiam, quod non conferànt primam gratiam, ſed eius augumentum, Suar. diſp. 7. ſect. 2. §. Tertiò eſt certum.

6. Dico quintò, omnia Sacramenta habent ſupradictas virtutes ex Paſſione Chriſti. Probatur primo ex Gloſſ. ſuper illud ad Rom. 5. *In ſimilitudinem præuaricationis Adæ*, vbi Gloſſ. *Ex latere Chriſti dormientis in Cruce, fluxerunt Sacramenta; per quæ ſaluata eſt Eccleſia*; & ex D. Thom. quæſt. 62. art. 5. vbi ait, *manifeſtum eſt, quod Sacramenta Eccleſiæ ſpecialiter habeant virtutem ex paſſione Chriſti, in cuius ſignum fluxerunt aqua, & ſanguis, quorum vnum pertinet ad Baptiſmum, aliud ad Euchariſtiam, quæ ſunt potiſſima Sacramenta.*

7. Ex quibus faciliter colligi poteſt, quod Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam iuſtificantem per ſeipſa, ſcilicet, propria virtute, quia alioquin non erat neceſſaria paſſio Chriſti iuxta illud ad Galatas. *Si ex lege eſt iuſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt*; & licet in Circumciſione, videatur poſſe dici, quod conferebatur gratia ſanctificãs ex opere operato; Tamen verè, vt notat Eminentiſſimus Io: de Lugo diſp. 5. de Sacramentis in genere ſect. 3. tam ſententia affirmans, quam negans eo nititur auctoritatis pondere, vt nefas ſit ab altera eorum diſcedere; ideò arbitror cum eodem Doctore, ſic dictas opiniones reconciliari poſſe, vt dicamus affirmatiuam ſententiam eſſe veram, materialiter, ideſt per Circumciſionem fuiſſe quidem paruulos iuſtificatos; non quaſi Circumciſio ex ſe, aut ex ſua inſtitutione hanc vim habuerit; ſed quia parentes illam actionem vſurpabant pro materia Sacramenti; ad cuius collationem conferebatur gratia illius, ſcilicet, Sacramenti, quod ab initio legis naturæ fuerat inſtitutum ad remedium peccati originalis, & ad proteſtandam fidem Chriſti venturi; Secundam verò ſententiam negãtem fuiſſe datam talem gratiam in Circũciſione; etiam veram eſſe formaliter ſumptã, ideſt Circumciſionem ſecũdum id, quod ex ſua inſtitutione habebat, non fuiſſe vtilem ad ſalutem, aut iuſtitiam; Conferebatur nihilominus per illã ſignum quoddam fidei iuſtificantis iuxta illud ad Roman. 4. *Abraham accepit ſignum Circũciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei*. Vnde, & illa gratia dicebatur ſignum paſſionis Chriſti.

8. Colligitur etiam, quod Sacramenta nouæ legis conferãt gratiam ex opere operato præter meritum operantis. Vnde Infantibus, Surdis, & Amentibus, vel viribus deſtitutis, ritè poſſunt applicari. Sacramenta autem veteris legis operabantur iuxta fidem operantis tantum, ſcilicet prout fides paſſionis Chriſti apprehendebatur ab operantibus dicta Sacramenta, vt D. Th. qu. 72. art. 6. ad 1. Videtur tamẽ poſſe obijci hoc modo: per Sacramenta veteris legis homines ſanctificabãtur, ergo per gratiam, & ex opere operato, vt ex Leuit. 8. *Cumque ſanctificaſſet Moyſes Aron, & filios eius in veſtitu ſuo*. Tamen reſpondetur, quod ſecũdum D. Thom. eadem q. ad 2. In veteri lege ſanctificari dicebantur homines, eo quod applicabantur cultui diuino ſecundum ritum dictæ legis; illa tamen ſanctificatio erat figuralis, & ordinabatur ad figurandam paſſionem Chriſti, vnde non poterat conferre gratiam ex opere operato, nec veram gratiam Sanctificantem.

9. Vtrum autem Sacramenta nouæ legis ſemper operentur effectum gratiæ, virtutum, &c. vt ſupra? Reſpondeo affirmatiuè in non ponentibus obicem, & eſt communis regula, vt probatur ex Canone Concilij Tridentini citato ſupra in nu. 5. & ex verbis Sancti Cypriani *Serm. de Cæna Domini, Sacramenta quidem quantum in ſe eſt, ſine propria eſſe virtute non poſſunt*; quod non currit in infantibus ſuſcipientibus Sacramenta eis conuenientia; quia hi non poſſunt obicem ponere. Adulti autem ex eorum malitia, & indiſpoſitione effectu Sacramẽtorum priuantur, vt idem Cyprianus loc. cit. his verbis. *Non poſſunt tamen Spiritus eſſe participes, quorum infidelitas, vel indignitas tantæ ſanctitudini contradicit; Ideoque alijs ſunt hæc munera odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem; quia omnino iuſtum eſt, vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec indignis tãtæ gratiæ puritas ſibi faciat manſionem*. Hæc

ille,

Digitized by Google

ille. Et D. P. Auguſtinus in Pſalm. 142. circa finem, ait. *Non eſt malum, quod datur, ſed bonum malo in iudicium datur: benè enim eſſe nō poteſt malè accipienti, quod bonum eſt*; & in lib. 6. de Baptiſm. cap. 3. ait. *Neminem debere eſſe ſecurum de effectu Sacramenti, licet Sacramentum ſuſceperit; niſi ſit corde diſpoſitus*, & in Pſalm. 77. ſimiliter ait. *Licet omnibus communia ſint Sacramenta, non tamen omnibus communis eſt gratia:* Obex autem, qui impedit talem effectum, eſt peccatum mortale, & dum durat tale peccatū, ſemper durat obex. Et licet reſpectu Sacramentorum conferentium primam gratiam, neceſſe ſit, vt adſit peccatum mortale, vel originale, vt in Baptiſmo, & Pœnitentia, cum ex hoc vocentur Sacramenta mortuorum; tamen in his Sacramentis requiritur ſaltem aliqua diſpoſitio, quæ non conſiſtit in contritione, quia iam per illam daretur prima gratia, & poſtea per Sacramentum, daretur augumentum eius; ſed requiritur ſaltem attritio, quia tam peccatum mortale actuale, quam habituale, ſeu originale, ſi non fuerint deteſtata ſaltem per attritionem, & retractata; cenſenda ſunt voluntaria, & ex conſequenti aderit obex impediens effectum Sacramenti, vt Suar. diſp. 7. ſect. 4. §. tertiò dicendum, & ſeqq. quod intellige de adultis ſuſcipientibus Baptiſmum.

Sacramenta quo tempore conferant gratiam, & An æqualiter omnibus conferant. Cap. IV.

1 *Effectus Sacramenti ex opere operato non datur per deſiderium tantum; ſed per actualem ſumptionem.*

2 *Effectus Sacramenti licet poſſit accipi per ſolum deſiderium; ſed non ex opere operato.*

3 *Sacramenta conferunt gratiam ſanctificantem, quando actu ſuſcipiuntur.*

4 *Sacramenta conferunt dictam gratiam in inſtanti intrinſeco, in quo perficiuntur.*

5 *Sacramenta operantur æqualem effectum in ſubiectis æquè diſpoſitis.*

6 *Effectus Sacramenti non poteſt augeri ex ſola voluntate Dei, vel ex prædeſtinatione, aut ex merito Miniſtri, abſq; actu ſuſcipientis.*

7 *Miniſter poteſt tantum impetrare aliquod auxilium, vel bonum motum; nō autem gratiam ſanctificantem.*

8 *Sacramenta conferunt maiorem gratiam ſubiecto melius diſpoſito.*

1 EST primò ſupponendū, Sacramentum nunquam conferre gratiam ex opere operato antequam reipſa ſumantur, ſcilicet, per ſolum deſiderium, ſeu votum non conferunt gratiam ex opere operato, ita ſentit Alex. Alenſ. 4. p. q. 41. mēbr. 3. art. 3. Scot. diſt. 11. q. 2. art. 1. & diſt. 12. q. 1. art. 1. Ledeſm. 1. par. 4. q. 21. àrt. 1. quos ſequitur Suar. diſp. 8. ſect. 1. probatur ex verbis Chriſti. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*; Vnde promiſſio non fit deſiderantibus; ſed manducantibus. Et quamuis D. Thom. q. 8. art. 1. ad 3. aſſerat, Sacramentum Euchariſtiæ ſpiritualiter acceptum, licet non Sacramentaliter, conferre augumentum gratiæ, tamen talis effectus, licet, ſit ſimilis illi, qui confertur per ſumptionem Sacramenti; non tamen eſt effectus dicti Sacramenti, ſicut. v. g. ignis accenſus ex verberatione Solis, licet ſit effectus ſimilis igni, qui fit per ignē, re tamen vera non eſt effectus ignis; ſed Solis; Datur igitur talis effectus gratiæ nō ex opere operato: ſed ex diſpoſitione, & merito operantis. Et ita eſt etiam intelligendum Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. dicēs, eos, qui voto cæleſtem panem edunt fide viua, quæ per dilectionem operatur fructum eius, vtilitatem ſentire; & ratio eſt, quia in charitate hoc modo creſcunt animæ in gratia, & magis Chriſto vniuntur; qui eſt effectus dicti Sacramenti Euchariſtiæ, licet tunc non ſit ab illo Sacramento, vt à propria cauſa; ſed tanquam ab obiecto.

2. Vnde licet per deſiderium Baptiſmi, deleatur peccatum originale, ac etiam per deſiderium, & votum Sacramenti pœnitentiæ deleatur peccatū mortale actuale, & ex conſequenti ponatur homo in gra-

gratia, tamen dicti effectus, non dicuntur effectus Sacramentorum tanquam à propriæ cauſa, licet ſimiles ſint illis, quos operantur Sacramenta. Alioquin ſi dicerentur effectus Sacramenti, nõ teneretur quis ſuſcipere Baptiſmum, ſi iam habuit deſiderium ad illum; nec ſuſcipere Sacramẽtum pœnitentiæ, ſi iam habuit votum ad illud, & quod dicitur de his duobus Sacramentis, dicitur etiam de alijs tribus, ſcilicet de Confirmatione, Euchariſtia, & Extrema Vnctione; nam tantum prædicta quinque Sacramenta, quæ fuerunt inſtituta ad bonum hominum particulare, conferunt dictam gratiam, vt diximus, licet, recipiantur tantum in voto; At alia duo, quæ ſunt inſtituta ad bonum vniuerſale, non operantur dictum effectum, niſi quando actualiter ſuſcipiuntur, vt ſunt Ordo, & Matrimonium. Vide Suar. diſp. 8. ſect. 1. quibus poſitis.

3. Dico primò, Sacramenta non conferunt gratiam ſanctificantem, niſi quando actu ſuſcipiuntur: dummodo non ſit in ſuſcipiente obex, vt patet ex iam ſupra dictis; Gratia autem Sacramentalis, ſeu ſpeciale auxilium, quod datur in quolibet Sacramẽto iuxta qualitatem ipſius, vt diximus cap. antecedenti num. 4. non datur ſtatim; ſed tẽpore opportuno iuxta finem, & inſtitutionem Sacramenti, vt v.g. quando quis ſuſcipit confirmationem, licet recipiat augumentum gratiæ ſanctificantis, & plenitudinem Spiritus Sancti per dona habitualia, ſeu per eorum perfectionem; non tamen ſtatim accipit in actu ſecundum auxilium gratiæ ad confitendam fidem; ſed illud accipiet cum oportuerit, & ita etiam dicitur de Ordine, Matrimonio, & alijs Sacramentis, vt Suar. diſp. 8. ſect. 2. & ratio eſt, quia gratia habitualis eſt permanens, & ad omnia ſemper eſt vtilis; At Auxilium gratiæ, eſt quid actuale, & ordinatur tantum ad actus particulares exercendos, & ideò non datur, niſi tempore, quo exercendi ſunt dicti actus.

4. Dico ſecundò, Sacramenta conferunt gratiam in illo inſtanti, in quo intrinſicè perficiuntur, vel conſumantur, ita Suar. loco cit. §. vltimus ergo, quod probat multis argumentis Philoſophicis, quæ relinquo ſpeculatiuis deſputãda, cum non videantur pertinere ad doctrinam moralem, quam nos intendimus. Vtrum autem gratia, ſi tũc non conferatur propter obicem, reuiuiſcat poſtea Sublato obice? infra agendo de Sacramentis in particulari dicetur; pro nunc tantum reſpondemus, non repugnare Sacramentis nouæ legis, vt operentur ſuum effectum recedente fictione, quod docet P. N. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſm. cap. 12. & lib. 3. cap. 13. quem omnes Theologi ſequuntur, vt in proprio loco videbimus.

5. Dico tertiò, Sacramenta operari æqualem effectũ in ſubiectis æque diſpoſitis; ita communiter omnes Theologi, & ratio eſt, quia quodlibet Sacramẽtum habet definitum effectum ex certa, & ſtatuta lege, ſeu ex promiſſione; prout patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 7. definiente, Sacramentum conferre gratiam ex certa, & ſtatuta lege; ergo ex parte Dei, effectus Sacramentorum eſt æqualis, non erit igitur inæqualis, ſi conferatur ſubiecto æquali, & cõfirmatur auctoritate D. Cypriani epiſt. 59. his verbis. *Illic qualitas diuina, & ſpiritualis exprimitur, quod pares, atq; æquales ſint omnes homines, quando à Deo ſemel facti ſunt, vt poſſit ætas noſtra in incrementis corporum ſecundum ſæculum, non ſecundum Deum habere diſcrimen; Neq; gratia ipſa, quæ baptizatis datur, pro ætate accipientium, vel minor, vel maior tribuitur, cum Spiritus Sanctus non de menſura; ſed de pietate, ac indulgentia paterna, æqualis omnibus præbeatur; Nam Deus, vt perſonam non accipit, ſic nec ætatem, cum omnibus ad cæleſtis gratiæ conſecutionem æqualitate librata præbeat patrem;* quod etiam idem Sanctus confirmat in lib. 4. Epiſt. 7. alias Epiſt. 76. circa finem, his verbis. *An conſecuti ſunt quidem gratiam dominicam; ſed breuiori, & minori menſura muneris diuini, ac Spiritus Sancti, vt habeantur quidem Chriſtiani, non ſint tamen cæteris adequandi? quinimò Spiritus Sanctus, non de menſura datur; ſed ſuper credentem totus infunditur, nam ſi dies omnibus æqualis naſcitur; & ſi Sol ſuper omnes pura, & æquali luce diffunditur, quantò magis Chriſtus Sol, & Dies verus in Eccleſia ſua lumẽ vitæ æternæ pari æqualitate elargitur:* eamdem doctrinam docet Chryſoſtomus hom.

mil.

mil. 24. in Acta, & S. Thom. q.69. art.8. Alex.Alenſ.4.par.q.21.membr.3.Richar. cap.4. art.3. q.3. Bonauent.q.vlt. Maior. q.3.Sot.diſt.6.q.1.art.6. & Damaſcen.lib. 4.de Fide cap.10. & ſequitur Suar.diſp.7. ſect.5.§.Dico tamen.

6. Dico quartò, ſeclusis miraculis; effectus Sacramenti non poteſt augeri ex ſola Dei voluntate,& prædeſtinatione,vel ex ſolo merito, & impetratione Miniſtrorum, ſi diſpoſitio in ſuſcipiente ſemper ſit eadem; & probatur quoad primā partem; nam licet poſſit quis eſſe prædeſtinatus ad maiorem gratiam;tamen talis gratia non ei dabitur, niſi per conuenientia media, ſcilicet per maiorem diſpoſitionem; at ſi fuerit æqualis diſpoſitio, æqualis erit, & gratia. quoad ſecundam partem probatur ex Nazianz.orat.40.de ſancto Baptiſmo; vbi comparat Miniſtrum bonum, vel malum,ſigillo ferreo,vel aureo,quod eundem effectū efficiāt, & ex Chryſoſt.homil. de reditu ſuo ex Aſia his verbis. *Multi me abſente baptizati ſunt, & quid tunc? nihil minus habet gratia, non claudicat donum Dei; Abſente me baptizati ſunt; ſed preſente Chriſto ſunt baptizati;* idem etiam docet P. Auguſtinus lib.4. de Baptiſ. cap. 20. & tr. 5. ſuper Ioannes, & Ambroſ. lib. de myſterijs cap.5. & Cyprianus ſerm.de baptiſ.Chriſti, & ratio eſt, quia ob merita Chriſti, & non ob merita Miniſtri datur effectus Sacramenti,vt Paul.1.Cor.1. Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis,aut in nomine Pauli baptizati eſtis?

7. Confirmatur etiam dicta doctrina ex D. Thom. q.64. art.1.ad 1. his verbis. *Effectus Sacramenti non datur melior per meliorem Miniſtrum, aliquid tamen annexum impetrari poteſt recipienti Sacramentum per deuotionem Miniſtri,*neque illud (aliquid annexum) intelligas pro gratia ſanctificante, aut pro aliquo augumento,vel gradu ipſius, quia nullus homo præter Chriſtum Dominum poteſt alteri mereri, aut impetrare gratiam ſanctificantem abſque actu,& diſpoſitione eius;& Miniſter in tali actione habet ſe vt perſona priuata, nec differt à quouis alio homine orante pro alio,cui nullo modo poteſt conuenire,impetratio gratię ſanctificātis,vel augumentum eius;poteſt tamen quis impetrare pro alio aliquod auxiliū, vel bonum motum, quo alter ſe præparet ad gratiā ſuſcipiendam;& in hoc ſenſu etiam loquitur Diuus Thom. in quæſt.82. art.6. vbi docet, Miſſam melioris Sacerdotis eſſe magis fructuoſam ex deuotione Sacerdotis orantis.

8. Dico quintò, Sacramenta conferunt maiorem effectum gratię homini melius diſpoſito, quæ doctrina eſt communis omnium Theologorum, & Patrum, quos iam retulimus; & ſumitur ex Damaſc. lib. 4.cap.20. his verbis. *Quamuis peccatorum remiſſio omnibus æque per Baptiſmum detur, ſpiritus tamen gratia pro fidei, ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur,* & ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. *Nos iuſtificari, iuſtitiam in nobis recipientes, vnuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam vniuſcuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem,* ſequitur Ledeſm. 1. par. 4. q.22.art.4. dub.2.& Suar. diſp.7.ſect.5. §.Dico tertiò.

De ſecundo Sacramētorum effectu, ſcilicet Charactere. Cap. V.

1 *Character eſt ſignaculum quoddā, ſeu aliquid diſtinctiuum.*

2 *Character in tribus tantum datur Sacramentis, & eſt de Fide.*

3 *Probatur, quod Character detur in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine.*

4 *Character non dabatur in Sacramentis veteris legis.*

5 *Character eſt quædam ſpiritualis poteſtas.*

6 *Character non conſiſtit in relatione rationis.*

7 *Character non eſt habitus, vt vult Scot.*

8 *Character eſt Character Chriſti, & ſubiectatur in intellectu.*

9 *Character non eſt in eſſentia Animæ, vt vvult Suar.*

10 *Character non eſt in voluntate, vt vult Scot.*

Digitized by Google

1 CHaracter eſt vox Græca, ſignificans formam, ſeu figuram; hic tamen accipitur pro ſignaculo quodã, aut ſigno, ſeu nota diſtinctionis; Vnde D. Tho. quæſt. 63. art. 1. ad 2. definiendo characterem, ait. *Character eſt quoddam ſignaculum, vel diſtinctiuum alicuius ab alio, vel ferens aliquam ſimilitudinem alterius*; vt dicitur de Chriſto, quod ſit figura, & character paternæ ſubſtantiæ ad Hebr. 1. quo poſito.

2. Dico. In tribus Sacramentis, nempe, Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine datur character, & eſt de Fide ex Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. ex Concil. Florentino in decreto Eugenij, & ex infallibili doctrina Eccleſiæ Romanæ, quæ non fallitur circa doctrinam Sacramentorum; vt conſtat ex cap. Ad abolendam, de hæreticis, & ex Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 3. de Baptiſmo; Vnde cum Eccleſia Romana fateatur in his tribus Sacramentis dari characterem, neceſſe eſt, vt etiam nos idem affirmemus. Poteſt autem confirmari ex 2. ad Cor. 1. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*; in quibus verbis quatuor diuini effectus enumerantur ab Apoſtolo; primus eſt Fidei, qua firmamur in Chriſto, ſecũdus eſt charitatis, & gratiæ qua vngimur, tertius eſt pignus ſpiritus, quod conſiſtit in teſtimonio bonæ conſcẽtię, quartus eſt character quo Chriſto conſignamur; nam illa verba. *Et qui ſignauit nos*; id importare videntur. Probatur etiam ex D. Ambroſ. lib. 1. de Spir. Sanct. cap. 6. his verbis. *Et ſi ſpecie ſignemur in corpore; veritate tamen in corde ſignamur, & iterum Sancto Spiritu ſignati ſumus à Deo, ſicut enim Chriſto morimur, vt renaſcamur, ita etiam ſpiritu ſignamur, vt ſplendorem, atque imaginem eius tenere poſſimus, quod eſt vtiq; ſpirituale ſignaculum.*

3. Et quod ſpecialiter detur character in his tribus Sacramentis; probatur; nam de charactere Baptiſmi, præter omnes alios, loquitur Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 12. & homil. 13, in qua ponit hæc verba. *Niſi characterem in te agnoſcat Angelus, quonammodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit; quomodo (inquam) dices Dei ſum, ſigna non oſtendens? an ignoras quemadmodum ſignatas domos in Aegypto exterminator præterijt? ouis item abſque nota inſidijs protinus eſt obnoxia*, Et circa characterem Confirmationis afferri poteſt D. Cyprianus ſerm. de ablut. pedum, vbi ait. *Confirmationem eſſe Sacramentum æquè initerabile, ratum, & firmum, ac Baptiſmus*, & D. P. Auguſtinus lib. 2. cont. lit. P. & cap. 103. ait. *Sacramentum Chriſmatis ſemel datum permanere, etiam in peſſimis*. Et tandem quoad characterem ordinis adduci poteſt Gregorius Niſſen. lib. de Baptiſmo circa principium, vbi hæc verba ponit. *Sacerdos poſt conſecrationem, quod ad æternam ſpeciem attinet, idem eſt, qui antea; inuiſibili tamen quadam vi, ac gratia inuiſibilem animam traſformatam gerit in melius.*

4. Vtrum autem in Sacramentis veteris legis dabatur character? negatiuè reſpondendum eſt ex communi opinione omnium Doctorum præter vnum, ſcilicet, Scotum in 4. diſt. 6. q. 9. licet de hoc dubitet etiã Gabr. ibidem q. 2. art. 3. dub. 5. ſed loquuntur tantum de charactere reſpectu circumciſionis, in qua omninò putat Scotus, an dabatur character, de qua opinione communiter Doctores murmurant; & Caietanus q. 63. art. 1. ait, *eſſe rem nouam*. Dicendum eſt igitur, quod character non dabatur in Sacramentis veteris legis; vt probat D. Thom. dicta q. 63. art. 1. ad 3. & fauet Chryſoſt. homil. 2. in Epiſt. ad Epheſ. his verbis. *Obligati ſunt, & Iſmaelitæ ſecundum circumciſionem, quemadmodum pecudes, hoc eſt tantum ſigno corporeo, quod character eſſet*; & id etiam probatur ratione, quia in predictis Sacramẽtis non conferebatur ſpiritualis virtus ad aliquẽ ſpiritualem effectum; & ideò in illis non requirebatur character.

5. Quid autem ſit character? Reſpondeo, character eſt quędam ſpiritualis poteſtas; quæ concluſio eſt D. Tho. q. 63. art. 2. Caiet. & ferè omnium contra Durand. in 4. d. 4. putantem, characterem eſſe tantum quamdam relationem rationis, per quam aliquis ex inſtitutione diuina deputatur ad ſacras operationes; & ratio eſt, quia ea, quæ ſunt fidei clarificanda ſunt, & non obſcuriora reddenda; ſed ſi per characte-

racterem ponatur relatio rationis, omnia clara ſunt; ſi autem ponatur res realis, obſcuriora introducuntur; hãc etiam opinionem (licet problematicè) defendat Scot. in 4. diſt. 6. q. 10. Ratio verò D. Thom. ſumitur primo ex 2. Ethicorum, vbi Ariſtotiles ait; tria eſſe in anima; ſcilicet, potentiam, habitum, & paſſionem. Character non eſt paſſio, cum citò paſſio trãſeat; non eſt habitus, quia habitus non poteſt ad vtrumq; agere; nam charactere alij vtuntur in bonũ, alij in malum; igitur relinquitur tantũ, vt ſit potentia. Deinde ex eo Sacraméta noue legis characteré imprimũt, vt homines deputentur ad cultum Dei ſecundum ritum Chriſtianæ Religionis; ſed cultus Chriſtianæ Religionis cõſiſtit formaliter in recipere, vel dare, ergo character perficit animã ad recipiendũ, vel dandum; ſed conſtat liquidò, quod propriè, & per ſe primò perfectiuum ad recipiédum, vel dandũ, ſit potentia recipiendi, vel dandi, ergo character eſt ſpiritualis potentia, qua homo ſecundum animam poteſt accipere, vel tradere ea, quæ ſunt Chriſtianæ Religioni propria: quod vlterius confirmatur à Caietano: nam potentia ſola eſt, qua ſubſtracta, actus nullus redditur apud Deum; & ſimiliter qua poſita, Actus efficax eſt, quantumcunque ab homine prohibitus; quia v. g. ſubſtracta charitate, aut ſcientia, vel fide, ſi potentia remaneat, actus non eſt nullus, cum ſit ſaltem in potentia, & è contra ſola potentia deficiente, alia non ſunt efficacia; ſic autem conſtat eſſe in propoſito; nam ſubſtracto charactere, vanè omnia recipiuntur.

6. Ex quibus facilè reijcitur opinio Durandi; cum ponere characterem eſſe relationem rationis; non ſolũ Sacramenta obſcuriora; ſed etiam difficiliora intellectu reddantur; Vnde Dyon. in 2. Eccleſ. hier. poſtquam dixit: *quod Deus in quodam ſigno tradidit ſui participationem accedenti ad Baptiſmum*; ſubiunxit; *perficiens eum diuinũ. & communicatorem diuinorum*, quod fieri nõ poteſt per relationem rationis; ſed per veram potentiam ſpiritualem.

7. Neque obſtat, etiam opinio Scoti, quam ſequitur Suar. diſp. 11. ſect. 3. vbi docet, characterem eſſe habitum, difficiliter mobilem, conuenientem ipſi animæ; ipſamque perficientem ſine vllo ordine ad operationes; ſicut pulchritudo, vel ſanitas, quæ eſt bona corporis diſpoſitio. Nam hęc opinio eſt omninò incompatiẽs cum ijs, quæ diximus eſſe de eſſentia characteris: cum iam dixerimus ipſum characterem eſſe ſignum quoddam; quod, iuxta opinioné omnium Doctorum, & Conſiliorum, eſt indelebile, & non poteſt ſe habere ſicut pulchritudo in homine, vel ſicut ſanitas; cum iã videantur prędiæ res auferri ab homine per quodlibet cõtrariũ accidens ſuperueniens; & pręcipuè in Sacramẽto ordinis videtur, quod per quodlibet accidens ſuperueniens ordinato, ſemper in eo remaneat potentia, ſeu character; Vnde non puto benè fuiſſe aſſignatam talem ſimilitudinem à dictis Doctoribus. Deinde de eſſentia characteris eſt eſſe ad, ſcilicet, ad exercendos actus cultus Diuini tam actiuè, quam paſſiuè; igitur neceſſe eſt, vt ab aliqua potentia procedant; neque eſt dicendum, quod poſſint procedere ab habitu, quia habitus nõ poteſt ad vtrũque ſe habere, & licet, difficilè deleatur; tamen non eſt omninò indelebilis, ſicut eſt character.

8. Vtrum autem character, ſit character Chriſti, & ſubiectetur in intellectu, & non in eſſentia animæ, nec in voluntate? affirmatiuè Reſpondetur; & quod ſit character Chriſti, probatur, quia per ipſum aſſimilamur Chriſto, cum proueniat ex ipſius ſacerdotio; & intelligitur de Chriſto, prout eſt Verbum Incarnatum, & prout diſtinguitur à Patre, & Spiritu Sancto, vt notat Caiet. art. 3. eiuſdem q. 63. Et quod ſubiectetur in Intellectu, probatur à Diuo Thoma art. 4. in reſponſione ad 3. quia character ordinatur ad ea, quæ ſunt Diuini cultus, qui quidem eſt quędam fidei proteſtatio per exteriora ſigna, & ideò oportet, quod character ſit in cognoſcitiua potentia animæ, in qua eſt Fides; ſed Fides eſt in intellectu, ergo, & character.

9. Quod nõ ſit in eſſentia animæ probatur rectè à D. Tho. eodem loco cit. ad 2. Habitus, & diſpoſitio ex eo dicuntur eſſe in potentijs animæ, quia ordinantur ad Actus, quorum potentiæ ſunt principia; ſed

ſed character etiam ordinatur ad Actus, ergo character tribuendus eſt potentiæ. Contra verò hanc doctrinam eſt Argent. Marſil.& Gabriel, quos refert,& ſequitur Suar.diſp.11.ſect.4. aſſerendo, quod character ſit in ſubſtantia animæ. quod multis argumentis probat;non puto tamen eſſe recedendum à ſententia D. Thomæ, quem ſequuntur Caiet.Sot. & Ledeſm. & Palud.in 4.diſt.4.q.2.ar.2.& ibi Capreol. & Ricchard.diſt.5.art.2.q.2.

10. Neq;obſtat ratio Scot.in 4.diſt.6 q.11.vbi ait,characterem eſſe in voluntate, quia eſt diſpoſitio ad gratiam, quæ eſt in voluntate,cum gratia ſit idem,ac charitas; & cum charitas ſit in voluntate, ergo, & character. Secundò, quia rationabile eſt, quod character ponatur in illa potentia, cuius prius eſt obligare; ſed voluntas eſt potentia,per quam quiſque ſe obligat, ergo character cum ſit ſpiritualis poteſtas ad Actus Chriſtianæ Religionis exercendos, ſequitur, quod ſit in voluntate. His tamen obiectionibus optimè reſpondet Caiet.in q.63.art.4.dicens,quod characteri non aſſignatur ſubiectum quatenus eſt diſpoſitio ad gratiam, quia remotè ad eam diſponit; Vnde non ex hoc dici poteſt volũtas, ſubiectum characteris nec gratia eſt in voluntate ex ſentẽtia S. Thomæ, nec eſt idem cum charactere, ſed eſt dictinta, & in eſſentia animæ. Ad ſecundum verò reſpondet,quod falſa ſit maior, cum rationabile ſit, vt character ſit in illa potentia,cuius ſunt primò Actus operatorij;non autem illa,quæ eſt primò obligatoria; Vnde cum character ſit quedam proteſtatio Diuini cultus per exteriora ſigna; ideò neceſſe eſt, vt ſit in intellectu, in quo eſt fides,vt ſupra diximus.

De Cauſa Efficiente Effectum Sacramenti. Cap. VI.

1 *Cauſa principalis operans effectum Sacramenti eſt ipſe Deus; Inſtrumentalis verò,& extrinſeca eſt Miniſter.*

2 *Gratia æqualiter confertur in Sacramẽtis, licet ſint adminiſtrata à malis Miniſtris.*

3. 4. *Christus prout homo tantum non poterat operari interiorem effectum Sacramenti.*

5 *Christus ſibi reſeruauit poteſtatem inſtituendi Sacramenta.*

6 *Poterat Christus ſuis Miniſtris communicare poteſtatem inſtituendi Sacramenta.*

7 *Declaratur quænam ſit cauſa Phyſica, & Moralis.*

8 *Probabile eſt Sacramenta operari moraliter effectum in anima.*

9 *Sacramenta ſunt cauſæ Phyſicæ ſuorum effectuum,ſcilicet, gratiæ.*

10 *Probatur dicta doctrina ex Concilijs, & Patribus.*

11 *Mali Miniſtri validè conferunt Sacramenta,licet,mortaliter peccent.*

12 *Mali Miniſtri licet ſint tanquam membra exciſa à Chriſto, tamen adhuc validè conferunt Sacramenta.*

13 *Mali Miniſtri, quod peccẽt mortaliter, probatur Auctoritate, & Ratione.*

1 Cauſa principalis,quę operatur interiùs effectum Sacramenti, eſt ipſe Deus; cauſa verò Inſtrumentalis extrinſeca eſt Miniſter; hęc concluſio probatur à D. Tho.q.64.art.1. auctoritate Diui Pauli ad Rom.8. *Deus eſt, qui iuſtificat*, ſed effectus omnium Sacramentorum eſt iuſtificatio, ergo ſolus Deus operatur talem effectum. Deinde probatur ratione; nam dupliciter aliquid dicitur operari effectũ, vel tanquam agens, vel tanquam inſtrumentum. Primo modo operatur Deus, interiorem effectum Sacramenti, quia ſolus Deus illabitur animæ, in qua effectus Sacramenti exiſtit. Secundo modo operatur Miniſter, quia eadẽ ratio eſt Miniſtri,& inſtrumenti,cum vtriuſq; Actio exterius adhibeatur.

2. Neque obijci poteſt; ergo eadem gratia in Sacramentis datur,ſiue recipiantur à bonis ſiue à malis Miniſtris?nam hoc eſt verum, quoad gratiam Sacramẽti cauſatam in anima ex opere operato; vt iam diximus cap.4.num.6.& 7. quia gratia nõ tribuitur melior per meliorem Miniſtrũ: tamen aliquid annexum poteſt quis recipere ex deuotione,& impetratione melioris

ris

Digitized by Google

ris Miniſtri, ſcilicet aliquod auxilium, vel bonum motum ad ſe preparandum pro receptione gratiæ; vel augumenti ipſius; vt loco cit. diximus.

3. Hac occaſione dubitatur hic, Vtrũ Chriſtus prout homo habuerit poteſtatẽ operandi prędictum interiorem effectum Sacramentorum? & ratio dubitandi eſt, quia inſtitutio Sacramentorum pertinet ad Chriſtum Dominum tanquam principale agens operans interiorẽ Sacramenti effectum; ſed Chriſtus prout homo Deus Sacramenta inſtituit, ergo ipſe, vt homo Deus operatur talem effectum. Deinde nullus poteſt Sacramenti effectum conferre, ſine Sacramento; niſi talem effectũ propria virtute operetur; ſed Chriſtus operatus eſt talem effectum in Magdalena dicente ipſo, *remittuntur tibi peccata, &c.* ergo videtur, quod Chriſtus etiã prout homo operetur interiorem effectum Sacraméti.

4. Dicendum tamen eſt, Chriſtum prout homo, nõ potuiſſe operari effectum Sacramẽti; & ratio primò ſumitur ex P. Auguſtino lib. 3. contra Donatiſtas cap. 10. tom. 7. vbi ait; quod Diuina virtus ſecretius operetur ſalutem. Diuina autem virtus in Chriſto ſumitur prout Deus, non prout homo; ergo prout Deus, & non prout homo poteſt operari talem effectum. Probatur auctoritate D. Tho. q. 64. art. 3. Nam licet, poſſimus dicere, quod Chriſtus operetur interiorem effectum, & prout Deus, & prout homo, aliter tamen, & aliter; quia prout Deus operatur per auctoritatem; prout homo operatur meritoriè, & effectiuè inſtrumentaliter; ex quo patet reſponſio ad rationem dubitandi.

5. Addo tamen vlterius; quod meritò Chriſtus ſibi reſeruauit hanc poteſtatẽ inſtituendi Sacramenta; primò ratione poteſtatis excellẽtiæ, quã habuit humanitas Chriſti, prout dicitur in materia de Incarnatione. Secundò, quia ſolus Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ. Tertiò, ne fideles ponerent ſpem in hominibus. Quartò, ne multiplicarentur Sacramenta; vnde oriri poſſent diuiſiones, & ſciſmata, ex P. Auguſtino 19. contra Fauſtũ cap. 11. & D. Tho. eadem quęſt. art. 4. & 5. in reſponſione ad primum.

6. Vnde etiam dicendum eſt, Chriſtum Dominum potuiſſe Miniſtris cõmunicare ſuam poteſtatem inſtituẽdi Sacramenta, vel conferẽdi effectum Sacramentorum ſolo imperio, vel inuocatione ipſorum, dando illis gratiæ plenitudinem, vt eorum meritũ operaretur Sacramentorum effectum, ex D. Tho. dicto art. 5. quæ communicatio poteſtatis intelligitur de poteſtate excellentiæ, quam habuit Chriſtus, prout homo; non autem poteſt intelligi de cõmunicatione poteſtatis, vel auctoritatis, ſeu principalis agentis, quę competit Chriſto tantum prout Deus eſt.

7. Sed quęritur vtrum Sacramenta operentur ſuos effectus in anima phyſicè, an moraliter, ſed prius eſt ſciendum, cauſam phyſicam dici illam, quæ media aliqua actione, vel qualitate phyſica reali influxu effectum immediatè attingit. Cauſã autẽ moralẽ eſſe illã, quę nõ reali influxu effectũ attingit; ſed morali quodã modo, quatenus impellit, & mouet id, à quo effectus reipſa producitur; Vnde ſi quis; conſilio, precibus, vel imperio ſuadet homicidium, dicitur cauſa moralis talis homicidij; ſic etiam ſi quis meretur gratiam, vel gloriam ſuis operibus; dicitur cauſa moralis dictæ gratiæ, vel gloriæ; Et ſicut in cauſis phyſicis aliæ ſunt principales, aliæ inſtrumentales, ita etiam in cauſis moralibus, vt ſi quis ſoluat pecuniam alteri ad finem liberandi aliquẽ vinctum in carcere; ſoluens pecuniã dicitur cauſa principalis moralis dictę liberationis, pecunia autem, & ille, cui ſoluta eſt pecunia, dicuntur, cauſa inſtrumentalis, quibus poſitis.

8. Dico, Probabile eſt, Sacramenta operari ſuos effectus in anima moraliter tãtum, nempe eſſe cauſas morales ſuorum effectuum: hoc ſumitur ex modo loquendi Sanctorum Patrum, qui effectum Sacramentorum Deo tantummodo tribuũt: nam P. Auguſtinus Epiſt. 23. ſic ait. *Aqua exhibens forinſecus Sacramentum gratiæ, & ſpiritus, operans intrinſecus beneficium gratiæ, ſoluens vinculum culpæ, reconciliãs bonum naturæ, regenerãs hominem Chriſto*; & in lib. 15. de Trin. ait c. 26. diſcipulos Chriſti dediſſe Spiritũ ſanctum; nam (inquit;) *Orabant, vt veniret in eos, quibus manus imponebant, non*

non ipſi enim dabat. D. autem Ambroſ. lib. 1. de Sacram. cap. 5. ſic ait. *Aliud eſt elementum, aliud conſecratio, aliud opus, aliud operatio, Aqua opus eſt, operatio Spiritus Sancti eſt*: & D. Hieronym. Iſai. 4. ad verb. Matth: *Ego vos baptizo in aqua, qui autem poſt me venit, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*. *Ex hoc* (ait) *diſcimus, quod homo tantum aquam tribuat; Deus autem Spiritũ Sanctum*: ſic etiam Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 15. *Aqua mortis exhibet imaginem, ſpiritus verò vim viuificandi immittit*, & ſic paſſim loquuntur cæteri patres.

9. Dico tamen ſecundò, Sacramenta eſſe cauſas phyſicas ſuorum effectuum; in quantum eadem actio phyſica, per quam gratia fit: & educitur de potẽtia obedientiali animæ, dependeat phyſicè, & realiter ab ipſis Sacramẽtis; & ita docet D. Thom. q. 62. art. 6. quem ita intelligit Caiet. hic, & in q. 78. art. 4. & eſt communis in ſchola D. Thomæ, quem ſequitur Suar. diſp. 9. ſect. 2. §. ſecunda igitur; nec obſtant loca Sanctorum Patrũ adducta, quia loquũtur de principali cauſa gratiæ, qui eſt Deus, non tamen ex hoc ſequitur, quod Sacramenta non ſint cauſę inſtrumentales phyſicè concurrentes ad efficiẽdam gratiam: quod probatur ex modo loquendi Conciliorum; nam Concil. Florentinum in decreto Eugenij, & Tridentinum ſeſſ. 7. can. 6. aſſerunt Sacramenta gratiam continere, & efficere, & ſic etiam in ſeſſ. 6. cap. 7. Concilium enumerans cauſas gratiæ, ait, Baptiſmum eſſe inſtrumentalem cauſam eius, & communiter inter Sacramenta nouæ, & veteris legis, hęc aſſignatur differentia, nempe, quod nouæ legis efficiant id, quod in ſe continent; veteris autẽ nihil ſanctum, quod in ſe poſsent habere, efficiebant, ſed erant tantum ſigna gratiæ iuxta fidem, & actionem operantis.

10. Probatur etiam ex Concil. Magunt. cap. 11. his verbis. *Doceant Paſtores ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramenta diuinitus inſtituta, per quæ velut apta inſtrumenta, atque remedia ſuæ gratiæ munera nobis impartitur Deus*: & infra ait, *Sacramenta eſſe ſancta ſignacula, & efficacia ſigna*. Sic etiam Concil. Senonenſe in decretis fidei cap. 10. ait, *Sacramenta habere vim diuinæ gratiæ conferendæ*; & ſimilia verba, habet Concil. Colonienſ. par. 7. cap. 1. Confirmatur etiam ex Papa Syluestro apud Nicephor. lib. 7. hiſtor. cap. 33. ſic loquente cum Imperatore Conſtantino, dum accedebat ad Baptiſmum. *Hæc aqua Imperator, diuina virtute per inuocationẽ viuificæ Trinitatis conceptæ; ſicut exteriùs corpus hominis abluit, ita etiã interiùs animã mundat, & ſplendidiorem radijs ſolaribus efficit*. Similiter Leo Papa ſer. 5. de Natiu. ait. *Virtus altiſſimi quæ fecit, vt Maria pareret Saluatorem; facit, vt regeneret vnda credentem*, & P. Auguſtinus tract. 80. in Ioan. *Quæ eſt tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat*; idem etiam ſumitur ex omnibus alijs Sanctis Patribus; & ex proprietate verborum, quibus dicta Sacramenta conficiũtur, dicuntur enim per modum cauſæ efficientis phyſicè; vt v. g. Ego te abſoluo; Ego te baptizo, &c.

11. Quæritur deinde, vtrũ mali Miniſtri poſſint conferre Sacramẽta, & quod nam peccatum committant conferendo? Reſpõdeo ex D. Tho. q. 64. ar. 5. & 6. quod mali Miniſtri verè conferant Sacramenta, licet, peccent mortaliter conferendo. Prima pars huius concluſionis probatur ex P. Auguſtino ſuper illud *Ioan. 1. ſuper quem videris ſpiritum*. *Quid tibi facit malus Miniſter, vbi bonus eſt Dominus?* & Ratio eſt, quia Miniſtri, vt iam diximus non niſi inſtrumentaliter, & extrinſicè operantur in Sacramẽtis, & inſtrumentum non agit ſecundum propriam formam, ſeu virtutem; ſed virtute principalis agentis, vnde non eſt de eſſentia, ſi Miniſtri ſint mali, vel boni.

12. Neq; dicas, quod virtus ſacramentorum deriuetur à Chriſto in ſuos Miniſtros; ſed mali Miniſtri ſunt exciſi à Chriſto, ergo non poſſunt habere virtutem cõferendi ſacramenta? nam reſpondetur, licet mali Miniſtri ſint exciſi à Chriſto, & habeantur tanquam mortui, *quia, qui non diligit manet in morte*, Ioan. 3. Attamen poteſt etiam aliquid operari per inſtrumentum carens vita, & à ſe ſeparatum; Vnde Chriſtus benè poteſt operari in ſacramentis, & per bonos, tamquam per inſtrumenta viuentia, & per malos tamquam per inſtrumenta carentia vita.

13. Sa

Digitized by Google

13. Secunda pars concluſionis probatur, primo auctoritate Dyoniſij cap. 1. Eccleſ. hierar. vbi ait; *Malis non eſt fas, nec tangere ſymbola*; ideſt ſacramentalia ſigna; & in Epiſt. ad Demophil. ait. *Talis*, ſcilicet, *peccator audax videtur ſacerdotalibus manum apponens, & non timet, neque verecundatur diuina, præter Diuinitatem exequens, & Deum putans ignorare, quæ ipſe in ſemetipſo cognouit.* Deinde ratione confirmatur: nam Miniſtri debent Domino conformari secũdum illud *Leuit.* 19. *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum*, & Eccleſ. 10. *Secundum iudicem populi, ſic, & Miniſtri eius*; Vnde exhibendo quiſq; ſe malum Miniſtrum Dei, & Eccleſiæ in diſpenſatione ſacramentorum, peccat mortaliter; quod intelligitur, quando prędicta diſpenſatio, ſeu adminiſtratio competit ex officio, quia ſi in aliquo caſu neceſſitatis aliqua mulier vel homo baptizaret in peccato mortali, non peccaret mortaliter; ſic etiam poteſt accidere, vt Miniſter in aliquo neceſſitatis caſu, in quo laicus deberet baptizare, poſſet, & dictus Miniſter baptizare, quamuis eſſet in peccato mortali, nec mortaliter peccaret; quia in tali caſu eſſet Miniſter neceſſitatis, non Miniſter Eccleſiæ, vt D. Thom. q. 64. art. 6. & Caiet. ibidem.

De Miniſtris, & eorũ conditionibus, vt poſſint conficere Sacramenta. Cap. VII.

1 *In ſacramentis neceſſariò requiritur miniſter ex inſtitutione Chriſti.*
2 *Quæritur vtrum Angeli poſſint eſſe miniſtri ſacramentorum.*
3 *Angeli non poſſunt eſſe miniſtri ſacramentorum.*
4 *Angeli de potentia Dei abſoluta poſſunt eſſe miniſtri ſacramentorum.*
5 *Reſpondetur ad obiectiones num. 2.*
6 *Repellitur opinio Scoti aſſerẽtis Angelos poſſe baptizare aſſumendo corpus.*
7 *Animæ ſeparatæ poſſent conficere ſacramẽta, ſi iterum corpus aſſumerent.*
8 *Homines tantum fuerunt conſtituti miniſtri ſacramentorum.*
9 *In miniſtris ſacramentorum requiritur intentio, & non fides.*
10 *Proponitur quædam obiectio, & reſpondetur.*
11 *In ſacramentis non ſufficit externa effectio cæremoniæ ſenſibilis, ſed requiritur intentio conficiendi ſacramentum.*
12 *Baptiſmus Athanaſij, & alius ſimilis, vt narratur, quomodo fuit indicatus verus.*
13 *Intentio miniſtri ſufficit, vt ſit virtualis; non autem ſufficit habitualis.*
14 *Fides, ſanctitas, aut bonitas non eſt neceſſaria in miniſtro ad conficiendum ſacramentum, & eſt de fide.*

1 EST primò ſupponendum, illum eſſe miniſtrum ſacramentorum, quem Chriſtus Dominus deſignauit in eorum inſtitutione, & ſicut inſtituit materiam, & formam, quæ immutari nõ poſſunt, vt iam diximus, ſic etiam determinauit, & inſtituit miniſtros, qui nec etiam immutari poſſunt; Vnde Concilium Florent. docet tribus perfici ſacramenta, nempe, materia, forma, & miniſtro; & probatur præcipuè ex D.P. Auguſtino tract. 5. & 6. in Ioan. vbi ponderat illa verba. *Hic eſt qui baptizat*, ſcilicet, Chriſtus; nam licet Petrus baptizet, tamen id facit, vt miniſter à Chriſto deputatus. idem ait, ad illa verba 1. ad Cor. 9. *Neq; qui plantat eſt aliqud, neque qui rigat*, lib, 3. contra Creſcon. cap. 8. & lib. 5. de Baptiſ. cap. 14. Ponderat D. Paulum interdum vocare Euangelium ſuum, nunquam tamen appellaſſe baptiſmum ſuum; quia licet in vtroque ſit miniſter Chriſti; tamen vt miniſter ſacramentorũ nihil poteſt immutare, addere, vel minuere contra inſtitutionem Chriſti; At vt miniſter prædicationis, aliquid de ſuo ponere poteſt in modo, vel in doctrinæ expoſitione. & ratio eſſe poteſt, quia conficere ſacramenta eſt opus ſupernaturale, quod homo non poteſt habere ex ſe, ſed ex diuina inſtitutione.

2. Vnde primò quæritur vtrum Angeli poſſint eſſe miniſtri ſacramentorum? & ratio dubitandi eſt, quia quidquid po-

Digitized by Google

teſt miniſter inferior, poteſt etiam ſuperior; ſed Angeli ſunt miniſtri ſuperiores ordine hyerarchico, ergo ſi homines poſſunt eſſe miniſtri, multo magis Angeli. Deinde Sancti, qui ſunt in Cœlo aſſimilantur Angeli. Sed aliqui Sancti in Cœlo exiſtentes, & habentes characterem poſſent eſſe miniſtri ſacramentorum, ergo ſimiliter, & Angeli.

3. Dicendum tamen eſt cum D.Tho. q.64.art.7. Angelos nullo modo poſſe eſſe miniſtros ſacramentorum; quod primò probatur auctoritate D. Pauli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his,quæ ſunt ad Deũ*, ideſt in ſacramentis; Ratione etiam confirmatur,quia tota ſacramentorum virtus prouenit ex paſſione Chriſti,prout homo, cui in natura homines tãtum conformantur,& non Angeli; igitur ad homines tantũ pertinet eſſe miniſtros ſacramentorum.

4. Aduertendum tamen eſt, hoc intelligi de potentia ordinaria, quia Deus ſicut ſuam virtutem non alligauit ſacramentis, quin ſine illis poſſit tribuere effectum ſacramentorum, ita etiam ſuam virtutem non ita alligauit miniſtris Eccleſiæ, quin etiam Angelis non poſſit tribuere virtutem miniſtrandi, ſeu conficiendi ſacramenta; Vnde ſi aliquod ſacramentale miniſterium eſſet à bonis Angelis miniſtratum,ratum eſſet habẽdum, prout conſtat multa templa fuiſſe conſecrata Angelico miniſterio; & Niceph. lib.11. hiſtor. cap.20. refert quemdam Amphylochium fuiſſe conſecratum Epiſcopum per Angelum, dictamque conſecrationem ratam fuiſſe habitam ab alijs Epiſcopis, quod nõ niſi ex ſufficientibus coniecturis id putatum fuiſſe, credendum eſt.

5. Ad rationem autem dubitandi reſpondetur;illud,quod faciunt homines inferiori modo per ſacramenta, fit etiam ab Angelis tamquam à miniſtris ſuperioribus;ſed ſuperiori modo,ſcilicet, inuiſibiliter, purgando, illuminando, & perficiendo. Ad ſecundũ verò reſpondetur, quod Sancti aſſimilãtur Angelis, quoad participationem gloriæ, non quoad cõditionem naturæ, & per conſequens, neque quoad ſacramenta.

6. Eſt tamen hic opinio Scoti 4.ſent. diſt.6. q.1. aſſerentis omne ſuppoſitum intellectualis naturæ,poſſe ſaltem ſacramentum Baptiſmi conferre, & ratio eſt, quia poteſt aſſumere corpus, poteſt proferre verba, & poteſt habere intentionem Eccleſiæ, quæ omnia requiruntur ad Sacramentum, ergo, &c. cui ſententiæ videtur fauere D.P. Auguſtinus lib.2.cõtra Parm. cap.15.vbi ait. *Nemo accipit ſine dante, ſed quod attinet ad ſanctitatem Baptiſmi adeſt Deus, qui dat ſiue per homines, ſiue per Angelos*. Reſpondet tamen Caiet.dicta q.64. art. 7. quod miniſter debeat conformari principali agenti,in natura,Angeli autem nullo modo poſſunt conformari Chriſto in natura humana, quia licet in caſu ſuppoſito proferrent verba,non tamen eſſent verba hominis, cum non vitaliter fierent; ſed per motum corporis,igitur neque hoc ſacramentum adminiſtrare poſſent: Ad verba autem D. P. Auguſtini, Reſpondetur, Sanctum, loqui non de lege ordinaria Baptiſmi; ſed de varijs modis, quibus Deus poteſt ſanctitatem conferre, ſcilicet vel per hominem,vel per Angelum; & addit,Sãctus; *vel per ſeipſum*, ideſt per ipſummet Deum.

7. Et quia in reſponſione ad ſecundum ſupra in num. 5. ſuppoſuimus cum D. Thom. Sanctos, ſeu animas ſeparatas poſſe eſſe miniſtros ſacramentorum; hoc tamen eſt intelligendum, dummodo dicti Sancti aſſumerent corpus, & proferrent verba cum omnibus alijs requiſitis pro tali ſacramento adminiſtrãdo; & multo magis hoc poſſent agere ſi aſſumerẽt propria corpora,vel alia, & maximè ſi eſſent paſſibilia,& mortalia,quia tunc eſſent veri viatores, vt Suar. diſput. 13. ſect. 1. §.Atque ex his.

8. Dicendum eſt igitur, ſolos homines eſſe miniſtros ſacramentorum; ſumitur ex D.Tho.loc.cit.Sot.diſt.1.q.5.art.7. & ex alijs omnibus: probatur ex inſtitutione Chriſti in ſingulis ſacramentis;nam hominibus tantum dixit. *Baptizantes eos*. Matth.vlt. & de Euchar. Luc.22. *Hoc facite*; de confeſs. Ioan.20. *Quorum remiſeritis peccata*, de Extrema Vnct. Iacob.5. *Vocate Presbyteros Eccl*.de confirmatione, Act.

Apoſt.

Apoſt. 8. Apoſtoli mittuntur ad confirmandos eos, qui erant in Samaria:& tandem ad Epheſ. 5. ait Apoſt. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores,& Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus myniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*; igitur totum myniſterium fuit datũ hominibus, vnde idem Apoſt. 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti,& diſpenſatores myſteriorum Dei*; Dicendum eſt igitur, tantum homines poſſe eſſe miniſtros ſacramentorum; illos tamen, quos Chriſtus præordinauit, vt dicemus agendo de vnoquoque ſacramento.

9. Sed quæritur, vtrum in ſacramentis conficiendis requiratur intentio, & fides Miniſtri, & reſpondetur cum D.Tho. art.8.& 9. quod intentio miniſtri requiratur, nõ autem fides; & quoad primam partem ita probatur: quia quando aliquid ſe habet ad multa, oportet vt determinetur ad vnum, vt illud fiat, ſed ea, quæ aguntur in Sacramentis, ſe habent ad multa, ergo neceſſe eſt, vt per intentionem miniſtri determinentur ad vnum, vt illud fiat, ſcilicet ſacramentum, vt v.g. in Baptiſmo, Ablutio poteſt multa ſignificare, ſcilicet, vel munditiam corporis, vel ſanitatem, aut alia, niſi ergo determinetur per miniſtrum, quod fiat ad ſacramentalem effectum, & id verbis exprimat proferendo formam, nullo modo fiet ſacramentum.

10. Neque dicas, miniſter agit, vt inſtrumentum; inſtrumentum autem non operatur ſecundum ſuam intẽtionem; ſed ſecundum intentionem principalis agentis: ergo in miniſtro requiritur intentio: Nam reſpondetur, quod licet; miniſter concurrat inſtrumentaliter ad ſacramenta, tamen quoad actiones ab ipſo manantes, concurrit agendo, & mouẽdo ſeipſum, & ideò requiritur eius intentio, qua ſe ſubijciat principali agenti, vt ſcilicet, intendat facere, quod facit Chriſtus, & Eccleſia,& hoc modo fiet ſacramentum.

11. Vnde in ſacramentis non ſufficit externa effectio cæremoniæ ſenſibilis, nec voluntas efficiendi illam actionem quaſi materialem; ſed neceſſe eſt, vt adſit intentio conficiendi ſacramentum, vel ſub hoc conceptu, vel ſaltem ſub alia ratione confuſa,& æquiualenti; vt eſt intentio faciendi, quod fecit Chriſtus, vel quod facit Eccleſia, aut quod faciunt Chriſtiani; quam doctrinam ex communi tradit Suar. diſp. 13. ſect. 2. §. Dicendum, & communiter omnes Theologi in 4. diſt. 6. Bonauent. art. 3. q. 1. Richar. art. 1. q. 2. clariùs,& meliùs Scot. q. 1. Gabr. q. 1. art. 2. concluſ. 3. & 4. Durand. q. 2. Maior. diſt. 2. q. 1. §. penult. circa finem, Adrian. q. 3. de Baptiſm. Scot. d. 1. q. 5. art. 8. & alij. Et licet aliqui requirant in miniſtro, etiam intentionem efficiendi effectum ſacramenti; hoc tamen repellitur à Scoto,& ab alijs, nec eſt iuxta mentẽ D.Tho. nec iuxta intellectũ Eccleſiæ; nam in Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 11. ſic habetur, *ſi quis dixerit, in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit*; ex quibus verbis, colligitur etiam, ſupradictam doctrinam de intentione miniſtri, eſſe de fide.

12. Neque obſtat id, quod dicitur de D. Athanaſio, qui in pueritia baptizauit alios pueros per iocum, & tamen baptiſmum ratum habuit Alexander Patriarcha Alexandrinus; vt referunt Nicephor. lib. 8. cap. 43. Ruffin. lib. 4. hiſtor. cap. 14. & alij; imò Nicephor. lib. 3. cap. vlt. narrat etiam de quodam puero Iudæo, qui ſimiliter per iodum fuit ab alijs pueris baptizatus, qui baptiſmus fuit approbatus in Eccleſia Conſtantinopolitana, ideò non fuit iteratus; ſed tantum fuerunt additæ cæremoniæ, quæ defuerunt. Vnde videtur ſufficere externa actio abſque alia intentione ad conficiendum ſacramentum. Reſpondetur tamen ex Hugone de S. Victore lib. 2. de ſacram. par. 6. cap. 13. dupliciter poſſe aliquid fieri per iocum; Primò, animo verè illud, quod fit per iocum, efficiendi ob animi delectationem: & talis intentio non eſt contra ſubſtantiam ſacramenti. Secundò, poteſt eſſe intentio ita iocoſa, vt ſit ficta, & hæc eſt cõtra ſubſtantiam ſacramenti; dum igitur dicti pueri fuerunt iudicati ſufficienter baptizati: neceſſe eſt, vt ex efficacibus coniecturis conſtaret dictos pueros baptizaſſe iuxta primum modum, & ſignum poteſt eſſe, quia Athanaſius tan-

Digitized by Google

tummodo Cathecumenos baptizabat, vt ait Durand. ſupra citatus.

13. Vtrum autem talis intentio debeat eſſe actualis? Reſpondeo, actualem eſſe optimam, non autem neceſſariam, ſed ſufficere virtualem, habitualem autem nõ ſufficere: hæc eſt communis ſententia, vt D. Thom. Caietan. & alij Doctores in 4. diſt. 6. Scot. q. 6. Gabr. q. 1. art. 3. dub. 1. Suar. diſp. 13. ſect. 3. §. Dico ſecundò. Intentio autem actualis, quænam ſit? ex ſe patet, & eſt quando actu elicitur voluntas faciendi ſacramentum, dum fit; Virtualis, eſt quando iam præceſſit voluntas faciendi ſacramentum, & quamuis non exiſtat dum fit ſacramentum, manet tamen aliquid ab illa relictum, per quod cenſetur moueri voluntas ad actionem ſacramenti. Habitualis eſt illa, quæ eſt in voluntate tanquam habitus, ſed nihil influit in actionem externam, cum nullo modo ſit in hominis cogitatione, nec per ſe, nec per aliquid ab ipſa relictum.

14. Secunda pars concluſionis initium. 9. fuit, quod fides non requirebatur in miniſtro, & ex conſequenti neq; ſanctitas, aut bonitas; & ratio eſt, quia cum iam dictum ſit, quod miniſter agat inſtrumentaliter, & virtute principalis agentis, non requiritur in eo aliqua virtus; vt poſſit conficere ſacramentum; ſufficit, vt intendat facere, quod facit Eccleſia, etiã ſi fuerit ſchiſmaticus, hæreticus, vel infidelis, conficeret ſacramenta; dummodo cætera adſint, quæ requiruntur ad ſacramentum; vt v. g. infidelis baptizans, verè poteſt baptizare, non tamen poteſt conficere Euchariſtiam, quia requiritur character. Hęc doctrina eſt de fide iuxta D. P. Auguſtinum lib. de vni. Baptiſm. cap. 11. quod ex multis, & varijs ſcripturis contra hæreticos probat Suar. diſp. 13. ſect. 4.

De ſuſcipiẽtibus Sacramenta, ac de numero, & de dignitate Sacramentorum. Cap. VIII.

1 *Omnes viatores ſunt capaces ſacramentorum; & fuit etiam Beata Virgo.*

2 *In ſuſcipientibus ſacramenta requiritur intentio ſaltem virtualis.*

3 *Reijcitur opinio Caietani aſſerentis ſufficere non habere contrariam voluntatem poſitiuè.*

4 *Ad valorem ſacramenti, non requiritur aliqua diſpoſitio excepto ſacramento pœnitentiæ.*

5 *Sacramenta non ſunt plura, nec pauciora, quam ſeptem, & eſt de fide.*

6 *Quare ſacramenta in tali numero fuerint inſtituta à Chriſto Domino; affertur ratio à D. Thoma.*

7 *Sacramenta non eſſe omnia æqualia, eſt de fide.*

8 *Sacramenta quomodo comparari poſſint inter ſe.*

9 *Euchariſtia non ſemper neceſſariò confert maiorem gratiam, quam alia Sacramenta.*

10 *Sacramẽta ſimpliciter neceſſaria, quæ ſint, vel non ſint.*

1. Dico primò; omnes homines viatores ſunt capaces ſacramentorum, quia cum ſacramenta ſint inſtituta ad horum ſanctificationem, & ſub ſignis ſenſibilibus, neceſſe eſt aſſerere, dictos tantum homines viatores eſſe capaces ſacramentorum, nam Angeli nõ recipiunt gratiam per ſigna ſenſibilia; nec Sancti in Cælo poſſunt creſcere in gratia. Inter viatores includitur etiam Beata Virgo, & omnes alij Sãcti, qui acceperunt gratiam ſanctificantem ante eorum natiuitatem; & quamuis de Beata Virgine aliqui improbabiliter dixerunt, quod poſt conceptionem filij, non poterat creſcere in gratia tamen adhuc, ſi admitteretur talis opinio, non ideo ſequeretur, Beatam Virginem fuiſſe incapacem ſacramentorum, quia ratione naturæ, & ſtatus, vtique potuit baptizari, & alia ſacramenta illi conuenientia ſumere. Suarez diſp. 14. ſect. 1.

2. Dico ſecundo, ad valorem ſacramenti, neceſſarium eſt, vt recipiens habeat intentionem, ſeu voluntatem formalem, aut virtualem, ſeu interpretatiuam recipiendi ſacramentum. Hæc eſt communis ſententia Theologorum, qui hoc ſpecialiter docent de Baptiſmo, de ſacramento

Ord.

Ordinis, & de alijs, vt in proprijs locis dicetur D. Thom. q. 68. ar. 7. & in 4. diſt. 6. q. 1. ar. 2. quæſtiunc. 3. Bonauent. diſt. 4. ar. 2. q. 1. Scot. q. 4. Durand. q. 7. Richar. diſt. 6. ar. 2. q. 3. Palud. q. 2. Adrian. q. 1. de Baptiſ. 3. Alex. Alenſ. 4. p. q. 18. mem. 1. quos ſequitur Suar. diſp. 14. ſect. 2. & idem docet Filiucc. to. 1. cap. 8. nu. 131. & probatur ex Concil. Carthag. 3. cap. 34. vbi ſic dicitur. *Egrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium hi, qui ſunt dixerint, baptizentur*; Et in Concil. Arauſ. 1. c. 12. ſic habetur. *Obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet*. In quibus verbis ſupponitur, voluntatem adulti eſſe omninò neceſſariam ad valorem ſacramenti; quod expræſſius habetur in cap. Maiores §. item quæritur ex Innocentio III. his verbis. *Ille verò, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti*.

3. Nec obſtat opinio Caietani q. 68. art. 7. aſſerentis, ad valorem ſacramenti, ſufficere vt recipiens non habeat contrariam voluntatem; ex qua doctrina ſequeretur, quod Baptiſmus datus infideli, ſeu gentili adulto dormienti, eſſet validus, quamuis nũquam cogitaſſet de Baptiſmo; & videtur poſſe fundari hæc ſententia, in aliquibus verbis, Innoc. III. in cap. maiores iam citato, qui ſic ait: *Tunc ſacramentum eſſe validum, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obſiſtentem*. Nam reſpondetur dicta verba eſſe intelligenda iuxta ſupra traditam doctrinam. Voluntas enim contraria non intelligitur tantum per poſitiuum diſſenſum; ſed etiam per carẽtiam debiti cõſenſus; vt optimè Suarez loc. cit. & ſimiliter Filiuc. nu. 132.

4. Dico tertio excepto ſacramento pœnitentiæ; in reliquis, nulla requiritur diſpoſitio fidei, pęnitentiæ, aut iuſtitiæ neceſſaria ad valorem ſacramenti; vt fusè probat Suar. loc. cit., & Filiucc. nu. 133. & nos ſuis locis ſimiliter probabimus. Nõ tamen eadẽ eſt ratio de valore ſacramenti, ac de effectu ſacramenti; nam ad recipiendum talem effectum, requiritur, vt non ponatur obex vt ſupra diximus, & ſuis locis iterum dicemus.

5. Quoad numerum ſacramentorum. Reiectis priùs erroribus hæreticorum, ex quibus alij dicunt ſacramẽta eſſe pauciora, alij plura. Dico ſacramenta eſſe tantum ſeptem nec plura, nec pauciora, hæc eſt doctrina S.R.Eccl. & eſt de fide, vt fuit definitum in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 1. & antea in Concilio Florentino. Fundatur hæc doctrina in inſtitutione facta à Chriſto Domino, qui ſeptem tantum inſtituit: nam de Baptiſmo dicitur. Ioan. 3. & 4. Matt. 28. & ad Epheſ. 4. de Euchariſtia Matt. 26., Lucæ 22., Marci 14., Io. 6. & 1. ad Cor. 11. de Pœnitentia. *Io. 20. Quorum remiſeritis peccata*. De Confirmatione fit ment. Acto. 8., & 19. vbi Apoſtoli imponebant manus ſuper baptizatos, & accipiebant Spiritum Sanctum. De Ordine, *Matt. 26. Hoc facite, & 2. ad Timoth. 1. Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum*. De Extrema vnctione habetur *Iacobus in ſua Epiſt. cap. 5. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum Oleo ſancto*. Et de Matrimonio. *Paulus ad Epheſ. 5. Sacramentum hoc magnum*; Probatur etiam ex omnibus patribus, vt fusè Suar. in Commentario ſuper Art. 1. q. 65. D. Thom.

6. Ratio autem, quare ſeptem tantum fuerunt inſtituta ſacramenta? ex aliquibus congruentijs, aſſignatur à Diuo Thom. q. 65. ar. 1. Et eſt, quia ſacramentum (vt ſupra etiam dictum eſt) ad duo ordinatur; ſcilicet, ad perficiendum hominem in his quę pertinẽt ad cultum Dei iuxta Religionem Chriſtianæ vitæ, & ad Remedium contra peccatum, in quibus conſiſtit ſpiritualis vita Eccleſiæ, quæ cum habeat conformitatem cum vita corporali, ad quam ſeptem res ſunt neceſſariæ; ideo ſeptem tantum ſunt inſtituta ſacramenta. Et primò ad vitam corporalem, neceſſaria eſt generatio; propterea ad eius ſimilitudinẽ inſtitutus eſt Baptiſmus iuxta illud ad Titum 3. *Per lauacrum regenerationis*. Deinde neceſſaria eſt augumentatio; Vnde inſtituta eſt confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur. Tertiò neceſſaria eſt nutritio; Vnde inſtitutum eſt ſacramentum Euchariſtiæ, quæ tria ſacramen-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

menta ſufficerent homini, ſi haberet impaſſibilem vitam tam corporalem, quam ſpiritualem; At quia illa non habet, ideò alia ſacramenta fuerunt neceſſaria contra hominis infirmitates; vt contra peccatum actuale, fuit inſtituta Pœnitentia. Contra reliquias peccatorum, & peccata venialia, eſt Extrema Vnctio: Neceſſarium etiam erat Eccleſiæ, vt homo perficeretur quoad publicam gubernationem, vnde inſtitutus eſt ordo, ac etiam, vt perficeretur pro conſeruatione humanæ naturæ, vnde inſtitutum eſt Matrimonium.

7. Quoad dignitatem horum ſacramentorum. Dico de fide eſſe, & neceſſariò fatendum eſt, ſacramenta non omnia eſſe æqualia, iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 7. de ſacram. in genere. *Si quis dixerit hæc ſeptem ſacramenta, ita eſſe inter ſe paria, vt nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit:* Non tamen ex his verbis colligitur, eſſe de fide omnia ſacramenta eſſe inæqualia; vt notat Suar. in coment. ar. 3. q. 65. quo poſito, dicendũ eſt Euchariſtiam eſſe potiſſimũ, ſeu dignius, vel perfectiùs cæteris ſacramẽtis; quod non obſcurè docet Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 1. 2. & 3. Rationes autem aſſignantur à D. Thom. q. 65. ar. 3. quarum prima eſt, quia in hoc ſacramento eſt ipſemet Chriſtus ſubſtantialiter: in alijs autem per participationem; ſecundò, quia omnia ſacramenta ordinantur ad ipſum; tertiò, quia in ipſo omnia ſacramẽta continentur.

8. Sed prius eſt notandum, perfectionem ſacramenti poſſe conſiderari: vel ſecundum eſſe ipſius ſacramenti, vel ſecundum rationem cauſæ, ſeu finis aliorum ſacramentorum, vel iuxta effectum gratiæ, ſeu virtutem conferendi illam: & iuxta primam comparationem procedit prima ratio aſſignata à D. Thoma; nam in Euchariſtia ſubſtantialiter continetur ipſemet Chriſtus: & in genere ſigni eſt etiam perfectiùs, quia alia ſacramenta licet, ſignificent immediatè gratiam, Euchariſtia autem ſignificat ipſum Chriſtum. Iuxta ſecundam comparationem procedit ſecunda ratio, & oritur ex prima: quia Euchariſtia eſt in ſuo eſſe ita perfecta, vt contineat in ſeipſam Chriſtum; Vnde ad illam, vt ad finem ordinantur cætera ſacramenta; & quamuis aliqua dubitatio poſſet eſſe circa Sacramentum Extremæ Vnctionis, quæ non videtur ordinari ad Euchariſtiã. Cum in extremo vitæ tantum recipiatur, tamen reſpondet Caiet. dicta q. 65. art. 3. Etiam Extremam Vnctionem quodammodo ordinari ad Euchariſtiam ratione effectus; quia dicta Extrema Vnctio tollit reliquias peccatorum, & perfectè mundat animã, quæ eſt optima diſpoſitio ad vnionem cum Chriſto, quam facit Euchariſtia. Sic etiam matrimonium ordinatur ad Euchariſtiam, quatenus ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia, iuxta D. Thom. vel etiam poſſumus dicere: quatenus matrimonium eſt ordinatum ad moderandam carnis concupiſcentiam; vt homines magis idonei ſint ad aptè ſuſcipiendam Euchariſtiam.

9. Quoad tertiam comparationem, nihil certum ſumitur ex D. Thom. nec aliquid certum eſt circa id definitum; tamen probabile eſt Euchariſtiam in æquali ſubiecto diſpoſito conferre maiorem gratiam propter Chriſti præſentiam; nõ ideò hoc eſt ſemper neceſſariũ, in qualibet ſumptione, ſcilicet ſubiecti inæqualis, cum Euchariſtia ſit inſtituta ad continuam nutritionem; & ex hoc nõ videtur neceſſarium, vt in qualibet ſumptione recipiatur maior gratia, quàm nõ recipitur ſemel in Baptiſmo, vel Confirmatione, aut in Ordine; vt ponderat Suar. loco cit. §. De tertio. Cetera autem ſex Sacramenta hunc ordinem perfectionis habere aſſerit; ſcilicet, vt primum locum teneat Ordo, ſecundum Confirmatio, tertium Baptiſmus, quartum Extrema Vnctio, quintum Pœnitentia, ſextum Matrimonium: in quolibet tamen ſacramento eſt aliquid excellens, & ſingulare, in quo cætera ſuperant, vt in diſcurſu vniuſcuiuſque ſacramenti videbitur: nam Baptiſmus dicitur primum ſacramentum reſpectu neceſſitatis, in via perfectionis eſt Ordo; medio autem modo, eſt Confirmatio; Sacramentum verò Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis ſunt inferioris ordinis, quia ſupponunt peccatum, & per ſe non ordinantur ad vitam Chriſtianam, niſi per accidens, ſcilicet, in remedium ſuperuenientis defectus; comparatur autem

hæc

hæc duo Sacramenta Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, ſicut Confirmatio, & Baptiſmus; Vnde Pœnitentia eſt maioris neceſſitatis reſpectu Extremæ Vnctionis, ſicut Baptiſmus reſpectu Confirmationis; Extrema autem Vnctio eſt maioris perfectionis reſpectu Pœnitentiæ, ſicut Confirmatio reſpectu Baptiſmi.

10. Ex his autem omnibus ſacramentis, duo tantum ſunt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, ſcilicet Baptiſmus, & Pœnitentia, ſuppoſito peccato; toti autem Eccleſiæ eſt neceſſarium Sacramentum Ordinis; Reliqua ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, præter matrimonium, quod Eccleſiæ tantum eſt neceſſarium pro conſeruatione multitudinis; Reſpectu verò ſingulorum non eſt neceſſarium, & magis vtile erit ſe priuare hoc ſacramento ob ſeruandam caſtitatem, quam illud ſuſcipere, quia perfectior eſt ſtatus caſtitatis, quam coniugij; reſpectu verò illorum, qui Matrimonium contrahere voluerint, vtiliſſimum erit, vide Suar. in commentario ſuper articulum 4. D. Thomæ q. 65.

De poteſtate neceſſaria Miniſtris Sacramentorum, & quomodo obligentur, & teneantur illa adminiſtrare. Cap. IX.

1 *Triplex poteſtas requiritur in miniſtro ſacramentorum; conficiendi, adminiſtrandi, & iuriſdictionis.*

2 *Adminiſtratio ſacramentorum oritur aliquando ex charitate, & aliquando ex iuſtitia.*

3 *Dubitans de poteſtate ordinis, vel iuriſdictionis, an poſſit ſacramenta adminiſtrare?*

4 *Miniſter ſacramenti ex charitate, non tenetur eſſe in gratia.*

5 *Miniſter ſacramenti ex officio tenetur eſſe in gratia, dum adminiſtrat ſacramenta.*

6 *Sacerdos tenetur vel habere contritionem, vel præmittere confeſſionem ante adminiſtrationem ſacramentorum.*

7 *Miniſtrans in peccato mortali, vnum tantum committit ſacrilegium.*

8 *Miniſtri adiuuantes miniſtrantem ſacramenta, non tenentur eſſe in gratia.*

9 *Diaconus, & Subdiaconus non peccāt mortaliter ſolemniter cantando Euangeliū, vel Epiſtolam in peccato mortali.*

10 *Epiſcopus conficiens Chriſma, vel benedicens, aut conſecrans vaſa ſacra, non peccat mortaliter, ſi non reperiatur in gratia.*

11 *Contrahentes Matrimoniū in peccato mortali, peccant tantum mortaliter, quatenus recipiunt, nō quatenus adminiſtrāt ſacramentum.*

12 *Concionator non tenetur eſſe in gratia, nec ſimiles.*

13 *Miniſtri ſacramentorum tenentur obſeruare ritum Eccleſiaſticum, & eſt de fide.*

1 EST primò ſciendum miniſtrum ſacramentorum debere habere triplicem poteſtatem; nempe, poteſtatē conficiendi ſacramenta, adminiſtrandi ſacramenta, & poteſtatem iuriſdictionis ordinariam, vel delegatam; poteſtas conficiendi ſacramenta datur in ſacramento ordinis, id eſt ſacerdotij, licet, non in omnibus ſacramentis requiratur Sacerdos, vt eſt Baptiſmus, qui ab omnibus poteſt perfici, & Matrimonium, quod perficitur ab ipſis contrahentibus. Vnde ſecunda poteſtas, ſcilicet, miniſtrandi ſacramenta datur in Sacerdotibus, vel Epiſcopis iuxta qualitatem ſacramentorum; & licet, ſacramentum Baptiſmi, ſi cōferatur à laico, vel alio non habente iuriſdictionem, rectè perficiatur; tamen grauiter peccat ita conficiēs; vt ſumitur ex P. Auguſtino lib. 2. contra Parmen. cap. 3. his verbis. *Nulla cogente neceſſitate, ſi fiat alieni muneris vſurpatio, quod autem datum fuerit, non poterit dici non datum, quamuis poſſit dici illicitè datum.* Tertia poteſtas iuriſdictionis etiam requiritur, imò vniuerſaliter loquendo eſt de iure Diuino, vt in Eccleſia, alij ſint Paſtores, ad quos pertineat animarum cura, alij oues. Io. 20. & ad Epheſ. 4. nam Eccleſia eſt corpus myſticum, in quo neceſſaria eſt diſtinctio munerū, & ordo hyerarchicus.

2 Obli-

Digitized by Google

2. Obligatio autem adminiſtrandi ſacramenta cadit in eos, qui poſſunt illa licitè adminiſtrare vel ſimpliciter, vel in caſu aliquo, & hoc ex duplici capite, vel ratione charitatis, & miſericordiæ; vel ratione iuſtitiæ, ſcilicet, ratione officij, vel ſtipendij, promiſſionis, vel pacti, &c. Et vtraque obligatio obligat ad mortale; ſed poſterior eſt maior, & ex illius transgreſſione interdum oritur obligatio reſtituendi, cum talis obligatio pertineat ad iuſtitiā commutatiuam, vt agendo de vnoquoque ſacramento dicemus.

3. Sed quæritur vtrū dubitans de poteſtate ordinis, vel iuriſdictionis, poſſit ſacraméta miniſtrare? Reſpondetur, tribus modis in hoc caſu poteſt ſe habere dubitās: Primò, vt in neutrā partem probabiliter inclinet per aſſensū, ſed maneat ſuſpenſus, & in tali caſu non poteſt quis licitè adminiſtrare. Secundò, vt probabilius inclinet, quod habeat talem poteſtatem, ſed cum formidine alterius partis, & poteſt quis illa vti, dummodo nullum adſit detrimentum, vel iniuria tertiæ perſonæ. Tertiò, vt probabilius putet ſe non habere talem poteſtatem, & tunc ſecūdum aliquos, liberum videtur eſſe homini ſequi iudiciū probabile, licet alij hoc negent. Alij tandem aſſerunt in graui neceſſitate, vel cauſa vrgente, poſſe dubitantem ſequi iudicium probabile, quia hoc non eſt temerè ſe periculo exponere; & ità tenet Suar. diſp. 16. ſect. 1. & Filiuc. tom. 1. cap. 5. num. 84.

4. Quæritur ſecundò, vtrum miniſter debeat eſſe in gratia, dum ſacramenta miniſtrat? Reſpondeo, dupliciter poteſt quis dici miniſter ſacramenti, vel ex officio, vel accidenti, vt eſſet in Baptiſmo dato à laico tempore neceſſitatis; & de hoc ſecundo miniſtro dicendum eſt, non eſſe neceſſarium reperiri in gratia dum ſacramentum miniſtrat, quia laicus, vel alius, cui non incumbit ex officio miniſtrare ſacramenta, non tenetur ſe præparare ad gratiam, quæ ſententia eſt D. Tho 3. q. 64. art. 6. ad 3. & in 4. diſt. 24. q. 1. art. 3. queſtiuncul. 5. Richar. in 4. diſt. 5. art. 3. q. 3. Syluest. verb. Baptiſmus nu. 4. Caietani, Sot. & aliorum, quos ſequitur Suar. diſp. 16. ſect. 4. §. Nihilominus, & idē docet Filiuc. to. 1. cap. 5. num. 85.

5. De ſecundo miniſtro, ſcilicet, ex officio omninò tenetur ſe præparare ad gratiam, vt ſanctè dicta ſacramenta adminiſtrare valeat, probatur ex Leuit. 5. *Sacerdotes incenſum, & panes offerūt Deo, & ideò ſancti erunt*, & cap. 22. *Omnis qui acceſſerit ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immūnditia, peribit coram Domino*. Probatur etiam ex Gelaſio Papa, vt habetur in cap. ſacroſancta 1. q. 1. his verbis. *Quomodo ad Diuinum myſterium ſpiritus inuocatus adueniet? ſi Sacerdos criminoſis actionibus plenus eſſe probetur*, & ex Nicolao Primo, vt habetur in cap. vltimo 15. q. 8. *Mali, bona adminiſtrando, ſe tantummodo lædunt*; & P. Auguſtinus licet multis in locis, hanc veritatem doceat, tandem lib. 2. contra Parm. cap. 10. ſic ait. *Omnia ſacramenta cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus*; ità etiam communiter omnes Patres, & Doctores.

6. Vnde ſequitur, quod Sacerdos adminiſtraturus ſacramenta, ſi reperiatur in in culpa mortali, tenebitur habere contritionem, etſi probabiliter credat illam non habere; ſed habere tantum attritionem, debet confeſſionem præmittere, vt ex attrito fiat contritus, & gratiam recipiat, & ſi opportunitatem confeſſionis non habuerit, debet procurare contritionem; nec valet aliqua excuſatio, quia contritio ſemper eſt moraliliter poſſibilis cū diuino auxilio, quod omnibus præſto eſt; vt benè notat Suar. diſp. 16. ſect. 3. §. Atq; hinc: nota tamen, quod contritio cum non poſſit cognoſci, ſufficiet, vt ſaltem ſit putata talis à dicto miniſtro, vt ponderat, Sot. diſt. 17. q. 2. art. 6. concluſ. 4. Petr. Sot. lect. 3. de neceſſitate Pœnitentiæ, Nauar. cap. 22. num. 3. & alij quos ſequitur Filiuc. to. 1. cap. 5. num. 86. in fine, licet apud Suar. loco cit. contrarium doceant Marſil. in 4. q. 12. art. 1. par. 5. & Palud. diſt. 5. q. 2. circa finem, nempe, aſſerunt hi Doctores, talem Sacerdotem ſemper teneri præmittere confeſſionem.

7. Notandum eſt hic obiter, miniſtrantem ſacramenta in peccato mortali, vnum tantum peccatum ſacrilegij committere

mittere, & non duo, quod peccatum, dicitur peccatum commiſſionis ex ſacrilega adminiſtratione ſacramenti; ita Dominicus Sotus in 4.diſt.17.q.2.art.6.concluſ.4. Petrus Sot.lect.13.de neceſſitate pęnitentiæ, Nauarr.cap.22.nu.3., & Suar.diſp.16. ſect.3.§.quæri enim.

8. Vtrum autem miniſtri, qui adiuuāt ex proprio officio ad hoc conſecrati, miniſtrum conficientem ſacramentum, vt Diaconus, Subdiaconus, &c. committant peccatum mortale, ſi exerceant actus dicti officij in culpa mortali? in hoc dubio generalem quamdam regulam ponit D. Th. in 4.diſt.24. q.1.ar.3.queſtiunc.5.nempe, peccare mortaliter eum, qui aliquo ſacrū officium, quod ſibi ex ordinatione competit, in peccato mortali exequitur, & ratio eſt, quia indignè tractat res ſacras, & ſacrilegium committit, quod ex ſe eſt mortale. Attamen, incipiendo à minoribus ordinibus, dicendum eſt probabiliùs, & certum eſſe, non eſſe mortale dictos ordines minores exercere in peccato mortali, & ratio eſt, quia dicti Ordines ſunt valde remoti ab actu ſanctificandi; imò probabiliter conſtat dictos minores Ordines non eſſe ſacramenta, ſed tātum ſacramentalia. Et ideo Scotus ſtatim citandus non putat eſſe, nec etiam veniale exercere dictos Ordines in peccato mortali; nec ſunt audiendi Syluef. & Angelus ſimiliter citandi, aſſerentes tangere vaſa ſacra, vt calices, corporalia, & ſimilia in peccato mortali, eſſe mortale, ſi id fiat ex officio, quia indignè in tali caſu, quis fungitur officio ſuo; nam ſecluſo contemptu, vel ſcandalo, non video vnde poſſit oriri tam grauis materia, cum de hoc nullum præceptum habeatur.

9. De Diacono verò, & Subdiacono maior eſt difficultas, nam aliqui tenent, prædictos canētes ſolemniter Epiſtolam, & Euāgelium reſpectiuè in peccato mortali, peccare mortaliter; vt Angelus ver. Clericus 9. nu. 1., Syluef. eodem ver. 2. nu. 2. Caietanus 2.2. q.60.ar.2.in fine; & poteſt fundari hæc opinio in verbis Greg. lib.2. epiſt.cap.83.alias epiſt.44. vt habetur in c.vlt. diſt.23. vbi ſic habetur. *Si in Sacro Ordine conſtitutus eius* (ideſt concubinæ) *permixtione eſſe recolit maculatum, Sacerdotij honore depoſito, adminiſtrādum nullo modo præſumat accedere*. Tamen contraria ſententia adhuc probabilis, & tuta eſt, ſcilicet, dictos miniſtros non peccare mortaliter, vt tenet Sot. in 4. diſt.1.q.5. ar.6. & diſt.24.q.1.ar.4. & ſequitur Suar.diſp.16. ſect.3. §.de alijs, & Filiucc.to.1.cap.5. nu. 87. Si quis autē haberet animum diù miniſtrandi tale officium in peccato mortali, vel actualiter miniſtrat diù in peccato mortali; non facilè poſſet excuſari à mortali, quia talis conſuetudo, & propoſitum, videtur eſſe contemptus, & hoc eſt, quod videtur prohibitum in cap. vlt. de tēporibus ordinationum, cap. vlt. diſt. 33. vt aſſerit idem Suar. loco cit. & Filiucc. eod. loco.

10. Hinc colligitur, quid dicendum ſit de Sacerdote, vel Epiſcopo conficiente aliqua ſacramentalia, vt dum Epiſcopus dat primam tonſuram, vel conſecrat Eccleſiam, aut benedicit veſtes ſacras, & ſimilia, nam in ſimilibus dubijs tantum Medina reſpondet dicens, Cod.de pęn.tract. 1. q. 6. Epiſcopum, qui conficit Chriſma, benedicit Oleum, aut cōſecrat Eccleſiam in peccato mortali, peccare mortaliter, quia iſtæ actiones videntur graues, & duæ priores quodammodo ſacramentales; tamen ſecluſo contēptu in huiuſmodi actionibus non adeſt peccatum mortale, licet fiant in tali peccato, quia tantum in miniſterio ſacramentorum requiritur, vt miniſter ſit abſque culpa mortali, dum conficit ſacramentum: & hoc modo ſunt interpretandi canones allati in numero antecedenti; ita tenet Sot.loc.cit. & Suar.eodem loc.§. atq; hic, quā doctrinā colligit ex D. Tho.q.64.an.6.& Caiet.to.2.opuſc.tr.10. ſequitur Filiuc.to.1.c.5.n.87.§.quartò.

11. Sic etiam miniſtri ſacramēti Matrimonij, qui ſunt ipſimet contrahentes, nec peccabunt mortaliter, ſi contrahant in peccato mortali, quia nō ſunt ad hoc conſecrati; peccabunt tamen ex alia cauſa, nempè, quatenus recipiunt tale ſacramentum in peccato mortali, vt Sanchez lib. 2. diſp.6.n.5.Henriq. c. 29. & Filiuc.loc.cit.

12. Idem etiam dicitur de Concionatore, vel de Prælato corrigente ſubditum,

tum, aut Iudice proferente ſentẽtiam, vel de expoſitore ſacræ Scripturæ: nam prædicti non videntur peccare mortaliter, ſi prædicta agant in mortali; licet de Concionatore contrarium ſentiat Caiet. quæſ. 64. art. 6. tamen etiam probabile eſt, quod diximus, vt fusè Suar. loc. cit., quem ſequitur Filiucc. eod. loc. cit. Sotus in 4. d. 2. q. 5. art. 6. Valent. to. 4. diſp. 3. q. 5. pu. 3. & alij.

13. Sed quæritur vtrũ miniſtri ſacramẽtorum teneantur obſeruare ritum Eccleſiaſticum in ſacramentis adminiſtrandis? & reſpõdetur affirmatiuè ex præcepto Eccleſiæ, vt ex ipſa conſuetudine conſtat; quæ concluſio eſt de fide, ex Concil. Trid. ſeſs. 7. can. 13. vbi ſic ait. *Si quis dixerit receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, in nouos alios per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem immutari poſſe anathema ſit.* Hoc tamen præceptum non eſt vnum ſingulariter datum de omnibus ſacramentis; ſed cõſurgit ex varijs præceptis datis in ſingulis ſacramentis; vnde tranſgreſſio huius præcepti ex contemptu, ſemper eſt peccatum mortale; non autem quælibet tranſgreſſio; ſed iuxta grauitatem materiæ; ille verò dicitur contemnere, qui negat obſeruãtiam cæremoniarum Eccleſiæ, vel putat eſſe ſuperfluas, aut inutiles; vt Suar. diſp. 16. ſect. 5. & Filiucc. to. 1. c. 5. nu. 89. Grauitas autem materiæ eſt arbitrio prudentis viri relinquenda, vt ijdem Doctores.

De ſuſcipiẽtibus ſacramenta, eorumque præceptis. Cap. X.

1 *Præceptum circa vſum ſacramentorum ex duplici capite oriri poteſt.*

2 *Vſus ſacramentorum eſt de præcepto diuino, & humano.*

3 *Vſus ſacramentorum poteſt eſſe ex præcepto ratione alicuius finis neceſſarij.*

4 *Recipiens ſacramenta tenetur exhibere omnia, quæ pertinent ad ſubſtantiam ſacramenti.*

5 *Suſcipiens ſacramenta tenetur ita ſe diſponere, vt recipere poſſit gratiam.*

6 *Sacramenta non poſſ. [illegible] miniſtris reſpectu Auctoritatis.*

7 *Sacramenta non ſunt petenda ab excommunicato vitando, niſi in extrema neceſſitate.*

8 *Sacramenta ex charitate non ſunt petenda à miniſtro exiſtente in peccato mortali.*

9 *A proprio Parocho licet indigno, poteſt aliquando peti ſacramentum.*

10 *Miniſtri ſacramentorum ex duplici capite tenentur non dare ſacramenta indignè petentibus.*

11 *In aliquibus ſacramentis debent miniſtri aliquam diligentiã adhibere antequam illa tribuant.*

12 *Euchariſtia ſi petatur publicè à peccatore occulto, eſt ei danda.*

1. EST primò notãdum dupliciter poſſe eſſe præceptum ſacramẽtorum, ſcilicet, vel ratione ipſorũmet ſacramentorum, & eorum effectus, vel ratione alterius finis; Primo modo eſt, v.g. præceptum ſumendi Euchariſtiam in Paſchate, & confiteri ſemel in anno. Secundo modo eſt quando ſacramẽta ſunt neceſſaria ad aliquem finem homini neceſſarium; vt v. g. ad vincendam carnis tentationem vrgentem, vel ad euitãdum ſcandalum, aut quid ſimile, quo poſito.

2. Dico dari præceptum Diuinum, & humanũ circa vſum ſacramentorũ; vt Baptiſmus, & Pœnitentiæ ſuppoſito peccato, ſunt de præcepto Diuino; Euchariſtia autem eſt de præcepto Eccleſiæ, vt ſumatur ſemel in anno. Vtrum autem ſit, vſus dictæ Euchariſtiæ, de præcepto Diuino, probabilior videtur pars affirmatiua, vt ſuo loco examinabimus. Alia deniq; ſacramenta, vtrum ſint de præcepto, vel non ſint, ſuis locis tractabimus; in communi autem loquendo, certum eſt, vſum ſacramentorum eſſe ſub præcepto. Licet, hæc propoſitio non verificetur de quolibet ſacramento. Ratio concluſionis eſt, quia ſacramenta fuerunt inſtituta tanquam medicinæ, & remedia neceſſaria ad ſalutem, ergo oportuit etiam talem vſum eſſe ſub præcepto; Vnde ſacramenta ſunt neceſſaria, non ſolum ratione medij, vt ſupra notauimus, ſed etiam ratione præcepti.

3. Po-

Digitized by Google

3. Poteſt etiam vſus ſacramentorum cadere ſub præcepto, & obligatione ex aliquo fine, & circumſtantia extrinſeca; Vt v. g. tēpore magnæ tribulationis, vel tentationis, aut periculi, tenetur quis vſum ſacramentorum adhibere; ſi ex experientia certus ſit, hoc modo, & vſu ſacramentorum poſſe liberari; & in his caſibus poſſet Sacerdos, ſeu Parochus obligari ad cōficiendam Euchariſtiam, & miniſtrandam, vel ad audiendam confeſſionem, aut aliud Sacramentum præſtandum, Suar. diſp. 17. ſect. 1. & Filiuc. tom. 1. cap. 8. num. 144. & 145.

4. Circa modū verò recipiēdi ſacramenta, duo poſſunt conſiderari, vnum ex parte ipſius ſacramenti, vt licitè, & integrè fiat cum debitis circumſtātijs, alterum ex parte ſuſcipientis, vt accedat cum neceſſaria diſpoſitione rectè ad recipiēdum effectum ſacramenti. Reſpectu primi modi. Suſcipiens ſacramenta tenetur ex præcepto ad exhibenda ea omnia, quæ ex parte ipſius neceſſaria ſunt ad valorē, & ſubſtantiam ſacramenti; nam aliquando in ſacramentis eſt neceſſarius non ſolum concurſus miniſtri; ſed etiam concurſus ſuſcipientis, vt in ordine ex parte ſuſcipientis eſt neceſſe, vt tangat calicē, vel alias materias ordinum: Et in Matrimonio eſt neceſſe, vt fiat coram Parocho, & teſtibus; & quia iam capite antecedenti diximus, miniſtrum teneri ad præſtandum ſuum concurſum ſub præcepto, vt ritè poſſit fieri ſacramentum; ita ſimiliter eſt dicendum de ſuſcipiente; debet enim omnia præbere, quæ neceſſaria ſunt ad valorem ſacramenti; Aliter eſſet magna illuſio, quæ fieret ſacramentis, & Eccleſiæ, & ideò ſacrilegium eſſet.

5. Quoad ſecundum modum, Dico, ſuſcipientem ſacramenta, ita diſpoſitum, & præparatum debere accedere, vt poſsit eſſe capax principalis effectus ſacramenti, ſcilicet gratiæ; aliter enim ſemper eſſet ſacrilegium, & mortem, non autem vitam ſumeret, iuxta Apoſt. 1. ad Cor. 11. *Qui indignè manducat, & bibit, iudicium ſibi manducat, & bibit*. Vnde licet quis non teneatur multoties ſumere aliquod ſacramentum, ſi tamen vult illud ſumere, tunc tenetur debito modo ſumere, ita vt non ponat obicem pro receptione gratiæ, ex Suar. diſp. 17. ſect. 2. & Filiuc. tom. 1. cap. 8. nu. 146. 147. & 148.

6. Ad intelligendum autem vtrum volentes ſumere ſacramenta, poſsint illa petere ab indignis miniſtris? priùs ſupponendum eſt, ex triplici capite miniſtrum poſse eſse indignum; Primò, ſi non habeat poteſtatem validè conferendi, vt ſi illi deſit ordo, aut poteſtas neceſſaria, vel ſi non ſit obſeruaturus ritum ſubſtantialem; Secundò, ſi fuerit, cenſuris ligatus, vt excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto; Tertio, ſi ſit in peccato mortali publico, vel priuato, & noto volenti ſacramentum ſuſcipere, ſi miniſter fuerit primo modo indignus, ſuſcipiens non poterit ab eo petere ſacramenta, aliter duo peccata ſacrilegij cōmitteret, vnum, quia inducit alium ad ſacrilegium, aliud quia talis ſuſceptio ſacramenti eſſet ſacrilega.

7. Si miniſter fuerit indignus ſecundo modo; tunc, vel eſt vitandus, vt ſunt denunciati, vel publici Clerici percuſſores; & in hoc caſu: nullus poteſt ab eo ſacramenta petere, niſi in extrema neceſsitate, & ſi non eſſet alius, aliter peccaret mortaliter contra præceptum Eccleſiæ, prohibens participationem cum talibus in Diuinis: vel non eſt ex vitandis, & tunc licitè poſſunt ab eo fideles ſacramenta petere: & miniſter debet miniſtrare, nec peccabit, niſi in caſu, quo culpabiliter perſeueraret in dictis cenſuris, vt ſuo loco dicetur.

8. Si autem miniſter fuerit indignus tertio modo; ex charitate non debemus ab eo petere ſacramenta, niſi adſit neceſſitas, & alius miniſter non ſit; vt etiam dicitur de iuramento petendo à Gentili, vel de pecunia petenda ab vſurario, quæ peti non debent ex charitate; niſi adſit neceſsitas; licet circa hoc, remitto me ad ea, quæ dixi in ſecūdo libro de contractibus, agendo de mutuo, & vſura.

9. Poteſt etiam quis petere ſacramenta à tali miniſtro, vt ſupra, etiam ſi ob vtilitatem animæ ſuæ vellet ſuſcipere, licet, non eſſet præceptum, dummodo tamen miniſter eſſet talis ex officio, & eſſet pa-

ratas ad miniſtrandum, nec adeſſet alius; quando autem miniſter non eſſet talis ex officio, tunc poterit tantum quis petere ab eo ſacramẽta cauſa neceſſitatis vrgentis, vel ratione temporis obligationis; vt Filiuc. tom. 1. cap. 8. num. 150. & ſeqq. ex Suar. diſp. 18. ſect. 1. & ex alijs apud ipſum.

10. Sed quæritur, vtrum miniſtri Sacramentorum teneantur ſemper non dare ſacramenta indignè petentibus? nam ex duobus capitibus miniſter his nõ debet dare ſacramenta, primò ratione præcepti impoſiti miniſtris, ne dare debeant ſacramenta indignè petẽtibus; ſecundò ratione generalis pręcepti non cooperandi peccato alterius; Vnde ad quęſitum reſpondetur affirmatiuè vniuerſaliter loquendo de omnibus ſacramentis; & ratio eſt, quia ad quem pertinet diſpenſatio ſacramentorũ, pertinet etiam fidelitas in diſpẽſando, aliter non eſſet fidelis, & prudens diſpenſator, quod eſſet in magnam irreuerentiam ſacramentorum, & contra officium fidelis miniſtri, ideoq; ex duplici capite grauiter peccaret, & ſacrilegium committeret.

11. Vtrum autem miniſtri teneantur aliquam diligentiam adhibere antequã dent ſacramẽta, vel ſufficiat eis, dummodo contrarium non conſtet? Reſpondeo, certum eſſe, omnem hominem, quem non conſtat eſſe malum, præſumendũ eſſe bonum; tamen iuxta naturã vniuſcuiuſq; ſacramenti aliquando diligentia, & prudentia adhibenda eſt, vt in ſacramento baptiſmi; cum ſit ianua ſacramentorum, & quędã ſpiritualis regeneratio ex ſtatu iræ ad ſtatum gratiæ, requiritur quędam moralis diligentia, vt recipiens benè diſpoſitus ſacramentum ſuſcipiat, ne poſt ſuſceptionem aliqua iniuria ſacramento fiat; De confirmatione autem, & Euchariſtia, ſufficit, vt non conſtet petentem eſſe malum; aliqua tamen diligẽtia eſſet adhibenda, ſi cõſtiterit antea, talem petentem fuiſſe malum; iuxta prudentiam miniſtri, & ſtatum perſonarum, & idem dicitur de Extrema Vnctione. Deinde in ordine, cum agatur de ſeparatione hominis à mundo, vt dedicetur ad diuinum cultum; neceſſe eſt etiam aliquod examen, & diligentia, vt tale ſacramentũ non conferatur indignis, vt habetur in Cõcil. Trid. ſeſſ. 23. ſic etiam in ſacramento pœnitentiæ, quia adminiſtratur per modum iudicij, ad miniſtrum ſpectat cauſam examinare, & an pœnitens ſit abſoluendus, vel ligandus; & ſimiliter in ſacramento Matrimonij, quia inducit vinculum perpetuum, & abſolutum, eſt benè examinandus cõtractus, vt cum debita diſpoſitione, & requiſitis fiat, vt præcipit Concil. Trid. ſeſſ. 24. vt ſuis locis clariùs videbitur.

12. Dixi in concluſione num. 10. vniuerſaliter loquendo, quia ſi petatur publicè Euchariſtia à peccatore occulto, non eſt ei deneganda propter ſcandalum, vt fuſiùs in proprio loco dicetur.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Quid ſit Baptiſmus, quando Inſtitutus, & quæ eius Materia. Cap. XI.

1 *In quolibet ſacramento tria poſſunt conſiderari, ſacramentum tantum, res, & ſacramentum, & res tantum.*

2 *Baptiſmus eſt ablutio exterior facta corporis; ſub praſcripta forma verborum.*

3 *Baptiſmus fuit inſtitutus, quando Chriſtus fuit baptizatus.*

4 *Reſpondetur obiectioni.*

5 *Probatur concluſio ex Patribus, & Scripturis.*

6 *Aqua elementaris eſt materia remota baptiſmi.*

7 Di-

7 *Dicta doctrina eſt de fide.*

8 *Multæ ſunt materiæ, in quibus non poteſt confici baptiſmus.*

9 *Aqua ex Sale reſoluta, & ſimiles poſſunt eſſe materia baptiſmi.*

10 *Aqua, quæ diſtillat ex vite, non poteſt eſſe materia baptiſmi.*

11 *Aqua ex vaporibus condenſatis eſt ſimiliter materia baptiſmi.*

12 *Materia proxima baptiſmi, eſt ablutio corporis.*

13 *Ablutio multipliciter fieri poteſt in baptiſmo, nec requiritur trina ablutio.*

14 *Reſpondetur ad quamdam obiectionem, circa trinam ablutionem.*

15 *Vna immerſio in aqua, abſque emerſione eſt ſufficiens ad baptiſmum.*

16 *Quid ſit faciendum ſi puer non poteſt baptizari, niſi per immerſionem abſque emerſione.*

1 Hic primò quæritur quid ſit Baptiſmus; ſed antequam definitionem aſſignemus, ſciendum eſt; in quolibet ſacramento tria poſſe conſiderari; Primò ſacramentum tantum, & eſt illud quid viſibile, quod in ſacramentis videtur, quod eſt ſignum inferioris effectus. Secundò, res, & ſacramentum, & eſt character, v.g. baptiſmalis, qui eſt res ſignificata per exterioreȇ ablutionem, & eſt ſignum ſacramentale interioris effectus, ſcilicet, iuſtificationis, quæ eſt res tantum, quæ tertiò, conſideratur in ſacramento, quo poſito.

2. Dico. Baptiſmus eſt ablutio exterior facta corporis ſub præſcripta forma verborum, quæ definitio eſt Diui Thomæ 3.par. q.66. art.1. & ſumitur ex Magiſtro in 4. d. 3. vel etiam dici poteſt ſacramentum regenerationis per lauacrum aquæ in verbo vitæ, iuxta Cathechiſmũ Romanum de Baptiſmo, iuxta verba Chriſti Domini, Ioan.3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, & Paul. ad Epheſ.5. *Mundans eã lauacro aquæ in verbo vitæ*, & ad Tit. 3. *Per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti*. Neque obſtat definitio tradita ab Vgone de S. Victore lib. 2. de Sacramen. art. 6. cap. 2. vbi ait: Baptiſmus eſt aqua diluendis criminibus ſanctificata per verbum; nam reſpondet D. Tho. hanc definitionem ſuſtineri nõ poſſe; vel dicendum, quod Vgo voluerit explicare principium materiale huius ſacramenti, & ratio eſt, quia cum ſacramenta nouæ legis ſanctificationem quamdam operentur, ibi perficitur ſacramẽtum, vbi perficitur ſanctificatio. At in aqua non perficitur ſanctificatio; ſed tantum in ablutione cum ipſa aqua, adeſt quędam ſanctificationis virtus non permanens; ſed fluens in hominẽ, qui eſt ſanctificationis ſubiectũ, igitur ſacramentum non conſiſtit in ipſa aqua, ſed in applicatione aquæ ad ipſum hominem cum debita forma verborum; Neq; Vgo intellexit ſacramentum baptiſmi conſiſtere tantum in aqua; nam ipſemet ait. *Aqua enim ſola elementum eſſe poteſt, ſacramentum eſſe non poteſt, donec accedat verbum ad elementum, & ſit ſacramentum.*

3. Dico ſecundò, Baptiſmus fuit inſtitutus ante Chriſti paſſionem, & propriè in die, quo ipſe Chriſtus baptizatus fuit à Ioanne, quæ concluſio eſt communior, & ſcripturis conformior, imò communis inter Theologos cum Magiſtro in 4. diſt. 3. D. Thom. q.66. art.2. & apud Magiſtrum q.1. art.5. quęſtiuncula 2. q.4. Suar. 3.par. diſp.19. ſect.1. & 2. & probatur ex D.P. Auguſtino in quodam ſerm. de Epiph. vbi ait. *Ex quo Chriſtus in aqua mergitur, ex eo omniũ peccata abluit aqua*, & ex Ioan.3. vbi dicitur. *Poſt hæc venit Ieſus, & diſcipuli eius in Iudeam terram, & ibi demorabatur cum eis, & & baptizabat*; & cap.4. ait. *Audierunt Phariſæi, quod Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quam Ioannes, quamquam Ieſus non babtiZaret; ſed diſcipuli eius*, igitur ſignum eſt, quod Baptiſmus fuerat iam inſtitutus ante paſsionem; Imò iuxta D.P. Auguſtinũ tract.5.13. & 15. Baptiſmus habuit ſuã efficaciam ex opere operato, etiã ante Chriſti paſsionem. Notandum eſt tamen non eſſe de fide hoc ſacramentum fuiſſe inſtitutum ante Chriſti paſsionem, quia aliqui Patres contrarium ſenſerunt, nec Eccleſia id determinauit, vt Suar. loco cit.

4. Nec obſtat, quod omnia ſacramenta habuerint virtutem à Chriſti paſsione, quia dicta paſsio iam erat præuiſa, & vltra

hoc,

hoc, tota Chriſti vita fuit continuum ſacrificium habēs infinitum meritum; quod ſacrificium poſtea fuit conſummatum in morte, & ſic poſt mortem Chriſti multa acceſſerunt huic ſacramēto, vt aperire ianuam Cœli, perfectiorem gratiam conferre, &c. Et in hoc ſenſu dici poteſt, cōpletam fuiſſe inſtitutionem Baptiſmi poſt reſurrectionem, quia tūc etiam fuit promulgatum preceptum Baptiſmi ex Matth. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.*

5. Probatur etiam noſtra cōcluſio ex D. Ambroſ. lib. 2. in Luc. cap. vlt. his verbis. *Baptizatus eſt Dominus non mundari volens; ſed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognouit. Baptiſmatis ius haberent;* & D. P. Auguſtinus ſer. 36. de tempore ait; *Filium genuit mater, & caſta eſt. Chriſtum vnda lauit, & ſancta eſt. Nam ſicut poſt partum glorificata eſt Mariæ caſtificatio, ita poſt Baptiſmū aquæ eſt purificatio comprobata, niſi quod penè maiori munere, quā Maria vnda ditata eſt, illa enim ſibi tantum meruit caſtitatem, iſta nobis contulit ſanctificationem, illa meruit ne peccaret, iſta, vt peccata purgaret, illi eſt collata virginitas, iſti donata eſt fœcunditas*, eandem doctrinam etiam tradit D. Hieronym. in Marc. dum ait. *Chriſtum contactu ſuo, virtutem regeneratiuā aquis contuliſſe*; Vnde deſumptum eſt illud Theologorum Elogium; Chriſtum contactu ſuo, virtutem regeneratiuam aquis cōtuliſſe. Certum eſt igitur Baptiſmum fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino, dum baptizatus fuit.

6. Dico tertiò, Aquam elementarem, veram, & ſenſibilem, eſſe materiam remotam, & eſſentialem ſacramenti Baptiſmi. Hæc concluſio eſt de fide ex Concil. Lateranenſ. in cap. Firmiter de ſumma Trinit. ex Concil. Florent. in decreto Eugenij, & ex Trident. ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo. Dixi veram, & ſenſibilem, quia fuerunt hæretici dicti Gnoſtici, vt refert Ireneus lib. 1. cōtra hæreſ. cap. 18. & Manichæi, vt refert D. P. Auguſtinus hæreſ. 46. & Seleuciani, vt idem P. Auguſtinus hæreſ. 59. & Paulliciani, vt Euthym. 2. par. Panopol. tit. 21. qui omnes hæretici ſolis verbis baptizabant, aſſerentes, illa verba Chriſti Domini, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua,* Metaphoricè fuiſſe dicta, quod probabant eiſdem verbis Chriſti, Ioan. cap. 4. *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Fuerunt etiam alij hæretici, nominati Iacobitæ, qui ſecundam hæreſim ſumpſerunt, ex verbis Matth. 3. vbi Io. Baptiſta de Chriſto ait. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*, Vnde dicti hæretici candenti ferro ad modum Crucis in fronte inſigebāt, & refert Prateolus verba Iacobitæ, & Sāder. lib. 7. de vſib. Monarch. hæreſ. 113. Sic etiam fuerunt alij hæretici dicti Flagellantes, qui ſeipſos virgis, ac nodoſis flagellis, in quibus aculei inſerti erant, verberabant; & hoc modo dicebant dari Baptiſmum ex quadam allegoria; ſcilicet, ex eo, quod Chriſtus aquam in vinū conuertit, vnde dicebant, aliquando in Eccleſia Baptiſmum aquæ eſſe commutandum in Baptiſmū ſanguinis; vt refert Caſtro verb. Baptiſ. hæreſ. 12. & Prateol. ver. Flagellantes.

7. Probatur tamen noſtra, & Catholica doctrina, & ſimul cōfutantur doctrinæ hæreticorū ex verbis Chriſti. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit;* & Matt. vlt. *Baptizantes eos in nomine patris, &c.* Actor. 8. vbi Philippus poſtquam Eunuchum cathechizauerat, ait Eunuchus. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Et Actor. 10. *Nunquid Aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt ſicut, & nos?* Eādem doctrinam tradunt omnes Patres, nec in hoc ambigendi eſt locus.

8. Eſt tamen notandum; per aquam excludi debere tria genera rerum, in quibus Baptiſmus confici non poteſt. Primò, reijciuntur liquores ab aqua diuerſi, vt Vinum album, Lac, Ciruiſia, Lacrymæ, Saliua, & ſimilia contra Lutherum aſſerentē valere Baptiſmum factum in Ceruiſia, Lacte, & alio liquore, in quo fieri poſſit balneum, vt Bellar. c. 2. de Baptiſ., & quod non poſsit cum ſudore, & lacrymis conſtat ex c. In quodam de celebrat. de Saliua ex c. Non apponas de Baptiſ. Secundò excluduntur liquores habentes eamdem denominationem, vt aqua ardens, aqua roſcacea, & alij liquores expreſsi ex arboribus, floribus, herbis, &c. quod intellige non ob-

Digitized by Google

obſtãte quolibet caſu neceſsitatis contra aliquos Doctores aliud aſſerentes apud Dian. *6*. p. tr. 7. Miſcell. reſol. 18. Tertiò reijciuntur aquæ artificiales, & diſtillatæ, quæ ſunt liquores eorum ſimplicium, qui diſtillantur; & etiam mixta quædam ex aqua diuerſa; niſi fortè quis aquam diſtillet, vel arte ſecernat à vino, vel alio, in quo erat admixta; nam in tali caſu eſſet apta materia iuxta Scot. Ledeſ. & communiter apud Henriq. lib. 2. c. *6*. §. 2. Dixi mixta quædam ex aqua diuerſa, vel alio, dummodo plus habeat de aliena ſubſtantia, quod ex ſpiſsitudine perſpicitur, vt aqua decoctionis carnium, ſi eſſet iam reſoluta in aquam, & plus haberet de aliena ſpecie, ſic etiam ex luto; licet ex luto exprimi poſſet aqua, & apta eſſet ad baptiſmum, vt D. Thom. q. *66*. ar. 4. ad 1. Item aqua permixta aliquo colore, odore, ſapore, caliditate &c. non impediret, quia confici poſſet ſacramentum, quod etiam dicitur de lixiuio, & aquis ſulfureorum balneorum, vt ibidem D. Thom.

9. Deinde aqua ex Sale reſoluta eſt ſufficiens materia Baptiſmi, quia Sal non eſt, niſi aqua ſalſa, & ſicut aqua ex niue, & gelu eſt vera materia Baptiſmi, quia nix, & gelu non eſt, niſi aqua congelata; ita etiam Sal non eſt, niſi aqua æſtiuo Sole gelata, igitur hæc erit etiam ſufficiens materia baptiſmi, vt Henriq. lib. 2. cap. *6*. nu. 1. Fernand. in exam. Theol. mor. par. 3. c. 2. §. 4. nu. 5. Tab. verb. Baptiſmus 4. nu. 8. & alij contra Coninch. de ſacram. q. *66*. ar. 4. dub. 1. nu. 22. Angelum ver. Baptiſmus 4. nu. 3. & Syluestrum eodem verb. 2. in fine, vbi aſſerit dictam aquam ex ſale non eſſe materiam aptam ad Baptiſmum, quia non videtur eiuſdẽ ſpeciei cum aqua elementari, quod meritò impugnatur à ſupradictis Doctoribus.

10. Aqua verò, quæ diſtillat ex vite, vel arbore aliqua, licet, fuerit æſtimata ſufficiens materia a Io: della Crux in direct. conſcien. par. 2. de ſacram. Bapt. q. 1. concluſ. 2. his verbis. *Aqua iſta debet eſſe ſimplex, & elementaris etiamſi ex arbore, aut glacie reſoluta*. Attamen cõmuniter reijcitur dicta opinio, & præcipuè à Coninch. ſupra cit. cõtrarium etiam docet Fernandez loc. cit. c. 11. §. 2. nu. 3. Filiucc. tom. 1. c. *6*. nu. 2. & alij, ratio eſt, quia ille humor non eſt aqua, ſed ſuccus; vnde non poteſt eſſe materia apta ad Baptiſmum.

11. Deinde; aqua, quæ colligitur ex vaporibus denſatis cum ex ore ollæ euaporantur, & in cooperculo affiguntur, eſt ſufficiens materia Baptiſmi, & ſimiliter aqua, quæ fluit ex parietibus, quia eſt vera aqua naturalis, licet, fiat ex vaporibus, quia eſſentialiter vapores aqua ſunt, ſicut aer humidus in aquam verſus, dicitur vera aqua naturalis, vt Fernand. loco proximè cit. Ex qua doctrina colligitur, etiam aquam ex rore factam eſſe ſufficientem materiam Baptiſmi, quia ros non eſt niſi humor aſcendens in aerem, & virtute Solis reſolutus in rorem, qui eſſentialiter nõ eſt, niſi aqua.

12. Dico quartò, materiam proximã ſacramenti Baptiſmi eſſe ablutionem corporis; ita communiter omnes Theologi, vt D. Thom. 3. q. *66*. art. 3. & 4. & in 4. diſt. 3. q. 1. art. 1. Scot. q. 3. Suar. diſp. 20. ſect. 2. Sumitur ex Paulo ad Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, & ex P. Auguſtino tract. 15. in Ioan. *Quid eſt Baptiſmus Chriſti? Lauacrum aquæ in verbo*; Probatur etiam ratione; nam aqua in vaſe non eſt ſacramẽtum; igitur ablutio cum ipſa aqua eſt materia proxima; quæ dũ ſucceſſiuè effunditur ad partes corporis, vel dũ corpus ſubintrat ipſam aquam prout naturaliter fieri poteſt, dicitur vera materia ſacramẽti, ſi adſit debita forma verborum; Vnde P. Auguſtinus tract. 80. in Io. *Quæ eſt tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat*.

13. Sed dubium eſt, quodnam genus ablutionis neceſſarium ſit ad Baptiſmum? nam duplex ablutionis genus ponit Suar. diſp. 20. ſect. 3. quorũ vnum ſit per aſperſionem, ſeu infuſionem, aliud per immerſionem in aqua, alij trinam ablutionem ponunt, ſcilicet, aſperſionis, infuſionis, & immerſionis; & in quolibet ex his modis, erit verus Baptiſmus; dubium tantũ, quod remanet explicandum eſt, an ſi Baptiſmus fiat per immerſionẽ, ſufficiat vna tantum immerſio, cui ſuccedat emerſio, vel debeat eſſe trina immerſio, quibus ſemper ſuccedat emerſio, vel an ſufficiat vna tan-

tum

tum immerſio; abſq; emerſione, vt eſſet, ſi quis aliquem proijceret in aquam, quod potiùs videretur dici ſuffocatio? & primò, quod requiratur eſsẽtialiter trina immerſio, ita videtur colligi ex canone 50. Apoſtolorum, vbi ſic habetur. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter non trinam merſionem vnius myſterij celebrat; ſed ſemel mergat in baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte; deponatur. Non enim dixit Dominus in morte mea baptizate; ſed euntes docete omnes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; & Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma*, ſubiungit D. Hieronym. Dialog. contra Luciferian. *Ter mergimur, vt Trinitatis vnum appareat ſacramentum*. Attamen dicendum eſt vnã tantum immerſionem ſufficere ad cõficiendũ ſacramentum, ſicut etiam ſufficit aſperſio, vel infuſio; hæc eſt certa, & cõmunis Theologorum ſentẽtia in 4. d. 3. & D. Tho. q. 66. art. 7. & 8. & ratio eſt, quia tantum ablutio inuenitur inſtituta à Chriſto Domino, nec aliud fuit ab Eccleſia definitum; hoc autẽ intelligitur quoad eſſentiam ſacramenti; quia circa ritum ſeruãdum ex præcepto, Vnuſquiſque tenetur ſeruare ritum ſuæ Eccleſiæ; vt D. Thom. art. 8. Turrecrem. cap. ſi quis de cõſecrat. d. 4. Suar. diſp. 20. ſect. 3. & communiter omnes.

14. Ad Apoſtolicum verò canonem reſpondetur ibi damnari errorem quorumdam, qui baptizabãt in nomine Chriſti mortui, & ideò vtebantur vna immerſione, ideò decretum fuit, vt Baptiſmus daretur in nomine Trinitatis, & tribus immerſionibus, neque Patres, qui memorant trinam immerſionem in Baptiſmo, aliud intellexerunt; ſed tantum conſuetudinem dicti temporis annuerunt.

15. Quoad aliam partem concluſionis, ſeu dubij, nempe vtrum vna immerſio ſine emerſione ſufficiens eſſet ad Baptiſmum? negatiuè multi reſpondẽt, licet, ex diuerſis rationibus: nam Scot. diſt. 5. ait ablutionem ordinari ad vitam, & non ad mortem; ſed talis proiectio eſſet ad mortem, & non ad vitam, igitur non eſſet ſacramentum. Alij dicunt de ratione ablutionis eſſe, vt immerſioni ſuccedat emerſio, cum materia Baptiſmi debeat repræſentare Chriſti paſſionem, & reſurrectionem; igitur neceſſe eſt, vt prius corpus immergatur, & poſtea emergatur, vt tenet Richar. diſt. 4. art. 4. caſu 2. Palud. d. 6. q. 1. art. 3. Sot. d. 3. q. vnica art. 8. circa finem, Syl̄ueſ. verb. Baptiſmus 4. §. 10. & Baptiſmus 5. §. 1. & alij; ſed re vera Scotus laborat in æquiuoco, & quoad hos Doctores, nõ videtur neceſſarium ad ablutionẽ, niſi vt aqua ſucceſſiuè tangat partes corporis, quamuis nulla emerſio daretur. Vnde puto dicendum dictam immerſionem, ſeu proiectionem eſſe ſufficientem ad Baptiſmum, dummodo, non moriatur puer, vel alius ante tactum aquæ, & dummodo adſit debita forma verborum, quamuis grauiter peccaret ſic baptizans, & irregularitatem contraheret propter homicidium: ita docet Suar. diſp. 20. ſect. 3. Filiuc. tom. 1. cap. 2. de materia Baptiſmi nu. 39. & ſeqq. ex Gabr. 4. d. 4. q. 2. ad 3. dub. 4. Maior. d. 4. q. 2. & ex alijs.

16. Et ſi aliter puero, vel baptizando morienti ſubueniri non poſſit, niſi dicta ſubmerſione, tunc vt refert Panorm. cap. Non vt apponeres de Baptiſ. accidiſſe ſuo tempore, poſſet vel fune in ciſterna ſuſpendi, & in aquam immitti, & extrahi, aut immitti aliqua veſtis, vel ſpongia, & expreſſione baptizari, quibus etiam deficientibus non eſt faciendum homicidium; ſed erit, ac ſi deficeret copia aquæ, vide Filiuc. loco cit. num. 41.

De Forma Baptiſmi. Cap. XII.

1 *Forma Baptiſmi eſt. Ego te Baptizo in nomine Patris, &c. & eſt de fide.*
2 *Reijciuntur aliqui hæreticorum errores.*
3 *Forma Baptiſmi mutari nõ poteſt, nec plures poſſunt vnum baptizare.*
4 *Particula ego, non eſt de eſſentia Baptiſmi, eſſet tamen veniale ſaltem illam omittere.*
5 *Actus baptizandi, per verbum baptizo, eſſentialiter eſt exprimendus, vel aliud verbum æquiualens.*
6 *Dicente baptizaris, vel baptizatur, aut baptizetur, non mutat eſſentialiter forma.*

7 Pet-

7 *Perſona baptizati per verbum te, eſſentialiter eſt exprimenda,*

8 *Non eſſentialiter mutaretur forma, ſi quis pluries, ſcilicet, in qualibet perſona Trinitatis repeteret Ego te baptizo.*

9 *Nec ſi quis pronunciet formam modo corrupto.*

10 *De eſſentia requiritur in Baptiſmo, inuocatio diſtincta perſonarum SS. Trinitatis.*

11 *Baptiſmus non conficitur ſi fiat in nomine Chriſti tantum.*

12 *In Baptiſmo eſſentialiter requiritur, vt dicatur in nomine, & non in nominibus.*

13 *Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, non poſſunt exprimi nominibus æquipollentibus.*

14 *Non eſſet Baptiſmus, ſi quis diceret, Baptizo te in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis.*

15 *Nec eſſet Baptiſmus addere nomen Beatæ Virginis, vel alterius Sancti, niſi fiat ad interceſſionem.*

16 *Reſpondetur, & probatur, Apoſtolos non Baptizaſſe in nomine Chriſti tantum.*

17 *In Baptiſmo ablutio, & forma verborum debent ſimul eſſe.*

18 *Qualibet quantitas aquæ, vt vna, vel duæ guttæ, non videntur ſufficere ad Baptiſmum ſecundum aliquos.*

1 FOrma Baptiſmi eſt; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; eſt concluſio certa, & de fide ex Concil. Florentino in decreto Eugenij, & Trid. ſeſſ. 7. can. 3. de Baptiſmo, & ratio eſt, quia ita fuit inſtituta a Chriſto Domino, & ſic præcepta ab Eccleſia, vt ex cap. 1. de Baptiſm. & ex multis cap. de conſecrat. d. 4. colligitur. Sunt autem dicta verba quoad ſubſtãtialem ſenſum, & non quoad illam materialem formam, & materialia verba, neceſſaria ad Baptiſmum, quia materialiter ſumpta dicta forma, poteſt accidentaliter mutari, & dummodo non mutetur ſubſtantialis ſenſus, ſemper erit Baptiſmus; ſic etiam Græci, licet, mutent materialia verba, dicendo. *Baptizetur N. ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, tamen quia retinent ſenſum dictorum verborum, de fide eſt, quod ſit verus Baptiſmus; nec mirum, quod Græci adhuc vtantur dicta forma, cum antiquiſſima ſit apud ipſos, & iuxta D. Thom. q. 66. art. 5. ad primum fuit introducta ad euitandum antiquorum errorem, qui virtutem Baptiſmi baptizantibus tribuebant, dicendo Ego ſum Pauli, & ego Cæphæ.

2. Ex hac doctrina duo errores hęreticorum reijciũtur, & primus eſt aliquorũ, qui vocantur Brentij aſſerentes dictam formam nõ eſſe ſufficientem ad Baptiſmũ, niſi præcedat Catechiſmus, ſeu inſtructio baptizãtis, & hoc ob verba Domini Matt. vlt. qui antequam dixit, *Baptizantes eos in nomine patris*, &c. pręmiſit; *docete omnes gentes*; ſecundus error tribui poteſt Gręcis vt colligitur ex cap. vlt. de Baptiſ. & ex Concil. Lateran. ſub Innoc. III. cap. 4. & dicti aſſerebant, non eſſe exprimendam perſonam baptizantis, nec actum baptizandi, ne virtus Baptiſmi videatur procedere à baptizante. Ad hos duos extremos errores, faciliter reſponderi poteſt. Nam verba concionatoria differũt à verbis conſecratorijs, & dum Chriſtus dixit, *Docete omnes gentes*, hoc dixit Apoſtolis tamquam Concionatoribus, at dum ſubiunxit, *Baptizantes eos*, &c. hoc dixit conferendo eis poteſtatem baptizandi, & conſecrandi homines ad ipſum Chriſtum: ex quo patet reſponſio ad ſecundum errorem, cum virtus Baptiſmi procedat à Chriſto principaliter, à Miniſtro verò tamquam ab inſtrumento externo.

3. Vnde D. Thom. q. 66. ar. 5. in reſponſione ad 4. ait, ſupradictam formam Chriſti non poſſe mutari, & ſi duo, vel plures vellẽt vnum baptizare, non conficeretur ſacramentum, quia actus multiplicatur ſecũdum multiplicationem agentium; nec ſimiliter eſſet ſacramentum, ſi prædicta forma eſſet pronũciata ab homine carẽte manibus, & à muto fieret effuſio aquę; & idem dicitur de eo, qui vellet ſe ipſum baptizare, poteſt tamen aliquis in caſu neceſſitatis plures ſimul baptizare, dicendo vos, & non te, quia non mutaretur forma, cum idem ſit vos; quod te, & te; ſecùs autem eſſet ſi diceretur nos te baptizamus, quia nos idem eſt ac ego, & tu, & ſic mutaretur forma, & non eſſet Baptiſmus, ratione ve-

ne verò dignitates, vt ſolét loqui Epiſcopi, & ſimiles, poſſet quis dicere nos, &c.

4. Imò ſi non exprimatur perſona baptixans per verbum Ego, vt Græci, non ex hoc ſubſtantialiter mutatur forma, & erit verus baptiſmus; peccaret tamen quis dictum verbum omittés ex precepto Eccleſiæ, vel ſaltem ex vſu, & ſecũdum aliquos eſſet mortale, maximè ſi Baptiſmus ſolemniter fieret; At probabiliùs videtur dicendum non eſſe, niſi veniale, & idem etiam dicitur de vltimo verbo, Amen. Henriq. lib. 2. cap. 8. nu. 6. Coninch. q. 46. ar. 4. dub. 1. nu. 45. & alij.

5. Eſt tamen eſſentiale, vt exprimatur actus baptizandi per illud verbum baptizo, & eſt de fide, vt ſumitur ex citatis Concilijs, & præcipuè in Concil. Florent. in decreto Eugenij ſic habetur. *Si exprimitur actus, qui per ipſam exercetur miniſtrum; cum SS. Trinitatis inuocatione perficitur ſacramentum.* Et Alexander III. in cap. 1. extra de Baptiſ. ſic ait: *Si quis puerum in aqua immerſerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & non dixerit, Ego te baptizo, non eſt puer baptizatus;* Non eſt tamen de eſſentia, vt quis dicat baptizo, ſed poteſt vti alio verbo ſynonimo, vel æquiualente, ita vt verè ſignificet actum abluendi, ſeu lauandi, vt ſi quis diceret abluo, lauo, intingo, aſpergo, infundo, mergo, & ſimile, non diceretur eſſentialiter mutata forma; ſed tantum accidentaliter; grauiter tamen ſic baptizans peccaret, quia nullus debet diſcedere à ritu ſuæ Eccleſiæ. Vnde ſi quis vteretur forma Græca in Eccleſia Latina, licet verum eſſet ſacramentũ, vt cõtra aliquos docet Suar. diſp. 21. ſect. 1. concluſ. 2. grauiter tamen peccaret ex cauſa dicta.

6. Item, neque eſſentialiter mutaretur forma, ſi verbũ indicatiuum actiuum, diceretur paſſiuum, vel per modum imperatiui, vt ſi quis dicat baptizaris, vel baptizatur, aut baptizetur, quia omnes hi modi ſignificant actum exercitum; ſecùs autem eſſet, ſi quis diceret. Baptiza Petrũ in nomine Patris, &c. quia dicta uerba ſignificant actionem alteri imperatam, ſeu vt exercendam, ſed non actu exercitam, & ideò non eſſet ſacramentum.

7. Eſt tamen de eſſentia, ut exprimatur perſona baptizati per illud verbum te, vt ſumitur ex verbis Chriſti *Baptizantes eos*, aliter enim actus Baptiſmi eſſet indeterminatus, & non completus, & ex conſequenti non eſſet ſacramentum, vt S. Th. q. 66. art. 5. ad 4. ratione autem dignitatis baptizati, poſſet quis dicere vos, vel veſtram maieſtatem, dignitatem, &c. quia hæc mutatio eſt accidentalis dummodo ſufficienter deſignetur perſona, vt idem D. Thom. q. 67. art. 6. ad 2.

8. Nec ſimiliter eſſet mutatio ſubſtantialis, & eſſet verus Baptiſmus, ſi quis diceret ego te baptizo in nomine Patris, ego te in nomine Filij baptizo, ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti, vt Filiuc. tract. 2. de ſacram. c. 3. nu. 50. ſic etiam ſi quis diceret in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ego te baptizo, vel ſi quis dicat, ego te baptizo in nomine Filij, & Patris, & Spiritus Sancti, aut in nomine Patris, Chriſti, & Spiritus: ita communiter omnes, licet grauiter peccaret ſic baptizans.

9. Item nec ſubſtantialiter mutabitur forma, ſi quis pronunciet verba modo corrupto, vt ego te baptizo in nomine Patris, Filia, & Spiritu Sancta. Ex cap. Retulerunt d. 4. nec ſimiliter error perſonæ, vel ſexus impedit ſacramẽtum, niſi adſit contraria intentio vide Bonac. diſp. 2. q. 2. pu. 5. nu. 27. & 28.

10. Deinde in ſacramento baptiſmi eſt omninò de eſſentia inuocatio diſtincta perſonarum ſanctiſſimę Trinitatis, ſcilicet, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & ratio præcipua ſumitur ex verbis Chriſti. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vt D. Thom. q. 66. ar. 6. Suar. diſp. 21. ſect. 3. concluſ. 1. confirmatur dicta cõcluſio ex Clem. Papa III. lib. 7. conſtit. cap. 23. vbi ait. *Baptizare debes quemadmodum Dominus præcipit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti*, Patris, qui miſit; Chriſti, qui venit; Paracleti, qui teſtimonium dedit; & in cap. Firmiter habetur de ſumma Trin. Baptiſmũ conſecrari inuocatione indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſãcti, & in Cõcil. Florent. in decreto Eugenij prædicta forma præſcribitur.

11. Neque valet ſacramentum, ſi quis dicat in nomine Chriſti tantum, vt patet

ex c.

ex c. Si vera de conſecr. d.4. vbi Pelagius Papa ait, *Baptiſmum datum in nomine Domini eſſe nullum*, & in cap. Multi ſunt ead. d. idem aſſerit de Baptiſmo dato in nomine Chriſti tantum, & Zach. Papa cap. in Synodo, ead. d. expreſsè docet Baptiſmum non perfici, niſi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Idem etiam ſumitur communiter ex Patribus; nam Beda lib. var. quæſt. q. 14. ait. *Notandum, ſi quis baptiZans dicat, baptizo te in Chriſto Ieſu, & nō dicat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sācti, ſicut Dominus inſtituit non eſt verus Baptiſmus*. Et ratio eſt, quia in Baptiſmo fit expreſſa Trinitatis profeſſio, quæ non intelligitur fieri, ſi Baptiſmus fiat in nomine Chriſti tantum, & Damaſc. lib.4. de fide ſimiliter ait. *Qui in Sanctam Trinitatem minimè baptizati ſunt, ij denuò baptizentur, neceſſe eſt, etſi enim Apoſtolus his verbis vtitur, in Chriſtum, & in mortem ipſius baptiZati ſumus, non tamen hoc vult, baptiſmi formulam, his verbis conſtare debere, verum hoc demum Baptiſmum mortis Chriſti figuram præferre*; Vnde concludendum eſt, veram eſſe noſtram doctrinam, nempe in Baptiſmo neceſſariam eſſe inuocationem diſtinctam perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis: & ad hanc confirmationem facit id, quod narrat Niceph. lib. 10. hiſtor. cap. 35. ſcilicet, quemdam Epiſcopum Arianum nomine Deutertium volentem baptizare quemdā ſub hac forma; ideſt. In nomine Patris per Filium in Spiritu Sācto, ſtatim aquam, quæ erat parata pro Baptiſmo, miraculoſè, repentè diſparuiſſe in deteſtationem hæreticæ prauitatis.

12. Addo ſimiliter, non ſolum de eſſentia Baptiſmi eſſe expreſſionē triū perſonarū, ſed etiam vt in illis ſignificetur vnitas naturæ per illam particulam in nomine vt D. Thom. q. 66. ar. 6. & communiter omnes cum Magiſtro 4. d. 3. & Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacr. par. 6. c. 2. vt refert, & ſequitur Suar. diſp. 21. ſect. 3. Vnde qui omitteret dictam particulam, vel mutaret dicendo, in nominibus, non conficeret ſacramentum, vt ſumitur ex P. Auguſtino lib. 3. cōtra Maxim. cap. 32. vbi ait. *In nomine, nō in nominibus, quia hi tres vnum ſunt, & hi tres vnus eſt Deus*: Et D. Ambroſ. lib. 2. de ſacram. c. 7. ſimiliter ait. *In vnù nomine baptiZare nos iuſſit, dicens baptiZantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sācti. Noli mirari, quia dixi vnum nomen, vbi eſt vna ſubſtantia, vna diuinitas, vna Maieſtas*; Conficeret tamen ſacramētum, ſi quis diceret ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti quia idem nomē, licet pluries nominetur, ſemper tamen vnum eſt.

13. Sed dubium eſt, vtrum hæ tres perſonæ validè poſſint exprimi alijs nominibus æquipollentibus; v.g. Genitoris, Geniti, & ſpirati, ſeu procedentis, & quamuis Caiet. q. 66. ar. 6. aſſerat partem affirmatiuam ex Gloſsa in cap. multi de conſecr. diſtin. 4. communiter tamen dicta Caiet. opinio reprobatur, & cōtrarium eſt omninò tenendum, nempe, Baptiſmum confici non poſſe per dicta nomina equipollentia, vt docet D. Thom. q. 66. art. 5. ad 7. & in 4. diſt. 3. ar. 2. quæſtiunc. 2. ad 5. Bonauent. Scot. Richar. Palud. & alij cum Suar. diſt. 21. ſect. 4. & ratio eſt, quia, vt benè ait Scot. q. 2. ar. 3. nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti ſignificari proprias perſonarū proprietates, atq; adeò perſonas ipſas, nomine verò genitoris etc. ſignificari actus notionales, non verò perſonas, ſed connotare illas; alias multas rationes apud Suar. videre quis poterit; Vnde nullo modo poteſt quis vti ſententia Caietani, quæ etiamſi probabilis eſſet, adhuc tamen practicè non eſt recedendum à prima ſententia, quia ſaltem peccatum mortale eſſet propter verba Chriſti, et conſuetudinem Eccleſiæ; ſic etiam propter ſcandalum, et periculum, in quo quis ſe immergeret; nec ſimiliter eſſet Baptiſmus, ſi quis diceret ego te baptizo in nomine Patris, Ieſu, et Spiritus Sācti, quia non explicatur ſecunda perſona ſanctiſsimæ Trinitatis.

14. Nec ſimiliter eſſet Baptiſmus, ſi quis diceret, Baptizo te in nomine Trinitatis, vel in nomine Trini, et vnius, vel in nomine trium perſonarum, aut in nomine primæ, ſecundæ, et tertiæ perſonæ; nec ſi quis dicat in nomine omnipotentis, ſapientis, et doni, ſeu flaminis; et ratio eſt, quia talis inuocatio Trinitatis eſt valde obſcura, et aliena à communi vſu fidelium;

lium; vel quia, vt ait D. Thom. in Baptiſmo ſicut determinata eſt ex parte materiæ aqua, ità ex parte formę determinatæ ſunt illæ voces, et ſaltem vt ait Filiucc. tr. 2. c. 3. nu. 59. et 60. in fine. Talis ſic baptizatus eſſet rebaptizandus ſub conditione, cum eſſet valde dubium ſacramentum.

15. Sic etiam, nec eſſet Baptiſmus, ſi quis adderet formæ nomen Beatæ Mariæ Virginis, aut alterius Sancti, vel nomen S. Crucis cum intentione dandi Baptiſmum, etiam ſub his nominibus, ſecùs autem ſi ad deuotionem, & interceſſionem dicta nomina inuocarentur, ex cap. Si non te de conſecr. d. 4. vt Henriq. lib. 2. cap. 8. num. 2. Scot. d. 1. ſect. art. 8. & communiter omnes.

16. Neque dicas, in Actibus Apoſtolor. 8. ſignificari Apoſtolos baptizaſſe tantū in nomine Chriſti. Nam reſpōdet D. Tho. q. 66. art. 6. ad primum, id fuiſſe tunc permiſſum, vt nomen Chriſti commendabile redderetur gentibus; vel (quod eſt meliùs) dicendum eſt nunquam fuiſſe datum Baptiſmum in nomine Chriſti tantum, ſed in nomine Chriſti cum adiuncto, ſcilicet, Patris, & Filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri, & Spiritus Sancti; quod ſufficienter ſumitur ex verbis Damaſceni à nobis in num. 11. relatis, & ita intellexerunt multi patres, vt videri poteſt apud Bellarm. cap. 3. de Baptiſmo, vbi ſimiliter notantur verba Cypriani in Epiſt. 73. ad Iubaianum, ſcilicet; *Ieſu Chriſti mentionem facit Petrus non quaſi pater omitteretur; ſed vt patri quoque filius adiungeretur*; Vnde concludendum eſt, Baptiſmum nunquam fuiſſe datū, nec dari poſſe, niſi ſub præſcripta forma verborū, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

17. Sed quæritur, vtrū in Baptiſmo, ablutio, & forma debeant eſſe ſimul? & affirmatiuè reſpondet Scot. in 4. d. 6. q. 2. art. 2. Richar. d. 5. q. 2. art. 4. Caiet. tom. 1. opuſcul. tr. 26. de collat. Ordinis, Nauar. cap. 23. num. 7. & alij, & ratio eſt, quia verba in ſacramentis id efficiunt, quod ſignificant; ſed ſi verba nō concurrerent ſimul cum forma, falſa eſſet enunciatio verborum, ergo nihil efficerent, Alij autem negatiuè reſpondent, & aſſerunt ſufficere, vt moraliter ſint ſimul ablutio, & forma verborū, ita vt ſi finita ablutione quis ſtatim proferat formam, verè conficiat ſacramentum; Hāc opinionem tenet Henriq. lib. 1. de Sacram. in genere, cap. 9. num. 10. & & Diana cum alijs de Sacram. in genere, reſol. 6. & idem aſſerit de Sacramento Ordinis, & Extremæ Vnctionis, at non eſt recedendum à prima opinione tanquam ſecuriori, & certiori, & ab vniuerſali Eccleſia amplexa.

18. Secūdò etiam quæritur, quænam quantitas aquæ requiratur ad hoc ſacramentum, vbi reſpondent Henriq. lib. 2. cap. 2. num. 4. Vaſq. in 3. par. tom. 2. diſp. 245. & cap. 4. num. 32. & Filiuc. tom. 1. de Sacramento Baptiſmi cap. 2. & alij; ſufficere minimam quantitatem, dummodo attingat corpus, & ſucceſſiuè fluat per eius partes; imò aſſerūt, verum eſſe baptiſmum quemdam factum à quadam muliere, quæ baptizauit infantē morientem digito aqua madefacto; Alij tamen negant ſufficere vnam, vel duas tantum guttas, vt Bonac. de Sacram. diſp. 2. q. 2. pun. 3. num. 8. Reginal. tom. 2. lib. 27. cap. 3. num. 15. Zambranus in deciſ. caſuum occurrent. temp. mortis, cap. n. dub. 4. qui citat Valent. Suar. & alios, & hæc ſententia licet ſit ſecurior, & ſequenda, prima tamen etiam probabilis eſt.

Quotuplex ſit Baptiſmus, & qui eius Miniſter. Cap. XIII.

1 *Baptiſmus triplex eſt, aquæ, flaminis, & ſanguinis.*

2 *Baptiſmus, vt Sacramentum nouæ legis, vnus eſt, & eſt de fide.*

3 *Baptiſmus iterari non poteſt, & eſt de fide.*

4 *Miniſter baptiſmi duplex eſt, neceſſitatis, & officij.*

5 *Miniſter baptiſmi vi ordinis, non eſt niſi Epiſcopus, & Sacerdos.*

6 *Miniſter iuriſdictionis in baptiſmo eſt Parochus, & ideò peccaret mortaliter ſi alius Sacerdos ſe proponeret proprio Parocho, ſicut Clericus ſi ſe proponeret Sacerdoti,*

7 *Mu-*

7 *Mulier poteſt baptizare præſente viro excommunicato: vide etiam num. 4.*

8 *Miniſter ordinis, & iuriſdictionis, poteſt eſſe tantum Sacerdos, non autem Diaconus.*

9 *Plures ſimul non poſſunt vnum baptizare.*

10 *Si plures integrè ſimul darent baptiſmum, verus eſſet baptiſmus.*

11 *In Baptiſmo requiritur, qui lenet baptizatum, ſiue Patrinus.*

12 *Patrinus non requiritur in baptiſmo collato tempore neceſſitatis.*

13 *In Baptiſmo non poſſunt eſſe plures Patrini, ſed tantum vnus, & vna.*

14 *Patrini contrahunt cognationem ſpiritualem cum baptizato, & cum Patre, & Matre dicti baptizati; & ſimiliter baptizans contrahit cum eiſdem.*

15 *Qui ex errore tenet filium Petri, putans filium Pauli, probabilius videtur non contrahere.*

16 *Pater ſuſcipiens filium ex ſuo coniuge, videtur non contrahere impedimentum non petendi debitum, licet ſcienter id agas.*

1 BAptiſmus triplex eſt iuxta D. Tho. q.66. art. 11. & 12. Magiſtrum ſent. & alios Doctores in 4. d.4. nempe, aquæ, ſanguinis, & flaminis, baptiſmus aquæ intelligitur ille, de quo iam diximus; baptiſmus ſanguinis intelligitur martyrium, & baptiſmus flaminis eſt pœnitētia, ſeu contritio habita cum deſiderio habendi baptiſmum ex impulſu Spiritus Sācti, & maior omnium eſt baptiſmus ſanguinis, vt ſumit D. Thom. art. 12. ex D. P. Auguſtino ad Fortunatum, vbi ait. *Baptizatus confitetur fidem coram Sacerdote, Martyr coram perſecutore, ille poſt confeſſionem aſpergitur aqua, hic ſanguine, ille per impoſitionem manus Pontificis recipit Spiritum Sanctū, hic templū efficitur Spiritus Sancti*; & D. Tho. ſic ait. *Paſſio Chriſti operatur quidem in baptiſmo aquæ per quamdam figuralem repræſentationem, in baptiſmo autem flaminis, vel pœnitētiæ per quādam effectionem; ſed in baptiſmo ſanguinis per imitationem operis.*

2. Attamen certum eſt, Baptiſmum nouæ legis vnicū eſſe in eſſentia, & ſpecie vltima, eſt communis Theologorum ſententia ex D. Paul. ad Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma*; vt Suar. diſp. 22. ſect. 1. & licet, martyrium, vel contritio cum deſiderio habendi baptiſmum, vocentur etiam baptiſma, hoc non eſt niſi, per quamdam analogiam, nam ſicut aqua baptiſmi abluit animam, ita etiam ſanguis effuſus, & idem etiam dicitur de baptiſmo flaminis; ſed diuerſo modo abluit animam baptiſmus aquæ, quā martyrium, vel contritio; aqua enim id habet ex opere operato, & ex Chriſti inſtitutione; at martyriū, vel contritio id tātum habent ex quodam Chriſti priuilegio, vt colligitur ex verbis ipſius Marci 10. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Deinde, tantum baptiſmus aquæ eſt ſacramentum, & iterari non poteſt propter characterem, quod non habēt baptiſmus ſanguinis, vel flaminis, cum nō ſint ſacramenta, & iterari poſſint, quia non imprimunt characterem.

3. Et quod non poſſit iterari baptiſmus aquæ, eſt concluſio de fide, vt probatur à D. Thom. dicta q.66. art. 9. ex Paul. ad Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma*; & idem ſumitur ex Leon. Papa Epiſt. 37. ad Leonem Epiſcopum Rauennatem cap. 1. his verbis. *Scimus inexpiabile eſſe facinus, quoties cogitur aliquis lauacrum, quod regenerandis ſemel tributum eſt, bis ſubire, Apoſtolica reclamante doctrina, quæ vnam prædicat in Trinitate Deitatem, vnam in fide confeſſionem, vnum in baptiſmate ſacramentum*, eamdem doctrinam tradunt omnes Patres, vt Suar. fuſiſſimè refert diſp. 22. ſect. 2.

4. Quoad miniſtrum ſacramenti baptiſmi, dico duplicem miniſtrum poſſe conſiderari reſpectu baptiſmi, nempe, miniſtrum ſufficientem, vel miniſtrum ex officio. Miniſter ſufficiens dicitur ille, qui poteſt verba proferre, & abluere, ſiue maſculus, ſiue fœmina, ſiue fidelis, ſiue infidelis, ſiue baptizatus, ſiue non baptizatus, vt D. Thom. q.67. art. 3. 4. & 5. & colligitur ex Concil. Florent. in decreto Eugenij; & antea fuit definitum in cap. in Neceſſ. de conſecr. d.4. & colligitur etiam ex Actib. Apoſtolorum cap. 2. 9. & 10. qui Apoſtoli fratribus committebant nō ordinatis miniſte-

niſterium baptiſmi, quando ipſi non poterant; & ratio eſt, quia baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis; & probatur etiam ex pluribus locis ſacræ ſcripturæ, & ex pluribus Pontificibus, vt videri poteſt apud D. Thom. in citatis articulis; Sed aduertendum eſt id, quod dictus Doctor ait in art.4. ſcilicet, mulierem non debere baptizare in præſentia viri, nec laicum præſente Clerico, nec Clericum pręſente Sacerdote; ſed Sacerdos poterit præſente Epiſcopo, quia baptizare propriè pertinet ad Sacerdotem.

5. Sed contra, igitur Diaconus poterit baptizare præſente Sacerdote, quia ad officium Diaconi pertinet baptizare, & prædicare; nam in Pontificali Romano in ordinatione Diaconi dicitur, ad Diaconum pertinere baptizare, et prædicare: tamen reſpondetur, Diaconum ex vi ſuæ ordinationis conſtitui tantum miniſtrum aptum, vt eligi poſſit ad baptiſmum; ſed non, vt ſit proprius miniſter, cum hoc tantum ſpectet ad Sacerdotem, vt docet D. Thom. q.67. art.1. et 2. et colligitur ex vſu Eccleſiæ, et præcipuè ex Concil. Florent. vbi dicitur. *Miniſter huius ſacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*; quod intelligitur de poteſtate ordinis, in qua ſimilis eſt Epiſcopo, et quoad iuriſdictionem ſubditur Epiſcopo. Colligitur etiam dicta doctrina ex Clem. Rom. lib.3. Conſtit. cap.11. vbi ait. *Sed neque reliquos Clericos baptizare permittimus; ſed ſolos Epiſcopos, & Presbyteros, miniſtrantibus illis Diaconis*, & lib.8. cap. 52. *Nam nec Diacono fas eſt offerre ſacrificium, vel baptizare*; idem aſſerunt communiter Patres, & Suar. diſp.23. ſect. 2. Verum ex rationabili cauſa poteſt committi Diacono, vt ſolemniter baptizet; et ſi Sacerdos fuerit abſens poterit ipſe ſuo iure miniſterium vſurpare, vt Gloſs. in cap. Diaconos verb. Neceſſitas 93. diſt. quod non poteſt committi inferioribus ob quamlibet neceſsitatem, vide Suar. loco cit.

6. Ex dicta reſponſione remanet etiã declaratum, quis nam ſit miniſter ex officio, huius ſacramenti Baptiſmi, et eſt Sacerdos ratione ordinis; ſed ratione iuriſdictionis eſt Parochus, vt infra. Vnde ſi Sacerdos ſe pręponeret proprio Parocho, mortaliter peccaret, quod idem eſt dicendum de quolibet alio Clerico, qui ſe proponeret Sacerdoti; ſecùs ſi ſe proponeret Diacono, quia licet Scot. in 4. d.4. art.2. aſſerat talem Clericum peccare pluſquam venialiter, non tamen puto peccare mortaliter, imò alij etiam tale peccatum negant, vt teſtatur Filiuc. cap.4. de Sacram. Baptiſmi; Vnde ſupradictus ordo licet, ſit ſeruandus, non tamen eſſet mortale, niſi in caſibus, in quibus diximus eſſe mortale?

7. Et nota, quod licet Hêriq. cap.28. §. 3. aſſerat mulierem non poſſe baptizare pręſente viro, quamuis excommunicato; Contrarium tamen docet Nauar. cap. 22. num. 7. quod probabiliùs videtur, licet nec in hoc poſſit adeſſe culpa mortalis.

8. Deinde miniſter non ſolum ratione ordinis, ſed etiam iuriſdictionis, eſt Parochus qui ſimul ſit Sacerdos, vt D. Tho. q.67. art.2. & alij cum Suar. diſp.23. ſect. 2. quod probatur ex cap. conſtat de conſecr. d.4. et ex Iſidor. de offic. cap.24. vbi ait. *Conſtat baptiſmum ſolis Sacerdotibus eſſe traditum*; Neque dicas, quod à Chriſto Domino tam officium prædicandi, quam baptizandi, fuerunt ſimul conceſſa Matth. cap. vlt. Sed prædicare pertinet ad officium Diaconi, ergo etiam baptizare, et ex conſequenti Parochus poterit eſſe Diaconus, et baptizare. Nam reſpondet D. Tho. ad Diaconum pertinere recitare Euangelium in Eccleſia, ac etiam ipſum prædicare per modũ cathechizandi, vnde Dionyſ. cap.3. de Eccl. hierar. ait. *Ad Diaconum pertinet officium ſuper immundos*; Docere autem; ideſt exponere Euangelium pertinet ad Epiſcopum, cuius actus eſt perficere iuxta eumdem Dionyſ. cap. 5. perficere autem idm eſt, ac docere, vnde nõ ſequitur, quod ad Diaconum pertineat baptizare, ſed tãtum vi ordinis redditur aptus, vt ex delegatione poſſit baptizare, vt diximus ſupra nu.5. circa fin. et idem D. Tho. art.2. in reſponſione ad primum, ait. Officium docendi, et baptizandi Dominus Apoſtolis iniunxit, quorum vices gerunt Epiſcopi, aliter tamen, et aliter; nam officium docẽdi commiſit eis Chriſtus, vt ipſi per

ſi per

ſi per ſe illud exercerent, tanquam principaliſsimum, ideò ipſi Apoſtoli dicebant; *Non eſt opus, nos relinquere Dei verbum, & miniſtrare menſis*. Officium autem baptizandi commiſit Apoſtolis per alios exercendum, iuxta Apoſt. 1. Corinth. 1. *Non miſit me Chriſtus baptiZare; ſed Euangeli Zare*, et hoc ideò, quia in baptizando nihil operatur meritum, aut ſapientia miniſtri, ſicut in docendo, in cuius ſignum eſt, quod nec ipſe Dominus baptizauerit; ſed diſcipuli eius, vt dicitur Ioan. 4. hæc D. Tho. concludendum eſt igitur, quod proprius Sacerdos, ſcilicet Parochus, tantum poſſit baptizare; & qui alterius iuriſdictionem in hoc vſurparet, peccaret mortaliter, & ſi eſſet Monachus maiori ratione, propter prohibitionem in cap. placuit; imò prædicti Monaci excommunicantur in Clement. 1. de priuileg. ſi adminiſtrarent ſacramenta Euchariſtiæ, Extremæ Vnctionis, & ſolemnis Matrimonij.

9. Eſt hic notandum; quod licet, plures non poſſint vnum baptizare, vt ſupra diximus cap. anteced. num. 3. hoc tamen eſt intelligendum quando partialiter vellent concurrere ad baptiſmum, dicendo v. g. nos te baptizamus, vel ſi vnus proferret formam, & alter effunderet aquam, & ratio prima, quā aſſignat D. Tho. q. 67. art. 6. eſt, quia miniſter baptiſmi debet repræſentare perſonam Chriſti, & plures nō poſſunt vnam perſonam repræſentare, & ideò nec erit baptiſmus, nec audiendus eſt Durandus, qui aſſerit, principaliorem cauſam Baptiſmi eſſe Trinitatem, ergo ſicut in principali cauſa ſunt tres perſonæ, ita poſſunt eſſe tres adminiſtrantes baptiſmū; Sed reſpondetur, Trinitatem non operari ad baptiſmum, quatenus Trinitas eſt, ſed quatenus vnus Deus eſt, nec miniſter gerit perſonas Trinitatis, ſed perſonā Chriſti, qui vnus eſt; ita communiter omnes, vt Alex. Alenſ. Bonauent. Scot. Sot. Palud. Gabr. cum Suar. diſp. 23. ſect. 3.

10. At ſi plures ſimul aliquem baptizarēt, ita vt omnes integrè operarentur proferendo formam, & lauando, eſſet verus baptiſmus, vt idem D. Thom. loco cit. & vnuſquiſque deberet dicere, Ego te baptizo; vel ſi quilibet diceret nos, deberet intelligere ſuam perſonam ſingularem, quia ſic eſt baptiſmus, vt Tolet. lib. 2. cap. 20. num. 20. & Suar. loco cit. & ratio eſt, quia in tali caſu vnuſquiſq; eſt per ſe cauſa ſufficiens, & omnes baptizarent, ſi omnes in eodem inſtanti finirent formā verborum: ſin autem, illi, vel ille, qui ſimul finirent, vel primò finiret.

11. Præter miniſtrum, requiritur etiā in baptiſmo aliquis, qui leuet baptizatum de ſacro fonte; probatur à D. Thom. q. 67. art. 7. ex Dion. cap. 7. de Eccleſ. hierar. vbi ait. *Diuinis noſtris Ducibus* (ſcilicet) *Apoſtolis ad mentem venit, & viſum eſt ſuſcipere infantes ſecundum iſtum ſanctū modum, quod naturales pueri parentes tradant puerum cuidam docto in diuinis pedagogo, & reliquum ſub ipſo puer ageret, ſicut ſub diuino patre, & ſaluationis ſancto ſuſceptore.* Vnde dicti tenentes obligantur ad inſtruēdum infantem; quod probat idem Doctor. art. 8. ex P. Auguſtino in quodam ſerm. Paſchal. vbi ait: *Vos ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in batiſmate ſuſcepiſtis, moneo, vt vos cognoſcatis fideiuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere.* Monachus autē non poteſt tenere ad baptiſmum ex cap. non licet de conſecr. d. 4.

12. In baptiſmo autem priuato collato tempore neceſſitatis, nō requiritur, qui leuet baptizatum; quia in tali caſu nullum adeſt præceptum Eccleſiæ, vt Scot. in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1. Henriq. lib. 2. cap. 8. & alij; tamen ſi aliquis talem infantem ex tali propoſito teneret, contraheret ſpiritualem obligationem iuxta Nauar. cap. 22. num. 40. quamuis Sanchez etiam probabiliter contrarium doceat de Matrim. to. 2. lib. 7. diſp. 62. num. 15. Eſt etiam hoc notandum probabile eſſe, non eſſe improbandum conſuetudinem, ſecundum quam in quibuſdam locis Catholici Patrini exiſtunt filijs hæreticorum, baptizante illos miniſtro heretico in forma Sāctiſſimæ Trinitatis, ita Layman. in Theolog. moral. lib. 5. tract. 2. cap. 89. num. 6. Sed in probandam eſſe dictá conſuetudinē docet Azor. par. 1. lib. 8. cap. 11. q. 9. quod probabilius eſt tenendum, cum in nullo debeant Catholici cum hæreticis communicare.

13. Vtrum autē debeat eſſe tantum

vnus

vnus, qui leuet baptizatum? Reſpondetur iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. tenentem ad baptiſmum, vnum debere eſſe, vel vnum, & vnam; Vnde duo viri, vel duæ fœminæ non poſſunt tenere ad baptiſmum; quod ſi duo viri, vel duæ fœminæ teneant, ille, vel illa tantum contrahet cognationem qui, vel quæ fuerit deſignata per eos, ad quos ſpectat, & per Parochum fuerit admiſſus, vel admiſſa, & ſi fuerit deſignatus vnus, & vna, illi tãtum contrahunt, & non alij, cum non ſint legitimi ſuſceptores, & ſi per errorem, & ignorãtiam fuerint plures deſignati, tunc vnus, ſcilicet primus, & vna erunt legitimi ſuſceptores, vel ſi omnes ſimul infantem tenuerint, nullus eorum erit legitimus ſuſceptor, & ex conſequenti, nullus contrahet cognationem, vt Suar. in comment. ad art. 8. D. Thom. q. 67.

14. Deinde, cum tribus tantum, ſuſceptores contrahunt cognationem ſpiritualem, quæ impedit, & dirimit Matrimonium, nempe cũ baptizato, & cum matre, & patre baptizati; inter tenentes autem nulla contrahitur cognatio, & ideo tenentes poſſunt eſſe maritus, & vxor, cum ita ſit vſu receptum, nam antea in c. quod autem 3. q. 4. erat prohibitum; contrahitur etiam cognatio inter baptizãtem, & baptizatum, ac patrem, & matrem ipſius baptizati vt Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 2. de refor.

15. Sed quæritur vtrũ contrahat hãc affinitatem, qui per errorem leuat filium Petri, putans leuare filium Pauli? & negatiuè reſpondet Sanchez de matrim. to. 2. lib. 7. diſp. 58. nu. 7. ex c. 2. de cognat. ſpir. ita Abb. ibi num. 4. & Alexander de Neuo nu. 6. qui aſſerunt, quod requiratur ſcientia, & animus ad contrahendam hanc cognationem; ſed contraria opinio verior putatur à Pontio de Matr. lib. 8. c. 39. nu. 9. & ratio eſt, quia error ille non impedit fideiuſſoris, & Patris ſpiritualis officium, vnde nec affinitatem ſpirituale impediet. Sequitur Dian. tr. 4. de ſacr. reſol. 16. re tamen vera, prima opinio firmiorem rationem affert, & ideo illam probabiliorem eſſe iudico.

16. Secundò etiam quæritur, vtrum pater ſuſcipiens filium ex ſuo coniuge, cõtrahat impedimentum, itaut non poſſit debitũ petere? licet, teneatur reddere, quia peccatum vnius, non debet eſſe pœna alterius, & communiter Doctores reſpondent, dictum patrem priuari iure petendi debitum in 4. d. 42. cum D. Thom. q. 1. art. 1. & quolib. 6. q. 3. Palud. q. 1. ar. 1. concluſ. 7. Sot. art. 3. Sylueſ. ver. Matrimonium 8. q. 7. Nauarr. c. 16. nu. 34. & Abbas in cap. ſi vir, de cognatione ſpirituali, quod intellige, quando id ageret pater ſcienter, & abſq; vlla neceſſitate, quia ſi adeſſet neceſſitas, vel ignorantia iuris, vel facti, vtique pater eſſet excuſatus. Tamen Suar. 3. p. q. 67. in comment. ad art. 8. fatetur nullum in iure inuenire fundamentum ad tale impedimentum; vnde etiam ſi ſcienter, & abſque neceſſitate pater id ageret, non videtur priuandus iure petendi, quod fusè dictus Doctor probat, & certè ſufficientibus rationibus, & hanc opinionem probabilem etiam iudicat Filiucc. to. 1. tract. 2. cap. 7. in fin.

De ſuſcipiẽte Baptiſmum. Cap. XIIII.

1 *Adulti non ſunt ſtatim baptizãdi, niſi in caſu neceſſitatis.*

2 *Adulti neceſſariò debent habere intentionem ſuſcipiendi baptiſmum.*

3 *Sufficit, vt aſſẽſus Adultorũ ſit ſimpliciter voluntarius, licet ſecũdum quid, ſit inuoluntarius.*

4 *Conſenſus Adultorum ad baptiſmum, nõ requiritur vt dependeat à Patre, vel Domino.*

5.6. *Adulti peccatores baptizari poſſunt, nec tenentur confiteri, aut contritionem habere.*

7 *Fides non requiritur in baptiſmo ad habendum characterem; ſed ad habendam gratiam.*

8 *Pueri Chriſtianorum debent ſtatim baptizari.*

9 *Dicti pueri ſtatim poſt natiuitatem ſunt capaces baptiſmi.*

10 *Poſſunt baptizari etiam parentibus inuitis, ſi negligentes fuerint, vt eorum filij baptizentur.*

11. *Pue-*

11 *Pueri debent baptizari ſaltẽ in octauo die*
12 *Pueri non poſſunt baptizari in vtero materno; niſi naſcãtur ſaltẽ ſecundũ partẽ.*
13 *Ad baptiſmum non requiritur natiuitas naturalis.*
14 *Pueri infidelium non ſubditorum Eccleſiæ, vel principibus, non poſſunt baptizari inuitis parentibus.*
15 *In duobus tantum caſibus dicti pueri poſſunt baptizari.*
16 *Sufficit conſenſus vnius parentis, vt poſſint baptizari dicti pueri infidelium.*
17 *Pueri Turcarum baptizari non poſſunt ex votis parentum.*
18 *Pueri infidelium dum habeant vſum rationis, baptizari poſſunt, ſi voluerint inuitis parentibus.*
19 *Pueri infidelium ſubditorũ, ſeu mancipiorũ, poſſunt baptizari inuitis parẽtibus.*
20 *Pueri infidelium Apoſtatarum poſſunt baptizari inuitis parentibus.*
21 *Principes Chriſtiani non tenentur pueros dictorum infidelium baptizare; ſed poſſunt illos vendere.*
22 *Expoſiti aliquando debent baptizari, aliquando non.*
23 *Amentes, & furioſi à natiuitate, ſunt baptizandi, ſecus alij, niſi appareat in eis voluntas baptizandi.*

1. SVſcipientes Baptiſmum poſſunt eſſe in triplici differentia; nam vel ſunt adulti, vel ſunt pueri Chriſtianorum, vel ſunt pueri infidelium, & de omnibus ſigillatim eſt dicendum. Et quoad adultos, ſupponẽdum eſt cum D. Thom. q. 68. art. 3. dictos adultos non eſſe ſtatim baptizandos, primò ne Eccleſia Dei decipiatur per fictam acceſſionem ad ſacramentum, ſecundò ad vtilitatẽ eorum, qui baptizandi ſunt, vt in aliquo tẽporis ſpatio poſſint inſtrui de fide, &ſe exercere in his quę ſũt fidei Chriſtianę; niſi ratione periculi mortis, vel obſidionis, perſecutionis, naufragij &c. Baptiſmus eſſet ſtatimconferendus.

2. Vnde quæri poteſt, vtrum, ad valorem Baptiſmi neceſſarius ſit voluntarius conſenſus adulti baptizandi, vel fides, aut alia diſpoſitio, & quamuis ad hunc quæſitum iam reſpondimus ſupra in ca. 8. nu. 2. 3. & 4. breuiter tamen dico. In Adultis neceſſarium eſſe ad valorẽ Baptiſmi voluntarium conſenſum, & intentionem ſuſcipiendi baptiſmum, vt docet D. Th. q. 68. art. 7. & ex communi ſententia iam tradidi ſupra loc. cit. non tamen eſt neceſſe, vt talis cõſenſus ſit actualis: ſed ſufficit, quod præceſſerit, & retractatus non ſit, quia in tali caſu baptiſmus cenſetur voluntarius, vt colligitur ex Concil. Carthaginen. 3. can. 34. & Auraſ. 1. can. 12. & ex cap. Maiores de baptiſmo, quod docet etiam D. P. Auguſtin. lib. 2. de adulter. coniug. cap. 26. ſed pro maiori explicatione, duobus modis poteſt contingere aliquem baptizari cum morali, & virtuali intentione, primo modo per non reſiſtentiam, vt dum quis videt ſe baptizari, & nihil dicit, nec aliquam reſiſtentiam facit, hic non dicitur baptizatus ex tali ſolummodo permiſſione, & dummodo nulla præceſſerit in eo voluntas baptizandi. Secundo modo eſt, dum quis baptizatur, et licet in eo præceſſerit voluntas baptiſmi, tamen dum baptizatur nullo vtitur diſcurſu, nec habet actualem voluntatem ſuſcipiendi baptiſmum, vt quia eſt amens, vel phreneticus, vel dormiens, et hic eſt verè baptizatus propter illam poſitiuam voluntatem, quam habuit, vt D. Thom. q. 68. art. 12. ex P. Auguſtino loc. cit. et ex lib. 4. cõfeſſ. c. 4. vbi de quodam ſuo amico refert, ſaluum factum eſſe per baptiſmum, quem in phreneſi abſque vllo ſenſu recepit.

3. Sufficit etiam, vt talis conſenſus ſit ſimpliciter voluntarius, quamuis ſit inuoluntarius ſecundum quid, vt ſi quis recipiat baptiſmum ex vi, vel metu, quæ concluſio eſt de fide, quando tamen metus, et vis venit ab intrinſeco abſq; vlla iniuria, metu, vel vi extrinſeca, quia etiam pœnitentia ex metu concepta in articulo mortis poteſt eſſe ſufficiens ad ſalutem; et votum metu factum proueniente ab intrinſeco, vt dum quis eſt in mari, vel alio periculo, eſt validum, quia eſt ſimpliciter voluntarium, licet, inuoluntarium ſecundum quid, quando autem metus prouenit ab extrinſeco, et præſertim ſi fuerit incuſſus per iniuriam, tunc nõ eſt res adeo clara, quia talis metus aliquando reddit contractum inuoluntarium, et nullum, vt

Digitized by Google

eſt in matrimonio, & voto; tamen etiam quoad hanc partem, eſt iam concluſio definita ab Innoc. III. in cap. Maiores de baptiſmo, & antea etiã definita fuit in Concil. Tolet. 4. cap. 56. prout habetur in cap. de Iudæis 45. diſtin. & ratio eſt, quia talis conſenſus abſolutè, & ſimpliciter voluntarius cenſetur, & iuxta dicta decreta, ſic baptizatus recipit characterem, & redditur ſubditus S. Romanæ Eccleſiæ, & cogi debet ad ſeruandam fidem, quod eſt intelligendum iuxta ea, quæ ſupra diximus in cap. 8. num. 2. & 3. nempe vt ſaltem dictus habeat intentionem ſuſcipiendi baptiſmum, licet, illum non ſuſciperet ſi in ſe eſſet, & in hoc caſu reciperet baptiſmum, & characterem, ſed non gratiam, ſecùs puto dicendum, ſi intrinſecè reluctaret, nec haberet intentionem recipiẽdi baptiſmum, quam doctrinã ſumo ex verbis Soti d. 5. art. 7. vt refert Suar. diſp. 23. ſect. 1. §. Declaratur, qui Sotus ait: *Qui non vult Chriſtianus fieri, potius debet quamcũque iniuriam ſubſtinere, quam fictè baptiſmo conſentire, quia in hoc magnam illi irrogat iniuriam, quod ſi propter vitandum proprium incommodum verè vult baptizari ſine iniuria baptiſmi, neceſſe eſt, vt habeat voluntatem nunquam diſcedendi à fide; quam in baptiſmo profeſſus eſt*; Vnde dummodo quis habeat intentionem ſuſcipiendi baptiſmum validè ſuſcipit.

4. Nec talis conſenſus debet dependere à Patre, vel Matre, aut à Dominis, ſi baptizandus fuerit ſeruus, quia de eſſentia ſacramenti eſt voluntas recipiẽtis, & conferentis cum debita materia, & forma; nec quis ſubditur parentibus, aut Dominis quoad electionẽ fidei, & religionis Chriſtianæ, vnde dum aliquis eſt rationis capax, in hoc eſt ſui iuris, & nulli ſubditur, vt Suar. loco cit. in fine.

5. Vtrum autẽ adulti peccatores baptizari poſſint, & an teneantur ſua peccata confiteri, vel contritionem habere? Et quoad primam partem reſpondet D. Tho. q. 68. art. 4. peccatorem dici, vel reſpectu præteritorum peccatorum, & talis peccator baptizari poteſt; vel reſpectu obſtinatæ voluntatis in peccatis, & hic non poteſt baptizari; quod probat auctoritate D. P. Auguſtini in Epiſt. ad Bonifaciũ; *Qui creauit te ſine te, nõ iuſtificabit te ſine te*; & lib. de pœnitentia, ait. *Nullus ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus poteſt nouam vitam inchoare, niſi veteris vitæ pæniteat.*

6. Quoad ſecundam partẽ, dico peccatorem non teneri, ſua peccata ante baptiſmum facta confiteri, neq; aliqua pœna ſatisfactoria eſt illi iniungenda pro dictis peccatis, quod idem Doctor probat art. 5. & 6. auctoritate D. Ambroſij ſuper illud Rom. 11. *Sine pænitentia ſunt dona, & vocatio Dei*, vbi ait; *Gratia Dei in Baptiſmo non requirit gemitum, neque plantum, vel opus aliquod, ſed ſolum fidem, & omnia gratis condonat.* Et quoad tertiam partem, dico peccatores non teneri ad habendam contritionem, vt Crebrera de ſacram. q. 69. art. 8. diſp. 2. §. 5. & 10. qui citat D. Tho, Scot. & alios, & ratio eſt, quia contritio eſt donũ ſupernaturale, quod ſupponit fidem, & ſicut in ſacramento pœnitentiæ non requiritur, niſi attritio, ita etiã in iſto ſacramento; imò ſecundum aliquos, nec etiam requiritur attritio tam perfecta, & ſupernaturalis ſicut requiritur in pœnitentia; ſed ſufficit illa tantum, quę remoueat affectum à peccato, & veteri vita.

7. Vtrum autem requiratur fides ex parte baptizati? cum diſtinctione reſpondet D. Thom. q. 68. art. 8. Nam duo efficiuntur in anima propter baptiſmum, ſcilicet, character, & gratia, & dupliciter aliquid ex neceſſitate requiritur ad baptiſmũ, vno modo, ſine quo gratia haberi non poteſt, quæ eſt vltimus ſacramẽti effectus, & hoc modo recta fides ex neceſſitate requiritur, alio modo aliquid requiritur, ſine quo character baptiſmi imprimi non poteſt, & ad id recta fides baptizati non requiritur, ſicut nec recta fides baptizantis, quia ſacramentum non perficitur per virtutem dantis, vel recipientis, ſed per virtutem Chriſti.

8 Deinde, vt in principio huius capitis propoſuimus; Alij ſuſcipientes baptiſmum ſunt pueri Chriſtianorum, quos ſtatim, ſcilicet, poſt natiuitatem recipiendos eſſe ad baptiſmum, docet D. Thom. q. 68. art. 9. ex D. Dionyſ. cap. 7. de Eccleſ. hier. vbi ait, *Diuini noſtri Duces*, ſcilicet, Apoſtoli, *probauerunt infantes recipi ad batiſmũ*; & ra-

Digitized by Google

& ratio, quam aſſignat D. Thom. art. 3. eſt, quia in dictis pueris non expectatur maior inſtructio, aut plenior cõuerſio, & maximè, quia aduenire poſſet caſus mortis, ſic etiam, quia talis baptiſmus fit quodammodo conaturalis cũ dictis pueris, & confert ad maiorem firmitatem, ac vt tractentur, & educentur vti Chriſtiani, & membra Eccleſiæ; Vnde P. Auguſtinus lib. 1. cap. 27. de peccator. merit. & remiſs. to. 7. ait: *Mater Eccleſia os maternum paruulis præbet, vt ſacris myſterijs imbuantur*.

9. Dicendum eſt igitur, pueros poſt natiuitatem ex vtero materno, eſſe ſtatim capaces baptiſmi; quæ concluſio eſt de fide, & probatur ex vniuerſali conſenſu, & definitione Eccleſiæ, & talem vſum fuiſſe ſemper in Eccleſia, probãt omnes Patres: & præcipuè P. Auguſtinus in omnibus libris contra Pelagianos, vbi probat eſſe in nobis peccatum originale, quod iuxta Eccleſiæ morem, etiam paruuli baptizantur in remedium peccati; & lib. 1. de peccat. merit. cap. 26. ait. *Traditionem hanc à Domino per Apoſtolos manaſſe:* & ita etiam dicto tempore Auguſtini fuit definitũ per Concil. Mileuit. cap. 2. & poſtea per Concil. Aphricanũ can. 76. & habetur in cap. placuit de conſecr. d. 4. & in Concil. Lateran. ſub Innoc. III. in cap. Maiores de baptiſ. & in Concil. Viẽnenſ. ſub Clemente V. in Clement. 1. §. de ſumma Trinit. & fide Cathol. & in Concil. Trid. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali cap. 4. ſeſſ. 7. can. 12. & 13. nec in dictis paruulis requiritur intentio propria, vel parentum, aut aliorum; ſed ſufficit illis voluntas Chriſti, quæ doctrina ſumitur ex P. Auguſtino lib. 1. de peccat. merit. cap. 25. 33. & ſeqq. & tract. 80. in Ioan. ait. *Verbum fidei tantum valere in Eccleſia Dei, vt mundet infantem nondum valentem corde credere, & ore confiteri*. Nec audiendus eſt Durand. in 4. d. 4. q. 7. num. 13. & Palud. q. 4. num. 33. qui aſſerunt neceſſariam eſſe intentionem parentum, & licet hoc dicant de filijs infidelium; tamen hæc concluſio falſa eſt, vt fusè probat Suar. diſput. 25. ſect. 1. concluſ. 1. & infra.

10. Sed quæritur, quanto tempore licitum ſit differre baptiſmum puerorum? At primò ſupponendum eſt, nullum adeſſe circa hoc ius diuinum, adeſſe tamẽ ius Eccleſiaſticum ratione vſus, & conſuetudinis vniuerſalis Eccleſiæ, vnde mortaliter peccabunt parentes notabiliter differentes baptiſmum puerorum, & in tali caſu poſſunt, & debẽt cogi per Paſtores Eccleſiæ; vel debent pueri baptizari etiam ipſis inuitis, cum eorum conſenſus non ſit neceſſarius, vt diximus, neque parentes habeant ius differendi baptiſmum filiorum contra legem, & conſuetudinem Eccleſiæ. quo poſito.

11. Reſpondeo expectandum eſſe, vt puer perfectè naſcatur, quia nemo renaſcitur niſi primò naſcatur, vt P. Auguſtinus Epiſt. 57. tom. 2. ad Dardanum. In caſu autem neceſſitatis, baptizari debet meliori modo, quo poteſt, vt infra dicemus. Poſt verò perfectam natiuitatem, non poteſt certa regula aſſignari, quo tempore ſint baptizandi, ideò Doctores hoc remittunt arbitrio boni viri attẽtis circumſtantijs, & cuiuſque Eccleſiæ conſuetudine, vt Suar. diſp. 25. ſect. 2. circa fin. ſed Scotus in 4. ſent. diſt. 5. q. vnica art. 3. ait. *Cum puer ſtatim baptizari iubetur, non intelligitur eadem natiuitatis dies, aut tertia, vel quarta; ſed quando commodè poteſt in Eccleſiam portari, & mergi, quod fieri ſolet die octauo, vt moris eſt, vel decimo, vel duodecimo;* ſed verè octauum nullus excedere debet, niſi ex aliqua graui cauſa.

12. Sed vtrum pueri poſſint baptizari in vtero materno? & negatiuè reſpondendum eſt, vt ait D. Thom. q. 68. art. 11. & ratio eſt, quia in tali caſu nõ poſſet ablui niſi mater, quæ cum ſit diſtinta perſona à filio, non poteſt ablutio matris reputari ablutio filij; vt benè notauit P. Auguſtinus lib. 6. contra Iulianum, cap. 1. et cap. 6. vt habetur in cap. ſi quidquid de cõſecr. d. 4. vnde in Concil. Neoceſ. cap. 6. dicitur, baptiſmum mulieris prægnantis non communicari, nec prodeſſe filio; ergo neceſſe eſt, vt prius puer naſcatur, et poſtea renaſcatur, non tamen eſt neceſſaria totalis natiuitas, quando aderit graue periculũ, tunc enim ſufficit, vt natiuitas ſit ſecũdum partem, et ſi caput tantum egrediatur, in quo fundantur omnes ſenſus, debet baptizari,

Digitized by Google

nec ampliùs eſt rebaptizandus, ſi contingat perfectè naſci;& idem eſt faciendum ſi alia pars corporis egrediatur; ſed in hoc caſu iuxta D. Thom. in reſponſione ad 4. iterum eſt baptizãdus ſub conditione, ſcilicet, ſi non es baptizatus, ego te baptizo, &c.

13. Nec ſimiliter ad baptiſmum requiritur natiuitas naturalis;ſed tunc dicitur in hoc caſu puer natus,quando aliquo modo lauari poteſt; Vnde ſi mater mortua fuerit habens in vtero puerum,poterit mater aperiri, & baptizari puer; & nota, quod in nullo caſu,liceat accelerare mortem matri, quamuis morienti, vt ſaluetur infans, quia non ſunt faciẽda mala, vt veniat bonum, vt notat Palud. in 4. diſtin. 6. q. 1. & ita communiter Doctores; quando autem mater eſſet iuſtè ad mortem damnata; tunc,licet,ſecundum iura eſſet expectandum tẽpus partus;tamen ſi poſſet fingi caſus, in quo eo tempore credatur moriturus infans, videtur licitè poſſe exequi ſententia mortis, vt ſaluetur infans. De quo caſu licet dubitet Paludanus; tamen id fieri poſſe docet Suar. in comment. ad art. 11. q. 68. quia in tali caſu nulli fit iniuria, & cedit in maximum bonum ſpirituale proximi;moraliter tamen loquendo,videtur talis caſus dari non poſſe, & maius periculum imminet proli ſi occidatur mater, quã ſi differatur ſupplicium; vt Suar. loco cit.

14. Circa pueros infidelium nõ ſubditorũ Eccleſiæ, quod tertio loco propoſuimus diſcutiendum; quæri poteſt vtrum poſſint baptizari inuitis parentibus? Dico non ſubditorum Eccleſiæ, quia tria ſunt genera infidelium, primum eſt eorum, in quos Eccleſia habet iuriſdictionem, eo quod acceperunt fidem, & poſtea receſſerunt,recipiendo hæreſim, vel Iudaiſmum, aut Paganiſmum,ſecundum eſt eorum,qui ſunt ſubditi Eccleſiæ,& Principibus Chriſtianis quoad iuriſdictionẽ temporalem, tertium eſt eorum, qui non ſunt ſubditi, nec ſpiritualiter,nec ciuiliter; & de his ad præſens agendo, Reſpondeo,dictorum infidelium pueros non poſſe baptizari inuitis parẽtibus,hæc doctrina communis eſt, vt D.Tho. q. 68. art. 10. & 2.2. q. 10. art. 12. Caiet. Capreol. Palud. Suar. diſp. 25. ſect. 3. Filiuc. tom. 1. tract. 2. de ſacramento baptiſmi cap. 6. num. 145. D. Antonin. 2. partit. 12. cap. 2. §. 4. & communiter omnes, & ratio eſt, quia duobus modis poſſent dicti pueri baptizari, vel eripiendo eos à parentibus; aut relinquendo eos ſub eorum cura; primus modus includit apertã iniuriam, quia priuantur parentes naturali iure,& quaſi dominio,quod habent in filios, nec Eccleſia habet poteſtatem ſuper hos infideles, nec poteſt illos bonis priuare, multò magis filijs;& cum dicti infideles nõ poſſint cogi ad ſuſcipiẽdam fidem per bellum, aut iniuriam, vt ſtatutum eſt in cap. qui ſyncera 45. diſt. ex Greg. lib. 11. Epiſt. 15. & lib. 2. cap. 91. Epiſt. 52. quod etiam habetur in Concil. Tolet. 4. cap. 56. & in cap. de Iudæis 45. diſt. & idem etiam ſtatuitur in cap. ſicut Iudæi, de Iudæis,& Saracenis: ſequitur, quod neq; poſſint filijs priuari, quia hoc eſſet illis iniuriam inferre. Secundus modus,nec licitus eſt, et includit graue ſacrilegium, quia dicti infantes educari ſub dictis parentibus, eſſet in magnam Eccleſiæ iniuriam, cum ſtatim in peccatis inuoluerẽtur, et ob hanc cauſam Concil. Tolet. cap. 59. id prohibuit.

15. In duobus tãtum caſibus poſſent dicti pueri baptizari; primò, ſi fuerint in extremo periculo vitæ,quia tunc cenſetur pater amiſiſſe ius in filium, nam quod parum diſtat,nihil diſtare videtur,et cum tales pueri in dicto caſu eſſent in extrema neceſſitate ſalutis ſpiritualis, vtique quis poſſet eis ſuccurrere, ſeu ſubuenire, præſertim ſecretè, et occultè. Secundò,ſi dicti pueri,vel per iniuriam,vel quocunque alio modo non eſſent ſub cura parentum, neq; adeſſet obligatio reſtituendi eos proprijs parentibus, aut ſi eſſet,moraliter non poſſent, vel ſi parẽtes longè diſtarent, nec adeſſet ſpes redeundi, tunc baptizari poſſent, quia in dictis caſibus, licet parentes haberẽt radicale ius in filios,tamen actuale amiſerunt,vt optimè Caiet. Sot. d. 5. art. 10. in fine, Filiuc. loco cit. num. 144. Suar. loco cit. §. ex his, cum D. Anton. Scot. et alijs, et quod dicitur de parentibus, dicitur etiam de tutoribus.

16. Sed duo dubia,vel tria reſoluenda

da ſunt, primū eſt, an requiratur conſenſus vtriuſq; parētis ad baptizandum puerū infidelē? et certum eſt, quod ſufficiat conſenſus vnius tantum in fauorem religionis; vt ait Greg. IX. cap. 2. extra. de conuerſion. infidel. et ſi mater fuerit fidelis, et pater infidelis, ſufficiet conſenſus matris, quia partus ſequitur vētrem, vel ſi tantū pater fuerit fidelis, tunc maiori ratione ſufficiet ipſius tantum conſenſus, quia eſt caput, et ipſe debet regere, et gubernare vxorem, et filios, vt ſtatuit Concil. Tolet. 4. cap. 62. et habetur in cap. Iudæo cap. 28. q. 2. vbi dicitur. *Filios natos tam ex patre infideli, & fideli matre, quam ex patre fideli, & matre infideli, imitari debere in religione, parentem fidelē, atq; ita poſſe baptiZari.* Hęc tamē, vt benè notat Suar. ſunt intelligenda, in ſe loquendo; At per accidens poteſt eſſe, vt non ſit expediēs tales pueros baptizare propter periculum apoſtaſiæ, vel alterius ſacrilegij, et ideò priùs eſſent ſubtrahēdi dicti filij à cura, et conſortio parentis infidelis, vt tutò baptizari poſsēt iuxta doctrinam Concil. Tolet. 4. cap. 59.

17. Secundum dubiū eſt, vtrum pueri Turcarum, pro quibus multoties dicti Turcæ petunt ſanitatem, cum promiſſione procurādi eos baptizari, ex miraculis, quæ viderūt ex tali propoſito; vt refert Nauar. conſil. 5. de baptiſm. debeant baptizari? et negatiuè reſpondendum eſt, et licet validus eſſet baptiſmus, tam ſi daretur pueris, quā ſi adultis, tamen ob hanc cauſam, non eſt eis dandus, niſi ſeparentur à parentibus ob periculum apoſtaſiæ, et idem eſſet aduertendum in adultis, quæ doctrina ſumitur ex iam paulo ante dictis; et ita benè docet Filiuc. tom. 1. tract. 2. de ſacram. baptiſ. cap. 6. num. 145. contra Nauarrum dicto conſil. 5. vbi reſpondet, poſſe dictos pueros baptizari; ſed puto hoc Nauarrum non dixiſſe, niſi ſuppoſitis debitis modis, ſcilicet, ſeparatione, et ſecluſo periculo apoſtaſiæ.

18. Tertium dubium eſt, in qua ætate poſſint baptizari dicti pueri inuitis parentibus, & acquiſito vſu rationis? Reſpondeo de hoc dari non poſſe certam regulā; cum non omnes acquirant vſum rationis in eadem ætate; certum tamen eſt dictos pueros poſſe baptizari, ſtatim ac poſſunt mortaliter peccare, quod ex coniecturis faciliter colligi poteſt; dummodo tamen ipſi voluerint, licet, parentes contradicant; quia ſicut in dicta ætate poteſt quis ſe auertere à Deo, ita poteſt ſe conuertere ad ipſum, nec in hoc eſt aliquis ſubditus parentibus; & ſi dubium eſſet, an talis puer habeat talem ætatem, & velit baptizari; tunc etiam poſſet baptizari, ſi adeſſet aliqua urgens neceſſitas, ſemper tamen eſſet cauendum, ne id fiat cum periculo apoſtaſiæ; è contra verò, ſi parentes vellent puerum baptizari, & tamen ipſe puer nollet, & dubium eſſet, an puer eſſet in ætate vſus rationis; tunc nullo modo eſſet baptizandus, tum propter periculum nullitatis ſacramenti, tum propter periculum apoſtaſiæ, vt Suar. diſp. 25. ſect. 3. in fine.

19. Secūdum genus infidelium eſt eorum, qui ſunt ſubditi Eccleſiæ, vel Principibus Chriſtianis; & de his diſtinguēdum eſt, vel ſunt ſubditi quoad dominium temporale tantum, vel tāquam ſerui, ſeu mancipia; ſi ſunt ſubditi primo modo, nec ipſi, nec eorum filij poſsūt baptizari inuitis parentibus; quam doctrinam tradit D. Tho. vbi ſupra, ſcilicet q. 68. art. 10. & 2. 2. q. 10. art. 12. Cajet. Sot. & alij locis cit. & ratio eſt, quia dominium temporale non ſe extendit in hoc, vt ſubditi teneantur ſequi religionem proprij Principis, & ſic neque Pontifex, vt Princeps, & Dominus habet tale dominium, licet, in eo reſideat omnis poteſtas ſpiritualis. Si autem dicti infideles, & eorum filij fuerint ſerui, & mancipia Chriſtianorū; tunc licitè, auctoritate Principum poſſunt filij dictorum infidelium ab ipſis ſeparari, & baptizari; quæ ſententia eſt Durandi in 4. d. 4. q. 6. & ſumitur ex D. Thom. art. 10. in reſponſione ad 2. vbi ait: *Iudæos non eſſe ſeruos Chriſtianorum, ſeruitute pœnali, & ideò non poſſe ipſos, vel eorum filios inuitis parentibus baptiZari;* Igitur ſentit Doctor, ſeruos ſeruitute pœnali, ſeu mancipia poſſe ſeparari à filijs, & deinde dictos filios; ſcilicet pueros, de quibus agimus, baptizari; ſequitur Suar. diſp. 25. ſect. 4. concluſ. 2. & in hoc ſenſu vera eſt ſententia Scoti in 4. d. 4. quæſt. 9. & Gabr. ibidem q. 2. art. 3. dub. 5. Filiuc. to. 1. tract. 2.

de

de ſacram.baptiſm.cap.6.num.142. & alij communiter.

20. Tertium genus infidelium eſt eorum,qui receſſerunt à fide;& de his dicendum eſt, illorum filios poſſe baptizari inuitis parentibus, quia Eccleſia habet ius cogendi dictos parentes ad ſeruandam fidem, & afficiendi pœna mortis, ſi pertinaces fuerint,ergo multò magis poterit illos priuare iure,quod habent in filios; imò eo ipſo, quod dicti filij ſint nati ex parentibus Chriſtianis, Eccleſia habet ius ſuper eos ad illos inſtruendos de pertinentibus ad fidem,neq; de his eſt aliqua controuerſia, vt aſſerit Filiuc. nu.142. ex Suar. diſp.25. ſect. 3.

21. Sed dubiũ eſt, an Principes Chriſtiani teneantur dictos pueros infidelium baptizari facere,dum licitè poſſunt, vel an poſſint illos vendere parentibus, ſi eſſent bello capti,aut ſinere,vt viuant in propria lege? & breuiter reſpondetur, nullum eſſe peccatum dictos pueros parẽtibus vendere,nec teneri dictos Principes procurare,vt illi baptizentur;& ratio eſt,quia nullum adeſt præceptum ad id obligans; nec adeſt obligatio ratione charitatis, quia charitas non obligat ad ſubueniendum tali medio, non ſolum propter incommodum, quod quis pateretur illos pueros nõ vendendo, ſed etiam propter grauiores cauſas,quales ſunt,baptiſmi reuerentia,libertas, & honor noſtræ fidei; & dum quis vtitur iure ſuo, vt eſſet in prædictorum venditione, non diceretur cooperari malo illorum; ſed eſſet tantum permiſſio, vt parentes ex propria malitia operentur; quæ permiſſio nullum peccatum eſt,vt fusè Suar. diſp.25.ſect.6.& Filiuc.to.1.tract. 2.cap.6.num.146.

22. Sed quęritur,quomodo liceat baptizare expoſitos,vel monſtrum? Reſpondeo quoad expoſitos; ſi id acciderit inter Chriſtianos, vel ferant ſcriptum, eſſe baptizatos,vel ſi iudicẽtur nati ante mẽſem, vel circa, non debent baptizari, quia præſumũtur baptizati; ſed ſi id acciderit inter infideles, vel etiam inter fideles, & ex colore iudicẽtur nati ex infidelibus; tunc abſolutè baptizari poſſunt, niſi contrarium conſtet;& ſi dubium eſſet, poſſent baptizari ſub conditione,Syluef.verb.Baptiſm.4. num.7. Sot.d.3. q.vnica art.9.quos ſequitur Filiuc.loc. cit.num.149.& 150.ſic etiã monſtrum ſi conſtet habere duas animas, ex eo, quod habeat duo capite, & duo pectora: debet bis ſeparatim baptizari; & ſi adfuerit dubium; tunc ſemel abſolutè poterit baptizari, & in ſecunda vice ſub conditione,vt Syluef.ver.Baptiſm.3.num.10. Angel.Baptiſm.6.num.5. Sot.& Filiuc.loco cit. Et ſi dubium ſit an monſtrum habeat animam rationalem, eo quod habeat caput ferinum,& alia membra humana,nõ eſſet baptizandum,vel ad ſummũ ſub conditione, poſt adhibita diligentia; Nauar. conſil. 3. de baptiſm. & Filiuc. loco cit.in fine.

23. Vtrum autem amentes, & furioſi ſint baptizandi; Reſpondeo cum D.Tho. q.68.art.12.ſic docẽs,de furioſis,& amentibus;ſi fuerint à natiuitate tales, nulla habentes lucida interualla; idem eſt ferendũ iudicium,ac de pueris,qui in fide Eccleſiæ baptizantur; ſi autem non fuerint tales à natiuitate, ſed priùs habuerunt ſanã mentem,dicti iudicandi ſunt ſecundum voluntatem,quã habuerunt,dum ſanæ mẽtis extiterunt; Vnde ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, debet eis exiberi, etiam in furia, & amentia conſtitutis; ſecùs autem ſi nulla voluntas in eis apparuerit; Alij verò,licet,ſint tales à natiuitate;ſi habeant lucida interualla,& baptizari voluerint,poſſunt baptizari, etiam in amentia conſtituti, ſi periculum mortis timeatur, alioquin meliùs eſt expectare tempus, in quo ſint ſanæ mentis,vt deuotius ſacramentum ſuſcipere poſſint; ſi autem tempore lucidi interualli non appareat in eis voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, non debent baptizari conſtituti in amentia.

De effectibus Baptiſmi, & vtrum ſit ſimpliciter neceſſarius ad gratiam, & gloriam? Cap. XV.

1 *Effectus baptiſmi eſt delere omnem culpã originalem.*

2 *Di-*

Digitized by Google

2 *Dicta concluſio eſt de fide.*
3 *Remittit etiam omnem culpam actualem ante baptiſmum contractam.*
4 *Non remittit culpam contractam poſt baptiſmum, nec pœnalitates; ſed remittit totam pęnam.*
5 *Irregularitas ex homicidio, vel delicto, remittitur per baptiſmum, non tamen ex bigamia, vel defectu natalium.*
6 *Effectus baptiſmi eſt conferre gratiā ſanctificantem, dona, & gratiā ſacramentalē.*
7 *Alij effectus baptiſmi numerantur.*
8 *Baptiſmus eſt ſimpliciter neceſſarius ad gratiam, & gloriam.*
9 *Probatur, concluſionem eſſe de fide.*
10 *Adulti poſſunt in neceſſitate ſaluari per baptiſmum flaminis.*
11 *Pueri non poſſunt ſaluari per Baptiſmum flaminis.*
12 *Reÿcitur ſententia Caietani.*
13 *Intētio miniſtri ſi non adfuit in baptizando, an ſuppleatur à Deo.*
14 *Baptiſmus ſanguinis, ſcilicet martyrij, ſuffragatur etiam pueris vt verè dicantur baptizati.*
15 *Reſpondetur ad quamdam obiectionem*
16 *Probatur ex patribus, baptiſmum ſanguinis ſufficere pueris abſque baptiſmo aquæ.*
17 *Baptiſmus capit eſſe ſimpliciter neceſſarius poſt Chriſti reſurrectionem, & poſt euangelij promulgationem.*

1 EFfectus baptiſmi eſt, non ſolum delere originalem culpam; ſed etiam omnē actualem ante baptiſmum; non verò poſt baptiſmum, ac etiam cum culpa, delet omnem pœnam, non autem omnes pœnalitates. Quæ concluſio quatuor partes habet, quarum prima eſt, quod baptiſmus deleat culpam originalem; contra aliquos hæreticos, vocati Gaiani, Manichei, Meſſaliani, & Arcontini, relati à Tertulliano lib. de Baptiſmo in princ. à P. Auguſtino cōtra Manich. hæreſ. 46. & à Theodoreto lib. 4. hæret. fabul. circa fin. & lib. 4. hiſtor. cap. 10. & ab Epiphan. hæreſ. 40. qui omnes hæretici aſſerunt baptiſmum inutilem eſſe ad delēda peccata. Secunda pars concluſionis eſt, baptiſmum delere omnem culpam actualem. Contra Lutheranos, & alios hæreticos, quos refert Epiphan. hæreſ. 64. qui ſimiliter aſſerunt baptiſmum non tollere peccata, ſed radere, vel tegere ne imputentur ex illo Pauli ad Rom. 7. *Quod odi malum illud facio, nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, Tertia pars eſt, baptiſmum non delere culpam poſt baptiſmum contractam, contra hæreticos Lutheranos, & Caluiniſtas, vt refert Bellarm. lib. 1. de baptiſm. cap. 18. qui aſſerunt peccata commiſſa ante baptiſmum, & poſt baptiſmum, omnia deleri per dictū baptiſmum; quarta pars concluſionis eſt, baptiſmum delere omnem pœnam, non omnes pœnalitates, contra fundamentum dictorum hæreticorum aſſerentium, baptiſmum non delere concupiſcentiam, quæ in ſe peccatum eſt.

2. Eſt igitur noſtra concluſio de fide; nā prima pars, quod baptiſmus deleat culpam originalem; eſt res certa, & determinata à Concil. Trid. ſeſſ. 5. can. 5. his verbis. *Si quis per Ieſu Chriſti Domini gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet; ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema ſit*; & idem Concil. affert fundamentum ſcripturarum, vt illud Pauli ad Rom. 6. *Conſepulti enim ſumus cum illo per babtiſmum in morte*, & cap. 8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu*; & confirmatur ex P. Auguſtino in Enchiridion. cap. 52. vbi ait. *Quemadmodum in Chriſto vera mors facta eſt, ſic in nobis vera remiſſio peccatorum, & quemadmodū in illo vera reſurrectio, ita, & in nobis vera iuſtificatio.*

3. Et quod deleat etiam omnem culpam actualem antea commiſſam, eſt etiam de fide, & definitum in Concil. Florentino in decreto Eugenij, his verbis. *Huius ſacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpa originalis, & actualis*, vnde, licet, baptiſmus ex primaria intētione videatur inſtitutus ad tollendam culpam originalem, per ſe tamen eſt etiam inſtitutus ad tollēdam omnem culpam etiam actualem, ſicut Incarnatio Chriſti, licet, primariò fuerit facta propter peccatum originale; attamen per ſe fuit etiam facta ad tollenda omnia peccata. Probatur etiam dictum aſſumptum ex eodem Concil. ſeſſ. 14. cap. 1. vbi ait; *Si*

homi-

Digitized by Google

homines iuſtitiam in baptiſmo acceptam conſtanter tuerentur, non fore neceſſarium aliud ſacramentum ad remittẽda peccata propter baptiſmum;& ex D.Paulo Actor.2. *Pœnitemini, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorũ veſtrorum*; eamdem doctrinam tradit D.Thom.q.69.art.1.& omnes alij.

4. Sed quod baptiſmus non remittat culpam contractã poſt dictum baptiſmum, eſt de fide, aliter, vana eſſe pœnitentia, & patet ex verbis iam citatis Concil. Trid. ſeſſ.14. cap.1. & idem eſt etiam definitum in ſeſſ.7. can.10. de baptiſm. Idem etiam eſt dicendum quoad pœnam, quam diximus deleri etiã per baptiſmum, eſt etiam de fide, & ob hanc cauſam fuit definitum in Concil. Florentino, vt batizatis nulla eſſet imponenda opera ſatisfactoria pro peccatis ante baptiſmum commiſſis; & ſumitur ex Concil.Trid. ſeſſ.5. can.5.in illis verbis. *Innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti ſunt, ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu Cœli remoretur*,& ex verbis Apoſtoli ad Hebr. 6. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati,&c. & prolapſi ſunt, iterum renouari ad pœnitentiam*; ſcilicet ad illam renouationem, qua homo renouatur in baptiſmo abſq; vlla ſatisfactione, quod non fit in pœnitentia, eamdem doctrinam tradit D. Thom. q.69. art.2. quod probat illa nobili ſententia D. Ambroſij ſuper illud Rom.11. *Sine pœnitentia ſunt dona Dei, & vocatio*; vbi ait Sanctus. *Gratia Dei in baptiſmo omnia condonat*. Pœnalitates autem hominis non tolluntur per baptiſmũ; vt ſunt paſſibilitas corporis, ægritudines, dolores,mors, fomes peccati, & inordinatio potentiarum, quia profluunt à principio naturæ, & licet, in ſtatu innocentiæ erant impeditæ,ne fluerent propter gratiã iuſtificantem, in qua Deus creauerat primos parentes:attamen poſt peccatum, dictæ pœnalitates non potuerunt amplius impediri,vnde Gloſſ.ſuper illud Apoſt.ad Rom. 6. *Deſtruatur corpus peccati*, ait. *Per baptiſmũ id agitur, vt vetus homo crucifigatur, & corpus peccati deſtruatur; non ita, vt in ipſo viuente carnis concupiſcentia reſperſa, & innata repentè abſumatur, & non ſit; ſed ne obſit mortuo, quæ inerat nato*; ergo ſimiliter, nec aliæ pœnalitates per baptiſmum tollũtur, vt infert D.Thom. art.3.

5. Vtrum autem per baptiſmum tollantur pœnæ iure humano conſtitutæ, vt eſt irregularitas? Reſpondeo,dictam irregularitatẽ tolli, dummodo veniat ex delicto,vel homicidio voluntario; ſecùs ſi veniat ex bigamia, vel ex defectu natalium; & multò minus tolluntur aliæ pœnæ humana poteſtate conſtitutæ, vt Sylu. verb. baptiſm.6.num.2.& Filiuc.to.1.tract.2.de ſacram.baptiſm.cap.5. num.97.

6. Secũdus effectus baptiſmi eſt,conferre gratiam ſanctificantem,dona, & virtutes ſopernaturales, ac etiam gratiam ſacramentalem, vt iam probauimus ſupra de ſacramentis in genere agendo de effectibus ſacramentorum; hæc tamen gratia æqualiter datur tam infantibus, quã adultis ex vi inſtitutionis ſacramenti, & per ſe loquendo, vt D.Thom.q.69. art.8. & docet D.Cyprian. Epiſt.59. his verbis. *Vna eſt diuini muneris æqualitas apud omnes, ſiue infantes, ſiue maiores natu; nam gratia, quæ baptizatis datur non pro ætate accipientium maior, vel minor tribuitur, ſed de pietate, atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbetur. Nam Deus, vt perſonam non accipit, ſic neque, cum ſe omnibus ad cæleſtis gratiæ conſequutionem æqualitate librata præbeat patrem*. Gratia autem ſacramentalis non conſiſtit in aliquo habitu infuſo extra gratiam ſanctificantem, imò ipſamet iuſtitia baptiſmalis, quatenus abluit hominem à culpa, & pena,poteſt dici gratia ſacramẽtalis,& eſt etiã credendum, quod tribuantur per baptiſmum aliqua auxilia actualia ad facilius ſuperandam carnis concupiſcentiam, & ad veras virtutes amplectendas, quæ etiam poſſunt vocari gratia ſacramentalis, Suar.diſ.26.ſect.2. §.ſed quæret.

7. Tertius effectus baptiſmi eſt character, de quo iam egimus ſupra cap. 5. Alij effectus ſecũdarij ſunt,vt Aperitio Ianuæ Regni Cœlorum;vnde Beda ſuper illud Lucæ 3. *Apertum eſt Cælum*,ait. *Virtus hic baptiſmatis oſtenditur, de quo quiſque cum egreditur Regni Cæleſtis ei Ianua aperitur*. Itẽ, eſt coniungere hominem cum Chriſto, quod fit per gratiam,& virtutes; Deinde, ſubijcit hominem iuriſdictioni Eccleſiæ,

cx

Digitized by Google

ex 1. ad Corint. 5. *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt iudicare?* Solet etiam cauſare baptiſmus alios effectus, vt ſanitatem, prout fuit in Conſtãtino, qui in baptiſmo fuit mundatus à lepra, tamen ſimiles effectus non ſunt ex certa lege, & promiſſione, neque ex vi inſtitutionis ſacramenti; ſed ex ſpeciali dono Dei, & extraordinaria prouidentia.

8. Vtrum autem baptiſmus ſit ſimpliciter neceſſarius tãquam medium ad gratiam, & gloriam conſequendam? Affirmatiuè reſpondendum eſt, contra Caluinum, & alios hæreticos, aſſerentes non eſſe baptiſmum neceſſarium filijs fidelium, dummodo habuerint parentes iam baptizatos, vel deſcẽderint ex illis, vel ſaltem ab vno baptizato, & hoc dicunt fuiſſe à tempore Abraham, ratione promiſſionis ei factæ. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, & ero Deus tuus, & ſemini tuo poſt te*; & ratio præcipua horum hæreticorum eſt, quia dicti filij deſcendentes ex parentibus, baptizatis, non contrahunt peccatum originale; quod quam hæreticum, & inſanum ſit, patet ex generalibus locutionibus ſacræ ſcripturæ, vt optimè probat P. Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 9. 25. & 27. & lib. 1. de Nupt. cap. 17. & ſeq. & lib. 6. contra Iulian. cap. 3. vbi omnia argumẽta diſſoluit. Eſt etiam dicta doctrina contra alios hæreticos aſſerentes non eſſe neceſſarium baptiſmum, cum gratia, & gloria dependeat à prædeſtinatione, vt refert Vualdeſ. lib. 2. de ſacram. cap. 96. ex quo etiam ſequeretur, neq; fidem, neq; ſpem, aut charitatem, & benè operari eſſe neceſſarium, quod erroneum, & contra diſcurſum naturalem eſſet.

9. Noſtra igitur concluſio de fide eſt, vt ſumitur ex verbis Chriſti, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*; & ita docẽt multa Concilia congregata contra Pelagium, quæ habẽtur inter Epiſtolas Innoc. 24. & 26. & in Epiſtola, P. Auguſtini 90. 91. 92. & 93. id etiam ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 5. his verbis. *Si quis dixerit baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit*, & fuſius id probat idem Concil. ſeſſ. 5. can. 4. & 5. et quaſi loquens contra citatos hæreticos; ita ait. *Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiam ſi fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari; ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam, vnde fit conſequens, vt in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit, quoniam non aliter intelligendum eſt id, quod dixit Apoſtolus. Per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt, niſi quemadmodum Eccleſia Catholica vbique diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apoſtolorum, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Hæc omnia dictum Concil. ex quibus verbis conſtat omnia à nobis ſupra tradita eſſe de fide, & certa.

10. Eſt tamen notandum, dictum baptiſmum non eſſe reſpectu adultorum, ita neceſſarium ad gratiã, & gloriã, vt nõ poſſint etiam ſaluari per baptiſmũ flaminis, in caſu, quo non poſſent habere baptiſmum aquæ, vt iam diximus cap. 13. Vnde dicendum eſt, ad obtinendam primam gratiam, & remiſſionẽ tam peccati originalis, quam actualium, quæ cum dicto peccato originali coniuncta fuerint, ſufficere contritionem continentem in ſe votum baptiſmi: ita docent omnes Theologi, & Patres; & ita eſt definitum in Cõcil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. his verbis. *Poſt euangelium promulgatum, neminem transferri à ſtatu peccati, in ſtatum gratiæ ſine lauacro regenerationis, aut eius voto*; quæ doctrina eſt cõtra aliquos hæreticos, quos refert Bernard. Epiſt. 77. aſſerentes adultos non poſſe ſaluari abſq; baptiſmo, quamuis eius deſiderio flagrauerint, & ſimul aſſerebant, poſſe infundi charitatem ratione dicti deſiderij, ſed abſq; remiſſione peccati; quod iam damnatum fuit in Cõcil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. & idem etiam aſſere-

ferebant de baptiſmo ſanguinis, nempè, non eſſe ſufficiẽtem, vt adulti ſaluari poſſent: quod etiam falſum eſt, vt iam diximus in cap. 13.

11. Sed dubium eſt, vtrum idẽ ſit dicendum de pueris? nempè, an ipſis ſuffragetur baptiſmus flaminis, ſcilicet, deſiderij, ſaltem habiti a parentibus? & abſolutè dicẽdum eſt, ad præſens, ſcilicet, tempore legis gratiæ, non poſſe aliquem ſaluari abſq; verò baptiſmi ſacramento; ita docet D. Thom. q. 68. art. 2. & q. 73. art. 3. vbi ait; *Paruulum non poſſe habere baptiſmum in voto, & ideò nec poſſe habere rem ſacramenti, ſine ſacramento*; idem aſſerit 1. 2. q. 113. art. 3. ad 1. & in 4. d. 4. q. 3. art. 3. queſtiunc. 2. ad 3. & quolibet 6. art. 4. vbi in terminis id docet de caſu neceſſitatis; & ita communiter ſentiunt omnes Doctores in 4. d. 4. vt Scot. Durand. Richard. Palud. Capreol. Sot. d. 5. art, 2. & alij, quos ſequitur Suar. diſp. 27. ſect. 3.

12. Ab hac cõmuni ſententia diſceſſit Caiet. q. 68. art. 2. vbi ait; *Baptiſmum eſſe neceſſarium paruulis in re, vel tempore neceſſitatis, habitũ per votum à parentibus*; quæ ſententia fuit damnata quaſi hæretica a Caſtro contra hæreſes lib. 3. & verè eſt erronea, & aliena à dogmatibus Eccleſiæ, vt ait Suar. loco cit. ideò meritò à Pio V. talis ſententia fuit ſublata à comment. D. Tho. in Romana impreſſione; Vnde P. Auguſtinus contra Pelagium, lib. 3. cap. 9. ſic ait; *Noli credere, noli docere, infantes morte præuentos antequam baptizantur, peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus*; et D. Ambroſ. lib. 2. de Abraham cap. vlt. ſic ait, ad illa verba Chriſti; *niſi quis renatus fuerit, vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum neceſſitate, nemo aſcendit in Cœlum, niſi per ſacramentum baptiſmi.* Idem docent omnes alij Patres; Vnde dicendum eſt cum Sot. diſ. 15. art, 2. Nullum Infantem decedentem ſine baptiſmo ſaluari ex ſpeciali priuilegio, aut diſpẽſatione, vel ſaltem hoc non poſſe de aliquo affirmari abſque ſpeciali reuelatione, ſine temeritate; ſequitur Suar. diſp. 27. ſect. 3. §. Dico ſecundò.

13. Ex dicta doctrina faciliter colligitur, quid dicẽdum ſit ad illam quæſtionem, vtrum ſi miniſter baptizet abſque intentione, ſuppleatur à Deo talis intentio? & iuxta communiorem, & probabiliorem doctrinam, negatiuè reſpondendum eſt, vt aſſerit Cabrera de Sacram. q. 64. art. 4. ſect. 1. §. 6. nu. 65. & erroneam putat contrariam ſententiam; ita etiam Homobon. in Exam. Eccleſ. par. 1. tract. 4. cap. 2. q. 10. Fernand. de Heredia in diſp. mixtis de Sacram. in genere, Suar. vt ſumitur ex loco cit. et Diana 3. p. de Sacr. tract. 4. reſol. 12. et ratio eſt, quia ſi Deus ſuppleret intentionem miniſtri, deberet etiam ſupplere in caſu neceſſitatis; ſed hoc iam oſtendimus eſſe falſum, et erroneum aſſerere, ergo etiam, et aliud; Deinde, quod Deus ſuppleat defectum miniſtri, non eſt fundatum in lege, aut promiſſione aliqua; At quod requiratur intentio miniſtri, eſt de fide; vnde neceſſariò dicẽdum eſt, infantem non baptizatum ex defectu miniſtri, non poſſe ſaluari; Contrarium tamen tenet Valent. tom. 4. diſp. 3. q. 5. pun. 3. cum alijs; ſed potius pia, quam vera ratione ducti.

14. Sed queritur vtrum de baptiſmo ſanguinis, ſcilicet, martyrij, idem dicẽdum ſit reſpectu puerorum, ac dictum eſt de baptiſmo flaminis? Et reſpondetur negatiuè, ſed dicendum eſt, dictos pueros capaces eſſe baptiſmi ſanguinis, & per illum ſaluari; ita D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. & quolibet 6. art. 4. Richar. in 4. d. 4. q. 3. Scot. Gabr. & alij d. 4. Sot. d. 3. Caiet. 2. 2. cit. Bonauẽt. d. 4. par. 2. art. 2. q. 2. quos ſeſequitur Suar. diſp. 29. ſect. 1. dicta doctrina ſumitur præcipuè ex ſanctis innocentibus, qui ex traditione, & ſenſu Eccleſiæ fuerũt veri martyres, cum ita illos appellet, & ſub hoc titulo celebret eorum feſtiuitatem; igitur, & conſecuti ſunt id, quod martyres adulti conſecuti eſſent, ſcilicet, effectum baptiſmi.

15. Neq; dicas tempore innocẽtium nõ fuiſſe baptiſmum; ſed circumciſionem, & ex conſequenti illos non fuiſſe ſaluos, niſi per dictam circumciſionem, & ſi aliqui fuerint non circumciſi, illos diſceſſiſſe in peccato originali, prout tenent Adrian. in 4. q. vlt. de baptiſm. ad 3. Armachan. lib. 8. de quæſtionibus Armenor. cap. 37. &

Alex.

Digitized by Google

Alex. Alenſ. 4.par. q.22. membr.5.art.1. nam reſpondetur primò, nõ omnes dictos pueros putandum eſt, fuiſſe circumciſos; cum circũciſio non dabatur, niſi in octauo die, & innocentes occidebantur ſtatim, ac erant extra vterũ matris; Secundò poſito, quod dicti innocentes nõ fuiſſent circumciſi; adhuc ex ſolo martyrio ſalui fuiſſent, nec Eccleſia illos veneratur propter gratiam circumciſionis; ſed ob mortem pro Chriſto ſuſceptam; quia hoc priuilegium martyrij, licet, ſemper fuerit ex meritis Chriſti, fuit tamen antiquius ipſo Chriſto, nec tale priuilegiũ fuit per Chriſtum dominum reuocatum; ſed confirmatum iuxta eius verba: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, &c.*

16. Dicendum eſt igitur, baptiſmum ſanguinis prodeſſe infantibus ad ſalutem abſq; baptiſmo aquæ; probatur etiam hæc ſententia ex communi Patrum opinione; nam Leo Papa ſerm. 1. de Epiph. ſic ait. *Quos Rex impius eximit mundo, Chriſtus inſerit Cœlo, & quibus nondum ſanguinis ſui impendit redemptionem, iam martyrij tribuit dignitatem*, & ſerm. 2. ſubiuxgit. *Ac ſi iam diceret, ſinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum Cœlorum, noua gloria coronabat infantes*, & infra, *vt diſceretur nullum hominẽ incapacem eſſe diuini ſacramenti*; & P. Auguſtinus lib. 3. de liber. arbitr. cap. 23. loquẽs de innocẽtibus ait. *Eos in honore martyrum receptos veneratur Eccleſia*; & lib. 2. de Symbol. ad Cathecum. c. 5. & lib. 3. cap. 4. dicit: *Innocentes martyres teſtimonium reddidiſſe innocentiæ Chriſti*; Vnde non ſine temeritate poſſet quis contrarium aſſerere.

17. Hic vltimò quæritur: quonam tempore cæperit baptiſmus aquæ eſſe neceſſarius ad ſalutem? & breuiter reſpondeo, id fuiſſe poſt Chriſti reſurrectionem, & poſt ſufficientem Euangelij publicationem; hæc cõncluſio ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. vbi ait. *Poſt Euangelium promulgatum, ſine lauacro regenerationis neminem iuſtificari*, ita Scotus cum alijs in 4. d. 3. & 4. Suar. diſput. 27. ſect. 4. vbi multos Patres affert.

De ritu conferendi Baptiſmum. Cap. XVI.

1 *Rebaptizans præter ſacrilegium, quod committit, fit irregularis.*
2 *In Baptiſmo requiritur Catechiſmus.*
3 *Cathecumeni erant in duplici differentia; alij vocabantur audientes, alij competentes.*
4 *In Baptiſmo requiritur etiam Exorciſmus.*
5 *Requiritur etiam ſcrutinium.*
6 *Officium Exorcizandi, & Cathechizandi eſt adimplendum à Sacerdote.*
7 *Fictè accedentes ad Baptiſmum, non recipiunt effectus eius.*
8 *Recedente fictione, baptizatus accipit effectus baptiſmi.*
9 *Ad tollendam fictionem requiritur contritio, vel attritio cum confeſſione.*

1 EST primò notandum, baptiſmum iterari non poſſe, vt iam diximus ſupra cap. 13. num. 3. & prẹter graue ſacrilegium, quod committeret miniſter rebaptizans, fieret etiam irregularis, & eſt ſententia communis omnium Doctorum, ex Suar. diſp. 31. ſect. 6. imò iuxta ius ciuile tam rebaptizanti, quam ſua culpa rebaptizato imponitur pœna capitis, lib. 2. C. Ne ſanctum Baptiſma iteretur, & lib. 1. C. Eodem dicitur; *Antiſtitem, qui ſanctitatem baptiſmatis illicita vſurpatione geminauerit, ſacerdotio indignum eſſe cenſemus*: tamen nunquam dictæ pœnæ iure ciuili potuerũt introduci, cum id pertineat ad Eccleſiam. Fit igitur rebaptizans, irregularis, vt etiã docet Nauar. cap. 27. num. 246. & Theologi in 4. d. 5. & 6. & fundatur hæc irregularitas in cap. 2. de Apoſt. vbi etiam Acolitus miniſtrans in tali caſu Sacerdoti, prohibetur aſcendere ad maiores gradus, etiam ſi delictum ſit occultum, quãuis cũ occulto poſſit Epiſcopus diſpenſare, aliter requiritur Pontifex; & hanc irregularitatem incurrit etiam rebaptizatus, dummodo ſit in culpa, cum hæc irregularitas contrahatur ratione delicti; quod ſi miniſter rebaptizet ſub conditione, licet, peccet niſi adſit debita cauſa; tamẽ irregularitatem

non incurrit; ratio eſt, quia in lege imponitur hæc pœna tantum rebaptizantibus, vt idem Suar. loco cit. dub. 5. & Auila de cenſur. par. 7. diſp. 7. dub. 3. licet, minùs probabiliter contrarium doceat Sayr. de cenſur. lib. 7. cap. 8. num. 23.

2. Deinde requiritur in Baptiſmo Cathechiſmus, ſeu inſtructio, quia vt ait D. Thom. q. 71. art. 1. ad hoc, vt aliquis fidem accipiat, requiritur, quod fide inſtruatur iuxta illud ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt;* & fundatur in verbis Chriſti Matth. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Ideò priùs ſunt baptizandi inſtruendi; vt explicat Baſil. homil. 1. de baptiſmo; quæ inſtructio debet eſſe non ſolum de rebus credendis; ſed etiam de agendis, vt ait P. Auguſtinus lib. de fide, & operibus contra aliquos hæreticos, docentes ſufficere inſtructionem de credendis. Vnde Chriſtus Dominus ſubiunxit. *Docentes ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis*; requiritur igitur inſtructio non ſolum credendorum; ſed etiam agendorum; ſicut non ſufficit credere, ſed neceſſe eſt etiam operari.

3. Ex dicto verbo Cathechiſmus, dicti ſunt baptizandi, Cathecumeni, qui erāt in duplici differentia; nam illi, qui tantum ſe applicabant ad fidem Chriſti, & ad res fidei audiendas antequam baptiſmum peterent, vocabantur, audientes, illi verò, qui poſtea quærebant baptiſmum, dabant ſimul eorum nomina, & baptizabantur, & vocabantur competentes: Vnde S. Pater Auguſtinus lib. de fide, & operibus c. 6. ait. *Hoc fit multò diligentiùs, & inſtantiùs his diebus, quibus competentes vocantur, cum ad percipiendum baptiſmum ſua nomina iam dederunt*; & lib. 9. confeſs. cap. 6. de ſeipſo ait. *Inde vbi tempus aduenit, quo nomen dare oporteret, relicto rure, Mediolanum remeauimus*; ad præſens autem omnes, ni fallor, vocantur cathecumeni.

4. Deinde requiritur exorciſmus ex Cæleſtino Papa; *Siue paruuli, ſiue iuuenes ad regenerationis veniant ſacramentum, non priùs fontem vitæ adeant, quam exorciſmis, & inſufflationibus Clericorum ſpiritus immundus ab eis abyciatur*; Vnde P. Auguſtinus de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 31. ait. *E ſufflationibus Clericorum ſpiritum immūdum abigi tam à paruulis, quam ab adultis*; quia vt benè ait D. Thom. q. 71. art. 2. *Diabolus hoſtis eſt humanæ ſalutis, quæ homini per baptiſmū exhibetur, & habet poteſtatem aliquam in hominem ex hoc ipſo, quod ſubditur originali peccato, vel actuali; Vnde conuenienter ante baptiſmum reyciūtur dæmonia per exorciſmos; & benedictio cum manus impoſitione præcludit expulſo viam, ne redire poſſit.*

5. Requiritur etiam ſcrutiniū ex antiquiſſimo vſu Eccleſiæ; Vnde Leo Papa Epiſt. 4. cap. 6. *Cathecumenos priùs ſcrutandos eſſe*; & D. P. Auguſtinus de fide, & operibus cap. 6. *Cathechizantur, exorcizantur, ſcrutantur, ſignantur etiā ſæpè Cathechumeni ſigno Crucis*; ſignificās, vt ait idem P. Auguſtinus ſupra; Cathecumenum concipi in vtero S. Matris Eccleſiæ. Deinde Sal in os miſſum, & narium, ac aurium ſputi linitio, ſignificāt receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures; & approbationē, quantum ad nares, & confeſſionem quātum ad os. Olei verò vnctio, ſignificat aptitudinem hominis ad pugnandum contra Diabolum.

6. Officium autem cathechizandi, & exorcizandi pertinet principaliter ad Sacerdotē; licet, miniſterialiter pertineat ad miniſtros, ſcilicet, ad Exorciſtas, quoad exorcizandū tantum. Vnde per Sacerdotē debet tale officium adimpleri. Sic enim ait Papa Nicolaus. *Cathechiſmi baptizandorū à Sacerdotibus vniuſcuiuſq; Eccleſiæ fieri poſſunt*, & Gregorius ſuper Ezech. *Sacerdotes, cū per exorciſmi gratiam manus credentibus imponunt, quid aliud faciunt; niſi, quod dæmonia eyciunt*, ex D. Thom. art. 4.

7. Sed quæritur, vtrum fictè accedēs ad baptiſmum recipiat ſacramentum, et virtutes eius? Et reſpondetur, tripliciter poſſe dici fictionem, primo modo per infidelitatē non credendo veritati ſacramenti, & accedendo per iocum, & abſq; animo illud ſuſcipiendi, & dicta fictio impedit omninò ne ſacramētū ſuſcipiatur, quia vt ſupra diximus, pro receptione ſacramenti, eſt omninò neceſſaria intentio ſuſcipientis; ſi autem non crederet, tamen vellet accipere, et verè habet intentionem accipiendi quidquid ſit, licet, per iocum, talis

fictio

fictio non impedit ſacramentum; nec characterem, ſed tantum gratiam, & alios effectus eius. Secundo modo fictio poteſt dici, quatenus quis non curet ſeruare cæremonias Eccleſiæ, vel quatenus accedit ad baptiſmum cum complacētia alicuius peccati venialis, & talis fictio, ſi non eſſet cum peccato mortali, vt ſi quis nollet obſeruare ritum eſſentialem quoad præceptum Eccleſiæ, nō impedit nec ſacramentum; nec effectus eius, quia peccatum veniale non impedit gratiam. Tertio modo fictio dicitur, quatenus quis accedit cū cōplacentia peccati mortalis, & talis complacētia, licet non impediat ſacramentum, & characterem, impedit tamen gratiam, & alios effectus ſacramenti; quia peccatum mortale contrariatur gratiæ, nec poſſunt eſſe ſimul.

8. Vtrum autem recedente hac vltima fictione, baptizatus recipiat omnes effectus ſacramenti? & affirmatiuè reſpōdet D.Thom.q.69.art.10. Suarez in commentario art.9. dictæ quæſt. D. Thom. Filiuc. tom.1. tract.2. de ſacram. baptiſmi cap.5. num.112.& communiter omnes, quæ concluſio ſumitur ex P. Auguſtino lib. 1. de baptiſm. contra Donat. cap. 12. tom.7. vbi ait. *Tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia, vel ſacrilegio perſeuerante, peccatorum ablutionem non ſinebat fieri*; & ratio D.Thomæ eſt, quia baptiſmus eſt quædam ſpiritualis generatio; & cum aliquid generatur, ſimul cum forma accipit effectum formæ, niſi impediatur; vel impedimento ſublato, ſtatim redit effectus eius; ita ſimiliter fictè baptizatus accipit formā baptiſmi, ſcilicet, ſacramentum, & characterem; ſed non effectum gratiæ propter obicem, ſed eo ſublato, ſtatim redit gratia.

9. Quid autem requiratur ad tollendam hanc fictionem, & habendos effectus baptiſmi? Reſpondeo breuiter, fictionem de peccato mortali in ipſa ſuſceptione baptiſmi habita, reputari ac peccatum commiſſum poſt baptiſmum; & ideò neceſſariā eſſe contritionem, vel attritionem cum confeſſione; & ſi alia peccata poſt baptiſmum commiſit baptizatus, debet de omnibus contritionem habere, vel illa confiteri, quod erit ſecuriùs, vt fuſiùs apud Suar. diſp. 28. ſect.5. §. Dico tertiò, quæ ſufficere poſſunt pro hoc ſacramento.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

De Materia, & Forma Sacramenti Confirmationis. Cap. XVII.

1 *Datur in Eccleſia Sacramētum Confirmationis inſtitutum à Chriſto Domino.*
2 *Apoſtoli in Miſſione Spiritus Sancti fuerunt confirmati, quia iam erant baptizati.*
3 *Dictum Sacramentum credendum eſt fuiſſe inſtitutum in nocte Cœnæ.*
4 *Materia huius Sacramēti eſt Chriſma, confectum ex Oleo, & Balſamo.*
5 *Non eſt de eſſentia Sacramenti, vt Chriſma recens ſit.*
6 *Chriſma eſſentialiter eſt conſecrandum ab Epiſcopo.*
7 *Probatur eadem doctrina.*
8 *Opinio Caietani examinatur, & confutatur.*
9 *Materia proxima huius Sacramēti eſt vnctio Chriſmatis in fronte, &c.*
10 *Eſſentialiter dicta vnctio eſt facienda manu immediata Epiſcopi, non tamen eſſentialiter requiritur, vt fiat pollice.*
11 *Ad eſſentiam Sacramenti non requiritur alia manus impoſitio.*
12 *Apoſtoli baptizauerunt per manus impoſitionem, & per vnctionem Chriſmatis.*
13 *Materia huius Sacramenti eſt ab Epiſcopo be-*

Digitized by Google

po benedicenda, quia ea vſus non fuit Chriſtus.

14 *Forma huius Sacramenti eſt de fide.*

15 *Forma ſi eſſentialiter mutetur, non fit Sacramentum, vt in baptiſmo dictum eſt.*

1 EST primò ſupponendum dari in Eccleſia Sacramentum Confirmationis inſtitutum à Chriſto Domino, quod eſt de Fide ex multis Concilijs, vt videri poteſt apud Bellarm.cap.4. de confirm.& ex Trid.ſeſſ.7.& 23.cap.4.& antea ex Concil.Magunt. cap.17. & Concil.Senonenſi in decretis morum cap.38.& iuxta D.Thom. non fuit inſtitutum à Chriſto Domino illud exhibendo; ſed promittendo; vt ſumitur ex verbis Ioan. 16. *Si non abiero paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero mittam eum ad vos*; quod intellige, non quod Chriſtus Dominus non iam inſtituiſſet hoc ſacramẽtum quoad eius materiam, & formam ante ſuam aſcẽſionem, ſicut omnia alia ſacramenta; ſed quatenus Chriſtus Dominus noluit dictum ſacramentum dari, niſi poſt ſuam aſcenſionem, quia non debebat dari Spiritus Sanctus ante Chriſti glorificationem, iuxta illud Ioan. 7. *Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus*; & ideò, vt benè ait D.Tho. dictum ſacramentum non fuit præfiguratum in veteri lege.

2 Neq; dicas, dictam promiſſionem de miſſione Spiritus Sãcti factam à Chriſto, adimpleri in baptiſmo reſpectu noſtri, ſed fuiſſe baptiſmum reſpectu Apoſtolorum, ideò exhortãs nos Apoſt.Petr. Act.2. ait. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* Nam licet Chriſtus Dominus vſus ſit verbo baptiſmatis, Act. 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*; tamẽ communis ſenſus Eccleſiæ, & Patrum eſt, per dictam miſſionem, ſignificari Confirmationem, quia Apoſtoli iam erant baptizati, quando Chriſtus in eis talẽ promiſſionem impleuit. Vnde Chryſoſt.hom.18.ad illa verba Petri; *Pœnitentiam agite, &c.* duo ſacramenta ſignificari ait, nempè, Baptiſmũ in remſſionem peccatorum; & Confirmationem per illa verba; *& accipietis Spiritum Sanctum*; quia ſemper Apoſtoli priùs dabant Baptiſmum, & poſtea Confirmationem; verba Chryſoſtomi ſunt hæc. *Non eſt idem aſſequi remiſſionem peccatorum, & accipere virtutem illam*; ideſt Spiritum Sanctum, & confirmatur, nã Samaritani erant baptizati, & tamen fuerunt ad eos miſsi Petrus, & Ioannes, vt accipere poſſent etiã Spiritum Sanctũ, ſcilicet, Confirmationẽ. *Miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cum veniſſent orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu.* Vnde patet miſſionem Spiritus Sancti ſuppoſuiſſe in Apoſtolis baptiſmum; ſicut etiam ipſi dictum Baptiſmum ſupponebant, dum dabant Confirmationem, ſeu dum per ipſorum manus impoſitionem dabatur Spiritus Sanctus.

3. Quoad tempus inſtitutionis dicti Sacramenti, non eſt certum, licet, certiſsimum, & de fide ſit, quod fuerit inſtitutum à Chriſto Domino, & ex conſequenti ante ſuam aſcẽſionem; Certum tamen etiam videtur, dictum Sacramentum fuiſſe inſtitutum in nocte Cœnæ, et ſumitur ex verbis Fabiani Papæ Epiſt. 2. cap. 1. vbi ait. *In illa die Dominus Ieſus, poſtquam cœnauit cum diſcipulis ſuis, & lauit eorum pedes; (ſicut à Sanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt) Chriſma conficere docuit; & ex conſequenti, totum ſacramentum inſtituiſſe credendum eſt.* Ita etiam tenent multi Patres, & ſequitur Suar. diſput. 32. ſect. 2. Filiuc. tom. 1. tract. 3. cap. 1. & alij.

4. Deinde, materia remota Confirmationis eſt Chriſma, quod confici debet ex Oleo, & Balſamo; quoad primam partem, patet hæc concluſio ex Concil. Florentino in decreto Eugenij, & ex Concil. Trid.ſeſſ.7.can.2.ideò de fide id tenẽdum eſt; & quod debeat confici ex Oleo. & Balſamo, id etiã de fide tenendum eſt, quia ſic loquitur Concil. Florentinum dicendo. Materiam huius Sacramẽti eſſe Chriſma ex Oleo, & Balſamo confectum; Attamen non omnes tenẽt Balſamum eſſe de eſſentia huius Sacramenti; nã Caiet.3.par.q.72. art.1. aſſerit eſſe tãtum de neceſsitate præcepti;

Digitized by Google

cepti; & idem docet Nauar. cap.22. nu.8. & Filiuc. tom.1. tract.3. de Confirmatione cap.1.nu.9.tamen licet,id non ſit adeò manifeſtè de fide; ita abſolutè tenendum eſt, quia nulla ratione poteſt contrarium probari;& quod omninò requiratur eſſentialiter Balſamum probatur ex continuo vſu Eccleſiæ,quæ id nō habet ex ſua inſtitutione; ſed ex Apoſtolica traditione, vnde P. Auguſtinus lib.4. de Baptiſ. cap.24. ait: *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*;& D.Gregorius in verba Cant.1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi* (ait;) *In Engaddi gignitur balſamum, quo cum Oleo Pontificali benedictione Chriſma efficitur, quo dona Sancti Spiritus exprimuntur*; & fundatur hęc opinio in verbis Cōcilij Florent. in decreto Eugenij, vbi ait. *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cuius materia eſt Chriſma confectum ex Oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ,& Balſamo,quod odorem ſignificat bonæ famæ per Epiſcopum benedicto*. Hæc ſententia eſt expreſsè D.Thom. & præcipuè in 4.contra gentes cap.60.vbi de ſubſtantia huius ſacramenti aſſerit; eſſe confectionem Olei,& Balſami, quæ Chriſma vocatur;& in 4.d.7.q.2.art.2.abſolutè ait, materiam Confirmationis eſſe Oleum balſamatum. Idem etiam docent omnes ferè Theologi, in dicto lib.4. ſent.d.7.&c. vt Bonauent.art.1.q.2. d.1. Richar.art.1. q.1.Scot.q.1.Durand.q.2. Alex.Alenſ.4. par.q.24.membr.2.art.2.§.2.Rabat.lib.2. de nat.rer.Hug.de S.Vict.lib.2.de ſacram. par.7.cap.1.Turrecrem.in cap.Literis nu. 3.de conſecr.d.3.Sylu.verb.Confirmatio, & alij multi, quos ſequitur Suar. diſp.33. ſect.1.Bellarm. autem ait. Neutram opinionem eſſe de fide, aut contra fidem. lib.2. de ſacrameuto Confirmationis cap. 8. & 9. Vnde iuxta communiorem ſententiam dicendum eſt, Vnctionem factam abſque Balſamo non conferre ſacramentum Confirmationis, quod expreſsè docet Concil. Colonienſe agendo de hoc ſacramento.

5. Sed primò quæritur, vtrum de eſſentia ſacramenti ſit, vt Chriſma recēs ſit, ſcilicet,illius anni,vt præcipitur in Cōcil. Carthag.4.cap.36.Parochis,vt à ſuis Epiſcopis ſingulis annis ante Paſchate ſolēnitatem Chriſma petant;& idem ſtatuitur in Concil.Vaſenſ. cap.4. in Concil.Tolet.1. cap. 12. & in cap. Quoniam de ſenten.excommunic. in 6.tamen reſpondetur id nō eſſe de neceſſitate ſacramenti; ſed de neceſſitate præcepti; nam in Concil.Florent. non dicitur;materia huius ſacramenti eſſe Chriſma; eodem anno confectum, nec id ſumitur ex alijs Concilijs;ſed tantum præcipitur renouari ob reuerentiā ſacramenti,ne fiat Chriſmate corrupto, vide Suar. loco cit.

6. Quæritur ſecundò,vtrum eſſentialiter requiratur,vt Chriſma,ſit ab Epiſcopo conſecratum?& affirmatiuè reſpondendum eſt,vt omnes ferè fatentur, licet Palud.in 4.d.7.q.1. num.19. & q.4.num.34. aſſerat conſecrationem eſſe de neceſſitate ſacramenti; ſed Eccleſiam poſſe authoritate abſoluta diſpēſare, vt conferatur hoc ſacramentum abſque conſecratione; quæ res ſunt omninò inter ſe repugnātes, quia ſi conſecratio eſt de neceſſitate ſacramenti, ergo ratione inſtitutionis Chriſti; & ex conſequenti non poteſt Eccleſia id mutare; & ſi concedatur id poſſe fieri, igitur conſecratio Chriſmatis non fuit ex Chriſti inſtitutione.

7. Vnde neceſſariò dicendum eſt; Chriſma debere eſſe cōſecratum ab Epiſcopo ex Chriſti inſtitutione, & ex conſequenti ad neceſsitatem ſacramenti. Hæc eſt ſententia D.Thom. q.72. art. 4. & omnium ferè Theologorum; & ſumitur ex Concil.Florent.cit.definiente. Materiam huius ſacramenti eſſe Chriſma ex Oleo,& Balſamo per Epiſcopū benedictum; Ideò in Synodo Rom. ſub Sylu.cap.3. & Cōcil. Tolet.1.cap.10.& Concil.Carthag.2.cap. 3.& Concil.3.cap.36.& Hiſpalen.2.cap.7. cauetur ne Chriſma à Presbytero, neque ab alio; quam ab Epiſcopo conficiatur; & ratio eſt; quia Chriſtus ita inſtituit, prout nobis ſufficienter traditur ex traditione Eccleſiæ, vt Suar.diſp.33. ſect.2. & Filiuc.tom.1.tract.3.cap.1.num.13.

8. Adeſt tamen opinio Caiet.ad citatum loc. D. Thom.vbi ait; *Pontificem poſſe delegare Sacerdoti ſimplici hāc facultatem conficien-*

ficiendi, & *conſecrandi Chriſma*; in quam ſententiam inclinat Sot. & Vict. in ſum. in materia de hoc ſacram. §. 43. & licet etiã id tribuatur Scot. d. 7. q. 1. ibi tamen non de hoc; ſed de miniſtro diſputat, & ratio horum Doctorum eſt, quia magis eſt confirmare, quam Chriſma conſecrare; ſed Pontifex poteſt Sacerdoti delegare pro confirmatione; igitur multò magis pro Chriſmatis conſecratione; & ita de facto conceſsit Gregorius XIII. cuidam Sacerdoti in India, cum hac conditione, vt vteretur Chriſmate conſecrato ab Epiſcopo. Hæc ſentẽtia Caietani quamuis videatur probabilis; tamen contraria omninò tenenda eſt, quia aliud eſt conſtituere materiam ad conficiendum ſacramentum, & aliud eſt miniſtrare ſacramentum, quod perſpicitur in allato exemplo, vbi licet Pontifex diſpenſauerit quoad miniſterium, non tamen diſpenſauit quoad materiæ præparationem; vnde in Concil. Vuormatien. can. 2. dicitur. *Chriſma conficere nullus præter Epiſcopum præſumat*; nam illi ſoli hæc dignitas conceſſa eſt, ideò nullum puto tutè poſſe ab hac ſententia diſcedere.

9. Quoad materiam proximam huius ſacramẽti: Dico materiam proximam eſſe vnctionem ex Chriſmate factam ad modum Crucis in fronte confirmati: quæ concluſio cõſtat ex generali regula, quod ſacramenta, quæ conſiſtunt in vſu, habeant pro materia proxima dictum vſum materiæ, ſicut etiam diximus de baptiſmo; vnde Tertullianus ait. *Caro vngitur, vt anima conſecretur, caro ſignatur, vt anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima ſpiritu illuminetur*; debet etiam fieri dicta vnctio eſſentialiter ad modum Crucis, quia ita ſpecificatur in forma dicti ſacramenti; vt D. Thom. q. 72. art. 4. ad. 3. Scot. in 4. d. 7. q. 1. Durand. q. 2. nu. 2. & alij. Et eſt facienda dicta Crux in fronte, quod ad minimum eſt de præcepto, vt D. Tho. art. 9. licet, Durãd. Scot. Palud. Gabr. Sot. Sylu. & alij aſſerant id etiam eſſe eſſentiale, & ſumitur ex multis Concilijs, & Patrum locutionibus; nam D. P. Auguſtinus ad Pſal. 141. ait. *Vſque adeò de Cruce non erubeſco, vt non in occulto loco habeam Crucem Chriſti; ſed in fronte portem* (deinde) *quædam ſacramenta aliter, atque aliter accipimus, quædam ore, quædam per totum corpus, quia verò in fronte erubeſcetur ille, qui dixit; qui erubuerit me coram hominibus, erubeſcam, & ego eum coram patre meo; ipſam ignominiam quodammodo, & quam pagani erubeſcunt in loco pudoris conſtituti:* vnde cum aliquod ſacramentum in fronte recipiendum ſit, id affirmandum eſt de confirmatione.

10. Vtrum autem eſſentialiter ſit facienda dicta vnctio manu, & pollice Epiſcopi? Reſpondetur, ſaltem eſſe de neceſſitate præcepti, ſcilicet, vt fiat pollice; ſed eſſentialiter debet fieri immediatè manu Epiſcopi, & non mediatè, ſcilicet, medio calamo, vel alio inſtrumẽto intinto Oleo, vt Suar. diſp. 33. ſect. 3. in fine; licet adſint alij, qui aſſerant difficiliter eſſe peccatum mortale, ſi Epiſcopus intingat alijs digitis; & non pollice dextro, vt Nugnus in 3. par. tom. 1. q. 72. art. 4. difficul. 3. concluſ. 4. & Dian. de ſacram. reſol. 28. in 3. par. ſed nõ eſt recedẽdum à prima opinione, Durand. lib. 6. Rationalis cap. 84. putat id eſſe eſſentiale, & ait: Pollicem Epiſcopi ad hoc ſpecialiter in eius cõſecratione conſecrari, vide etiam Filiuc. qui ſequitur doctrinã Suar. tom. 1. tract. 3. cap. 1. num. 17.

11. Sed quæritur vtrum etiam ad dictum ſacramentum requiratur manus impoſitio? & ex dictis iam conſtat totam materiam proximam huius ſacramenti conſiſtere in vnctione, &c. vt iam diximus, ſuper quam vnctionem cadit forma; Vnde poſt pronunciationem formæ, nõ eſt aliud eſſentiale. Dubium tamen eſt ex facto Apoſtolorum, qui videntur dediſſe hoc ſacramentum ſola manus impoſitione, Act. 8. & 9. *Imponebant manus ſuper baptizatos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Igitur ſola manus impoſitio abſq; vnctione, videtur ſufficere ad hoc ſacramentum. Et circa modum, quo confirmabant Apoſtoli; duæ ſunt opiniones; prima aſſerit, Apoſtolos ſemper ad cõfirmandum fuiſſe vſos manus impoſitione ſine Chriſmatis vnctione; ita Alenſis 4. par. q. 24. membr. 1. & 2. & Bonauent. in 4. d. 7. art. 1. q. 1. & 2. ſecunda ſententia eſt omninò contraria docens neque Apoſtolos, neque aliquem alium prẹter Chriſtum, ſeu Deum ipſum de-

Digitized by Google

dediſſe effectum confirmationis abſq; vnctione Chriſmatis, neque adhibuiſſe vnquam, ſaltem, vt neceſſariam, aliam manus impoſitionem præter eam, quæ in prædicta vnctione includitur, ita docet Bellarm. Card. lib. 2. de hoc ſacramento cap. 9.

12. Probabiliùs tamen dicendum eſt, vtroq; modo Apoſtolos confirmaſſe, nempè, & ſola manus impoſitione; & media vnctione. Primo modo confirmabāt, quando viſibiliter veniebat Spiritus Sanctus ſuper baptizatos per ſolam manus impoſitionem: & tunc dicta confirmatio non erat ſacramentum, quia non aderant cæremoniæ firmæ ſtabili lege inſtitutæ. Secundo modo baptizauerunt Apoſtoli poſtquam ceſſauerunt dicta ſigna externa, & tunc verè aderat ſacramentum; vt fuſè Suar. diſp. 33. ſect. 4. ex D. Thom. q. 72. art. 2. ad 1. & art. 4. ad 1. Palud. Sot. Ledeſ. Scot. Gabr. Richar. & alij apud dictum Suar. & ſequitur Filiucc. loc. cit. num. 18.

13. Sed cur materia huius ſacramenti, & Extremæ Vnctionis ſit neceſſariò ab Epiſcopo conſecrāda, & non materię aliorum ſacramentorum? reſpondet D. Thom. q. 72. ar. 2. materiam, qua Chriſtus vſus eſt in ſacramentis, vt in ſacramēto baptiſmatis, & Euchariſtiæ, aptitudinem ſumpſiſſe ad ſacramentum ex tactu ipſius Chriſti. Vnde Chriſoſtom. vt habetur de cōſecr. d. 4. nunquam aquę Baptiſmi purgare peccata credētium poſſent, niſi tactu Dominici corporis ſanctificatæ fuiſſent. Et ſimiliter ipſe Dominus accipiens panem benedixit; & ſimiliter accipiens calicem, vt habetur Matth. 26. & Luc. 22. ideò non eſt de neceſſitate horum ſacramentorum, vt materia priùs benedicatur, quia ſufficit benedictio Chriſti. At materia ſacramenti confirmationis, & Extremæ vnctionis, cum nunquam ea vſus ſit Chriſtus Dominus, ideò neceſſe eſt, vt prius conſecretur, ad hoc vt ſit apta ad ſacramentum.

14. Forma huius ſacramenti eſt. *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ità communiter omnes cum D. Thom. 3. par. q. 72. art. 4. & eſt concluſio de fide ex Concil. Florent. Vnde ſi quis omitteret expreſſionem Sanctiſſimæ Trinitatis, vel illud geminatum te, vel ſigno, & confirmo, aut Chriſmate ſalutis, non eſſet verum ſacramētum; nec ſimiliter ſi quis mutaret ſubſtantialiter dicta verba, prout diximus de baptiſmo; ita Suar. diſput. 33. ſect. 5. & aſſert Alenſ. Richar. Bonau. Scot. Sot. & alios. Idem docet Filiuc. to. 1. tract. 3. cap. 1. num. 20. & 21. & Bonac. diſp. 3. de Sacram. q. vnic. pun. 4. nu. 7. & ſeqq.

15. Et ſi dicatur confirmetur ſeruus Chriſti, ſicut in baptiſmo, etiam validum erit ſacramentum, quia mutatio nō eſt eſſentialis ex Bonac. loc. cit. licet, Dian. reſol. 27. tract. 4. de ſacram. aſſerat eſſet mortale, cum hoc nec ſit Græcis conceſſum in hoc ſacramento, putaretur tamen eſſentialis, ſi quis diceret. Signet te Deus ſigillo fidei ſuæ, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in conſignatione fidei, qua forma legimus Syluestrum Papam confirmaſſe Conſtantinum Imperatorem, vt habetur in edicto dicti Conſtantini; Verum in tali edicto non attenditur ad ſpecificandam eſſentialem formam, ſed narrandas cęremonias in dicta confirmatione factas; & præter hoc; olim Pontifices non omnia, quæ erāt de intrinſeca ratione ſacramentorum pandebant, ne myſteria fidei abſq; neceſſitate manifeſtarentur, ad euitandam forſitan illuſionem infidelium: vt ſumitur ex Epiſtol. 1. cap. 3. Innocentij I. vbi ait. *Verba vero dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere.* Vt Suar. loc. cit. vel ſaltē propter dubium, non eſt diſcedendum à forma prædicta.

De effectibus Sacramenti confirmationis, ac de ſuſcipiente, & eius Miniſtro. Cap. XVIII.

1 *Primus effectus Sacramenti Confirmationis eſt character.*
2 *Secundus effectus eſt augere, & roborare primam gratiam.*
3 *Maior eſt hac gratia, quam illa baptiſmi ſecundum quamdam conſiderationem.*
4 *Non eſt mortale omittere hoc Sacramentū.*

5 *Hoc*

4 *Hoc Sacramentum, licet, omnibus dari poſſit, debet tamen tantum conferri habitibus vſum rationis.*
6 *Hoc Sacramẽtum poteſt dari etiam amentibus, dummodo non habeant peccatum mortale.*
7 *Requiritur vnus, vel vna pro Patrino, & contrahitur cognatio ſpiritualis.*
8 *Miniſter huius Sacramẽti eſt tantum Epiſcopus, nec poteſt per alium conferri.*
9 *Epiſcopus poteſt confirmare ordinandos, etiam ſi non ſint de ſua Diaceſi.*
10 *Hoc Sacramentum multis cæremonijs conficitur.*

1 PRimus effectus ſacramenti Confirmationis eſt character, qui neceſſariò præſupponit characterem baptiſmi ex D. Tho.n. q.72. art.5. & 6. probatur ex Gregor. diſtin.5. *qui à Pontifice confirmatus fuerit denuò, talis iteratio prohibenda eſt*. Et ideò prohibetur, quia in eo imprimitur character, & quod præſupponat characterem baptiſmi probatur auctoritate Rabani in lib. de inſtit. cleric. *Nouiſſimè à ſummo Sacerdote per impoſitionem manus, paracletus traditur baptizato, vt roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum*; Vnde etiam concludendum eſt, non poſſe iterari; quod etiam eſt de fide ex Concil. Trid. ſeſſ. 7. can.9. de Sacram. in genere, & ex Concil. Toletan. 8. ſed ſi iteretur nõ incurritur irregularitas cum non ſit expreſſum in lege, ſicut de baptiſmo affirmauimus, vt Suar. diſput. 38. ſect. 1. & Filiucc. tract. 3. cap. 3. num. 54.

2. Secũdus effectus huius ſacramenti eſt augere, & roborare primam gratiam; & ita intelligendum eſt Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 2. de confirmatione, vbi definit hoc ſacramẽtum habere virtutem ſanctificandi; quia de prima gratia hoc non poteſt intelligi, cum hoc ſpectet ad baptiſmum, vt iam diximus, vel ad ſacramentum pœnitentiæ; vt idem Concil. Trid. ſeſſ. 7. & 14. docet. Vnde accedentes ad hoc ſacramentum non debẽt habere conſcientiam peccati mortalis, quia grauiſſimè peccarent, vel ſaltem debent habere contritionem ſaltem præſumptam, & hoc modo recipiẽt gratiam; vt D. Thom. q.72. art.7. ad 2. Caiet. ibidem, Sot. d.7. q.1. art.7. Filiuc. to.1. tract. 3. cap. 3. nu.45. Bonac. diſp. 3. q. vnic. pun. 4. num.. 7. & fuſiùs Suar. diſput. 32. ſect. 2.

3. Quænam gratia ſit maior, illa baptiſmi, an iſta confirmationis, diſputant Doctores, vt apud Suar. videri poteſt. Dicere tamen poſſumus; Gratiam confirmationis maiorem eſſe illa baptiſmi in ordine ad perficiendam, & roborandam animã contra impetus Diaboli; Eſſe autem minorem illa, in ordine ad remiſſionem peccati, quia illa baptiſmi remittit totam pœnam, quod non facit iſta confirmationis, & ſic reconciliari poſſunt Doctores, vt Filiuc. num.47. ex Bellarm. cap. 11. de confirmatione docet.

4. Deinde eſt hoc ſacramentum omnibus baptizatis exibendum ex D. Thom. vt ſupra art.8. ſed dubitant Doctores, an peccaret mortaliter, ſi quis omitteret hoc ſacramẽtum; & quamuis negatiuè reſpondeant; tamen ſi id ageret ex notabili negligentia, vel contemptu, vtiq; mortaliter peccaret, vt tenent, Richar. Bonauent. Bernard. Marſil. & alij cum Dian. de ſacram. reſol. 27. & id etiam docet Suar. diſp. 38. ſect. 1. contra nonnullos aſſerentes hoc ſacramentum eſſe ſumendum ex iure diuino, & alios docentes id eſſe ex iure humano.

5. Sed quæritur, vtrum ante ſeptemnium poſſit quis accipere hoc ſacramentum? Et reſpondetur affirmatiuè, licet, indecens ſit, ſi fiat abſque cauſa, ſi puer ante ſeptemnium habeat vſum rationis, vel ſi nunquam ſit habiturus talem occaſionem, aut ſi fuerit in periculo mortis, vel ſi id fuerit in conſuetudine in aliqua prouincia, nullum tamen adeſſet peccatum, cũ etiam pueris proximè natis dari poſſit, vt Bonac. de ſacram. diſp.3. q. vnica pun.4. num.5. Filiuc. tract. 3. cap.2. num.36. Suar. diſp.35. ſect. 2. & alij.

6. Poteſt etiam dari hoc ſacramentũ perpetuò amentibus, & ſi habuerint lucida interualla adhuc dari debet, dummodo non commiſerint peccatum mortale; quia in tali caſu malus probaretur, & malus, vt bonus, nullo modo præſumi poteſt, ſicut poteſt prẽſumi de tali amente, Filiuc.

num.

Digitized by Google

num.37.& Nugnus 3.par.q.72.art.8.concluſ.3. Sylu.verb. confirmatio diuina §.4. & alij. Vnde etiam ſi dictus amens non petierit hoc ſacramentum,adhuc dari poteſt; nec obſtat contrarium, quod docet Bonac.loco cit.num.6.

7. Requiritur etiam in hoc ſacramento patrinus, qui teneat ſuſcipientem hoc ſacramentum,ſicut diximus de baptiſmo. Non tamen in hoc contrahitur obligatio inſtruendi confirmatum, licet, contrahatur cognatio ſpiritualis ſicut in baptiſmo ex Trid.ſeſſ.24. cap.2. de reform.non tamen poteſt eſſe idem patrinus baptiſmi, & confirmationis, niſi neceſſitas adſit, ſic etiam non poteſt eſſe, niſi vnus,vel vna, & debet eſſe confirmatus, alioquin non contrahet cognationem ſpiritualem,cum non ſit verè ſuſceptor,eo quod nõ habeat conditiones ad id requiſitas, vt patet in cap. de baptiſm. de conſecr. d.4. imò mortaliter peccat tenendo, vt Filiuc.tract.3. cap. 3.in fine cum alijs, licet,cõtrarium doceat Dian. tract.4. reſol.21. de ſacram. Patrinus poteſt etiam eſſe Religioſus ex mendicantibus, quia in cap. Monachi de conſecr.d.4.intelliguntur illi tantum,qui ſolitudinem colunt, vt ſunt Monachi, non autem religioſi mendicantes, vt docet Camerot.de ſacram.tract.2.cap.4.num.8. & idem aſſerit de baptiſm. licet contrarium docet Layman.in Theolog.moral.tract.2. cap.9.num.3.

8. Miniſter autem huius ſacramenti eſt ſolus Epiſcopus, & ipſe per ſe tantum poteſt illud conferre, vt D. Thom. q. 72. art.1.quod probat auctoritate Vrbani Papæ, qui ait. *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt baptiſmum accipere debent, vt pleni Chriſtiani inueniantur*, & Euſebius Papa ait. *Manus impoſitionis ſacramentum magna veneratione tenendum eſt,quod ab alijs perfici non poteſt,niſi à ſummis ſacerdotibus, nec tempore Apoſtolorũ ab alijs, quam à dictis Apoſtolis legitur, aut ſcitur peractum eſſe, nec ab alijs, quam qui eorum locum tenent vnquam perfici poteſt,aut fieri debet:nam ſi aliter præſumptum fuerit,irritum habeatur, & vacuum, nec inter Eccleſiaſtica vnquam reputabitur ſacramenta*, hæc ille. Tamen de auctoritateabſoluta poſſet Pontifex committere Presbyteris,vt hoc ſacramentum conferrent,vt iam ſupra diximus factum fuiſſe à Gregorio XIII. vt docet D.Thom.ſupra in reſpon.ad 1.& in 4.d.7. vbi communiter omnes Theologi,ita ſentiunt, teſte Suar.diſ.36.ſect.2.

9. Sed quæritur,vtrũ Epiſcopus poſſit aliquem confirmare afferẽtem litteras dimiſſorias ſui Epiſcopi pro ordinibus, & affirmatiuè reſpondetur; imò etiam ſi Epiſcopus in ſua Diœceſi cõfirmaret aliquem alterius Diœceſis,in nullam cenſuram,aut culpam incurreret; quod præter Doctores citandos,docet Bonac.diſp.3. q.vnic.pun. 2.num. 10. licet, probabiliùs aſſerat eſſe contrarium. Addo etiam, quod ſi Epiſcopus conferret ordinem non confirmato, vel aliquis non confirmatus vellet ſuſcipere ordines,nõ peccaret mortaliter; quia nullibi reperitur hoc præceptum ſub mortali,neque id ſumitur ex Concil. Trid.ſeſſ. 23.de cõfirm.cap.4.vt docet idem Bonac. pun.4. num. 8. cum Suar. & alijs multis, & totam doctrinam traditã docet Molpheſius in ſum. tom.1. tract.4. cap.2. num. 21. Reginald.tom.2.lib.28.cap.3.num.24.Barboſa de poteſtate Epiſcopi par.2.alleg.30. num.12. Henriq.lib.3. cap.6. & alij, quos refert,& ſequitur Dian.de ſacram.tract.4. reſol.24.

10. Conficitur etiam dictum ſacramentum, ſcilicet, chriſma, & miniſtratur multis cæremonijs. Et prima cæremonia eſt benedictio olei chriſmatis, & benedictio balſami, & ambæ fiunt ab Epiſcopo, orationibus,deprecationibus,& ſigno Crucis, & ante olei benedictionem aſſiſtunt duodecim Sacerdotes, & Põtifex,qui omnes halant ſuper os ampullę habentis oleũ chriſmale,ad ſignificandum,quod dictum oleum ſanctificatur ad dandam Spiritus Sancti plenitudinem; nam Chriſtus volẽs Spiritum Sanctum dare Apoſtolis, in eos inſufflauit Ioan.20. Deinde fit mixtio balſami, & olei per Epiſcopum proferentem hæc verba. *Hæc commixtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio, & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum.* Poſt cõfectum chriſma, Pontifex veneratur chriſma dicens; *Salue ſanctum chriſma*, & oſculatur labri ampullæ ſecundò, & tertiò, & idem

faciunt duodecim Sacerdotes comitantes Pontificem; nam cum ſit res ſacra, debetur ei aliqua reuerentia, & veneratio peculiaris, vt optimè D. Tho. 2.2.q.99.art.3. contra aliquos hæreticos, qui has cæremonias vocant idolatriam. Requiritur etiam, vt fiat in feria quinta Cœnæ Domini, iuxta tẽpus deſignatum ab Eccleſia, vt ait Concil. Mandenſ. cap. 46. his verbis. *Præcipitur vt nemo ſacrum chriſma, niſi in quinta feria maioris hebdomadæ conficere præſumat*; ideò in cap. quoniam de ſent. excom. in 6. dicitur, chriſma eſſe conficiendum in die Cœnæ Domini, etiam ſi terra interdicta ſit; quoad valorem ſacramenti, omni tempore poteſt Epiſcopus chriſma conficere, vt colligitur ex cap. omni tẽpore de conſecr. d. 4. quod ſumptum eſt ex canonibus collectis à Martino Bracarenſi Epiſcopo cap. 154. vbi dicitur: *Omni tempore licere Epiſcopo chriſma conficere*, debet etiam fieri in Eccleſia, & in loco Presbyterij, & inter Miſſarum ſolẽnia cum vaſe præparato argenteo, vel vitreo, iuxta loci conſuetudinem, vt habetur in Pontificali Romano, & fusè narrat Suar. diſp. 37. ſect. 1. & Filiuc. tract. 3. cap. 3. num. 60. & ſeqq. quoad cæremonias, quibus adminiſtratur dictum ſacramentum, ſunt in Pontificali Romano, & de illis agit Suar. diſp. 37. ſect. 2.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

Quid ſit Euchariſtia, quænam eius inſtitutio, & neceſſitas. Caput XIX.

1 *Euchariſtia eſt Sacramentum conueniẽter inſtitutum à Chriſto Domino.*

2 *Euchariſtia habet triplicem ſignificationem.*

3 *Euchariſtia eſt Sacramentum continens Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus panis, & vini.*

4 *Sacramentum Euchariſtiæ fuit inſtitutum à Chriſto Domino in vltima Cœna.*

5 *Fuit inſtitutum poſt lotionem pedum, & anno Chriſti Domini 34. inchoato.*

6 *De hoc Sacramento præceſſerunt multæ figuræ in veteri teſtamento.*

7 *Hoc Sacramentum non eſt neceſſarium ad remiſſionem peccatorum, neque ad primam gratiam.*

8 *Sumptio huius Sacramenti, non eſt neceſſaria ad perſeuerandum in gratia, neq; ad beatitudinem.*

9 *Eſt tamen valdè efficax ad perſeuerandum in gratia.*

10 *Paruulis etiam daretur gratia, ſi illis adminiſtraretur hoc ſacramentum.*

11 *Vſus huius Sacramenti eſt neceſſarius ex præcepto diuino, non ratione medij.*

12 *Hoc præceptum diuinum, extenditur etiam ad infideles.*

13 *Non extenditur ad carentes vſu rationis à natiuitate, ſecùs ad alios.*

14 *Energumenis poteſt adminiſtrari hoc Sacramentum.*

15 *Hoc præceptum diuinum obligat in articulo mortis.*

16 *Et ſi infirmus nõ moriatur poſt octo, vel decem dies, iterum tenetur ſumere, ſi etiam fuerit in tali articulo mortis.*

17 *Tenetur quis ſumere ex præcepto diuino hoc Sacramentum aliquoties in vita.*

18 *Ex accidenti hoc præceptum diuinum non poteſt, moraliter loquẽdo, obligare.*

1 EVchariſtia eſt Sacramentum, & conuenienter inſtitutum à Chriſto Domino in ſpiritualem cibum animarum; hæc concluſio eſt de fide, vt ſumitur ex Matth. 26. & Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, & Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; &

ita.

Digitized by Google

ita fuit definitum in Concil. Florent. in literis vnionis, & Trident. ſeſſ.7. 13. & 21. habetur ex communi Patrum doctrina, & ſumitur ex D. Thom. q. 73. art.1. & ratio eſt, quia ſpecies ſacramétales ſunt ſignum ſenſibile corporis, & ſanguinis ſub illis contenti; Conferunt etiam gratiam, & eſt ipſamet cauſa gratiæ, ergo eſt ſacramentum; & eſt vnum tantum vnitate ſpecifica in ſpecie atoma integra, & perfecta, vt loquitur Suar. diſput. 39. ſect. 3. vel eſt vnum ratione perfectionis ex ſimilitudine refectionis corporalis, quæ conſiſtit in cibo, & potu, ita etiam hoc ſacramentum, cum ſit ſpiritualis refectio, conſiſtit in pane, & vino, ſcilicet, carne, & ſanguine Chriſti, ex D. Thom. art. 2. & ex Apoſt. 1. ad Corinth. 10. *Omnes vnum corpus ſumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus.*

2. Habet hoc ſacramétum triplicem ſignificationem, vnam reſpectu præteriti. Quatenus eſt rememoratiuum Paſſionis Chriſti, & ſic appellatur ſacrificium; Aliam ſignificationem habet reſpectu rei præſentis, ſcilicet, Eccleſiaſticæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc ſacramétum; & ſic nominatur communio; tertiam habet reſpectu futuri, ſcilicet, in quantum eſt præfiguratiuum fruitionis Dei; & vt ſic dicitur Viaticum, vel Euchariſtia, ideſt bona gratia, quia gratia Dei vita æterna, vel quia continet Chriſtum plenum gratia ex D. Thom. art.4. Sunt multa alia nomina, quibus nominatur hoc ſacramentum ratione diuerſorum effectuum, vt videri poteſt apud Filiuc. tract.4. cap.1. nu.1. Suar. loco cit. Bellarm. lib.1. de Euchar. cap.12. & alios.

3. Eſt igitur Euchariſtia ſacramentũ, quod ſub ſpeciebus panis, & vini continet corpus, et ſanguinem Chriſti ob conſeruationem ſpiritualis vitæ per Baptiſmum acceptæ; colligitur ex iã dictis, et ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap.2. Dicitur ſacramentum, loco generis. Dicitur ſub ſpeciebus panis, et vini, ad ſignificandam materiam remotam huius ſacramenti, quę deſinit eſſe, et remanent tantum eius ſpecies poſt conſecrationem; additur, ob conſeruationem, etc. quia finis huius ſacramenti eſt nutritio, et conſeruatio ſpiritualis vitæ. Conſiſtit etiam hoc ſacramentum in conſecratione, ſcilicet, in ſpeciebus panis, et vini conſecratis, et non in ſumptione contra aliquos hereticos docentes hoc ſacramentum conſiſtere in conſecratione, in ſpeciebus panis, et vini, et in ſumptione, et ſecũdum eorum opinionem, Euchariſtia ſi non ſumebatur, ſed recondebatur, non erat ſacramentum, quod eſt contra fidem, vt definitum fuit in Concil. Trid. ſeſſ. 13. can.4. Neque obſtat, quod Chriſma conſeruetur, et non eſt ſacramẽtum. Nam reſpõdetur, chriſma eſſe materiam remotam ſacramenti confirmationis, & dictum ſacramentum non fit, niſi per vnctionem ex dicto chriſmate cum debita forma verborum, quod non fit in Euchariſtia, quia iam acceſſerunt verba ad elementa, & ſic fit ſacramentum, Bonac. diſp.4. q.1. pun.1. num.6. Caiet. 3. par. q.75. art.1. Bellarm. par.2. lib.3. cap.5. & alij. Vel clariùs dicere poſſumus cum Filiuc. loco cit. num.20. Euchariſtiam cõſiſtere in ſpeciebus panis, & vini conſecratis, & in corpore Chriſti ibi exiſtente; aut conſiſtere in compoſito ex corpore Chriſti, & ſpeciebus; vt dicitur in cap. hoc eſt de conſecr. d.2. his verbis. *Sacrificium Eccleſiæ conſtare viſibili Elementorum ſpecie, & inuiſibili Ieſu Chriſti corpore.*

4. Fuit autem hoc ſacramẽtum congruentiſſimè inſtitutum à Chriſto Domino in vltima Cœna; eſt de fide ex Concil. Trident. ſeſſ.7. cap.5. & ſeſſ.13. cap.1. & 2. quod etiam ratione confirmat D. Thom. q. 73. art. 1. nam cum ipſe Chriſtus eſſet diſceſſurus à diſcipulis, voluit ſeipſum in ſacramentali ſpecie relinquere, ſicut in abſentia Imperatoris exhibetur veneranda eius imago; quod dictus Doctor ſumpſit ex Euſebio Niſſeno, qui ait. *Quia corpus aſſumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſyderibus, neceſſe erat, vt in die Cœnæ ſacramentum corporis, & ſanguinis ſui conſecraret nobis, vt coleretur iugiter per myſteriũ, quod ſemel offerebatur in pretium.* Secũdò id probat, quia ſine fide Paſſionis Chriſti, nunquam poterat eſſe ſalus, vt ad Rom. 3. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*, & ideò oportuit omni tempore apud homines eſſe aliquid

repræ-

Digitized by Google

repræſentatiuum Dominicæ Paſſionis.

5. In qua verò parte cœnæ, & in qua ætate Chriſti fuerit inſtitutum hoc ſacramentum; Dico breuiter, fuiſſe inſtitutum poſt pedum lotionem, & in anno 34. inchoato ætatis Chriſti iuxta meliorem ſententiam, licet multæ, circa hoc, ſint opiniones, quas omitto cum non pertineat ad noſtrum tractatum. Fusè tamen illas affert Suar. 2. par. tom. 2. de myſterijs vitæ Chriſti diſput. 40. ſect. 1. & 3. par. diſp. 41. ſect. 2.

6. Præceſſerunt etiam de hoc ſacramento multæ figuræ in veteri teſtamento, & præcipua fuit illa agni paſchalis, quia in illa exprimitur ſacramenti effectus; nam per ſanguinẽ agni paſchalis protecti ſunt filij Iſrael à deuaſtãte Angelo, & educti de Ægyptiaca ſeruitute; ſed ſi conſideretur quatenus eſt ſacramentum tantum, potiſſima eius figura fuit oblatio Melchiſedech, qui obtulit panem, & vinum; vel ſi conſideretur quatenus ſignificat ipſum Chriſtum paſſum, figuræ eius fuerunt omnia ſacrificia veteris teſtamenti, & præcipuè ſacrificium expiationis, quod erat ſolemniſſimum; & ſi conſideretur ſecundum eius effectum, ſcilicet gratiam, eius figura fuit Manna, quod habebat in ſe omnis ſaporis ſuauitatem: ſicut habet gratia huius ſacramenti, quę quoad omnia reficit mentem ex D. Thom. qu. 73. art. 6. & Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. tradit multas figuras huius ſacramenti præceſſiſſe, quas Magiſter, & Theologi explicant in 4. diſt. 8.

7. Quoad neceſſitatem huius ſacramenti, primò ſupponendum eſt, effectus gratiæ ad ſalutem neceſſarios ad duo capita reduci poſſe, ſcilicet, ad primam gratiam, & remiſſionem peccati originalis, & mortalis. Et ad perſeuerantiam in gratiam vſque ad finem vitæ. Vnde dico primò hoc ſacramentũ non eſſe per ſe inſtitutum ad remiſſionẽ peccati originalis, vel mortalis, atque adeò neque ad primam gratiam conferendam; hæc concluſio eſt omninò certa, & ſumitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. can. 5. vbi anathematis damnat eos, qui dicunt, præcipuum fructum huius ſacramenti eſſe remiſsionem peccatorum; Vnde non eſt huius ſacramenti remittere peccata, & ex conſequenti, nec dare primam gratiam; ideò antea dixerat idem Concil. cap. 2. *Sumi autem voluit ſacramentum hoc, tãquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit, qui manducat me, & ipſe viuet propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur.* Igitur iuxtà dictũ Concilium, hoc ſacramentum ſupponit ſpiritualem vitam, ſcilicet, gratiam, quam alit, & nutrit, & tollit tantum peccata venialia; quamuis prẹſtet auxilium pro mortalibus, ne committantur; & id etiam ſumitur ex Concil. Florentino vbi Eugenius Papa ſic loquitur. *Huius ſacramenti effectus, quem in anima efficit dignè ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum, & quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris eius vnitur, conſequens eſt, quod per hoc ſacramentum in ſumentibus dignè gratia augeatur.* Conſtat igitur ad hoc ſacramentum non ſpectare remiſsionem peccatorum, nec primam gratiam conferre; Et ſic eſt dicendum, nec eſſe neceſſarium medium tam pro pueris, quam pro adultis, ad obtinendam primam gratiam, vt docet D. Thom. lect. 7. ſuper 6. cap. Io. & in 3. par. q. 80. cum Caiet. art. 11. & Sot. d. 8. qu. 1. art. 3. & confirmari magis poteſt, quia Concil. Florent. & Trident. remiſsionem peccati, & primam gratiam tribuunt tantum ſacramentis baptiſmi, & pęnitentiæ, neq; dicas id etiam fieri per contritionem; quia Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. & 4. negat contritionem remittere peccata ſua propria virtute; ſed virtute ſacramenti pœnitentiæ, cuius votum includit.

8. Dico ſecundò actualem ſumptionem huius ſacramenti non eſſe medium ſimpliciter neceſſarium ad perſeruandum in gratia, vel obtinendam beatitudinem. Hæc cõcluſio eſt de fide, vt cõſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 21. can. 4. his verbis. *Si quis dixerit, paruulis, antequam ad annos diſcretionis peruenerint neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit.* Vnde conſtat paruulos decedentes cum ſolo baptiſmo, non indigere hoc ſacramẽto; & reſpectu adultorum idem eſt dicendum; nam ſi adultus baptizetur, & poſtea moriatur, vel perſe-

uerct

ueret in gratia, & poſtea abſque ſua culpa moriatur abſque hoc ſacramento, vtique ſaluus erit, ex Matth. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit*; Imò adultus abſq; vllo ſacramento ſaluari poteſt, dummodo ſaltem habeat votum ſacramenti baptiſmatis, vel contritionem; igitur maiori ratione actualis ſumptio Euchariſtiæ non erit medium ſimpliciter neceſſarium ad perſeuerandum in gratia, nec ad obtinendam beatitudinem.

9. Dicere tamen poſſumus, hoc ſacramentum Euchariſtiæ eſſe moraliter neceſſarium, ideſt valde vtile, & efficax ad perſeuerandum in gratia; adeò, vt dicere poſſimus, eum, qui voluntariè diù non percipit hoc ſacramentum, vix poſſe perſeuerare in gratia, ſeu non eſſe in peccato mortali, ita innuit D. Thom. qu. 65. art. 4. & clariùs in 4. d. 12. qu. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 1. & 4. contra gentes cap. 61. & D. Cyprianus exponens orationem dominicam ad illa verba. *Panem noſtrum*, ait, *Vt manifeſtum eſt eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Euchariſtiã iure cõmunionis accipiunt, ita timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur a Chriſti corpore, procul remaneat à ſalute, cõminante ipſo, & dicente. Niſi manducaueritis*, &c.

10. Et notandum, quod, licet, paruulis, vt diximus, hoc ſacramentum non ſit neceſſarium, tamen, ſi illud illis adminiſtraretur, vtique gratiam reciperent, ſicut etiam ſi reciperent ſacramentum ordinis, vel confirmationis; & ratio eſt, quia ceſſante prohibitione Eccleſiæ, poſſet hoc ſacramentum illis adminiſtrari, ſicut olim dabatur; imò, vt aliqui volebant, quos tacito nomine citat Suar. diſput. 40. ſect. 1. etiam pueris putabant eſſe neceſſariũ hoc ſacramentum ad ſalutẽ, ex verbis aliquorum patrum. Vnde certum eſt etiam pueros eſſe ex ſe capaces huius ſacramenti, & effectus eius, vt docet Bonac. diſp. 4. pu. 3. num. 2. ex Henriq. cap. 3. num. 5. Coninch. q. 80. art. 9. num. 77. & ex alijs cõtra Caietanum.

11. Sed quæritur vtrum vſus Euchariſtiæ, licet non ſit neceſſarius neceſsitate medij; ſit tamen neceſſarius neceſſitate præcepti diuini? & primò certum eſt hanc queſtionem fieri reſpectu adultorum, cum infantes non ſint capaces præcepti. Quo ſuppoſito, reſpondeo affirmatiuè, quod ſumitur apertè ex verbis Chriſti Io. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Nam ex huiuſmodi modo loquendi Chriſti domini, omninò infertur preceptũ, ſicut etiam dixit de baptiſmo. *Niſi quis renatus fuerit* &c. Quem ſenſum videtur amplecti Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. dicens. *Saluator noſter diſceſſurus ex hoc Mũdo ad Patrem, ſacramentum hoc inſtituit, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annunciare mortem, donec ipſe ad iudicandum veniat, ſumi autem voluit ſacramentum hoc, tanquam ſpiritualem animarum cibum*. Ex quibus verbis videtur Concil. intelligere adeſſe præceptum ex iure diuino circa vſum huius ſacramenti: ita docet D. Thom. 3. p. q. 80. art. 1. licet contrarium docuerat in 4. d. 9. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. quod poſtea hic retractauit. Ita etiam in 4. diſt. 9. aſſerunt Durand. q. 2. nu. 7. Palud. q. 1. art. 1. Richard. d. 12. ar. 6. q. 1. Sot. q. 1. art. 11. Ledeſ. q. 21. art. 11. Adrian. q. 1. de Euchar. Petr. Sot. lect. 9. de Euchariſt. Nauarr. cap. 21. nu. 57. Vittoria in ſumma nu. 86. Vaſq. 3. p. to. 3. diſp. 69. c. 3. Bellar. lib. 1. de Euchar. cap. vltim. Filiucc. tract. 4. de Euchar. cap. 2. nu. 46. Bonac. de Euch. diſp. 4. q. 1. pun. 3. nu. 3. Suar. diſput. 69. ſect. 1. & alij apud hos doctores, contra nonnullos etiam graues auctores, qui cõtrarium docuerunt; vt Caiet. qu. 7. art. 11. Ferrar. 4. contra gẽtes cap. 61. Alex. Alẽſ. 4. p. q. 51. memb. 4. Bonauent. diſt. 12. art. 5. Gabriel lect. 87. in Canonem, Sylueſ. verb. Euchariſtia 3. & alij, quos refert Suar. loc. cit. ſed à prima opinione non eſt diſcedendum cum hodie ita vniuerſaliter teneatur, & ita loquatur Concil. Trident.

12. Ad quos autem ſe extendat dictũ præceptum; nempe vtrum ſe extendat hoc præceptum tam ad adultos baptizatos, quam ad non baptizatos, & infideles? Et affirmatiuè reſpondet Suar. diſp. 69. ſect. 2. quia verba Chriſti generalia ſunt, & omnes comprehendunt, & omnibus Chriſtus intellexit legem imponere: neque obſtat, infideles non poſſe hoc ſacramento vti ob caren-

carentiam baptiſmi; nam aliud eſt debere vti, & aliud non poſſe vti; Vnde infideles, licet, non poſſint vti ob carentiam baptiſmi, non ex eo non ſunt obligati; quia ipſi tenentur baptiſmum recipere, & poſtea vti hoc ſacramento, ſicut, qui manent in peccato mortali, licet, non poſſint accipere hoc ſacramentum, non ex hoc non ſunt obligati; ſed tenentur ſacramentum pœnitentiæ recipere, & poſtea vti hoc ſacramento Euchariſtiæ; ita etiam docet Vaſq. 3. par. diſp. 214. c. 4. Scot. Richar. Adrian. & alij apud ipſum Suar. Reginald. lib. 29. num. 78. & alij; licet, non deſint, qui contrarium ſentiant; nempe, hoc præceptum non extendi niſi ad baptizatos, vt Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 3. Sanchez in opere morali lib. 1. cap. 12. num. 15. & alij; ſed hæc quæſtio parum videtur referre, cum certũ ſit, non baptizatos nõ poſſe hoc ſacramento vti.

13. Sed quæritur vtrum hoc præceptum ſe extendat ad carentes vſu rationis? & diſtinguendum eſt cum D. Thom. q. 80. art. 9. vel hi tales nunquam habuerunt vſum rationis à natiuitate; aut non ſemper illo caruerũt; ſi primò modo, præceptum nec diuinum, nec Eccleſiaſticum ad eos ſe extendit; ſi ſecundo modo, debet eis adminiſtrari in mortis articulo; vt habetur in Concil. 4. Carthag. cap. 76. & habetur in cap. 15. qui in infirmitate; vbi ſic dicitur. *Is, qui in infirmitate pœnitentiam petet, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit. Oppreſſus in infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim cõuerſus fuerit; dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionẽ, & infundatur ori eius Euchariſtia*; quam doctrinã etiam tradit Suar. ad dictum loc. D. Thom. ſect. 2. dub. 3. & putat, miniſtros, ſeu ad quos ſpectat, teneri ex præcepto dictis hoc ſacramentum adminiſtrare, quia non poſſunt illos priuare iure, quod habent ad ſacramenta, & cum immeritò priuarentur, ipſi tanquam miniſtri ad hoc deputati à culpa non eſſent immunes quod intellige, niſi adſit periculum vomiti, vel alterius grauis irreuerentiæ.

14. Eſt idem eſt dicendum de energumenis, ſeu poſſeſsis à dæmonibus; quibus ſtatutis temporibus, ſcilicet, iuxta arbitrium prudẽtis viri eſt adminiſtrandum hoc ſacramẽtum, non autem ſingulis diebus, vt docet Suar. loc. cit. §. quarto loco ex Timotheo Alexandrino in ſuis reſponſionib. ca. 3. & in mortis articulo eſt etiam illis adminiſtrandum, quamuis nõ fuerint ſui compotes, vt ſumitur ex Concil. Elibertino, vbi ſic habetur. *Qui à ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, & fideles fuerint, dandam eis eſſe communionem.*

15. Deinde videndum eſt quãdo, ſeu quo tempore obliget hoc præceptum diuinum, vt quiſque illud adimplere teneatur? Et reſpondeo, primum tempus eſſe articulum mortis, quia dicto tempore anima eſt in extrema neceſsitate ob varia pericula, & diabolicas tentationes ibi occurrentes, & ſicut non ſuccurrere corpori extremè indigenti eſſet mortale, multo magis animæ, & ideò vniuerſalis Eccleſia dicto tempore vtitur hoc ſacramento, & eſſet magnum ſcandalum illud omittere, ad quod euitandum quiſque tenetur, vnde Concil. Nicen. in cap. de his 26. q. 6. ait. *Cum iam iam morituris obſeruetur regula legis antiquæ, vt non fraudentur neceſſario viatico*; ex quibus verbis colligitur neceſſitas huius ſacramenti, & eius vſus tali tempore eſſe ex cõſuetudine Eccleſiæ, & emanaſſe ex Apoſtolorum traditione, & mandato Chriſti vt putat Suar. diſp. 69. ſect. 3. concl. 1. & Filiuc. tract. 4. cap. 2. nu. 47. ſequitur etiam dictam doctrinam Richard. d. 12. art. 6. q. 1. Durãd. d. 9. q. 2. Gabr. q. 1. Dominicus Sot. d. 2. q. 1. art. 11. Petr. Sot. lect. 9. de Euchar. quos citat, & ſequitur Suar. loco cit. tamquam doctrinam magis probabilem, vt ipſe loquitur, cum certum fundamentum non habeat. Ideò alij Doctores dicunt non eſſe mortale omittere hoc ſacramentum dicto tempore, etiam ſi fiat ex negligentia, dummodo non adſit contẽptus, Sylu. ver. Euchariſtia 3. in principio, & Armilla verb. communio num. 4. ſed hæc ſententia non eſt tuta ſaltem ratione ſcandali, præter præceptum conſuetudinis Eccleſiæ, vt docet Bonauent. in 4. d. 10. art. 3. q. 1. Alij tenent hoc ſacramen-

tum

Digitized by Google

tum obligare ſemel in vita tãtum, & ideò fideles nõ eſſe obligatos tempore mortis, ſi iam ſuſceperint antea, vt Caiet. in ſumma verb.communio,Ledeſm.q.21.art.11. & Victoria in ſumma num.86. & neq; hæc ſentẽtia eſt tuta,ex rationibus allatis. Alij etiam,vt Eman.Sà verb.Euchariſtia num. 1. ſic ait. *Qui in Paſchate communicauit ſi in articulo mortis non communicet ex negligentia quadam ſine contemptu, non peccat mortaliter;* & ita ſimiliter docet Palud. in 4. d.9. q.1.n.16.quæ ſentẽtia,vt aliæ, nõ eſt adeò tuta;ſed magis certa,& quæ vt vera eſt habenda,eſt prima ſentẽtia, quam docet etiã Laym. in Theolog.mor. lib.5. tract.4.cap. 5.nu.4. Fagundez præcept.3.lib.1. cap.3. num.8.& alij multi, quos ſequitur etiam Diana par.3.tract.4.de Sacram reſol.40.

16. Sed dubium eſt, quonam modo ſit deſignandum hoc tempus articuli mortis, ſcilicet, quodnam tempus debeat intercedere inter dictam ſumptionẽ ſacramenti, & mortem? & breuiter reſpondeo cum Suar. diſp.69. ſect.3. §. Rogabis, vel loquimur de præcepto,vel de cõſilio,ſi de præcepto; Infirmus, qui communicauit, & poſt octo, vel decem dies, iterum incidit in mortis periculum, debet ſimiliter iterum ſacram communionem ſumere ex præcepto. Et idem aſſerit Layman.de illo, qui antequam in mortis periculum incideret,ſumpſerat, (licet,non infirmus) hoc ſacramentum lib.5. tract.4. cap.5. num.4. vt ſupra, ſed hoc non puto eſſe adeò tutum,quia ſacramentnm eſt ſumendum ratione neceſſitatis præſentis, & ſicut non diceretur quis ſuccurrere preſenti neceſſitati extremæ proximi, quãuis antea ſuccurriſſet, & mortaliter peccaret contra charitatem; ita etiam nõ dicitur quis ſuccurrere animæ ſuæ de præſenti indigenti, eo quod antea ſuccurrerat. Loquendo autem de conſilio,talis infirmus deberet etiã quotidie in tali articulo mortis dictum ſacramentum ſumere per modum viatici, & quamuis non eſſet ieiunus. Ità Suar. loco cit. ſed non poſſet quis bis in vna die illud ſumere ob Eccleſiæ prohibitionẽ, at quod non poſſit ſumi ſemel in die, nulla adeſt prohibitio,vt idem Doctor.

17. Obligat etiam hoc præceptum diuinum, vt ſumatur hoc ſacramentum non ſolum in articulo mortis; ſed aliquoties in vita; de quo non poteſt dari certa regula, ſed relinquitur arbitrio boni viri, & poſſet aſſignari tẽpus quatuor,vel quinque annorum, quia maior dilatio non videtur rationabilis; vt Filiuc. tract.4. cap. 2. num. 50. docet ex Suar. diſp. 69. ſect.3.

18. Per accidens autem, nunquam poteſt hoc præceptum obligare ad communionem, vt quidam volebant, docentes ex peccato mortali ſuperueniente poſt vltimam communionem,etiam in fine vitæ per modum viatici factam, teneri homines hoc ſacramẽtum ſumere, ita vt neceſſarium ſit nõ decedere ex hac vita cum ſacramento pœnitentiæ tantum; ſed eſſe etiam neceſſariam communionem;vt Sot. diſt.12. q.1.art.11. Tabien.verb.communicare num. 16. & ſumma Armilla verb. communio num. 1. quod cum nullo fundamento certo aſſerãt, ideò faciliter reijciuntur,vt Suar.loco cit.§.Secundum modum,& Filiuc.tract.4.cap.2.num.52.Si tamen daretur caſus grauis,vt diuturnæ tentationis,in quo quis ſæpe incideret, & expertus eſſet ex ſola perceptione Euchariſtiæ poſſe dictam tentationem vincere, tunc dicendum eſſet,quod quis teneretur; ſed talis caſus moraliter loquendo,eſt impoſſibilis,quia non deſunt alia remedia ad vincendas tentationes, vt ſunt orationes, ieiunia, pœnitentiæ, &c. & ſi hæc inſufficientia erunt, vix poterit eſſe ſufficiens ſacramenti perceptio; ſed ſuppoſito caſu, ad hoc quis obligaretur non ex præcepto diuino ſumendi Euchariſtiam;ſed ex præcepto vincendi talem tentationem, vt Suar. loco cit.Petr.Sot.lect.9. de Euchar. & Filiuc.loco cit.num.51.

De Præcepto Eccleſiaſtico ſumendi Euchariſtiam, & quomodo obliget. Cap. XX.

1 *Datur præceptum ſumendi Euchariſtiam ſemel in anno.*

2 *Dictum præceptum obligat intra latitudinem*

nem anni decimi, & decimiquarti.

3 *In caſu mortis, non eſſet expectandum tam longum tempus.*

4 *Pater, Tutor, Curator, & Dominus tenentur procurare, vt filij, & ſerui hoc ſacramentum debito tempore recipiant.*

5 *Præceptum ſumendi Euchariſtiam, obligat tempore Paſchatis.*

6 *Qui non ſuſcipit in Paſchate, liber manet vſque ad aliud Paſcha.*

7 *Nullus vnquam tenetur anticipare communionem.*

8 ~~*Recipiens hoc ſacramentũ in peccato mortali, ſatisfacit præcepto.*~~ damnata est

9 *Transgreſſor huius præcepti, non afficitur ipſo facto aliqua cenſura.*

10 *Hoc præceptum poteſt adimpleri in propria Parochia, vel Cathedrali.*

11 *Poteſt quis communicare die Paſchatis in alijs Eccleſijs, dummodo adimpleat præceptum in Parochia.*

12 *Licitum eſt ex parte ſacramenti, communionem quotidie ſumere.*

13 *Conſultiùs eſt ſæpè, quam rarò communicare.*

14 *Sumptio huius ſacramenti, debet ad ſummum concedi ſemel in quolibet octauo die.*

1 CErtum eſt dari in Eccleſia præceptum ſumendi Sacramentum Euchariſtiæ ſemel in anno in Paſcha, vt conſtat ex cap. Omnis vtriuſq; ſexus de pœniten. & remiſs. vbi hæc verba notantur. *Omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit ſemel ſaltem in anno confiteatur ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum; niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum, alioquin, vt viuẽs ab Eccleſia ingreſſu arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura.* Ex quibus verbis duo colliguntur; Primum, hoc præceptũ dirigi tantum ad omnes fideles baptizatos; & hoc meritò, *quia de his, qui foris ſunt nihil ad nos*, ait Apoſt. 1. ad Corinth. 15. Secundum dirigi tantum ad adultos. Vnde in Concil. Trident. ſeſſ. 13. can. 9. excommunicantur omnes contrarium aſſerentes.

2. Sed quæritur quonam tempore homo obligetur ad hoc præceptum? & ratio dubitãdi eſt, quia ætas diſcretionis non in omnibus eodem tempore reperitur; deinde certum eſt, vt omnes Doctores fatentur, & vniuerſalis vſus Eccleſiæ docet, alios annos requiri ad cõfeſſionem, & alios ad ſacram communionem; nam ad confeſſionẽ ſufficit, vt homo ſit capax peccati mortalis, & ſtatim obligabitur, quia eſt ſacramentum maioris neceſſitatis; at Euchariſtia cum ſit ſacramentum maioris dignitatis, maior reuerentia requiritur, & ex conſequenti maior diſcurſus; & verba legis per accommodationem ad ſacramenta intelligenda ſunt. Vnde Sotus in 4. d. 9. art. 11. ait, hominẽ obligari in anno duodecimo, quia dicto anno incipiunt homines obligari legibus Eccleſiaſticis; ſed hæc ratio non videtur ſufficiẽs, tum quia multi in dicta ætate non habent perfectum diſcurſum; tum quia leges Eccleſiæ indifferenter obligant; nam præceptum ieiunij obligat in anno 21. & præceptum abſtinentiæ à carnibus obligat ante annos duodecim, & ſic etiam præceptum audiendi miſſam, igitur dictum fundamentum non videtur aptum; Alij etiam dicunt extendi vſque ad annum decimumquartum, vel quintum; ſed neque hoc videtur apta regula, quia multi ante dictam ætatem habent rectum diſcurſum, & benè capaces ſunt myſteriorum fidei; & hi vtique ſunt obligati. Vnde dicendum puto, non poſſe aſſignari indiuiſibile tempus, quo homines obligentur; Verùm tale tempus non poteſt eſſe infra decimum annum, nec vltra decimumquartum; ſaltem ordinariè loquendo. Et ratio eſt, quia in dicta annorum latitudine ſolet videri magna varietas, & in dubio tenetur vnuſquiſq; parentes, Parochum, vel Confeſſorem conſulare. Sed nec eſt accipiendum dictum præceptum cum tanto rigore, vt ſtatim, quod quis habet verum iudicium, & diſcretionem, teneatur communionem ſumere; ſed poteſt id poſt vnum, vel duos annos agere, vt notat Sotus, quod puto verum, dummodo non fiat exceſſio ſaltem notabiliter vltra ætatem quatuordecim annorum licet, ſecuriùs hoc ſemper fieri de-

debeat conſilio confeſſarij. Dictam doctrinam tradit Suar.diſp.70.ſect.1.Caiet. in ſumma verb. communio, Azor. 1. par. lib.7.cap.3. q.10. D.Thom.in 4. d.9. q.1. art.5.quæſt.4.Maior eodem loco q.2. Nauar.cap.21.num.45.& alij communiter.

3. Sed dubium eſt, vtrum idem dicatur in caſu mortis? Et reſpondeo in caſu mortis teneri hominem dictam ſacram Euchariſtiam ſumere,dummodo ſit capax peccati mortalis, & dummodo non appareat nimium puerile iudicium,quia in tali capacitate, & ætate ſicut tenetur ad confeſſionem, ita etiam tenetur ad communioné,& poteſt etiam ſumere Oleum Sanctum;ratio eſt,quia tunc viget præceptum diuinum. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis &c.* Quod quilibet tenetur adimplere meliori modo, quo poteſt, maximè cum nõ expectet melius tempus;ita Suar. diſp.70. ſect.1. §.Quæres tandem, Nauar. cap.21.num.57. Bonac.diſp.4.q.7.pun.2. num.4.Reginald.lib.29.nu.84.licet Vaſq. contrarium doceat 3.par.diſp.214. cap.4. num. 41. & Nauar. licet, afferat eandem opinionem; tamé aſſerit; quod ex ſuo conſilio vtrique dicti pueri doli capaces communicarent; & ideò ipſum pro prima opinione citaui; Attamen hæc ſecunda opinio non videtur improbabilis, & ni fallor, ita videtur vſus vniuerſalis, ſcilicet, vt pueri infirmi non communicent, niſi habeant ætatem, in qua obligati eſſent, licet, in caſu mortis non eſſet expectanda tam longa ætas; ſed ſufficeret ætas duodecim annorum tantum, & in tali caſu, & ætate puto omninò primam opinionem eſſe ſequendam.

4. Et notandum, quod Pater, Tutor, & Curator, teneãtur procurare, vt Filij, pupilli, & minores,quorum curam gerunt & ſic etiã famuli domi ſuę viuẽtes,Euchariſtiã ſuſcipiant tẽpore debito; aliter mortaliter peccare;& dicti filij,&c.nõ peccãt;ſi ex eo non cõmunicent,quia expectãt monitionem à Patre,vel Tutore, &c. Ita Nauarr. cap. 21. num. 57. nec etiam dicti filij peccabunt, ſi ex eo non cõmunicent, quia à parentibus prohibentur, cum ad dictos parentes pertineat explorare an filij ſufficientes ſint ad id agendum; & in caſu dubio debent confeſſariũ conſulere,vt Emanuel Sà ver. Euchariſtia nu.12.Bonac. diſput.4.quæſt.7.pun.2.nu.1.& Nauarr.loco citato.

5 Obligat etiam hoc pręceptum tempore Paſchatis, vt patet ex verbis legis citatę, & ex Cõcil.Trid. ſeſſ.13.can.9.quod tempus non accipitur indiuiſibiliter pro die Paſchatis: ſed comuniter pro ſpatio quindecim dierum, ſcilicet, à dominica oliuarum vſq; ad dominicam in albis, vel iuxta Patriæ conſuetudinem, vt Mediolani,vbi hoc tempus incipit à prima die quadrageſimæ. Tenetur etiam quiſque ſumere hoc ſacramẽtũ de manu proprij Sacerdotis, ſcilicet, Parochi,aut alterius ex eius facultate, vt dicitur in cit. cap. omnis vtriuſque ſexus. Filiucc. tract. 4. cap. 2. num.55. Suar.diſp.70. ſect.2. §.ſed circa, Nauarr.cap.21.num.45.Bonac.diſp.4. q.7.nu.6.& 7. Azor.1.p.lib.7.cap.41.q.2. & 6.& alij communiter.

6. Sed dubium eſt, an qui in Paſcha non ſuſcepit hoc ſacramentum, liber maneat vſque ad ſequens paſcha? & affirmatiuè graues doctores reſpondent, vt Sot. in 4.diſt.18.q.1.art.4.D.Antoninus 2.par. tit.9. cap.9. §.3. Syluеſ. verb. Euchariſtia 3.q.15.Tabbien.verb.communio q.7.Medina C. de pœnit. quæſt.de confeſs.ſemel in anno agẽda, Victoria in ſumma nu.137. Valent.to.4. diſp.6.q.8.pu.4. Tolet.lib.6. cap.18. Henriq.lib.8.cap.5. nu.1. & Emanuel Sà verbo Euchariſtia num.7. & ratio horum doctorum eſt, quia præceptum affirmatiuum non obligat pro ſemper, ſed pro tẽpore,quod limitatur à tali pręcepto; vt v. g. præceptum audiendi ſacrum,ieiunandi, aut recitandi diuinum officium,nõ obligat tranſacto illo die; igitur idẽ etiam erit dicendum in pręcepto Communionis pro qua lex determinauit tempus Paſchatis, hæc opinio probabilis, & tuta eſt non ratione verborum,quæ extant in cap.omnis vtriuſque ſexus in principio relata,ſed quia vſus Eccleſiæ ita determinauit tempus Paſchatis, vt ſi quis communicet centies in anno, & non in Paſcha, Eccleſia non cẽſeatur ſatisfacta, & ideo talem cenſuris puniret; Vnde ex hac temporis taxatione, ſumitur, vt extra dictum tempus

nullus obligetur, niſi ad ſequens Paſcha. At ſi velimus cōſiderare verba legis, vtiq; quis teneretur poſt Paſcha quamprimum cōmodè poteſt hoc ſacramentum ſumere, nā illa verba, ad minus in Paſchate, ſignificant tempus taxari tanquam conditionem accidentariam, congruam, & conuenientem;& non tanquam quid principale, in quo ſit omninò præceptum adimplendum, vt ſunt pręcepta ieiunij, officij diuini &c. At præceptum Euchariſtiæ duas partes principales includit, vna eſt, vt communio non differatur vltra annum; altera eſt, vt fiat ſaltem in Paſcha; & prima eſt magis intenta, quam ſecunda, vt ex contextu colligitur, igitur ſi ſecunda pars non fuerit adimpleta, debet adimpleri prima, vt adimpleatur intentio legis;& hanc opinionem tenet Suar. diſp.70. ſect.2. vbi fusè,& eruditè hoc diſputat;idē docet multis rationibus Nauarr. cap.21. nu.45. vbi ait, tempus ſi præfiniatur ad finiēdam obligationem, eo lapſo, ea finitur, cap. ſicut de ſponſ. quando tamen præfinitur ad dilatandam ſolutionem, nō finitur per lapſum ipſius; imò vegetior efficitur; vnde cum dictum tempus ſit taxatum in communione, vt intra latitudinem ad ſummū vnius anni quiſque debeat ſacram communionem accipere, ſequitur vt eo lapſo, non finiatur obligatio, ſed maior efficiatur;ſicut qui habuit tempus determinatum ad ſoluendum debitum, vel tenetur ſoluere tributum tali tempore; eo lapſo, non remanet liber à ſolutione debiti, & hāc opinionem probabiliorem putat Filiucc. tract.4. cap.2.num.58. ſic etiam Coninch. qu. 80. art.11.dub.4.num.109. dictam etiam opinionem docet Azor.1.p.lib.7.cap.41.q.5. Reginal.lib.29.nu.75.Nugnus qu.89. art. 11. diff. 2. ver. nihilominus, & valdè probabilem putat hanc opinionē Bonac.diſp. 4.q.7.pu.2.n.13.§.dixi in reſponſione, vbi plures affert Doctores, qui hanc opinionē abſolutè ſequuntur.

7. Aliud dubium ſimile eſt, vtrū, qui præuidet communicare non poſſe in Paſchate, teneatur communionem anticipatè ſumere? & negatiuè reſpondet Suar. diſp.70.ſect.2.§.Tertium dubium,& ratio eſt, quia nullus tenetur ad anticipandum actum præceptum, niſi tali actu ſatisfaciat præcepto, ſed ſic eſt, quod in tali caſu non eſſet ſatisfactum præceptum; ergo neque tenetur talem actum præuenire; patet ex ſupra dictis, quia in Paſchate adhuc quis obligaretur ad communionem, igitur per anticipationem non ſatisfacit,ſequitur Filiucc.tract.4.cap.2.num.59.& Bonac.cum multis alijs diſp. 4. q. 7. pu. 2. nu. 15.

8. Sed quæritur, Vtrum recipiens ſacramētum Euchariſtiæ in peccato mortali, adimpleat præceptum cōmunionis annualis? & licet, Nugnus q.80. art. 11. difficult. 3. dub. 4. negatiuè reſpondeat cum alijs apud ipſum, tamē affirmatiuè reſpondendum eſt;quia tum pręcepta, tum ſacramenta adimplentur, licet, adſit culpa mortalis, vt ſi quis audiat miſſam praua intentione, vel ieiunet in peccato mortali, vel ſuſcipiat ordines, aut alia ſacramenta; dicuntur adimpleta dicta præcepta, & ſacramenta, quamuis adfuerit peccatum; ergo idem erit dicendum de Euchariſtia: deinde, vt ait D. Thom. 1.2. q.101. art.9. lex præcipiens actum, præcipit ſubſtantiam eius,non modum,niſi modus eſſet eſſentialis actui ſecundum ſe, vt eſt attentio in oratione, & integritas in confeſſione; Vnde benè ſatisfacit præcepto, qui ſumit hoc ſacramentum, licet, indignè ſumat. Ità Suar.diſp.70.ſect.3. & ex Cordub. in ſumma Hiſpan. q.15. Sot.lib.2. de iuſtitia q.3. art.3. & Couar. in cap. Alma mater, idem docet Filiuc.tract.4. cap.2.num.60. Azor. 1. par. lib.7. cap. 41. q.12. Bonac. diſput.4. q.7. pun. 2. num. 12. cum alijs multis.

Damnata est hæc opinio.

9. Eſt hic notandum tranſgreſſorem huius præcepti,non affici ipſo facto aliqua cēſura Eccleſiaſtica, vt ſumitur ex verbis in principio allatis, ex cap.Omnis vtriuſq; ſexus; pręcipitur tamen ibi, vt arceri debeat tranſgreſſor ab ingreſſu Eccleſiæ, & ab Eccleſiaſtica ſepultura,quæ pœna ſi nō imponatur, non incurritur; nec quis excuſatur ab hac pœna,ſi tātum omittat cōmunionem, & non confeſſionem; quia pręceptum eſt quoad vtramque partem adimplēdum,ſcilicet,tam quoad confeſſionem, quam quoad communionem.

10. Secundò notandum eſt, hoc præce-

ce-

ceptum eſſe adimplendum in propria Parochia, vt Parochus tamquam Paſtor cognoſcat oues ſuas,& ſumitur ex verbis legis in principio allatis;dicitur etiam adimpletum tale pręceptum; ſi quis id agat in Eccleſia Cathedrali, quia ibi reſidet Paſtor principalis omniũ Parochiarum, imò id etiam poteſt fieri inuito Parocho; cum ad Epiſcopũ principaliter pertineat cura animarum, ex cap. Quęcunque 10. q. 1. & cap. Pręcipimus 12. q. 1.

11. Tertiò notandum eſt, illum; qui iam adimpleuit hoc pręceptũ in propria Parochia, vel Cathedrali ante diem Paſchæ,aut vult illud adimplere poſt dictum diem;poſſe in dicto die Paſchatis communicare in quacunque alia Eccleſia, etiam mendicantium, & ritè alij Sacerdotes, & Mendicantes poſſunt dictum ſacramẽtum adminiſtrare;quia,licet,in priuilegijs concedatur eis adminiſtratio ſacramentorum excepto die Paſchatis,id tamen intelligendum eſt iuxta latitudinem dicti temporis, in quo quis poteſt pręcepto ſatisfacere, vt fusè Suar. diſp. 72. ſect. 2. §. Dubium ſecundum.

12. Sed quæritur, vtrum liceat hoc ſacramentum quotidie ſumere?& affirmatiuè reſpondet D.Thom. q. 80. art. 10. ex P. Auguſtino ſerm. 28. de verbis Domini tom. 10. qui ait: *Iſte panis quotidianus eſt, accipe quotidie,vt quotidie tibi proſit*, & ratio eſt, quia virtus dicti ſacramenti eſt ſalutaris,& vtilis omnibus hominibus; ideò D. Ambroſ.lib. 4. cap. 6. tom. 4. et habetur de conſecr.dub. 2. cap. 4. ait. *Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo ſemper accipere; qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam*; ſed hæc doctrina,vt benè ait D.Thom.eſt, quoad dignitatem,et bonos effectus,quos operatur dictum ſacramentum; At quia ex altera parte requiritur etiam reuerentia,ideò, (vt Sanctus ait:) *Non eſt vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc ſacramentum accedere*. Ideò Pater Auguſtinus loco cit. ſubiungit. *Sic viue, vt quotidie merearis accipere*;debet enim quis procurare priùs vitam ſanctã agere, et poſtea accedere; ideò idem Pater dixit,lib. de Eccleſiaſt. dogmatibus cap. 53. to. 3. et habetur de conſecr. d. 2. cap. 13. *Quotidie communionem accipere, nec laudo,nec vitupero*.

13. Certum tamen eſt conſultiùs eſſe frequentiùs communicare, quam rariùs. Ità communiter omnes Theologi; vt D. Thom. loco cit. et in 4. diſt. 12. q. 3. art. 1. queſtiunc. 2. ibi etiam Bonauent. Richar. Palud. Gabr. Petrus Sot. lect. 9. de Euchar. et ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 8. et ſeſſ. 22. c. 6. vbi dicitur. *Optat ſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtãtes cõmunicarẽt*, et D. Chryſoſt. Homil. 28. in 1. ad Corinth. dicit,ſemper eſſe tempus accedendi, ſi ſemper conſcientia ſit pura; et idem ſumitur ex omnibus alijs Patribus.

14. Pro praxi tamen dicendum eſt, non eſſe conſulendum,vel ſaltem raro, vt quis frequentiùs, quam octauo quoque die communicet. Ità Suar. ex communi Doctorum, et Patrum opinione, vt ipſe aſſert diſp. 69. ſect. 4. et ratio eſt,quia hoc modo, et ſufficiẽter habentur fructus animarum, et ratio etiam habetur reuerentiæ debitæ tanto ſacramento. Idem aſſerit Filiuc. tract. 4. cap. 7. num. 199. et ait, eſſe commune apud ſanctos, et prudentes viros, quod etiam fatetur Suar. Reginald. lib. 29. n. 69. Bonac. diſp. 4. q. 7. pun. 2. n. 16. et ita communiter omnes. Bis autem, aut pluries in die nemo communicare poteſt ex pręcepto Eccleſiæ; vt docet D. Thom. in 4. d. 12. Palud. Durand. et alij ex cap. Cõſuluiſti de celebrat. Miſſar. et cap. Sufficit de conſecrat. d. 1. in quibus capitibus, licet ſit ſermo de Sacerdotibus, quibus prohibetur ne ſacrificare poſſint niſi ſemel in die; tamen ex hoc ſumptum eſt etiã argumentum pro laicis, et ita vſus Eccleſiæ approbauit; vt idem Suar. loco cit. §. Dices, et Filiuc. dicto loco num. 197.

De materia remota Panis, & Vini, Sacramenti Euchariſtiæ. Cap. XXI.

1 *Panis, & Vinũ sũt materia ſimpliciter neceſſaria ad cõſecrationẽ Corporis, & Sãguinis Chriſti.*

2 *Vna materia non poteſt conſecrari ſine alia ex pręcepto,nõ ex neceſſitate Sacramẽti.*

3 *Reij-*

nullus obligetur, niſi ad ſequens Paſcha. At ſi velimus cõſiderare verba legis, vtiq; quis teneretur poſt Paſcha quamprimum cõmodè poteſt hoc ſacramentum ſumere, nã illa verba, ad minus in Paſchate, ſignificant tempus taxari tanquam conditionem accidentariam, congruam, & conuenientem;& non tanquam quid principale, in quo ſit omninò præceptum adimplendum, vt ſunt pręcepta ieiunij,officij diuini &c. At præceptum Euchariſtiæ duas partes principales includit, vna eſt, vt communio non differatur vltra annum; altera eſt, vt fiat ſaltem in Paſcha; & prima eſt magis intenta, quam ſecunda, vt ex contextu colligitur, igitur ſi ſecunda pars non fuerit adimpleta, debet adimpleri prima, vt adimpleatur intentio legis;& hanc opinionem tenet Suar. diſp.70. ſect.2. vbi fuſè,& eruditè hoc diſputat;idẽ docet multis rationibus Nauarr. cap.21. nu.45. vbi ait, tempus ſi præfiniatur ad finiẽdam obligationem, eo lapſo, ea finitur, cap. ſicut de ſponſ. quando tamen præfinitur ad dilatandam ſolutionem, nõ finitur per lapſum ipſius; imò vegetior efficitur; vnde cum dictum tempus ſit taxatum in communione, vt intra latitudinem ad ſummũ vnius anni quiſque debeat ſacram communionem accipere, ſequitur vt eo lapſo, non finiatur obligatio, ſed maior efficiatur;ſicut qui habuit tempus determinatum ad ſoluendum debitum, vel tenetur ſoluere tributum tali tempore; eo lapſo, non remanet liber à ſolutione debiti, & hãc opinionem probabiliorem putat Filiucc. tract.4. cap.2.num.58. ſic etiam Coninch. qu. 80. art.11.dub.4.num.109. dictam etiam opinionem docet Azor.1.p.lib.7.cap.41.q.5. Reginal.lib.29.nu.75.Nugnus qu.89. art. 11. diff. 2. ver. nihilominus, & valdè probabilem putat hanc opinionẽ Bonac.diſp. 4.q.7.pu.2.n.13.§.dixi in reſponſione, vbi plures affert Doctores, qui hanc opinionẽ abſolutè ſequuntur.

7. Aliud dubium ſimile eſt, vtrũ, qui præuidet communicare non poſſe in Paſchate, teneatur communionem anticipatè ſumere? & negatiuè reſpondet Suar. diſp.70.ſect.2.§.Tertium dubium,& ratio eſt, quia nullus tenetur ad anticipandum actum præceptum, niſi tali actu ſatisfaciat præcepto, ſed ſic eſt, quod in tali caſu non eſſet ſatisfactum præceptum; ergo neque tenetur talem actum præuenire; patet ex ſupra dictis, quia in Paſchate adhuc quis obligaretur ad communionem, igitur per anticipationem non ſatisfacit,ſequitur Filiucc.tract.4.cap.2.num.59.& Bonac.cum multis alijs diſp. 4. q. 7. pu. 2. nu. 15.

8. Sed quæritur, Vtrum recipiens ſacramẽtum Euchariſtiæ in peccato mortali, adimpleat præceptum cõmunionis annualis? & licet, Nugnus q.80. art.11. difficult. 3. dub. 4. negatiuè reſpondeat cum alijs apud ipſum, tamẽ affirmatiuè reſpondendum eſt; quia tum pręcepta, tum ſacramenta adimplentur, licet, adſit culpa mortalis, vt ſi quis audiat miſſam praua intentione, vel ieiunet in peccato mortali, vel ſuſcipiat ordines, aut alia ſacramenta; dicuntur adimpleta dicta præcepta, & ſacramenta, quamuis adfuerit peccatum; ergo idem erit dicendum de Euchariſtia: deinde, vt ait D. Thom. 1.2. q.101. art.9. lex præcipiens actum, præcipit ſubſtantiam eius, non modum, niſi modus eſſet eſſentialis actui ſecundum ſe, vt eſt attentio in oratione, & integritas in confeſſione; Vnde benè ſatisfacit præcepto, qui ſumit hoc ſacramentum, licet, indignè ſumat. Ità Suar.diſp.70.ſect.3. & ex Cordub. in ſumma Hiſpan. q.15. Sot.lib.2. de Iuſtitia q.3. art.3. & Couar. in cap. Alma mater, idem docet Filiuc.tract.4. cap.2.num.60. Azor. 1. par. lib.7. cap. 41. q.12. Bonac. diſput.4. q.7. pun. 2. num. 12. cum alijs multis.

9. Eſt hic notandum tranſgreſſorem huius præcepti, non affici ipſo facto aliqua cẽſura Eccleſiaſtica, vt ſumitur ex verbis in principio allatis, ex cap. Omnis vtriuſq; ſexus; pręcipitur tamen ibi, vt arceri debeat tranſgreſſor ab ingreſſu Eccleſiæ, & ab Eccleſiaſtica ſepultura, quæ pœna ſi nõ imponatur, non incurritur; nec quis excuſatur ab hac pœna, ſi tãtum omittat cõmunionem, & non confeſſionem; quia pręceptum eſt quoad vtramque partem adimplẽdum, ſcilicet, tam quoad confeſſionem, quam quoad communionem.

10. Secundò notandum eſt, hoc præ-

ce-

ceptum eſſe adimplendum in propria Parochia, vt Parochus tamquam Paſtor cognoſcat oues ſuas,& ſumitur ex verbis legis in principio allatis;dicitur etiam adimpletum tale præceptum; ſi quis id agat in Eccleſia Cathedrali, quia ibi reſidet Paſtor principalis omniũ Parochiarum, imò id etiam poteſt fieri inuito Parocho; cum ad Epiſcopũ principaliter pertineat cura animarum, ex cap. Quęcunque 10. q. 1. & cap. Pręcipimus 12. q. 1.

11. Tertiò notandum eſt, illum; qui iam adimpleuit hoc preceptũ in propria Parochia, vel Cathedrali ante diem Paſchæ,aut vult illud adimplere poſt dictum diem;poſſe in dicto die Paſchatis communicare in quacunque alia Eccleſia, etiam mendicantium, & ritè alij Sacerdotes, & Mendicantes poſſunt dictum ſacramẽtum adminiſtrare;quia,licet,in priuilegijs concedatur eis adminiſtratio ſacramentorum excepto die Paſchatis,id tamen intelligendum eſt iuxta latitudinem dicti temporis, in quo quis poteſt pręcepto ſatisfacere, vt fusè Suar. diſp. 72. ſect. 2. §. Dubium ſecundum.

12. Sed quæritur, vtrum liceat hoc ſacramentum quotidie ſumere?& affirmatiuè reſpondet D. Thom. q. 80. art. 10. ex P. Auguſtino ſerm. 28. de verbis Domini tom. 10. qui ait: *Iſte panis quotidianus eſt, accipe quotidie,vt quotidie tibi proſit*, & ratio eſt, quia virtus dicti ſacramenti eſt ſalutaris,& vtilis omnibus hominibus; ideò D. Ambroſ.lib.4. cap.6.tom.4. et habetur de conſecr.dub.2.cap.4. ait. *Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo ſemper accipere; qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam*; ſed hæc doctrina,vt benè ait D.Thom.eſt, quoad dignitatem,et bonos effectus,quos operatur dictum ſacramentum; At quia ex altera parte requiritur etiam reuerentia,ideò, (vt Sanctus ait:) *Non eſt vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc ſacramentum accedere*. Ideò Pater Auguſtinus loco cit. ſubiungit. *Sic viue, vt quotidie merearis accipere*;debet enim quis procurare priùs vitam ſanctã agere, et poſtea accedere; ideò idem Pater dixit,lib. de Eccleſiaſt. dogmatibus cap. 53. to. 3. et habetur de conſecr. d. 2. cap. 13. *Quotidie communionem accipere, nec laudo,nec vitupero*.

13. Certum tamen eſt conſultiùs eſſe frequentiùs communicare, quam rariùs. Ità communiter omnes Theologi; vt D. Thom. loco cit. et in 4. diſt. 12. q. 3. art. 1. queſtiunc. 2. ibi etiam Bonauent. Richar. Palud.Gabr.Petrus Sot.lect.9.de Euchar. et ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 8. et ſeſſ.22.c.6.vbi dicitur *Optat ſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtãtes cõmunicarẽt*,et D. Chryſoſt. Homil.28.in 1. ad Corinth.dicit,ſemper eſſe tempus accedendi, ſi ſemper conſcientia ſit pura; et idem ſumitur ex omnibus alijs Patribus.

14. Pro praxi tamen dicendum eſt, non eſſe conſulendum,vel ſaltem rarò, vt quis frequentiùs, quam octauo quoque die communicet. Ità Suar. ex communi Doctorum, et Patrum opinione, vt ipſe affert diſp. 69. ſect. 4. et ratio eſt,quia hoc modo, et ſufficiẽter habentur fructus animarum, et ratio etiam habetur reuerentiæ debitæ tanto ſacramento. Idem aſſerit Filiuc. tract. 4. cap. 7. num. 199. et ait, eſſe commune apud ſanctos, et prudentes viros, quod etiam fatetur Suar. Reginald. lib. 29. n. 69. Bonac. diſp. 4. q. 7. pun. 2. n. 16. et ita communiter omnes. Bis autem, aut pluries in die nemo communicare poteſt ex pręcepto Eccleſiæ; vt docet D. Thom. in 4. d. 12. Palud. Durand. et alij ex cap. Cõſuluiſti de celebrat. Miſſar. et cap. Sufficit de conſecrat. d. 1. in quibus capitibus, licet ſit ſermo de Sacerdotibus, quibus prohibetur ne ſacrificare poſſint niſi ſemel in die; tamen ex hoc ſumptum eſt etiã argumentum pro laicis, et ita vſus Eccleſiæ approbauit; vt idem Suar. loco cit. §. Dices, et Filiuc. dicto loco num. 197.

De materia remota Panis, & Vini, Sacramenti Euchariſtiæ. Cap. XXI.

1 *Panis, & Vinũ sũt materia ſimpliciter neceſſaria ad cõſecrationẽ Corporis, & Sãguinis Chriſti.*

2 *Vna materia non poteſt conſecrari ſine alia ex precepto, nõ ex neceſſitate Sacramẽti.*

3 *Rej-*

3 *Reijcitur quædam obiectio.*
4 *Pontifex ex cauſa vniuerſali poteſt diſpenſare, vt conficiatur in vna tantum materia.*
5 *Id non poteſt ob bonum particulare, ſcilicet abſq; peccato permittere.*
6 *Materia debet eſſe præſens Sacerdoti.*
7 *Debet eſſe materia certa, & definita.*
8 *Quælibet minima quantitas conſecrari poteſt, ſicut etiam quælibet magna.*
9 *Ad conſecrandum ſufficit intentio virtualis.*
10 *Panis conſecrandus debet eſſe ex tritico.*
11 *Debet eſſe coagmentatus ex farina triticea, & aqua naturali.*
12 *Eſt etiam neceſſarium, vt panis ſit coctus igne per modum aſſationis.*
13 *Tam panis azymus, quam fermentatus, eſt apta materia pro hoc ſacramento.*
14 *Sacerdos Latinus apud Græcos, & è conuerſo poſſunt conſecrare iuxta morem propriæ Eccleſiæ, vel alterius, ſi in eorum Eccleſijs ſacrificauerint.*
15 *Ob Viaticum, non licet Latino conſecrare in fermentato, nec Græco in azymis, in caſu quo non haberent alium panem.*

1. MAteria ſimpliciter neceſſaria ad cōficiendum corpus Chriſti eſt panis, & ad conficiendum ſanguinem, eſt vinum; vt ſumitur ex Matth. 26. *Accepit panem*, &c. conſecrauit in illo, & ſimiliter poſtea accipiens calicem; patet etiam ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. 21. & 22. & can. 32. & antea id fuit determinatum in Concil. Bracharenſi 3. cap. 1. Carthagin. 3. c. 24. in quibus Concil. fuit damnata hęreſis Ebionitarum, Marcioniſtarum, & aliorum, qui ad conficiendum ſanguinem, aqua tātum vtebantur in calice ſub ſpecie ſobrietatis; eamdem doctrinā tradūt multa alia Concilia. Vnde reijciendi ſunt varij hæreticorum errores: nam quidam conficiebant Euchariſtiam cum pane, & caſeo, vt Diuus Thom. q. 74. art. 6. Epiphan. hær. 49 & P. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 28. Alij conficiebāt Euchariſtiam ex farina, & ſanguine infantium punctionibus ſubtracto; vt idem D. Thom. Epiphan. ſupra, & hæreſ. 48. P. Auguſtinus cap. 26. & 27. & Damaſcen. hæreſ. 48. & 49. Alij vocati Gnoſtici, & Manichæi non relati à D. Thom. forſitan ob modeſtiam. Cōficiebant Euchariſtiam ex ſemine humano, ſcilicet menſtruo mulieris, vt Epiphan. hęreſ. 26. vel in pane dicto ſemine conſperſo, vt de Manichæis refert P. Auguſtinus cap. 46. quorū hæreticorū errores nullum habēt, vel apparens fundamentum.

2. Sed aduertendum, non eſſe de neceſſitate huius ſacramenti vtramque materiam, ita, vt vna non poſsit conſecrari ſine alia, vt colligitur ex diuerſa forma, quibus una materia priùs tempore conſecratur ante aliam, & uerè priùs conficitur corpus Chriſti, deinde ſanguis, vt S. Tho. q. 78. art. 6. & in 4. d. 8. q. 2. ar. 1. quæſtiun. 2. Vnde benè eſſet conſecrata una materia, ſiue panis, ſiue uini abſque alia. Attamen de præcepto ex iure diuino una materia non poteſt conſecrari ſine alia, ut habetur in cap. Comperimus de cōſecr. d. 2. ubi ſic dicitur. *Non poſſe abſque graui ſacrilegio diuidi myſterium.* Quia utraque materia eſt de integritate ſacrificij; nec licet cuiquam ſacrificium mutilare; ita omnes Theologi, & colligitur ex decretis Concil. Toletani 7. cap. 2. Tolet. 11. cap. 14. in cap. illud, & cap. nihil 7. q. 1. vbi præcipitur, vt in omni euentu conſecratio integrè perficiatur, etiam ſi neceſſarium ſit, vt vnus miniſter perficiat, quod alter inchoauit, & ità fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino, colligitur ex diſt. 2. de conſecr. per duodecim prima capita; & ex Trid. ſeſſ. 22. in princ. & ratio eſt, quia hoc ſacrificium eſt vnica quędam expreſſa repræſentatio ſacrificij cruenti, quæ fieri non poteſt, niſi ſub vtraque ſpecie. Verba Concilij Tridentini ſunt iſta in cap. 1. *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum declarans, corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc noui teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper Eccleſia Catholica intellexit, & docuit.*

3. Nec audiendi ſunt, qui aſſerunt, id eſſe de præcepto Eccleſiæ, quia Chriſtus Luc. 24. confecit hoc ſacramentum ſub ſpe-

ſpecie panis tantum, quando eum diſcipuli cognouerunt in fractione panis. Quod ſentit Maior. in 4. d.9. q.3. ad 3. Tabien. verb. Euchariſtia 2. num.20. Nauar. cap. 25. num.91. & alij. Nam his Doctoribus abundè ſatisfacit Concil. Trident. & alia Concilia allata, vt ex verbis notatis colligitur, & ad exemplum allatum de Chriſto, nullo fundamẽto probatur, tunc Chriſtum Dominum conſecraſſe; imò indecens potiùs erat tali tempore diſcipulis nõ conſtantibus in fide, nec diſpoſitis, hoc ſacramentum adminiſtrare; Vnde benè Euſebius Emiſs. Homil. in feriam ſecundam Paſchæ, ait. *Tunc Chriſtum ſolum feciſſe id, quod facere ſolebat, cum inter diſcipulos verſabatur*, & P. Auguſtinus dicit, *ibi fuiſſe quandam ſignificationem; ſcilicet, eos illuminari à Deo qui in vnitate Eccleſiæ permanent*. Suar. diſp.43.ſect.3. Filiuc.tract.4.cap.3.nu.65. & alij.

4. Vtrum autem hoc ſacrificium fieri ſub vtraque ſpecie, ita ſit de iure diuino, vt in nullo caſu poſſit Pontifex diſpenſare? Reſpondeo, diſtinguendum eſſe, aut id eſſet faciendum ex publica, & communi cauſa, & ob bonum commune; vel ex cauſa particulari, & bono particulari. Primo modo dicendum eſt, Pontificem poſſe, ex auctoritate, quam habet interpretandi ius diuinum, quando caſus exigit. Et de facto legitur diſpenſaſſe Innoc. VIII. cum Saxonibus anno 1490. & Innocent. Quartus, vel alius Pontifex cum Nouergijs ob nimiam frigiditatem illius regionis, in qua vinum non conſeruatur; ſed ſtatim aceteſcit; & cum magna vtilitas dictis gentibus aduenire poterat ex communione, & iugi præſentia Chriſti; & ex altera parte magnum damnum; ideò magna prudentia talem diſpenſationem factam fuiſſe, iudicandum eſt. Hanc opinionem probabilem, & tutam vocat Suar. diſp.43. ſect.4. tamen in partem negatiuam magis inclinat. Abſolutè dictam ſententiam docet Henriquez cap. 13. quem ſequitur Filiuc. loco cit. num. 66.

5. Reſpectu autem cauſæ priuatæ, & boni particularis, abſolutè negatiuè reſpondẽdum eſſet; & ratio ſumitur ex quadam communi Theologorum doctrina; ſcilicet, non poſſe prætermitti propter priuatã neceſſitatẽ, vt v. g. propter communicandum ægrotum extremè indigẽtem, non licere conficere ſine veſtibus ſacris, neque poſt ſumptum cibum, aut potum, licet, hæc omnia ſint de iure Eccleſiaſtico, & communio in tali caſu ſit de iure diuino; ergo à fortiori, nec licitum erit diſpenſare, vt conficiatur ſacramentum in vna materia propter bonũ particulare: Suar. loco cit. quod intellige: non poſſe abſque peccato.

6. Sed queritur, vtrum materia conſecranda debeat eſſe præſens miniſtro? & affirmatiuè reſpondẽdum eſt; nam D.Tho. in 4. d.11. q.2. art.1. ait, neceſſariam eſſe huius materiæ ſenſibilem pręſentiam; & ſequitur Durand. q.6. num.6. Maior. q.2. Palud. q.1. art.3. Sot. d.9. q.1. art.2. Gabr. d.35. in can. Ledeſm. 1. par.4. q.25. art.2. Victoria in ſumma num.35. quos ſequitur Suar. diſp.43. ſect.5. & Filiuc. tract.4. cap. 3. num.67. quæ concluſio patet ex Chriſti inſtitutione, & habetur per traditionem Eccleſiæ, in illo pronomine formæ, *Hoc*, & *Hic*, deſignari materiã debere eſſe præſentem ſenſibus, quia Sacerdos nõ ſolum materialiter debet proferre verba conſecrationis, ſed etiam ſignificatiuè, quod dici non poteſt, niſi materia ſit præſens; imò dicta præſentia debet eſſe talis, vt materia tangatur, vel tangi poſſit, nam ſi erit diſtans. Non benè ſignificaretur per verbum *Hoc*; ſed eſſet neceſſarium pronomen illud, & ſic mutaretur ſubſtantialiter forma; vel dicendum cum Suar. talem præſentiam deſignari non poſſe, ſed moraliter diiudicandum eſſe, vnde materia debet eſſe ante Sacerdotem, ita, vt moraliter dicatur pręſens; & ſic materia poſita poſt parietem non dicitur pręſens, ſecùs ſi fuerit in Pixide cooperta, vel alio velamine tecta, quia non ex hoc materia non dicitur pręſens; debet eſſe ſimiliter totaliter præſens, ideſt ſecundum omnes partes; v. g. non tota aqua maris, quæ videtur ex littore, dicitur præſens; ſed illa tantum, quæ proximè videtur, licet, certus terminus taxari non poſſit; ſic etiam, ſi in foro eſſet magna quantitas panis ſimul, non tota poſſet dici præſens, licet, certa quantitas

ſitas in praxi deſignari non poſſet.

7. Debet etiã dicta materia eſſe certa, & definita; quia actiones circa particularia verſantur, & intentio operantis debet eſſe practica, & operatiua; & non poteſt dici talis, niſi verſetur circa materiam determinatam; nec verba formæ ſignificarent effectum; Vnde ſi quis vellet baptizare hominem, & non determinaret hunc hominem, nihil faceret, ſic etiam, ſi quis vellet conſecrare panem, & non determinaret hunc panem nihil faceret, ex quo ſequitur nihil efficere Sacerdotem, qui intendit decem tantum particulas conſecrare ex multis, quas in ſui preſentia habet, niſi determinet tales decem particulas; ſic etiam ſi Sacerdos voluerit conſecrare dimidiam partem Hoſtiæ, non deſignando illam, nihil facit; ita communiter omnes ex eiſdem Doctoribus, & Suarez ſect. 6.

8. Et eſt notandum; quamlibet minimam quantitatem panis, vel vini, dummodo humanis ſenſibus obijci poſſit, poſſe conſecrari, vt ait D. Thom. q. 74. art. 2. & & ratio eſt, quia quantitas licet minima, panis verus eſt, & ſimiliter vini. Sed dubium eſt; An omnis magna quãtitas conſecrari poſſit; & affirmatiuè ſimiliter reſpondendum eſt, dummodo tota poſſit dici preſens Sacerdoti; & ratio eſt, quia ex fide habemus Chriſtum dediſſe auctoritatem Sacerdotibus conſecrandi; & ex nulla auctoritate, aut traditione habemus, fuiſſe dictam auctoritatem limitatam ad certum terminum; igitur indefinitè, ſcilicet, ad quamcunque quantitatem illa vti poterunt; neque dicas, iniuriam fieri ſacramento, ſi magna quantitas conſecraretur, quia hoc pertinet ad bonum, vel malum vſum, quod non impedit ſubſtantiam ſacramenti, ſi alia neceſſaria adſint. Itã communiter omnes; preter aliquos, ſcilicet, Alenſ. q. 34. membr. 1. Bonauẽt. d. 10. art. 2. q. 4. & Angel. verb. Euchariſtia 1. §. 25. & ratio horum eſt, quia hoc ſacramentum fuit ordinatum ad vſum hominum, & non videtur data poteſtas niſi ad quantitatem vſui hominum accommodatam; ſed illatio falſa eſt, quia abſque limitatione fuit data poteſtas, aliter ſemper poſſet dubitari de conſecratione, nec eſſet facienda, niſi quando homines actualiter vellent Euchariſtiam ſumere; Vnde meritò Chriſtus Dominus in omnibus ſacramentis abſolutam poteſtatem tradidit, vt nullus dubitare poſſet de ſacramento, & hoc fuit magis conueniens pro bono vniuerſali; Deinde numerus fidelium eſt indeterminatus, & ex conſequenti vſus dicti ſacramenti, Ergo neceſſaria eſt, etiam poteſtas indeterminata ex D. Thom. loco cit. cum ceteris Theologis, & Patribus, teſte Suar. diſp. 43. ſect. 8. & ſequitur Filiuc. tract. 4. cap. 3. num. 73.

9. Eſt ſecundò notandum, ſufficere ad conſecrandum intẽtionem virtualem, vt ſi quis habeat ante ſe Hoſtias, quas detulit cõſecrandas, & poſtea tempore conſecrationis non recordetur, intelliguntur conſecratæ; ſic etiam ſi quis teneat duas, vel tres Hoſtias, & putet eſſe vnã propter coniunctionẽ, omnes erunt conſecratæ, ſi habuerit intẽtionem conſecrandi totum, quod habet in manibus; quam intẽtionem quiſq; ſemper habere debet ad effugiendos ſcrupulos, & malam conſecrationem, & ſic etiã dum quis conſecraturus eſt particulas, nunquam debet determinare intentionem ad quatuor, vel quinque, ſed ad omnes exiſtentes in Pixide, vel Patena, aut Corporali; Filiuc. loco cit. num. 71. ex Suar. ſect. 6. Nauar. cap. 25. num. 91. Sylu. verb. Euchar. 2. q. 6. Angel. d. verb. nu. 27. & eſt communis opinio; Idem eſt etiam dicendum de guttis vini, quæ ſunt intra Calicem affixæ, nam Sacerdos debet habere intentionem conſecrandi totum id, quod eſt conſecrabile in dicto Calice, imò ſi Sacerdos non habuerit contrariam intentionem, ſunt reputandæ conſecratæ, quia per modum vnius fuerunt poſitæ à Sacerdote, & ita reputantur, ideò omnes ſunt conſecratæ, vt Bonac. diſp. 4. q. 2. pun. 5. num. 7. & multi alij apud ipſum.

10. Sed quæritur, ex qua materia ſit conficiendus panis, vt ſacramentum fieri poſſit? Reſpondetur, materiam eſſe triticum, ita vt tantum in pane triticeo confici poſſit ſacramentum; hæc opinio eſt certiſſima, & erroneum eſſet contrarium aſſerere, vt de facto aſſerunt Caiet. & Alanus

lib.

lib.1.de Euchariſtia cap.11.quos affert, & reijcit Suar. diſp.44. ſect.1. Et iuxta Bonac.diſp.4. q.2. pun.2. num.1.noſtra concluſio eſt de fide, ſumitur ex Concil. Florentino in decreto Eugenij, vbi loquens de materia huius ſacramenti, ait. *Eſſe panem triticeum, & vinum vite*; item ſumitur ex Concil.Lateran.in cap.Firmiter, & ratio eſt,quia tantum panis triticeus dicitur verus panis, nā alius panis factus ex leguminibus,vel fructibus,aut hordeo, ſpelta, farro,millio,panico,&c. Dicitur panis per ſimilitudinē, & ex eo,quia pauperes illum comedunt tamquam panem. Ita communiter omnes Doctores cum D.Tho. q.74. art.3.& 4.contra gentes, cap.69. & in 4.d. 11. q.2. art.2. & ibi omnes Canoniſtæ, & Theologi, & confirmatur ex D. Hieronymo ad illa verba, Iſaiæ 62. *Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis*, (ait;) *Triticū ex quo panis cæleſtis efficitur illud eſt, de quo Dominus loquitur, caro mea verè eſt cibus*.

11. Debet etiam eſſe de neceſſitate ſacramēti, panis ex farina triticea,& aqua naturali coagmentatus, vt D. Thom. qu. 74.art.7.ad 3.Paludan.d.11.q.1.num.53. Richar.art.2.q.2.Sot.diſt.9.quæſt.1.art.6. ad 3. Filiucc.tract.4. cap.3.nu.79. Bonac. diſp.4.q.2.pun.2.nu.3. Sylueſ.ver.Euchariſtia q.2.Suar.diſp.44.ſect.2.& alij; & ratio eſt, quia panis communis, & vſualis, quo homines vtuntur in cibum, eſt materia triticea, & aqua naturalis, & cum ſacramentum Euchariſtię non poſſit confici niſi in pane naturali,ſequitur,quod neceſſariò requiratur, vt panis ſit coagmētatus aqua naturali; & ideò reijciuntur omnes aliæ materiæ confectæ ex farina, & oleo, vel butyro, melle, aqua roſeacea, vel alio liquore; non eſſet tamen cōtra ſubſtātiam ſacramēti aliquā paruam quantitatē aquæ roſeaceæ, vel alterius liquoris,cum farina miſcere, dummodo aqua naturalis ſit in magna quantitate, & panis adhuc dicetur verus panis vſualis; eſſet tamen hoc contra puritatem ſacramenti, & mortaliter peccaret,qui id ageret, ex citatis Doctoribus. Adeſt tamen opinio Caiet.aſſerentis valere conſecrationem factā in pane confecto cū aqua roſeacea, cuius opinionem probabilem vocat Valen.tom.4. diſput.6. q.2.pun.1.ſed cōmuniter hæc opinio reijcitur à Doctoribus videDian.p.6.tr.7.Miſcell. reſol. 18.

12. Eſt etiam neceſſarium,vt panis ſit coctus igne per modum aſſationis, vt in furno, vel ſub cinere, aut ferro calido, & ratio eſt,quia panis non coctus hoc modo, non dicitur panis vſualis;Vnde maſſa farinæ, ſeu paſta,non eſt apta materia pro hoc ſacramento, quia inter panem, & paſtam datur differentia ſpecifica iuxta D. Thom. q.76.art.6.ad 1. & in 4.diſt.11. q.2. art.1. quæſtiūc.3.ad 3. & ſequitur Caietanus, & alij Thomiſtæ; & poſita opinione Scoti contrarium aſſerentis,nempe,non differre ſpecie panem à paſta, d.11.q.6.cum Gabr. lect.35.in can.tamen adhuc dicendum eſſet, non eſſe aptam materiam, quia paſta non dicitur panis, & ſaltem moraliter diſtinguitur, quod ſufficit,vt non ſit apta materia,iuxta Caiet.3.p. q.34. art.3. Filiucc. tract.4.cap.3. q.7.num.79. Bonac.loc.cit. n.5.& alios multos; & idem dicitur de paſta in aqua cocta, vt ſunt laganæ, paſtilli, & ſimiles, vel de paſta frixa in oleo, butyro, vel ſimili,quibus etiam adiungitur panis corruptus, in quo nec ſimiliter poteſt confici ſacramētum, ſicut nec in vino corrupto; nec ſimiliter amydum eſt materia apta pro hoc ſacramento,ſi fiat ex frumento corrupto, quamuis igne eſſet aſſatum; vel ſaltem eſſet materia nimis dubia, vt loquitur Sot.diſt.9.q.1.art.3. & D.Thom. d.11.q.2.art.2.quęſtiunc.2.ad 3.licet,in 3. p.q.74.art.1.ad 4.abſolutè id neget, & ſecutus eſt Scot. d.11. q.6. Cartuſ.q.3. dub. vltim. Alan.lib.1. cap.11. Sylueſ.ver.Euchariſtia q.2. Angelus eodem ver.1. nu.7. & alij; ſed ſi dictum amydum eſſet confectum ex frumento non corrupto, & poſtea reſolutum in farinam,& iterum coagmentatum in panem, vtiq; eſſet apta materia, ſi coqueretur in furno vel ſub cinere, vt ſupra, quia tunc eſſet uerus panis, ut idem D.Tho. q.74. art.3.ad 4.Vaſq.3.par.diſp. 70.cap.4.num.23.& alij multi,quos ſequitur Bonac.diſp.4. q.2. pun.2.num.7.& Filiuc.tract.4. cap.3.num.80.

13. Deinde tam panis azymus,quam fermentatus eſt apta materia huius ſacramenti

menti, licet, tam Latini, quam Græci teneantur obſeruare ritum ſuæ Eccleſiæ. Ità communiter omnes Doctores, vt fusè Suar. diſp. 44. ſect. 3. vbi probat in cõcluſ. 2. conueniẽtiſſimè Eccleſiam Latinam vti pane azymo, & ſumitur ex 1. Paul. ad Corinth. 5. Itaque epulemur non in fermento veteri, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis; &ità Chriſtum cõſecraſſe Leo IX. cap. 29. oſtendit, & ſimiliter Innoc. apud Suar. lib. 4. cap. 4. & ita teſtãtur multi Patres, vide Vaſq. 3. par. diſp. 172. & 174. & Azor. 1. par. lib. 10. cap. 23. q. 8.

14. Eſt tamẽ notandum, Sacerdotem Latinum apud Græcos, & è conuerſo Sacerdotem Græcum apud Latinos poſſe conſecrare iuxta vſum ſuæ Eccleſiæ, dummodo ibi ſint Eccleſiæ obſeruantes ſuum ritum, & dummodo ibi celebret; quia de facto apud Grçcos reperiuntur Eccleſiæ Latinæ, & è contra, & ibi vnuſquiſque debet ſequi ſuum ritum, & ad id tenetur, ſi autem Latinus verſetur apud Græcos, & cõficiat in eorum Eccleſijs optimè faciet conformando ſe eorũ mori, & conſuetudini; vt habetur in cap. Ille d. 12. ex P. Auguſtino epiſt. 118. cap. 1. & epiſt. 119. cap. 18. quod etiam intellige de hoſpitibus, & peregrinis per dictas regiones tranſeuntibus, & ratio eſt, quia hi ſimiliter tenentur ſe conformare ieiunijs, feſtiuitatibus, & ſimilibus Regionum, ſeu Ciuitatum, in quibus actualiter verſantur; non tamen eſt putandum peccare mortaliter Sacerdotem Græcum tranſeuntem per Eccleſiam Latinam, vel è contra, ſi non ſacrificet iuxta ritum dictæ Ciuitatis, in qua reperitur (ſecluſo ſcandalo) quia, licet, quis poſſit id agere, non tamen ad id omninò tenetur, & ſumitur ex Epiſt. cit. Leon. IX. vbi monet, vt vnuſquiſque iuxta ſuæ Eccleſiæ ritum celebrare ſinatur, etiam ſi in alieno ſolo verſetur; vt Suar. diſp. 44. ſect. 3. Bonac. diſp. 4. q. 2. pun. 2. num. 9. & 10. Filiuc. tract. 4. cap. 3. num. 83. et alij.

15. At dubium eſt, vtrũ ob viaticum alicui dandum, liceat Latino conſecrare in fermentato, eo quod nõ habeat panem azymum; et è contra, an liceat Græco ob eamdem cauſam conficere in azymo? & negatiuè reſpondendum eſt, et ratio eſt quia licet, communio in vltimo vitæ ſit de iure diuino, et conſecrare in azymo, vel fermentato, ſit de iure humano, tamen illud eſt preceptum affirmatiuum, quod nõ obligat, niſi quãdo commodè fieri poteſt, & abſque irreuerẽtia Sacramenti, hçc verò ſunt prçcepta negatiua, quæ ſemper obligant, vt Filiuc. loco cit. num. 84. ex Suar. loco cit. qui docet, id eſſe magis verum reſpectu Sacerdotis Latini, quam reſpectu Sacerdotis Græci, Bonac. loco cit. num. 11.

De materia remota Sacramenti Sanguinis. Cap. XXII.

1 *Materia remota Sanguinis Chriſti, eſt vinum vitis.*
2 *Excluditur vinum malorum Granatorum, & ſimilia.*
3 *Succus Vuarum eſt apta materia, ſicut eſt Muſtum, ſed non decens.*
4 *In Vino eſt neceſſariò miſcenda aqua naturalis ex præcepto.*
5 *Aſſeruntur congruentia à D. Thom.*
6 *Aqua debet eſſe naturalis, & in parua quantitate.*
7 *Aqua roſeacea non eſt apta materia, & eſſet mortale illa vti, aut miſcere in Calice.*
8 *Mixtio aquæ eſt facienda in Miſſa.*
9 *Aqua ſi fuerit parum calida, non videtur mortale peccatum.*
10 *Aqua ſi non fuerit conuerſa in Vinum ante conſecrationem, non erit ibi Sanguis Chriſti.*
11 *Reſpondetur ad quoddam argumentum.*
12 *Reſpondetur ad aliam obiectionem.*

1 MAteria remota Sacramenti Sanguinis, eſt vinũ vitis. Quæ concluſio probatur à D. Tho. q. 74. art. 5. quia ſicut Dominus ſe comparauit grano frumenti, ita etiam ſe comparauit viti dicens. Ioan. 15. *Ego ſum vitis vera*; ſed ſolus panis de frumento eſt materia huius ſacramenti, vt dictum eſt, ergo etiam ſolum vinum de vite eſt propria materia huius ſacramẽti: ſed potiſſima ratio eſt, quia ſic Chri-

ſtus

Digitized by Google

ſtus hoc Sacramentum inſtituit, vt ipſe ait, Matth.26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*; Igitur dictum fuit ex vite ijdem colligitur ex Côcil. Aurelian.4.cap.4. vbi dicitur. *Non eſſe in calice offerendum aliud, quam quod in manibus ſacratiſſimis Chriſtus tradidit, ſcilicet, illud, quod ex fructu vineæ naſcitur.* Vnde Concil.Florent. definiuit. Materiam huius ſacramenti, eſſe vinum vitis, & in can.3. Apoſtolorum, prohibetur offerri ſicera, vel aliud huiuſmodi loco vini, & ita omnes Patres, & Doctores docent, vt Suar. diſp.45. ſect.1. Vaſq. diſp.75.c.11. Valent.tom.4. diſp.6. q.2. punct.1.Azor.1.p.lib.10.c.19.Filliuc.tr.4. c.3.n.85.& omnes alij.

2. Vnde vinum malorum granatorũ, herbarum, & ſimilium, non eſt apta materia pro hoc ſacramento,vt eſt ceruiſia,nec ſimiliter acetum, quia eſt vinum corruptum, neq; vua cum non ſit vinum potabile; ſed quid comeſtibile, neque ſuccus agreſtę, cum non ſit vinum, neque amarena, cum non ſit vinum ex vuis, ſed ex fructibus amarenarum; ita communiter omnes.

3. Succus autem vuarum, vel muſtũ ex vuis maturis expreſſum, licet, ſit apta materia, non tamen eſt conueniens donec purificetur. Ita D. Thom. & omnes; & ſumitur ex cap.cum omne crimen de conſecr.d.2.vbi dicitur. *In neceſſitate, poſſe botrum exprimi in calice, & aqua miſceri, & conſecrari*; Sic etiam vinum congelatum eſt apta materia, quia licet ex accidenti non ſit potabile, tamen ex ſe, & ex ſua intrinſeca forma eſt potabile; aliter ſi velimus aſſerere non eſſe aptam materiam,ſequitur, vinum congelatum in calice poſt conſecrationem,non eſſe verum ſacramẽtum, quod eſt falſum, & contra rubricas Miſſalis Romani,quod ait, huiuſmodi ſpecies congelatas debere liqueferi, & conſumi tanquam verum ſacramentum. Ita Suar.diſp.45.ſect.1.Filliuc.tom.1.tr.4. ca. 3.num.87.Valent.to.4.diſp.6. q. 2. punct. 1.Bonacina diſp.4.q.2. punct. 2. num. 10. cum multis alijs côtra Armillam ver. Euchariſtia nu.19.Ledeſm. q. 15. art. 5. dub. 1.& aliquos alios.

4. Vtrum autem vino miſcenda ſit aqua naturalis. Reſpondeo primò,id non eſſe de neceſſitate ſacramenti, cum benè conficeretur ſanguis Chriſti in ſolo uino. Contra Armachanum l. 9. de quæſtionib. Armenor.c.9.aſſerentem, aquam eſſe de neceſſitate ſacramenti ex Chriſti inſtitutione; & contra alios extremè contrarios aſſerentes, aquam non eſſe neceſſariam, neq; conuenientem. Noſtra autem concluſio D.Thomę q. 74. art. 7. & omnium Theologorum cum Magiſtr.d.12.ſumitur ex Côcilio Trid. tota ſeſs.15.in qua nulla mentio fit aquę mixtionis, licet ibi de hoc ſacramento agatur; ſed in ſeſs.22.ait. *Hãc aquæ mixtionem Eccleſiam præcepiſſe*: conſtat etiam in Concil.Florẽtino, & ex alijs, & ex antiquiſſimo uſu Eccleſię.Fuit etiam conuenientiſſimè ordinatum, ut aqua uino miſceretur ante conſecrationem, & eſt de fide, ſicut etiam eſt de fide adeſſe tale preceptum, ut ſumitur ex Concil. Trid. cit. Florentino, Carthaginen. Africano, Trullano, & alijs citatis à Suar. diſp.45. ſect. 2. concl. 2. eſt communis Doctorum doctrina in 4.d.11.ut Scot.q.7. Durand.q. 5.Sot.diſt.9.q.1.ar.6.Gab. lect. 35. in can. Filliuc.tr.4.c.3.nu. 88. Bonac. diſp.4.q.2. punct.4.num.1.& omnes alij.

5. Congruẽtias dictę mixtionis aquę aſsignat D.Tho.q.74.ar.6.quarum prima eſt,quia probabiliter creditur, ſic Chriſtũ inſtituiſſe ſecũdum morem illius terræ,ubi nullus vinom ſine aqua bibebat;ideo Prouerb. 9. dicitur. *Bibite vinum,quod miſcui vobis*, ſecunda eſt, repræſentatio paſsionis Chriſti. Nam Alex. Papa in Epiſt. ad omnes fideles, tom.1. Concil. ait. *Non debet in Calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua tantum offerri, ſed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere in paſſione ſuã profluxiſſe legitur.* tertia ex ſignificationẽ fidelium ſeu Eccleſiæ cum Chriſto; Vnde Iulius Papa ait. *Videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti, ergo cum in vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur.* Quarta, eſt propter ſignificationem gratiæ ſalientis in uitam æternam; Vnde ait, Ambroſ. lib.5.de ſacram. cap.1. *Redundat aqua in calicem, & ſalit in vitam æternam.*

6. Eſt tamen aduertendũ,aliquas cir-

cumſtantias eſſe ſeruandas in huius aquæ mixtione; prima eſt, ut ſit aqua naturalis, ut iam diximus, & docet D. Tho. q. 74. art. 7. ad 3. & omnes Theologi, ut ſupra. Secunda conditio eſt, ut quantitas aquæ ſit modica propter periculum cõficiendi in materia non debita; ideò in Concil. Triburienſi c. 19. dicitur, *duæ partes ſint vini, tertia aqua*, quia maior eſt maieſtas ſanguinis Chriſti: imò etiam talis quantitas magna eſt, & debet eſſe minor tertia parte uini; & ideo in Concil. Florent. dicitur. *Miſcendũ eſſe paululum aquæ, ſeu aquam modiciſſimam*, & ſic eſt uſus Eccleſiæ, cui quilibet ſe conformare tenetur; licet, certa quantitas taxari non poſſit, ideò arbitrio prudentis uiri hoc eſt remittendum, ut ait Durand. in lib. 4. ſui Rationalis c. 30.

7. Et eſt aduertendum, ne loco aquæ naturalis, alia aqua artificialis, vt roſeacea, vel ſimilis ponatur, quia dictæ aquæ non ſunt aptæ pro ſacramento, licet ſacramentum conficeretur: & ſimiliter aduertendum, ne vltra aquam naturalem alia aqua artificialis admiſceatur, quia hoc eſſet mortale peccatum contra præceptum negatiuum non miſcendi aliquid in materijs ſacramentorum, vt Suar. diſp. 45. ſect. 3.

8. Tertia conditio eſt, vt hæc mixtio fiat in Miſſa, iuxta Eccleſiæ cõſuetudinem in principio, vel poſt offertorium: vnde mixtio facta domi, vel in dolio, aut alio modo, non valet, & grauiter quis peccaret, vt ait D. Thom. loco cit. ad 3. & Suar. eodem loco: & ſciendum prętermittentem aquę mixtionem priuari officio, & beneficio, ſi aperta malitia omittat cap. literas de celebr. Miſſarum; & cap. 7. cum omne crimen de conſecr. d. 2. quam ſuſpenſionem etiam patitur, qui aliud præter panem, & vinũm cum aqua mixtum offert in ſacrificio, vt Azor. 1. p. lib. 10. cap. 29. q. 1. dicta tamen ſuſpenſio non eſt perpetua, nec reſeruata, cum in tex. dicatur. *Tandiù à ſacrificando ceſſabit, quandiù legitima pænitentia ſatiſfactione correptus ad gradus ſui officij redeat, quod omiſit*. Sequitur Bonac. diſput. 4. quæſt. 2. pun. 4. num. 2.

9. Sed dubium eſt, vtrum aqua miſcenda in calice poſſit eſſe calida? & negatiuè reſpondet Fagundez lib. 2. de præceptis Eccleſię cap. 4. num. 14. in fine, aitq; id mortale eſſe, & citat pro hac opinione D. Thom. 3. par. quæſt. 74. art. 7. Suar. diſp. 47. ſect. 3. Syluеſ. ver. Euchariſtia 1. nu. 3. & alios, tamen iſti Doctores ibi loquuntur tantũ de aqua roſeacea, vel quolibet alio liquore, & dicunt eſſe mortale ob præceptum negatiuum non admiſcendi aliquid in ſacramentis, vt diximus nu. 7. Attamen quod aqua ſit parum calida, vel frigida, non puto eſſe mortale, & maximè cum hoc in aliquibus regionibus frigidis forſitan ſit neceſſarium, ne vinum ſimul cum aqua congeletur ante conſecrationem; id tamen agere abſque vllo fine, non excuſarem à graui culpa, vide Dian. 6. par. tr. 7. Miſcell. reſol. 18. in fine.

10. Secundò dubitatur, vtrum illa aqua non conuerſa in vinum ante conſecrationem, ſed poſt incepta verba, vel poſt prolatam formam, fiat ſanguis Chriſti? & negatiuè reſpondet Suar. diſp. 45. ſect. 4. & probat hanc eſſe opinionem communẽ omnium ſcriptorum, & verè hanc expreſsè tenet D. Thom. q. 74. art. 8. in corpore, Innoc. lib. 4. de hoc myſterio cap. 32. Rabbanus lib. de corpore Domini cap. 4. Alexand. Alenſ. 4. par. q. 32. membr. 5. art. 2. & 3. & reliqui Theologi in 4. d. 11. vt Scot. Richar. Maior. Palud. Bonauẽt. Gabr. Sot. & alij; idem docet Azor. 1. par. lib. 10. cap. 28. q. 1. ad fin. Filiuc. tract. 4. cap. 5. q. 10. Syluеſ. verb. Euchariſtia 1. num. 3. Bonac. diſp. 4. q. 2. pun. 4. num. 8. 9. & 10. & alij, & ratio eſt, quia neceſſaria materia huius ſacramenti eſt tantum vinum, & aqua ponitur per modum cæremoniæ ad quãdam ſignificationem, vt ſupra, & ità loquitur Concil. Trid. ſeſſ. 13. can. 2. dum ait; *Panem in corpus, & vinum tranſire in ſanguinem*; igitur tota materia, quæ non erit conuerſa in vinum ante verba conſecrationis, nõ tranſibit in ſanguinem Chriſti. Contrarium tamen docet Dian. tract. 4. de Sacram. in 3. par. reſol. 49. quia intentio miniſtri refertur ad illud inſtans, in quo fit conſecratio, ſcilicet, finita tota prolatione verborum; igitur materia ſemper dicitur præſẽs vſque ad vltimum verbum prolatum, & citat pro hac ſententia Nugn. 3. par. q. 74. art.

Digitized by Google

art.8.ſed hęc ratio non videtur apta, quia materia ſacramenti debet eſſe actualiter pręſens,& nõ in fieri; & forma ſemper primò ſupponit materiam, & per illud pronomen *Hoc*, & *Hic*, denotatur materia actualiter ibi exiſtens, & non materia facienda; Et quoad ſecundam partem concluſionis, ſcilicet, etiam aquam in vinum conuerſam poſt cõſecrationem tranſubſtantiari in ſanguinem, teſtatur idem Nug. ita fuiſſe defendendum Romæ anno 1606. et 1608. tamen à prima opinione non eſt recedendũ; cum talem ſententiam nec ratio, nec Doctorum auctoritas approbet.

11. Sed quis argumentari poſſet hoc modo, aqua, quæ non eſt cõuerſa in vinum ante conſecrationem, ſed poſt inceptam formam, vel etiam finitam, conuertitur in vinum, vt conſtat, et ſapore, &c. Ergo ſignum eſt, quod tranſiuit in ſanguinem? Reſpõdeo, de hac quęſtione infra eſt agendum. Pro nunc reſpondeo cum D.Thom. q.77.art.5.quantitatem remanentem cum accidentibus panis,& vini,ex vi conſecrationis abſque nouo miraculo,habere,vt ſit ſubiectum omnium accidentium, ſicut habebat ſubſtantia panis, et vini, vt videtur in quibuſdam generationibus; quæ poſsũt fieri ex corruptione dictorum accidentium; igitur, licet; dicta aqua conuertatur in vinum,non tamen illud vinum erit ſanguis Chriſti, quia hoc aduenit ex virtute talium accidentium, vt infra fuſiùs dicetur.

12. Deinde ſi aqua poſita in Calice non fuerit conuerſa in vinum ante conſecrationem;ſequitur ieiunium frangi,& nõ poſſe Sacerdotem ſaltem in die Natiuitatis Domini alias Miſſas celebrare? Reſpõdetur ſemper ſupponendũ eſſe aquam eſſe conuerſam in vinum ante conſecrationem; & quatenus hoc non eſſet, poſſet quis adhærere alteri opinioni docẽti tam vinum, quam aquam conuerti in ſanguinem cum non ſit omninò improbabilis,vt ait Suar.diſp.45.ſect.4.§.Argumẽta verò, & Filiuc.tract.4.cap.3. num.93.

De conuerſione Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti.
Caput XXIII.

1 *Ex fide, Corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus Panis, & Vini.*

2 *De potẽtia abſoluta Chriſtus potuiſſet inſtituere hoc ſacramentum, etiam manente ſubſtantia Panis, & Vini.*

3 *Vi conſecrationis Corpus, manet ſub ſpeciebus Panis, & Sanguis ſub ſpeciebus Vini.*

4 *Subſtantia Panis, & Vini, nõ annihilantur in Euchariſtia.*

5 *Tranſubſtantiatio Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti fit in inſtanti.*

6 *Ex Pane fit Corpus Chriſti, verè dici poteſt.*

7 *Quãtitas, & alia accidẽtia Corporis Chriſti, ſunt in Euchariſtia per concomitantiam.*

8 *Totus Chriſtus eſt in ſingulis partibus ſpecierum diuiſis.*

9 *Non poteſt dari tam minima quantitas ſpecierum, in qua non ſit Corpus Chriſti.*

10 *Totus Chriſtus eſt in ſingulis partibus ſpecierum coniunctis.*

11 *Chriſtus in Euchariſtia non poteſt videri oculo corporeo, licet glorificato.*

12 *Modus exiſtendi Chriſti in Euchariſtia, nec poteſt videri per intellectum beatum naturaliter.*

13 *Chriſtus dum deſinit eſſe ſub ſpeciebus, amittit tantum præſentiam ſacramentalem.*

14 *Chriſtus numquam deſinit eſſe ſub ſpeciebus, niſi alia ſubſtantia ſuccedat.*

15 *Quando apparet Caro, vel Puer in ſpeciebus, eſt ibi adorandus Chriſtus in eodem modo.*

16 *Quid ſit agendum, quando apparet Caro, vel Puer in ſpeciebus Euchariſtiæ.*

17 *Species ſacramentales poſſunt efficere totum id, ac ſi in eis eſſet vera ſubſtan-*

ſtantia Panis, & Vini.

18.19 *Species Sacramentales Vini, ſi miſceantur cum liquore alterius ſpeciei, vel eiuſdem; amittunt conſecrationem.*

20 *Gutta Vini immiſſa in dolio Vini, amittit conſecrationem.*

1 VEritas catholica eſt, Chriſti Corpus, & Sanguinem, verè, realiter, & ſubſtantialiter eſſe ſub ſpeciebus panis, & vini per tranſubſtantiationem, ſeu conuerſionem ſubſtãtiæ panis, & vini in Corpus, et Sanguinem Chriſti, nulla remanente ſubſtãtia dicti panis, et vini, ſed tantum accidẽtibus. Hęc concluſio patet ex verbis Chriſti. *Hoc eſt Corpus meum*, et ex illis. *Amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c.* Idem fatentur omnia Concilia, et Patres, et fusè Suar. diſp. 46. per omnes ſect. et diſp. 49. ſect. 2. et diſp. 50. ſect. 1. et D. Thom. q. 75. ab art. 1. uſq; ad 6. et vltimò, idem ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. et can. 2. his verbis. *Ideò perſuaſum in Eccleſia fuit; idque nunc dennò ſancta Synodus declarat per conſecrationem panis, & vini, conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis eius;* Vnde Chriſtus in hoc Sacramẽto eſt totus ſicut eſt in Cœlo, et ſicut fuit in die Cœnæ cum ſua quantitate, licet, non actualiter extenſa, ſeu comenſurata partibus loci, ſed cum verò ordine partium ad totum, et inter ſe, ita vt diuiſibilis ſit quoad ſe, indiuiſibilis autem quoad locum; Sic etiam eſt totus in tota, et totus in qualibet parte ſpecierum panis, et uini; vt D. Thom. ſupra, et q. 76. art. 1. 2. 3. et 4. et P. Auguſtinus in conſirmationem dictæ concluſionis lib. 2. contra aduerſar. legis, et Prophet. cap. 9. ait. *Mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, carnem ſuam manducandam, bibendum ſanguinem dantem fideli corde, atque ore ſuſcipimus, licet horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum ſanguinem potare, quam fundere;* et Leo Papa ſerm. 6. de ieiunio ſeptimi menſis, aſſerit. *Dicente Domino, niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. ſic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate Corporis, & Sanguinis Domini ambigatis, hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur.*

2. Sed quęritur, vtrum de potentia abſoluta potuiſſet Chriſtus inſtituere hoc Sacramentum, manente ſubſtantia panis, et vini, et ibi ipſum eſſe prout ad præſens eſt? et negatiuè aliqui reſpondẽt, quia ſaltem Chriſtus nõ haberet pręſentiam eiuſdem rationis quam nunc habet, et ita aſſerit Capreol. quæſt. 1. art. 3. ad 3. Bonauent. d. 11. art. 1. quæſt. 1. et clariùs quæſt. 3. et ratio eſt, quia impoſſibile eſt, aliquid incipere eſſe, vbi antea non erat ſine ſui mutatione, vel mutatione alterius in ipſum; ſed Chriſtus incipit eſſe in ſacramento per ſui mutationem; ergo omninò neceſſaria erit mutatio in ſubſtantiam panis, et vini; idem colligitur intellexiſſe D. Thom. q. 75. art. 2. in cor. et in 4. d. 11. q. 1. art. 1. quęſtiũc. 1. in cor. et ad 3. et 4. contra gentes; nam ſanctus probat abſentiam panis, et vini ex ſola pręſentia Chriſti; contrarium tamen docet communior Theologorum ſententia in 4. diſt. 10. vt Scot. q. 1. §. Quantum ad iſtud, et latiùs d. 11. q. 3. Durand. q. 1. Richard. art. 1. q. 1. Gabr. Maior. et aliorum, et ex Thomiſtis Caiet. q. 74. art. 2. Sot. d. 9. q. 2. art. 2. Ledeſm. q. 16. art. 2. quos ſequitur Suar. diſp. 49. ſect. 1. ubi multas affert rationes; ſed pręcipua eſt, quia nulla uidetur contradictio, nec repugnantia; cum etiam quantitatiuo modo non repugnat unum corpus fieri intimè pręſens alteri, cõſeruata illius ſubſtantia, ergo neque repugnaret Chriſtum eſſe intimè pręſentem in ſubſtantia panis, et uini abſque eorum mutatione, quod fuſiùs uideri poterit apud dictum Suar. cum non uideatur pertinere ad noſtrũ inſtitutum; Ad rationes autem D. Bonauent. et aliorum reſpondetur, Corpus Chriſti incipere eſſe in Sacramento panis, et uini ſine mutatione, qua perdat aliquid eorum, quæ habet in Cœlo, non tamen ſine mutatione, qua acquirat aliquid in ſacramento, et hanc mutationem poſſet Deus ſeparare à ſubſtantia panis, ut diximus.

3. Dicendum eſt igitur, vi conſecrationis panis, manere Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, cętera autem concomitan-

tan-

tanter, et ſimiliter vi conſecrationis ſanguinis, manere ſanguinem Chriſti, cætera autem per concomitantiam; hæc concluſio eſt de fide, vt ſumitur ex verbis Concilij Trid. relatis in num. 1. & antea Cõcil. Florent. dixerat. *Subſtantiam Panis in Corpus, ſubſtantiam Vini in Sanguinem conuerti*; & idem Concilium Tridentinum loco cit. ſimiliter ait. *Quæ conuerſio conuenienter, & propriè à Sancta Catholica Eccleſia tranſubſtantiatio eſt appellata*, & can. 4. *Quam cõuerſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè tranſubſtantiationem appellat*. Vide D. Thom. q. 45. art. 2. et 4. et q. 46. art. 1. 2. et ſeqq. et Suar. diſp. 50. ſect. 1. et diſp. 51. ſect. 3.

4. Sed ſciẽdum, non ex hoc dici poſſe, ſubſtantiam panis, & vini annihilari, vel conuerti in præiacentem materiam, prout aliqui volebant, quos optimè impugnat D. Thom. præcipuè art. 4. & 5. cit. quæſt. & ad primum tertij articuli reſpondet, quod ſubſtantia panis, & vini, facta conſecratione, neq; ſub ſpeciebus ſacramenti maneat, neq; alibi; ſed non ex hoc ſequitur, quod an nihiletur, ſed conuertitur in corpus Chriſti; ſicut non ſequitur; aer ex quo generatus eſt ignis, non eſt ibi, neq; alibi, ergo eſt annihilatus. Nam, vt benè ait, Suar. diſp. 50. ſect. 7. licet, poſt conuerſionem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, nulla ſubſtantia remaneat, ac ſi eſſet annihilata, vel ac ſi nulla ſubſtantia ſub accidentibus panis vnquam ſucceſſiſſet, ſeu fuiſſet, & licet non niſi per creationẽ poſſet à Deo ex nihilo produci, quia ita deſijt eſſe, ac ſi eſset annihilata, quantum attinet ad negationem exiſtendi; tamen hoc non ſufficit ad veram annihilationem; ſed etiam conſiderandus eſt modus, quo res deſinit eſſe, nam formę naturales deſinunt eſse per corruptionem in generationibus naturalibus, & non poſsent eſse, niſi per nouam creationem ex nihilo, & tamen nõ dicũtur annihilari ob modum deſitionis. Ita grauiores Theologi cũ Magiſtro in 4. d. 11. Alber. Bonau. Richar. Capreol. Palud. & alij multi, quos affert Suar. loc. cit.

5. Eſt etiam ſciendum, tranſubſtantiationem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti fieri in inſtanti, vt docet D. Thom. q. 75. art. 7. & ratio eſt, quia triplici modo poteſt dici mutatio inſtantanea, primò ratione formæ ſi non recipiat magis, & minus, vt eſt forma ſubſtantialis, ſecundò ratione ſubiecti iam diſpoſiti, tertiò ratione agentis, ſi fuerit infinitæ virtutis, & iuxta omnes tres has rationes, dicta tranſubſtantiatio fit in inſtanti, primò ratione ſubſtantiæ corporis Chriſti, quæ non ſuſcipit magis, & minus, ſecundò ratione ſubiecti, quod non eſt ſucceſſiuè præparandum; tertiò ratione virtutis infinitæ, qua fit dicta tranſubſtantiatio.

6. Vtrum autem hec propoſitio ſit vera, ex pane fit corpus Chriſti? affirmatiuè reſpondet D. Thom. q. 75. ar. 8. ex Ambroſ. lib. 4. cap. 4. de ſacram. tom. 4. *Vbi accedit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti*. Tamen dicta particula, ex, intelligenda eſt quoad ordinem, ſcilicet, vt id, quod priùs eſt panis, fit corpus Chriſti; non autem, quod panis ſit quaſi ſubiectum naturale diſpoſitum pro corpore Chriſti; quia in nullo inſtanti eſt ſimul panis, & corpus Chriſti, vt fuſiùs D. Thom. & Suar. diſp. 51. ſect. 9. quęnam autem ſit dicta tranſubſtantiatio, quonam modo fiat. Qua actione, & multa alia ſunt apud Suar. diſp. 50. & 51. quę cum ad puram ſpeculatiuam pertineant, omitto.

7. Sed quæritur, vtrum quantitas, & accidentia humanitatis Chriſti ſint in hoc ſacramento vi verborum, vel per concomitantiam? ſuppoſito priùs in qualibet ſpecie, ſiue panis, ſiue vini, eſſe totũ Chriſtum, licet, ex vi verborum ſanguinis, ſit tantum ſanguis, & vi verborũ corporis, ſit tantum corpus, vt de fide eſt tenendum ſub anathematis pœna ex Concil Triden. ſeſs. 13. c. 3. & can. 1. & 3. ad quæſitum reſpondeo, tam quantitatem corporis Chriſti, quam alia accidentia eſſe in hoc ſacramento per concomitantiam; ita Suar. diſp. 51. ſect. 5. ex D. Thom. q. 45. art. 4. Caiet. Sot. Ledeſ. & communiter Doctores in 4. d. 10. & ratio eſt, quia verba nõ terminantur ad quantitatem, vel alia accidentia; ſed ad ſolam ſubſtantiam; igitur vi verborum, non accidentia; ſed ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti reſpectiuè continetur; cętera autem per concomitantiam; ſumitur hæc concluſio ex verbis Concilij Tri-

Trident.ſeſs.13.cap.4.vbi ſic habetur. *Sãcta Synodus declarat per conſecrationem panis, & vini, conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiã ſanguinis eius*. Quæ conuerſio propriè tranſubſtantiatio appellatur.

8. Secundò quæritur, vtrum in omnibus partibus ſpecierum tam diuiſis, quã non diuiſis, ſit totus Chriſtus? & reſpondeo, primò de fide eſſe certum, ſub ſingulis partibus ſeparatis dictarum ſpecierum, totum Chriſtum contineri; ita apertè definiuit Concil. Trid. ſeſs. 13. can. 3. his verbis. *Si quis negauerit in venerabili ſacramento Euchariſtiæ ſub vnaquaq; ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit*. Et idem prius ſtatuerat Concil. Florentinum in decreto Eugenij, & habetur in c. ſinguli; & probatur etiam ex facto ipſius Chriſti; nam cum conſecraſſet vinũ, quod ſufficiens erat omnibus, dixit; *Accipite, & diuidite inter vos*. Signum eſt igitur, quod in qualibet parte ſpecierum erat Chriſtus ſicut erat in tota ſimul ſpecie; & ita Chriſtum ſimiliter feciſſe in conſecratione panis legimus, ſaltem ſecundum meliorem opinionem. Vnde Hilarius Papa in cap. Vbi pars, ait, *Manna præceſſiſſe in figuram huius ſacramenti*, de qua ita loquitur. *Qui plùs colligerat, non habuit ampliùs neque, qui minus parauerat, habuit minus, non enim eſt quantitas viſibilis in hoc æſtimanda myſterio, ſed virtus ſacramenti ſpiritualis*; Et Euſebius Emiſſenus hom. 5. de Paſchate, ait. *Euchariſtiæ ſancta perceptio, non in quantitate; ſed in virtute conſiſtit; nam corpus ſacerdote diſpenſante, tantum eſt in exiguo, quantum eſſe conſtat in toto*.

9. Vtrum autem poſſit dari tam minima quãtitas, in qua nõ adſit totus Chriſtus, licet, adſit ſubſtantia panis? & affirmatiuè reſpondet Maior. in 4. d. 11. q. 3. ſcilicet, in caſu quo talis minima quantitas nullo ſenſu eſſet perceptibilis. Sed dictus Doctor in primis ſupponit falſum, & non loquitur iuxta generalem doctrinam fidei; nam eo ipſo, quod datur ſubſtantia panis, ibi non eſt panis, ſed corpus Chriſti; & licet, ſit imperceptibilis, quod non eſt concedendum; hoc eſſet per accidens; per ſe autem, & in ſui natura eſſet ſenſibilis, quod ſufficit, vt ibi poſſit eſſe corpus Chriſti.

10. Dico ſecundò, de fide etiam certum eſſe, totum Chriſtum eſſe in tota quãtitate, & totum ſub ſingulis partibus quãtumuis minimis; ita ſumitur ex Concil. Trid. ſeſs. 13. c. 3. vbi ſic dicitur. *Totus, & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub qualibet ipſius ſpeciei parte: totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit*. Docet D. Tho. q. 76. art. 2. Scot. Richar. Palud. Maior. & alij in 4. d. 10. ratio ſumitur ex ſupradictis; nã ſi Chriſtus eſt in ſingulis partibus ſeparatis, ergo, ita ſimiliter erat quando dictæ partes erant vnitæ; quia illa ſeparatio nihil addit de nouo, nec ex ſe poteſt facere id, quod priùs non erat.

11. Dubium tamen eſt. Vtrum Chriſtus Dominus prout eſt in Euchariſtia, poſſit videri oculo corporeo naturaliter? ſed priùs ſciendum, aliud eſſe an corpus Chriſti cum modo ſacramentali videri poſſit; & aliud. An quamuis modus ſit inuiſibilis, corpus tamen præcisè, & ſecundum ſe, videri poſſit? primo modo corpus Chriſti eſt omninò inuiſibile, etiam de potentia Dei abſoluta; quia cum de ſua propria, & intrinſeca ratione, talis modus ſit inuiſibilis, nullam poteſt habere proportionem obiecti viſibilis, aliter adeſſet contradictio; & hoc modo loquuntur Palud. & Capreol. in 4. d. 10. q. vlt. Richard. art. 1. q. 2. & alij dum negãt Corpus Chriſti, prout eſt in Euchariſtia, non eſſe viſibile, etiam de potentia Dei abſoluta. Secundo modo. Dico. Corpus Chriſti prout eſt in hoc Sacramento, licet, ſit inuiſibile naturaliter, poſſe tamen videri miraculosè. D. Tho. in 4. d. 10. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. vbi loquitur de oculo glorificato, et negat Corpus Chriſti uideri poſſe ordinariè in ſacramento; ſed tãtum per miraculum; idem aſſerit diſt. 11. q. 3. art. 1. ad 4. et ſumitur ex 3. par. q. 76. art. 7. ad 2. vbi ait; Oculum Chriſti videre ſeipſum in ſacramento, et non datur maior ratio de oculo Chriſti, quam de alio ad hoc eleuato; et idem tenet Marſil. in 4. q. 7. art. 9. ad 4. Bonauent. d. 10. q. vlt. Scot. q. 9. et omnes alij

recen-

Digitized by Google

recentiores; Et Alenſ.4.par.q.40.mẽb.3. art.8.§.2. dicit Beatam Virginem ſpeciali priuilegio videre in hoc ſacramento corpus Chriſti; & ratio eſt, quia nulla datur implicatio contradictionis, cum Deus poſſit ſpeciem, & ſufficientem vim actiuam oculo concedere, cum iam corpus Chriſti ſit ex ſe viſibile, eo quod ſit coloratum, & lucidum; ſequitur Suar.diſp.53. ſect. 4.

12. Vtrum autem poſſit cognoſci ab intellectu creato? ſimiliter diſtinguendum eſt, vel loquimur de præſentia corporis Chriſti, quam habet in ſacramento, vel loquimur de eius exiſtentia in rerũ natura; de hoc ſecundo nihil ad nos. De primo igitur videndum eſt, an Angelus per ſuas ſpecies naturales poſſit naturaliter videre corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis? intuendo illud ibi. Et quamuis aliqui affirmatiuè reſponderunt, vt Scot. in 4. d. 10. Maior.q.5.Ocham.iu 4.q.5.Gabr.lect.45. in can. Tamen dicendum eſt, non poſſe intellectum creatum virtute naturali videre modum exiſtẽdi, quem corpus Chriſti habet in ſacramento, & conſequenter neq; intueri corpus Chriſti, vt eſt ſub ſpeciebus, nec cognoſcere clarè, quod ibi ſit; hęc concluſio apertè ſumitur ex D.Thom. q.76.art.7.vbi docet, id tãtum fieri ſupernaturaliter; ſequitur Bonauent.in 4. d.10. q.vlt. Richar. art.5. q.2. Durand. q.4.D. Anton.3.par.tit.13. cap.6.§.13. & omnes Thomiſtæ pro qua doctrina intelligenda. Sciendum eſt, intellectum humanum, dum eſt in corpore, non poſſe cognoſcere niſi dependenter à corpore, & per ſpecies illi immiſſas ab obiecto; & ideò non poteſt cognoſcere Chriſtum eſſe in ſacramẽto, quia corpus Chriſti prout eſt in ſacramẽto non immittit ſpecies; quando autem intellectus non eſt cum corpore, vt ſunt tam homines, quam Angeli in alia patria, tunc horum intellectus non recipiunt ſpecies ab obiecto, ſed illas habent congenitas, & connaturales, & ex conſequenti poſſunt cognoſcere ea, quorum habent ſpeciem, vel quorum ſpecies illi debentur ex natura rei; Cum igitur corpus Chriſti prout eſt in hoc ſacramento, dicitur obiectum ſupernaturale, ſequitur, quod non poſſit intellectus creatus, licet, glorificatus, illud naturaliter cognoſcere.

13. Secundum dubium eſt, vtrum Chriſtus dũ deſinit eſſe ſub ſpeciebus Euchariſtiæ, aliquam mutationem patiatur? & breuiter reſpondetur, Chriſtum vt ſupra diximus nihil de nouo acquirere, dũ eſt in Euchariſtia, niſi præſentiam ſacramentalem; ſic etiam eſt dicendum nihil amittere, dum deſinit eſſe ſub dictis ſpeciebus, niſi præſentiam ſacramentalem; & ſic in tali caſu adeſt tantum quædam mutatio priuatiua: ita communiter omnes Theologi, teſte Suar. diſp.54. ſect.1.

14. Sed eſt ſciendum, nũquam Chriſtum deſinere eſſe ſub ſpeciebus, niſi ibi alia ſubſtantia ſuccedat; nã ex ſupra dictis certum eſt, Chriſtum manere tantum vĩ conſecrationis ſub ſpeciebus panis, & vini, & tamdiù ibi perſeuerare quoaduſque accidentia vi alterius generationis aliam ſubſtantiam acquirerent, ac ſi in eis eſſet ſubſtantia panis, quæ ſicut non deſineret eſſe ab his accidentibus, niſi per aliam generationem, ſeu corruptionem ſuperuenientem; ſic etiam Chriſtus non deſinit ibi eſſe, niſi per nouam generationẽ, aut corruptionem ibi ſuperuenientem; quod non eſt mirum, quia, vt ſupra tetigimus, & infra meliùs dicetur; dictæ ſpecies ſacramentales vi conſecrationis poſſunt idem operari, ac ſi ibi eſſet vera ſubſtantia panis, eſt communis Theologorum ſententia, vt D. Thom.q.76.art.7.q. 80.art.4. & clariùs in 4.d.9.q.1.art.2. quæſtiunc.1. & ibi Albertus art.5. Alenſ.4.par.q.45. memb.1.art. 2.Palud.d.12.art.2.Durand. q.3.Richard. art.2.q.2.Scot.q.6. Capreol.d.13.q.1.art. 3.Gabr.d.12.q.1. art.3.dub.2.& 3. & lect. 48.in can.dub.1. quos ſequitur Suar.diſp. 54. ſect.2. Sotus d.10. q.1.art.6. Henriq. lib.8.cap.28.num.1. & alij.

15. Sed quæritur, vtrum quando miraculoſè in hoc Sacramento apparet Caro, vel Puer, ſit ibi verè corpus Chriſti? & affirmatiuè reſpõdet S.Thom.q.76. art.8. ſed hoc duplici modo fieri poteſt, & ſolet; vel per immutationẽ ex parte oculorum tantum, per ſpeciem miraculoſè impreſſam in oculis, vt quando ipſi vident Puerum, carnem, &c. remanentibus tamen

L ſpe-

ſpeciebus in ſuo proprio eſſe, quod contingit; quando alij non vident dictam immutationem; vel fit per immutationem factam in dictis ſpeciebus, dum verè ibi apparet caro, vel puer, & vtroque modo fit ad confirmandam fidem circa veram præſentiam corporis Chriſti, vt ait Paſchaſius lib. de Euchariſtia cap. 14. Vnde tales apparitiones nō poſſunt vocari deceptiones eo, quod dicta caro, vel puer non ſit verè corpus Chriſti, nec caro Chriſti ſecūdum propriam ſpeciem; ſicut nec fuit deceptio quando Chriſtus apparuit diſcipulis euntibus in Emaus, & ratio eſt, quia non fit ad decipiēdum; ſed ad veritatem confirmandam; ideò P. Auguſtinus lib. 2. cap. vlt. to. 4. de quæſtionibus Euangeliſtarum, ait; *Cum fictio noſtra transfertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium; ſed aliqua figura veritatis*; nec quando apparet caro, vel ſanguis, eſt ibi vera caro, vel ſanguis; ſed ſunt ipſæmet ſpecies ſacramentales, quæ tali colore, & figura carnem, vel ſanguinē demonſtrant; & ratio eſt, quia caro Chriſti in propria ſpecie eſt tantum in Cœlo, alia caro eſſe non poteſt, quia nō eſſet decens, & de ſui natura corruptibilis eſſet; igitur dicendum eſt, eſſe dictas ſpecies ſub tali colore, & figura id demonſtrans; ita Suar. diſp. 55. ſect. 2. & communiter Theologi in 4. d. 10. Richard. d. 5. q. 2. Durand. Palud. & alij Thomiſtæ cum D. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 14.

16. Quid autem ſit faciendum in dictis apparitionibus? Reſpondeo in primis eſſe ibi adorandum corpus Chriſti eodem modo, ac ſi non adeſſent dictæ apparitiones, vt S. Tho. loco cit. Filiuc. tract. 4. cap. 5. q. 8. Valentia tom. 4. diſp. 6. q. 4. Henriq. lib. 9. cap. 38. Suar. loco cit. ſect. 4. Caiet. ad loc. D. Thom. & alij. Secundò ſi id accidat poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei, & non adſit aliqua pars ſpecierum, in qua poſſit perfici ſacrificium; tunc licet, ſecundum aliquos eſſent aliæ materiæ accipiendæ, & conſecrandæ; tamen dicendum eſt, id non eſſe neceſſarium; ſed eſſe dictam carnem, vel ſanguinem miraculoſum conſeruandum; quia iam non poteſt amplius adimpleri illud præceptum perficiendi ſacrificium; nam ſi aſſumerentur aliæ materiæ, & conſecrarentur, non eſſet idem ſacrificium; ergo in tali caſu non eſſet aliud faciendum, quoad perfectionem dicti ſacrificij; Suar. loco cit. Dixi poſt conſecrationem vtriuſque ſpeciei; quia ſi hoc accideret in vna ſpecie; vtiq; deberet alia cōſecrari, & perfici ſacramentum.

17. Eſt etiam quærēdum, vtrum ſpecies ſacramentales poſſint efficere totum id, vel ex eis poſſit effici totum id, quod priùs poterat ante cōſecrationem; ſcilicet, an poſſint corrumpi, an poſſint nutrire, vel ex eis aliquid generari? & affirmatiuè reſpondet D. Thom. q. 77. art. 3. 4. & 5. patet hæc concluſio ex experientia, cum ex ſpeciebus panis aliquando generentur vermes, & ex ſpeciebus vini generetur acetum; & ratio eſt, quia vi conſecrationis, quātitas remanet ſubiectum omnium accidentium, & formarum ſubſequentium; & ſubiectum, vt quod, nō vt quo, ſcilicet, per ſe operatiuum, ac ſi contineret ſubſtātiam panis; quod fuit neceſſarium, vt hoc myſterium magis eſſet occultum. Contra nonnullos aſſerentes, quod in tali generatione, vel de nouo adueniret ipſa materia panis, & vini, vel fieret ex aere circūſtante, vel de nouo à Deo crearetur pro tali generatione, quos rectè impugnat D. Tho. art. 5. & ratio eſt, quia ſubſtantia panis, & vini, quæ conuerſa eſt in corpus, & ſanguinem Chriſti, non poteſt redire, niſi iterum conuerſo corpore, & ſanguine Chriſti in ſubſtantiam panis, & vini, quod eſt impoſſibile; ſicut aer, ſi cōuerſus fuerit in ignem, non poteſt iterum redire; niſi iterum ignis conuertatur in aerem. Neque poteſt fieri generatio ex aere circumſtante; quia ex aere non poſſunt talia generari; cum priùs requireretur aliqua alteratio aeris cum diſpoſitione ad talem formam, quod in aere non admittitur; Neq; poteſt eſſe, quod de nouo creetur aliqua materia; quia daretur multiplicatio miraculorum. Vnde eſt dicendum, accidentia conſecrata conferre ad generationem totum cōcurſum, & operari, ac ſi eſſent ſubſtantiæ coniuncta; ita communiter omnes; vt Scot. d. 12. q. 1. Durand. q. 2. Bonauent. art. 2. q. 3. Valentia tom. 4. diſp. 6. q. 4. Suar. diſp. 57. per totum, Reginal. lib. 29. num. 93. Sot. d. 10.

q. 1.

Digitized by Google

q.1.art.6.& alij; Quamuis Ioannes de Lugo diſp. 10. ſect. 2. §. 29. de ſacramento Euchariſtiæ, et Suar.diſp.57.ſect.3. oppoſitam ſentẽtiam nunc communiſſimam, et probabiliſſimam iudicant,et ſequnutur.

18. Vtrum autem ſpecies ſacramentales ſi miſceantur cum alio liquore,amittant proprium eſſe, ita vt ibi nõ ſit corpus Chriſti? Sed primò notandum eſt, mixtionem imperfectam, ſcilicet, in parua quantitate, & quæ inſufficiens ſit ad ita alterandum dictas ſpecies, vt non amittãt ſuum eſſe; non eſſe ſufficientem, vt corpus Chriſti deſinat ibi eſſe, vt ſi quis miſceret parum aquæ, licet, ſecũdum aliquam partem ſpecies ſacramentales corrumperentur,nec ibi adeſſet corpus Chriſti,tota autem alia ſpecies ſacramentalis non eſſet corrupta, & ibi adeſſet corpus Chriſti; licet,ſemper adeſſet grauiſſimum peccatum contra præceptum non miſcendi aliquid in ſacramentis, vt ſupra docuimus, quo ſuppoſito. Reſpondeo. Perfectè miſcere ſpecies conſecratas cum alio liquore ſpecie diſtincto, ita alterare, & corrumpere dictas ſpecies, vt ibi nõ adſit corpus Chriſti; D.Thom. q.77.art.8.& in 4.d.12.ratio conſtat ex ſæpè dictis; quia tamdiù Chriſtus manet ſub his ſpeciebus,quandiù ſpecies non mutentur per contrariam corruptionem,ſeu generationem; Vnde ſi quis miſceret magnam quantitatem aquæ in Calice, ibi deinde adeſſet aqua, & non ſanguis Chriſti, quia ſpecies amiſerunt ſuum eſſe.

19. Sed maior difficultas eſt, quid dicẽdum de mixtione cum liquore eiuſdem ſpeciei? & reſpõdet D.Thom.in cit.art.8. his verbis. *Si enim permiſceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quod poſſit diffundi per totum vinum,totum fieret permixtum. Quod autem eſt commixtum ex duobus, neutrum miſcibilium eſt; ſed vtrumq; tranſit in quoddam tertium ex his compoſitum; Vnde ſequeretur, quod vinum priùs exiſtens, non remaneret; ſed ſi liquor permixtus eſſet alterius ſpeciei, puta ſi permiſceretur aqua, ſolueretur ſpecies vini, & eſſet liquor alterius ſpeciei; ſi autem eſſet eiuſdẽ ſpeciei liquor adiunctus; puta ſi vinum permiſceretur vino,remaneret quidem eadem ſpecies; ſed non remaneret idẽ numero vinum,* (infra.) *Vnde ſi fiat tanta permixtio liquoris cuiuſcunque, quod pertingat ad totum vinum conſecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi ſanguis Chriſti; ſi verò fiat tam parua alicuius liquoris adiũctio, quod non poſſit diffundi per totum; ſed vſque ad aliquam partem ſpecierũ,deſinit eſſe ſanguis Chriſti ſub illa parte vini conſecrati, remanebit tamen ſub alia.* Hæc verba D.Thom.notaui propter multorum opinonẽ aſſerentium, mixtionẽ factam ex ſpeciebus conſecratis,& alio vino non conſecrato,non efficere, vt ſub dictis ſpeciebus conſecratis, non remaneat ibi corpus Chriſti, quamuis ſpecies conſecratæ eſſent in parua quantitate, & miſcerentur magnæ vini quãtitati, & ad longum tempus;prout docet Scot. d.12. q.4. Bonauent. art.1. quæſt.2. Alenſ.4.par.40. membr.2.art.3.Innoc.de Euchariſtia cap. 32. Recentiores Thomiſtæ, vt Sot. & Ledeſm. Durand. Richar. Palud.ſupra citati, Victoria in ſumma num.64.quos ſequitur Suar. diſp.57.ſect.4. & ratio eſt,quia mixtio eiuſdem ſpeciei nõ dicitur mixtio perfecta, ſed imperfecta, cum nunquam vna ſpecies poſſit corrumpi, vel in aliam ſubſtantiam trãſire, ex actione facta à re eiuſdem ſpeciei; Vnde ſpecies conſecratæ, cum habeant idem eſſe quoad operationem, ac ſi in eis eſſet ſubſtantia vini, ſequitur,quod corrumpi non poſſint ab alio vino, licet, eſſet magnæ quantitatis, & ad longum tempus; ſupponunt autem hi Doctores, & etiam ipſemet D. Thom. vinum albũ,& nigrum non differre ſpecie;& ideò indifferẽter loquuntur de quacunque vini mixtione:Contra Henriq.cap.28.nu.3. Sot.& alios apud ipſum, exiſtimãtes vinũ album differre ſpecie à vino nigro. Dictæ ſecunda ſententia, Scot.& aliorum, vt diximus,licet,ſit veneratione digna, cum ſit tantorum Doctorum,tamen non puto eſſe recedendum à ſentẽtia D. Tho.quã etiam tradit in 4.d.12.art.2.quæſt.1. & quolibet 10. art. 3. & ratio ſumitur ex verbis eiuſdem ſancti art.8.vbi ait. *Manifeſtum eſt autem ex prædictis,quod Corpus,& Sanguis Chriſti remanent in hoc Sacramento quamdiù illæ ſpecies manent eodem numero: Conſecratur enim hic panis,& hoc vinum;*hæc ille.

20 Hinc ſequitur, quid dicendum ſit

Digitized by Google

ad illam quæſtionem, quæ cõmuniter fit, népè, quid faciendũ eſſet de magno dolio vini, cui immiſſa eſſet aliqua minima pars ſpecierum conſecratarum? & aliqui reſpondent dictum vinum eſſe æſtimandum vt cõmune ad bibendum. Ita Sot. diſt. 10. q. 2. art. 8. Henriq. cap. 28. nu. 4. Paludan. & alij: miror tamen horum Doctorum, cum non conſequenter loquantur, imò in oppoſitum; nām ſi ipſi in numero antecedenti defendũt paruam quantitatem ſpecierum conſecratarum immiſſam cuilibet quantitati vini, non amittere ſuum eſſe, & ibi eſſe corpus Chriſti; neceſſariò dicendum eſt in exemplo allato, Chriſtum manere in dicto dolio vini & ex conſequenti eſſe ibi adorandum, nec aliquem poſſe vti dicto vino. Alij autem dicunt dictum vinum eſſe ſeruandum ad ſacros vſus tantum, ſeù vt alij, ad pios vſus, ita Suar. in cit. diſp. 57. ſect. 4. in fin. Bonac. & alij apud ipſos; ſed re vera nec iſti Doctores videntur conſequenter loqui ex eadem ratione; ideò maiori firmitate dico, opinionem D. Thom. eſſe omninò ſequendam iuxta dicta in numero antecedenti; & ex dicta opinione faciliter præſens dubium diſſoluitur; nempe dictum vinum eſſe tanquam cõmune habendum, cum nullo modo ibi ſit corpus Chriſti; licet, ſi ſeruaretur ad ſacros, vel pios vſus, eſſet maior reuerentia.

De forma Sacramenti Euchariſtiæ, Cap. XXIV.

1 *Euchariſtia fuit inſtituta à Chriſto domino verbis prolatis.*

2 *Verba Conſecrationis ſunt proferenda à Sacerdote recitatiuè, & ſignificatiuè.*

3 *Illud pronomen hoc, & hic in conſecratione ſignificant quid in confuſo.*

4 *Verba conſecrationis panis eſt. Hoc eſt corpus meum.*

5 *Particula, enim, eſt tantum de præcepto Eccleſiæ.*

6 *Verba conſecrationis mutari non poſſunt ex præcepto Eccleſiæ, licet, quoad valorem ſacramenti mutari poſſint in æquiualentia.*

7 *Dicere hoc, vel hæc eſt caro mea, probabiliter non mutaretur forma.*

8 *Verbum (eſt) nullo modo omitti, vel mutari poteſt.*

9 *Forma eſſentialis ſanguinis eſt. Hic eſt Calix ſanguinis mei, vel hic eſt ſanguis meus.*

10 *Poteſt fieri ſacramentum alijs verbis æquiualentibus, nempe, hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, vel hic calix nouum teſtamẽtum eſt in meo ſanguine.*

11 *Plures proferentes eamdem formam, poſſunt conficere ſacramentum, ſi ſimul finiant formam, ſin autem, ille, qui priùs finierit.*

1 Est primò ſupponendum Chriſtum conſecraſſe verbis prolatis, vt Eccleſia vtitur, & ab Euāgeliſtis referuntur; hæc concluſio certa eſt, & non poſſet abſq; temeritate negari; cum ſit comunis Theologorum opinio cum D. Thom. q. 78. art. 1. & Magiſtr. d. 8. dixi (prolatis verbis) contra aliquos aſſerẽtes Chriſtum conſecraſſe ſola voluntate, & tactu, vel alio ſigno externo, vt Innocent. lib. 4. de hoc myſterio cap. 6. Archidiacon. in cap. qui ſcelerate de conſecr. d. 2. Durand. in rationali lib. 4. c. 44. num. 15. & alij ab his citati. Dixi (vt Eccleſia vtitur &c.) contra Iuſtinũ Apolog. 2. in fine & alios aſſerentes conſecraſſe verbis prolatis, ſed alijs. Eſt igitur noſtra concluſio certa, & de fide, vt ſumitur ex Canone miſsæ in illis verbis. *Qui pridie, quam pateretur, accepit panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, accipite, & manducate. Hoc eſt corpus meum.* Et ex Concil. Trid. ſeſs. 13. c. 1. vbi hæc verba notantur. *Chriſtus in cęna hoc ſacramẽtum inſtituit, cum poſt panis, vinique benedictionem ſe, ſuum corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem, diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt.* Idem fatetur Tertullianus lib. 4. contra Marcionem c. 4. his verbis. *Acceptum panem, corpus ſuum fecit. Hoc eſt corpus meum, dicẽdo.* Et Cyprian. ſer. de cęna Domini. *Ante verba illa, cibus cõmunis erat; ſed nõ, ex quo à domino dictũ eſt. Hoc eſt Corpus meum*; Idem fatentur omnes Patres, & eſt cõmunis ſẽſus Eccleſiæ. Vnde Chriſtus, & conſecrauit verbis prolatis

tis

Digitized by Google

tis; & his proprijs, quibus Eccleſia vtitur.

2. Sed dubium eſt, vtrum verba conſecrationis ſint proferẽda à Sacerdote recitando, vel etiam ſignificando? & relictis varijs opinionibus, & modis loquendi: dicendum eſt, Sacerdotem debere dicta verba proferre non ſolum recitando: ſed etiam formaliter ſignificando. Ità D.Tho. q.78. art.5. Bonauent.d.8. 2.p. art.1. q.1. Sot.cap.11. q.1. art.5. Richard.d.8.art.3. q.1. & ibi Scot. q.2. Suar.diſp.48. ſect.4. Filiucc.to.1.tr.4.cap.4.nu.96.& alij; prima pars cõcluſionis probatur ex canone miſſæ. *Benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens*, Quibus verbis certum eſt, ſacerdotem narrare, ſeu recitare factum Chriſti; & idem eſt etiam dicendum de alijs verbis ſubſequentibus, *Accipite, & comedite*, *Hoc eſt Corpus meum*. Nam omnia indicant factum Chriſti: imò additur *(enim)* ab Eccleſia, ad certificandum verè Chriſtum ità dixiſse; vndè recitando pronuncianda ſunt. Sunt etiam ſignificando pronuncianda; quia aliter ex verbis ſic materialiter prolatis, non poſset colligi veritas huius ſacramenti, nec Chriſtum eſse in manibus Sacerdotis; Vnde Ambroſ. 4. de ſacram. cap.4.ait. *Quando peruenit Sacerdos ad conficiendum ſacramentum, iam non ſuis, ſed vtitur ſermonibus Chriſti*: Igitur Sacerdos nõ ſolũ eſt prolator verborũ, ſed agit ex perſona Chriſti, & verè ipſe cõficit repræſentando perſonã Chriſti: ergo non niſi ſignificatiuè id poterit agere; aliter enim nec eſſet neceſſaria præſentia materiæ; quia illud pronomẽ, *hoc*, ſi non deſignat aliquid, ſufficiet, vt tantum recitando proferatur, ad deſignandum Chriſtum ita dixiſſe; ſed hoc falſum eſt; cum dictum pronomen debeat ſignificare non ſolum Chriſtum ita feciſſe; ſed etiam Sacerdotem id facere cum deſignatione ad talem materiam præſentem ex perſona Chriſti.

3. Sed quęritur quid ſignificet in forma Euchariſtiæ illud pronomen, *hoc*, vel *hic*? Et quia variæ ſunt opiniones, quę potiùs confuſionem, quam veritatem pariunt. Propterea dicendum eſt; per dicta pronomina ſignificari quid communeſub his accidentibus contentum, ita vt ſenſus ſit; quod continetur ſub his accidentibus, eſt corpus meum. Ita Suar. diſp.58. ſect. 7.ex D.Thom.q.78.art.5.& in 4.d.8. q.2.art.1.ad 1.quæſtiunc.4.ad 1.Scot.q.2. art.3.Durand.q.2.ad 1.D.Anton.3. p. tit. 13.c.5.§.4. Ferrar. 4. contra gentes c. 63. Caiet.tom.2.opuſcul.tr.2.c.7.Sot.d.11.q. 1.ar.5.ſequitur Filliuc.tr.4.c.4.num.103. & multi alij, & iuxta hanc explicationem, veritas propoſitionis facillima redditur; quia dum dicitur, *hoc*, denotatur quid ſubſtantiuè, & ens in confuſo, ſeu ſubſtantia ſub illis accidentibus contenta, ita vt ſenſus ſit, hoc contentum ſub his ſpeciebus, eſt corpus meum. Contra alios aſſerentes dicta pronomina non ſignificare ſubſtantiuè, ſed tranſitiuè; ideſt, *hoc eſt corpus* ſcilicet, tranſit in corpus, vel ex hoc fit corpus; nam hoc modo verbum, *eſt*, non haberet ſuam propriam ſignificationem, nec probaretur præſentia corporis Chriſti in ſacramento, vt fusè Suar. loco citato.

4. Quænam autẽ ſit forma conſecrationis panis? Reſpondeo, eſſe hanc ſcilicet. *Hoc eſt corpus meum*. Colligitur ex Canone miſſæ, & ex Euangeliſtis. *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*. S. Tho. q.78.art.2. & communiter omnes Doctores: idem aſſerunt omnes Patres; nam Chriſoſt.hom.de prodit. Iudæ ſic ait. *Hoc eſt corpus meum. Hoc verbum res propoſitas transſmutat*: Et Damaſcen.lib.4.cap.14. *Dixit Deus, Hoc eſt corpus meum, & donec ipſe veniat, hoc efficitur*. Ratio autem præcipua eſt, quia ſic Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum: & ſufficientia ſunt tantummodo dicta verba, eo quod ſacramenta id efficiunt, quod ſignificant; & cum dicta verba ſufficienter declarent id eſſe corpus Chriſti; Signum eſt, quod illud efficiant. Vnde reijcitur ſententia Angeli aſſerentis de neceſſitate ſacramenti requiri etiam illa verba; & idem videtur aſſerere Scot. d.8. q.2.art.2. dum ait, dicta verba eſſe neceſſaria, vt forma poſſit ſignificatiuè proferri; meritò quidem hi Doctores reijciuntur, cum dicta verba, nec ſint verba Chriſti, nec ſemper Eccleſia illis verbis vſa ſit, præcipuè tempore Apoſtolorum in quo Canon Miſſæ non erat ita adaptatus.

5. Quid autem dicendum ſit de illa par-

Digitized by Google

particula (*enim.*) Reſpondeo, dictam particulam non fuiſſe à Chriſto prolatam, & conſequenter non requiri de neceſſitate ſacramenti, vt ait D.Thom. loco cit. ad 4. & omnes Theologi in 4. d.8. & 11. dicta concluſio patet, quia Euangeliſtæ omnes, & D.Paulus nunquã dictæ particulæ mentionem faciũt; & quamuis ponatur in Canone Miſſæ, in quo nullus error eſſe poteſt iuxta Concil.Trid. ſeſſ.22.cap.4. & can.6. ex hoc tantum colligitur, fuiſſe additam ex traditione Apoſtolorum, & eſſe de præcepto Eccleſiæ, vt communiter Doctores aſſerunt, & ideò Ledeſm. Marſil.in 4.q.6.art.1.par.2.dub.3. aſſerunt eſſe mortale, ſi ex contemptu omittatur; ſed abſolutè mortale eſſe, docet Angel. verb. Euchar. 1.§.22.Gabr.d.8.q.3. & alij ex Summiſtis; Sotus autem in 4.d.1.q.1.art.8.ait; *Etiam ſi omittatur ex contemptu non eſſe certum, eſſe mortale; quia etiam contemptus poteſt eſſe veniale ratione materiæ leuis*; Tamen dicẽdum eſt id tantum eſſe mortale, ſi fiat ex contemptu, vt ſi quis aduertens, & ſciens pro libito prætermittat; ſecùs ſi ex negligentia, vel inaduertentia culpabili. Ita Suar. diſp.59.ſect.1.Filiuc.tract.4.cap.4.n.106. & conueniunt cum Ledeſm. & Marſil. cit. idem docet Bonac.diſp.4.q.3.pun.1.num.10.Henriq. cap.6. num.2. Coninch.q.78. art.3. num. 37. Nugnus quæſt. 78. art.2. & alij.

6. Item quæritur, vtrum dicta forma mutari poſſit? quod quæſitum dupliciter intelligi poteſt, vel ratione peccati, vel ratione validitatis ſacramenti; Primo modo certum eſt nullo modo poſſe mutari; ſemper enim adeſſet peccatum mortale cõtra præceptum Eccleſiæ, quæ eſt doctrina communis in omnibus ſacramẽtis. Secundo modo, dum nõ mutetur ſenſus verborum; ſemper erit ſacramẽtum; vt ſi quis diceret, hoc contentum ſub his ſpeciebus, eſt corpus Chriſti, nõ corrumperetur ſenſus, & eſſet validum ſacramẽtum; ſic etiam, ſi quis diceret. Hic cibus eſt corpus meũ; vel hæc res eſt corpus meum; vel iſtud eſt corpus meum, vel hic eſt corpus meũ, vel hic eſt corpus meus; dummodo particula hic, non accipiatur aduerbialiter, ſed loco pronominis, & ratio eſt, quia, licet, erretur in Grammatica, ſenſus tamen adhuc ſubſiſtit. Ita Bonac. loco cit. num.6. vbi alios citat. Secùs autem eſſet dicendum, ſi quis diceret, illud eſt corpus meum, quia particula (*illud*) demonſtrat materiam abſentem, vt Sot.d.1.q.1. art.8. ſic etiam ſi quis diceret, hoc, quod eſt panis, vel hic panis eſt corpus Chriſti, nihil efficeret, quia mutatur ſenſus, vt Suar. eodem loco.

7. Validum etiam erit ſacramentum, ſi quis diceret; Hoc eſt caro mea, quia caro, & corpus idem ſonat, & ſignificat, vt ſumitur ex verbis. *Et Verbum caro factum eſt, & caro mea requieſcet in ſpe*; vt Henriq. loco cit. & Bonac. num.8. & id confirmat auctoritate D. Cyrilli ſerm.1. in Cœna; qui putat Chriſtum his verbis conſecraſſe; ſed Bonac. fallitur in hoc, cum id aſſerat Cyprianus ſerm. in Cœna Domini; & non dicit hoc, ſed hæc eſt caro mea, de qua forma dubitat Suar. diſp.59.ſect.2. §. Dico tertiò, qui abſolutè id negat, & non confici ſacramentum aſſerunt Gabr. lect.38. in canon. Alenſ. q.36. membr.3. art.3. & alij Scolaſtici, et ſequitur Filiuc. dicto cap.4. num.109. et Coninchus loco cit. num.38. re tamen vera prima opinio improbabilis non videtur, etiam ſi dicatur hoc eſt caro mea; ſi autem diceretur. Hæc eſt ſubſtantia mea, certum eſſet, quod non conficeretur ſacramẽtum, quia nomen (ſubſtantia) eſt valde commune, vt Suar. et Filiuc. loco cit.

8. Deinde illud verbum (*eſt*) omitti, aut mutari nullo modo poteſt, quia non conficeretur ſacramentum; vt Suar. et Bonac. loco cit. num.16. Vtrum autem conficeretur ſi quis diceret. Hoc eſt corpus Chriſti? videtur negatiuè reſpondendum, quia dicta verba coniuncta cum verbis antecedentibus Canonis non faciunt verum ſenſum; nec Chriſtus vſus eſt tali verbo; vide Suar. loco cit. in fine.

9. Quoad formam ſanguinis; Dico formam eſſentialem conſiſtere in his verbis, nempe; *Hic eſt Calix ſanguinis mei, vel hic eſt ſanguis meus*; et ratio eſt, quia per dicta verba ſufficienter ſignificatur conuerſio vini in ſanguinem. Suar. diſp.60. ſect. 1. et 2. Filiuc. tract.4. cap.4. nu.111. Magiſter in 3. d.8. Bonacina, et alij multi apud

Do-

Digitized by Google

Doctores. Alia autẽ verba; *Noui,& æterni teſtamenti, myſterium fidei,qui pro vobis,& pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Sunt tantum neceſſaria ratione præcepti, maximè in Eccleſia Latina; vt communiter omnes docent; Non deſunt autem,qui aſſerant omnia dicta verba eſſe etiam eſſentialia;imò ita tenet D.Thom. q.78.art. 3.Capreol.diſt.8. q.1. art.3. Palud.q.3.D. Antonin.3.par.tit.13.cap.15.§.4. Sylueſt. verb.Euchariſtia 1.q.6. Petrus Sot.lect.2. de Euchar. & alij; noſtra autem concluſio communior eſt, quam etiam tenet Caiet. q. 78. art. 3. Victoria in ſumma num. 74. Hẽriq. quolibet 9.q.10. & eſt communior antiquorum Scholaſticorum cum Magiſt. loco cit.

10. Erit etiam validum ſacramẽtum, ſi quis dicat; *Hic eſt Calix nouum teſtamentum in ſanguine meo*,vt Luc.22. vel *Hic Calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine*, vt Paulus, quia veriſimile eſt,Lucam, & Paulum tradidiſſe veram formam eſſẽtialem, imò prima forma ex Luca olim vtebatur in Hiſpania, vt teſtatur Henriq. cap. 13. num.2.& ſequitur Bonac.diſp.4. q.3. pun. 2.num.7.idem docet Suar.diſp.60. ſect.2. in fine,& Filiuc.tract.4. de Euchar. cap.4. num.117. Sed notandum eſt,Sacerdotem non poſſe vti, niſi forma ab Eccleſia deſignata, aliter grauiſſimè peccaret, nec debet habere intentionem conſecrandi tantum illis verbis, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*; ſed debet ſe remittere intẽtioni Eccleſiæ, & Chriſti Domini;vt benè aduertunt communiter Doctores;Filiuc.num.115.Sot.in 4.d.8.q.2. Bonac.loco cit.num.3, & alij,& præcipua ratio eſt, quia dicta verba fuerunt prolata à Chriſto Domino; fusè probat Suar. ſect. 3. ideò etiam iuxta Chriſti intentionem proferri debẽt à Sacerdote, maximè cum in conficiẽdo hoc ſacramentum, id agat ex perſona Chriſti.

11. Sed quæritur,vtrum duæ formæ, vel plures poſſint cõcurrere ad conſecrationem eiuſdem materiæ? & breuiter reſpondeo. Si plures proferant formam, & tamen vnus priùs altero illam perficiat, ſeù finiat, ille tantum dicitur conſecraſſe, quia dum adeſt vera materia, & uera forma cum debita intentione miniſtri, ſacramentum neceſſariò efficitur; ſi autem duo,vel plures ſimul omninò finirent,omnes conſecrarent, & omnes eſſent cauſæ totales; vt etiam ſupra diximus de Baptiſmo. Eſt tamen notandum; nouos Sacerdotes tempore ordinationis, debere proferre verba materialiter tãtum in ſignum poteſtatis eis traditæ, abſque intentione conficiendi ſacramentum; quod ſumitur, vt teſtatur Suar.diſp.61.ſect.3.ex antiquo Pontificali Romano,vbi ita dicebatur.Ordinati omnia dicant, ac ſi celebrarent; & ita ſentit Caiet.q.82.art.2. Richar. d.13. art.2. q.1. & Angelus verb.Euchar.2.§.3. Alij autem dicunt dictos Sacerdotes debere proferre formam cum intentione conſecrandi; ſed referendo talem intentionem ad illud inſtans, in quo Epiſcopus abſoluit formam; & ita videtur ſentire D.Thom. q.82. art.2. Innoc. lib.3. de hoc myſterio cap. 25. Alenſ. q.36. membr. 8. Palud.d.3.q.4. Sylueſ. verb.Euchariſtia 2. q. 13. Victoria in ſumma num. 88. tamen hæc ſententia habet ſuas difficultates,quia forma,& materia cum intentione miniſtri debent ſimul eſſe, quia aliter multa inconuenientia ſequerẽtur,ad quæ tollenda prima ſententia videtur magis apta;vel iuxta conſilium Caiet. quod etiam placet Suar. loco cit. in fine. Sacerdotes debent proferre verba meliori modo, quo poſſunt; ſed nullo modo debent præſumere preuenire Epiſcopum in conſecrando; quia ex hoc magnum incommodum ſequeretur; ſcilicet, debent habere intentionem conditionatam conſecrandi cum Epiſcopo ſi poſſunt, ſin minus, tantum materialiter verba proferendi; vt etiam volebat Victoria citato loco.

De effectibus Sacram. Euchariſtiæ. Cap.XXV.

1 *Proprius effectus huius ſacramenti eſt conferre gratiæ augumentum.*

2 *Hoc ſacramentum ex ſe non confert primam gratiam, ſcilicet ex propria inſtitutione.*

3 *Aliquando tamen poteſt conferre primam gratiam.*

4 Ac-

4 *Acced ns cum peccato veniali, vel cum affectione ad illud, recipit dictam gratiam.*

5 *Secundus effectus huius Sacramenti, eſt remittere peccata venialia.*

6 *Effectus huius Sacramenti, datur poſt deglutionem ſpecierum.*

7 *Confertur maior gratia vni quam alteri, ex opere operato ratione maioris diſpoſitionis.*

8 *Dum ſpecies ſacramentales ſunt in ſtomacho, videntur ſemper poſſe conferre gratiam.*

9 *Dicta ſpecies dum ſunt in ſtomacho non influunt maiorem augumentum, ſi homo non ſe diſponat.*

10 *Non eſt ſumenda maior quantitas ſpecierũ cõtra vſum Eccleſiæ, vt præſentia Chriſti diù duret.*

11 *Poſt trãſactam ſumptionem, & præſentiam Chriſti, hoc Sacramentum non operatur ſuos effectus.*

12 *Manducãtem has ſpecies ſucceſſiuè in peccato mortali ſi antequam degluttiat alias hoſtias, vel aliam partem Hoſtiæ pæniteat, poterit gratiam recipere.*

13 *Tertius effectus huius Sacramenti, eſt excitare animam ad deuotionem.*

14 *Quartus effectus eſt præſtare actuale auxilium, & feruorem ad peccata vitanda, &c.*

15 *In corpore moderat fomitẽ peccati, & alios bonos effectus operatur.*

16 *Reſurrectio Corporis in die iudicij cum gloria, eſt effectus huius ſacramenti.*

17 *Hoc Sacramentum eſt adorandum, ac ſi ibi Chriſtus in propria ſpecie videretur.*

18 *Hoc Sacramentum eſt abſolutè adorandum adoratione actuali.*

1 PRoprius, & principalis effectus huius ſacramenti, ſcilicet, ex propria inſtitutione, eſt conferre gratię augumentum, vt magis, ac magis hominem cum Chriſto vniat. Hæc concluſio eſt de fide, contra Meſſalienſes aſſerentes hoc ſacramentum non prodeſſe, nec obeſſe, vt refert Theodor. lib. 4. hiſtor. cap. 10. & lib. 7. Tripar. cap. 11. & contra Armenos ſimiliter aſſerentes hoc ſacramẽtum prodeſſe corpori, & non animæ; & contra omnes hæreticos noſtri temporis docentes hoc ſacramẽtum prodeſſe tãtum ex obiecto ad excitandam fidem, quod (vt aiunt) poſset facere etiam panis nõ conſecratus, ſi imponeretur ad aliquid ſignificandum; noſtra autem concluſio probatur ex verbis Chriſti. *Qui manducat me, viuet propter me, & qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo, & qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; Vnde Concil. Epheſin. in Epiſt. Cyrill. ad Neſtorium ſic dicitur. *Ad myſticam benedictionem accedimus, & ſanctificamur, participes facti pretioſi corporis, & ſanguinis Chriſti.* Et Chryſoſtom. homil. 45. in Io. *Maiori*, inquit, *deſiderio, quaſi lactentes pueri gratiam ſpiritus ſugamus, vnus ſit nobis dolor, vna meſtitia, ſi hoc alimento ſpirituali priuamur.* Dictam doctrinam tradũt omnes Scholaſtici: vt D. Thom. q. 79. art. 1. Magiſter d. 9. & 12. Bellarm. lib. de Euchar. cap. 27. Marſil. 4. q. 4. art. 6. Gabr. lect. 85. in Can. D. Anton. 3. par. tit. 14. cap. 12. Henriquez lib. 4. cap. 15. Valentia to. 4. diſput. 6. q. 5. pun. 1. Suar. diſp. 73. ſect. 1. Filiucc. tract. 4. cap. 6. num. 153. & omnes alij.

2. Eſt ſimiliter communis Theologorum ſententia, hoc ſacramẽtum non conferre primam gratiam ex ſui inſtitutione, nec remittere peccatũ mortale; ità Scot. Durand. Richar. Palud. & alij omnes in 4. d. 9. & 22. Marſil. q. 6. art. 3. D. Thom. q. 79. art. 3. probatur ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. vbi ſic dicitur. *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur*, & in can. 5. eiuſdem ſeſſ. ſimiliter dicitur. *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema ſit.* Vnde ex conſequenti nec confert primã gratiam, quia hæc duo idem ſunt in re, ſcilicet, conferre primam gratiam, & abſoluere à mortalibus, vt benè notat Suar. diſput. 63. ſect. 1. eamdem doctrinam tradunt, Filiucc. nu. 161. Valent. loc. cit. Bonac. & communiter omnes, vt etiam diximus ſupra cap. 19. num. 7.

3. Non tamen eſt negandum aliquando etiam hoc ſacramentum conferre pri-

Digitized by Google

mam gratiam, & delere peccatum mortale, vt docet D.Thom.loc.cit.& q.80.art.4. ad 3.& in 4.d.9. quæſt.1. art.3.quæſtiunc. 2.& d.12.q.1.art.3. Palud.d.9.q.1.nu.14. Richard.art.2.q.1.& d.12.art.5.q.1.Scot. d.9.q.vnic. D.Anton.3.par.tit.14.cap.12. §.6.Syluef.ver.Euchar.Sot.lect.12.de Euchar.Filiucc.tr.4.cap.6.nu.162.Suar.diſp. 63.ſect.1.& alij & ratio eſt, quia in hoc ſacraméto continetur Chriſtus, qui eſt fons vitæ, & à quo dependent gratiæ omnium ſacramentorum; & ſicut, qui accedit attritus,fit contritus vigore ſacramenti pœnitentiæ, ita etiam dicendum eſt; accedentē bona fide ad hoc ſacramentum, licet, verè careat gratia, conſequi primam gratiam, & remiſſionem peccati,quod ignorabat, & acceſſit putans eſſe in gratia; nō deſunt tamen, qui contrarium ſentiant, vt Gabr. in 4.d.9.q.2.art.2.& Bonauent.ar.2.q.3.vbi dicit. *Accedentem dignè ſecundum propriam æſtimationem, non peccare; ſed neque conſequi gratiam*; Idem etiam ait diſt.12. art.4.q.2. Alenſ.q.41.memb.3.& art.2.Maior.diſt.9. q. 1. qui non ſolum ait, non conſequi gratiam; ſed etiam mortaliter peccare, quod omninò falſum eſt, nec eſt recedendum à prima opinione tanquam communi,& veratrãſacta tamen bona fide, ſcilicet,quando peccati commiſſi recordatur, tenetur illud confiteri.

4. Sed dubium eſt, vtrum accedens ad hoc ſacramentum cum peccato veniali, vel cum affectione ad aliquod veniale, poſſit recipere hunc effectum gratię? & affirmatiuè reſpondendum eſt, quia tantum peccatũ mortale eſt obex impediens gratiam; & peccatum veniale poteſt manere cum charitate, & gratia, quæ confertur in ſacramentis: ità D.Thom.q.79.art.8.ad 1. & 2.Sot.d.12.q.2.art.8.Henriq.cap.45.Victor. de Euchar. nu.76. & multi alij, quos ſequitur Bonac. diſp.4. q.4. pun.1. num.3. eãdem doctrinam tradit Suar. diſput. 63. ſect.3. & ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ.13. cap. 9. vbi ad effectum huius ſacramenti requirit pœnitentiam, & confeſſionem peccati mortalis, nec alia actualis diſpoſitio eſt neceſſaria,vt idem Suar.cum alijs.

5. Secundus effectus huius ſacramenti,eſt remittere peccata venialia: vt iam ſupra probauimus cap.19. num.7.ex Concil.Trid.& ita communiter omnes Doctores docent, vt D.Thom.q.79.art.1.& 2.& in 4.d.12.art.1. quæſtiunc.1. Magiſter dicta d.12.& reliqui Theologi, vt Suar.diſp. 63. ſect.10. D.Anton. 3.p. tit.14. cap.12. Valent.to.4. diſp.6.q.5.pun.1. Vaſq.to.3. diſp.205.num.2. Bonac.loc.cit.nu.5. cum multis alijs, & talis effectus procedit ab hoc ſacramento ex opere operato, vt colligitur ex dicto Concil.Trid.eſt tamen neceſſe, vt non adſit complacentia in dictis venialibus,quia aliter,nō ſequeretur effectus,reſpectu tamē illorũ,in quibus adfuerit dicta cōplacētia, ex eiſdē Doctoribus.

6. Sed quæritur, quonam tempore hoc ſacramentum conferat effectum gratiæ, vt diximus? ſed primò notandum eſt, quatuor tēpora circa hoc poſſe diſtingui, & primum eſt ante ſumptionem Euchariſtiæ; ſecundum, eſt tempus ipſius manducationis, tertium eſt poſt manducationem quamdiù præſentia Chriſti durat, quartum eſt poſt tranſmutationem ſpecierum, quando præſentia Chriſti ceſſat; de primo hic non loquimur, quia hoc ſacramentum nullum effectum ex opere operato cauſare poteſt; & licet per votum huius ſacramenti aliquis effectus gratiæ cauſetur in anima, tamen talis effectus nō dicitur proprius huius ſacraméti, ſcilicet, ex opere operato. Quoad alia tēpora. Dico, tunc Euchariſtiam conferre ſuos effectus, quando pars, vel tota hoſtia,aut ſanguis eſt deglutitus, quia ille actus dicitur manducatio, & gratia ſacramentalis non eſt promiſſa, niſi manducantibus; vnde ſi quis diù retineret ſpecies in ore, ita vt corrumperentur antequam deglutiantur, non reciperet Euchariſtiam, & per conſequens neque eius effectus; ſic etiam ſi quis ſucceſſiuè acciperet plures hoſtias, in prima deglutione, ſeu manducatione reciperet gratiam ex opere operato; vt docet D. Thom.q.79.art.7. his verbis. *Si quis ſimul in vna miſſa multas hoſtias conſecratas ſumat, non participabit maiorem effectum ſacramenti, quia non plus virtutis eſt in multis hoſtijs conſecratis, quam in vna, cum ſub omnibus, & ſub vna non ſit,niſi totus Chriſtus.* Sequitur Suar. diſp.63.ſect.4.& 5.Sot.d.12.q.2.art.3.Valent.

lent.tom.4.diſp.6.q.7.pun.1. Reginal.lib. 29.num.140.& communiter omnes alij.

7. Vtrum autem conferatur maior gratia vni, quam alteri ex opere operato? reſpondeo affirmatiuè tam ex opere operato, quam ex opere operantis. Ratione melioris diſpoſitionis: vt D. Thom.art.8. Alenſ.4.p. q.21. memb. 3. Corduba lib.2. quæſ.theol.q.3. Sot.diſt.6.q.1.art.6. & alij Doctores in 4. d. 4. Et eſt ſciendum, non percipere maiorem gratiam ſacerdotes communicantes ſub vtraq; ſpecie, quam laicos communicantes ſub vna tantum; vt ſumitur ex verbis Chriſti Io.6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam*; Et licet, copulatiuè videatur promiſſio facta, intelligitur tamen etiam diſiunctiuè, quia tam caro, quam ſanguis, eſt verus cibus, & potus, & continent ęqualiter totum Chriſtum; ideo ipſe Chriſtus ait, *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*, vtrumque diſiunctiuè ſumendum eſt, aliter enim eſſet contra fidem, quia ſequeretur, vnam ſpeciem non eſſe ſufficientem ad ſalutem. Contra Concil.Trid.ſeſſ.21.cap.1. vbi docet, tam laicos, quam clericos non conficientes, nō teneri ad communicādum ſub vtraq; ſpecie, vide Suar.diſp.63.ſect.6.

8. Quoad tertium tempus, ſcilicet, poſt manducationem, quandiù præſentia Chriſti durat; quæritur, an dum dictæ ſpecies durant in ſtomacho, & ex conſequenti adeſt præſentia Chriſti, operentur aliquem effectum gratiæ in anima? & affirmatiuè reſpondet Caiet.q.79.art.1.Gabr. lect.85.in can.Maior in 4.d.9.q. 1. argum. 5. Palud.in 4.d.17.q.8. nu.30. Ruard.art. 15.qui omnes affirmant quandiù Chriſtus eſt præſens intra corpus eius, qui dignè communicauit, gratiam continuè in illum influere; & quamuis hæc ſententia grauiter reprædendatur à Sot. d. 11.q. 2. art.1. Ledeſma q.20. art.1. Victoria in ſumma num. 79. & ab alijs recentioribus Thomiſtis; quia ex hoc ſequeretur vtiliùs eſſe (cęteris paribus) communicari in maiori ſpecierum quantitate, vt Chriſtus diutiùs duret, & maiorem gratiam conferat, præteralia inconuenientia. Tamen re vera non videtur tanta repræhenſione digna; quia ſaltem Chriſtus ſic potuiſſet inſtituere, nec conſtat tali modo non inſtituiſſe, & nulla adeſſet repugnantia, aut indecentia, imò potiùs adeſſet ſpecies pietatis; & benignitatis, & ratio eſt, quia hoc ſacramentum factum eſt ſub forma cibi, & potus, & datur etiam, vt cibus, & potus animæ, dicente ipſo Chriſto. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Igitur ſicut cibus, & potus corporis, cui comparatur hoc ſacramentum, ſemper tribuit nutrimentum corpori vſquequò conſumatur, ita etiam hoc ſacramentum poſſet dare continuum augumentum gratiæ vſquequò conſumarentur ſpecies ſacramētales, & ceſſet præſentia Chriſti.

9. Dicendum tamen eſt, præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini in ſtomacho manentibus, nihil conferre homini, quoad maius augumentum gratiæ, ſi ſe homo non diſponat, ex altera verò parte probabile eſt, augeri effectus ſacramentalis gratiæ, ſi magis, ac magis ſe diſponat, dum dictæ ſpecies manent in ſtomacho; hæc doctrina probatur ex argumento iam facto de cibo, & potu; & hic modus videtur aptiſſimus ad excitandam hominum deuotionem, vt poſt ſumptā ſacram communionem cum magna deuotione, & reuerētia in ſuis actionibus procedāt, vel vt ſe occupent ad fructum ex hoc prætioſo cibo hauriendum; & ita videtur intellexiſſe Pater noſter Auguſtinus tract.26. in Io. dum ait. *Manducare Chriſtum. eſt illum manentem in ſe habere*: Igitur aliquid aliud ſignificat eſſe in dicta manentia, & in hoc ſenſu loquuntur, Maior.Gabr.& Caiet.ſupra citati, & docet Suar.diſput.63. ſect.7. eamdem doctrinam tradunt Filiucc.tract. 4.cap.6.num.174.& 175.& Bonac.diſp.4. q.4.pun.2. circa finem §. reſpōderi poteſt; differunt tamen hi Doctores à Suar. quatenus aſſerunt tale augumentum gratiæ eſſe ex opere operantis: & Suar. ex opere operato.

10. Ad argumentum verò factum à Soto, & alijs in nu. 8. reſpondetur negando dictam ſequelam; quia vt ſupra diximus, effectus gratiæ non datur maior propter

Digitized by Google

pter diuturniorem præſentiam: ſed propter meliorem diſpoſitionem recipientis, vnde ſi tota illa diſpoſitio in vno inſtanti haberetur, totus obtineretur effectus; quod ergo ibi ſit ſucceſſio, & duratio, eſt per accidens ex defectu diſpoſitionis; & ideò non ſequitur ex hac ſententia, ſuperſtitioſè,eſſe introducendos ritus ab Eccleſiæ conſuetudine alienos ſcilicet recipere maiorem quantitatem ſpecierum panis, vel vini, vt præſentia Chriſti in homine magis duret; ſed potiùs ſequitur magnam diligentiam eſſe adhibendam, vt homo perfectiùs ſe diſponat, hæc Suar. dicta ſectione 7. in fine.

11. Quoad quartum tempus in nu.6. diſtinctum; videndum eſt, vtrũ poſt tranſactam ſumptionem, & præſentiam Chriſti, hoc ſacramentum conferat effectum gratiæ, ſcilicet, recedente fictione? negatiuè abſolutè reſpondendum eſt cum D. Thoma in 4. d.4.q.3.art.3. quæſtiun.3.ad 3.& ibi Durand.q.4.Maior.q.2. Bonauen. ar.1.q.3.& d.12.2.p.art.1. q.ad vlt. Palud. q.4. Alenſ.4.p.q.10. membr.7. art.3.§.11. membr.8. art.3.§.1. Sot.d.6. q.1. art.8. & d.11.q.2.art. 1.& alij multi, quos ſequitur Suar.diſput.63.ſect.8.idem docet Filiucc. tract.4.cap.6. num.176. & ratio eſt, quia iam quis manducauit ſibi iudicium;& effectus ſacramenti non datur, niſi mãducantibus dignè, & non illis, qui manducauerunt indignè.

12. Ex hac doctrina videtur colligi poſſe, mãducantem dictas ſpecies ſucceſſiuè in peccato mortali,ſi pęniteat,&deinde ſumat, vel deglutiat alias hoſtias, vel aliã partem ſpecierum, conſequi gratiam, huius ſacramenti,& præter Doctores citatos, ex quibus apertè colligitur hæc doctrina, (cum tantum talem effectum negent poſt tranſactam ſumptionem, & præſentiam Chriſti;) docet etiam Caiet. q. 79. art. 1. 3.par. Coninchus q.79. art.1.diſt.2.num. 48.Reginal.lib.29. nu.140. Nugnus q.79. art.1.Sot.in 4.d.11.q.2. art.1. & probabilem hãc opinionem vocat Valent. tom. 4. diſp.6.q.7.pu.1.Bonac.diſp.4.q.4.pu.2. in fine,licet,contrariũ ipſe ſequatur cũ Henriquez cap.43. num.3. Imò addo Suar.& alios cit.num.antecedenti, id etiam intelligere de illo,qui poſt ſumptionem;ſed nõ poſt diſceſſam pręſentiã Chriſti,pęniteret; nam apertè hoc colligitur ex eorum modo loquendi, cum id tantum negent poſt ſumptionem,& poſt diſceſſam præſentiam Chriſti;igitur dum Chriſtus manet, poteſt quis conſequi effectum huius ſacramenti per pœnitentiam.

13. Tertius effectus,quem in anima operatur hoc ſacramentum, eſt excitare animam ad deuotionem,& feruorem charitatis cum ſpeciali ſpiritus ſuauitate, & dulcedine; ſumitur ex D.Thom.q.79. art. 1.ad 2. & communiter ex omnibus Theologis; Vnde Clemens V.in Concil.Vienenſi de Reliquijs,& veneratione Sanctorum,ait. *In hoc Sacramento habetur omne delectamentũ, & omnis ſaporis ſuauitas, ipſaque dulcedo Domini deguſtatur*; & Ambroſ.ſerm. 15.in Pſalm.118. dicit. *Hoc Sacramentum inebriare affectus fidelium, vt curam ſaeculi huius,metum mortis,ſollicitudinemque deponant*; & clariùs Tertullianus lib. de reſurrectione carnis cap. 8. *Carne, corpore, & ſanguine Chriſti veſcimur, vt anima de Deo ſaginetur*.

14. Quartus effectus ſimiliter ex opere operato huius ſacramenti, eſt præſtare actuale Dei auxilium,& feruorem ad peccata vitanda, & tentationes ſuperandas. Ita S.Thom.art.3.dictæ quæſt. ad 1.& art. 4.& ſumitur exConc.Trid.ſeſ.13.c.2.ſæpè cit.& Cyprianus Epiſt.54.ait. *Non eſſe idoneum ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium,quia mens deficit,quam recepta Euchariſtia non erigit,& accendit*; & affert illud Dauid Pſal.21. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos,qui tribulant me*.

15. Operatur etiam hoc ſacramẽtum in corpore ſuſcipientis alios effectus; ſcilicet,moderat fomitem peccati,& alios bonos affectus in ſenſitiuo appetitu excitat, vt promptiùs, ac iucundiùs homo virtutem operetur; hoc ſumitur ex communi modo loquendi Theologorum, & Patrum dicentium,hoc ſacramentum ardorẽ concupiſcentiæ extinguere, fomitem minuere,deuotionem augere.Ita D.Thom.q.79. art. 1.ad 3.& art.6.ad 3.& opuſcul.58.cap. 21.& opuſcul.59.cap.6.Richard.in 4.d.9. art.1. q.2. Gabr. lect.83. in can. Sot.d.11.

Digitized by Google

q. 2. art. 5. Gerſon. Serm. 9. ſuper Magnificat. Reginal. lib. 29. num. 137. Henriquez cap. 37. Suar. diſp. 64. ſect. 1. & alij; Vnde Cyrill. Hieroſolym. Cath. 4. Miſtag. ait, *Animam, & corpus ſanctificat*; Damaſcen. lib. 4. cap. 14. *Cedit* (inquit) *in animæ, & corporis præſidium*, (& infra;) *Corpus, & Sanguis Chriſti eſt ad animæ, & corporis noſtri incolumitatem tendens*, & Cyril. lib. 3. in Ioan. cap. 37. & lib. 4. cap. 17. ait; *Sedat cum in nobis manet Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationem animi extinguit.*

16 Item reſurrectio, & gloria corporis in die iudicij, erit effectus huius ſacramenti; ita enim nobis promittitur à Chriſto, Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die;* Vnde Concil. Nicenum vocat hoc ſacramẽtum *Symbolum reſurrectionis*, & Ignat. Epiſt. 14. ad Epheſ. *Pharmacum immortalitatis, & vitam æternã*: & clariùs hoc aſſerit D. Chryſoſt. lib. 6. de Sacerdotio, vbi ſic ait. *Animas eorum, qui hoc ſacramentum in fine vitæ ſuſcipiunt, ab Angelis propter aſſumptum illud ſacramentum hinc rectà in Cælum deduci; eorum verò corpora, ſatellitum more ſtipantibus Angelis cuſtodire in vitam æternam*; & Iren. lib. 4. contr. hæreſ. cap. 34. *Quemadmodum qui à terra panis per percipiẽtis inuocationem Dei, iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus exiſtens, terrena, & cæleſti, & ita corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia ſpem reſurrectionis habentia.*

17. Sed quæritur, quonam modo ſit adorandum hoc ſacramentum? & reſpondeo in hoc ſacramẽto eſſe Chriſtum adorandum non minori veneratione, & cultu, ac ſi in propria ſpecie clarè, & ſenſibiliter conſpiceretur, eſt dicta concluſio de fide, vt apertè colligitur ex Cõcil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 5. vbi ſic habetur. *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto latriæ cultum, qui verò Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento in veneratione adhibeant*, & in can. 6. dictæ ſeſſ. ſic dicitur. *Si quis dixerit, In ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum vnigenitum Dei filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo, adorandum; atque adeò, nec feſtiua peculiari celebritate venerandum, & c. anathema ſit.* Imò addo, non ſolum ipſum Chriſtum eſſe ita adorandum, ſed totum Sacramentum viſibile, quatenus conſtat ex ſpeciebus, & Chriſto: nam hoc modo illud adorat Eccleſia, dum canit. *Tantum ergo ſacramentum veneremur cernui*; & in Concil. Viennenſ. in Clement. vnica de Reliquijs, & veneratione Sanctorum, dicitur; *O adorandum, & reuerendum excellentiſſimum Sacramentum*; & ita etiam loquitur Concil. Tridẽt. vt ex verbis primò citatis colligitur; & omnes Patres, hoc Sacramentum, & non Chriſtum tantum, ita eſſe adorandum, aſſerunt.

18. Vtrum autem hoc ſacramentum ſit abſolutè, vel ſub conditione adorandũ? Reſpõdeo eſſe abſolutè adorandũ; ſecluſis circũſtantijs, ex quibus oriri poſſet aliqua probabilis ratio dubitandi, vel ex defectu miniſtri, vel ex defectu materiæ. Ita D. Thom. in 3. d. 9. q. 1. art. 2. q. 6. ad 2. Habitualiter tamen, debet quiſque habere intentionem adorandi verum Chriſtum, verumque Sacramentum, & non exhibendi adorationem, niſi cum hac prudenti æſtimatione; Vnde Richar. in 3. d. 24. q. 4. ad 2. ait. *Licet fides credat, Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus ſub conditione, ſi omnia ſunt facta, quæ ad conſecrandum ſunt neceſſaria; tamen ad adorandum non oportere, vt fideles hanc conditionẽ adhibeant in actuali cogitatione*; Idem docet Gabr. lect. 50. in canon. Marſil. in 3. q. 8. art. 2. dub. 5. & alij Summiſtæ verb. Adoratio, quos ſequitur Suar. diſput. 65. ſect. 2. nec obſtat S. Bonauent. in 3. d. 24. art. 1. q. 1. ad vltimum, vbi ſic loquitur. *Omnis fidelis rectè adorans Hoſtiam conſecratam, adorat ſub ea conditione; ſi perfecta ſunt circa ipſam ea, quæ ad conſecrationem ſunt neceſſaria, ſecundum diuinam inſtitutionem, & ſic nunquam decipitur, nec errat*, & idẽ docet Alenſ. 3. par. q. 30. memb. 3. art. 1. §. 3. nam hi Doctores loquuntur de adoratione habituali, vt rectè illos explicat Gabr. loco cit. & Suar. ibidem.

De di-

Digitized by Google

De diſpoſitione neceſſaria ad ſumēdum Sacramentum Euchariſtiæ. Cap. XXVI.

1 *Datur duplex ſumptio Sacramenti Euchariſtiæ, ſacramentalis, & ſpiritualis.*

2 *Accedens cum peccato mortali ad Euchariſtiam, ſacrilegium committit.*

3 *Tenetur quis præmittere confeſſionem ex præcepto diuino, & Eccleſiaſtico.*

4 *In caſu neceſſitatis, ſufficit tantum contritio ante communionem.*

5 *Aſſignantur aliqui caſus, in quibus non poteſt quis prætermittere confeſſionem, & communicare.*

6 *Nec abſentia proprij Sacerdotis eſt ſufficiēs ratio omittendi confeſſionem, ſi alius adſit.*

7 *Ex graui damno, & iniuria ſequutura, poteſt quis omittere confeſſionem.*

8 *Habens caſum reſeruatum non excuſatur à confeſſione præmittenda; ſed tenetur omnia peccata confiteri.*

9 *Neceſſitas debet eſſe grauis, & afferuntur multi caſus in exemplum.*

10 *Si quis recordetur peccati mortalis dum eſt ad Altare, debet actionem ſacram perficere, & ſi fuerit laicus poſſet communicare; vide etiam in num. antecedenti.*

11 *Ob deuotionem non poteſt quis communicare in peccato mortali, ſi non habeat confeſſarium.*

12 *Qui communicauit in peccato mortali ob carentiam Confeſſarij, tenetur ſtatim confiteri, ſi fuerit Sacerdos.*

13 *Peccator ex reuerentia tantum, non debet ſtatim poſt confeſſionem, Euchariſtiam ſumere.*

14 *Qui probabiliùs putat peccatū commiſiſſe, vel non confeſſum eſſe, tenetur confiteri.*

15 *Accedens ad Euchariſtiam cum peccato mortali, vnum ſacrilegium committit.*

16 *Excommunicatus accedens ad Euchariſtiam, ſecuriùs duo peccata committit.*

17 *Peccatoribus petentibus hoc Sacramentum, eſt eis denegandum cum varijs diſtinctionibus, vt poteris videre in num. ſeqq.*

18 *Sacerdos, vel Diaconus, communicans ſeipſum in peccato mortali, duo peccata committit.*

19 *Hoc Sacramentum aliquibus peccatoribus ſemper eſt denegandum.*

20 *Peccatori occulto, occultè petenti, eſt hoc ſacramentum denegandum.*

21 *Confeſſor non poteſt denegare communionem peccatori petenti, licet, occultè ob peccatum, quod cognouit in confeſſione.*

22 *Debet dari Euchariſtia peccatori occulto publicè petenti.*

23 *Declaratur quando peccator dicatur publicus.*

1 EST primò ſciēdum, duplicem vſum huius Sacramenti diſtinguere Diuū Thom. q. 80. art. 1. & alios Theologos d. 9. & habetur in cap. quid eſt de conſecratione in cap. qui manducat, & cap. qui diſcordat; ſcilicet, vſum ſacramentalem, & ſpiritualem, quam diſtinctionem approbauit Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 6. dum ad communionem ſpiritualem, & ſacramentalem fideles hortatur; & poſtea ſubdit hęc verba. *Si quidem ille quoque Miſſæ verè communes cenſeri debent, partim, quod in eis populus ſpiritualiter communicet, partim verò, &c.* vel etiam cum eodem Concil. ſeſſ. 13. cap. 8. dicere poſſumus, tres eſſe modos accipiendi hoc Sacramentum; nempè ſacramentaliter tantum, vt ſumunt peccatores, ſpiritualiter tantum, & ſunt illi, qui in voto, & per deſiderium talem cæleſtem panem edunt, & viua fide vniuntur Chriſto; Tertiò ſpiritualiter, & ſacramentaliter, & ſunt illi, qui priùs ſe probant, & inſtruunt, vt veſte nuptiali induti ad diuinam hanc menſam accedant, vt loquitur dictū Concilium; & notandum, quod ſi quis communicauerit ſpiritualiter tantum exiſtens in peccato mortali, peccabit mortaliter, ſi deſideret, vel vellet dictum ſacramētum in tali ſtatu; ſecùs autem, ſi deſiderium ſit ad tale obiectum, ſed in meliori ſtatu; Sed vtrum talis ſpiritualis ſumptio cauſet aliquem fructum ex opere operato præter opus operantis; negatiuè reſpondendum eſt; quia promiſſio fuit tantū facta à Chri-

ſto

Digitized by Google

ſto Domino verè manducantibus, & bibentibus; aliter nulla eſſet differentia inter communionem ſpiritualem, & ſacramentalem, cum ex vtraque idem effectus orietur, quod eſt hæreticum, cum dicti hæretici aſſerant non eſſe minus fructuoſam communionem ſpiritualem, quam ſacramentalem; quod fuit damnatum in Cōcil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. & can. 8. & à D. Thom. repellitur q. 80. art. 1. ad 3. quæ cenſura eſt intelligenda contra aſſerētes, communionem ſacramentalem nihil addere ſupra meritum operantis, & quamuis aliqui aſſerant, talem communionem operari tantum ex opere operato in extrema neceſſitate, quando infirmus eſt in articulo mortis, & quia non poteſt ex indiſpoſitione communicare, adorat, & veneratur hoc ſacramentum cum deſiderio ad illud; vt Sot. d. 12. q. 2. art. 1. Ledeſm. q. 22. art. 4. tamen dicta opinio nullum fundamentum habet, nec datur maior ratio ratione neceſſitatis, vel temporis; ſed ratione inſtitutionis, & promiſſionis à Chriſto factę; ex Suar. diſp. 62. ſect. 1. quibus poſitis.

2. Dico. Accedentem ad hoc ſacramentum, & illud ſumentē in peccato mortali, peccare mortaliter, cum annexa grauitate ſacrilegij virtuti Religionis contraria; hæc concluſio eſt de fide, ex verbis Apoſt. 1. ad Corinth. 11. *Probat autē ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Nam manducare ſibi iudicium, eſt nouam culpam; imò maiorem ex tali manducatione contrahere; & ita dictum locum exponit Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. ſic etiam omnes Theologi, & Patres abſque vlla controuerſia; Accedere autem cum peccato veniali, mortale non erit; ſed veniale tantum, maximè ſi in ipſo actu communicandi habeatur; vnde Anſelm. 1. ad Corinth. 11. ait. *Indignè accedit, qui, vel aliquod graue peccatum, vel multa leuia commiſit, & non eſt confeſſus*; & P. Auguſtinus lib. de Eccleſiaſticis dogmat. cap. 53. vt refertur in cap. quotidie de cōſecr. d. 2. ſic dicit. *Si adhuc habet voluntatem peccandi, grauari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quam purificari, & ideò quamuis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lacrymis,* (& ſubdit,) *ſed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non grauant.* Vnde certum eſt, accedentem in peccato veniali, venialiter peccare, maximè ſi quis accedat ad oſtentationem, vel vanam gloriam, vel cum aliqua delectatione veniali, aut cum magna diſtractione, & ſine debita deuotione, & attentione; quæ omnia eſſent contra debitam reuerentiam, & cultum, qui tanto ſacramento debetur; & ideò ſaltem eſſet veniale; contra Maior. d. 9. q. 1. Richar. ibidem art. 1. q. 1. ad 2. & Adrian. q. 1. de confeſſione. Aſſerentes abſolutè, accedentem cum peccato veniali, vel cum propoſito ad illud, non peccare venialiter; quod naturali diſcurſui videtur repugnare.

3. Sed quæritur, vtrum exiſtens in peccato mortali, teneatur confeſſionem præmittere ante ſumptionem huius ſacramenti? Reſpondetur affirmatiuè, vt conſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. & clariùs id explicatur in can. 11. dictæ ſeſſionis, his verbis. *Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, anathema ſit. Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat ipſa ſancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat quantumcunque, etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.* Quod præceptum, licet, fuerit ſemper in Eccleſia, vt colligitur ex ipſomet Concil. Trident. ſeſſ. cit. cap. 7. vbi hæc verba notantur. *Eccleſiaſtica autē conſuetudo declarat, eā probationem neceſſariā eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantūuis ſibi contritus videatur, abſq; præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacrā Euchariſtiam accedere debeat.* Tamen dictum præceptum eſt etiam diuinū poſitiuum à Chriſto Domino latum, & Apoſtolis, & per eos Eccleſiæ traditum; ita omnes antiqui Theologi teſte Suar. diſput. 66. ſect. 3. §. Dico tertiò, quia deſignādo tempora, pro quibus obligan-

Digitized by Google

gantur homines ad confeſſionem, inter alia aſſignant tempus, quo ſuſcipere vellent Euchariſtiam; Sot.in 4.d.15.q.1.art. 4.Caſtro verb.Euchariſtia hæreſ.10.Corduba lib.1. quæſt. Theologicar. q.16. Couar.in cap.Alma mater, par,1. §.1.num.7. Suar. loco cit. Filiuc. tract.4. cap. 8. num. 211.Nauar.cap.22.num.10.Henriq.lib.8. cap.45.num.2.Azor.1.par.lib.10. cap.31. q.2.Bonac.diſp.4.q.6.pun.1.nu.10.& alij.

4. Et quia ex ipſomet Cõcil.Trid.ſumitur,tunc præmittendã eſſe confeſſionẽ, quando adeſt copia confeſſarij, ſequitur, quod in caſu neceſſitatis ſufficiat tantùm cõtritio æſtimata, ſeu præſũpta vt Bonac. diſp.6.q.6.pun.1.n.13. Valent.diſp.6.q.8. pun.3.Reginal.lib.29.cap.99.& 109.& alij omnes. Quando autem dicatur non adeſſe copia confeſſarij? Reſpondeo, quando nõ adeſt Sacerdos habens iuriſdictionem ſuper peccata mortalia, vel ſuper aliquod ex ijs, quorum conſcientiam habet is, qui communicaturus eſt; vel ſi adſit, non poteſt illi confiteri ſine graui damno,& periculo; & hæc eſt generalis regula. Quãtum autem debeat eſſe hoc damnum, vel periculum, non poteſt certa regula aſſignari; ſed prudenti iudicio relinquendum eſt;ſic etiam ſi quis interroget, quàm debeat diſtare confeſſor,vt nõ dicatur eſſe præſens? iudicandum eſt iuxta diuerſitatẽ locorum, perſonarum, & temporum. Suar. diſp. 66. ſect.4.§.ex his.

5. Vnde in primis non eſt iudicanda ſufficiens cauſa communicandi abſq; confeſſione, ſi quis habens confeſſarium, nolit confiteri, eo quod expectet de propinquo alium confeſſarium,cui deuotius confiteri ſolet; nã ſicut quis teneretur dicto Sacerdoti confiteri tempore Paſchatis, nec eſſet excuſatus à præcepto Eccleſiæ, multo magis tenebitur,ſi voluerit communicare ob præceptum Eccleſiaſticum, & diuinum, & ſi voluerit poſtea deuotiùs confiteri, hoc ei non prohibetur; aliter etiam quis poſſet relinquere communionem in Paſchate,vt deuotiùs communicet in Pentecoſte, vel Natiuitate Domini, quod aſſero ob opinionem aliquorum aſſerentium in tali caſu licere communicare abſque confeſſione; vt Richar.in 4.d.17.ar.3.q.6.& Armilla ver.cõmunio in fine. Quæ opinio prorsùs ſecura non eſt, cum ſit contra Concil. Trid.ſupra cit. & cõtra dictamen rationis; & præcipuè id, quod etiam dicit Roſſella, nempe religioſum, quamuis poſſit Sacerdoti laico confiteri, poſſe differre confeſſionem, & ſacrũ facere, vt euitet aliquam infamiam ſuæ Religioni,quæ cauſa nec eſt ſufficiens, quia ſi in confeſſione adeſſet infamia, nullus teneretur cõfiteri ad ſeruandam tam ſui,quam proprię familię famam ità Suar. diſp. 66. ſect.4. cum Soto, Cano, Couarr. Nauarr. Corduba, & ſequitur Filiucc. tract. 4. cap. 8. num. 213. §. ſecundus eſt.

6. Secundò, nec quis dicitur non habere copiam Confeſſarij, eo quod non habeat proprium Sacerdotem, licet, habeat alios, cui ex priuilegio confiteri poſſit; nam ſi carentia proprij Parochi eſſet ſufficiens cauſa omittendi confeſſionem,pauci poſſent abſque peccato communicare; & dum quis poteſt, & tenetur adimplere præceptum, debet illud adimplere omnĩ meliori modo poſſibili.

7. Quandò autem quis timet, Sacerdotem, qui ſolus adeſt,non obſeruaturum ſigillum, vel aliam grauem iniuriam, aut damnum ſibi illaturum,poterit tunc omittere confeſſionem, & communicare,ſi neceſsitas aderit; & ſi tale damnum timeat tantum ratione vnius peccati, debet, talĩ peccato relicto,alia confiteri,ita Maior.in 4.d.17.q.5. Nauarr.cap.7. num.6. Syluef. ver.confeſsio 1.§.2.& Suar.diſp.66.ſect.4. §. tertius.

8. Ità Similiter dicendum eſt, ſi quis habeat caſum reſeruatum,& habeat neceſſitatem celebrandi, vel communicãdi, debet omnia peccata etiam reſeruata confiteri,vt ſaltem indirectè abſoluatur, & poſtea iterum dicta reſeruata cõfiteri quando opportunitas aderit; vt Sot. in 4.d.17. q.2.art.5.Suar.loc.cit.& Filiucc. tr.4. cap. 8.nu.213.& idem eſt dicendum,ſi quis habeat tantum vnum reſeruatum,& facultatem, vt poſsit illud alteri confiteri cum onere comparẽdi, ſunt tamen,qui aſſerunt in dictis caſibus, poſſe quemlibet omittere confeſsionem ;vt Armilla verb.Communio §.18.citans Adrian.& Palud. & Victoria

ria nu.79. communior tamen, & ſecurior eſt noſtra ſententia; quam etiam tenet Reginal. lib.29. nu.103.& Bonac.diſp.6.q.6. num.31.cum multis alijs.

9. Sed modo quærendum eſt, quanta debeat eſſe iſta neceſsitas communicādi? & certum eſt, dictam neceſsitatem debere eſſe grauem, pro qua grauitate,licet,certa regula dari non poſsit,ex aliquibus tamen caſibus, quos explicabimus, aliqua regula colligi poterit, primus caſus eſt,ſi adſit periculum mortis,& non adſit Sacerdos, ſed tantum Diaconus, qui miniſtret Euchariſtiam; ſecundus, ſi adſit periculum mortis, & oporteat ſacrum facere, vt habens tale periculum communicare poſsit; tertiùs, ſi quis non poſsit omittere communionem abſque graui infamia, quæ graue damnum æſtimetur; quartus, ſi ſequatur ſcandalum omittendo miſſam, vel communionem, quintus caſus eſt, ſi quis inchoauit ſacrificium, & poſt conſecrationē recordetur alicuius peccati mortalis antea, vel in ipſa miſſa commiſsi, tunc etiam ſi comodè poſſet confeſſarium ad altare vocare, & confiteri, debet id omittere, & proſequi miſſam, ſed pænitere vt D. Tho. q.81. art.6.ad 2. Nauarr.cap.15. num.75. Azor.1.p.lib.10.cap.33.q.2.& alij omnes. At ſi dicti peccati recordetur ante inchoatam miſſam, debet confeſsionem præmittere, etiam ſi neceſſe ſit veſtibus exui, vt confeſſarium adeat, vt Scot. in 4.d.9. q.1. & alij,quos ipſe refert,& ſequitur Suar.diſput.66.ſect.4.quod intellige, niſi ſcandalum ſit ſequuturum; & nota tres caſus D. Thom.q.83.art.6.ad 2.enumerare, in quibus Sacerdos poſt inceptam miſſam,& ante conſecrationem poteſt ceſſare, & non proſequi miſſam; primus, ſi recordetur ſe eſſe excommunicatum;ſecundus,ſi non ieiunum; tertius,ſi non confeſſum peccatum mortale, dummodo, vt diximus non adſit ſcandalum; & id aſſerit tutiùs eſſe præcipuè in caſu manducationis, & excommunicationis, ſentit igitur etiam in hoc tertio caſu,de quo agimus nunc, æquè tutum eſſe, licet, non tutiùs, & ſic etiam iuxta D.Thom.ſi quis ante inchoatam miſſam peccati mortalis recordetur, debet confeſsionem præmittere, vt diximus; & ſequitur,etiam Sacerdotem poſt inchoatam miſſam,& ante cōſecrationem teneri confeſsionem præmittere ſi in altari comodè poſſet confeſſarium habere; vt ſentit Bonauen.in 4.d.13. & Syluef. verb.Euchariſtia 2. q. 6. & ſi non poſſet, liberum eſſet ei relinquere miſſam (abſq; tamen ſcandalo) vel illam proſequi, dummodo pæniteat, quia multi Doctores aſſerunt poſſe Sacerdotem miſſam perficere in tali caſu, etiam ſecluſo ſcandalo, alij autem id negant, & ambæ opiniones ſunt probabiles,& ita videtur loqui Suar. loc. cit. vide etiam Bonac. diſp.6.q.6. pun.1. num.15. & 16. qui fusè ambas opiniones affert.

10. Sextus caſus eſt, quando aliquis recordetur peccati mortalis cōmiſsi poſtquam iam eſt altari admotus ad cōmunicandum, & non poteſt recedere ſine ſcandalo, debet actionem perficere;& interim pænitere, & idem eſt dicendum de laico poſtquam ad linteum acceſsit; vt Nauarr. ca.21.n.49. Syluef.ver.Euchariſtia 2.nu. 10.Sot.in 4.diſt.12.q.1.art.46. & alij cum Bonac. loc.cit. nu.17. ſecùs ſi abſque vllo ſcandalo id poterit agere, ſumendo aliquā excuſationem, vel neceſsitatem; At ſi iam incepiſſet actionem communicandi,poſſet illam perficere, & pænitere. Vltimus caſus eſt, quando Sacerdos tenetur ex officio ſacrum facere,vt accidit Parochis plebiculis, tunc ad ſatisfaciendum populo, poſſet cum ſola contritione ſacrum facere, ſi non haberet copiam cōfeſſarij; quod intellige pro illis diebus in quibus Parochus ex officio tenetur celebrare; ſed vtrum id poſſet agere Sacerdos nō obligatus ex officio ratione aliorum, qui obligati ſunt in die feſto audire ſacrum, ad hoc vt illi adimpleant præceptum; Reſpondetur tutiùs eſſe non celebrare, quia iam illi non peccant non audiendo miſſam, & ſacrificium ex iure diuino, & humano non eſt faciendum abſque puritate conſcientiæ: ſed re vera poſſet etiam tutè quis in tali caſu celebrare; imò etiam ſi Sacerdos in peccato mortali (vt ſupponitur) non poſset audire ſacrum ad ſatisfaciendum præcepto in die feſto,poſſet cum ſola pænitentia celebrare,vt Palud.in 4.d.9.q.4. concluſ.10. & Syluef.verb. Euchariſtia 2.q.6. licet,ſecuriùs

Digitized by Google

curiùs eſſet non celebrare; vt Suar.diſput. 66.ſect.4.circa finem; & ratio eſt, quia D. Anton.3.p.tit.13.cap.6.§.7. Sot.d.13.q.1. ar.6.& alij negāt ex hac cauſa poſſe Sacerdotem ſacrum facere;niſi ſequeretur infamia, vel ſcandalum; ſed etiam prima opinio tuta eſt, quia præceptum confeſſionis non videtur cū tanto rigore eſſe accipiendum; tenetur tamen ſemper Sacerdos pænitere, & cōtritionem habere ſaltem æſtimatam, multò magis dicendum eſt, poſſe Sacerdotem cum ſola contritione celebrare ad communicandum infirmum, vt Reginal.lib.29.nu.105.Bonac.nu.22.cum Suar. Valent.& alijs.

11. Nullo tamen modo licet communicare in peccato mortali, in caſu, quo non adeſſet copia confeſſarij; vt non quis interrumpat conſuetudinem communicādi, vel ex eo quod quis magnum fructum percipiat ex communione, aut ratione magnæ ſolemnitatis; vel quia ſacrum eſſet faciendum pro defuncto; nam hi, & ſimiles caſus non excuſant, vt quis non teneatur confeſſionem præmittere ante cōmunionem, vt apertè ſumitur ex Concil. Tridentino ſupra citato, vbi id tantū conceditur in vrgente neceſſitate, vt notat Suar.loc.cit.in fine, & Filiuc. tr.4. cap. 8. num. 218.

12. Sed quæritur, vtrum, qui communicauit in peccato mortali cū ſola contritione, ſaltem æſtimata, vt diximus; teneatur ſtatim cōfiteri quam primum poſſit? Reſpondetur affirmatiuè, non iam ex præcepto diuino, vt aliqui volebant, quos repellit Suar. diſp. 65. ſect. 6. ſed ex iure Eccleſiaſtico, vt conſtat ex Concil. Trident.ſeſſ.13 cap. 7. in fine, vbi ſic habetur. *Quod ſi neceſſitate vrgente, Sacerdos abſq; præuia confeſſione celebrauerit, quamprimum confiteatur.* Ex quibus verbis apertè colligitur,præceptum eſſe Eccleſiaſticum, & ſub mortali obligare cum ſit de materia graui;vt communiter omnes Doctores fatentur. Colligitur etiam ex dictis verbis, præceptum compræhendere tantum Sacerdotes, & non laicos, imò nec Sacerdotes, quando communicarent tanquam laici, ſcilicet, extrà ſacrificium; in die autem Paraſceue, non dicitur Sacerdos communicare tanquam laicus, ſed tanquam miniſter Eccleſiæ, & ideo tale præceptum obligat Sacerdotes etiam reſpectu illius diei; Item etiam colligitur, dictum præceptum nec includere Sacerdotes,qui per obliuionem nō eſſent cōfeſſi aliquod, vel aliqua peccata: quia Concilium loquitur tantum in caſu, quo Sacerdos ex vrgente neceſſitate ſacrificare deberet, imò nec etiam compræhendit Sacerdotem, qui ex malitia celebraret in peccato mortali,propter eamdem cauſam, & quia lex pænalis non debet extendi vltra caſus expreſſos; ita Suar.diſp.66.ſect.7.Filliuc.tract. 4. ca. 8.num.222.& 223.contra Nauarr. cap. 2. num. 10. aſſerentem dictum præceptum omnes compræhendere tam laicos, quam Sacerdotes.

13. Secundò quæritur, vtrum poſt confeſſionem, peccator teneatur cōmunionem differre,vel non ſacrum facere?& affirmatiuè reſpondet Couar. in Clem. ſi furioſus par.3.num.8.imò aſſerit, impium eſſe, aſſerere non peccare mortaliter Sacerdotem,qui poſt commiſſam fornicationem præcedenti nocte, ſequenti die celebrat, ſequitur Marſil.in 4. q.6. art. 4. Nauar.in ſumma hiſpanica cap.21. num. 50. & de pœnit.diſt.6. cap. 1. & alij. Tamen negatiuè reſpondendum eſt, ſcilicet, per ſe loquendo poſſe peccatorem poſt cōfeſſionem communicare, vel ſacrum facere, nec obſtat ratio irreuerentiæ allata à citatis Doctoribus, quia iam fuit ablata omnis irreuerentia per Sacramentum; dixi (per ſe loquendo) quia ex accidenti deberet quis non tā citò cōmunicare, vt ratione ſcandali,in caſu, quo peccator eſſet publicus, & abſq; vllo actu pœnitentiæ, & edificationis accederet ad Sacramentum, ſecundò, ratione contemptus, vt quandò peccator acquireret facilitatem peccandi,tertiò,periculū reincidendi ſtatim; &c. in his enim caſibus, ſeù ad prædicta euitanda, bonum conſilium eſt, vt peccator abſtineat per aliquod tempus à communione iuxta qualitatem peccatorum, vel ſaltem per diem. Dicta noſtra ſententia eſt D.Thom.q.80.art.7. ad 4. vbi ait. *Solum peccatum durans in anima, impedire ex neceſſitate communionem.* Idem docet Filiucc.

liuc.tract.4.cap.8.num.224.Corduba lib. 1. q. 7. ac etiam Nauar. cap. 21. num. 51. Syluest. ver. Euchariſtia 3. q. 10. Suar. diſput. 66. ſect. 8. cum Caiet. & alijs multis.

14. Dubium tamen eſt, vtrum teneatur confeſsionem præmittere ante cõmunionem, qui dubitat tantum commiſiſſe aliquod mortale, vel non confeſsum fuiſſe, vel conſenſum præbuiſſe? & reſpondetur affirmatiuè, ſi practicè non poſsit deponere dictam conſcientiam dubiam, vel ſi magis inclinet in partem affirmatiuam, quam negatiuam. Ita Filiuc. tract. 4. ca. 8. num. 10. Azor. 1. par. lib. 11. ca. 4. q. 3. Suar. de pœnit. diſp. 22. ſect. 9. num. 1. Sot. diſp. 18. q. 2. art. 4. Nauar. cap. 9. num. 9. & 14. Bonac. diſp. 4. q. 6. punct. 1. num. 11. & alij communiter; quando autẽ quis eſt æqualiter dubius, ideſt habet probabilem opinionem ad vtrumq; tunc poteſt quis ſequi ſuam opinionem cum probabilis ſit, imò etiam ſi altera pars probabilior ſit; vt communiter omnes aſſerunt, Suar. loc. cit. num. 6. Henriq. lib. 5. cap. 4. in fine, Filiuc. tract. 7. cap. 4. num. 109. Sanchez in ſumma lib. 1. cap. 10. num. 66. Syluest. ver. confeſsio 2. num. 2. Reginal. lib. 29. cap. 6. num. 99. Bonac. loc. cit. num. 12. & alij.

15. Secundò, dubitatur, vtrum accedens ad ſacram communionem in peccato mortali duo peccata committat, vnum contra præceptum præmittendi cõfeſsionem, aliud ob indignam ſumptionem ſanctiſsimi Sacramenti? & reſpondetur vnum tantum peccatum ſacrilegij committere; quia quando vnum præceptum prouenit ab alio, vnum præceptum reputatur; vnde cum præceptum præmittendi confeſſionem ſit propter dignam ſumptionẽ huius ſacramenti; ſequitur, quod vnum peccatum ſit; ſecùs ſi ex alio capite quis teneretur confiteri, vt eſt tempore paſchali, tunc enim duo eſſent peccata, vt Azor. 1. p. lib. 10. cap. 30. q. 10. Sotus in 4. d. 18. q. 1. art. 4. concluſ. 6. Suar. diſp. 66. ſect. 1. §. dico primò.

16. Sed vtrum idem ſit dicendum de excommunicato, qui hoc ſacramentum ſumeret non præuia abſolutione? reſpondetur negatiuè, cum in dicto caſu duæ malitiæ adſint vna contra præceptum, quo excommunicatus expellitur à participatione ſacramentorum, altera contra præceptum præmittendi confeſſionem; ita Bonac. diſp. 4. q. 6. pun. 1. nu. 34. qui citat Nugnum, & Henriquez, & licet, citet etiam Suar. diſp. 66. ſect. 1. concluſ. 1. Attamen Suar. dicta ſect. ſed non in dicta concluſione; & propriè in reſponſione ad quamdam obiectionem §. dices ſic ait. *Concedo ibi eſſe duas cauſas, ſeu rationes malitiæ, an verò ex illis oriantur duæ malitiæ ſpecie diſtinctæ, vel tantum efficiant vnam grauiorem, ſpeculatiuè cõtrouerti poteſt, ſed res eſt parui momẽti, quamuis poſterior pars videatur veriſimilior* (& infra) *in ordine ad confeſſionem, exiſtimo eam circumſtantiam eſſe talem, quæ aperiẽda ſit, quia plurimum aggrauat*; Vnde iuxta Suar. potiùs vnũ, quam duo peccata in dicto caſu ſunt, licet, ratione circunſtantiæ aggrauantis, quis vtrumq; teneatur aperire in confeſſione; ſed qui teneret opinionem, quod circumſtantiæ quantumuis aggrauantes, non eſſent neceſſariò exprimendæ, poſſet contrariũ aſſerere; quæ opinio Suar. licet, ſit probabilis quoad vnitatẽ malitiæ eiuſdem ſpeciei; in praxi autem non diſcederẽ à prima opinione.

17. Videndũ etiam eſt, an peccatoribus petẽtibus hoc ſacramẽtũ, ſit eis denegãdũ? & reſpondet D. Thom. q. 80. art. 6. peccatores, alios eſſe occultos, alios manifeſtos, manifeſtos autem, vel eſſe tales per euidentiam facti, vel per ſententiam Iudicis tam Eccleſiaſtici, quam ſęcularis; dictis peccatoribus manifeſtis petẽtibus hoc ſacramẽtum, eſt eis denegandum; vt ait Cyprian. lib. 1. epiſt. 10. ſcribens ad quemdam his verbis. *Pro dilectione tua conſulendum me exiſtimaſti, quid mihi videatur de histrionibus, & mago illo, qui apud vos conſtitutus, adhuc in artis ſuæ dedecore perſeuerat, an talibus ſacra cõmunio cũ cæteris Chriſtianis debeat dari; puto nec Maieſtati diuinæ, nec Euangelicæ diſciplinæ congruere, vt pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur.* Peccatoribus autem occultis, nullo modò poteſt ſacra cõmunio denegari, quia quilibet chriſtianus habet ius petẽdi, & fruendi dicta cæleſti menſa, nec poteſt priuari tali iure, niſi ex cauſa publica; poſſet tamen Sacerdos conſcius peccati, monere

peccatorem ne ad menſam Domini accedat abſq; pœnitentia, ex qua doctrina, colligitur Sacerdotes, ſeu Miniſtros huius ſacramenti habere obligationem denegandi hoc ſacramentum publicis peccatoribus, quæ obligatio oritur ex ipſo iure naturali, & diuino, ſuppoſita inſtitutione, & commiſſione facta Sacerdotibus, in qua commiſſione ſunt conſtituti diſpēſatores myſteriorum Dei; & vt tales debent eſſe fideles, & prudentes; eſt communis doctrina omnium Theologorum in 4.d.9. Bonauent. art.2. q.3. Richard. art.3. q.2. Palud. q.4. Durand. q.5. Gabr. q.2. Albert. d.13. art.17. Alex. Alenſ. 3.p.q.48. D. Antonin. 3.par. tit.14. cap.12. Nauar. cap.11. num. 55. & in cap. Sacerdos de pœnit. d.3. num. 101. Sylu. verb. Euchariſtia 3. quos ſequitur Suar. diſp. 67. ſect.1. & Filiuc. tract.4. de Euchar. cap.9. nu.274. & ſeqq. ſed nota, dictum præceptum tunc maximè obligare, quando Sacerdos id commodè, & ſine incōuenięti denegare poteſt, quia licet ſit præceptum naturale, & diuinum, tunc tamē obligat, quando ſine inconuenienti ſeruari poteſt.

18. Sed dubium eſt, an Sacerdos, vel Diaconus communicans ſeipſum in peccato mortali, duo peccata committat? ſcilicet, vnum ex infideli diſpenſatione huius ſacramenti, alterum ex malo vſu. Et affirmatiuè reſpondendum eſt, quia adſunt duæ malitiæ ſpecie diuerſæ; vnde non ſufficeret dicere in confeſſione communicaui in peccato mortali, vel diſpenſaui Euchariſtiam in peccato mortali; ſed ſi Sacerdos celebrauit, ſufficiet ſi dicat, celebraui in peccato mortali; quia vtrumque ibi intelligitur, at ſi communicauit ſeipſum extra Miſſam, tenetur dicere communicaſſe proprijs manibus, ſeu ſeipſum in peccato mortali; Ita Suar. diſp.61. ſect.1. §. Sed quæret; ſed fuſiùs de hoc dicetur infra cap.28. num.12.

19. Secundū dubium eſt, vtrum ſemper hoc ſacramētum ſit denegandum peccatoribus? & reſpondetur affirmatiuè, vt iam patet ex dictis; Vnde Vſurarijs, & Meretricibus omninò denegari debet vt conſtat ex c. Multi 2.q.1. & ex Cōcil. Arelat.1. cap.4. & 5. & idem dicitur de hiſtrionibus, theatricis, agitatoribus taurorum, & ſimilibus, & tandem ad cognoſcendum quibuſnam ſit denegandum hoc ſacramentū, colligendum eſt ex actione, quam exercet, an ſit talis, vt exerceri non poſſit ſine peccato, vt notauit Gloſſ. de conſecr. d.2. ſequitur Suar. loco cit. ſect.2. & Filiuc. tract. 4. cap.9. num.275. ſed quænam pœnitētia his ſit neceſſaria, vt poſſint ad communionem admitti? Reſpōdeo, ſi hi occultè egerint pœnitentiam, & confeſſi fuerint, occultè etiam poterit eis miniſtrari hoc ſacramentum; quia coram Deo ſunt iam iuſtificati; ſi autem publicè petant hoc ſacramentum, neceſſe eſt, vt publicam pęnitentiam, ſeu ſatisfactionem exhibeāt, vel ſaltem, vt publica ſit eorum conuerſio, & diſpoſitio ad tollendum ſcandalum, & vt ſacramentum coram Deo, & hominibus dignè tractetur; Suar. eodem loco, & Filiuc. num.277.

20. Tertium dubium eſt, vtrum hoc ſacramentum ſit denegandum peccatori occulto, ſi occultè illud petat? & reſpondetur affirmatiuè; ita omnes Doctores citati in num.17. & Alenſ. 5.par.q.49. membr.5. Victoria in ſumma num.80. Filiuc. tract.4. cap.9. nu.278. & ſumitur ex Concil. Viennenſ. cap.8. & habetur 6.q.2. cap. Si tamē, vbi dicitur. *Debere Epiſcopum, qui nouit aliquem eſſe peccatorem, ſi ſolus ipſe hoc nouit, ſecretè eum monere, corrigere, & communione priuare*; & ratio eſt, quia peccator non habet ius ad hoc ſacramentum; & cum ſecretè petatur, & nullum ſcandalum, aut aliud incommodum ſit ſequuturum, debet omninò ei denegari; vt Suar. diſp.67. ſect. 3. quod intelligitur tam de Sacerdote non miniſtrante ex officio, quam de Parocho, & Epiſcopo; quia, licet, in cit. Cōcil. Viennenſ. id dicatur tātum de Parocho, & Epiſcopo, hi tamen nominātur, quia ſunt principales diſpenſatores, & quando alij Sacerdotes ſimiliter miniſtrant, vel id agunt tanquam diſpenſatores neceſſarij, vel ex priuilegio; vel id agunt ex perſona Parochi, & Epiſcopi, et in omni caſu diſpenſatores ſunt, igitur vt tales debent eſſe fideles & prudentes ex iure naturali, & diuino; & meritò in hoc reijcitur Sotus d.11. quæſt. 1. contrarium aſſerens, nempè, di-

etiam negationem tantum à Parocho, vel Epiſcopo eſſe neceſſariò faciendam; ſed non ab alijs non miniſtrantibus ex officio, quod verè iuri naturali, & diuino repugnat, & ſaltem dicti Sacerdotes peccarent ob cooperationem contra reuerentiã tanti ſacramenti.

21. Sed quid ſi Sacerdos tantum per cõfeſſionem cognouit peccatum, & tamen peccator occultè petat? Reſpondetur, non poſſe Sacerdotem, aut Parochum in tali caſu communionem denegare; quia id, quod ſcitur in cõfeſſione, eſt minus, quam id, quod neſcitur, aliter redderetur odioſa confeſſio; ita Nauar. cap. 21. nu. 55. D. Antonin. 3. par. tit. 14. cap. 12. §. 2. Adrian. quolibet 3. q. 3. & Sylu. verb. Euchariſtia 3. q. 3. ſed ſi cognouit Parochus indignitatem peccatoris, etiam extra confeſſionẽ, vtique teneretur id denegare, quia nunc non vteretur ſciẽtia confeſſionis, ſed ſcientia habita extra cõfeſſionem; vt ait Filiuc. tract. 4. cap. 9. num. 279. cum Gabr. Palud. Antonin. & alijs ab ipſo citatis. Vide Suar. qui fusè hanc quæſtionem diſputat loco cit.

22. Si autem publicè talis peccator petat, non eſt ei deneganda communio, quia ad bonam, & rectam gubernationem Eccleſiæ pertinet, vt ex peccato occulto non infametur proximus, ſic enim nobis Chriſtus Dominus ſuo exẽplo reliquit, cũ licet, cognoſceret indignitatẽ Iudæ, adhuc tamen illũ ad cõmunionem admiſit. Hæc ſententia cõmunis eſt; vide tamen Suar. diſp. 67. ſect. 4. Filiuc. loco cit. nu. 280. Nauar. cap. 21. num. 56.

23. Vtrum autem tãtum communio ſit deneganda peccatori publico ratione rei notoriæ, vel ratione ſententiæ Iudicis, vt ſupra diximus? Reſpondeo ſi communio petatur à peccatore coram illis tantũ, qui ſciunt crimen, & eius indignitatem, debet ei denegari, quia nulla in tali caſu adeſt infamia; quando verò aliqui eorum, qui adſunt, ſunt conſcij criminis, alij non, tunc non poteſt denegari, niſi delictum eſſet publicum ex iure, vel facto, imò in his duobus caſibus poteſt denegari, etiã ſi communio petatur coram illis, qui non ſunt conſcij criminis. At ſi delictum ſit tantum probabile, non ex hoc ſequitur, vt poſſit tali peccatori cõmunio denegari, quoadusque interueniat ſententia Iudicis, vt Nauar. cap. 21. num. 55. Richard. in 4. d. 9. art. 3. q. 1. Gabr. q. 2. Suar. ſect. 5. & colligitur ex cap. Tua nos, de habit. Clericor. & mulier.

De diſpoſitione corporali neceſſaria ad ſuſcipiendam Euchariſtiam. Cap. XXVII.

1 *Sacerdotes, quãdo Euchariſtiã ſumunt extra Miſſam, debent Stolam habere.*

2 *Pollutio nocturna, copula coniugalis, & ſimiles maculæ non neceſſariò impediunt hoc ſacramentum.*

3 *Ieiunium naturale eſt omninò neceſſarium ad hoc ſacramentum.*

4 *Dictum ieiunium non includit ea, quæ accipiuntur per modum ſaliuæ, vel non per comeſtionem.*

5 *Per ſaccarum in ore ſerò poſitum vſque ad mane, frangitur ieiunium naturale.*

6 *Ob indigeſtionem, vel inſomnium, non priuatur quis communione.*

7 *Ratione neceſſitatis, vel ad perficiendum ſacrificium, poteſt quis non ieiunus ſumere hoc ſacramentum.*

8 *In eadem infirmitate an poſſit quis ſæpius viaticum accipere, vel communicare ſeruato ieiunio.*

9 *Damnatus ad mortem poteſt viaticum ſumere, ſi ſit ſtatim morte plectendus.*

10 *Sacerdos non poteſt non ieiunus conſecrare ad communicandum infirmum, nec ob id celebrare ſine veſtibus.*

11 *Sacerdos ponens aquam loco vini, debet iterum poſtea conſecrare, licet non ieiunus.*

12 *Fragmenta poſſunt accipi, dummodo non ſit Miſſa finita, licet non adſit ieiunium.*

13 *Aliquando poſſunt ſumi, etiam finita Miſſa.*

14 *Extrinſeca neceſſitas poteſt eſſe cauſa, vt hoc ſacramentum abſque ieiunio ſumatur.*

15 *Su-*

Digitized by Google

15 *Suſpecto de crimine, non debet dari hoc ſacramentum ad purgandam ſuſpicionem.*

16 *Suſpecto de crimine vrgenti ſuſpicione, non debet adminiſtrari hoc ſacramentum.*

17 *In aliquo caſu poteſt dari particula non conſecrata.*

1 EST primò quærendum circa indumentum, an aliqua veſtis ſit neceſſaria pro ſumptione huius ſacramenti; & certum eſt nos nō loqui de veſtibus neceſſarijs ad Miſſam; cum infra de his dicetur; neque loquimur reſpectu laicorum, quia nullum datur præceptum circa hoc, vt ex vſu colligitur; quæſtio igitur ſolum erit reſpectu ſacerdotum, vtrum teneantur aliquam veſtem habere, dum hoc ſacramentum recipiunt extra Miſſam? Et reſpondetur, debere ferre Stolam ex vtroque humero pendentem; vt conſtat ex Concil. Brachar. 111. & habetur in cap. Eccleſiaſtica 23. diſt. & quamuis aliqui dictum textum intelligant de Sacerdote communicante in Miſſa ſolemni ritu, vt Nauar. cap. 21. num. 54. & Sylu. verb. Sacerdos §. 4. tamen re vera, textus loquitur diſiunctiuè de quocūque Sacerdote communicāte extra Miſſam; & verba ſunt iſta; *Cum Sacerdos ad ſolemnia Miſſarum accedit, aut per ſe Deo Sacramentum oblaturus, aut Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumpturus.* Et iam id ex communi vſu Eccleſiæ colligitur, & ita dictum textum Gloſſ. interpretatur; ſed quocūque modo intelligatur, certum eſt, dictum textum non obligare ſub mortali, quia res nō videtur adeò grauis, nec conſuetudo cum tanto rigore dictum textum recepit, vt Suar. diſput. 68. ſect. 1. Azor. 1. par. lib. 10. cap. 28. q. 12. Bonac. diſput. 4. q. 6. pun. 2. num. 2. Reginald. lib. 29. num. 112. & alij.

2. Secundò quærendum eſt, vtrum corporalis macula impediat ſumptionem huius ſacramenti? pro corporali macula intelligitur pollutio nocturna, copula cōiugalis, fœmina menſtruata, ſeu, quæ peperit ante breue tempus, leproſus, & ſimiles, in quibus nulla adſit culpa? Et reſpōdeo dictam corporalem maculam per ſe non impedire ex neceſsitate ſumptionem huius ſacramenti. Ità D. Thom. q. 8. art. 7. & Suar. in commentario huius articuli, & diſp. 68. ſect. 2. Alex. Alenſ. 4. par. q. 47. Adrian. q. 4. de Euchar. Gabr. lect. 10. in can. Bonauent. Richard. Palud. Maior. in 4. d. 9. Durand. & Sot. d. 12. Summiſtæ verb. communio, D. Antonin. 3. par. tit. 14. cap. 6. num. 10. Henriq. lib. 8. cap. 51. num. 3. Reginal. lib. 29. nu. 117. & alij communiter; ex reuerentia tamen non debet quis cum tali lepra accedere, ſed ſaltem poſt tranſactum diem, vel poſt trāſactum tēpus purgationis in fœminis; Vnde Dionyſius Alex. Epiſt. ad Baſilid. can. 2. ſic ait. Ad ſancta ſanctorum, qui animo, & corpore purus non eſt, accedere prohibetur, (& de fœminis menſtruatis ſubdit) ſi piæ, & fideles ſint, non debere ſic affectas attingere corpus, & ſanguinē Domini. Imò P. Auguſtinus ſerm. 244. De tempore putat eſſe veniale, ſi quis accedat poſt pollutionem, licet, inculpabilem ad hoc ſacramentum his verbis. Peccatum quidem eſt, ſed tamen paruum eſt, neque enim dicimus eſſe capitale, & ita multi ſancti intelligunt cum D. Thom. Iuſtinus autem martyr q. 21. ad gentes, ait, hominem non peccare, ſi quod eſt in ſe faciat, vt deuotè, & reuerenter accedat, imò meliùs eſſe cōmunicare his verbis. *Non eſt equum propter hanc inuoluntariam paſſionem abſtinere à myſterijs; & ita etiam alij ſentiunt.* Vnde non videtur poſſe aſsignari certa regula; licet, prima iam dicta ſit vniuerſalis, & ab omnibus commendata.

3. Diſpoſitio autem, quæ neceſſariò requiritur non ex iure diuino, ſed poſitiuo ad ſumendum hoc ſacramentum, eſt ieiunium naturale; hæc concluſio eſt certa, & de fide, vt conſtat ex multis Concilijs, Aphrican. 111. cap. 8. Carthagin. 111. cap. 29. Tolet. 7. cap. 2. Altiſiodoren. cap. 19. & ex alij Concil. vt refert Suar. diſput. 68. ſect. 3. vbi dictam conſuetudinem ſeruatam eſſe à temporibus Apoſtolorum, docet ex multis Patribus; præcipuè ex P. Auguſtino Epiſt. 118. & ex eo, Iſidor. lib. 1. de offic. Eccleſiaſt. cap. 18. his verbis. *Placuit Spiritui Sancto per Apoſtolos, vt in honorem tanti ſacramenti in os chriſtiani prius Dominicum*

cum

corpus intraret, quam cæteri cibi, & ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur. Et quidē rationabiliter ob reuerentiam tanti ſacramenti; nec obſtat, quod Chriſtus poſt cœnam conſecrauerit, & diſcipuli communicauerint; nam congruè tunc id actum fuit, quia priùs agnus debebat comedi tanquam figura huius Sacramenti, & deinde Euchariſtia res figurata in dicto agno; Filiucc. tract. 4. cap. 8. num. 232. D. Anton. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 8. & alij.

4. Dixi Ieiunium naturale, quia vt ait D. Thom. q. 80. art. 8. & 2. 2. q. 147. ar. 6. Duplex eſt ieiunium, naturale, quod includit abſtinentiam ab omni cibo, & potu quantumuis minimo, & Eccleſiaſticum, quod non priuat potu, nec omni cibo; & ad ſumendum hoc Sacramentum, eſt neceſſarium ieiunium naturale, ſcilicet, à media nocte præcedente, quia ex tunc incipit dies naturalis; & mortale eſſet, ſi poſt quamcunque quantitatem, licet minimam quis communicaret, nec excuſaretur ratione paruitatis materiæ, quia præceptum non cadit ſupra cibum, & potum; ſed ſuper communionem poſt cibum, vel potum: vt conſtat ex communi vſu Eccleſiæ. Dicitur etiam hoc ieiunium includere abſtinentiam cibi, & potus, ad excludenda ea, quæ deglutiuntur per modum ſaliuæ; vt ſi quis dum os lauat aqua, vel vino, aliquam minimam partem cum ſaliua deglutiat: vel ſi reliquias cibi in ore relictas ex cibis præcedentis diei in ſtomachum traijciat, ſiuè aduertenter, ſiuè inaduertenter; ſecùs, ſi dictas reliquias manibus ex ore acciperet, & poſtea iterum in os mitteret, & in ſtomachum traijceret, quia hęc eſſet vera actio manducandi: ſic etiam, ſi quis dum guſtat iuſculum, aliquid cum ſaliua deglutiat; vel ſi quis ſanguinem manantem ex capite, vel ipſomet ore degluttiat, & quidquid ab intrinſeco prouenit, non frangit hoc ieiunium naturale, & hęc eſt generalis regula, quam aſſignat D. Thom. in 4. d. 8. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. Vnde ſi quis aliquid ex nare, vt tabacchum, aquam, vel quid ſimile traijciat in ſtomachum, non frangit hoc ieiunium. Item omne id, quod attrahitur per modum reſpirationis, vt muſca, cartula, vel quid ſimile, non rumpit hoc ieiunium: & tandem id dicitur ſumi per modū cibi, & potus, quod ore accipitur propria actione vitali, & in ſtomachum traijcitur comedendo, aut bibendo, vide Suar. diſp. 68. Sect. 4. D. Anton. 3. part. tit. 13. c. 6. num. 8. Filiucc. tract. 4. c. 8. num. 232. & ſeqq. Bonac. diſp. 4. q. 6. punct. 2. num. 5. & 6. & Dian. tract. 4. de Sacramen. reſol. 37. Poſt autem communionem, nullum ieiunium eſt neceſſarium: ex reuerentia ſolum poſſet quis expectare aliquod paruū tempus, vt ſpecies Sacramentales ſint tranſmutatę. Vnde Chryſoſtom. hom. 27. in 1. ad Corinth. ſic ait. *Quid igitur ieiunare oportet poſt eius acceptionem? non hoc dico, nec cogo, licet, bonum ſit, non tamen compello, ſed admoneo*.

5. Ex altera verò parte, ſi quis v. g. miſit in os ſaccarum in principio noctis, vt duret per totam noctem, illud paulatim deglutiendo, frangit hoc ieiunium, niſi ante mediam noctem aduertat, & foris mittat; quia illa deglutio, dicitur ſucceſſiua manducatio; & idem dicas, ſi quis aliquid aromatum in ore ponat in mane ad vitandum noxium odorem, ſecùs ſi tantū dentibus teratur ad dictum finem, quia hęc non dicitur manducatio, ſicut diceretur, ſi quis traijceret ad ſtomachum dictum quid aromatum; Aliqui etiam dubitant, an ſi quis deglutiat cartam, cretam, lignum, aut quid ſimile, frangat ieiunium naturale, & affirmatiuè reſpondet Bonac. diſp. 4. q. 6. pun. 2. num. 10. vbi plures citat & præcipuè Suar. diſp. 66. Sect. 4. Sed falsò citatur, tum quoad diſputationem, tum quoad opinionem, quia in diſp. 68. Sect. 4. vbi dictus Doctor de hoc agit, potiùs cōtrarium aſſerit; Ideo dicendum puto, prędicta omnia non frangere ieiunium naturale, cum non ſint res comeſtibiles, vt ex ipſo Suar. ſumi poteſt, & expreſsiùs id docet Diana tract. 4. de Sacrament. reſol. 38. vbi multos doctores affert; licet, non deſint contrarij.

6. Sed vtrum, ſi quis ob carentiam ſomni, vel nimium cibum, ita habeat ſtomachum indigeſtum, ac ſi de proximò comediſset, poſsit communicare? & quāuis Gloſſ. in cap. nihil. 7. q. 1. propter Cany

Tri-

Tribus.de conſecr.d.2.dicat,talẽ non poſſe communicare, quia in dicto can. Tribus dicitur, hunc ſacrum cibum non eſſe profanis cibis miſcendum, tamen dicendum eſt, per ſe loquendo, id non impedire, quia præceptum eſt, ne eodem die alius cibus antea ſumatur, & ita intelligitur D.Can.dixi, per ſe, quia ex accedenti teneretur quis abſtinere, vt ſi timeret vomitum, vel quid ſimile, quia eſſet in magnam irreuerentiam huius Sacramenti; neque inſomnis ex hac tantum cauſa debet abſtinere ab hoc Sacramento, cum interdum ſancti viri inſomnes in vigilijs, & orationibus maneant, vt digniùs, & ferventiùs hoc Sacramentum recipere poſſint. Ita communiter omnes doctores.

7. Ex duplici autem capite poſſet quis ſumere hoc Sacramentum nõ ſeruato ieiunio naturali; Primum eſt ratione neceſſitatis ipſius ſumentis; Secundum ratione reuerentię, & ad perficiendum myſterium. Quoad primum caput, in articulo mortis poteſt quis hoc Sacramentum ſumere non ieiunus per modum viatici, vt moris eſt, quod tempus, & periculum, eſt iudicio medicorum iudicandum; & ratio eſt, quia hoc pręceptum ſumendi Euchariſtiam pręcipuè obligat in mortis articulo, vt iam diximus, & ideo tali tempore eſt pręponendum pręceptum diuinum, præcepto Eccleſiæ de non ſumendo Euchariſtiam, niſi ſeruato ieiunio naturali: quę doctrina ex vniuerſali vſu Eccleſię probatur.

8. Dubium tamen eſt, vtrum poſsit quis in eadem infirmitate ſępiùs hoc Sacramentum ſumere? & breuiter reſpondeo. Si tale periculum eodem modo duret, vel augeatur, non poterit quis iterum viaticum ſumere, niſi poſt octo, vel decem dies, ſi autem infirmus voluerit ſępius interim communicare ob deuotionem, poterit id agere ſeruato ieiunio naturali. At ſi ſtatus ęgritudinis varietur; ita vt quis non dicatur eſſe in eodem periculo, v. g. ſi quis conualeat, & poſtea iterum incidat in periculum mortis, poterit toties, quoties reincidit, viaticum ſumere. Suar. diſputat.68. ſect.5. Filiucc.tract.4. cap.8. num. 238. Reginaldus lib. 29. num. 120. Bonac.diſp.4.quęſt.6.punct.2. num.23. & communiter omnes.

9. Et quod diximus de conſtituto in articulo mortis, dicitur etiam de damnato ad mortem, ſi ex ſententia Principis ſtatim eſſet morte plectendus, nec Princeps, aut Iudex poteſt damnatum ad mortẽ hoc Sacramento priuare: ſi autem damnatus ad mortem habet tempus poſt ſententiam, vt ordinariè ſemper habet, debet hoc Sacramentum ieiunus ſumere, ſi verò non habet, vt in primo caſu, poteſt, & tenetur etiam nõ ieiunus hoc Sacramentum recipere; quia in tali caſu æſtimatur, ac ſi eſſet in articulo mortis, & præceptum communicandi ſe extendit ad vtrumque periculum, cum par ratio ſit. Ex eiſdem Doctoribus, cum Bonac.num.22.

10. Secundum dubium eſt, vtrum Sacerdos non ieiunus poſsit conſecrare ad communicandum infirmum? vbi Maior reſpondet in 4. d.49. quæſt.3. ad 5. Poſſe Sacerdotem fruſtum panis conſecrare extra miſſam, & dare ægroto; quæ ſententia eſt nimis laxa, & meritò ab omnibus reijcitur. Ad caſum tamen reſpondetur, non poſſe Sacerdotem non ieiunum conſecrare pro neceſsitate infirmi, quia neceſſariò ſupponeretur communio ipſius Sacerdotis, & vtrumque eſſet contra præceptum Eccleſię, & contra reuerentiam debitam tanto Sacramento. Ita Filiucc.tract. 4.cap.8.num.242. Suar. diſp.68. Sect.5.§. nihilominus ex Paludan. d.8. q.4. num.9. Gabr. q.2. art.5. Sot. & Ledeſm. ad quęſt. 80.D.Thom.art.8.Reginal. lib.29.n.121. Nauar.c.21.num.53.Syluеſt. ver. Euchariſtia 3. num.6. & 8. Bonacina diſp.4. q.6. punct.2. num. 24. & communiter omnes. Nec obſtat, quod præceptum communionis in articulo mortis ſit de iure diuino, & celebrare poſt ſumptum cibum, vel abſq; veſtibus, aut in fermentato, ſit tantum prohibitum iure humano; vt argumentabatur maior. Nam reſpondetur dictum pręceptum communicandi in articulo mortis eſſe præceptum affirmatiuum, & non obligare infirmum cum magno incommodo; Vnde ſi in tali caſu infirmus non communicat, peccat, etſi ex magno incommodo infirmi, ſumitur excuſatio adimplendi

pręce-

Digitized by Google

præceptum diuinum, multò magis poterit ſumi ex magno incommodo, ſcilicet, ex magna irreuerentia, quæ inferretur huic Sacramento, ſi non conficeretur, vt præcipit Eccleſia; & licet, conſecrare in ieiunio naturali, cum veſtibus, &c. ſit de iure Eccleſiaſtico, tamen reuerentia, quæ debetur huic Sacramento, eſt de iure naturali diuino, ad quod ius ſeruandum Eccleſia determinauit talem ritum celebrandi, & facere contra hoc præceptum, eſſet tum contra præceptum diuinum, tum Eccleſiaſticum; vt fuſiùs Suar. & reliqui Doctores citati, & ideo Sacerdos non ieiunus nec poſſet celebrare in tali caſu, & nec etiam ſi illi deficerent veſtes, aut panis azimus, & alia neceſſaria ad dictum myſterium.

11. Secundum caput, ob quod poteſt ſumi hoc Sacramentum, eſt ratione perfectionis myſterij, ſeu ſacrificij, quod ad tres caſus reduci poteſt. Quorum primus eſt; ſi Sacerdos loco vini, ponat aquam in calice; nec aduertat, niſi poſt ſumptam hoſtiam, & ipſam aquam: nam tunc, vt ſacrificium perficiatur ſub vtraq; ſpecie, quod eſt magis neceſſarium, quam nō eſt ieiunium: debet Sacerdos vtramq; materiam iterum cōſecrare, & ſumere, vel ſaltem cōſecrare vinū, & ſanguinem ſumat ad perficiēdum ſacrificium. Et ſi Sacerdos poſt conſecrationem alicuius ſpeciei, recordetur ſe aliquid comediſſe, non ideò debet ceſſare à ſacrificio, ſed debet illud omninò perficere, ob rationem allatam; ſed ſi recordetur poſt inchoatam Miſſam, ſed ante conſecrationem; tunc iuxta D. Thom. vt ſupra tradidimus, tutiùs eſſet relinquere Miſſam ſecluſo ſcandalo; non tamen id eſſet neceſſarium; ſed poſſet etiam ſacrificium perficere; & hoc in vtroque caſu, etiam ſi mala fide, ſcilicet, ſcienter quis acceſſerit ad ſacrificandum; teneretur tamen pęnitere. Idem eſt etiam dicendum, ſi Sacerdos, qui inchoauit ſacrificium; ægritudine correptus, non poſſet illud perficere, & deberet perfici ab alio; tunc poſſet perfici etiam à non ieiuno, ſi alius ieiunus non adeſſet; & ratio horum caſuum eſt, quia magis vrget perfectio ſacrificij, quam ieiunium.

12. Secundus caſus eſt, quando poſt ſumptam ablutionem, Sacerdos reperit fragmenta ſuper corporale; tunc illa poteſt ſumere dummodo non ſit finita Miſſa, nec obſtat ſi ſint magna, vel parua, quia referūtur ad vnam ſumptionem perfectam; nec etiam debet eſſe ſcrupulus ſi feria 6. in Paraſceue, priùs vinum, quam particula traijciatur in ſtomachum, quod etiam dicitur, quando in ſumptione ſanguinis, remanet particula in Calice, nō debet digito extrahi, cum indecens ſit; ſed aliud vinum eſt ponēdum in Calice donec accipiatur; & id ſimiliter accidit communicātibus extra Miſſam; cum aliquando particula adhęreat palato, & tunc nō poteſt digito moueri, ſed aqua, vel vino, & licet, aqua, vel vinum in dictis caſibus, priùs traijciatur in ſtomachum; ſemper tamen quis intelligitur ieiunus; vide Sylu. verb. Euchariſtia 3. q. 8. & Euchariſtia 2. q. 9. Caiet. tom. 2. opuſcul. tract. 33. de celebrat. Miſſ. q. 1. Nauar. cap. 25. num. 89. Reginald. lib. 29. num. 123. Rodriq. cap. 66. de communione num. 2. Suar. diſp. 68. ſect. 6. Filiuc. tract. 4. cap. 8. num. 239. Bonac. diſp. 4. q. 6. pun. 2. num. 12. & 13.

13. Et nota; ſi Sacerdos finita Miſſa ſtatim diſpenſet Euchariſtiam, poterit etiā ſumere Reliquias, ſi quæ ſuperfuerint; dūmodo ſint eiuſdem ſacrificij, quamuis magnam moram traxerit in diſpenſando ipſam Euchariſtiam; nec poſsēt dari ſæcularibus poſt ablutionem, ſed cum ipſa particula dari vtique poſſent. Si autem fuerint Reliquiæ alterius ſacrificij, omninò eſſent conſeruandæ, ſi commodè, & abſque irreuerentia fieri poſſet; & maximè ſi eſſent grandiuſculæ, imò ſi eſſent fragmenta minima eiuſdem ſacrificij, ſumi poſſent, etiā immediatè poſt finitam Miſſam, cum id fiat ad reuerentiam Sacramenti, & ad perficiendam actionem ſacrificij; Et ſi dubitet an ſint fragmenta conſecrata; poterit illa ſumere poſt ſumptionem ſanguinis, vel etiam poſt ablutionem, quia reputatur vna actio, quæ fuit inchoata cum ieiunio; vide Bonac. loco cit. num. 14. & ſeqq. Suar. & Filiuc. loco cit. Nauar. cap. 25. num. 89. & alios.

14. Tertius caſus, in quo etiam licet hoc ſacramentum accipere abſque ieiunio, eſt extrinſeca neceſſitas ad euitandam

gra-

Digitized by Google

grauem iniuriam, & irreuerentiam; quæ huic ſacramento aduenit, vt ſi igne eſſet comburendum, in caſu incendij; vel ſi deuenire deberet in manus hæreticorum, vel infidelium, à quibus abſq; dubio iniurioſè tractaretur; in his enim caſibus poſſet quis ſacramentum ſumere cum ſola contritione, ſi reperiretur in culpa mortali, & nō poſſet opportunè confeſſionē præmittere, nec obſtaret ieiunium, quia, quod propter reuerentiam huius ſacramenti introductum eſt, non debet obligare contra reuerentiam dicto ſacramento debitam. Suar. diſp. 68. ſect. 6. in fine.

15. Sed quæritur, vtrum ſit neceſſarium, vt homo non ſit de aliquo crimine ſuſpectus? Reſpondeo duobus modis poteſt intelligi, adminiſtrari hoc ſacramentū homini ſuſpecto. Primò, ad probationem, vel purgationē delicti; Secundò, ad vſum prout alijs adminiſtratur; Primò modo, nō debet dari hoc ſacramentum; v.g. ſi iudex vellet dare hoc ſacramentum ſuſpecto de crimine, hac intentione, vt Deus oſtendat aliquod ſignum externū in caſu, quo reus indignè ſumeret; nam talis modus eſſet ſuperſtitioſus, & eſſet tentare Deum; qui non niſi in neceſſitate, & quando ei placet, ſimilia ſigna oſtendit. Ita D. Thom. q. 80. art. 6. ad 3. & in 4. d. 9. cum omnibus Theologis, & Summiſtis verb. Euchariſtia. Et talis modus eſt omninò in iure reprobatus, vt colligitur ex cap. tuarum; & reliquis. De purgatione canonica, & de purgat. vulg. & cap. conſuluiſti, & cap. minas 2. q. 5. At ſi quis ſua voluntate, & abſque coactione, vellet vti hoc medio, & modo ad adſtruēdam, & confirmandam ſuam innocētiam; id non videtur per ſe malum, neque omnino inuſitatum, cum ſic legatur feciſſe Gregorium VII. Pontificem coram Henrico IV. ad probandam ſuam innocentiam, dictum Henricum inuitando ad communicandum, vt ſimile teſtimonium ſuæ conſcientiæ redderet, quod tamen Henricus facere noluit; refert Lambert. in Hiſtor. rerum Germaniæ.

16. Quoad adminiſtrationem ſecundo modo dictam, dicendum eſt; triplicem eſſe ſuſpicionē, temerariam, probabilem, & violentam; propter primam ſuſpicionē abſque dubio eſt hoc ſacramentum ſuſpecto de crimine adminiſtrandum, quia dicta ſuſpicio nullum habet fundamentum; & idem ſimiliter eſt dicendum de ſecunda ſuſpicione, quia licet, probabiliter id poſſit iudicari, tamen ob ſolam probabilitatem, non poteſt quis ſuo iure priuari, & dubium ſtat pro poſſidente bonam famam, nec quis malus poteſt præſumi, niſi ſufficienter contrarium probetur, nec ſufficit probabilis opinio. Ob ſuſpicionem tamen violentam, quæ nullo modo practicè deponi poteſt, non debet hoc ſacramentum tali ſuſpecto adminiſtrari, quia violenta ſuſpicio nititur talibus ſignis, & indicijs, quæ; licet, non faciant rem euidentem in ſe, tamen reddunt rem moraliter probatam, vt iudicium ferri poſſit, quando contrarium non cōſtet D. Thom. in 4. d. 9. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. Richard. ibidem art. 3: q. 2. Gabr. q. 2. art. 3. dub. 2. Alenſ. 4. par. q. 49. membr. 2. art. 1. D. Antonin. 3. par. tit. 14. cap. 12. §. 2. & omnes Theologi, quos ſequitur Suar. diſp. 67. ſect. 6.

De vſu huius Sacramenti, ac de eius Miniſtro. Cap. XXVIII.

1 *Euchariſtia non poteſt ſumi ſub vtraque ſpecie, niſi à Sacerdotibus ſacrificantibus.*
2 *Eccleſia prohibuit ſumptionem Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie.*
3 *Datur aliquis caſus, in quo quis poſſet ſpecies ſanguinis ſumere.*
4 *Miniſter Euchariſtiæ, quoad conſecrationem, eſt quilibet Sacerdos ritè ordinatus.*
5 *Miniſter iuriſdictionis eſt Sacerdos habens iuriſdictionem ſaltem delegatam.*
6 *In articulo mortis, quilibet Sacerdos eſt verus miniſter huius Sacramenti, ſi Parochus non adſit.*
7 *Miniſter neceſſitatis eſt quilibet Sacerdos, vel Diaconus, miniſter ex iuſtitia eſt ſolus Parochus; & tenetur ſemper hoc ſacramentum adminiſtrare, quando rationabiliter fuerit requiſitus.*
8 *Tam Sacerdotes, quam Diaconi, & alij etiã*

laici poſſunt communicare ſeipſos in extrema neceſſitate.

9 *Sacerdos extra Miſſam non debet communicare ſeipſum, ſi adſit alius Sacerdos.*

10 *Religioſi miniſtrantes Euchariſtiam in articulo mortis, vel tempore Paſchali, ſunt excommunicati.*

11 *In aliquo caſu laici poſſunt tangere Euchariſtiam ſine peccato.*

12 *Miniſtrans hoc ſacramentum tenetur eſſe in gratia, aliter plura peccata poteſt cõmittere.*

13 *Hoc ſacramentum poteſt populis adminiſtrari in qualibet hora diei.*

14 *Sacerdos in adminiſtrando, tenetur ſeruare ritum Eccleſiæ, etiam tempore Peſtis.*

15 *Sacerdos in extrema neceſſitate, poſſet alijs digitis, præter pollicem, & indicem, hoc ſacramentum miniſtrare.*

16 *Licitum eſt recipere cõmunionem, & Miſſam audire ab hæreticis, & excommunicatis, & ſimilibus, ſi non ſint declarati tales ab Eccleſia.*

1 EST primò quærendum, vtrum vſus huius ſacramenti debeat eſſe ſub vtraque ſpecie; ſed ſupponendum eſt, ſumptionem Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie, non eſſe per ſe malam, nec iure diuino prohibitam; vt definitur in Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. & antea in Concil. Conſtantienſ. ſeſſ. 13. & in Epiſt. Martini V. & idem fuit determinatum in Cõcil. Baſilienſ. ſeſſ. 30. Et ad quæſitum reſpondeo nullum adeſſe præceptum diuinum laicis impoſitum communicandi aliquando ſub vtraq; ſpecie; hæc concluſio eſt de fide, vt colligitur ex Concilijs citatis, & præcipuè ex dicto Concil. Trid. vbi ſic habetur. *Qui dixit, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis; dixit quoque, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum; & qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meũ ſanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro Mundi vita, & denique, qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo; dixit, nihilominus, qui manducat hunc panem, viuet in æternum;* Ex quibus verbis argumentatur Concilium, nullum adeſſe præceptum communicandi ſub vtraque ſpecie; Vnde illa particula (&) in verbis Chriſti non ſignificat coniunctionem; ſed idẽ importat, ac (vel) nã non ſemper (&) ſignificat cõiunctionem; ſed multoties diſiunctionem, vt Exod. 15. & 21. vbi dicitur. *Qui occiderit patrem, & matrem*; ideſt vel matrem; & de Ioanne Baptiſta dicitur, *vinum, & ſiceram non bibet*; ideſt, nec vinum, nec ſiceram, & de Chriſto Domino, *butyrum, & mel comedes*, non ſimul, ſed diſiunctiuè intelligendum eſt; idem colligitur ex Pſal. 128. *De quo non implenit manum ſuam, qui metit, & ſinum ſuum, qui manipulos colligit*; ideſt nec manum qui metit, nec ſinum, qui colligit; & illud Actor. 3. *Argentum, & aurum non eſt mihi*; ideſt, neque argentum, neque aurum, ita etiam ſunt intelligẽda verba Saluatoris; ſcilicet, *Qui comederit carnem meam, vel biberit ſanguinem meum, &c.* & ita loquitur Apoſtolus. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*, igitur illud (&) in verbis Domini, diſiunctionem, & non coniunctionem ſignificat.

2. Deinde, ex præcepto Eccleſiæ fuit prohibitus vſus Calicis omnibus præterquam Sacerdotibus ſacrificantibus, quæ prohibitio prudens, & rationabilis fuit; & de fide eſt, adeſſe in Eccleſia hanc poteſtatem; ſcilicet, ordinandi modum ſumendi hoc ſacramentum in vna, vel duplici ſpecie; patet præſens doctrina ex Cõcil. Tridẽt. ſeſſ. 21. cap. 1. & 2. & ex Concil. Conſtantien. ſeſſ. 13. colligitur etiam id ex verbi Pauli 1. ad Corint. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*; & ex illo 1. ad Corint. 11. *Cætera autem, cum venero, diſponam*; Vnde Eccleſia habet plenam poteſtatem circa diſpenſationem ſacramẽtorum mutandi; & ſtatuendi ea, quę ſunt ad maiorem ſuſcipientium vtilitatem, & ſacramentorum venerationem; Suar. diſp. 71. ſect. 3. Filiuc. tract. 4. cap. 7. num. 201. & ſeqq.

3. Sed vtrum in aliquo caſu poſſet laicus ſumere Euchariſtiam ſub ſpeciebus vini abſque diſpenſatione Eccleſię? & nega-

negatiuè reſpondet Sot. d.13. q.2. art. 6. imo ait, ſi contingat, Sacerdotem ſacrificantem mori poſt conſecratum, ſed ante conſumptum ſanguinem, & nullum adeſſe Sacerdotem, à quo poſſent ſumi ſpecies vini; etiam ſi dictæ ſpecies corrumpendæ, vel in acetum mutandæ cenſeãtur, non licere laico illas ſumere; Alij etiam dicunt, ſi contingat ſanguinem Domini in terram cadere, & nullum eſſe Sacerdotẽ; qui illum poſſet, vel vellet lambere; non permitti laico, vt id faciat; ſed poſtquam fuerint exiccatę, debent radi, & comburi; ſed hæ opiniones ſunt nimis rigoroſę, & id, quod fuit ordinatum ab Eccleſia ob reuerentiã tanti ſacramenti, non debemus in maiorem irreuerentiam vertere; vt eſſet in caſibus prædictis; Vnde dicendum puto, tunc poſſe laicum etiam non ieiunum, nec confeſſum, ſed cum ſola contritione, ſanguinem ſumere. Si ſpecies corrumpendæ eſſent, & non poſſent cõſeruari in alterum diem; qui caſus eſt impoſſibilis (moraliter loquendo,) & idem eſt dicendum, ſi ſanguis caderet in terram; imò in hoc caſu ſtatim poſſet laicus, ſi Sacerdos non eſſet, lambere dictas ſpecies, & poſtea radere pauimentum, & cõburere puluerem raſam, vel in ſacrarium reponere; ad reparãdam huius ſacramenti iniuriam, & irreuerentiam; vide Suar. loco cit.

4. Quoad miniſtros huius ſacramenti; Dico, duplicẽ eſſe miniſtrum; ſcilicet, conſecrationis, et adminiſtrationis; miniſter conſecrationis eſt ſolus Sacerdos ritè ordinatus, quæ concluſio eſt de fide; vt conſtat ex verbis Chriſti. *Hoc facite in meam commemorationem, &c.* ex Concil. Trid. ſeſſ. 22. et 14. et Concil. Niceno 1. cap. 14. Lateranenſ. in cap. Firmiter, Florent. in decreto Eugenij, et ex communi vſu, et traditione Eccleſiæ; ſolum poſſet quis quærere, vtrum Sacerdotes hæretici, et ſciſmatici, verè dicantur miniſtri conſecrationis, cum ſint membra deciſa ab Eccleſia? et ratio dubitãdi ſumitur ex verbis Gregor. lib. 4. Epiſt. 5. cap. 49. et habetur in cap. accedens 50. diſt. nempè; *Conſecrationis hæreticorum irritas eſſe*; et præcipuè, quia ibi eſt etiam ſermo de degradatis; et Innocent. Epiſt. 18. et 22. ait. *Solum baptiſma illis ratum eſſe permittimus*, et P. Auguſtinus lib. 1. contra Creſcon. Grammat. cap. 13. ait. *Extra Eccleſiam non eſſe verum ſacrificium, nec verum ſacerdotium*. Tamen dicendum eſt, omnes Sacerdotes etiam hæreticos, degradatos, ſuſpenſos, etc. eſſe veros miniſtros cõſecrationis; ſed non rectos miniſtros, et ita ſunt intelligendi textus citati, et alij, qui ſimilia verba proferunt. Et ratio eſt, quia poſſe conſecrare, prouenit ex charactere, qui cum ſit indelebilis in anima, nec per pœnam aliquam poſſit deleri, ſequitur, vt etiam prædicti hæretici, etc. poſſint conſecrare, ſi fuerint verè ordinati, ita, vt characterem habeãt, eſt concluſio de fide ex Cõcil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. et antea ſeſſ. 7. ità omnes Doctores: Vide Suar. diſp. 61. ſect. 3. Filiuc. tract. 4. cap. 9. num. 247. id etiam tradit D. Thom. q. 82. art. 5. et 8. et omnes alij. Et quod dicti miniſtri debeant proferre formam verborum cum debita intentione conſecrandi, eſt etiam de fide; vt probauimus agendo de ſacramentis in genere.

5. Miniſter autem adminiſtrationis, ſeu diſpenſationis Euchariſtiæ, eſt tantum Sacerdos ex diuino iure, licet, requiratur etiam poteſtas iuriſdictionis, vel delegata ex pręcepto Eccleſiæ, cui relicta eſt auctoritas circa modum adminiſtrandi ſacramenta: ita cõmuniter omnes, vt fusè Suar. diſp. 72. ſect. 1. et 2. D. Thom. q. 82. art. Rodriq. cap. 67. de communione num. 1. Filiuc. loco cit. num. 256. Reginald. lib. 29. num. 58. Bonac. diſp. 4. q. 5. pun. 1. num. 4. Diaconus autem dicitur miniſter extraordinarius, quatenus in articulo mortis, ſi non adeſſet alius Sacerdos, poſſet ipſe adminiſtrare; ſicut etiam poſſet ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi, dũmodo adeſſet aliqua neceſſitas; nam ſine vlla cauſa, nec Epiſcopus, nec Parochus poſſet id Diacono committere, imò neque Diaconus obedire poſſet, quando apertè conſtaret, nullam adeſse cauſam talis commiſſionis, ſecùs ſi id non conſtaret, quia ſemper eſset parendum Epiſcopo, vel Presbytero, cum in dubijs ſemper ſubditus teneatur obedire, neque conſtat, quod ait Sylu. ſufficere pręceptum Epiſcopi, aut Presbyteri; vt Diaconus poſſit legitimè admini-

ſtrare abſque alia cauſa verb. Diaconus, Nam iura, quæ concedunt hanc facultatem, requirunt rationabilem cauſam; igitur mandatum nulla exiſtente cauſa, iniquum, & contra iura eſſet; vt optimè Suar. ſect. 1. §. Dico tertiò.

6. Vtrum autem omnis Sacerdos tam regularis, quam ſæcularis poſſit eſſe miniſter huius ſacramenti ſaltem in extrema neceſſitate; ſcilicet, in articulo mortis? Affirmatiuè reſpondendum eſt; quia ſic rationabiliter præſumitur volūtas Parochi, & Epiſcopi, & etiam Summi Pōtificis; nam ius naturale, & diuinum præcipit, vt ſubueniatur proximis, & maximè in ſpiritualibus neceſſitatibus; vnde cum hoc ſacramentum ſit valdè neceſſarium hominibus in dicto articulo mortis; dicendū eſt, quod quilibet Sacerdos poſſit, & debeat hoc ſacramentum in tali caſu adminiſtrare; ità Suar. diſp. 72. ſect. 2. §. ſed quæres; contra Nauar. cap. 21. nu. 15. & Sylu. verb. Excōmunicatio 7. & 14. §. 3.

7. Eſt igitur duplex miniſter, ſcilicet, neceſſitatis, & iuſtitiæ, miniſter neceſſitatis eſt quilibet Sacerdos, vel Diaconus modo ſupra dicto. Miniſter iuſtitiæ eſt Parochus, qui tenetur ſuis parochianis hoc ſacramentum adminiſtrare toties quoties opportunè petunt, ità vt ſi nō petant adeò frequenter, vt ſit contra reuerentiam ſacramenti, & contra eorum ſtatum; ſemper ex iuſtitia teneatur eis dictum ſacramentū adminiſtrare; ità Adrian. in 4. q. 5. de confeſs. dub. 8. Sot. d. 12. art. 6. Nauar. in cap. placuit de penitent. d. 8. num. 152. quos ſequitur Suar. diſp. 72. ſect. 3. contra Richar. in 4. d. 18. art. 2. q. 3. Sylu. verb. cōfeſſor 2. q. 18. aſſerentes Parochum teneri tantum quando adeſt præceptum communicandi; quod verè eſt omninò improbabile, quia quilibet chriſtianus habet ius petēdi hoc ſacramentum, & fruendi, nec poteſt abſq; legitima cauſa priuari; deinde Parochi nō aluntur à populis ſolum, vt miniſtrent tantum tempore pręcepti; nec hęc eſt intentio Eccleſiæ, nec pręſumi rationabiliter poteſt; ſed potiùs eſt, vt cōtinuè aſſiſtēt miniſterio ipſis commiſſo; vide etiam Bonac. diſp. 4. q. 5. num. 15. qui multos alios affert pro hac doctrina, quam ipſe ſequitur.

8. Sed quæritur, vtrū licitum ſit communicare ſeipſum? quod intelligitur tum de Sacerdotibus extra Miſſam, quam de alijs. Et affirmatiuè reſpondetur in articulo mortis, imò non ſolum Sacerdos, & Diaconus, ſed etiam Subdiaconus, & Laici tam viri, quam mulieres, poſſunt ſeipſos communicare in tali caſu, ſi non adeſſet Sacerdos, vel Diaconus; & ratio eſt, quia ex ſolo iure humano prohibitum eſt laicis, ne tangere poſſint Euchariſtiam in cap. peruenit de conſecrat. d. 2. At communio in tali neceſſitate, eſt de iure diuino, vnde ius humanum debet cedere iuri diuino; & ita in praxi feciſſe legitur Regina Scotiæ martyrium ſubitura; nam priùs ſacramentum, quod apud ſe habebat, proprijs manibus ſumpſit, cum ſumma omniū laude; ita Suar. diſp. 72. ſect. 3. in fine, Valentia tom. 4. diſput. 6. q. 10. pun. 1. in fine; Filiuc. tract. 4. cap. 9. num. 258. & 285. Reginald. lib. 29. num. 93. Coninchus q. 82. art. 3. num. 23. & alij apud hos Doctores, licet alij multi, contrarium doceāt; & quidem etiam probabiliter, quia vt ſupra diximus, ſicut non poteſt Sacerdos celebrare ſine veſtibus ſacerdotalibus ad communicandum infirmū in articulo mortis, non obſtante, quod communio tali tempore ſit ex precepto diuino; ob reuerentiam ſacramenti; ergo multo minùs poterit nō Sacerdos, nec Diaconus, ſeipſum communicare in articulo mortis ob reuerentiam debitam tanto ſacramento; & maximè, quia communio, vt iam etiam ſupra diximus, tali tempore, non obligat infirmum, ſi illam habere non poſſit, cum non ſit ſacramentum ſimpliciter neceſſarium; & hanc opinionem probabiliorem putat Bonac. diſp. 4. q. 5. pun. 1. nu. 6. cum Eman. Sà ver. Euchar. num. 4. & 32. Henriq. lib. 8. cap. 54. & alijs.

9. Vtrum autem extra articulū mortis, & extra ſacrificium, Sacerdos poſſit cōmunicare ſeipſum? reſpondeo non adeſſe ius diuinum, neq; poſitiuum id prohibens; ſed quia; id non eſt in vſu, niſi in Paraſceue, vbi Sacerdos ſeipſum cōmunicat abſq; ſacrificio, ideò fieri non debet; niſi in caſu, quo non eſſet alius Sacerdos, qui adminiſtrare ei poſſet; & ſecluſo ſcandalo. Ita ſu-

ſè

Digitized by Google

iè Suar.dicta diſp.72.ſect.3.in fine;Bonac. loco cit.num.13. Filiucc.num. 284. & alij multi.

10. Quæritur etiam, quænam pœna impoſita ſit miniſtrantibus Euchariſtiam tempore Paſchali, vel in caſu mortis abſq; licentia Parochi,vel Epiſcopi? Reſpondeo contra religioſos adeſſe excommunicationem latam, & Papæ reſeruatam, ſi adminiſtrent Sacramentum Euchariſtiæ ſæcularibus, & Clericis dictis temporibus. Clement. Religioſi de priuilegijs, quod intellige, ſi id ſcienter faciant, quia dicta Clementina vtitur verbo *præſumpſerint*, & non niſi, qui ſcienter operantur, poſſunt dici præſumentes, nec dicta excommunicatio extenditur ad non religioſos; nec intelligitur de articulo mortis,quando Parochus non adeſſet; nec poſſet peti venia ab Epiſcopo. Vide Bonac. loc.cit. num.9.10. & ſeqq. qui hanc doctrinam ex communi opinione tradit; & nos iam ſupra ſufficienter diximus.

11. Et quia ſupra num.8.diximus,Laicis eſſe prohibitum tangere Euchariſtiam, quæritur. Vtrum in omni caſu talis tactus eſſet mortale peccatum? Reſpondeo, ſi fiat ex aliqua rationabili cauſa, nullum adeſſe peccatum,vt in caſu quo è terra eleuaretur proprijs manibus: vel ob deuotionem quis illud deoſcularetur; & hoc licet, reperiretur in peccato mortali; ita D.Thom.in 4. d.23.q.2.art.3.quæſtiunc.5. ad 4. Alenſ.4.p.q.52.membr.7.& alij quos ſequitur Suar.diſp.72.ſect.4.§.ſed obijcies & Filiucc.loc.cit.num.272.

12. Sed ex hoc quæſito inſurgit aliud dubium, nempe,vtrum miniſtrans dictum Sacramentum, teneatur eſſe in gratia, dum miniſtrat populo? Et reſpondetur affirmatiuè ſaltem per contritionem præſumptam; ita Doctores in 4.d.13. Palud. q.1. Sot. art.3. Syluef. ver.Euchariſtia 3.n. 4.Suar.diſp.72.ſect.4.§.quartò. Filiuc.tra. 4.c.9.num.271. Bonac. diſp.4.q.5. pun.2. num.3.& alij.Imo multi Doctores aſſerunt, quod Sacerdos, qui pluribus ſucceſſiuè, vel non ſucceſſiuè hoc Sacramentum adminiſtrat, tot peccata mortalia committat, quot ſunt illi, quibus adminiſtrat. Ita Bonac.loc.cit.num.5. Vnde duo videntur certa inter hos,& alios Doctores. Nempe, adminiſtrãtem in peccato mortali, iterum mortaliter peccare, & tot peccata committere, quot ſunt illi, quibus adminiſtratur: Sunt tamen alij, qui etiam probabiliter aſſerunt,in ſucceſſiua adminiſtratione, vnum tantum adeſſe peccatum, quia vnica actio reputatur,& in vnica actione oſtẽdit quis ſe indignum miniſtrum Eccleſiæ. Ita Henriquez.lib.cap.5.num.6. Tannerus in 2. 2. diſp.4. q.2. dub.4. num.56. & alij, quos ſequitur Dian. p.1. de circumſtantijs reſol.41. Nec deſunt etiam, qui aſſerant in tali adminiſtratione cum peccato mortali,nullum adeſſe peccatũ mortale,quia in tali adminiſtratione non proximè concurrit Sacerdos ad iuſtificandum peccatorem & gratiam conferendam,ſicut concurrit in alijs Sacramentis,ſed tantum ibi adeſt veluti quædam applicatio actiua paſſiuis; & ideo nullum videtur eſſe peccatum mortale: & ita tenent Vaſq. 3.p.tom.2.diſp.136. cap.3. num.38. Io. de la cruce in director. conf.p.2.quæſt.4.dub.3. concluſ. 1. & alij, quos ſimiliter loquitur Dian.loc.cit. tamẽ prima, & ſecunda opinio videntur magis tutè, & in praxi ſequendæ, quia verè talis miniſter ſe ipſum lædit, ſic adminiſtrando; vt apertè colligitur ex verbis Nicolai Papæ in cap.vlt. 15.q.8. vbi ſic habetur. *Adulterum Sacerdotem, miniſtrando hoc Sacramentum, ſe tantummodò lædere; & vnde alijs commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbere.*

13. Dubitatur etiam, vtrum hoc Sacramentum poſſit adminiſtrari alijs in qualibet hora diei? & reſpondetur affirmatiuè; dummodo ſumpturi, ſint ieiuni; nec obſtat, quod Sacerdos non poſſit celebrare poſt meridiem,igitur,nec poteſt hoc Sacramentum adminiſtrare; nam ſequela eſt falſa, quia de ſacrificio miſſæ adeſt præceptum Eccleſiæ,vt fieri non poſsit vltra meridiem; at de communione laica nullum datur præceptum; vnde poteſt fieri in quacunque hora, dummodo adſit ieiunium;ex accidenti autem ſcilicet, ratione ſcandali, teneretur quis nõ miniſtrare,&communicaturus, non communicare; Azor. 1.part. lib.10.cap.25.q.8. Henric.c.53. Sylu.ver. Euchariſtia 3.q.14.Bonac.diſp.4.q.7.pun. 1.num.14.& alij; In praxi autem vltra notabile

ſtabile tempus poſt meridiem: non debet hoc Sacramẽtum adminiſtrari iuxta vſum Eccleſiæ: Hic etiam nota, quod deficientibus particulis, poteſt Sacerdos partem ſuæ hoſtiæ non ſolum moribundo per modum Viatici tradere; ſed etiam alteri, qui ex deuotione vellet communicare; ita Dian.part.2.tract.14.reſol.37. Vbi multos affert; ſed in praxi id non puto eſſe conſulendum, cum ſit contra vſum Eccleſiæ, & faciliter poſſet ſcandalum generare.

14 Tenetur etiam miniſtrans hoc Sacramentum, vti omnibus cęremonijs,& ritu Eccleſiæ, & nec debet, nec poteſt hoc Sacramentum adminiſtrare, niſi ſeruatis ſeruandis, quæ ad honorem, & reuerentiã tanti Sacramenti ſpectant; Vnde Parochus etiam ad communicandum infirmum debet accedere cum cotta,ſeu ſuperpelliceo, & ſtola cum decentibus luminaribus, vt habetur in cap. Sanè de celebratione miſſarum; In extrema autem vnctione, non eſt neceſſaria tanta ſolemnitas; quia dictũ oleum eſt tantum materia remota Sacramenti; etſi timeat infirmum moriturum, niſi feſtinanter currat; non debet immodeſtè properare, quia eſſet magna irreuerentia, licet, ſecùs eſſet dicendum de Sacramento Baptiſmi, & pœnitentiæ; quia cum hæc Sacramenta ſint ſimpliciter neceſſaria: tenetur quis, ſaltem ratione charitatis, ſi non fuerit Parochus, totis viribus proximo ſubuenire; nec incommodum aliquod timere: imo tempore peſtis tenetur miniſtrans proprijs digitis Sacramentum miniſtrare infirmis,nec debet mortem timere, quia potiùs quiſq mortem ſubire deberet, quam irreuerentiam inferre tanto Sacramento;ſi autem dicto tempore peſtis, poſſet commodè aliquo inſtrumento miniſtrari hoc Sacramentum abſque periculo lapſus, vel alterius irreuerentiæ; vtique liceret; vt Poſſouinus cap.8.num.35. & Bonac.diſp.4.q.5. pun.2.num.10. quod etiam dicimus,in caſu, quo Sacerdos eſſet vocatus pro confeſsione alicuius iam morientis ob vulnus acceptum, vel alio modo: nam poteſt Sacerdos relinquere ſacrificium, etiam poſt conſecrationem, relicto ſacramento cum debita reuerentia, & abſque vllo malo periculo, & poſtea tenetur redire, & perficere ſacrificium.

15. Item, ſi miniſtrans ob Chiragram non poſsit vti pollice, & indice,non poteſt adminiſtrare hoc Sacramentum, licet, id agere poſſit alijs digitis; & licet, id eſſet ad communicandum infirmum, quia, etſi tota manus conſecrata ſit; tamen vſu receptum eſt, vt non niſi pollice, & indice hoc Sacramentum adminiſtretur. Ita Bonac. cum Poſſouin.loc.cit. Sed hæc opinio nimis rigoroſa videtur, nec puto dictã Chiragram eſſe ſufficientem cauſam, vt infirmus decedat abſque ſacramento,dummodo alijs digitis ſufficienter adminiſtrari poſſit,nec in tali caſu video irreuerentiam fieri huic ſacramento;cum nullum adſit ius contrarium aſſerens;&ſola conſuetudo cõmunicandi pollice, & indice, non eſt accipienda tam ſtricto modo,dummodo adminiſtratio poſſit fieri abſq; ſcandalo vel alia irreuerentia; vt videtur aſſerere Toletus lib.1. cap.58. num. 2.

16. Hic vltimò quæritur, vtrum liceat communionem recipere, & miſſam audire ab excommunicatis, hæreticis, & peccatoribus? Reſpondeo cum D.Thom. q.82.art.9. vel dicti hæretici,excommunicati, &c. Sunt tales ex ſententia Eccleſiæ, & in hoc caſu nullus poteſt cõmunionem ab illis accipere,nec miſſam audire abſque graui culpa; vel non ſunt tales ex ſententia Eccleſiæ, & tunc vtique licitum erit. Nam licet, Apoſtolus 1. Corint.5.aſſerat. *Cum huiuſmodi nec cibum ſumere*; tamen, D. Pater Auguſtinus lib.de vtilit. pœnitentię cap.1. relatus à D. Thom. ſic ait. *Hoc dicendo, noluit hominẽ iudicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario vſurpato iudicio; ſed potius ex lege Dei ſecundum ordinem Eccleſiæ, ſiue vltrò confeſſum ſiue accuſatum, & conuictum.*

17. Quod ſi quis quærat, an poſſit dari caſus, in quo liceat præbere hoſtiam non conſecratam pro conſecrata; v.g. ad explorandum, an Pœnitens, qui iactitat ſe viuere ex eſu ſolius Euchariſtię, verè ſit illuſus, vel certè ei ex gratia ſpeciali Dei id ſit conceſſum, & conſequenter ad conſulendum bono ſpirituali illius? Reſpondetur quod quamuis DD. communiter ſuſtineant partem negantem cum

S.Tho-

Digitized by

S. Thom. in 4. d. 9. art. 5. in caſu tamen propoſito, non videtur improbabilis pars affirmans, eamque in facti contingentia ſuſtinuit P. Franciſcus Pellizzarius Societatis Ieſu Theologię moralis Lector, eius ſententiam approbantibus alijs viris valdè doctis ab ipſo poſtea conſultis. Suam autem ſententiam probauit, quia teſte Altiſiodorenſi lib. 4. tract. 5. q. 4. ad cauendum ſcandalum dari poteſt infirmo Hoſtia non conſecrata pro conſecrata; idemque pręſtari poteſt tum ad vitandum periculum vitæ, teſte Sanc. in ſelectis DD. d. 35. n. 5. & 6. tum ad cōſulendum famæ petentis communionem indignè, quod ſuſtinent S. Bonauent. Abb. Ludouic. de S. Io: & Villalob. relati à Diana part. 4. tract. 6. reſol. 83. Si autem concedatur id, quod concedunt iſti Doctores in Eccleſia adeò celebres; quis neget talem doctrinam poſſe admitti in caſu hic propoſito, in quo agitur de ſalute ſpirituali proximi grauiſsimè indigentis, cui aliter ſuccurri non poſsit, vt hic ſupponitur? Confirmatur reſponſio tum ex doctrina Sanchez tradenda inferiùs cap. 48. num. 2. tum quia in tali caſu non præbetur occaſio idololatriæ niſi materialis, quæ ſicut non imputatur ad peccatum ei, qui illam committit, ſic nec debet imputari permittenti ob cauſam grauem: vt in ſimili notauit Sanchez lib. 2. de matrimonio diſ. 38. num. 6. & 7. Quo modo diluitur ratio principalis, qua nituntur aduerſarij.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Quid ſit Miſſa, & de offerentibus hoc Sacrificium. Caput XXIX.

1 *In lege Euangelica vnum tātum adeſt ſacrificium, quod conſiſtit in Euchariſtia.*
2 *Miſſæ nomen eſt antiquiſſimum in Eccleſia, & prouenit à verbo Miſſæ, vel à verbo mitto.*
3 *Miſſæ ſacrificium eſt actio externa religionis continens ſupremæ latriæ cultum.*
4 *Miſſæ ſacrificium fuit inſtitutum à Chriſto Domino quoad ſubſtantiam, ſed non quoad cæremonias.*
5 *In hoc ſacrificio non offertur Chriſtus in propria ſpecie; ſed quatenus eſt ſub ſpeciebus panis, & vini.*
6 *Hoc ſacrificium eſſentialiter conſiſtit tantum in conſecratione.*
7 *Probatur eadem concluſio.*
8 *De eſſentia huius ſacrificij eſt conſecratio vtriuſque ſpeciei.*
9 *Hoc ſacrificium Eccleſiæ diſtinguitur ab illo Chriſti ſolum accidentaliter, & ſolo numero.*
10 *Principalis offerens eſt ipſe Chriſtus in hoc ſacrificio.*
11 *Poteſtas offerendi fuit tantum data Sacerdotibus à Chriſto Domino.*
12 *Poſſunt etiam omnes fideles offerre hoc ſacrificium per Sacerdotem.*
13 *Hoc ſacrificium poteſt offerri tam pro ipſo Sacerdote, quam pro alijs.*
14 *Sacerdos tenetur pro omnibus fidelibus ſacrificium offerre, vt Eccleſia præcipit, nō autem pro excommunicatis.*
14 *Hoc ſacrificium poteſt offerri pro animabus Purgatorij.*
16 *Hoc ſacrificium poteſt offerri pro Beatis, & Sanctis.*
17 *Hoc ſacrificium nullo modo poteſt offerri pro damnatis.*

1 EST primò ſupponendum, vnum tantum eſſe ſacrificium in lege Euangelica; quod conſiſtit in Euchariſtia inſtituta à Chriſto Domino in nocte Cœnæ; quæ doctrina eſt de fide, vt colligi-

ligitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. vbi hæc verba notantur. *Is igitur Deus & Dominus noſter, & ſi ſemel ſeipſum in ara Crucis morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem ſacerdotium eius extinguendum non erat, in Cœna nouiſſima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud, ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, eiuſque memoria in finem vſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus Panis, & vini Deo Patri obtulit.* Et in proemio dictæ ſeſſ. dicitur; *Hoc eſſe vnum, verum, ac ſingulare ſacrificium:* Et de hac inſtitutione, & ſacrificio, dictum fuerat Prouerb. 9. *Sapientia Aedificauit ſibi domum, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & poſuit menſam;* Prout dictum locum interpretatur P. Auguſtinus lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 20. & alij Patres; Vnde hoc vnum tantum eſt ſacrificium in Eccleſia vſque ad finem ſæculi permanſurum; & in hoc finem acceperũt omnia ſacrificia veteris legis, vt ait Euſeb. lib. 1. de Demonſt. cap. vlt. his verbis. *Ceſſarunt ſacrificia animalium; quia iam venit victima pretioſa pro toto genere humano oblata, qui eſt Chriſtus, qui inſtituit, vt per commemorationẽ ſuæ Paſſionis ſacrificaremus Deo.* Nec vnquam in Eccleſia fuit, nec eſſe potuit aliud ſacrificium, niſi Euchariſtia; vt docent communiter Doctores in 4. d. 12. & 13. Caiet. 2. 2. q. 85. art. 4. & id ſupponit D. Thom. in 3. par. per totam q. 83. & id ſumitur ex verbis P. Auguſtini lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 21. vbi ſic ait. Sacrificamus Deo illo dumtaxat ritu, quo ſibi ſacrificari noui teſtamenti manifeſtatione præcepit.

2. Secundò ſupponẽdum eſt, hoc nomen, Miſſa, antiquiſſimum eſſe in Eccleſia Latina, vt in multis Concilijs legitur, ſcilicet, Carthaginenſ. 2. can. 3. Carth. 4. can. 84. Meliuit. cap. 12. Vaſenſ. cap. 3. & 4. Agathenſi can. 11. vbi agitur de loco, vbi Miſſa celebrãda eſt, & can. 47. in quo agitur de præcepto audiendi Miſſam die Dominico; & eodem nomine vtuntur omnes Pontifices, & Patres antiqui, & iuxta aliquos, hoc nomẽ prouenit à verbo Hebræo Miſſa, quod idem eſt, ac ſpontanea oblatio; Alij autem putãt eſſe vocem Latinam à verbo mitto, quatenus oblatio ſacrificij ad Deũ mittitur; & Miſſa eſt, dicitur, quatenus Deus mittit Hoſtiam huius ſacrificij, quam nos iterum remittimus per Sacerdotem, iuxta verba Canonis. *Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum;* vel iuxta Iſidor. lib. 2. Etymologiar. cap. 19. *Miſſa eſt, dicitur, quia finito ſacrificio populus dimittitur:* quæ omnes ſint dicta contra hæreticos irridentes hãc vocem vti nouam, & barbaram, vt omninò auertant animos hominum ab hoc ſacramento.

3. Quid autem ſit Miſſa, ſeù ſacrificium Miſſæ? Reſpondeo, ſacrificium duobus modis ſumi poſſe propriè, & impropriè, ſeù per quamdam analogiam, hoc ſecundo modo ſumptum, ſacrificium eſt quodlibet opus bonum in honorem Dei factũ; vt loquitur Gabr. lect. 85. in canon. littera D. & Caſtro verb. Miſſæ hæreſ. 1. & ſumitur ex Patre Auguſtino lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 6. vbi hæc verba notantur. *Sacrificium eſt omne opus, quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo relatum, ſcilicet, ad illum finem bonum, quo beati eſſe poſſimus.* Vnde Dauid. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies Pſal. 50.* Propriè autem ſumptum, ſacrificium, eſt actus externus Religionis cõtinens ſupremum latriæ cultum, & ſoli Deo debitum; vel eſt oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei in ſignum diuinæ Excellentiæ legitimè inſtitutum: & eſt actus religionis diſtinctus non ſolum ab operibus in laudem Dei factis; ſed etiam ab omnibus actibus externis Religionis: vt S. Thom. 2. 2. q. 85. art. 3. Sot. li. 6. de iuſtit. & iure qu. 1. ar. 3. Suar. diſp. 73. ſect. 6. Filiucc. tract. 5. cap. 1. num. 8. & alij.

4. Deinde hoc ſacrificium Miſſæ; quo ad eius ſubſtantiam, certum eſt, fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino; vt iam diximus, ſed quatenus includit omnes cæremonias & ora-

Digitized by Google

& orationes, fuit inſtitutum ab Eccleſia, quia nec Chriſtus his cęremonijs, & orationibus conſecrauit, nec etiam in initio Eccleſiæ ſic conficiebatur Euchariſtia; licet, Canon Miſſæ inceperit ab Apoſtolis; & deinde fuerit auctus à ſucceſsoribus, & ſic aliæ cæremomiæ, & orationes poſtea adiunctæ fuerunt ad maiorem honorem tanti Sacramenti, & ad maiorem excitationem deuotionis, vt loquitur Concil. Trident. ſeſs. 22. cap. 5. his verbis. Cęremonias adhibuit (ſcilicet mater Eccleſia) myſticas benedictiones, lumine, Thymiamta, veſtes, aliaque id genus multa ex apoſtolica diſciplina, & traditione, qua, & maieſtas tanti ſacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplatione excitarentur.

5. Quænam autem ſit res, quę offertur in hoc ſacrificio? Reſpondeo, eſse Chriſtum Dominum, non in propria ſpecie; ſed quatenus eſt ſub ſpeciebus panis, & vini; ſumitur ex verbis Concilij Tridentini in num. 1. allatis, & propriè in illis, ſcilicet, *Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & ſacerdotibus, vt offerrent, praecepit*; Vnde res oblata non eſt tantum Chriſtus nudè ſumptus, ſed Chriſtus ſub dictis ſpeciebus; ſeù quatenus cum dictis ſpeciebus vnū quid compoſitum Sacramentale conſtituit. Et hoc modo dicitur res oblata in hoc ſacrificio, non tanquam materia, quæ actioni ſacrificandi ſupponatur: ſed tanquam terminus ſacrificationis, & licet in hoc ſacrificio offeratur etiam panis, & vinum, offeruntur tamen tanquam materia tranſiens, ſeu ex qua ſacrificium conficitur. Vt fusè Suar. diſput. 75. ſect. 1. contra nonnullos malè loquentes circa hanc materiam.

6. Sed quęritur in quibus actionibus eſſentialiter conſiſtat hoc ſacrificium? ſeu quænam ſint eius partes eſſentiales? & reſpondent Doctores: tres eſſe partes eſſentiales, ſcilicet, conſecrationem, oblationem, & ſumptionem. Ita Azor. 1. part. lib. 10. cap. 19. Reginal. lib. 29. num. 146. Bonac. diſp. 4. quæſt. vlt. pun. 2. num. 1. & 2. & alij. Sed ad cognoſcendam hanc veritatem, neceſſe eſt examinare omnes actiones, quæ fiunt in miſſa; & ſic faciliter illam colligemus. Vnde, ſex ſunt Actiones, quæ fiunt in miſſa; quarum prima eſt, oblatio panis, & vini: & hęc Actio ſaltem probabili, vel certo fundamento non poteſt probari, Chriſtum illam inſtituiſſe; & licet, Eccleſia illa vtatur, tamen non ex hoc ſignificatur Chriſtum ita feciſſe: nec ſemper Eccleſia dicta oblatione vſa eſt: quia, vt diximus, non ſemper Eccleſia habuit tot cæremonias, orationes, &c. Vnde non poteſt affirmari dictā oblationem eſſe neceſſariam ad hoc ſacrificium. Secunda Actio, quę fit in miſſa, eſt Conſecratio panis, & vini, & hęc actio eſt omnino eſſentialis, quia tali actione Chriſtus perfecit hoc Sacramentum: Tertia Actio, eſt ſecunda oblatio, quæ incipit ab illis verbis. *Vnde, & memores Domine*, & de hac actione idem eſt dicendum ac de prima, nam nec conſtat illam Chriſtum feciſſe, nec Eccleſia illa ſemper vſa eſt: nec vnquam oblatio verbalis fuit de eſſentia ſacrificij; ſed tantum intentio offerentis, igitur non eſt reputanda eſſentialis, talis oblatio verbalis. Quarta Actio eſt fractio hoſtię, & mittitur quædam particula in calice: quę actio fit ab Eccleſia ex myſtica ſignificatione, ſed nec Chriſtus ita ſacrificauit, nec ſemper Eccleſia tali cęremonia vſa eſt. Vnde, nec eſſentialis reputāda eſt. Quinta Actio, quæ fit in miſſa, eſt ſumptio, & hanc neque certò ſcitur Chriſtum feciſſe: licet, probabilior ſit pars affirmatiua vt ita D. Thom. quęſt. 81. art. 1. Alenſ. 4. part. q. 44. membr. 1. & 2. Bonau. in 4. diſt. 9. art. 1. q. 4. Richard. diſt. 11. art. 4. q. 1. Albertus Magnus diſt. 12. art. 15. Gabr. lect. 37. in Can. & alij recentiores Theologi ex doctrina multorum Patrum; & ſumitur ex verbis ipſius Chriſti Luc. 22 *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Quę verba intelliguntur non ſolum de veteri, & legali Paſchate, ſed etiam de myſtico: nam triplicem cœnam communiter diſtinguunt Doctores, fuiſſe in illa vltima cœna Chriſti, nempe, legalem, quia primo loco Chriſtus, & diſcipuli comederunt agnum in lege præceptum, myſticam, quia poſtea Chriſtus conſecrauit,

 & di-

& diſcipulis porrexit ſuum corpus manducandum,& bibendum; & vſualem,quia in dicta cœna comederunt alias res iuxta communem vſum,& in hac vltima cœna Chriſtus porrexit panem intinctum Iudę; Vnde cum Chriſtus comederit Cœnam legalem, & vſualem cum ſuis diſcipulis: dicendum eſt etiam comediſſe cœnam myſticam, & ex conſequenti communicaſſe priùs ſeipſum: quod expreſſe docet D.Thom.loc.cit.his verbis. *Ipſe quoque bibit ex eo, ne auditis illis verbis dicerent: quid ergo ſanguinem bibimus, & carnem comedimus? & perturbarētur*; Ne igitur hoc accideret, primus ipſe hoc fecit; vt tranquillo animo ad communicationem myſteriorum induceret; & Euthym. in Luc. *Si poculum accepit, vtique & panem*, vnde quidam metricè dixerunt. *Rex ſedet in cœna, turba cinctus duodena. Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus*. Attamen, vt ad propoſitum redeamus, nõ ex hoc ſequitur, ſumptionem eſſe eſſentialem huic ſacrificio. Sexta Actio, quæ fit in miſſa eſt diſtributio, & hanc actionem quamuis Chriſtus fecerit, ex illis verbis. *Deditque diſcipulis ſuis dicens,&c.* Tamen dicta actio non pertinuit ad rationem ſacrificij: ſed fuit declaratus finis inſtitutionis dicti Sacramenti: ita vt etiam ſi Chriſtus non dediſſet hoc Sacramentum ſuis diſcipulis: non ex eò non diceretur perfectũ ſacrificium.

7. Eſt igitur neceſſariò concludendum,ſolam conſecrationem eſſe eſſentialē,& de intrinſeca ratione huius ſacrificij; ita apertè docet D.Thom.q.79.ar.5.dum ait: Euchariſtiam habere rationem ſacrificij, in quantum offertur, & rationem ſacramenti in quantũ ſumitur,& q.82.art.4. ad 1.ait, quod conſecratio Chriſmatis, vel cuiuſcunque alterius materiæ,non eſt ſacrificium, ſicut eſt conſecratio Euchariſtiæ,& q.83.art.4.declarans ceremonias miſſæ ait: Quartò petit(ſcilicet Sacerdos) hoc ſacrificium peractum, eſſe Deo acceptum cum dicit. Supra quæ propitio, ac ſereno vultu reſpicere digneris, &c. Igitur iam eſt peractum ſacrificium,& tamen hæc verba dicuntur ante ſumptionem; hanc opinionem tenet Suar. diſp.75.ſect. 4.& 5.Vaſq.3.part.diſt.222.cap.5. Filiuc. tract.5.cap.1. nu.23.& ſeqq.&antea Bonauent.in 4.diſt.14.art.1.q.4. Maior diſt. 9.Alanus lib.2.de ſacrificio miſſæ cap.25. Turrianus lib.8.conſtit.in Scholijs ad cap. 5.10.11.12.& 14.Bellarm.lib.1.de miſſ.c. vlt.Coninchus q.83.art.1.Pitigianus diſt. 13.quæſt.2.art.3.& alij multi.

8. Vtrum autem de eſſentia huius ſacrificij ſit conſecratio vtriuſq; ſpeciei, an vnius tantum? Reſpondeo, omninò requiri conſecrationem vtriuſque ſpeciei. ita ſumitur ex D.Thom.q.80.art.12.ad 3. dum aſſerit. Repræſentationem Dominicæ paſſionis in conſecratione peragi: & q.83.art.1. vbi docet,in myſterio Euchariſtiæ immolari Chriſtum, quatenus continet imaginem, & repręſentationem ſacrificij cruenti,vt multi Patres etiam aſſerunt; nam ex D.Auguſtino in cap.ſemel de conſecr.diſt.2. referuntur hæc verba. *Semel immolatus eſt Chriſtus in ſemetipſo, & tamen quotidiè immolatur in Sacramento*. Igitur iſta immolatio debet illi omninò conformari, & D.Cyprian. lib.2.Epiſt.3.ſic ait. *Scriptura dicit, quotieſcunque ederitis panem iſtum: & calicem iſtum biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat: quotieſcunque ergo calicem in commemorationem Domini, & paſſionis eius offerimus, id, quod conſtat Dominum feciſſe, facimus*; Deinde hoc ſacrificium fit ſub ſignificatione myſticæ mactationis, quæ non repræſentatur niſi per conſecrationem, & ſeparationem ex vi verborum corporis, & ſanguinis,vt paulò ante diximus: Igitur omninò requiritur conſecratio vtriuſque ſpeciei. Ita Suar.diſp.75.ſect.6.Bellarm.lib.4. de Euchariſtia cap.22.Filiucc.tract.5.c.1. num. 25.Vaſq.3.part. diſp.223. cap.3. num.12. & alij contra Bonac.diſp.4.q.vlt. pun.2 in fine,& alios ab ipſo citat.

9. Quomodo autem diſtinguatur hoc ſacrificium, quod fit quotidiè ab Eccleſia, ab illo, quod fuit factum in vltima cœna à Chriſto Domino? Reſpondeo, diſtingui tantum accidentaliter, & ſolo numero, & probatur, quia Eccleſia offert Chriſtum immortalem; & Chriſtus ibi ſe obtulit patri mortalē; in Eccleſia offertur Chriſtus à Sacerdotibus, ibi ſeipſum Chriſtus obtulit; Eccleſia vtitur hoc ſacrificio,

ficio, vt morali inſtrumento ad applicandum effectum meriti, & ſatisfactionis inchoatæ in ſacrificio Chriſti,& conſummatę in Cruce;illud autem ſacrificium Chriſti fuit meritorium, & ſatisfactorium,quia fuit factum ab ipſo Chriſto habente meritum infinitum: deinde hoc ſacrificium Eccleſiæ ſignificat mortem Chriſti præteritã; illud Chriſti ſignificabat mortem ipſius Chriſti futuram; & ſimiliter hoc ſacrificiũ Eccleſiæ eſt incruentum, & figura illius Chriſti,ſed illud non fuit alterius incruẽti figura, vide Suar.diſp.76.ſect.1. & Filiuc. loc.cit.n.27.& ſeq. Cõuenit hoc ſacrificiũ Eccleſiæ cum illo, quod fuit factũ in Cruce, quatenus vtrobique idem Chriſtus offertur; differunt tamen in actione ſacrificandi; & denique differt hoc ſacrificium Eccleſiæ à ſacrificijs veteris legis in re oblata, ritu offerendi, perſona principali offerente, ſignificatione, valore, efficacia &c. vt ex dictis patet.

10. Sed quæritur quinam poſſint offerre hoc ſacrificium? Reſpondeo, principalem offerentem, eſſe Chriſtum Dominum tanquam ſũmum Sacerdotem.Ita D. Thom.q.83.art.3.& q.82.art.7.ad 3.& in 4.d.13. q.1. art.1. & ibi omnes Theologi; vnde Chryſoſt.hom.83. in Matth.*Qui tunc illa cæna confecit,ipſe nunc quoque operatur;*Et in homil. de prodit. Iudæ. *Cum videris Sacerdotem offerentem,ne ipſum conſideres hoc facientem; ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam*; Et P.Auguſt. lib.4. de Trin. cap.7. & 14.& lib.20. de Ciuit. cap.20.*Chriſtus ipſe offerens ipſe, & oblatio, cuius rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſia ſacrificium*. Imò non ſolum Chriſtus per accidens, & remotè offert; ſed etiam proximè, & actu, ſed per Sacerdotem,vt Filiucc.tr.5.cap.2. nu.3. & Suar.diſp.77.ſect.1.

11. Deinde, de fide eſt,ſolum Sacerdotem legitimè ordinatum habere poteſtatem offerendi hoc ſacrificium, ex Concil. Niceno cap.14.vbi dicitur. *Diaconum nullo modo habere poteſtatem conſecrandi*. Ex Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. vbi ſimiliter dicitur. *Chriſtum Apoſtolis, & Sacerdotibus eorum ſucceſſoribus præcepiſſe, vt offerrent, vti ſemper Eccleſia docuit, & intellexit;* & in can.2.dictum Concilium anathema profert contra eos, qui negauerint Chriſtum inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem;*Vel non ordinaſſe, vt tam ipſi, quam alij Sacerdotes offerrẽt corpus, & ſanguinem ſuum; & idem etiam habetur in ſeſſ. 23.

12. Poſſunt etiam hoc ſacrificium offerre omnes fideles, ſed per Sacerdotem, quia tantummodo Sacerdoti commiſſa eſt hæc poteſtas offerendi hoc ſacrificium;Infideles autem id agere non poſſunt, imò nec hoc ſacrificium offerri poteſt pro ipſis; patet prima pars huius cõcluſionis ex Epiſtola 81.cap.2.Leonis Papæ,vbi ait plures miſſas eſſe celebrandas ob multitudinem populi. *Ne aliqua pars populi ſacrificium offerre non poſſit*. Colligitur etiam ex Canone miſſæ. *Et omnium circunſtantium,quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*. Et ex illis verbis.*Vnde,& memores Domine nos ſerui tui eiuſdem filij tui domini noſtri Ieſu Chriſti,offerimus præclaræ maieſtati tuæ*. Vnde tam Sacerdotes,quam fideles poſſunt concurrere ad oblationem huius ſacrificij.

13. Vtrum autem hoc ſacrificium poſſit pro alijs offerri, vel pro ipſomet Sacerdote? Reſpondeo poſſe offerri tam pro ipſo Sacerdote,quam pro alijs,vt apertè colligitur ex verbis Apoſtoli ad hebr.5.*Et propterea debet, ſcilicet Sacerdos, quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offere pro peccatis,*& cap.7. *Talis decebat vt nobis eſſet Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus,qui non habet neceſſitatem quotidie,quemadmodum Sacerdos prius pro ſuis delictis hoſtias offerre,deinde pro populis*; Et quod poſſit offerri etiam pro alijs eſt omninò certa, & cõmunis doctrina, vt colligitur ex communi vſu Eccleſiæ; & inſinuat D. Thom. q.79. art.5. & 7. vbi docet, differre myſterium Euchariſtiæ pro vt eſt ſacramentum, & pro vt eſt ſacrificium; nam pro vt eſt ſacramentum prodeſt tantum ſumenti; ſed pro vt eſt ſacrificium prodeſt illis, pro quibus offertur. Et eſt etiam notandum, quadrupliciter eſſe ſacrificium, nempe, honorarium, laudis impetratorium, & propitiatorium; primum, & ſecundum non poteſt alijs applicari, quia conſiſtit in actione perſonali,

P 2 & ideò

Digitized by Google

& ideò offerenti tantum prodeſt; quatenus eſt impetratorium, & propitiatorium, poteſt alijs applicari; iuxta illa verba conſecrationis calicis, *Qui pro vobis*, ſcilicet, ſumentibus, *Et pro multis effundetur*. Ideſt pro alijs, pro quibus offerri poteſt; & ideò in canone dicit Sacerdos. *Pro quibus tibi offerimus*, &c.

14. Debet, & tenetur etiam Sacerdos ſemper dictũ ſacrificium offerre pro omnibus fidelibus, ſeu pro tota Eccleſia militante iuxta verba Canonis. *In primis pro Eccleſia*, &c. Non ſpecialiter applicando fructum miſſæ pro omnibus, cum debeat applicari illi, pro quo dicitur miſſa. Sed vniuerſaliter deprecando; nec poteſt aliquē Sacerdos à dicta deprecatione excipere; aliter mortaliter peccaret; vt D. Tho. 2.2.q.35. artic.8.& 9. Nauarr. lib. de orat. cap.19. nu.120. Suar. diſp.88. ſect.2. §. ſed quæri rurſus, & Filiucc. tract.5. cap.2. nu. 43. Vnde comprehenduntur in dicta vniuerſali deprecatione etiam infantes baptizati, quia ſaltem ex opere operato ſunt capaces fructus huius ſacrificij; includuntur etiam peccatores, & pro eis poteſt offerri hoc ſacrificium, vt conuertantur, & à Deo benè diſponantur; & idem dicitur de energumenis; Cathecumeni etiam poteſt eſſe, vt includantur, quia ſubſtantialiter ſunt vniti Eccleſiæ per fidem; licet, non perfecto modo, ideſt per baptiſmum, & characterem; At conſultiùs eſt dicendum, Sacerdotem habere debere intentionem generalem includēdi omnes pro vt intendit Mater Eccleſia. Poteſt etiam hoc ſacrificium offerri pro infidelibus non excommunicatis; quatenus hoc ſacrificium eſt impetratorium, vt diximus de peccatoribus; Pro excommunicatis autem nullo modo poteſt offerri hoc ſacrificium, nec comprehenduntur in ſupradicta vniuerſali deprecatione, quæ quotidie fit ab Eccleſia, quia excommunicatio priuat excommunicatum participatione omnium communium ſuffragiorum; licet, poſſit Sacerdos tāquam perſona priuata pro ipſis orare etiam in memento miſſæ; cum de oratione priuata, nulla adſit prohibitio; ſicut adeſt de publica, ſeù communi in cap. Nobis 2.& c. Sacris de ſentētia excommunicationis. D.Thom. in 4.d.18. q.2. artic.1. Sot. d.22. q.1. art.1. Couarr. in cap. Alma mater p.1.§.6. Suar. q.88. ſect.2. in fine, Filiucc. tr.5. cap.2. num.49.& 50. nec obſtat, quod Sot. neget, Sacerdotem id non poſſe agere in memento miſſæ.

15. Sed vtrũ poſſit offerri etiã pro defunctis exiſtētibus in purgatorio? Reſpondeo affirmatiuè, & eſt de fide ex Cõc. Trid. ſeſs.22. cap.2. & can.3. & ex vſu, & traditione Eccleſiæ ſatis conſtat; & omnes Doctores ita tradunt in 3. diſt.45. & poteſt offerri tam pro vt eſt ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, quam pro vt eſt impetratorium, & ſatisfactorium ex opere operato, pro pœnis, quas in Purgatorio patiuntur.

16. An poſſit offerri pro beatis, & ſanctis pro vt impetratorium eſt? nam quatenus propitiatorium offerri nō poſt, quia iam ſancti ſunt liberi à malo culpæ, & pœnæ, quatenus eſt ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, poteſt pro ipſis offerri pro beneficijs in ipſos collatis; licet, hoc modo non poſſit propriè dici ſacrificium offerri pro alio, quia ſancti non poſſunt eſſe participes, nec eis applicatur fructus ſacrificij; ſed quidquid ſit de modo loquendi; certum tamen eſt, pro dictis ſanctis offerri poſſe, & eſt illis gratum, quatenus deſiderant, vt omnes Deo gratias agant; & talis oblatio eſt illis ad honorē; & nobis ad ſalutem iuxta illa verba miſſæ. *Vt illis proficat ad honorem, nobis autem ad ſalutem, & illi pro nobis intercedere dignentur in Cælis, quorum memoriam agimus in terris*. Vnde tãtum ſupereſt videre an poſſit pro ſanctis offerri hoc ſacrificium quatenus impetratorium eſt? & videtur negatiuè reſpondendum, quia ſancti ſunt perfecti beati; quibus omnia iuxta eorum votum ſuccedunt; igitur nihil poteſt eis impetrari; & confirmatur ex quodam communi dicto. Nempe *iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre*. Quod dictum nullo modo reperitur in Scriptura; ſed ſumitur ex verbis P. Auguſtini ſer. 17. de verb. Apoſt. & tract.84. in Ioan. vbi ſic ait. *Non ſic ſanctos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus; ſed magis, vt orent ipſi pro nobis*. Attamen dicendum

cendum

Digitized by Google

cendum eſt, hoc ſacrificium etiam quatenus impetratorium eſt, poſſe pro ſanctis offerri ad impetrandum illis gloriam, & honorem accidentalem; & tunc dicitur offerri hoc ſacrificium pro ſanctis, quando pro nobis quodammodo offertur, ex quorum actibus honor accidentalis redũdat in ſanctos; vt loquitur Innoc. III. in cap. cum Marthę de celebrat. miſſar. patet hæc doctrina ex verbis miſsæ allatis. *Vt illis proficiat ad honorem* &c. & ex D. Chryſoſt. homil. 35. in Matth. vbi ait. *Poſſe nos aliquid facere pro ſanctis, ad mercedis, & retributionis adiectionem.*

17. Sed vtrum poſſit offerri pro damnatis, vel ijs, quos conſtiterit eſſe mortuos in peccato mortali? negatiuè reſpondendum eſt; ita ſenſit vniuerſalis Eccleſia, & omnes Theologi in 4. d. 45. ex communi doctrina omnium Patrum, & Conciliorũ, vnde Gregor. II. Epiſt. vlt. ad Bonifac. prout habetur in cap. pro obeuntibus 13. q. 2. ait. *Non eſſe offerendum ſacrificium pro impijs defunctis*; Et in Concilio Bracharenſi 1. cap. 34. prohibetur offerri ſacrificium pro his, qui violentem mortem ſibi inferunt 16. q. 5. cap. Placuit, quam doctrinã, etiam tradit P. Auguſtinus cap. 109. in Enchir. & lib. 1. de origine animæ cap. 9. & 10. & lib. de cura pro mortuis agenda cap. 1. Nec obſtat id, quod dicitur de anima Traiani, nempe, liberatam fuiſſe ab Inferno precibus Sancti Gregorij; nam multi dicunt hiſtoriam eſſe apocrypham; & tantum eſſe verum, Sanctum Gregorium fudiſſe lacrymas viſa hiſtoria Traiani; nõ autem oraſſe pro ipſo; vt Filiuc. tract. 5. cap. 2. in fine ex Henriq. cap. 16. §. 3. Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 8. & 18. Baronio in vita Traiani, et ex alijs.

De Effectibus, & Valoræ Miſſæ. Cap. XXX.

1 *Sacrificium Miſſę habet aliquem effectum ex opere operato.*

2 *Sacrificium Miſſę non cõfert primam gratiam, nec remiſſionem peccati mortalis.*

3 *Sacrificium Miſſę nec confert augumentum gratiæ ex opere operato.*

4 *Sacrificium Miſſæ remittit peccata venialia per impetrationem, non ex opere operato.*

5 *Sacrificium Miſſæ aliquam pœnam remittit ex opere operato.*

6 *Hoc ſacrificium prodeſt etiam pro bonis tẽporalibus per impetrationem.*

7 *Hoc ſacrificium operatur aliquem effectum ex opere operato, in offerentibus, & in illis pro quibus offertur.*

8 *Hoc ſacrificium validè tantum applicatur illi, cui Sacerdos voluerit abſq; vlla dependentia ab alio.*

9 *Fructus ſacrificij, ſi nulli applicetur, manet in theſauro Eccleſiæ.*

10 *Sacerdos poſt conſecrationẽ non poteſt ampliùs applicare ſacrificium.*

11 *Sacerdos poteſt applicare ſacrificium pro primo daturo eleemoſynam.*

12 *Fructus ex opere operato non poteſt pro alijs offerri.*

13 *Quatuor cõditiones ſunt neceſſariæ ad percipiendum fructum ſacrificij ex opere operato.*

14 *Valor ſacrificij ad præſens non eſt valoris infiniti intenſiuè.*

15 *Habet hoc ſacrificium valorem finitum intenſiuè.*

16 *Hoc ſacrificium eſt infiniti valoris extenſiuè.*

17 *Fructus huius ſacrificij, quẽ Sacerdos applicat pro alijs, eſt finitus.*

18 *Sacrificium Miſſæ eſt infinitum ad impetrandum.*

19 *Hoc ſacrificium Miſſæ magis prodeſt viuis, quam defunctis.*

20 *Hoc ſacrificium Miſſæ poteſt applicari tam pro viuis, quam pro defunctis.*

1 Est primò pro certo ſupponendum, hoc ſacrificium Miſſæ aliquem effectum operari ex opere operato, ſcilicet, vi ſuæ inſtitutionis, & ſecluſo merito operantis; hæc doctrina eſt omnium Doctorum abſq; vlla controuerſia; vt D. Thom. q. 79. art. 5. & 82. art. 1. & in 4. diſt. 12. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. & d. 45. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. & art. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. Caiet. tom. 2. opuſcul. tract. 3. q. 2. & licet, ibi aſſerat hoc dependere ex diſpoſitione eius, pro quo ſacrificium offertur, hoc tamen intel-

intelligitur, effectũ nõ operari in ponente obicem; & eodem ſenſu loquitur Scot. quolib. 20. & miror Petrum Sot. aliter dictos Doctores interpetraſſe: ſequitur eamdem ſententiam Albertus in 4. d. 13. Sot. q. 2. art. 1. & lib. 9. de iuſtit. & iure q. 2. ar. 2. Petr. Sot. lect. 7. de Euchariſt. Couarr. in cap. Alma mater 1. p. §. 5. nu. 6. Filiucc. tr. 5. cap. 3. nu. 57. Bonac. diſp. 4. q. vlt. pun. 3. §. ex quo ſequitur, Corduba lib. 1. quæſ. 3. Suar. diſp. 79. ſect. 1. Azor. 1. p. lib. 10. cap. 21. q. 4. & omnes alij; imò dictum ſacrificium ex opere operato, & ex vi ſuæ inſtitutionis habet vim ad impetrandum effectus, pro quibus obtinendis, offertur; ità Suar. ſect. 3. & alij locis citatis; & patet tota hæc doctrina ex Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. & 2.

2. Sed queritur, vtrum effectus huius ſacrificij ſit conferre primam gratiam, & remiſſionem peccatorum ex opere operato? Reſpondeo ex propria inſtitutione nec poſſe conferre primam gratiam, nec remiſſionem peccati mortalis, nec ſimiliter poſſe dictam primam gratiam impetrare, nec remiſſionem peccati mortalis homini ſola attritione diſpoſito: & ratio eſt; quia non poſſumus effectus aliquos ſacramentis tribuere, niſi id conſtet, ex peculiari lege, vel promiſſione facta à Chriſto Domino; & ideò cum dicti effectus ſint conceſſi à Chriſto Domino tantum Sacramento Baptiſmi, & pœnitentiæ, non autem huic ſacrificio: dicẽdum eſt, quod tantum ex illis, & non ex hoc ſacrificio dicti effectus procedere poſſint. Poſſe tamen hoc ſacrificium nobis impetrare ſufficientem diſpoſitionẽ, vt liberemur à peccatis mortalibus, & habeamus primam gratiam: quod apertè ſumitur ex Cõc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. vbi ſic dicitur. *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiã, & donũ pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiã ingentia dimittit*. Hoc modo etiam loquitur D. Tho. in 4. d. 12. q. 2. quæſtiunc. 2. ad 4. his verbis. *Et ideò, ſi eos diſpoſitos inueniat, eis gratiam obtinet; & per conſequens peccata mortalia in eis delet, non ſicut cauſa proxima; ſed in quantum gratiam contritionis eis impetrat*. Sequitur Durand. ibi q. 4. Maior. q. 1. Suar. diſp. 79. ſect. 3. Azor. 1. p. lib. 10. cap. 20. q. 2. Filiucc. tract. 5. cap. 3. num. 60. Reginald. lib. 29. num. 151. Bonac. diſput. 4. q. vlt. pun. 3. num. 3. Bellarm. de Miſſa lib. 2. cap. 2. & alij multi apud hos Doctores.

3. Vtrum autem conferat augumentum gratiæ? reſpondeo etiam negatiuè ex eiſdẽ Doctoribus: quod intellige ex opere operato; & ratio eſt eadem, quam iam diximus; nam de tali augumento nullam promiſſionem habemus, nec Patres id demonſtrant, & ex Concil. Trid. non conſtat id nos poſſe obtinere, niſi per impetrationem dicti ſacrificij; aliter etiam infantes, amentes, dormientes; & ſimiles poſſent conſequi hunc effectũ ex opere operato; quod eſt abſurdum; vt fusè probat Suar. loc. cit. ſect. 4. Filiucc. num. 61. & alij; et ità puto etiam eſſe mentem Bonacinæ, qui licet loc. cit. nu. 1. aſserat primum effectum huius ſacrificij eſse conferre gratiam, & remittere peccata, hoc tamen non poteſt aſserere, niſi quatenus hoc ſacrificium ſit impetratorium, et propitiatorium, vt explicauimus; et ideò dictus Doctor citat alios Doctores, qui id expreſſiùs docent.

4. An remittat peccata venialia ex opere operato? dicendum eſt eodem modo, ac diximus de mortalibus: ſcilicet, non niſi per impetrationem; ità Sot. d. 11. q. 2. artic. 5. Caiet. opuſcul. de celebr. miſs. q. 2. Suarez diſp. 79. ſect. 5. cum multis alijs; Filiucc. tr. 5. cap. 3. nu. 64. licet in nu. 65. probet probabile etiam eſse hoc ſacrificium remittere dicta venialia ex opere operato. Ex Henriq. cap. 13. §. 2. litera S. et ex alijs; Bonacina autem loc. cit. nu. 5. ait remittere peccata venialia mediatè, quatenus confert ſpeciale auxilium ad eliciendum actum amoris, vel doloris, quo remittuntur dicta peccata venialia; et ità verè loquitur Suarez ſi benè perlegatur, quem ipſemet Bonac. citat, ſequitur etiam hanc ſententiam Azor. 1. p. lib. 10. cap. 20. nu. 4. et alij; et ratio huius opinionis eſt, quia peccata venialia de facto, & iuxtà congruentem modum, non remittuntur, niſi per aliquem actum virtutis, vel per argumentum ſanctitatis, & amicitiæ diuinæ, in qua virtualiter etiam includitur repugnantia cum peccato veniali; ſed hoc non fit, niſi per gratiam, quæ, vt ſupra

pro-

Digitized by Google

probauimus non datur in hoc ſacrificio ex opere operato; ergo, neque ſimiliter dicendu n eſt; quod dicta peccata venialia remittantur ex opere operato,ſed tantum per impetrationem; vt diximus.

5. Item quæritur, vtrum hoc ſacrificium remittat pœnam peccatorum ex opere operato? Reſpondeo aliquam pœnam remittere ex opere operato,non autem totam; ſed iuxta cuiuſque maiorem vel minorem deuotioně; & poteſt etiam remittere hanc pœnam per modum impetrationis; v. g. quia hoc ſacrificium ex opere operato remittit tantum partem pęnæ;poteſt quis offerre aliud ſacrificium ad impetrandum remiſſionem alterius partis pœnæ; & hoc tam pro viuis, quam defunctis. D.Thom.79.art.5.Suar.diſp.79.ſect. 6.Valent.tom.4. diſp.6.q.11.pun.1.§.19. Azor.1.part. lib.10.ca.5.q.5. Filiuc.tract. 5.cap.3.num.67. Bonaccina diſp.4. q.vlt. pun.3.num.8. & omnes alij. Et ratio eſt, quia hoc ſacrificium cum ſit impetratorium, poteſt per ipſum quodlibet bonum impetrari; & quamuis ex opere operato remittat partem pœnæ ex propria inſtitutione, cum ſit etiam ſatisfactiuum,tamen adhuc retinet,vt ſit impetratiuum, ita vt poſſit per ipſum alia pars pœnę impetrari.

6. Sed vtrum proſit etiam hoc ſacrificium ad bona temporalia? Reſpondeo affirmatiuè per modum impetrationis, quia omne bonum, vt diximus,poteſt per hoc ſacrificium impetrari.Bona temporalia, dicuntur etiam bona, quando recto fine petuntur; ideo Eccleſia ſolet orare pro communi pace, pro fructibus terræ, pro ſanitate acquirenda; & ſimilibus; imò omnis impetratio orationis ſe extendit etiam ad bona temporalia, vt S. Thom.2. 2.q.83. art.15.& 16. Ergo multò magis impetratio huius ſacrificij; Vnde Paulus 1. ad Timoth. *Obſecrationes,orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus.*

7. Eſt tamen notandum, hoc ſacrificium aliquem fructum,& effectum operari ex opere operato. In offerentibus illud, ſcilicet, in Sacerdotibus, & in alijs offerentibus per Sacerdotem, ac etiam in illis, pro quibus ſacrificium offertur, hæc eſt communis ſententia, quam docet D. Thom.q.79. art. 5. & 7. nam in art. 5. ait. *Oblationem huius ſacrificij eſſe ſatisfactoriam illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus.* Idem docet Caiet.tom.2.opuſcul.tract.3. q.2. Sylu.ver.miſſa 1.q.9.& ratio eſt,quia reſpectu Sacerdotis offerentis: ipſa concurrit vt inſtrumentum actionis, per quā fructus ſacrificij applicatur,& omnes concurrentes per actionem inſtrumentalem ad fructum Chriſti applicandum, habent gratiam ex opere operato, vt conſtat in omnibus ſacramentis. Et ratione aliorum offerentium, quia concurrunt ad actioně ex ſe fructuoſam; reſpectu verò eorum pro quibus offertur, quia iſti principaliter offerunt per Sacerdotem, & ipſis applicatur fructus huius ſacrificij: Vnde dicitur in Canone miſſæ poſt memento. *Et omniū circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt,&c.* Igitur tam offerentes, quam illi, pro quibus offertur hoc ſacrificium,habent aliquem fructum ex opere operato, eo quod concurrunt ad hoc ſacrificium, vel eis applicatur. Suar. diſp. 79.ſect.8.&9.Filiucc.tract.5.cap.3.nu.32. & 33. Addo tamen hoc ſacrificium prodeſſe etiam toti Eccleſię, ex opere operato, quia de tota Eccleſia fit mentio in Canone miſſæ, & hoc ſacrificium prodeſt vltra petitum, & diſpoſitionem fidelium; igitur ex opere operato. Ita Valentia tom.4.diſp.6. q. 1. punct.1. §.25. Sot. in 4.d.13.queſt.2.art.1.Corduba lib.1. quæſtionarij q.3.opin.6.& alij apud Suar.quos ſequitur Bonac.diſp.4.quæſt.vlt. punct.4. num. 9.

8. Sed quæritur vtrum, ſi hoc ſacrificium, ex promiſſione, vel ſtipendio, aut obedientia eſſet applicandum Titio,&per Sacerdotem applicaretur Caio;dictus Titius, & non Caius reciperet fructum ſacrificij? Ratio dubitandi eſt, quia applicatio facta à Sacerdote Caio eſt iniqua, et contra iuſtitiam, Deus autem non concurrit cum actione iniqua, nec applicat ſuum meritum iniuſtè; Igitur dicendum eſt, ſacrificium in tali caſu prodeſſe Titio,et non Caio.

Caio. Tamen contrarium dicendum eſt; quia licet, nolit Deus actionem iniuſtam, permiſſiuè tamen concurrit cum illa, & vi facultatis conceſſæ Sacerdoti abſque vlla dependentia, ſacrificium dicitur applicatum illi, cui Sacerdos voluerit. Vnde licet, Sacerdos habeat præceptum ab Epiſcopo, vel ſuperiore, ſi fuerit Regularis, vt applicet ſacrificium pro vno defuncto, v. g. ſi Sacerdos non applicat illi; ſed ſibi, vel alteri, ſacrificium valet iuxta voluntatem ſacerdotis; licet, peccet contra obedientiam, quando cauſa iuſta eſſet; & ſumitur hæc veritas ex verbis, quibus Sacerdotes ordinantur, ſcilicet. *Accipe poteſtatem offerendi, &c.* Et idem dicitur de alijs operibus ſanctis factis à religioſis; quia paupertas religioſa ad huiuſmodi res ſpirituales non extenditur, licet, extendi poſſit obedientia ad applicandum dictas orationes, vel alias res ſpirituales, quando iuſta adeſt cauſa, ſed ſi Religioſus id nõ egerit, actiones non erunt applicatæ; ſed peccabit contra votum obedientiæ; ſumitur hæc doctrina; exemplo aliorum ſacramentorum; nam ſi Epiſcopus præcipiat Sacerdoti, vel Prælatus regularis ſuo ſubdito Sacerdoti; vt baptizet filium Titij, vel vt abſoluat Titium, ſi talis Sacerdos baptizet filium Caij, non erit baptizatus filius Titij, vel ſi abſoluat Caium, non erit abſolutus Titius, & ratio eſt, quia talis poteſtas abſolutè tradita eſt Sacerdoti; ergo quamuis adſit præceptum ſuperioris, vel alia obligatio, ſi Sacerdos non applicet ſacrificium, non erit applicatum. Ita Suar. diſp. 79. ſect. 9. §. Alij nihilominus, prope finem; Filiucc. tract. 5. cap. 3. num. 76. Sylueſt. ver. miſſa 1. num. 12. & alij communiter; licet, Diana par. 2. reſol. 72. aſſerat opinionem aliquorum aſſerentium religioſũ regularem non poſſe validè applicare miſſam contra voluntatem ſuperioris; imò applicationem ſuperioris eſſe validã, probabilem eſſe, ſed ego puto opinionem dictorum Doctorum eſſe omninò ſcrupuloſam, & nullo modo tenendam. Fauet huic noſtrę opinioni Sanchez de pręcept. decalogi lib. 5. cap. 1. nu. 6. circa medium.

9. Maius dubium eſt, quid fiat de fructu huius ſacrificij, ſi nulli applicetur, vel ſi applicetur incapaci, vt ſunt animæ damnatorum, vel non indigentium; vt ſunt animæ puerorum morientium poſt baptiſmum? Reſpondetur, reponi in theſauro Eccleſiæ, ita Corduba lib. 1. quæſtion. 2. dub. 4. quem ſequitur Suar. diſp. 79. ſect. 9. §. Tertiò, Henriq. cap. 18. num. 7. Filiuc. tract. 5. cap. 3. num. 78. & alij, licet. Bonacina diſp. 4. quæſt. vlt. punct. 5. num. 12. putet huiuſmodi fructum prodeſſe Sacerdoti, ſi habeat talem intẽtionem; ſed probabiliùs puto dicendum, applicari ei, qui dat eleemoſynã, ſi eſt capax; ſin autem reponi in theſauro Eccleſiæ.

10. Ex qua doctrina infertur, quod Sacerdos vſq; ad conſecrationem poſſit applicare hoc ſacrificium, cui voluerit; ſed poſt conſecrationem, nullam habere poteſtatem, quia non poteſt ſuſpendere fructum ſacrificij, & ideò ſi non erit applicatum vſq; ad conſecrationem, in qua principaliter conſiſtit hoc ſacrificiũ, non poterit illud ampliùs applicare; ſed reponitur in theſauro Eccleſiæ, Suar. loco cit. §. ex dictis Filiuc. & Corduba loc. cit. Bonac. eodem loco, cum alijs.

11. Infertur etiam ex hac doctrina, quod Sacerdos non poſſit applicare ſacrificium pro eo, à quo eſt primò eleemoſynam accepturus, quia ſacrificium eſt iuxta præſentem hominis intentionem applicãdum. Ita Suar. loc. cit. circa finem citati §. vbi citat Cordubam lib. 1. q. 4. dub. 5. oppoſitum ſentientem; imò docet poſſe ſuſpendi applicationem, & alij etiam idem docent, quia iam Deo eſt præſens voluntas alterius, & benè præuidet illos, qui primò daturi ſunt eleemoſynam; nec in hoc caſu ſuſpenditur fructus ſacrificij, igitur non videtur cur non poſſit pro illis applicari; aliter eſſet etiam neceſſarium, vt quilibet Sacerdos in omni Miſſa ſciret an Miſſa ſit applicanda pro Petro, Franciſco, &c. vt determinatè celebrare poſſet. Et tamen videmus, quod communiter applicant Sacerdotes Miſſas pro ſacriſtia, ſcilicet, pro vno ex illis, qui eleemoſynam dederunt, & ſacrificium eſt benè applicatũ, quia Deus benè diuidit vnicuiq; qui eleemoſynam dedit, fructum ſacrificij; igitur cur non poterit etiam Deus conferre illi di-

Digitized by Google

dictum fructum, quem præuidet daturum eleemoſynam, ſed hæ rationes verè non placent, quia daturus eleemoſynam poterit reperiri in peccato mortali, & ſic erit incapax meriti; ideò puto dicendũ, quod Sacerdos poſſit applicare modo dicto. Sed pro tempore, quo quis eleemoſynam dabit; nec obſtat ſi Deus interim non applicet, donec eleemoſyna tribuatur, quia etiam in aliquibus ſacramentis multoties non datur fructus, niſi recedente fictione, licet poſt multum tempus fictio recedat; ita ſimiliter poteſt fieri in hoc ſacrificio, vt quis non ſentiat eius effectum, niſi tẽpore, quo dederit eleemoſynam, cum nũquam Deus applicet meritum per præuiſionem operis; ſed mediante opere. Hanc opinionem multi recentiores tenent, licet ex diuerſis rationibus, teſte Diana par. 2. reſol. 15. Licet ipſe contrarium teneat ex quadam Cardinalium declaratione tempore Clementis VIII. condita ſub die 15. Nouembris 1605. cum multis alijs, quos pro ſe citat; affert etiam alios multos, qui contrarium ſentiunt; vt Henriq. Vega, Fernandez, Fraxinellum, Aragon. P. Nauarr. Rodriq. & probabilem hanc opinionem putant Molfeſius, & Reginald. teſte ipſo Diana; idem docet Bonac. diſp. 4. q. vl. pun. 7. §. 5. num. 3. vbi quam plures affert, licet, in fine afferat hanc conſuetudinem non eſſe permittendam. Vnde ſaltem probabilis eſt noſtra ſententia, vt declarauimus; licet, non negem probabiliorem eſſe illam Dianæ, Suar. & aliorum; nec obſtat declaratio Cardinalium, quia multi poſt dictam declarationem aliter ſcripſerunt; ex quo colligo, fuiſſe tantum opinatiuè id declaratum; ſalua cenſura Matris Eccleſiæ.

12. Quæritur etiam, vtrum fructus huius ſacrificij ex opere operato, quam tam Sacerdotes, quam alij offerentes percipiunt, poſſit pro alijs applicari? & negatiuè reſpondendũ eſt, quia huiuſmodi fructus eſt perſonalis, & conceſſus in priuilegium offerentium, ſicut etiam dicitur de indulgentijs, quæ alijs applicari non poſſunt, niſi ſpecificè talis facultas ibi conceditur, vt D. Thom. in 4. diſt. 20. ar. 5. quęſtiuncul. 3. ad 2. Filliuc. tract. 5. cap. 3. num. 80. Suar. diſp. 79. ſect. 9. in fine, & alij.

13. Sed ſciendum, quatuor conditiones eſſe neceſſarias illi, pro quo ſacrificiũ offertur, vt poſſit percipere fructum ex opere operato. Prima eſt vt ſit baptizatus, ideò pro mortuis orat Eccleſia dicẽs in Canone. *Memento Domine famulorum, famularumq; tuarum, qui nos præceſſerunt cũ ſigno fidei*. Scilicet, Baptiſmo. D. Thom. q. 79. ar. 7. ad 2. Vnde iuxta P. Auguſtinum lib. 1. de anima, & eius origine cap. 9. & D. Chryſoſt. hom. 3. ad Philip. aſſerunt, hoc ſacrificium non poſſe offerri pro catechumeno mortuo; quod intellige quoad effectum ex opere operato, non quoad impetrationem. Secunda conditio eſt, vt quis ſit in ſtatu viatoris; nam beatus, vel damnatus non poteſt frui hoc fructu, quia beatus non indiget, & damnatus non poteſt; Dubium tamen eſt de animabus Purgatorij; in quibus aliqui negant hoc ſacrificium operari infallibiliter talem effectũ; vt Sot. d. 13. q. 2. art. 1. Can. lib. 12. de locis 13. ad 9. & Corduba lib. 1. quęſt. 3. opin. 4. Attamen omninò dicendũ eſt, dictas animas percipere hunc fructum ex opere operato, quoad remiſſionem pœnarum quia nondum ſunt in termino; ſed potiùs in via quoad remiſsionem pœnarum. Ita D. Thom. in 4. diſt. 45. q. 2. art. 3. ad 3. Bellarm. lib. 2. de purgat. ca. 18. Couarr. in ca. Alma mater p. 1. §. 1. nu. 11. Nauarr. in ca. In Leuit. notabil. 22. Petr. Sot. lect. 7. de Euchar. Filiucc. tract. 5. cap. 3. nu. 82. Suar. diſput. 79. ſect. 10. et communiter omnes. Tertia conditio eſt, vt quis ſit in gratia, quia exiſtens in peccato mortali non eſt capax ſatisfactionis; quarta eſt vt tali gratia ſatisfactionis indigeat, aliter manebit in theſauro Eccleſiæ, nec illi manebit pro tempore, quo indigebit; vt optimè Suar. loc. cit. §. tertiò; & Filiucc. contra Nauarr. Et eſt notãdum, quod talis effectus ex opere operato, non datur maior, vel minor ratione maioris, vel minoris diſpoſitionis illius, pro quo ſacrificium offertur; ſed datur iuxta intentionem applicantis, quia in eius poſſe eſt applicare quomodocunq; voluerit; vt ſumitur ex D. Tho. 2. d. 45. q. 2. ar. 3. quæſtiunc. 3. Caiet. to. 3. opuſc. tr. 3. q. 2. Suar. loc. cit. §. nihilominus; & ex alijs.

Q 14. De-

Digitized by Google

14. Deinde quæritur, vtrum effectus, ſeu valor huius ſacrificij ſit infinitus intenſiuè? & affirmatiuè reſpondet Caiet. q. 79. art. 5. & ideò ait, vnam miſſam ſufficere ad ſatisfaciendū pro pęnis omnium peccatorum tam viuentium quā mortuorum; & idē docet tom. 2. opuſc. tr. 3. q. 2. Syl. ver. miſſa 1. q. 9. & alij, quos refert Suar. diſp. 79. ſect. 11. & ratio eſt, quia hoc ſacrificium non minùs eſt infinitum ex parte offerentis, quam ex parte rei oblatæ, & confirmatur, nam Sacerdos non in perſona ſua, ſed in perſona Chriſti offert hoc ſacrificium; & Pater æternus dum ei offertur hoc ſacrificium, non reſpicit perſonam offerētis; ſed perſonā Chriſti; igitur æquiualēter offertur hoc ſacrificium à Sacerdote, illo ſacrificio Chriſti in Cruce, vel in cœna facto, deinde virtus inſtrumenti tanta eſt, quanta eſt virtus principalis agentis, imò eſt eadem, igitur cum hoc ſacrificium offeratur à Sacerdote tanquam ab inſtrumento Chriſti, dicendum eſt, quod etiam contineat valorem infinitum; ſicut continebat illud, quod fuit oblatum ab ipſo Chriſto; & confirmatur ex Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. vbi dicitur hoc ſacrificium eſſe repræſentatiuum ſacrificij cruenti; igitur eſt idem cum illo, & non niſi accidentaliter, ſeù quodammodo materialiter diſtinguitur ab illo. Hæc ſententia eſt vera; nec poteſt negari, hoc ſacrificium eſſe infinitum, & continere meritum, & ſatisfactionem infinitam, ſi cætera concurrerent, vt fuit tempore Chriſti Domini. At ad præſens de facto nulla in eo reperitur ſatisfactio, nullumq; meritum, vt eſt opus Chriſt; ſed tantum reperitur in eo impetratio. Et ratio eſt, quia Chriſtus ad præſens non eſt in ſtatu merendi, nec ſatisfaciēdi pro nobis, & iam noſtram redemptionem perfecit; Vnde repræſentatiuè tantum in hoc ſacrificio offertur Chriſtus, quæ repræſentatio nō eſt ſufficiens ad nouam ſatisfactionem, & meritum, niſi impetratiuè; & cum ſit quædam actio humana, quę per quamdam denominationem extrinſecam tribuitur Chriſto, in cuius perſona fit, ideo non poteſt operari effectum infinitum.

15. Et ideo alij Doctores dixerunt, hoc ſacrificium habere valorem, & effectum finitum intenſiuè; vt D. Thom. in 4. d. 45. queſt. 2. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 2. & id etiam inſinuat in q. 79. art. 5. dum ait. *In ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quātitas oblationis.* Et addit. *Quamuis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pæna, tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pæna.* Eamdem doctrinam tradit Scot. quolib. 20. Sot. lib. 9. de iuſtit. quęſt. 2. Couarr. cap. Alma mater 1. p. §. 5. num. 5. & ſeqq. vbi plures refert. Gabr. lect. 26. et 27. in can. quam doctrinam intellige tam de effectu ex opere operato, quam ex opere operantis; vt fuſiùs Suar. diſp. 79. ſect. 11. Filiucc. tract. 5. cap. 3. num. 85. et ſeqq. Bonac. diſput. 4. q. vlt. pun. 4. num. 3. et alij omnes.

16. Vtrum autem hoc ſacrificium ſit infiniti valoris extenſiuè? Reſpondetur affirmatiuè, ità Azor. 1. p. lib. 10. cap. 20. q. 8. Bellarm. to. 2. lib. 2. de miſſa cap. 4. propoſitione 4. Suar. diſput. 49. ſect. 12. Filiucc. tract. 5. cap. 3. nu. 89. Reginal. lib. 29. num. 157. Bonac. loc. cit. num. 5. et omnes alij. Ratio eſt, quia (vt ſupra diximus) in hoc ſacrificio datur fructus ex opere operato tam Sacerdotibus, et alijs fidelibus offerentibus, quam illis, pro quibus ſacrificium offertur, ergo, quod ſint multi, vel pauci offerentes, vel illi pro quibus offertur, omnes recipiunt hunc fructum, et effectum ex opere operato; et forte etiam maiorem, vel minorem iuxta diſpoſitionem magis, vel minus aptam, vt multi volunt; igitur quo plures fuerint, plures dictum effectum recipient; et ex conſequenti hoc ſacrificium erit extenſiuè infinitum.

17. Alius fructus, quem medium vocant Doctores, reſpondens oblationi Sacerdotis, et quem ipſe pro alijs offerre poteſt; eſt etiam finitus; ità omnes Doctores citati; et ratio eſt, quia valor cōpetens Sacerdoti (vt diximus) finitus eſt, igitur etiā hic medius, quem ipſe applicat, finitus erit vt fuſiùs videre poteris præcipuè apud Suar. loc. cit. §. Dico ſecundò, et Bonac. num. 6.

18. Eſt tamen hoc ſacrificium ad impetran-

petrandum infinitum,et ideo tam prodeſt paucis, quam multis quantum in ſe eſt. Ità D.Thom.in 4.d.45.q.2.art.4. quæſtiun.2. & confirmari poteſt ex dicto D. Hieronymo, vt habetur in cap.non mediocriter de conſecr. d. 1. vbi ſic ſcribit. *Dum pro cunctis animabus pſalmus, vel miſſa dicitur, nihil minus, quam ſi pro vno quolibet ipſorum diceretur, accipitur;* Et ita cõmuniter omnes ſentiunt; licet, re vera, oratio (cæteris paribus) efficacior ſit ad impetrandum in particulari, quã generatim facta pro multis; ſed hoc non prouenit niſi ex defectu orãtis, quia dum quis orat pro aliquo particulari, vel pro aliqua neceſſitate particulari; maiori affectu, & maiori efficacia, ac deuotione orat; quod eſt attendendum in in omni oratione: Vnde idem Hieronym. loc.cit.ait. *Melior eſt quinque pſalmorum decantatio cum cordis puritate, & ſerenitate, & ſpirituali hilaritate: quam totius pſalterij modulatio cum anxietate cordis, & triſtitia.*

19. Ex dictis colligitur, hoc ſacrificium magis prodeſſe viuis, quam defunctis; quia viuis prodeſt ad ſatisfactionem, impetrationem,& propitiationem; defunctis autem prodeſt tantũ ad ſatisfactionem & ſic etiam, quia orantes cum Sacerdote concurrunt ad ſacrificium: vt Doctores citati.

20. Colligitur etiam hoc ſacrificium, poſſe applicari tam pro viuis,quam defunctis, vt inſinuauimus nu.11.& apertè conſtat ex Concil.Trid.ſeſſ.22.cap.2. vbi hæc verba habentur. *Quare, non ſolum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus; ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgationis, ritè, iuxta apoſtolorum traditionem, offertur.* Et in can.3.ſic etiam dicitur. *Si quis dixerit miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificij in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit.* Sumitur etiam ex verbis, quæ dicuntur in conſecratione Sacerdotum. *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis,& defunctis.* Et ita fatentur omnes Doctores.

De tempore, & loco, in quo teneatur Sacerdos celebrare, ac de violatione Eccleſiæ. Cap. XXXI.

1 *Sacerdos tenetur ſaltem ter, vel quater in anno celebrare.*

2 *Sacerdotes ſimplices tenẽtur celebrare Mediolani, Dominicis, & feſtis diebus.*

3 *Sacerdos etiam ſi in aliquo caſu debeat pluries celebrare in die, debet tamen ſemper eſſe ieiunus.*

4. *Miſſa non poteſt celebrari in Paraſceue, neque in Sabbatho Sancto, niſi poſt pulſationem campanarum.*

5. *Ab Aurora poſſunt incipi Miſſæ, ſcilicet media hora ante crepuſculum.*

6. *In die Natiuitatis Domini, omnes Miſſæ poſſunt incipi poſt mediam noctem.*

7. *Miſſæ poſſunt celebrari vſque ad meridiem.*

8. *Miſſæ celebrandæ ſunt in Eccleſia conſecrata vel benedicta ab Epiſcopo.*

9. *Miſſas celebrare extra Eccleſiam,eſt mortale; licet, in aliquo caſu poſſit Epiſcopus diſpenſare.*

10. *Regulares non poſſunt in omni loco celebrare,licet, poſſint in Oratorio,vel grancijs monaſterij.*

11. *Celebrare in Grancijs monaſterij, non eſt celebrare extra Eccleſiam.*

12. *Regulares poſſunt celebrare in arcibus & caſtris, ad quæ ob bella confugiunt; ſed non in domibus ſecularium.*

13. *Celebrare in Eccleſia violata,eſt mortale peccatum.*

14. *Homicidium iniurioſum tantummodo polluit Eccleſiam.*

15. *Effuſio iniurioſa ſanguinis polluit Eccleſiam.*

16. *Voluntaria ſeminis effuſio facta in Eccleſia, polluit illam.*

17. *Copula coniugalis ſi fiat ex iuſta cauſa, non polluit Eccleſiam.*

18. *Coniuges ſi poſſent dormire commodè extra Eccleſiam, vel in cubiculis iunctis, tenerentur id agere.*

19. *Pollutio, vt polluat Eccleſiam, neceſſe eſt,*

vt ſit publica; & ſit etiam actus ex quibus Eccleſia polluitur.

20. *Eccleſia polluitur, ſi ibi ſepeliatur Excommunicatus fidelis.*

21. *Polluitur etiam Eccleſia, ſi ibi ſepeliatur Paganus, ſeu infidelis.*

22. *Eccleſia non polluitur, ſi aliquis ex his caſibus contingat ſuper lapidem patentem extra portam Eccleſiæ.*

23. *Eccleſia conſecrata violatur, quando parietes deſtruuntur.*

24. *Celebrans in Eccleſia violata, nullam cenſuram incurrit.*

25. *Si violatio accidat dum ſacerdos celebrat, debet interrumpere Miſſam, ſi ſit ante Canonem inceptum.*

1. QVæritur primò, vtrum Sacerdos teneatur aliquando Miſſam celebrare? & certum eſt, quæſtionem non eſſe de communione annuali, quia ad illã obligatur tanquam Chriſtianus adultus; ſed quæſtio eſt, vtrum quatenus Sacerdos teneatur celebrare aliquando in anno? & negatiuè multi reſpondent, vt Alexand. Alenſ. 4. part. q. 71. membr. 2. Bonauent. in 4. d. 12. part. 2. art. 2. q. 2. Gabr. lect. 87. in Can. & alij multi, quos refert Suar. diſp. 80. ſect. 1. ſed Bonac. diſp. 4. q. vlt. pun. 7. n. 1. Putat tantum id eſſe probabile, cum aſſerat, contrariũ eſſe probabilius, & ita etiam videtur loqui Filiuc. tract. 5. c. 4. num. 92. & ſeqq. & Suar. loc. cit. Sequitur tamen hanc opinionem, Victoria in ſumma nu. 94. Henriq. cap. 23. & Dian. 2. part. reſol. 19. Alij autem affirmatiuè reſpondent; & ita ſentit D. Thom. q. 82. art. 10. & in 3. d. 13. q. 1. ar. 2. quæſtiun. 1. ad 2. Durand. Sot. Palud. Maior. quos citat Suar. D. Anton. 3. part. tit. 13. cap. 16. §. 12. Sylu. ver. Miſſa 1. q. 7. Angelus num. 44. Nauarr. cap. 25. nu. 88. Io: de la Crux in direct. par. 2. de Sacr. Miſſæ q. 1. dub. 2. concluſ. 2. & alij etiam apud Dian. & ſequitur Gloſſ. cum iuriſperitis in cap. Dolentes de celebrat. Miſſar. Reginal. lib. 29. num. 46. & 166. Vaſq. 3. p. diſp. 232. cap. 1. num. 5. & 11. & alij, quos ſequitur Bonac. loc. cit. Et hæc opinio eſt magis pia, & ſecurior, & in praxi conſulenda, vt loquitur Suar. Fundamentum huius opinionis eſt Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. vbi ſic ait. *Chriſtum illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent præcepiſſe, vti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit:* Alias rationes videre poteris apud Suar. Filiuc. Bonac. & alios; ſed quoties in anno teneatur celebrare; communiter Doctores reſpõdent, ter, vel quater in anno; & licet, Aliqui aſſignent tempus Natiuitatis, Paſchatis, & Pentecoſtes, tamen hoc nullum habet verum fundamentum; ſed id puto eſſe prudentis iudicio committẽdum, vt Suar. loc. cit. in fine.

2. Ex qua doctrina infertur, Sacerdotem non teneri quotidiè, ſacrificium offerre, licet, ſecluſa prohibitione Eccleſiæ, non ſolum licitum, ſed etiam meliùs eſſet quotidiè ſacrificare: & ita eſt conſulendum: Vnde P. Auguſtinus Epiſt. 23. ſic ait. *Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in Sacramento non ſolum per omnes Paſchæ ſolemnitates; ſed omni die populis immolatur.* Et D. Gregor. hom. 37. de S. Caſſio Narnienſi Epiſcopo ait. *Cui mos erat quotidianas Deo hoſtias offerre: ita vt penè nullus dies vitæ eius abſcederet, quo non omnipotenti Deo hoſtiam placationis immolaret;* Et ſumitur ex omnibus Patribus, & doctoribus. Nullum tamen eſt ius diuinum obligans ad quotidie celebrandum, imò neque ad id Eccleſia tenetur ex aliquo præcepto, & ſicut nõ celebrat in Paraſceue, ita etiam poſſet determinare alios dies, ne in ipſis ſacrificium offeratur; Suar. diſp. 80. ſect. 2. Filiucc. tract. 5. cap. 4. num. 101. In Prouincia verò Mediolanenſi ex Concil. Prouinciali omnes ſacerdotes ſimplices tenẽtur celebrare ſingulis Dominicis, & feſtis ſolemnibus ſub mortali, niſi iure impediantur; licet, ſi ſex vel ſepties in anno ab hoc munere quis deficeret, poſſet excuſari à culpa mortali, quia lex id præcipiens ita videtur vſu recepta; vt docet Bonac. diſp. 4. q. vlt. pun. 7. num. 3.

3. Dubium tamen eſt, An poſsit Sacerdos in aliquo caſu plures miſſas celebrare in vno die? Sed eſt primò ſupponendum, nunquam licitum eſſe celebrare abſque ieiunio ex præcepto Eccleſiæ in cap. ſufficit de conſecr. d. 1. ſub Alexand. 2. in cap. conſuluiſti ſub Innocent. 3. in cap.

Digitized by Google

cap. De deferente de celebr. Miſſar. ſub Honorio 3. vnde quæſtio intelligitur, ſuppoſito ieiunio naturali, quia aliter, in nullo caſu eſſet licitum pluries celebrare, neque in die Natiuitatis Domini, vt ſi quis ex obliuione ſumeret purificationem, non poſſet deinde iterum celebrare, quo poſito. Dico multos caſus numerari à Doctoribus, in quibus videtur licitū eſſe Sacerdoti pluries celebrare in die; Primus eſt, Dies Natiuitatis Domini, vt habetur in cap. conſuluiſti & ſumitur ex communi vſu, Eccleſiæ, quæ Miſſæ iuxta D. Thom. q.83. art.2. ad 2. ſignificant tres Natiuitates Chriſti Domini, ſcilicet, æternam, temporalem, & ſpiritualem; vel vt Gloſſ. in d.c. conſuluiſti, ſignificant tres ſtatus hominis ſcilicet, legis naturæ, legis ſcriptæ, & legis gratiæ. Secundus eſt, quando contingat aliquem mori, & pro illo eſſet Miſſa celebranda. Tertius caſus eſt, ſi ſuperueniat aliqua magna perſona, quæ vellet miſſam audire, vel ſi ſuperueniant multi peregrini, & eſſet dies feſtus, nec adeſſet alia miſſa; Quartus caſus eſt, ſi occurrat communicare infirmum. Quintus caſus, ad benedicendas nuptias, ne fiant ſine Miſſa. Sextus caſus eſt, ſi occurrat duplex officium, vt feſtiuitas in aliqua vigilia vel rogationibus. Septimus, ſi Parochus habeat duas Eccleſias parochiales, quos caſus enumerant, Palud. in 4.d.12.q.1.art.4. D. Antonin. 4.part.tit.13. ca.6.§.4.& 5. Sot.d.15.q.2.art.2. Nauar.cap.25.nu.87. alium caſum addunt Sylu. ver. Miſſa.1.q.7.& Angelus §.46.& Victoria nu.96. ſcilicet, ſi ex conſuetudine duo fiant Sacra, & contingat vnum ex duobus Sacerdotibus infirmari; Alij addunt alium caſum, ſcilicet, ſi ex paupertate Eccleſiæ id reputetur neceſſarium; & alium etiam addit Duran. lib.2. de ritibus Eccleſiaſtic. cap.7. ſi ratione magnę ſolemnitatis, Eccleſia non caperet totum populum; qui caſus ad præſens non ſunt in vſu ob multiplicationem Sacerdotum; Attamen ſi alicubi adeſſet talis vſus, poſſet quis vſum ſuæ Eccleſiæ ſequi. Suar. diſp.80. ſect.3. Vaſq.3. p.tom.3. diſp.232. cap.5. num.48. Valentia tom.4. diſp.6.q.11. pun.3. ad 7.& alij cōmuniter.

4. Secundò dubitatur, vtrum ſint aliqui dies, in quibus nō poſſit celebrari? Reſpōdeo in feria quinta Maioris hebdomadę poſſe celebrari, licet; ex conſuetudine non omnes Sacerdotes ſoleant celebrare; ſed communicant tantum de manu ſupremi Sacerdotis; quod fit ad imitationem Chriſti, qui ſuis diſcipulis proprijs manibus hoc ſacramentum dedit. In feria ſexta Paraſceue; nullo modo licet ſacrificare ex præcepto Eccleſiæ in cap. Sabbatho de conſecr. diſt.3. vt res geſta in tali die realiter repræſentetur; & idem expreſsè dicitur de Sabbato Sancto in dicto cap. Sabbatho; & ideò Nauarr. cap.25. num.88. putat eſſe mortale tali die celebrare præter illam Miſſam ſolemnem; alij tamen putant non eſſe peccatum, ſi Miſſa incipiatur tempore, quo celebratur officium Paſchale, ſcilicet, poſt pulſationem campanarum, quia tunc ceſſat tempus paſſionis, ob cuius reuerentiam Eccleſiam prohibuit aliam celebrationem; ita tenet Sot. diſt.13. quæſt.2. art.2. Filliuc. tract.4. ca.4. num.107. Suar. diſp.80. ſect.2. & communiter omnes moderni; licet, non ſit conſulendum niſi adſit rationabilis cauſa, & ſecluſo ſcandalo.

5. Deinde quæritur in qua hora licitum ſit Miſſam celebrare? Reſpondeo, auroram eſſe iuſtum terminum, ante quem regulariter loquendo, non licet Miſſam inchoari; ita D. Thom. quæſt.83. art.2. & in 4.d.13. quæſt.1. art.2. & ibi omnes alij Doctores, & Summiſtæ ver. Miſſa; ante auroram intelligitur initium crepuſculi, ſcilicet, vna hora cum dimidia ante ortū Solis, & colligitur ex conſuetudine Eccleſiæ; imò iuxta Victoriam, poteſt inchoari Miſſa per mediam horam ante crepuſculū ita vt finis Miſſæ ſit initium crepuſculi; & in praxi eſt ſeruandum iuxta Suar. diſp. 80. ſect.4.& Filiuc. tr.5. cap.4. nu.111. ſequitur Bonacina diſp.4.q. vlt. punct.9. nu.1. Rodriq. in Summa cap.250. num.1. & communiter omnes.

6. Excipitur autem ab hac communi regula dies Natiuitatis Domini, in quo die prima Miſſa celebratur poſt mediam noctem; & licet, dubium eſſe poſſet, vtrū ex dicta hora, id eſt poſt finitam Miſſam ſolemnem, poſſent aliæ Miſſæ inchoari? reſpon-

ſpondetur affirmatiuè, quia priuilegium illius diei non eſt limitandum ad primam Miſſam tantum, vt Suar. & Filiuc. loc. cit. & Diana par. 2. reſol. 35. vbi multos affert. Excipiebatur etiam olim dies Reſurrectionis Domini; ſed iam dicta conſuetudo ceſſauit. Item excipitur priuilegium, quod eſt ſeruandum iuxta eius tenorem, ita vt ſi priuilegium ſit vnius, vel duarum horarum, Miſſa inchoari poſſit tribus, vel quatuor horis ante ortum Solis, quia priuilegium eſt intelligendum vltra tempus, in quo Miſſa regulariter inchoari poteſt; quod priuilegium, ſcilicet, celebrandi ante aurorã, habet Epiſcopus in itinere, vel poteſt hãc facultatem alteri ſibi miniſtrãti concedere, vt ipſe Miſſam audire poſſit, vt Gloſs. in ca. vlt. de priuilegijs in 6. imò ex cauſa poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt alij celebrent. Secluſo itinere, tum ex priuilegio, tum ex ordinaria poteſtate: vt Suar. loc. cit. §. tertia exceptio, Reginald. li. 29. num. 174. Filiuc. tract. 5. cap. 4. nu. 112. Bonac. loc. cit. num. 7. §. Ego tamen, & alij. Regulares etiam habent priuilegium celebrandi per horam ante auroram, & ideò poſſunt per tres horas ante ortũ Solis incipere Miſſam; imò iuxta. Io. de la Crux in direct. cõſcient. par. 1. de ſacrificio Miſſæ q. 2. dub. 1. concluſ. 3. poſſunt illicò poſt matutinum, aut poſt duas horas mediæ noctis Miſſas inchoare ex priuilegijs; Et pro infirmo communicando, licet etiam cuilibet celebrare poſt mediam noctem, ſi id neceſſitas exigat, vt Layman. lib. 4. tr. 5. cap. 4. num. 3. Victor. ver. Euchariſtia nu. 95. Diana par. 2. reſol. 33. & alij.

7. Sed in quanam hora poſſit Miſſa finiri? Reſpondeo vſq; ad meridiem, ita vt Miſſa inchoetur ante meridiem: quæ ſententia eſt ſecurior, & magis recepta; vt teſtatur Suar. diſp. 80. ſect. 4. concluſ. 2. ex Gabr. lect. 14. in Canon. Maior. in 4. d. 13. q. 4. Sot. ibidem q. 2. art. 2. & lib. de iuſtit. q. 5. art. 4. & ex alijs; ſumitur ex rubricis Miſſalis, in quibus aſſignatur tempus vſq; ad meridiem; & Concil. Trid. ſeſs. 22. cap. de obſeruandis in ritu ſacrificij, præcipit Miſſas celebrari horis ſtatutis; vnde nullus tuta conſcientia poteſt excedere dictũ tempus. Alij tamen dicunt poſſe Sacerdotem incipere Miſſam non multò poſt meridiem; ita tamen; vt quadrans cũ dimidio ſit pars notabilis, & ſi quis tunc incipiat Miſsã, peccet mortaliter; vt Azor. 1. par. lib. 10. cap. 25. q. 6. Alij protrahunt vſq; ad medium horam, alij ad tres quadrantes, & alij vſq; ad horam, dummodo ante dictam horam poſt meridiẽ finiatur Miſsa; nec illa attingatur. Vt Dian. par. 2. reſol. 34. ex Syluio in 3. par. q. 83. art. 2. quæ opinio laxior eſt, & ideò minus tuta; puto tamen poſse Miſsam inchoari ſtatim poſt ſignum meridiei tum propter variationem orologiorum, tum, quia dictum tempus non eſt ita mathematicè accipiendum: In aliquo verò caſu: vt in die magnæ ſolemnitatis, & maximè ſi concio ſit habenda, poſsunt Miſsæ celebrari etiam poſt duas horas meridiei, & maximè ne aliqua pars populi Miſsa priuetur, vt Leo Papa Epiſt. 81. ad Dioſcor. ca. 2. Sic etiam in itinere, ſi occurrat dies feſtus, poteſt quis celebrare, vt obligationi Miſsæ ſatisfaciat, dummodo non excedatur hora poſt meridiem, vt Sot. in 4. diſt. 13. quęſt. 2. art. 2. Layman tr. 5. cap. 4. num. 4. & colligitur ex Rubrica Miſsalis; vbi adeſt particula, *Communiter*, ad denotandum in aliquo caſu poſse Miſsam terminari poſt meridiem, ſequitur Suar. loc. cit. §. quocirca; & alij. Regulares autem ex ſuis priuilegijs poſsunt celebrare vſq; ad nonam incluſiuè, ſcilicet, vſq; ad tres horas poſt meridiem; vt conceſſit Eugen. inter viua orac. Patribus minoribus, docet Io. de la Crux in direct. conſcient. par. 2. de ſacrific. Miſs. concluſ. 2. dub. 1. lib. 2. cap. 5. & ſequitur Diana par. 2. reſol. 34. de celebrat. Miſsar. ſed hęc regula non poteſt aſſignari pro toto anno, quia tempore hyemis, in quo meridies eſt in hora decimanona, poſset quis celebrare vſq; ad horam vigeſimam ſecũdam, quod non videtur receptum; vnde vſus Eccleſiarum priuilegiatarum ſequẽdus eſt.

8. Quoad locũ in quo debeat celebrari ſacrificium Miſsæ? Reſpondeo eſse Eccleſiam conſecratam, vel benedictam ab Epiſcopo. Nam neceſsarium fuit in Eccleſia eſse aliqua loca publica, in quibus Chriſtiani conuenire poſsent ad exercenda

opera

Digitized by Google

opera Religionis Chriſtianę, & ideò fundatę ſunt Eccleſię; licet pręcipuus finis ſit, vt in eis Deo hoc ſacrificium Miſſę offeratur, & ex conſequenti alia ſacramenta miniſtrentur. Vt ibi adoretur Deus; lectiones, & conciones peragantur, vt Reliquię martyrum, conſeruentur, & honorentur, ac etiam, vt fideles ſepeliantur, quę omnia de fide ſunt ex antiquiſſima traditione, & vſu Eccleſię, vt Suar. diſput. 81. ſect. 1. Vnde conuenientiſsimè dicta templa ſolemni ritu conſecrantur, & benedicuntur non ſolum ob decentiam tanti loci; ſed etiam ad hominum vtilitatem; vt docet D. Thom. q. 83. art. 3. ideo Ber. ſer. 1. in dedi. Eccl. ait. *Domus iſta per manus Pontificum dedicata eſt Domino, propter nos ſine dubio factum eſt, non ſolum, qui præſentes ſumus, ſed & quicunque vſque in finem ſæculi Domino ſunt in hoc loco militaturi; in nobis proinde ſpiritualiter impleri neceſſe eſt, quæ in parietibus viſibilibus præceſſerũt, & ſi vultis ſcire, hæc vtique ſunt aſperſio, inſcriptio, inunctio, illuminatio, & benedictio.*

9. Dicendum eſt igitur, locum adminiſtrationis huius ſacrificij, eſſe Eccleſiam ad hoc ſpecialiter deputatam, ità vt extra illam fieri non liceat, vt D. Tho. q. 83. art. 3. & omnes Doctores in 4. diſtin. 13. D. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. Nauarr. cap. 25. n. 82. Henriq. cap. 27. num. 6. Filiucc. tr. 5. cap. 4. num. 115. Suar. diſp. 81. ſect. 3. & hoc conſtat ex multis Concil. vt Laodicen. cap. 58. Carthagin. 2. cap. 9. & Magnat. cap. 9. & ex alijs, vt referuntur de Conſecr. d. 1. & ità etiam habetur in Concil. Trid. ſeſſ. 22. in Decret. de obſeruandis, & euitandis in celebratione miſſæ; ideò Syluef. verb. miſſa ait. *Nullus presbyter miſſas celebrare præſumat, niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps de cætero voluerit eſſe ſacrificij.* Vnde ex ſuo genere celebrare extra Eccleſiam, eſſet mortale; quia in cap. ſicut de conſecr. diſt. 1 dicitur, extra Eccleſiam non ritè celebrari; & in cap. nullus, prohibetur Sacerdos celebrare in locis non ſacratis ab Epiſcopo ſub cominatione depoſitionis; quæ pœna, cum ex ſe ſupponat peccatum mortale; & res ipſa, de qua agimus, cum ſit grauis, dicendum eſt etiam, quod graue pateat peccatum ex magna irreuerentia, quę fieret tanto ſacrificio; Nec in hoc audiendus eſt Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 3. qui putat ſecluſo ſcandalo, & contemptu, non eſſe mortale celebrare extra Eccleſiam; nam hoc eſt apertè falſum tum ex citatis Concil. tum ex vſu Eccleſiæ; & aliter vnuſquiſque poſſet celebrare miſſam vbicunq; vellet, quod eſt erroneum aſſerere: vide Azor. 1. par. lib. 7. cap. 7. q. 8. in fin. Et licet, olim fuerit dubium, vtrum Epiſcopus poſſet extra caſum neceſſitatis concedere facultatem celebrãdi extra Eccleſiam; ad præſens autem, ſcilicet, poſt Concil. Trident. dicit ſeſſ. 22. nullum eſt dubium, cum omninò ſublata ſit talis facultas Epiſcopis his verbis. *Ne patiantur* (ſcilicet Epiſcopi) *priuatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eiſdem ordinarijs deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc ſacrificium à Secularibus, aut regularibus quibuſcumque peragi.* In aliquo tamen caſu neceſſitatis, poſſet vtiq; Epiſcopus diſpenſare: vt Suar. diſp. 81. ſect. 3. §. ſecundò obſeruandum circa fin. & ſeqq. Bonac. diſp. 4. quæſt. vlt. pun. 9. nu. 9. & alij communiter, & ità declaratur de conſecr. d. 1. cap. 1. & cap. concedimus docet etiam D. Thom. q. 83. art. 3. ad 1. Alenſ. 4. p. q. 36. membr. 1. & alij Doctores in 4. diſt. 13.

10. Eſt tamen notandum, priuilegia conceſſa mendicantibus celebrandi in quocunque loco honeſto cum altare portatili, vt habetur cap. in his, de priuilegijs, eſſe iam abrogata per Cõcil. Trid. loc. cit. vt Suar. citandus. Nauar. cap. 25. nu. 82. & alij. Eſt tamen conceſſum poſt dictum Concil. priuilegium presbyteris Societatis Ieſu, vt in miſſionibus vti poſſint altari portatili vbicunque, ibiq; miſſam celebrare; & cum hoc priuilegium ſit perſonale, non poterunt ibi alij Sacerdotes miſſam dicere; eſt etiam dictæ Societati aliud priuilegium conceſſum, vt in ſuis domibus in priuato Oratorio à Prouinciali approbato, poſſint miſſæ dici ſine alia Epiſcopi approbatione, non obſtante Concilio Tridentino, & in dicto Oratorio poſſunt celebrare non ſolum presbyteri dictæ Societatis, ſed etiam quilibet alius Sacerdos tam regularis, quam ſecularis; quia priuilegium non dirigitur ad ſolas perſonas; ſed ad locum,

ſeu

ſeu ad prouincialem, cui communicatur talis facultas Epiſcopalis, quoad approbationem dicti loci; vt Suar. diſp.81. ſect.3. in fine. Quo priuilegio vti poſſunt omnes mendicantes ex communicatione priuilegiorum, imò omnes mendicantes poſſunt miſſas celebrare in granciꝭs, & aliꝭs locis Monaſterij: vt probat Io.de la Crux lib.2. de priuilegiꝭs cap.5.dub.7.ex Sixto 4.bulla 33. Iulio 11.bulla 20. Innocent.4.bulla 24. & Alexand. 6. bulla 14. qui Pontifex cõceſſit Ciſtercienſibus, vt *poſſent in granciꝭs, & aliꝭs locis monaſterij, capellas, Eccleſias, & Oratoria conſtruere, ibique abſque licentia ordinarij vel alterius celebrare non ſolum miſſas, ſed etiam diuina officia, vt Vaſſallorum, Colonorum incolarum ibi commorãtium, confeſſiones audire, pœnitentias iniungere, Eucharistiam, & alia ſacramenta ſine Parochiæ præiudicio, per monaſteriorum Abbates, & ſuos Monachos ad id deputatos miniſtrare*. Per præiudicium autem Parochiæ, intelligitur exactio decimarũ, & primitiarum, quæ ſolent clericis exhiberi; ſi enim in hoc nullum ſequatur clericis præiudicium, poſſunt Religioſi prædicta exercere, vt declarauit Sixtus 4. hæc verba reperies apud dictum Io.de la Crux loc. cit.

11. Neq; obſtat Concil. Trid. ſeſſ.22. Decret.de obſeruandis in Miſſa, vt nu.antecedenti, vbi pręcipitur Epiſcopis, ne patiantur miſſas celebrari etiam à regularibus in domibus priuatis, & omninò extra Eccleſiam; nam Concilium apertè loquitur de domibus priuatis, & quæ omninò ſunt extra Eccleſiam; At grancia Monaſteriorum, & Oratoria, non ſunt extra Eccleſiam; imò nomine Eccleſiæ, Monaſteria intelliguntur; & cum dicta grancia, & Oratoria non ſint ſaltem omninò extra Monaſterium, quia illius partes ſunt; ſequitur quod ad dicta non ſe extendit Concilium; imò addo dicta grancia computari inter loca Religioſorum; & Leo 10. conceſſit, quod infringentes, aut violentiam facientes in Eccleſiꝭs, aut locis religioſorum ſint excommunicati, nec poſſint abſolui, niſi à Summo Pontifice, vel à Conſeruatoribus Religioſorum; Vnde ſi dicta loca fruuntur hoc priuilegio, tanquam Eccleſia, nõ ſunt reputanda loca omninò extra Eccleſiam; de quibus loquitur Concilium, vt idem Doctor loc.cit. & Rodriq. in qq.Regul.to.2.q.75.art.1.

12. Poſſunt etiam Regulares in caſtris & arcibus, ad quæ ob bella confugiunt, Altare portatile erigere, & ibi Miſſas, & officia celebrare, ſaluo iure parochialium Eccleſiarum, & cuiuſuis alterius, vt conceſſit Ciſtercien. Vrban. 5. bulla 1. Io.de la Crux lib.2.de priuileg.cap.5.dub.7.§.tertia concluſio. Poſſunt etiam Regulares celebrare vbique etiam in priuatis domibus ſecularium; vt conceſſit Sixtus 4.bull. 14.& Alexãd.6.inter viua oracula cõceſſit eiſdem poſſe celebrare tam in cameris ſecularium, quam in plateis, dummodo loca honeſta ſint; & licet, huiuſmodi priuilegium nu. 10. diximus fuiſſe annullatũ per Concil. Tridentinum; contrarium tamen aſſerit Rodriquez in qq.Regul. to.1.q.28. art.3.& Io.de la Crux dicto dub.7.§.ſi obijcias ait; Regulares poſſe vti dictis priuilegiꝭs vſque ad monitionem Epiſcopi; poſtquam nullo modo poſſe; & ratio eſt, quia verba Concilij diriguntur ad Epiſcopos; dum ait. Non patiantur Epiſcopi, quod Sacerdotes etiam regulares in domibus priuatis &c. celebrent; Vnde vſquequo dicti mendicantes non moneantur ab Epiſcopo loci, poterunt vti dictis priuilegiꝭs; ſed re vera hæc ſpeculatio potiùs videtur velle illudere mentem Concilij, quam obſeruare; nam in dictis verbis datur facultas Epiſcopis etiam ſuper regulares, ſi ordinationi, & pręcepto, quod intendit Concilium, non obtemperauerint; & ideò veriùs puto dicendum dicta priuilegia fuiſſe abrogata; vt dixi in nu. 10.& patet ex contraria conſuetudine, cum Regulares nullibi dictis priuilegiꝭs vti videantur.

13. Deinde quęritur, vtrum liceat celebrare in Eccleſia violata? Reſpondeo negatiuè, & culpam mortalem incurreret celebrans in tali Eccleſia; ità omnes Doctores in 4.diſt.18.q.8.Nauarr.cap.25.nu. 83.& cap.26.n.250. Filiucc.tract.5.cap.4. nu.117. Syluеſ. verb. conſecratio 2.Suar. diſp.81.ſect.4. §.His poſitis; & aliꝭ omnes, & ratio ſumitur ex præcepto, ſeu prohibitione Eccleſiæ, vt in ſequenti num. dicemus; ait autem D.Thom.q.83.art.3.de licen-

Digitized by Google

centia Epiſcopi poſſe fieri ſacrum in Eccleſia violata ante reconciliationem: quia Epiſcopus poteſt dare licẽtiam celebrandi in loco nõ cõſecrato; ergo ẽt in tali Eccleſia profanata, quę habetur tãquã nõ benedicta, vel non conſecrata; & maximè, quia in cap. miſſarum, dicitur. *Miſſam poſſe celebrari vbi Epiſcopus permiſerit; vel vbi Epiſcopus iuſſerit*, vt habetur in cap. Hic ergo de conſecr. diſt. 1. Et hoc modo excuſantur, qui miſſas celebrant in locis, vbi ſepulti ſunt hæretici in partibus ſeptentrionalibus: quia ad id neceſſitate coguntur, nec poſſunt alibi commodè celebrare, vel quia Epiſcopi vident, & conſentiunt, & hoc modo videntur facultatem concedere: vnde Epiſcopus non debet dictam facultatem concedere in his Regionibus, ante reconciliationem, niſi adſit rationabilis, & grauis cauſa; quia agitur de diſpẽſatione quadam in lege Eccleſiaſtica: vt ex Soto docet Suar. & Filiucc. loc. cit.

14. In quibus caſibus Eccleſia dicatur violata? Reſpondeo ſex Caſus numerari à Doctoribus, in quibus Eccleſia cenſenda eſt violata; quorum primus eſt, homicidium voluntarium, & iniurioſum. ex cap. propoſuiſti de conſecr. Eccl. & cap. Si motum de conſecr. d. 1. In quo ſermo eſt de homicidio per rixas, vel contentiones ſequuto: vnde, ex homicidio caſuali, vel facto ex Amentia, vel ex pura defenſione, non polluitur Eccleſia: nec ſi vulneratio iniurioſa fuerit data extra Eccleſiam, & mors poſtea fuerit ſequuta intra Eccleſiam; dicetur Eccleſia polluta: quia mors, & non homicidium dicitur perpetratum in Eccleſia; nec ſimiliter erit Eccleſia violata ob vulnus inflictum in Eccleſia, & mors ſequuta fuit in domo, vel extra Eccleſiam: ob homicidium præciſè: quia ob effuſionem ſanguinis, iam eſt violata. Dicetur tamen violata Eccleſia, ſi homicidiũ eſſet inflictum in Eccleſia per ſuffocationem ſine effuſione ſanguinis, vel per aliquid aliud homini datum ad illum occidendum: dummodo mors ſequatur in Eccleſia, & licet non effundatur ſanguis. Violaretur etiam Eccleſia, ſi iudex; (licet iuſtè) ſuſpenderet, vel occideret aliquem reum in Eccleſia, quia omni ex parte tale homicidium eſſet iniurioſum, ſcilicet, tum Reo, quia habet ius vt non poſſit puniri in Eccleſia: tum Eccleſiæ, quia patitur grauem irreuerentiam: ſecùs autem eſſet, ſi iudex ſuſpenderet Reum ſupra tectum Eccleſię, vel in parietibus à parte exteriori Eccleſię. Et licet, homicidium eſſet verum martyrium, adhuc Eccleſia diceretur violata, non quidem ſanguine martyris, ſed ſacrilega actione, & interfectione: vt Suar. diſp. 81. ſect. 4. in principio Filiucc. tract. 5. cap. 4. num. 117. Nauarr. c. 25. num. 85. & c. 27. n. 250. Sylu. ver. conſecratio. 2. & alij Doctores in 4. diſtinct. 13. Et nota violari etiam Eccleſiam, ſi ſupra tectum adſit capella habens aditum ad Eccleſiam, ſicut etiam violatur, ſi effuſio ſanguinis, vel ſeminis fiat in capella, vel ſepultura concaua, quia reputatur vnum corpus Eccleſiæ, & licet ſi ſuſpenderetur homo in parietibus à parte exteriori Eccleſiæ, non diceretur polluta, vt diximus, id tamen intelligas, niſi dicta pars exterior parietum ſit ſupra Cimiterium, quia tunc eſſet pollutum ipſum cimiterium. vide Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 15. à nu. 23. & ſeqq.

15. Secundus caſus eſt, iniurioſa ſanguinis effuſio: ex cap. ſi Eccleſia de conſecrat. Eccleſiæ, & cap. Eccleſijs de conſecr. diſt. 1. Et licet, in his locis non dicatur expreſsè, oportere eſſe effuſionem iniurioſam, ita tamen intelligitur ab omnibus Doctoribus, vt ex citatis Doctoribus, & Sylu. ver. interdictum 4. q. 3. Ideò eodem modo dicendum eſt, Eccleſiam non violari ob effuſionem ſanguinis naturalẽ; caſualem, medicinalem licitam, aut in propriam defenſionem factam; nec per iocoſam actionem, ex qua effuſio ſanguinis ſequeretur, quia diceretur effuſio caſualis; At ſi talis Actio iocoſa in alium facta, eſſet imprudens, & periculoſa, & ex illa ſequeretur effuſio magnæ copiæ ſanguinis, Actio diceretur voluntaria, & iniurioſa; & ex conſequenti, Eccleſia diceretur violata: Item violatur Eccleſia per vulnus graue, vel mortiferum datum in Eccleſia, licet, in ea non fluat ſanguis, ita communiter omnes docent in dicto cap. propoſuiſti de conſecrat. Eccleſię; quia ibi per

vulnera dicitur violari Eccleſia abſque vlla mentione ſanguinis, & iam ex parte actionis iniurioſæ, cenſetur facta effuſio ſanguinis, ſecùs autem, si in Ecclesia eſſet inflicta alapa, quia non adeſt vulnus nec ſanguinis effuſio, sic etiam non eſset violata Eccleſia; si quis exiſtens in Eccleſia ſagittam mittat alicui extra Eccleſiam, & grauiter vulneret, aut occidat: quia Actio, licet, inchoatiuè incipiat in Eccleſia, vulnus autem, vel effuſio ſanguinis fit extra Eccleſiam; ſed è contra, erit violata Eccleſia, ſi quis exiſtens extra Eccleſiam mittat ſagittam, vel lapidem, & vulneret aliquem grauiter, vel occidat; quia verè dicitur vulnus datũ in Eccleſia; Item erit etiam violata Eccleſia per vulnus graue, & iniurioſum ſibi ipſi inflictũ, vt ſi quis ſeipſum mutilet, aut occidat, vel grauiter vulneret; quia talis actio eſt iniurioſa Deo & Eccleſiæ; ſecùs ſi fiat effuſio ſãguinis per honeſtam flagellationem, vel vulnerationem. Deinde ſi vulnus inflictum in Eccleſia fuerit leue, vel modicum, effuſio verò ſanguinis copioſa, non diceretur violata Eccleſia, tunc autem dicitur vulnus leue, vel modicum, quando actio non continet culpam mortalem; vnde regula generalis ſit; quotieſcunque vulneratio non continet culpam mortalem, non violatur Eccleſia, etiam ſi adſit effuſio copioſa ſanguinis; quando autem vulneratio cõtinet culpam mortalem, & in ea adeſt copioſa effuſio ſanguinis ſemper erit violata Eccleſia. Suar. Victoria in ſumma nu. 99. & alij Doctores citati.

16 Tertius Caſus eſt; humani ſeminis effuſio; quæ debet eſſe voluntaria, & non ſufficit, vna, vel duæ guttæ, quia non poſſet dici effuſio; hoc conſtat ex eiſdem iuribus citatis; Vnde pollutio nocturna, vel diurna inuoluntaria nõ polluit Eccleſiam; nec ſi fiat ſupra tectum Eccleſiæ, vel in parietibus, aut in turri, vel in ſpelunca ſub pauimento, aut in cubiculis coniũctis Eccleſiæ, ſed neceſſe eſt, vt fiat in Eccleſia; vt Sot. in 4. d. 32. art. 3. Corduba in ſumma q. 12. Filiucc. Suar. & alij loc. cit. Debet etiam eſſe dicta effuſio non ſolum voluntaria, & copioſa, ſed etiam publica, & illicita; dico publica, non quia fieri debeat coram omnibus; ſed quatenus cohabitatio in Eccleſia, & in toto eſt omnibus nota; Vnde effuſio ſeminis ex concubito occulto, non erit polluta Eccleſia; vt ex dicẽdis meliùs colligetur.

17. Difficultas tamen eſt, an copula coniugalis polluat Eccleſiã? & tres in hac re ſunt opiniones, prima aſſerit partem affirmatiuam; quia hoc ipſo, quod fit in Eccleſia, eſt ſacrilega. Ità Paludan. in 4. d. 18. q. 8. art. 4. Sot. d. 35. art. 3. Caiet. in ſumma ver. Matrim. peccata nu. 6. Nauarr. cap. 16. nu. 33. & c. 27. nu. 253. vbi alios citat, Gloſſ. in c. vnico de conſc. Eccleſię in 6. Angelus ver. conſecratio 1. 2. q. 7. & alij. Secunda ſententia abſolutè negat Eccleſiam violari per copulam coniugalem, ità Gloſſ. in cap. Eccleſijs de conſecr. diſt. 1. & ſignificat Sot. diſt. 13. q. 2. art. 3. & ratio eſt, quia in cap. ſi motum de cõſecr. d. 1. agitur tantum de adulterio; & ſimiliter in cap. ſignificaſti; Vnde tantum per adulterium, vel fornicationem diceetur Eccleſia polluta; cum non benè videatur Eccleſia pollui per actum ex ſe honeſtum, & licitum. Tertia ſententia moderando hanc ſecundam, ait, vel coniuges manent in Eccleſia ex iuſta, & legitima cauſa, vel abſque ea; ſi primo modo; Eccleſia non polluitur; & maximè, ſi cohabitatio fuerit diuturna, vel adfuerit periculum incontinentiæ. Secùs autem, polluitur, quia actio eſt verè iniurioſa; & ità Richard. in 4. d. 32. art. 3. q. 1. Maior q. 1. Syluest. verb. Conſecratio 2. q. 5. & ver. Debitum q. 3. Caſtro lib. 1. de lege pænal. cap. 7. documen. 2. Couarr. in 4. lib. Decret. par. 2. cap. 7. §. 2. nu. 4. Victoria in ſumma nu. 276. quos ſequitur Suar. & Filiucc. loc. cit. & ratio ſumitur à paritate; nam ſicut effuſio ſanguinis ob defenſionem propriæ vitæ non polluit Eccleſiam, quia actio nõ eſt iniurioſa; ergo neque effuſio ſeminis honeſta; & honeſtè facta & maximè ad vitandum periculum incontinẽtiæ polluet Eccleſiam

18. Attamen eſt notandum, quod si coniuges poſsẽt dormire in cubiculis iunctis Eccleſiæ, tenerentur id agere, & non vti matrimonio intra Eccleſiã, quia vtiq; mortaliter peccarent, nisi neceſſitas compelleret, vt intra Eccleſiam etiam dormirent;

rent; vel ſi per vnam, vel duas noctes tantum duraret talis neceſſitas; tenerentur etiam ſe abſtinere; aliter mortaliter peccarét tam petens debitum, quam reddens, quia, in tali loco, & tempore, non datur ius petédi, & debent ſe ſeparare quoad torum ad effugiédum periculum pollutionis, vel alterius incontinentiæ; ſecùs ſi longo tempore ſint ibi moraturi; vt iam diximus: & in his caſibus, in quibus coniuges mortaliter peccarent vtendo matrimonio; pollueretur etiam Eccleſia iuxta tertiam ſententiam.

19. Vtrum verò ad hoc, vt Eccleſia remaneat polluta, ſit neceſſaria publica pollutio, vel fornicatio. &c. An ſufficiat ſecreta? Reſpódeo, actum debere eſſe publicum, quia Eccleſia non iudicat de occultis; nec eſt cõſentaneum, vt per reconciliationem Eccleſiæ, delictũ propaletur; nec vt Sacerdos abſtineat à celebrando in propria Eccleſia; & maximè, quando ſolus eſt in dicta Eccleſia ob pollutionem, quam illi ſecretò accidit; ita tenet Suar. diſp. 81. ſect. 4. §. ſecũdò dubitari ſolet. Nauarr. cap. 27. num. 251. Sot. d. 13. q. 2. art. 3. ad 2. & d. 32. art. 3. Palud. in 4. d. 18. q. 8. ar. 4. Syluef. ver. cõſecratio 2. q. 5. & ver. Miſſa 1. q. 3. & ver. Cõfeſſio 3. q. 18. & alios refert; de Graſſijs lib. 2. q. 7. nu. 25. Gregorius Lopez lect. 30. tit. 10. partic. 1. Filiucc. tract. 5. cap. 4. nu. 117. & alij, duobus autem modis dicitur talis actus publicus, vel per euidentiam facti, vt ſi notum ſit, aliquem dormire cum muliere in Eccleſia in eodẽ toro, ſcilicet, vt moraliter à populo ſuſpicetur, vſum venereum adfuiſſe, aut iuridicè talis actus probatus ſit per teſtes, vel propriam confeſſionem, & quod dicitur de tali actu venereo, dicitur etiam de effuſione ſanguinis, & alijs criminibus, ex quibus ſequitur violatio Eccleſiæ; vnde licet duo, vel tres ſciant talem actum venereum, nõ ideò dicitur polluta Eccleſia; licet, iuxta Nauar. quando hi duo propalarent talem actum, ita vt poſſet dici publicus, ex tunc Eccleſia erit polluta; Adeſt tamen alia opinio aſſerens, Eccleſiam non dici pollutam, niſi poſt iudicis ſententiam; & fundatur in Concil. Conſtantiẽſi, vbi, ad reſtringendas cenſuras dicitur, neminem obligari ad ſe abſtinendum vſque ad iuridicam denunciationem, niſi in caſu publicæ percuſſionis Clerici; Vnde cum in caſu noſtro agatur de interdicto Eccleſiæ ob actũ venereum, non debet cenſeri Eccleſia polluta, donec per iudicem tali cenſura denunciata ſit; & quod talis violatio Eccleſiæ vocetur interdictum; probatur ex Palud. loc. cit. & Sylu. ver. Interdictum 4. quæſt. 3. Qui ex huiuſmodi violatione, Interdictum oriri aſſerunt. Quæ opinio eſt cuiuſdam Fratris Ioannis de la penna grauis Theologi ex familia Dominicana 3. p. q. 64. quam Salmanticæ docuit, quod probabile eſſe, ait Suar. diſp. 81. ſect. 4. §. Secundò dubitari ſolet, circa finem; ſed non puto eſſe recedendum à communi opinione, quia talis Eccleſię violatio, non dicitur verum interdictum: ſed largo modo poteſt forſitan dici, quatenus locus redditur inaptus ad celebrandum vt aſſerit Suar. dicto loco. §. ſed quæret.

20. Quartus caſus, in quo violatur Eccleſia eſt, ſi ibi aliquis excommunicatus fidelis ſepultus fuerit: ita omnes Doctores citati, & alij in cap. conſuluiſti de conſecrat. Eccleſiæ, & altari, vbi, licet, ſermo ſit de cæmeterijs, tamen maior ratio eſt de Eccleſia, cum cæmeterium non ſit, niſi quaſi acceſſorium, vt ſumitur ex cap. Vnico de conſecratione Eccleſiæ in 6. ideò in d. cap. dicitur, & communiter omnes Doctores, quod, ſi fuerit pollutũ cæmeterium, non ideò erit polluta Eccleſia; ſicut è contra, ſi fuerit polluta Eccleſia, erit pollutum cæmeterium. Eſt tamen notandum, quod talis excommunicatus debet eſſe nominatim declaratus talis, vel publicus clerici percuſſor; aliter Eccleſia non erit polluta; quia hos tãtum tenemur vitare; vt notat Victoria in ſumma dub. 99. Addunt etiam Palud. & Syluest. ſupra. Ex Abbate, & Hoſtienſ. violari Eccleſiam per conſecrationem, vel benedictionem factam ab Epiſcopo excõmunicato, vt ſupra; quod probant à pari ratione: nam ſicut per tactum corporis excommunicati, Eccleſia polluitur, multo magis, per benedictionem, vel conſecrationem factam ab excommunicato. Tamen reſpondetur, in legibus pœnalibus,

Argumentum à ſimili eſt inefficaciſſimũ & cum de tali caſu nõ fiat mentio in aliquo iure, non eſt dicẽdum, quod per illum Eccleſia polluatur. Suar. loco cit. §. quartò.

21. Quintus caſus eſt, ſi in Eccleſia ſepeliatur aliquis paganus, ſeu infidelis, ex cap. Eccleſiam 1. & 2. de conſecr. d. 1. & intelliguntur etiam pueri, qui ante baptiſmum moriuntur, quia ſaltem dicuntur infideles negatiuè; ſecùs autem eſſet, ſi puer eſſet in vtero materno, & mater eſſet fidelis, quia tunc poſſet ſepeliri mater cũ puero in vtero mortuo, & ſi non fuerit mortuus, debet mater aperiri, & puer baptizari; quod ſi ex negligentia, mater ſepeliatur cum puero viuo in vtero, erit polluta Eccleſia propter homicidium; ſecùs verò ſi antequam mater ſepeliatur, & extra Eccleſiam filius moriatur in vtero materno; tunc enim non polluitur Eccleſia. Et in his quinq; caſibus Eccleſia dicitur polluta; tam ſi fuerit conſecrata, quam ſi fuerit benedicta tantum, vt conſtat ex iuribus citatis, ſed nullo modo dicti caſus habent locum in oratorijs, & ſimilibus locis; quia iura loquuntur tantum de Eccleſijs, & ſub nomine Eccleſiæ non venit, niſi templum conſecratũ, vel benedictum.

22. Eſt tamen notandum; quod non dicitur violata Eccleſia, ſi aliquis ex his caſibus contingat fieri in lapide patente extra portam Eccleſiæ; quia quod patet extra ianuam, non dicitur Eccleſia; & conſequenter, actus in eo factus, cenſetur factus extra Eccleſiam; ſecùs autem ſi contingat in parte, quam claudunt ianuæ Eccleſiæ; & idem etiam dicitur de cæmeterijs, quando plura ſucceſiuè eſſent, habentia proprias ianuas; tunc ſi aliquis ex his caſibus accideret in porta alicuius cęmeterij; illud tantum erit pollutum, ex quo lapis, vel pars polluta patens eſt; ſi autem lapis, vel talis locus communis ſit vtriq; cæmeterio, & totus fuerit pollutus, ambo cæmeteria erunt polluta; ſi autem dimidia pars tantum erit polluta; illud tantum cæmeterium erit pollutum, ad quod pertinet talis pars polluta; vide Syluest. verb. cæmeterium, & Suar. diſp. 81. ſect. 4. §. quintò circa fin.

23. Sextus caſus, in quo violatur Eccleſia, eſt, quando parietes Eccleſiæ ita cõburũtur, & deſtruũtur vt integrè reedificari oporteat; tunc enim iterũ eſt conſecrãda: quia deſtructa re, perditur conſecratio; ſecùs autem erit si parietes paulatim decidant, & paulatim ſemper reficiantur, tunc maior pars attrahit ad ſe minorem, & ideò ſi pars, quæ reficitur non ſit maior illa ſuper quam, vel iuxta quam fit refectio; ſemper Eccleſia dicitur conſecrata; ſic etiam, ſi tectum Eccleſię cadat, refici poterit, & Eccleſia remanebit conſecrata; quia parietes per tectum non amiſerunt conſecrationem; cum in ipſis parietibus fiant linitio, & cruces. Ex cap. ligneis de conſecr. Eccl. & ex c. Eccleſijs de conſec. d. 1. Syluest. verb. conſecratio 2. quæſt. 4.

24. Sed quæritur vtrum adsit aliqua cenſura contra celebrantem in Eccleſia violata? & negatiuè reſpondetur quoad irregularitatem; ita Syluest. verb. conſecrat. 2. quæſt. 9. & eſt expreſsè declaratum in cap. is qui de ſententia excommun. in 6. & ibi ratio redditur, quia hoc non eſt expreſſum in lege; putat tamẽ dictus Doctor, celebrantem incurrere in ſuſpenſionem; & deinde in irregularitatem, si in dicta ſuſpenſione actus ordinis exerceat; & rationem ſumit ex cap. Epiſcoporum de priuilegijs in 6. ſed re vera ibi eſt tantum ſermo de celebrante in loco interdicto; At violatio Eccleſiæ non dicitur verè, & propriè interdictum; vt ex dicto cap. is qui, manifeſtè colligitur; igitur neq; eſt dicendum, quod talis Sacerdos incurrat ſuſpenſionem; neq; aliam cenſurã, cum nullo modo id in iure conſtet, vt Suar. loco cit. §. ſed quæret.

25. Quid autem faciendum ſit, ſi, dũ Sacerdos celebrat, Eccleſia violetur? Reſpondeo, ſi caſus accidat poſt inceptum Canonem, Miſſam proſequi, & perficere debet; ſi verò ante inceptum Canonem, debet Miſſam interrumpere, donec Eccleſia reconcilietur; & ſi Eccleſia fuerit tantum benedicta, poterit ſtatim eam reconciliare per aſperſionem aquæ benedictæ, & alias cęremonias, quæ habentur in cęremoniali Eccleſiaſtico: quod ſi illam reconciliare non poſſit, debet exui veſtibus Sacerdotalibus; & ſacrificiũ omittere;

Digitized by Google

cere; & hoc præcipuè accidit quando Eccleſia eſt conſecrata; tunc enim requiritur neceſſariò Epiſcopus proprius, vel alienus de eius licentia: ſimplici enim Sacerdoti id committi non poteſt, ſicut nec conſecratio; niſi commiſſio ſit à ſummo Pontifice; vt colligitur ex cap. aqua, & c. propoſuiſti de conſecr. Eccleſiæ, vel Altaris; vt notant omnes Doctores ſupracitati vide. Sot. d. 13. q. 2. art. 3. & 4. & Iacob. de Graff. lib. 2. cap. 47. nu. 10. ſequitur Filiuc. tr. 5. cap. 4. num. 118. Suar. diſp. 81. ſect. 4. in fine, Henriq. lib. 9. ca. 27. num. 6. Diana par. 2. tract. 15. miſcell. reſol. 6. licet nimis improbabiliter contrarium ſcilicet, poſſe Epiſcopum alteri concedere, vt poſſit Eccleſia conſecrata, ſed pollutam reconciliare, doceat Syluius in ſuis commentarijs in 3. p. D. Thom. q. 83. art. 3. ex Victoria, & Emmanuel Sà apud d. Dian. contra communem prax im, & doctrinam, & expreſsè contra proximè citata iura.

De Altari, & Vaſis, in quibus conficiendum eſt ſacrificium Miſſæ. Cap. XXXII.

1. *Altare duplex eſt, fixum, & portatile.*
2. *Ad ſacrificium Miſſæ aliquod altare neceſſarium eſt.*
3. *Altare fixum amittit conſecrationem per ſolam motionem, ſed portatile per fractionem.*
4. *Mortale eſt celebrare ſine altari, nec Epiſcopus poteſt diſpenſare.*
5. *Requiruntur ad altare duæ tobaleæ, corporale, palla, &c.*
6. *Requiruntur etiam duæ Candelæ, Miſſale, Crux, &c.*
7. *Veſtimenta, & præcipuè Corporale debet eſſe mundiſſimum ſub mortali.*
8. *Miſſa celebrari non poteſt abſque Calice, & Patena, ab Epiſcopo conſecrata.*
9. *Si quis vtatur vaſis, vel veſtibus nondum benedictis, nec conſecratis, non indigebunt alia conſecratione, vel benedictione.*
10. *Calix, & Patena quando deaurantur, indigent noua conſecratione.*
11. *Cuppa ſi ſeparetur à pede per fractionem, non erit amplius Calix conſecratus, ſecùs ſi ex artificio id accidat.*
12. *Pixis non eſt neceſſariò conſecranda, licet, ſit benedicenda.*
13. *Vaſa ſacra, templa, &c. ſunt digna veneratione, & debita adoratione.*
14. *Res ſacræ, & Eccleſiæ non poſſunt reuerti ad profanos vſus.*
15. *Res profanæ poſſunt conuerti ad ſacros vſus.*

1. IAm diximus de loco, qui quodammodo remotè requiritur ad ſacrificium Miſſæ, ſcilicet, templum; nũc ſequitur dicendum de loco pro ximiori, ſeu, quĩ proximè requiritur ad dictum ſacrificiũ; qui locus eſt altare, quod ſemper fuit neceſſarium ad ſacrificium; vt conſtat ex tẽpore Abrahæ, Iſach, &c. & ideò altare eſt antiquiùs templo, & tabernaculo; prouenit autem hæc vox ab ara, quod idem eſt, ac præcatio ſecundum græcos, qui præcationes, aras vocant; eo quod cum ſacrificio, coniungebantur præcationes; dicitur etiam Altare; ideſt alta Ara; quia locus ſacrificij debet altior eſſe, tum ob dignitatem, tum ob maiorem commoditatem, &c. Eſt autem duplex Altare, vnum fixũ, aliud portatile, fixum eſt, quando menſa, in qua fit ſacrificium, eſt integra, & ſuperedificata alijs lapidibus; portatile eſt illa parua lapis conſecrata, qua communiter vtuntur Eccleſiæ.

2. Vnde dicendum eſt, ad offerendũ Miſſæ ſacrificium, neceſſarium eſſe altare conſecratum, ſiue fixum, ſiue portatile ſit; conſtat tum ex vſu Eccleſiæ, tum etiam ex cap. Altaria de conſecr. diſt. 1. ideò Pater Auguſt. ſer. 255. de tempore, ait. *Conſecrationem altaris hodie celebramus, & iuſtè, ac meritò gaudentes celebramus feſtiuitatem, in qua benedictus, vel vnctus eſt lapis*; & Chryſoſt. homil. 20. in 2. ad Corinth. *Lapis quidem eſt natura, ſanctus autem fit, quoniam corpus accepit Chriſti*; debet etiam eſſe tantæ longitudinis, & latitudinis, vt ibi faciliter calix, & hoſtia, ſeu patena collocari poſſint; nec ſcrupuloſè in hoc agendum eſt, cum ſufficiat, vt maior pars ibi contineatur

tur

Digitized by Google

Argumentum à ſimili eſt inefficaciſſimũ & cum de tali caſu nõ fiat mentio in aliquo iure, non eſt dicẽdum, quod per illum Eccleſia polluatur. Suar. loco cit. §. quartò.

21. Quintus caſus eſt, ſi in Eccleſia ſepeliatur aliquis paganus, ſeu infidelis. ex cap. Eccleſiam 1. & 2. de conſecr. d. 1. & intelliguntur etiam pueri, qui ante baptiſmum moriuntur, quia ſaltem dicuntur infideles negatiuè; ſecùs autem eſſet, ſi puer eſſet in vtero materno, & mater eſſet fidelis, quia tunc poſſet ſepeliri mater cũ puero in vtero mortuo, & ſi non fuerit mortuus, debet mater aperiri, & puer baptizari; quod ſi ex negligentia, mater ſepeliatur cum puero viuo in vtero, erit polluta Eccleſia propter homicidium; ſecùs verò ſi antequam mater ſepeliatur, & extra Eccleſiam filius moriatur in vtero materno; tunc enim non polluitur Eccleſia. Et in his quinq; caſibus Eccleſia dicitur polluta; tam ſi fuerit conſecrata, quam ſi fuerit benedicta tantum, vt conſtat ex iuribus citatis, ſed nullo modo dicti caſus habent locum in oratorijs, & ſimilibus locis; quia iura loquuntur tantum de Eccleſijs, & ſub nomine Eccleſiæ non venit, niſi templum conſecratũ, vel benedictum.

22. Eſt tamen notandum; quod non dicitur violata Eccleſia, ſi aliquis ex his caſibus contingat fieri in lapide patente extra portam Eccleſiæ; quia quod patet extra ianuam, non dicitur Eccleſia; & conſequenter, actus in eo factus, cenſetur factus extra Eccleſiam; ſecùs autem ſi contingat in parte, quam claudunt ianuæ Eccleſiæ; & idem etiam dicitur de cæmeterijs, quando plura ſucceſiuè eſſent, habentia proprias ianuas; tunc ſi aliquis ex his caſibus accideret in porta alicuius cęmeterij; illud tantum erit pollutum, ex quo lapis, vel pars polluta patens eſt; ſi autem lapis, vel talis locus communis ſit vtriq; cæmeterio, & totus fuerit pollutus, ambo cæmeteria erunt polluta; ſi autem dimidia pars tantum erit polluta; illud tantum cæmeterium erit pollutum, ad quod pertinet talis pars polluta; vide Sylueſt. verb. cæmeterium, & Suar. diſp. 81. ſect. 4. §. quintò circa fin.

23. Sextus caſus, in quo violatur Eccleſia, eſt, quando parietes Eccleſiæ ita cõburũtur, & deſtruũtur vt integrè reedificari oporteat; tunc enim iterũ eſt conſecrãda: quia deſtructa re, perditur conſecratio; ſecùs autem erit si parietes paulatim decidant, & paulatim ſemper reficiantur, tunc maior pars attrahit ad ſe minorem, & ideò ſi pars, quæ reficitur non ſit maior illa ſuper quam, vel iuxta quam fit refectio; ſemper Eccleſia dicitur conſecrata; ſic etiam, ſi tectum Eccleſię cadat, refici poterit, & Eccleſia remanebit conſecrata; quia parietes per tectum non amiſerunt conſecrationem; cum in ipſis parietibus fiant linitio, & cruces. Ex cap. ligneis de conſecr. Eccl. & ex c. Eccleſijs de conſec. d. 1. Sylueſt. verb. conſecratio 2. quæſt. 4.

24. Sed quæritur vtrum adſit aliqua cenſura contra celebrantem in Eccleſia violata? & negatiuè reſpondetur quoad irregularitatem; ita Sylueſt. verb. conſecrat. 2. quæſt. 9. & eſt expreſsè declaratum in cap. is qui de ſententia excommun. in 6. & ibi ratio redditur, quia hoc non eſt expreſſum in lege; putat tamẽ dictus Doctor, celebrantem incurrere in ſuſpenſionem; & deinde in irregularitatem, ſi in dicta ſuſpenſione actus ordinis exerceat; & rationem ſumit ex cap. Epiſcoporum de priuilegijs in 6. ſed re vera ibi eſt tantum ſermo de celebrante in loco interdicto; At violatio Eccleſiæ non dicitur verè, & propriè interdictum; vt ex dicto cap. is qui, manifeſtè colligitur; igitur neq; eſt dicendum, quod talis Sacerdos incurrat ſuſpenſionem; neq; aliam cenſurã, cum nullo modo id in iure conſtet, vt Suar. loco cit. §. ſed quęret.

25. Quid autem faciendum ſit, ſi, dũ Sacerdos celebrat, Eccleſia violetur? Reſpondeo, ſi caſus accidat poſt inceptum Canonem, Miſſam proſequi, & perficere debet; ſi verò ante inceptum Canonem, debet Miſſam interrumpere, donec Eccleſia reconcilietur; & ſi Eccleſia fuerit tantum benedicta, poterit ſtatim eam reconciliare per aſperſionem aquæ benedictæ, & alias cęremonias, quæ habentur in cęremoniali Eccleſiaſtico: quod ſi illam reconciliare non poſſit, debet exui veſtibus Sacerdotalibus; & ſacrificiũ omittere;

tere;

Digitized by Google

tere; & hoc præcipuè accidit quando Eccleſia eſt conſecrata; tunc enim requiritur neceſſariò Epiſcopus proprius, vel alienus de eius licentia: ſimplici enim Sacerdoti id committi non poteſt, ſicut nec conſecratio; niſi commiſſio ſit à ſummo Pontifice; vt colligitur ex cap. aqua, & c. propoſuiſti de conſecr. Eccleſiæ, vel Altaris; vt notant omnes Doctores ſupracitati vide. Sot. d. 13. q. 2. art. 3. & 4. & Iacob. de Graff. lib. 2. cap. 47. nu. 10. ſequitur Filiuc. tr. 5. cap. 4. num. 118. Suar. diſp. 81. ſect. 4. in fine, Henriq. lib. 9. ca. 27. num. 6. Diana par. 2. tract. 15. miſcell. reſol. 6. licet nimis improbabiliter contrarium ſcilicet, poſſe Epiſcopum alteri concedere, vt poſſit Eccleſia conſecrata, ſed pollutam reconciliare, doceat Syluius in ſuis commentarijs in 3. p. D. Thom. q. 83. art. 3. ex Victoria, & Emmanuel Sà apud d. Dian. contra communem prax im, & doctrinam, & expreſsè contra proximè citata iura.

De Altari, & Vaſis, in quibus conficiendum eſt ſacrificium Miſſæ. Cap. XXXII.

1. *Altare duplex eſt, fixum, & portatile.*
2. *Ad ſacrificium Miſſæ aliquod altare neceſſarium eſt.*
3. *Altare fixum amittit conſecrationem per ſolam motionem; ſed portatile per fractionem.*
4. *Mortale eſt celebrare ſine altari, nec Epiſcopus poteſt diſpenſare.*
5. *Requiruntur ad altare duæ tobaleæ, corporale, palla, &c.*
6. *Requiruntur etiam duæ Candelæ, Miſſale, Crux, &c.*
7. *Veſtimenta, & præcipuè Corporale debet eſſe mundiſſimum ſub mortali.*
8. *Miſſa celebrari non poteſt abſque Calice, & Patena, ab Epiſcopo conſecrata.*
9. *Si quis vtatur vaſis, vel veſtibus nondum benedictis, nec conſecratis, non indigebunt alia conſecratione, vel benedictione.*
10. *Calix, & Patena quando deaurantur, indigent noua conſecratione.*
11. *Cuppa ſi ſeparetur à pede per fractionem, non erit amplius Calix conſecratus, ſecùs ſi ex artificio id accidat.*
12. *Pixis non eſt neceſſariò conſecranda, licet, ſit benedicenda.*
13. *Vaſa ſacra, templa, &c. ſunt digna veneratione, & debita adoratione.*
14. *Res ſacra, & Eccleſia non poſſunt reuerti ad profanos vſus.*
15. *Res profanæ poſſunt conuerti ad ſacros vſus.*

1. IAm diximus de loco, qui quodammodo remotè requiritur ad ſacrificium Miſſæ, ſcilicet, templum; nūc ſequitur dicendum de loco pro ximiori, ſeu, quī prox imè requiritur ad dictum ſacrificiū; qui locus eſt altare, quod ſemper fuit neceſſarium ad ſacrificium; vt conſtat ex tēpore Abrahæ, Iſach, &c. & ideò altare eſt antiquiùs templo, & tabernaculo; prouenit autem hæc vox ab ara, quod idem eſt, ac præcatio ſecundum græcos, qui præcationes, aras vocant; eo quod cum ſacrificio, coniungebantur præcationes; dicitur etiam Altare; ideſt alta Ara; quia locus ſacrificij debet altior eſſe, tum ob dignitatem, tum ob maiorem commoditatem, &c. Eſt autem duplex Altare, vnum fixū, aliud portatile, fixum eſt, quando menſa, in qua fit ſacrificium, eſt integra, & ſuperedificata alijs lapidibus; portatile eſt illa parua lapis conſecrata, qua communiter vtuntur Eccleſiæ.

2. Vnde dicendum eſt, ad offerendū Miſſæ ſacrificium, neceſſarium eſſe altare conſecratum, ſiue fixum, ſiue portatile ſit; conſtat tum ex vſu Eccleſiæ, tum etiam ex cap. Altaria de conſecr. diſt. 1. ideò Pater Auguſt. ſer. 255. de tempore, ait. *Conſecrationem altaris hodie celebramus, & iuſtè, ac meritò gaudentes celebramus feſtiuitatem, in qua benedictus, vel vnctus eſt lapis*; & Chryſoſt. homil. 20. in 2. ad Corinth. *Lapis quidem eſt natura, ſancta autem fit, quoniam corpus accepit Chriſti*; debet etiam eſſe tantæ longitudinis, & latitudinis, vt ibi faciliter calix, & hoſtia, ſeu patena collocari poſſint; nec ſcrupuloſè in hoc agendum eſt, cum ſufficiat, vt maior pars ibi contineatur

tur

tur abſq; vllo periculo cadēdi. Suar. diſp. 81. ſect. 5. concluſ. 2. Filiuc. tract. 5. cap. 4. num. 121. Nauarr. cap. 25. num. 83. & alij communiter.

3. Forma autem Altaris phyſica, nullam figuram certam habet ex aliquo iure; debet tamen fieri figuræ quadrangularis, tum propter vſum Eccleſiæ, tum etiam, quia aptior redditur ad vſum; debet etiā altare habere aliam formam, quodammodo ſpiritualem, nempe conſecrationem faciendam per Epiſcopum, cum nullus alius poſſit id agere, vt conſtat ex cap. nullus presbyter de conſecr. d. 1. Pontifex tamen poſſet id presbyteris committere, vt in actu eſt conceſſum presbyteris ſocietatis Ieſu pro locis remotiſſimis infidelium, in quibus non adſunt Epiſcopi Catholici ex Bulla Pauli III. Anno 1549. perditur autem talis conſecratio per notabilē fractionem; ſcilicet, ſi ita rumpatur, vt in neutra parte cōmodè collocari poſſit calix, & hoſtia; quod intellige de altari portatili. Quoad altare fixum; Videndum eſt, an fuerit priùs conſecratum, & poſtea ſuperpoſitū ſtructuræ, vel antea ſuperpoſitū, & poſtea tanquā verè altare fixū conſecratū. Si primo modo, id, quod dictū eſt de altari portatili, dicitur etiam de fixo, quia fuit conſecratum ad modum altaris portatilis; at ſi ſecundo modo, fuit conſecratum; tunc ius præcipit; vt amittat conſecrationem non ſolum per fractionem; ſed per quamlibet motionem, vel ſeparationem à propria ſtructura. Ex cap. ſi motum de conſecr. diſt. 1. vbi dicitur; *Si motum fuerit altare, denuò conſecretur Eccleſia*, ſcilicet, quoad altare, vt omnes interpretantur; & in cap. quod in dubijs. 1. & cap. Ligneis de conſecratione Eccleſiæ, vel altaris ſic habetur. *Si altare motum, vel confractum fuerit, iterum eſſe conſecrandum*. In quibus capitibus agitur de altari fixo. Sed vtrum de eſſentia dictæ conſecrationis ſint neceſſariæ reliquiæ imponendæ in dicto altari, vt in cap. placuit uidetur præceptum de conſecr. diſt. 1. ex Concil. Carth. 5. cap. 14. & alibi? Reſpondetur negatiuè, & fortè nunquam tale præceptum fuit eſſentiale dictæ conſecrationi; & dato, quod fuerit, fuit aboletum per contrariam conſuetudinē eo quod ceſſauerit cauſa talis præcepti, quæ erat ad reſiſtendum contra hæreticos negantes uenerationem martyrū, & Sanctorum: Suar. diſp. 81. ſect. 5. §. tertiò additur circa finē, Filiuc. tract. 5. cap. 4. nu. 121. & 122. Sylueſt. uerb. altare §. 19. Tabien. §. 5. & alij.

4. Eſt tamen primò notandum, celebrare abſq; altari conſecrato, mortale eſſe, ut conſtat ex iuribus citatis; & ex cōmuni Doctorum opinione; nec in hoc poteſt Epiſcopus diſpenſare; & licet, Pontifex poſsit, cum hoc ſit præceptum Eccleſiaſticum, tamen nunquam legitur diſpēſaſſe; & uix poteſt dari cauſa diſpenſandi; ſecundò notandum eſt, ſi in Eccleſia adſit altare fixum; & Eccleſia deſtruatur, ita ut amittat conſecrationem, uel benedictionem, tunc ſi iterum edificetur Eccleſia, dictum altare non indigebit alia conſecratione, niſi eſſet amotum à propria ſtructura, ut diximus, quia conſecrationem non amiſit; & licet, in eo, Eccleſia diruta, non poterat ſacrificari, hoc eſt per accidens, quatenus requiritur etiam templum, ſeu Eccleſia.

5. Quomodo autem Altare ornari debeat? Reſpondeo, ex vi tantum præcepti poſitiui, eſſe neceſſarias duas tobaleas, ſeù mappas, vel vnam plicatam; licet, iuxta vſum Eccleſiarum, quæ diligentiùs res diuinas tractāt; præter mappam; quam ſemper in omni altari tenēt; duabus alijs vtantur: Syluеſ. ver. miſſa 1. q. 1. ſumitur hoc præceptum ex Concil. Rhemenſi, vbi hæc verba habentur. *Altaria, in quibus corpus dominicum conſecratur, ſanguiſque eius hauritur, cui omni veneratione honoranda ſunt; & mundiſſimis linteis, ac pallis cooperienda*: Et in Concil. Tolet. 111. in cap. quicunq; 26. q. 5. grauiter præcipitur. *Ne vllus miniſtrorum Eccleſiæ altare diuinū veſtibus ſacris exuere præſumat*. Sed hæ tobaleæ, non requiritur, vt ſint benedictæ, in caſu verò neceſſitatis non videtur mortale cum vna tobalea celebrare. Deinde requiritur corporale ab Epiſcopo conſecratum, ſeù benedictum; & quia talis benedictio fit abſque Chriſmatis vnctione, ideò poteſt alijs Sacerdotibus comitti, & ex priuilegio id poſſunt agere ſuperiores mendicantium, re-

qui-

Digitized by Google

quiritur etiam palla eodem modo benedicta, ac corporale, quia olim corporale erat ità oblõgum, vt eodem corporali tegeretur calix; ad præſens autem, ob commodiorem vſum vtimur palla loco dictæ partis corporalis; & ambo debent eſſe ex puro lino ſaltem ſecundum interiorem partẽ in qua calix, & hoſtia collocatur; & omnia iam dicta, ſunt ſub præcepto peccati mortalis obſeruanda in celebratione miſſæ, vt communiter omnes aſſerunt.

6. Requiritur etiam lumen, ideſt lucerna ardẽs ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine ad honorem Chriſti Domini, & ad ſignificandam eius realem præſentiam in ſacramẽto; & quamuis in principio Eccleſiæ in miſſa accendebatur, vel lucerna ex oleo, vel cereolus, ad præſens autem non licet, niſi cereolis vti, & licet, vnus tãtum ſit neceſſarius, duo tamen adhibendi ſunt iuxta communem vſum Eccleſiæ, & ſi aliquis celebraret miſſam cum lucerna ex oleo ex eo, quod cereos habere non poſſet, non eſſet damnãdus de culpa mortali, ſecluſo contemptu, & ſcandalo; & pręſertim ſi miſſam celebret non ex ſimplici deuotione: ſed ex neceſſitate; vide Suar. diſp. 81. ſect. 6. Filiucc. tract. 5. cap. 4. num. 126. Syluеſ. Dianam p. 2. de celebr. miſſar. reſol. 67. & 45. & alios. Eſt etiam neceſſarium iuxta communem opinionem. Miſſale, de quo, licet, nullum adſit ſpeciale ius id præcipiens, conſuetudo tamen Eccleſiæ ità ſe habet, & nullus ſub mortali poteſt abſque Miſſali, in quo ſaltem ſit totus canon. celebrare, ſaltem ob periculum ad quod ſe exponit in re tanti momenti; Syluеſ. ver. miſſa 1. Nauarr. cap. 25. num. 84. & 85. Filiucc. nu. 127. Suar. loc. cit. & alij. An autem in aliquo caſu neceſſitatis Sacerdos confidens de ſua memoria poſſet abſque miſſali celebrare? Affirmat Filiucc. loc. cit. ſed Suar. id non audet dicere ob contrariam, & communem opinionem; Layman. verò affirmat lib. 4. tr. 5. cap. 6. nu. 17. Villalob. Ledeſm. & alij quos ſequitur Dian. reſol. 46. Eſt etiam in altari neceſſaria Crux ex regulis, & ceremonijs Miſſalis; non autem ex præcepto, vt Suar. & Filiucc. loc. citatis.

7. Eſt autem notandum, in omnibus ornamẽtis Eccleſiæ, ſeruandam eſſe munditiam, quia ſicut hæc ornamenta fiunt ob reuerentiam tanti ſacrificij, ex altera parte, non debet immunditia irreuerentiam gignere; & præcipue corporale debet eſſe mundiſſimum, cum tangat corpus Chriſti. Vnde, ſi nimis immundum eſſet, non excuſaretur Sacerdos à mortali, & ſimiliter ille, qui horum curam habet; nec Sacerdos ob iniuriam cuſtodis debet immundis ornamentis celebrare, quia aliter concurreret in actione mala. Syluеſt. verb. Miſſa. 1. q. 1. Caiet. Miſſæ celebratio, quos ſequitur Filiuc. tract. 5. cap. 4. num. 128. & ita communiter omnes, idem docet Bonac. diſp. 4. q. vlt. p. 10. num. 24.

8. Deinde quoad vaſa. Dico, miſſam celebrari non poſſe abſque calice, & patena, vt conſtat ex Conc. Triburienſi c. 18. & habetur in cap. Vaſa de conſecr. diſt. 2. & licet, horum vaſorum materia, olim fuerit lignea, & poſtea mutauerit in vitream Zepherinus Papa; tamen poſtea dicta vaſa, Vrbanus Papa fecit ex argento, vt refertur in dicto cap. Vaſa; & licet in Concilio Rhem. cap. vt calix. Poſt quam præceptum ſit. *Vt calix Domini cum patena, ſi non ex auro omninò, ex argento fiat*; addatur. *Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem, vel ſtanneum calicem habeat*. Hoc tamen nullo modo fieri poteſt abſque peccato; niſi ratione paupertatis: vt ait D. Thom. quæſt. 83. art. 6. & in dicto capite, prohibetur es, & aurichalcum propter eruginem, quæ ad vomitum prouocat, ſic etiam vitrum propter fragilitatem, & lignum, quia in eo ſemper percipitur aliqua pars ſanguinis ob poroſitatem, & quamuis ibi fiat mentio de calice, tamen extenditur etiam ad patenam; de quibus vaſis loquens P. Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium cap. 29. & in Pſalm. 113. ſic ait. *Sed, & nos pleraque inſtrumenta, & vaſa ex auro, & argento habemus in vſum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata. Sancta dicuntur.* Vnde non poſſunt eſſe ex materia lapidea, vt probat D. Thom. q. 81. art. 3. neq; ferrea; ex rationibus allatis; ſufficiet tamen, vt tantum cuppa calicis ſit argentea, & pes poteſt eſſe ex auricalco, vel alia materia. Quoad figuram phyſicam horum vaſorum; dico eſſe

eſſe ſeruandam conſuetudinem Eccleſiæ; & quoad figuram quodammodo ſpiritualem: debent eſſe conſecrata ab Epiſcopo vt habetur in cap. vnico de ſacra vnctione c.vlt. & ideò Sixtus Papa Epiſt.2. prohibet vaſa ſacra tangi à laicis; & in cap. vltimo de celebr.miſſarum deponitur Sacerdos, qui ſine ſacro calice conſecrauit: dixi ab Epiſcopo, quia conſecrantur vnctione chriſmatis, quæ tantum pertinet ad Epiſcopum, nec poteſt alijs id committi, niſi à Pontifice, vt fuit conceſſum ſacerdotibus Societatis Ieſu in locis remotiſſimis à Paulo III. ut ſupra diximus etiam de altari: Abbates etiam id agere poſſunt iuxta eorum priuilegia, & conſuetudinem receptam. Vide Suar.diſp.81.ſect.7. Bonac.diſp.4.q.ult.pun.10. num.17. Filiucc. tr.5.cap.4. nu.130. D.Thom. in 4.diſt.24. q.3.art.1.quæſtiunc.2.ad 2. Sot. eadem d. q.2.art.4.Sylu.& alios Summiſtas uer. calix, & uer.benedictio. Dubium etiam eſt, an poſsit Sacerdos conſecrare in hoſtia parua, ſeu particula? & negatiuè reſpódetur, niſi aliqua adſit neceſsitas, uel iuſta cauſa ut Dian. 6. part. tract.7. miſcell. reſol.17.

9. Vtrum autem, ſi Sacerdos bona fide, ex errore celebraret in uaſis non conſecratis, uel ueſtibus nondum benedictis, eſſent poſtea conſecranda dicta uaſa, & dictę ueſtes benedicendę? Negatiuè reſpondet Suar. quoad uaſa diſp. 81. ſect.7. §. Alia autem, & ſic etiam reſpondet Fagundez tr.1.lib.3.c.21. num.15. Attamen contrarium etiam probabile eſt, & ſumitur ex verbis P.Auguſtini in antecedenti num.allatis, nam per talem vſum, & vaſa remanent conſecrata, & veſtes remanent benedictæ: ita Caſtrus lib.2.de legi penul. cap.vlt. Auila de cenſur.par.5.diſp.7.dub. 3.cõcluſ.1.Emanuel Sà ver. Eccleſia: quos ſequitur Diana p.2.tr.14.reſ.69.dixi bona fide, ad excludendum etiam peccatum.

10. Eſt etiam notandum, Calicem, & patenam, ſi ob vſum amittat deauratione in ſuperficie, & iterum deaurentur, ſunt etiam iterum conſecrandi; quia licet, totus calix fuerit conſecratus in prima cõſecratione; tamen quia illa materia, quæ ſuperadditur non eſt conſecrata, ideò dicta uaſa indigent noua conſecratione, & maximè quia illa pars deaurata tangit ſanguinem, & corpus Chriſti.

11. Deinde ſi cuppa ſeparetur à pede per fractionem, calix amittit conſecrationem; at ſi ſeparetur, quia calix tornatilis eſt, non amittit conſecrationem; Filiucc. tr.5.cap.4. num.132. Suar.diſp.81.ſect.7. §.rurſus, Bonac.diſp.4.q.ult.pun.10.nu.20. Azor.1.p.lib.10.cap.28.q.7.Reginald.lib. 29.nu.200.& alij, & notandum, quod tunc tantũ uaſa ſacra, & ueſtes benedictæ amittunt conſecrationem, uel benedictionem, quando amittunt propriam formam; nec ſunt audiendi aliqui dicẽtes amitti etiam per tres ictus à fabro inflictos, quod quidem gratis, & abſque ullo fundamento aſſeritur, ut ait idem Bonacina num.19. in fine.

12. Vtrum autem pyxis in qua aſſeruantur particulæ conſecratæ, neceſſariò, & ex pręcepto benedici, uel conſecrari debeat? Reſpódeo, conſecrationem certum eſt, non eſſe neceſſariam, ut conſtat ex Miſſali, in quo ponitur tantum benedictio pro pyxide; quoad benedictionem, nullum adeſt fundamentum certũ, eſſe neceſſariam ex præcepto, nec obſtat, quod in Miſſali ponatur benedictio ad hunc finem: quia etiam ibi ponuntur benedictiones mapparum, ſeu tobalearum; benedictiones uaſorum reliquiarum, &c. quæ tamen non ſemper benedicuntur, nec ſunt omninò neceſſariæ: attamen quoad pyxidem, ſecuriùs dicẽdum eſt, eſſe neceſſariam benedictionem, cum ſit res maioris momenti; & maximè, quia S.Thom.q.82.ar.3.ait; hoc ſacramentum à nulla re, niſi conſecrata tangi debere; & ad hunc finem (inquit) corporale, Calix, & manus Sacerdotis conſecrantur; licet, corporale benedicatur tantum, ut iam diximus, & quod dicitur de pyxide, dicitur etiam de fiſtula, qua Pontifex ſanguinem attrahit. Filiucc.tr.5.cap. 4. num. 133. Suar. diſp.81.ſect.7. prope finem; Azor.1.p.lib.10. cap.27.q.7. Bonac. diſp.4.q.ult.p.10.nu.23.& alij.

13. Ex quibus colligitur, non ſolum templa, ſed etiam uaſa ſacra, magna ueneratione digna eſſe, imò, & conuenienti adoratione; ut fusè probat Suar. diſp. 81.

ſect.

ſect.8. quod ſumitur ex concilijs, & patribus. Nam D. Hieronymus epiſt. 18. ad Marcellum ait. *Venerabantur Iudæi, ſancta ſanctorum, quia ibi erat Cherubim, & propitiatorium, & arca teſtamenti, ergo multo magis nos venerabimur templa noſtra, in quibus Chriſtus Dominus præſens adeſt:* Et S. Epiph. nomine totius Concilij Act.6. tom. 5. ſic ait. *Quæcunque Deo offeruntur, aut conſecrantur, ſiue diuina fuerit veneranda crucis figura, ſiue ſacer Euangelij codex, ſiue veneranda imagines, ſiue ſacra vaſa ea complectimur, & veneramur, vt qui ſpem habeamus ſanctificationis ab ipſis reddendæ, & ob id illis adorationem honorificam exhibemus.* Et infra afferuntur verba Gregorij Nazianzeni, ſcilicet. *Præſepe adora: nam quæ Deo oblata ſunt, eius participatione, & contractatione ſancta ſunt:* Vnde meritò olim prohibitum erat non ſolum fœminis: ſed etiam laicis altaria ingredi; vt habetur in Concil. Aquis gran. 1. ca.82. & fuit confirmatum in Concil. Laodic. can. 45. & in can. 19. dicitur. *Solis miniſtris Altaris licere ad altare ingredi, & ibidem communicare.* Eſt etiam prohibitum laicis, & maximè fœminis tangere altaria, vaſa ſacra, corporalia pallas, ac etiam veſtes, ſeu ornamenta benedicta; licet, quoad dicta ornamenta, ex contrario vſu, videatur permiſſum; imò in c. Sacratas. diſt.23. prohibentur ſacræ fœminę vel monachæ tangere vaſa ſacra, & ſacras pallas: Et in Concil. Brach. 1. cap.27. vt habetur in cap. non liceat, id tantum conceditur ſubdiacono; & idem dicitur in Concil. Agathen. cap.66. & habetur in ca. Non oportet 2. nempe, id prohiberi miniſtris inſacratis; ideſt, non ſacratis: Ad munditiam autem ſeruandã fœminæ poſt primam lotionem, poſſunt corporalia, pallas, & purificatoria lauare, & reficere: vt tenet Caiet. ver. Mulierum peccata; lotiones autem, ſaltem primæ, debent in piſcinam ſacram mitti; vt Sylu. ver. corporalia, qu. 4. & optimum erit id ſeruari in omnibus alijs lotionibus, nempe ſecunda, & tertia: Dictus autem tactus rerum ſacratarum, ſaltem eſt veniale ſecluſo contemptu; At ſi tangatur calix, vel aliud vas continens corpus, vel ſanguinem Chriſti, erit mortale iuxta Suar. diſp.81. ſect.8. Filiucc. tract.5. cap.4. num.135. Bonac. diſp. 4. q. vlt. pun. 10. num.21. in fin.

14. Item nec poſſunt dictæ res reuerti ad profanos vſus, ita vt ſi quis vteretur calice ad bibendum, vel corporali tanquã linteo, & ſimiliter veſtibus, Sacerdotalibus, graue peccatum mortale committeret: vt colligitur ex iuribus citatis: & confirmatur ex cap. quę ſemel. 18. q.3. vbi prohibentur fieri habitacula ſecularia ea, quę priùs monaſterio dedicata fuerunt; & idẽ dicitur in cap. Xenodochijs, de Religioſis domibus, ſi igitur dictæ res fuerint ita attritæ, vt vſui non ſint aptæ, debent comburi, & in piſcinam ſacram cineres immitti; quod intellige etiam ſi amiſerint cõſecrationem, vel benedictionem, vt notat D. Thom. q.83. art.3. ad 3. Paludan. & alij in 4. diſt.13. & ſumitur ex cap. Ligna de conſecr. diſt. 1. vbi pręcipitur ne ligna Eccleſiæ dirutæ ad aliud opus ſumantur, niſi ad aliam Eccleſiam, vel ad monaſterium fratrum; & iuxta Gloſſ. non debent aſſumi pro coquina monaſterij, vel alio loco vili, ſed pro dormitorio, vel capitolo, aut ſimili loco decenti. Et in ca. Altaris ita habetur. *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incennio dentur, quia non licet ea, quæ in ſacrario fuerint, malè tractari; cineres quoque eorum in baptiſterium inferantur.* Ex quibus verbis colliguntur omnia, quę iam dicta ſunt. Vaſa autem argentea in caſibus, quibus vendi poſſunt, ſi transmutentur igne, & ferro, poſſunt in alios vſus conuerti. Filincc. tr.5. c.4. in fine, & Suar. diſp.81. ſect.8. §. vltimò pertinet.

15. Sed quæritur è contra, an ea, quę deſeruierũt profanis vſibus, adaptari poſſint pro ſacris vsibus? Et ſunt, qui exiſtimant id eſſe prohibitum; & ad hunc finem fuiſſe conceſſum fratribus minoribus à Sixto IIII. priuilegium, vt ſecura conſcientia poſſint uti ueſtibus, & paramentis profanis in uſus Eccleſiaſticos; Attamen tali priuilegio ſecluſo, dicendum eſt id licitum eſſe, quia nullibi conſtat talis prohibitio: Vnde uel dictæ res iam ſunt aptæ ad dictos uſus Eccleſiaſticos, iuxta earum figuram; & artificialem formam, & sic non ſunt reficiendæ; uel non ſunt aptæ, & sic

Digitized by Google

refici poſſunt, ut aptæ fiant; & quamuis uideatur in eis eſſe aliqua nota, tamen per applicationem ad cultum diuinum, purgantur. Patet ex Papa Marcello, qui domum Lucinæ conſecrauit; & Vrbanus idem fecit de domo Ceciliæ, ſic etiam Bonifacius IIII. *Pantheon* templum Idolorum in honorem omnium Sanctorum conſecrauit, quod ad præſens in Vrbe uocatur *Rotunda*, & idem conſtat ex mille alijs rebus Deo dicatis.

De veſtibus ſacris, & Ritu celebrandi miſſam. Cap. XXXIII.

1 *In ſacrificio miſſæ neceſſariæ ſunt veſtes ſacræ.*
2 *Sex ſunt veſtes neceſſariæ ad ſacrificium miſſe, & habent in ſe diuina miſteria.*
3 *Veſtes ſacræ quatenus referuntur ad Chriſtum, alias ſignificationes habent.*
4 *Veſtium ſacrarum materia, forma, & color, ſunt ſumendi ab vſu Eccleſiæ.*
5 *Celebrare ſine veſtibus ſacris, mortale eſt, niſi ex neceſſitate aliqua ex minimis deficeret.*
6 *Non licet celebrare nudis pedibus, nec operto capite.*
7 *Miſſa poteſt celebrari ante recitationem matutini abſque peccato mortali.*
8 *Quæ dicuntur in miſſa, potuit Eccleſia illa ſtatuere, & eſt de fide.*
9 *Sacerdos ſub mortali tenetur obſeruare ritum miſſalis.*
10 *Non eſt mortale, miſſam votiuam celebrare in diebus feſtiuis.*
11 *Omittere Gloria, vel Credo; aut aliquam orationem, non eſt mortale.*
12 *Sacerdos nullo modo poteſt aliquid addere in miſſa, præter præſcripta in miſſali.*
13 *Sacerdos ex præcepto non poteſt mutilare, vel addere cæremonias in miſſa, ſed tenetur obſeruare miſſale.*
14 *Sacerdos tenetur ſupplere defectus eſſentiales in miſſa occurrentes prout in miſſali habetur.*
15 *Sacerdos poteſt conſecrare particulas, etiam ſi non fuerint per ipſum oblatæ cũ hoſtia.*

1. PRæter iam dicta, ſunt etiam neceſſariæ ad ſacrificium miſſæ, veſtes ſacerdotales ex præcepto Eccleſiæ contra hæreticos, & præcipuè contra Luteranos reijcientes omninò talem vſum veſtimentorum, eo quod Chriſtus conſecrauerit communibus veſtibus; & putant omnia eſſe ſuperſtitioſa, aſſerentes nec Deum, nec Chriſtum eſſe honorandum, niſi eo modo, quo inſtituit, vel præcepit. Contra hanc igitur inſanam doctrinam, dicamus, Eccleſiã congruiſſimè, ordinaſſe, & præcepiſſe; vt Sacerdotes in ſacrificio miſſæ peculiaribus veſtibus vterentur; qui vſus fuit etiam ferè tempore Apoſtolorum, vt ſumitur ex Epiſtol. 1. decretali, ubi Anacletus Papa tertius, uel quintus poſt Petrum, ait. *Epiſcopus miniſtros ſecum habeat ſacris indutos veſtimentis*; Et in cap. Veſtimenta de conſecr. d. 1. ex Stephano 1. ſic habetur. *Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus domino miniſtratur, cultuſque diuinus omni cum honorificentia, & honeſtate à Sacerdotibus, reliquiſque Eccleſiæ miniſtris celebratur, & ſacra debent eſſe, & honeſta, quibus alijs vſibus cum Deo, eiuſque ſeruitio conſecrata, & dedicata ſint, nemo debet frui, quam in Eccleſiaſticis, & Deo, dignis officijs, quæ neque ab alijs debent contingi, niſi à ſacratis hominibus*. Et multa præclara ſcribunt de his veſtibus communiter Patres.

2. Sex autem ſunt veſtes, quibus vti debent Sacerdotes in ſacrificio Miſſę, ſcilicet, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Caſula, ſeu planeta; vt habetur in Concil. Rhem. cap. 4. Amictus ſignificat fiduciam, & ſpem, quam debet habere Sacerdos, dum accedit ad offerendum tantum ſacrificium; vnde orando dicit. *Impone Domine capiti meo galeam ſalutis*, ſcilicet, ſpem, vt ex Paul. 1. Theſ. 5. *Induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpei ſalutis*. Alba ſignificat munditiam cordis, & totam hominis iuſtitiam, ideo dicit Sacerdos. *Dealba me Domine, & munda cor meũ.* Cingulum indicat caſtitatem, & continentiam carnis; vnde Sacerdos ait. *Præcinge me Domine, cingulo puritatis:* Manipulus ſimiliter indicat cordis compunctionem, & veram pœnitentiam, qua Sacerdos debet ad altare accedere: ideò dicit. *Merear Domine portare manipulum fletus, & doloris.*

loris. Et de S. Arſenio legitur, ob affluentiam lachrymarum, ſemper ad manum habuiſſe ſudarium, quo fletum tergeret; vt Beda in Martyrilogio decimo quarto calendas Auguſti. Stola ſignificat iugum Chriſti, per quod homo reſtituitur in ſtatum, à quo receſſerat per peccatum Adæ, & ideò orat, dicendo. *Redde mihi Domine ſtolam immortalitatis, quam perdidi in præuaricatione primi parentis*: Et Epiſcopus in ordinatione, ait *Accipe iugum Domini*. Vocatur etiam ſtola ab antiquis patribus, & Concilijs, Oratorium, vt patet ex Concil. Brach. 1. can. 27. vbi Diaconis præcipitur, deferre orarium ſuper ſcapulas; & in Concil. Toletan. IIII. cap. 39. dicitur. *Vnum orarium oportet Leuitam geſtare ſiniſtro humero, propter quod orat, ideſt prædicat, dexteram autem partem oportet habere liberam, vt expeditus ad miniſteriũ ſacerdotale diſcurrat*. Pro Sacerdotibus autem dicitur in Concil. Brach. 3. can. 3. *Sacerdotem vtroque latere Orario ambiri, vt qui imperturbatus præcipitur conſiſtere inter proſpera, & aduerſa, virtutum ſemper ornamento vtrobiq; circumſeptus appareat*. Quod intelligitur non ſolũ in Miſſa; ſed etiam, quando Sacerdos eſt ſumpturus ſanctiſſimum Sacramẽtum extra Miſsã, & ideò additur in dicto Concilio. Vt ſacrificium oblaturus, vel ſacramentum corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat, quam orario vtroq; humero circumſeptus, ita vt de vno, eodemq; orario, ceruicem pariter, & vtrumq; humerum præmens, ſignum in ſuo pectore præparat Crucis. Subdiaconi autem omninò prohibentur portare orarium, vt habetur in ca. Non oportet 23. diſt. ex Concil. Laodicen. cap. 22. & 23. Caſula, ſeu planeta ſignificat charitatem iuxta communem expoſitionem, vt Ruper. lib. 1. de diuinis officijs ca. 22. ſignificat etiam iugum Domini, vt ſumitur ex verbis, quæ profert Sacerdos dum illa induitur. *Domine, qui dixiſti iugum meum ſuaue eſt*, &c. Sed fortè hoc ſignificat iugum amoris, & ſtola iugũ crucis Chriſti, Planeta iugũ amoris, & ſuauitatis, ſtola iugũ patientię, & fortitudinis.

3. Quatenus autem hæ veſtes referũtur ad Chriſtum; Amictus ſignificat linteum, quo facies Chriſti Domini fuit velata à Iudeis dicentibus. *Profetiza quis eſt, qui te percuſſit*. Alba ſignificat ſplẽdorem diuinitatis iuxta. D. German. in Theor. rer. Eccleſiaſt. vel gloriam reſurrectionis iuxta Stephanum Heduenſ. lib. de Sacram. altar. cap. 10. vel veſtem albam, qua Herodes Chriſtum illuſit, vt Durand. in rationali lib. 5. cap. 3. & Gabr. lect. 2. in can. Cingulum ſignificat decorem, & fortitudinem, qua Chriſtus ſe præcinxit: iuxta German. cit. vel funes, qua Chriſtus in horto ligatus fuit, vel etiam flagella ipſius Chriſti. Manipulus ſignificat humanitatem Chriſti, vel pugnam eius pro iuſtitia, vt Bonau. in expoſit. myſteriorum Miſſæ. Stola ſignificat obedientiam, qua Chriſtus mortem ſubijt. Vt Ruper. ſupr. vel iuxta Bonauen. ſignificat paſſionem, quam Sacerdos debet ſemper in pectore ferre. Caſula ſignificat veſtem purpureã, qua Chriſtus ob irriſionem militum indutus fuit; iuxta German. vel ſignificat tunicam inconſutilem, qua Chriſtus exutus fuit; vide Durand. lib. 2. de ritib. Eccleſ. cap. 9. qui fusè de his, & omnibus alijs veſtibus Epiſcopalibus agit. Et Innoc. lib. 1. de myſter. Miſſæ cap. 58.

4. Quoad materiam; & formam horum veſtimentorum, ſeruandus eſt vſus Eccleſiæ, & idem dicitur de eorum colore, vt extat in Miſſali, licet, nullum adſit præceptum, ſed tantum, ibi traditur quædã regula directiua. Aliam formam, quodammodo ſpiritualem, quam debent habere dicta veſtimenta, eſt benedictio, quæ neceſſaria eſt ex cap. Veſtimenta de conſecr. diſt. 1. & ex vſu Eccleſiæ; quæ benedictio eſt facienda ab Epiſcopo, vel alio Sacerdote habente priuilegium; vt Syluest. verb. benedictio q. 4. & licet in q. 6. aſſerat veſtes benedictas ab Epiſcopo ſchiſmatico, iterum eſſe benedicendas; hoc tamen ex nullo iure probat, & contrarium videtur omninò verum, dummodo fuerint adhibitæ benedictiones ab Eccleſia determinatæ, quæ ſola habet hãc poteſtatem, vt ſupra diximus; & hic ſignificat Suarez. diſp. 82. ſect. 2. §. tertiò. Amittitur autem talis benedictio, quando dicta veſtimenta amittunt propriam figuram, & fiunt inepta

Digitized by Google

ad vſum ſacrum arg. ex ca. quod in dubijs de conſecr. Eccleſiæ, vel Altaris. Vnde ſi manica Albę ſeparetur, perdit dicta Alba benedictionem, & licet ſtatim aſſuatur, eſt tamen iterum benedicenda; ſecùs autem ſi reficiatur per aliquas partes abſq; amiſſione propriæ figuræ, licet, addatur aliqua pars non benedicta; dummodo tractu tẽporis partes additæ non ſint maiores, quã pars benedicta; ſicut diximus de templis; vt docet, Sylueſ. loc. cit. cum Gloſs. c. quod in dubijs, & Paludanus d. 13. q. 2. & 24. q. 3. qui etiam addunt, quod cingulum, ſi ita rumpatur, vt neutra pars poſſit in vſum venire, amittet benedictionem, ſecùs ſi altera pars erit ſufficiens, quia illa erit benedicta; & ſi antequam diuidatur reficiatur, vel nodo fortificetur, erit benedictũ, cum benedictio non amittatur, niſi per totalem diuiſionẽ; Item aſſerunt ijdẽ Doctores, quod ſtola poſſit deſeruire loco cinguli, quia habet ſufficientem formam ad illum vſum. Sic etiam ſtola poteſt deſeruire loco manipuli, & è contra, dummodo non impediant vſum, quia longitudo maior, vel minor non refert. Item ſi hæ veſtes duplices ſint; ſcilicet, haberent partem interiorem, & exteriorem, ambæ partes erunt benedictæ, & ambæ partes, ſi ſeparentur deſeruire poſſent, eodem modo, ac ſi plures caſulæ, uel ſtolæ, &c. una benedictione benedicerentur, pro ut de facto, una benedictione benedicuntur, ſequitur Suar. diſput. 82. ſect. 2. in fine, uide etiam Bonac. diſp. 4. q. ult. pun. 10. nu. 26. & 27. D. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. num. 5. & alios.

5. Vtrum autem ſit peccatum mortale celebrare ſine ueſtibus ſacris, ſeù benedictis? & reſpondetur affirmatiuè: patet ex cap. Veſtimenta de conſecr. di. 1. & ex cap. Eccleſias d. 23. licet, hic tantum præcipiatur ſub pœna excommunicationis, ut Sacerdos in miſſa, ſtola utatur, ſicut fuerat ordinatum in Concil. Brach. 3. cap. 3. hæc eſt communis opinio Doctorum in 4. diſt. 13. ſequitur Sylu. ver. Miſſa 1. & alij Summiſtæ, Filiucc. tr. 5. cap. 5. num. 147. Nauar. cap. 25. nu. 84. Bonac. diſp. 4. q. vlt. pun. 10. nu. 28. & alij omnes; & hi Doctores, cum multis alijs, quos ipſi citãt putant id intelligi de qualibet veſte, vt tenet etiã Suar. diſp. 82. ſect. 3. & idem aſſerunt eſſe dicendum, ſi quis vtatur aliqua ex his veſtibus non benedicta; ſunt tamen multi Doctores, quos ſequitur, & affert Diana par. 2. tract. 14. reſol. 68. aſſerentes celebrantem abſq; cingulo benedicto venialiter tantũ peccare ratione paruitatis materiæ, & quia cingulum verè veſtis non eſt, ſed ligatura; quæ opinio, cum illam ſequantur multi graues Auctores, improbabilis cenſenda non eſt; ſed illam non conſulerem, niſi in caſu neceſſitatis, quia in tali caſu iuxta Suar. loc. cit. 2. concluſ. in fin. omittere aliquam ex minoribus veſtibus, vt manipulum, vel cingulum, non eſt mortale. Addo etiam, ita rigoroſè eſſe accipiendum hoc præceptum celebrandi cum veſtibus ſacris, vt potiùs quis mortem teneretur ſubire, quam ſine illis ſacrificare, vt tenet Caiet. 1. 2. q. 96. art. 4. & licet, hoc durum videatur Nauar. loc. cit. tamen vera eſt dicta ſententia, ſi Miſſa eſſet celebrãda abſq; vlla veſte ſacra, ſed ſolis indumentis communibus, & vſualibus, ob magnam irreuerentiam, quæ fieret tanto ſacrificio. Suar. loc. cit. & Filiucc. eodem loco num. 149.

6. Item quæritur, vtrum liceat ſacrificare nudis pedibus, vel aperto capite? & quoad nudos pedes reſpondẽdum eſt negatiuè ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ pręceptũ parit, vt Syluest. Scot. Richar. Suar. loc. cit. & idem docet etiam Filiuc. n. 151. Vnde peccatum mortale committeret celebrans nudis pedibus. Sed iuxta Suar. id tantum requiritur ex honeſtate, & ideò nõ videtur eſſe mortale, & ſequitur Bonac. diſp. 4. q. vlt. punct. 10. num. 29. cum alijs multis. Quoad caput, negatiuè eſt reſpondendum ex cap. nullus Epiſcopus de conſecr. diſt. 1. *& ibi qui temerè contrarium facere præſumpſerit.* Præcipitur communione priuari; & ideò in neceſſitate eſſet diſpenſatio ab Epiſcopo accipienda, vt habetur ex Cæremoniali Romano; Attamen, ſi neceſſitas grauis eſſet, nec poſſet tam facilè diſpenſatio poſtulari; eſſet quis excuſatus à peccato mortali; vt docet Syluest. verb. Miſſa 1. q. 1. §. 1. & ita videtur eſſe textus citatus intelligendus; cum aſſerit. *Qui temerè præ-*

rè præ-

Digitized by Google

rè præſumpſerit; Et ſi timeretur ſcandalū, eſſet Miſſa ſecretò celebranda;vt ait idem Syluest.Suar. & Filiuc. num. 152. ſunt tamen alij, qui docent celebrare cooperto capite abſq; licentia Epiſcopi: vel Prælat. reſpectu regularium, non eſſe mortale, ſecluſo ſcandalo, & contemptu; vt Ledeſm. in ſum.tom.1.de Sacram.Euchar.cap. 21. concluſ.7. Villalobos in ſum. par. 1. tract. 8.dub. 29. num. 11. & ſecluſo etiam tempore Canonis; ſequitur Dian.par.2.tract. 14. reſol. 58. Gauantus autem comment. Rubr.Miſſal.tom.1.par.1.tit.2.litera F.ait, diſpenſationem celebrandi cooperto capite, Pontificem ſibi reſeruaſſe, pro vt declarauit Sacra Congregatio Cardinalium ſuper negotia Epiſcoporum die 2. Ianuarij 1590. & Sacra Congregatio Rituum die 31.Iulij 1626.& habetur in nouo Miſſali poſt decretum Vrbani VIII. ex Regiſtro decretorum ſacræ Rituum Congregationis. Quoad peccatum verò, lico opinionem Suar.& aliorum eſſe veram, cum agatur de re graui, & non de re leui,vt aſſerit Diana;imò Gregorius XIII. vt notat Layman. qui etiam noſtram ſententiā ſequitur. Maxima cum difficultate diſpenſauit cum Niceæ Epiſcopo, vt poſſet publicè celebrare cooperto capite,(excepto canone) ob ſuam infirmitatem; vnde non colligitur,hanc eſſe rem leuem: ſed grauē, imò grauiſſimam.

7. Quæritur etiam, vtrum Sacerdos poſſit celebrare Miſſam ante ſatisfactionē matutini officij? ſunt multi Doctores, qui aſſerunt Sacerdotes ſub mortali, non poſſe celebrare, niſi priùs præmittant matutinum,vt D.Antoninus 3.par. tit. 13. cap. 4.§.1.Gabr.lect.13.in can.Nauarr. lib. de oratione cap.3.num.70. Azor. 1. par. lib. 10.cap.18.q.17.&alij multi,quos reperies apud Suar.diſp. 82. ſect. 1. Apud Bonacc. Dian. & Emanuel Sà loc. ſtatim citandis; fundamentum horum Doctorum eſt,quia ſic præcipitur in Miſſali. Alij tamen contrarium,& probabilius aſſerunt, ſcilicet, non eſſe culpam mortalem, ſine præmiſſione matutini Miſſam celebrare, & ratio eſt,quia non omnia,quæ habentur in Miſſali, obligant ſub mortali, niſi ex aliquo alio iure id conſtet; vt eſt celebrare in altari,cum veſtibus ſacris, in templo; & ſimilibus.Quæ conſtāt obligare ſub mortali ex alijs iuribus, vt ſupra probauimus; alia autem directiuè tantum ponuntur in Miſſali,nec debemus abſque certo fundamento præcepta multiplicare;nam in Miſſali etiam dicitur, vt Sacer dos ante Miſsā aliquantulum oret, quod habet maiorē connexionem cum Miſſa,quam non habet matutinum, & tamen non erit mortale, ſi Sacerdos dictam orationem omittat; ergo multo magis ſi matutinū non dixerit. Hāc opinionem tenet.Suar.loc.cit.Bonac.diſp. 4.q.vlt.punct.9.nu.8. Diana par. 2. tract. 14.reſ. 36. cum multis alijs apud ipſos;ſequitur etiam Emanuel Sà verb. Miſſa. nu. 22.Layman lib.4.tract.5.cap.4.nu.5. Sot. lib.10.de iuſtit.q.5.ar.4.& in 4.d.13. q.2. art.2.Leſs.lib.2.de iuſtit.cap.37. dub. 12. num.81.Filiuc.tr.5.cap.5.nu.141.& alij.

8. Circa Ritum celebrandi Miſſam, ſcilicet,quoad ea omnia, quæ dicuntur in Miſſa,& quoad cæremonias, &c. dicēdum eſt Eccleſiam potuiſſe illa ſtatuere, tum ad Dei laudem,tum ad excitandam deuotionem populi, & illum inſtruendum; quod eſt de fide; vt habetur in Concil. Trident. ſeſs.21.cap.2.ſcilicet. Dediſſe Chriſtum Eccleſiæ poteſtatem, vt in ſacramentorū diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia,ea ſtatueret, vel mutaret,quæ ſuſcipientium vtilitati,vel ipſorū venerationi magis expedire iudicaret. Contra hæreticos aſſerentes ſuperſtitioſa omnia eſſe, cum non fuerint inſtituta à Chriſto; & ideò ipſi legendo tantum hiſtoriam Euangelicā,conſacrant,diſtribuunt, & ſumunt. Contra quos optimè loquitur Suar. & declarat omnia,quæ fiunt,& dicuntur in Miſſa,erudītiſſimè fieri ex communiPatrum doctrina; vt apud ipſum videri poteſt, diſp.83. ſect.1. et 2.

9. Sed vtrum Sacerdos teneatur ſub mortali dicere omnia, quę in Miſſali præſcribuntur? Reſpondeo affirmatiuè; imò iuxta Miſſalis ritum, modum,et normam; vt præcipit Pius V. in principio Miſſalis. His verbis.*Mandantes,& ſtrictè omnibus, & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes,vt Miſſam iuxta ritum, modum,ac normā, quæ per Miſſale, hoc à nobis modo traditur, decan-*

cantent, ac legãt; & idẽ ẽt habetur in Cõcil. Trid. ſeſſ. 22. in Decreto. De obſeruandis in celebratione Miſſæ; Vnde mortale erit aliquid notabile omittere in Miſſa; ſic etiã in Canone mutare nomen Epiſcopi, & ponere nomen ſui generalis, mortale erit vt refert portella ex quadam Cardinaliũ declaratione ver. Miſſa. num. 14. de dub. regul. & ſequitur Diana part. 2. tr. 14. reſol. 40. Tamen notandum eſt, aliud eſt mutilare ordinem Miſſæ, omittendo aliquid, quod dicendum eſt, & aliud dicere Miſsã alterius diei, vel alterius ſancti, &c. in hoc poſteriori modo ordinariè loquendo, non poteſt eſſe culpa mortalis, dummodo integer ritus ſeruetur, quod intellige de Miſſis priuatis, quæ ad arbitrium dicuntur; nam quoad Miſſas ſolemnes, quæ dici ſolent in Eccleſijs Conuentualibus, et ſimilibus, maior eſt obligatio canendi Miſsã præſcriptam in Miſſali, & idem dicas de Miſſis priuatis, quæ ex aliqua obligatione dici debẽt ex tali ſancto, &c. tunc enim tenetur quis ſuę obligationi ſatisfacere, dummodo id non omittat ob obſeruantiã rubricæ Miſſalis. Orationes autem, quæ ponuntur in Miſſali pro qualibet veste Sacerdotis, dum illa induitur, non ſunt ex præcepto ſub mortali dicendæ, debet tamen cauere Sacerdos ne illas omittat, vt Bonac. diſp. 4. q. vlt. pun. 10. num. 32. cũ alijs apud ipſum.

10. Vnde Dubium eſt, an ſit mortale in Dominicis, vel feſtis duplicibus dicere miſſam votiuam, vel de requie? & negatiuè eſt reſpondendum, vt colligitur ex proximè dictis, quæ tradit Suar. diſp. 83. ſect. 3. & idem docet Dian. p. 1. tr. 14. reſol. 30. vbi plures affert; & præcipuè Villalob. in ſumma p. 1. tr. 8. diſt. 31. n. 5. qui ita aſſerit, non damnarẽ Reum peccati mortalis Sacerdotẽ illum, qui in diebus feſtiuis Apoſtolorũ, B. Mariæ Virginis, & Domini noſtri, diceret aliam miſſam.

11. Item dubitatur vtrum omittere aliquam commemorationem; Gloria, vel Credo, vel quid ſimile, ſit peccatum mortale? reſpondetur negatiuè, quia non videtur tam grauis materia; & idem dicas, ſi quis omitteret ea, quæ interponuntur in communicantes; & hanc igitur actionem diebus ſolemnibus: & ſic etiam ſi omittatur nomen vnius Sancti; dico vnius, quia canon maiori cura dicendus eſt, & omne verbũ eius eſt maximæ grauitatis. Filiucc. tr. 5. cap. 5. nu. 155. ex Sylueſ. ver. Miſſa q. 3. §. 4. & 5. & ſequitur Diana p. 2. tr. 14. reſol. 59. & idem docet Suar. diſp. 83. ſect. 3. imò addit vnam, vel duas orationes omittere, non eſſe mortale.

12. Addit etiã dictus Suar. & Filiucc. Sacerdotem non poſſe addere aliquid in Miſſa ex propria deuotione, vt nouas preces, vel alia verba, cum hoc ſit expreſsè contra ritum præſcriptum in Miſſali, imò ibi ſic dicitur. *Mandantes, & strictè omnibus, & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes* (deinde) *ne in Miſſa celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ in hoc miſſali continentur, addere, vel recitare præſumat*; Et in Concil. Triden. ſeſſ. 22. in decreto de obſeruandis in celebratione Miſſæ, hæc verba extant. *Ne veritus alios, vel alias cæremonias, & praces in miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequentatæ, & laudabili vſu receptæ fuerint.* Vnde aduertendum eſt, quod faciliter in hac materia labitur in culpam mortalem, quia agitur de vſurpatione poteſtatis Eccleſiæ, quando publicè quis aliquid adderet, ſecùs, ſi priuato modo, & ſecretè quis aliquid dicat; ſed & hoc etiam imprudenter faciet, vt ijdem Doctores aſſerunt.

13. Ex quibus verbis Miſsalis, & Cõcilij Tridentini colligitur, nec poſse Sacerdotes immutare, vel mutilare cæremonias præſcriptas in Miſsali, aliter mortaliter peccare, ſi id ex propoſito facerent, & maximè ſi intenderent nouos ritus introducere; ſecùs ſi vnam, vel alteram omitterent, imò etiam ſi plures, vel illas malè exercerent, ut ordinariè uidetur in Sacerdotibus minus doctis, uel timoratis; & tamen nõ damnantur de peccato mortali, quia id non prouenit ex malitia uolẽte immutare ritus Miſsalis; ſed ex negligẽtia, licet, craſsa; peccarent tamen mortaliter, ſi nullo modo de dictis cæremunijs curarent, & illas pro libito exercerent; & ita puto eſse mentẽ Suar. diſp. 84. ſect. 2. Bonacinæ diſp. 4. q. ult. punct. 7. §. 4. num. 3. Azor. 1. par. lib. 10. ca. 29. q. 6. Filiuc. tract. 5. cap. 5.

Digitized by Google

5.cap.5.num. 158. & 159. & expreſſiùs id tenet Diana 2.par.tract. 14. reſol. 55. cum alijs apud ipſum. Quam autem ſignificationem habeant dictæ cæremoniæ,& quomodo conuenienter inſtitutæ ſint, uideri poterit apud Suar.diſp.84.ſect. 1. ſumitur etiam; Sacerdotes non poſse celebrare Miſsam de ſancto, cui in Miſsali non eſt aſſignata miſsa, nec ex priuilegio aliquo Miſsa,& officiũ celebrari poſſit:eſset enim notabilis mutatio contra Ritum Eccleſię, cum ad hoc requiratur ſpeciale priuilegium; puto tamen in aliquo caſu tantum, & pro una uice poſse Epiſcopum diſpenſare, ut ratione magnæ feſtiuitatis, et deuotionis populi, Miſſa celebretur de aliquo ſancto,et ut officium ſimiliter dicatur iuxta tamen ritum Miſsalis; ut ſumitur ex Bonac. de hor. can. diſp. 1. q. 3. puncto 1. num. 19.et ex alijs, quos referam infra ca. 23.num.1.et licet dicti Doctores loquantur tantum de officio diuino; tamen idem eſt dicendum de Miſsa, cũ militet eadem ratio.

14. Sed quæritur,quid faciendum ſit, quando in Miſsa occurrunt defectus eſsẽtiales. Dicò dictos defectus eſse omninò ſupplendos, ne ſacrificium remaneat mutilum; & imperfectum: & ſi aliquis ex his defectibus præuideri poterit, eſt omninò vitandus; v. g. ſi Sacerdos poſt conſecrationem hoſtiæ,aduerteret non eſse vinum in calice, deberet illud apponere, & poſtea progredi;& ſi caſu vinum haberi non poſset,deberet perficere Miſsam cum hoſtia conſecrata tantum,notando, quod nõ eſset facienda mentio ſanguinis in ſignis, & locis vbi fieri ſolet;ſed ſi ante conſecrationem talem defectum præuidiſset, nullo modo poſset conſecrare hoſtiam: ſic etiam ſi poſt conſecratum purum vinum, Sacerdos recordetur non miſcuiſse aquã, non debet illam apponere, quia corrumperetur ſaltem aliqua pars ſpecierum; ut ait D.Thom.q.83.art.6.ad 4. Vbi etiam addit, ſi Sacerdos perceperit ante ſumptionem corporis,vinum non eſse in calice, ſed aquam, debet aliud vinũ, & aquã imponere,licet aquam biberit,& incipere à verbis conſecrationis ſanguinis; ſi autẽ id perceperit poſt ſumptionem corporis, debet aliam hoſtiam non conſecratam accipere, iterum conſecrandam cum vino, & aqua, vt debitus ordo in conſecratione ſeruetur; & ſic poſtea dictis ſpeciebus debet Miſſam perficere,iterum ſumendo hoſtiam conſecratam, & ſanguinem; & ratio eſt, quia iuxta Concil. Tolet. VII. cap. 1. perfecta ſacrificia videri non poſſunt, niſi perfecto ordine compleantur. Docet tamen idem Sanctus in 4.d.11. probabilem eſſe etiam alium modum, nempe, ſi poſt ſumptionem corporis Sacerdos aduerterit eſſe aquam tantummodo in calice;poſſe imponere vinum cum ſolita quantitate aquæ,& conſecrare,& ſumere, & proſequi Miſſam; & hanc opinionẽ tenet Scotus in 4.d.8.q.3.Sot.d.13.q.2.ar.6.ad 4. Nauar. cap.25.nu.91. Angelus ver.miſſa nu.17.& vtraque opinio eſt approbata in miſſali,ſequitur Filiucc.tr.5. cap.5.nu.161. & Suar. diſp. 85. ſect.1. & probatur hæc ſecunda opinio ex regula generali tradita ab Innocentio in cap.1.& 2. de ſacram. non iterand.vbi ſic ait. *In talibus nihil eſſe iterandũ ſed cautè ſupplendũ,quod incautè fuerat prætermiſſum*,quod intelligitur tã reſpectu eiuſdẽ Sacerdotis,quam alterius;ſcilicet,vt ſi Sacerdos celebrando,moriatur, vel infirmitate correptus, miſſam non poſſit perficere; tenetur alius Sacerdos illam terminare,reſumendo à loco, ſeù ab actione,à qua Sacerdos ceſſauit; dummodo id accidat poſt conſecrationem ſaltem panis; quia, ſi ante conſecrationem id contingerit, non tenetur alius ſupplere;ſed eſt omittendum illud ſacrificium, ex eiſdem Doctoribus; At ſi dubium ſit an cõſecrauerit hoſtiam? debet alius Sacerdos miſſam incipere, & eamdem hoſtiam ſub conditione mente concepta, conſecrare; & ſi dubium ſit de cõſecratione vini,poterit incipere ab illis verbis; *Simili modo*; & eodem modo ſub cõditione conſecrare,& Miſſam proſequi. Vide fuſiùs hos & alios defectus, qui contingere poſſunt in Miſſa,apud citatos Doctores;& quia iam omnes extant in Miſsali, & modus, quem miſsale ponit, ſit ſeruandus; non eſt de illis diſputandum, & quilibet illos in dicto miſsali videre poterit; & ideò hic non ſunt repetendi.

15. Poſset ſolummodo quis quærere,

vtrum

vtrum Sacerdos poſſit cōſecrare particulas per ipſum non oblatas ex defectu aduertentiæ, vel quia non fuerunt antea in altari præparatæ? & quamuis negatiuè reſpondeat Bonacina diſp.4.q.vlt.pun.2.nu. 6. quia putat primam oblationem ordinari ad ſecundam, & hanc eſse de eſsentia ſacrificij, Attamen affirmatiuè reſpondendum eſt, quia vt iam diximus in cap. 29. nu. 6. & 7. nulla oblatio eſt de eſsentia ſacrificij, ſeù conſecrationis; hanc opinionē docet Gauant. ad Rubr. Miſsal. to. 1. p. 3. tit. 10. nu. 19. & ſequitur Diana p. 2. tr. 14. reſol. 71. abſq; vlla limitatione, ſicut antea docuerat Poſsouin. de offic. Curati cap. 2. num. 17.

De iuſto ſtipendio Miſſæ, & Miniſtro neceſſario ad Miſſam. Cap. XXXIV.

1 *Ex duplici capite oriri poteſt obligatio in Sacerdote ad celebrandam miſſam ex iuſtitia.*

2 *Sacerdos habens beneficium curatum tenetur celebrare miſſam toties; quoties illa eius oues indigent.*

3 *Sacerdos ex pacto tenetur offerre miſſam pro illo, qui dedit eleemoſynam, nec adeſt vſura.*

4 *Stipendium iuſtum miſſæ reſpectu habentium beneficium, erit illud, quod ex beneficio colligitur, ſiue magnum, ſiue tenue ſit.*

5 *Stipendium iuſtum reſpectu aliorum Sacerdotum, erit illud, quod fuerit taxatum ab Epiſcopo.*

6 *Miſſæ non poſſunt redigi ad minorem numerum ratione tenui ſtipendij. Vide etiam in num. 4.*

7 *Sacerdotes, licet, diuites, benè poſſunt accipere ſtipendia pro Miſſis.*

8 *Sacerdos pauper non poteſt duplicatum ſtipendium accipere ratione paupertatis.*

9 *De iure Eccleſiaſtico, requiritur ſaltem vnus miniſter pro celebratione miſſæ.*

10 *Fœminæ non poſſunt Miſſæ inſeruire, niſi ex choro.*

11 *Inſeruiens miſſæ debet obſeruare, quæ in Miſſali prænotantur.*

12 *Sacerdos dum dicit Miſſam, omnes fideles virtualiter præſentes habet, & pro illis orat, & illos alloquitur.*

1. Est primò ſciendum, ex duplici capite poſse oriri obligationem in Sacerdote ad celebrandum, & applicandum ſacrificium pro aliquo: ſcilicet, ratione beneficij ad hūc finem ſpecialiter fundati; vel ratione peculiaris ſtipendij ob hanc cauſam dati, & ab ipſo accepti; & in vtroq; modo adeſt fundamentum iuſtitiæ commutatiuè, & veri contractus innominati Do, vt facias, vtriq; oneroſo; vnde Sacerdos ex vna parte, tenetur offerre ſacrificium iuxta intentionem beneficij, vel dantis eleemoſynam; & fundator beneficij, vel ille, ad quem ſpectat, vel ille, pro quo fuit applicatum ſacrificium credito ſtipendio, tenetur ſatisfacere Sacerdoti iuxta promiſſionem de ſtipendio factam.

2. Eſt tamen notandum, beneficia alia eſſe ſimplicia, alia non ſimplicia, ſeù curata; ſimplicia non ſemper inducunt obligationem dicendi Miſsam pro hac, vel illa intentione; ſed tantum propter officiū pſallendi, vel inſeruiendi Eccleſijs, aliquādo etiam, licet, inducant obligationem dicendi Miſsam, non tamen applicandi pro hac, vel illa intentione, unde habentes ſimilia beneficia bene poſsunt accipere ſtipendium pro applicatione Miſsæ: quando uerò dicta beneficia ſunt fundata cū hoc onere ſpecialiter, tunc habentes talia beneficia, nequaquam poſsunt ſtipendium accipere pro Miſsæ applicatione. Beneficia autem curata inducunt obligationem celebrandi toties, quoties populus tenetur audire ſacrum, licet, non teneatur applicare ſacrificium pro ſuis ouibus, ut uolebat Sot. lib. 6. de iuſt. q. 3. art. 1. & in 4. d. 13. q. 2. ar. 2. imò aſserit quotidiè Parochū teneri celebrare pro ſuis ouibus; quod uerè nullo fundamento fulcitur; & hoc modo etiam Epiſcopus teneretur quotidie celebrare pro ſuo Epiſcopatu, & Pontifex pro tota Eccleſia; poſset tamen adeſse obligatio quotidie celebrandi per ſe, uel per alium; ſed non ex hoc ſequitur, quod obligetur etiam applicare ſacrificium, & ideò poteſt Parochus ſtipendia pro applicatio-

Digitized by Google

catione Miſſæ accipere, niſi contrarium expreſsè conſtiterit, & quod Parochus teneatur tantum diebus feſtiuis celebrare, conſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 14. de reformatione vbi ſic habetur. *Curet Epiſcopus, vt presbyteri ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus: ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent*. Suar. diſp. 86. ſect. 1. ex Maior. in 4. d. 45. q. 3. dub. 3. Nauarr. cap. 25. num. 140. Cordub. lib. 1. quæſtionum, q. 4. Sylu. ver. Miſſa 1. q. 7. ſequitur Filiucc. tr. 5. c. 6. nu. 173. & 174. Diana p. 2. tr. 14. reſol. 26. & alij.

3. Quoad ſecundum modum, quo obligatur Sacerdos, nempe, ratione ſtipendij accepti; Dico ob dictum ſtipendiũ, teneri Sacerdotẽ ad applicandã Miſſam pro dãte ſtipendium ex pacto ſaltem intrinſeco inito inter ipſos: nec obſtat, quod pactio de re ſpirituali pro temporali, ſit ſimoniaca, & in iure prohibita, vt habetur in cap. Tua nos. de Simonia, & cap. vltimo de pactis, & cap. quam piè 1. q. 2. & confirmatur ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 100. art. 2. & 3. ad 2. vbi ait. *Licere quidem accipere ſtipendium, dummodo pactum non intercedat*: Et in 4. d. 25. q. 3. art. 2. queſtiunc. 1. ad 4. docet. Paciſci, de Miſſa dicenda, ſemper eſſe Simoniacum; Tamen dicendum eſt, veram eſſe noſtram doctrinam: imò, ſi quis aleret ſacerdotem abſque ullo pacto, non teneretur Sacerdos offerre miſſam pro ſe alente, niſi pactum intercedat, quod non erit ſimoniacum; cum Sacerdoti debeatur ex iuſtitia ſtipendium ratione miniſterij, & ſeruitij, & licet, miniſterium ſit ſpirituale; nõ ex hoc erit illicitum ſtipendium; Cum; *qui altari ſeruit, de altari viuere debeat*. 1. ad Cor. 9. *Et dignus eſt operarius mercede ſua*. Luc. 10. imò in veteri Lege num. 18. ſtipẽdium Sacerdotis: *Pretium pro miniſterio* appellatur, & hoc modo intelligitur D. Thom. & cætera iura citata: Vnde in Concil. Agathenſ. cap. 36. 1. q. 2. cap. vlt. Sic dicitur. *Clerici omnes, qui Eccleſię fideliter, vigilanterque deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſeruitij ſui meritum per ordinationem Canonum à Sacerdotibus conſequantur*.

4. Quęnam autem ſint miſſarum ſtipendia iuſta? Reſpondeo, ſi obligatio dicendi, vel etiam applicandi miſſam oriatur ex titulo Eccleſiaſtico, ſeu ex redditibus ſtabilibus, vt ſunt capellaniæ, & alia beneficia; tunc iuſtum ſtipendium erunt dicti redditus, ſiuè magni, ſiuè tenues ſint, ſed ſi eſſent adeò tenues, vt non attingerent mediocrem, vel minimum ſtipendiũ, poſſet Epiſcopus miſſas redigere ad talem numerum, vt ex vnaquaq; iuſtum ſtipendium habens beneficium colligere poſſet, vt docet Suar. diſp. 86. ſect. 2. in princ. & Filiucc. tract. 5. cap. 6. num. 177. Sed quidquid ſit de hoc caſu. Ad præſens certum eſt, quod hæc opinio ſuſtineri non poteſt ex nouo iure ſacræ Congregationis Concilij in decretis de celebratione miſsarum ſub Vrbano VIII. conditis. Vbi hæc verba habentur. *Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diocæſana Synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera vlla miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis*. Vbi nota, quod reductiones factæ ante Conciliũ. Sunt validæ, dummodo non fuerint factæ circa miſſas celebrandas ex onere impoſito in limine fundationis beneficij, cappellaniæ, &c. & ſubiungit. *Sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtolicam ſedem recurratur, quæ re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiuſmodi. Si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit*.

5. Quando verò onus miſſarum proueniet ex ſtipendijs in dies oblatis à fidelibus; tunc illud erit iuſtum ſtipendium, quod taxatum fuerit ab Epiſcopo, vel alio habente auctoritatem; Attamen dicta taxa, ſeu lex nunquam intelligitur, vt præcludatur via fidelibus, vt non poſſint maiora ſtipendia tradere, quia hoc illicitum eſſet, vt aſſerit D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 2. Neque è contra, vt Eccleſiæ vel Sacerdotes non poſſint pro minori ſtipendio miſſas, vel officia celebrare, vt Suar. diſp. 86. ſect. 2. §. ſed circa; & ita etiam loquitur Sot. lib. 9. de iuſtit. qu. 6. art. 1. ad 2.

Nauarr. cap.25. nu.106. quos ſequitur Filiuc.loc.cit.178.

6. Et nota, quod poſtquam Eccleſiæ, vel ſacerdotes priuati acceptauerint eleemoſynam pro miſſa, vel miſſis, aut officijs celebrandis, non poſſunt, alia ſtipendia accipere pro eadem, vel eiſdem miſſis, aut officijs; nec obſtat, ſi eleemoſyna, quam acceptauerunt, fuerit parua, quia intentio dantis eleemoſynam omninò adimplenda eſt ex pacto, & conuentione, aliter, eſſet auferre rem inuito Domino: & licet vſq; modo fuerit inter Doctores Controuerſia vtrum poſſet ſacerdos plura ſtipendia parua, & exigua accipere, quæ ſufficerent ad propriam ſuſtentationem vnius diei, & poſtea illis vno ſacrificio ſatisfacere? prout oſtẽdit Bonac.diſp.4.q.vlt. pun.7.§.2.n.1. Tamen ad præſens ceſſat dicta quæſtio ex nouo, & expreſſo iure ſacræ Congregationis Concilij, vt ſupra vbi ſic habetur. *Deinde, vbi pro pluribus miſſis etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia quantumcunque incongrua, & exigua, ſiuè ab vna, ſiuè à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum ſacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuſcunque, tam ſecularibus, quam regularibus, Sacra Congregatio ſub obteſtatione Diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt abſolutè, tot miſſę celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ preſcriptæ fuerint, ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.* Vnde nullo modo, & nullo priuilegio poterit quis plura ſtipendia pro vna miſſa accipere; nam omnia priuilegia in hac materia annullantur, prout videri poteſt in dictis decretis.

7. Sed vtrum omnes tam diuites, quã pauperes poſſint accipere ſtipendia pro Miſſis celebrandis? Reſpondeo affirmatiuè, nec obſtat, ſi diuites non indigeant tali ſtipendio, quod datur ad ſubſtentationem Sacerdotis; nã per accidens eſt, quod Sacerdotes habeant alia bona, & non ex hoc ſequitur, quod ſeruitium, & miniſterium dictorum Sacerdotum non ſit ſtipẽdio dignum, cũ hoc ex ſui natura illis cõueniat; vnde non video ex quo capite diuites non poſsint accipere eleemoſynas pro Miſsis, præter alia incommoda, quæ ex hoc ſequerentur, quæ breuitatis cauſa omitto. D.Thom.quolibet.6.ar.10.Sot. li.9.de iuſtit.quæſt.6.ar.1.Suar.diſp.86.ſect.3.Filiuc.tr.5.cap.6.num. 182. Nauar. cap. 23.nu. 102. Gloſs. & alij Doctores in cap. Clericos 1.q.2.contra Caiet. 2. 2. q. 100. art.4.& alios; quam doctrinam intelligas, dummodo dicti Sacerdotes diuites non ſint ex alia cauſa obligati; vt ratione beneficij, capellaniæ, &c.

8. Notandum eſt etiam, nec Sacerdotem pauperem poſſe accipere duplicatum ſtipendium ratione paupertatis pro vna Miſſa; quia paupertas non dat facultatem accipiendi rem alienam inuito domino, ſecluſa extrema neceſsitate; quod patet ex dictis in num.6.& præter illa, iam ita tenet cõmunis opinio; vt probat.Suar. diſp.86.ſect.4.Nauar.cap.15.num.92. Filiuc.tr.5. cap.6. num. 188. Bonac. loc. cit. in num.ſupra 6. Corduba qu.4.dub.2.& alij, quãdo autem ſtipendia oblata exigua eſſent, & non ſecundum taxam ab habente auctoritatem facta, tunc de iure communi poſſet Sacerdos pauper plura ſtipẽdia accipere vſq; ad ſummam iuſti ſtipendij taxati, & vna Miſſa illis ſatisfacere; & licet, Corduba addat quandam limitationem, ſcilicet, niſi Sacerdos promiſerit dicere vnam Miſſam pro tali exiguo ſtipendio, tamen hæc limitatio non eſt neceſſaria, quia ob iniuriam, quæ fit Sacerdoti acceptanti tale ſtipendiũ ob paupertatem, poterit ſibi iuſta compenſatione ſatisfacere; ſicut ſeruus, qui ob ſuã paupertatem cogitur paciſci pro minori, & iniuſto prætio; vel ſi quis emat triticum vltra iuſtum pretium ob ſuam neceſsitatem; nã prædicti, & ſimiles poſſunt vti ſecreta, & iuſta compenſatione. At in caſu, de quo diſputamus, adeſt nouum ius; vt diximus in num.6. & illud eſt omninò ſeruandum, ſecluſa extrema neceſsitate, de qua in primo libro iam diximus agendo de Reſtitutione.

9. Quoad miniſtrum inſeruientem huic ſacrificio. Dico ex iure diuino non eſſe neceſſarium nec plures, nec vnũ miniſtrum

niſtrum, primum patet ex communi vſu Eccleſiæ, cum multi priuatim celebrent, vno tantum miniſtro aſsiſtente. Secundũ etiam patet, quia nullum ius diuinum reperitur id præcipiens, nec ad ſacrificium requiritur aliquis præter Sacerdotem: ex iure autẽ Eccleſiaſtico vnus miniſter neceſſariò requiritur in Miſsis priuatis, plures autem in Miſſis ſolemnibus; ita fuſiſſimè probat Suarez diſputatione 87. ſect. 1. Bonac. diſp. 4. q. vlt. punct. 10. nu. 33. Filiuc. tract. 5. ca. 6. num. 192. Reginal. lib. 29. num. 163. Syluest. verb. Miſſa quæſt. 2. D. Anton. 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 5. & alij, & patet ex vſu, & conſuetudine Eccleſię, imò in Concil. Baſilien. ſeſs. 21. inter alios abuſus ibi prohibitos, fuit abuſus dicendi Miſſam ſine miniſtro, vnde tantum pro communicando infirmo, vel pro ſatisfaciendo præcepto Eccleſiæ in die magnæ feſtiuitatis, poteſt dici Miſſa abſq; miniſtro inſeruiente; iuxta Sot. d. 13. q. 2. art. 5. ad 12. & iuxta Suar. non eſſet damnandus de culpa mortali, qui id ageret in qualibet feſtiuitate; Eremita autem id agere non poſſet, quia talis vita eſt voluntaria, & dictæ permiſsiones non ſunt, niſi ratione neceſsitatis, quæ excludit omne voluntarium. Idem Suar. Bonac. Filiuc. num. 194. & alij loc. cit.

10. Fœmina autem nullo modo poteſt Miſſæ inſeruire, niſi ex choro, vt ſolẽt moniales; proximè verò nullo modo illam licet habere, imò ſi neceſsitas adeſſet cõmunicandi infirmũ, potiùs Miſſa eſſet celebranda ſine miniſtro, quam cum fœmina, quia hoc expreſsè cautum eſt in iure, vt habetur in cap. 1. de cohabit. clericor. & mulier. his verbis. *Nulla fœmina ad altare præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare;* Suar. loc. cit. Bonac. ibidem, Filiuc. eodem loc. Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 5. ad 12. Diana par. 2. tract. 14. reſol. 44. & alij contra Didacum Nugnum, & Syluium apud ipſum Dian.

11. Et notandum, quod talis miniſter teneatur inſeruire ſacrificio Miſſę iuxta preſcripta in Miſsali, & omnia preuidere tam quę ad ſeruitium ſpectant, quam quę ad reſpondendum Sacerdoti; quod ſi minùs inſtructus fuerit, & reſpondere neſciat, poterit in caſu, quo alius nõ adeſſet, ipſemet Sacerdos illum inſtruere prçeundo, & cum eo verba reſponſionum dicendo. Filiuc. tr. 5. cap. 6. num. 196.

12. Contra hunc modũ dicendi Miſſam ſaltem coram vno miniſtro, inſurgũt heretici dicentes, illam Miſsam eſse tantummodo legitimam, in qua adſunt Sacerdos, reſpondens, offerentes, & communicantes; & fundamentum eorum eſt, quia Chriſtus ſic ſacrificauit in vltima cœna, & patet ex verbis Miſsę, nam in ea dicit Sacerdos. *Dominus vobiſcum; Orate fratres; Surſum corda; Benedicamus Domino, vel Ite Miſſa eſt.* Et in Canone ſimiliter dicitur. *Quotquot ex hac altaris participatione ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti, & gratia repleamur.* Ex quibus, & alijs verbis ſupponitur in ſacrificio aſſiſtere plures, & non vnum. Nam reſpondetur; in dictis verbis Sacerdotem Eccleſiam alloqui, & omnes fideles habere præſentes virtualiter, & in fide quatenus omnes approbant, & offerũt dictum ſacrificium, & quia Sacerdos pro omnibus orat in Miſſa, ideò verba ad omnes fideles diriguntur; vnde Odo Cameracenſis in expoſitione Canonis, ſic ait. *Cum non habeat quam pluraliter collectam ſalutem, nec plures mutare poſſint ſalutationes, conuertunt ſe ad Eccleſiam, dicentes ſe Eccleſiam ſalutare, & in corpore, totum corpus alloqui, & virtute totius communionis in Eccleſia confici ſancta myſteria per gratiam Dei; neque eſſe quemquam alicubi fidelium, qui viuificorũ non fiat particeps ſacramentorum, dum in corpore Eccleſiæ adhæret capiti velut vtile membrum.* Ita etiam Titelmanus exponit citata verba Canonis; & etiam illa. *Et omnium circumſtantium.*

Quonã modo peccare poſſit Sacerdos celebrando Miſſam pro alijs. Cap. XXXV.

1 *Sacerdos tenetur celebrare per ſe, vel per alium, in loco, tempore &c. prout fuerit obligatus.*

2 *Sacerdos ad quotidiè celebrandum obliga-*

tus, poteſt in aliquo caſu ſemel in hebdomada, Miſſam prætermittere.

3 *Talis Sacerdos, ſi infirmetur per quindecim dies, non videtur obligatus ſatisfacere per alium.*

4 *Sacerdos obligatus ad celebrandum in aſſignato loco, peccat ſi alibi celebret.*

5 *Sacerdos ſi tenetur in altari priuilegiato celebrare, peccat, ſi alibi celebret.*

6 *Sacerdos ſatisfaciet, ſi loco Miſſæ votiuæ, dicat Miſſam de Sancto.*

7 *Sacerdos ſatisfaciet, ſi Miſſam per partes applicet.*

8 *Sacerdos ex ſola præſentia, poteſt ſtipendiũ accipere.*

9 *Sacerdos nõ poteſt ſuam partem miſſæ alteri applicare, & aliud ſtipendium accipere.*

10 *Sacerdos habens beneficium, ſi ſatisfaciat per alium, non tenetur totum ſtipendiũ beneficij illi dare.*

11 *Sacerdos ratione feſtiuitatis non poteſt duplicatum ſtipendium accipere.*

12 *Sacerdos aliquando poteſt Miſſas anticipatò celebrare.*

13 *Sacerdos vltra vnum menſem non poteſt Miſſas celebrandas ſuſcipere.*

14 *Ad applicandam Miſſam requiritur intentio actualis, vel virtualis.*

15 *Sacerdos in Miſſa ſolemni tenetur legere Epiſtolam, & Euangelium.*

16 *Ponuntur Decreta de celebratione miſſarũ Sacræ Congregationis, ac declarationes eiuſdem Sacræ Congregationis.*

1. CErtum eſt Sacerdotem mortaliter peccare, ſi non celebret miſſas per ſe, vel per alium; quot, & quales, & quo in loco, & tempore tenetur, ſiue ex fundatione Capellaniæ, ſiue ex pacto. Ex qua generali regula multi caſus reſolui poſſunt, aliquos tamen nos reſoluemus, vt ex illis alij faciliùs reſoluãtur, dicendũ eſt igitur, Sacerdotem habentem Capellaniã cum onere dicendi, & applicandi miſſam, teneri illam dicere per ſe, vel per alium; dico per alium, quia ſi ob exalationem, vel recreationem, aut quid aliud nollet, celebrare, poſſet per alium ſuo oneri ſatisfacere, ſecluſo contrario pacto in fundatione dictæ capellaniæ poſito; quia ſi onus eſſet, vt non poſſet per alium ſatisfacere, tunc teneretur ipſe Miſſam quotidie celebrare, niſi ex iuſta, & legitima cauſa eſſet impeditus, tũc enim nec teneretur ad ſatisfaciendum per alium, imò, vt ait Diana par. 2. tr. 14. reſol. 28. Capellani ad quotidie celebrãdum obligati, poſſunt ex aliqua neceſſitate propria, vel ſuorum coniunctorum quater, vel ſexties in anno miſſam prætermittere ex interpetratiua voluntate teſtatoris, vel etiam celebrare pro aliqua graui neceſſitate propria, vel propinquorum, ſed hoc ſecũdum membrum videtur omninò improbabile, cum benè poſſit Capellanus orare pro tali neceſſitate, & non priuare teſtatorem ſua miſſa, quia maior eſt neceſſitas teſtatoris exiſtentis in purgatorio, quam ſit neceſſitas capellani, & hoc ſecluſo, non eſt diſcoperiendum vnum altare ad aliud operiendum, & ſi Capellanus indiget tali Miſſa, poterit proprijs pecunijs (quod erit magis gratum Deo) ſibi conſulere, dando illas alio Sacerdoti, vt celebret pro ſua neceſſitate; At quando Miſſa prætermittitur quater, vel ſexties in anno ob aliquam neceſſitatem; tũc videtur magis rationabile, vt Capellanus ad aliud nõ teneatur.

2. Eſt etiam notandum, talem Capellanum obligatum ad quotidie celebrandum, poſſe, ex conſuetudine introducta, ſemel in hebdomada Miſſę celebrationem prętermittere cauſa honeſtatis, dummodo tamen in fundatione capellanię fuerit electa perſona, vt quotidie celebret; at ſi fuerit habita ratio loci, ſeu altaris particularis, vel Miſſæ quotidianæ, tunc nullo modo poterit Miſſam prætermittere; ſed debet per alium ſupplere quando ipſe non poterit; vt ſi teſtator dicat, volo, vt hęres, vel Capellanus prouideat de quotidiana Miſſa, & ſi non poſſit per ſe ſuppleat per alium; tunc enim omninò Miſſa eſt quotidie celebranda per ſe, vel per alium, vt Bonac. diſp. 4. q. vlt. punct. 7. §. 2. num. 17. Suar. diſp. 86. ſect. 1. column. 3. verſ. 49. in ver. Niſi fortaſsè. Diana loc. ſupra cit. Sylueſt. verb. Miſsa 1. q. 7. & communiter omnes alij apud hos Doctores. Aſserit etiam Nauar. tom. 1. conſil. lib. 2. de præben. conſil. 6. num. 5. Sacerdotẽ in primo caſu poſ-

ſe ex

ſe ex eadem cauſa honeſtatis prætermittere non ſolum vnam; ſed etiam alteram Miſsam, quod nullo modo videtur rationi conſonum; & ideò meritò impugnatur à Naldo in ſumma verb. Miſsa num. 6. Eſt etiam notandum, talem Sacerdotem non poſſe ſtipendium accipere ab alio, & tali die vacantię pro illo celebrare, quia quod conceditur cauſa honeſtatis, non intelligitur conceſſum cauſa lucri; ita omnes Doctores communiter. Imò ceſſante cauſa honeſtatis, non poteſt quis ob ſolam oblationem, vel cauſam itineris Miſsam tali die prætermittere; vt notat Bonac. loc. cit. num. 16. ſed tenetur per alium ſatisfacere.

3. Quid autem ſit dicendum, ſi talis Capellanus egrotet? Reſpondeo ſi dictus Capellanus tenetur vi fundationis capellæ celebrare per ſe, vel per alium, nulla eſt difficultas, quod impedimentum ſiuè ſit ratione infirmitatis, ſiuè alterius negotij, nunquam illum excuſat ab obligatione, quam habet; at ſi Capellanus fuerit ſimpliciter obligatus ad quotidie celebrandum, tunc ſicut ratione honeſtatis, poteſt ſemel in hebdomada Miſſam prætermittere; & etiam ratione alicuius neceſſitatis, quater, vel ſexties in anno, vt diximus; ita etiam videtur excuſatus ſi ex infirmitate celebrare non poſſit, dummodo tamen infirmitas non excedat vnum, vel duos menſes, vt ait P. Nauarr. de reſt. lib. 2. cap. 2. nu. 210. & Naldus in ſumma ver. Miſſa nu. 11. licet multi alij cum Diana p. 2. tr. 14. reſol. 27. Id tantum cōcedant vſq; ad quindecim dies ad ſummum; ſed quia iſti Doctores loquuntur de interpretatiua voluntate teſtatoris; ideò vtraque opinio poteſt eſſe vera iuxta rationabilem interpretationem dictæ voluntatis teſtatoris.

4. Ex doctrina tradita in numero ſecundo colligitur, Capellanos inſtitutos ad celebrandum in certo altari, Templo, vel Oratorio, peccare mortaliter, ſi alibi celebrēt, quia faciūt contra pactum, & promiſſionem factam inſtitutori capellaniæ: Fagundez de præcep. Eccleſiæ p. 1. lib. 3. cap. 9. num. 3. Azor. p. 1. lib. 10. cap. 24. q. 8. Nauarr. cap. 25. nu. 134. Sed nota, quod non ex hoc talis Capellanus teneretur ad reſtitutionem: excuſat tamen Diana à mortali dictum Capellanum, ſi bis, vel ter in anno non celebraret in tali loco aſſignato loc. cit. reſol. 29. ſed non putò hanc viam eſſe aperiendam, quia repugnat rationi naturali, vt quis reſiliat à pacto in re tā graui; nam omnes Doctores, dum loquuntur de pactis, & promiſſionibus factis ratione celebrationis Miſſarum, tanquam de re graui, imò grauiſſima loquuntur; nec in hoc attendendum eſt exiguum ſtipēdium, quia etiam ſi quis acceperit tale ſtipendium, & promiſerit Miſſam celebrare, tenetur ſub mortali ad dictam celebrationem, nec poteſt aliud ſtipendium exiguum accipere, & poſtea vtrique ſatisfacere, aliter mortaliter peccabit, & tenebitur ad reſtitutionem Miſſæ, vel Miſſarum nō celebratarum, non ratione pecuniæ acceptæ, ſed ratione pacti, & promiſſionis rei ex ſui natura grauis; & ſic etiam ratione præcepti impoſiti in Decretis de celebratione miſſarum, vt diximus in ca. antecedenti num. 6. hanc doctrinam tradit. P. Nauarr. de reſtit lib. 2. c. 2. num. 382. Arragonius q. 85. art. 3. Graſſius deciſ. conſecr. cap. 45. num. 17. quos ſequitur Bonac. diſp. 4. q. vlt. pun. 7. §. 2. n. 6. Ex qua doctrina colligo, pactū factum ratione celebrationis miſſarum ſemper eſſe de re graui, & maximè quando eſt appoſitum in fundatione capellaniæ, ſeu beneficij, vnde in caſu propoſito, non puto opinionem Dianæ eſſe tutam, quia ſi admittuntur duo, vel tres dies ratione paruitatis materiæ, poterunt etiam admitti decem, & quindecim dies, quia etiam reſpectu vnius anni, vel continuæ obligationis erit parua materia; ſed hoc nullo modo eſt aſſerendum; & eſt habendum in conſideratione pactum, & beneficium certum, & continuum, quod habet talis capellanus ex tali onere, & vltra hoc, habet maiores redditus reſpectu talis oneris, vnde non ſatisfacere dicto oneri, etiam per vnum diem, videtur eſſe quid iniquum, & inhumanum, & ideò illum nullo modo excuſarem à mortali, etiam ſi per vnā vicem deficeret abſque aliqua rationabili cauſa; & tunc ex rationabili interpretatione voluntatis teſtatoris, licebit bis, vel ter in anno.

5. Colligitur etiam, Sacerdotem acci-

cipi-

Digitized by Google

cipientem eleemoſynam pro miſſa celebranda in altari priuilegiato, non ſatisfacere, ſi illam alibi celebret cum calculo benedicto ſancti Caroli, vel quinque ſanctorum, & ſimilium; vt notat Diana in cit. reſol.29.Bonac.diſp.4.q.vlt.pun.7.§.4.in fine, vbi citat Nauar. Azor. & Fraxinellum; & hoc tum ratione pacti, tum, quia differt efficacia miſſæ ab efficacia orationis priuatæ, non tamen eſſet obligatus ad reſtitutionem, vt ait dictus Diana, ſed niſi vltra ordinarium ſtipendium aliquid accepiſſet pro tali miſſa, at iuxta Azor.part.1.lib.10.cap.24.q.8.ad aliquas preces teneretur, quod etiam innuit ipſe Diana, quibus pactis ſecluſis, alia pacta, & conditiones indiſcretæ, quas in dies experimur in fœminis, & indoctis viris, non ſunt attẽdendæ ſed potiùs eſt eis ſignificãdum, quod fuerit eis ſatisfactũ, ne ceſſent à dicto opere, quod cautè eſt aduertendum.

6. Sed quæritur, vtrum Sacerdos obligatus ad dicendam miſſam alicuius Sancti, vel Beatæ Virginis, vel de requie, ſatisfaciat dicendo miſſam currentem, uel aliam? Affirmatiuè reſpondet Suar.diſp. 83.ſect.3.§.in quo, his verbis. *Quando aliquis ob ſtipendium, vel Capellaniæ inſtitutionẽ, vel ob aliam ſimilem cauſam obligatur ad ſpecialem miſſam dicendam, debet, ſi commodè poteſt præſcriptam obligationem implere, quamuis ſi abſq; ſcandalo id omittat, vel vt miſſalis ordinem ſeruet, non peccabit: immò ſi propter ſolemne feſtum id faciat, meliùs faciet. Similia verba refert.* Diana p.2.tract.14. reſol.31. ex Villalob.tom.1.tract.8.diff.91.num.9. Io.de la Crux in direct. conſcient. part.2. de ſacrific.Miſſæ q.4.dub.2. concl.2.& Ledeſma in ſumma tom.1.cap.24.concluſ.6. & idem dicas, ſi Sacerdos in die Dominico celebret miſſam de requie, vel Beata Virgine, &c. Ex eodem Suar. dicta ſect.3.concluſ.1.& alijs, quos etiam ſequitur Dian. loc.cit.reſol.30. Ex qua doctrina etiam ſequitur, quod Sacerdos, qui tenetur celebrare miſſas Diui Gregorij, poſſit etiam alias miſſas dicere, & defunctis applicare, nec eſt neceſſe, vt ſine interruptione dicantur, imò dictæ conditiones ſunt tollendæ de mente dantis talem eleemoſynam cum tali conditione, quando commodè fieri poſſet, quia illas quærere ſolent modo ſuperſtitioſo. Bonacina diſp.4. quæſt. vlt. pun.7. §.3. num.6. & 7. vbi plures affert.

Et nota D. Bonac. dicto loco num. 1. aſſerere, poſſe Sacerdotem obligatum ad celebrandum tres miſſas pro tribus, applicare in qualibet miſſa tertiam partem pro ſingulis; aſſerit tamen, quod hoc in praxi non conſuleret, & verè in praxi talis opinio non eſt conſulenda, & maximè quia id abſolutè negat, Sylu. ver. Miſſa 1.q.8. & Poſſouinus c. 2.num. 25.q.5.

8. Dubitatur deinde, vtrum Sacerdos ex ſola præſentia, (vt vulgo dicitur) obligatus ad Miſſam celebrandam, poſſit ab alio aliud ſtipẽdium accipere prò Miſſæ applicatione? & negatiuè reſpondet Gauant.ad Rubr.Miſſ.tom.1.par.3.tit. 12. num.5. quod probat ex declaratione facta à Sacra Cõgregatione ſuper Decretis de celebratione Miſſarum ſub Vrbano VIII. vbi ſic habetur. *Ad quartum. Reſpondetur Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare, ratione beneficij, ſeu capellæ, legati, aut ſalarij; ſi eleemoſynas pro alijs etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtriq; obligationi ſatisfacere.* Sed dicta verba nullo modo obſtant caſui propoſito, quia ſupponunt, Sacerdotem eſſe obligatum ad miſſam celebrandam, & applicandam, quod innuunt illa verba, *Non poſſe vtriq; obligationi ſatisfacere*. Nã antea quæſtio erat inter Doctores, an Sacerdos poſſet plura ſtipendia exigua acceptare; & eadem miſſa illis ſatisfacere; & an ratione paupertatis poſſet duplicatum ſtipendium accipere, &c. quæ quæſtiones, cum præſeferebant iniuſtitiam, & ſcandalum, voluit ſacra congregatio illas determinare; vt ex verbis dictorum Decretorum ſumitur; at ea, quæ nec vmbram quidem iniuſtitię cõtinent, nec rationi naturali ſunt diſſona, non intendit Sacra Congregatio prohibere; in caſu propoſito optimè ſeruatur iuſtitia commutatiua, cum vnicuique tribuatur quod ſuum eſt, & quod quis poſtulat à Sacerdote, iam habet, vnus poſtulat tantũ præſentiam, nec curat de miſſæ applicatione, & illam habet, ſecundus petit tantum Miſſę applicationem, nec curat de præſentia,

tia, & illam habet, ſecundus petit tantum applicationem ſacrificij, nec curat de præſentia, & illam habet, igitur ex nulla parte apparet vmbra iniuſtitiæ, nec ſcandalum ex hoc oriri poteſt, quod principaliter intendit Sacra Congregatio; quia tam primus, quam ſecundus, ſunt conſcij de facto Sacerdotis; Vnde ad caſum propoſitũ, affirmatiuè puto eſſe reſpondendum prout reſpondet Fraxinellus de obligat. Sacerdotis ſect.4.cõcluſ.4.§.8. Homobonus de examin. Eccleſ.par.1.tr.4.c.13. quæſt. 121. & Alfonſus de Leone in tract. de Iubileo par.3.q.20.num.27.vt refert Diana par.2.tr.14.reſol.80.

9. Hinc oritur alia quæſtio, vtrum poſſit Sacerdos ex applicatione partis ſacrificij, quæ ad ipſum ſpectat, aliud ſtipẽdium accipere? & ratio dubitandi eſt, quia pars Sacerdotis eſt eiuſdem valoris, ac illa, quæ danti eleemoſynam applicatur, & affirmatiuè multi reſpondent; vt Henriquez lib.9.cap.21.num. 7. Nauar. cap. 25. num.92.& 111.Sot.in 4.d.11.q.2.art.5. & diſt.13.q.2.art.1. Naldus in ſumma verb. Miſſa num.12.Molfeſius in ſumma tom.1. tr.3.cap.15.num. 40. & alij multi, quos ſequitur Dian.par.2.tract.14.reſol.14. quæ opinio ob multitudinem Doctorum, non audeo dicere eſſe improbabilem, tamen ſi admittatur id, quod diximus ſupra cap. 30.nu. 12. nempe fructum ex opere operato non poſſe applicari pro alijs, cum ſit quaſi priuilegium perſonæ conceſſum; neceſſariò eſt dicendum talem opinionem non eſſe probabilem, & contrarium omninò tenendum, quam tenet Suar. diſp. 79. ſect.9.in fine; & idem ſumitur ex doctrina D.Thom.in 4.d.20.ar. 5. quæſtiunc. 3. ad 2.vbi docet, eum, cui conceditur indulgentia, non poſſe illam pro alio applicare, niſi id ſpecialiter in indulgentia concedatur, quia eſt beneficium perſonale, igitur nec fructus ex opere operato, qui conceditur Sacerdoti ex ſpeciali priuilegio, poterit alij; applicari; hãc doctrinam ſequitur Rodriq.1.par.cap.250. nu. 2. Poſſouin. cap.2.num.25.q.6.Bonacina diſp.4.quęſt. vlt.punct.8.num.16.& alij apud ipſum, & ſequitur etiam Filiuc.tr.5.cap.3.num. 77. §.Deniq; in fine, & præter hos Doctores, & rationes, adſunt decreta de celebratione Miſſarum ſub Vrbano VIII. in quibus omninò prohibetur quodlibet aliud lucrum, & ſtipendium ex Miſſæ applicatione præter illud communiter taxatum: & ſumitur etiam ex communi vſu Eccleſiæ.

10. Eſt tamen notandum, Capellanũ habentem pingue ſtipendium pro qualibet Miſſa, non teneri (ſi per alium ſatisfaciat) totum dictum ſtipendium dare alteri Sacerdoti pro celebratione Miſſæ; ſed tenetur dare ſtipendium ordinarium; ita ex declarationibus Sacræ Congregationis ſuper decretis de celebratione Miſſarum, & idem eſt dicendum ſi aliquis Sacerdos acceperit ab amico, vel conſanguineo duplicatum ſtipendium, dummodo ratione amicitiæ, & conſanguinitatis fuerit datum, ſecùs ſi ratione, & intuitu Miſſæ tantum, tunc ſi vellet per alium ſatisfacere, teneretur totum ſtipendium tribuere iuxta dicta decreta Sacræ Congregationis; quod intellige, niſi gratis vellet Sacerdos celebraturus donare illud maius ſtipendium; & ideò eſſet illi manifeſtãdum. Vnde certum eſt, non poſſe Sacerdotem pingue ſtipendium accipere; & poſtea Miſſis per alios ſatisfacere dando minùs ſtipendium prout præcipit Sacra Cõgregatio in citatis decretis §.5.his verbis. *Sacra Congregatio omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volẽs, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrãdam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam cõmittat.*

11. Eſt ẽt notandũ, poſse Sacedotem duplicatũ ſtipendiũ accipere pro Miſsa in die feſto, dummodo fuerit taxatũ ab Epiſcopo vt de Synodo Mediolanenſi teſtatur Bonac.diſp.4.q.vlt.pun.8.nu.13. ſed quid ſi non fuerit taxatum, & tamen Epiſcopus videat talem vſum, & taceat? puto idem eſſe dicendum, quia vſus, eſt altera lex, & cum non prohibeatur ab habente auctoritatem, intelligitur confirmata, & approbata: pro miſſa autem ſolemni, maius ſalariũ taxari poteſt; vt Suar. diſp.80. ſect.2. verſ. Dico tertiò.

12. Vtrum autem Sacerdos, vel Sacriſta alicuius Eccleſiæ poſſit anticipatè Miſsis ſatisfacere? Reſpondeo affirmatiuè;

uè;

tè; nam bonus debitor anticipatè ſoluit; nec obſtat voluntas teſtatoris, vel fundatoris capellaniæ aſſerentis, vt Miſſæ celebrentur ſingulis diebus, vel quater in hebdomada, quia in hoc caſu, vel diceretur irrationabiliter inuitus, vel eſſet dicendum, quod talis teſtator taxauerit ſingulis diebus vnam Miſſam, vel quatuor in hebdomada, ob maiorem commoditatem Sacriſtiæ, & quia talis eſt vſus. Re tamē vera, exiſtens in purgatorio cupit celerem ſatisfactionem, & hanc voluntatem adimplere optimum erit; hanc opinionem putant veram multi Doctores, quando tamē contrarium non exprimatur in fundatione capellaniæ, vt Reginald. in praxi to. 2. lib. 23. nu. 237. Rodriq. in ſumma p. 1. de ſacram. Euchar. cap. 18. concluſ. 17. & alij, quos ſequitur Diana p. 2. tr. 14. reſol. 16. ſed abſolutè loquēdo puto dictam opinionem veram, quando Miſſa eſt applicanda pro iam mortuis; ſecùs ſi etiam pro morituris, quia tunc eſſet aduertendū, ne fieret eis præiudicium; & idem eſt dicendum, ſi miſſa ſit applicanda pro aliquo viuente, quia dum quis viuit; non ſemper eſt in gratia, & ſic non debemus illi Miſſas anticipatè applicare in eius damnum. Sed quid, ſi quis offeret aliquam pecuniarum quantitatem, vt pro ipſo Miſſę celebrentur poſt mortē? de hoc caſu conſultus, reſpondi poſſe dictas miſſas in vita dicti dantis pecuniam ſatisfieri, quia erat ſenex, & probatæ vitę, de quo ſuſpicare non poteram eſſe in peccato mortali, dum applicabantur ei miſſæ, & quia hoc cadebat in eius maius bonum, cum maiorem vim habeat Miſſa in vita, quam poſt mortem; & ſic etiam, quia caſus mortis poterat accidere inſcio dicto patre, qui accepit pecunias, vnde vel nullum vel tardū beneficium acciperet, dico tardum, quia qui nō fruitur ſtipendio, tardus, & mollis eſt ad onus perſoluendum, vt poterat eſſe in dicto caſu, cum non ſemper eſſet dictus Pater in dicto monaſterio permanſurus.

13. E contra verò, aduertendum eſt, ne tot onera Miſſarum ſuſcipiantur, vt ipſis in breui ſatisfieri non poſsit, vt aſſerit Sacra Congregatio in declarationibus factis in decretis de celebratione Miſſarum ſub Vrbano VIII. his verbis. *Ad vndecimū reſpondit, non prohibere abſolutè. Ac propterea, & ſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint; poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarū celebrandarum; dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.* Et interrogatus Proſper Fagnanus Secretarius dictæ Sacræ Congregationis à noſtro Vicario generali quodnam eſſet modicum tempus intentum à dicta Sacra Cōgregatione, reſpondit, vnus menſis; & verè vltra vnum menſem nemo tutè poteſt accipere maiora onera miſſarum abſq; graui culpa, licet Diana p. 2. tr. 14. reſol. 25. dictum tempus extendat vſq; ad duos menſes ex Villalobos, & Ledeſma; quod intellige ordinariè loquendo; quia ſi caſus neceſsitatis, ob quem petitur Miſſa, vel Miſſæ, non patiatur moram, ſtatim miſſæ dici debent ſub mortali, cum obligatione reſtitutionis; etiam ſi miſſæ celebratæ fuerint poſt factū caſum, vt ſi quis ratione infirmitatis, periculi, itineris, partus, litis de proximo faciendæ, & ſimilium, miſſas petat, non ei ſatisfaciemus, ſi miſſas poſt factum caſum celebrabimus, ità Bonacina diſput. 4. q. vlt. pun. 7. §. 5. num. 2. Petrus Nauarr. lib. 2. de reſtit. cap. 2. nu. 366. Rodriq. cap. 252. nu. 7. & alij.

14. Sed quęritur quenā ſit intentio, quam debet habere Sacerdos in applicatione Miſſę pro alijs? Reſpondeo eſſe intētionem actualem, uel uirtualem; nam habitualis nullo modo ſufficit, & ratio eſt, quia intentio habitualis non dicitur cauſa moralis alicuius effectus, ſicut dicitur intentio actualis, uel uirtualis, v. g. intentio quam quiſque habet ſatisfaciendi officio diuino, vel applicandi Miſſam pro dantibus eleemoſynam, non dicitur cauſa talis ſatisfactionis officij, vel applicationis Miſſę, niſi talis intentio actualiter, vel virtualiter fuerit determinata ad tale officium tali tempore dicendum, & ad talem Miſſam pro tali applicandam; Vnde ſi quis hodie proponat craſtina die applicare Miſſam; & poſtea non applicet, Miſsa non intelligitur applicata; at ſi dicat, Miſsam, quā craſtina die dicam, ſit pro tali, tūc iam intentio eſt determinata abſolutè, & ſic etiā ſi in craſtino non recordetur applicare, intelli-

telli-

telligitur applicata, dummodo alteri non applicauerit; ità Suar.diſp.13.ſect.3.concluſ.2.Bonac.diſp.1.q.3.pun.2.§.3.nu.11. Molfeſius in ſumma to.1.tract.3.cap.4.nu. 13.& alij, licet contrarium videatur ſentire Vaſq.in dicto caſu 3.p.diſp.138.cap.6. num.76.& ratio eſt, quia applicatio Miſſæ debet eſſe actualiter, vel virtualiter tempore eiuſdem ſacrificij; ſed hoc non videtur repugnare cum prima opinione, quia iam tempore ſacrificij adeſt virtualis intentio, vt ſupponitur.

15. Dubium etiam eſt, vtrum Sacerdos, dum canitur Euangelium, & Epiſtola in Miſsa ſolemni, teneatur ſub mortali illa legere ſubmiſsa voce? & negatiuè reſpondet Diana p.2.tr.14.reſol.42.& citat Vegham in ſumma to.2.cap.41.caſ.7.& Villalob.in ſumma p.1.tr.8.diffic.31.n.4. & duas affert rationes, prima eſt, quod hoc neq; in Miſsali, neq; in alio iure pręcipiatur; ſecũda eſt, quod licet aliqui id faciant ex conſuetudine non ideo ſunt præcepta; & ambæ rationes, ſalua reuerentia dictorum Doctorum ſunt omninò falſæ, quia in Miſsali habetur ad Rubricas de Miſsa ſolemni c.6.n.4.& 5.quod *Sacerdos dum canitur Epiſtola, illam legat ſummiſſa voce, & dum canitur Euangelium, illud legat eodem modo*; Deinde in bulla Pij V. in principio Miſsalis ſub mortali præcipitur Sacerdoti, vt iuxta ritũ dicti Miſsalis celebret Miſsam vnde, & vigore ordinis Miſsalis, & pręcepti Pij V. omninò tenetur Sacerdos, dictã Epiſtolam,&Euangelium legere. Quoad ſecundam rationem; dico non benè dixiſſe dictos Doctores, aliquos id facere, ſed omnes id facere ex vniuerſali vſu Eccleſię, quod ſufficiens eſſet ad indicandum, mortale eſſe id omittere;neq; obſtat,quod iam audiat,quia Miſſa differt ab officio diuino ob ſpeciale præceptum, & Miſſa, licet canatur ſolemniter, Sacerdos tantum dicitur celebrare, & Miſſa integrè debet celebrari, & non per partes à pluribus; vnde ea, quæ conuntur, & fiunt in Miſſa ſolemni, ſunt ad ſolemnitatem, & non ad tollendum præceptum Sacerdoti, vt non omnia dicat ſicut in alijs Miſſis, hanc opinionem, vt ipſemet Dian. ait, tenet Emanuel Sà verb. Miſſa num.51.& Fernandez in exam.theol.par.5.§.13.num.15.

16. Et quia multa alia dubia faciliter reſolui poſſunt ex Decretis Sacræ Cõgregationis, & ex eorũ declarationibus eiuſdem Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII. conditis, ideò neceſſarium putaui, omnia prędicta hic per extenſum ponere.

Decreta Sacræ Congregationis Concilij S.D.N. Vrbani Papæ VIII. Auctoritate edita de celebratione Miſſarum.

CVm ſepè contingat in quibuſdam Eccleſijs, tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, vt illas pro ſingulis diebus preſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen noua onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur, indeq; fiat, vt depereant piè teſtantium voluntates, obſtricta benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ ſuffragijs priuentur, Eccleſijs debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles graui ſcandolo affecti, plerumq; à ſimilibus charitatis operibus retrahantur: Cumq; his malis maximum in cetera fomentum prębeat, aut, quod ij, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas breui ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri, aut quod Eccleſijs forte pecuniarum abſumpta, plerumq; nuda remaneant onera Miſſarum abſq; vllo emolumento, aut quod eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeò tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic ſe muneri ſubijcere, & redditus Eccleſiæ, aut monaſterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro neceſſaria ſua ſuſtentatione, nouis ſe oneribus obſtringere compellantur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum animaduertens facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatiq; ac iuſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat, hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica conuellere, atque eradicare. Sanctiſs. D. N. Vrbani Diuina prouidentia Papæ V I I I. authoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta decreta edidit.

§. 1. *Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quo quo modo reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perſpecta. Id ſtatuit, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiuſmodi ſi quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.*

§. 2. *Deinde, vbi pro pluribus Miſſis etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia quantumcumq; incongrua, & exigua, ſiue à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuſcunque tam ſecularibus, quā regularibus. Sacra Congregatio ſub obteſtatione diuini iudicij mandat, ac precipit, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, aut alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.*

§. 3. *Id verò, vt deinceps obſeruetur exactius Sacra Congregatio eadem authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibuſuis perſonis, Eccleſiis, ac locis pijs tam ſecularibus, quam regularibus cuiuſcunq; ordinis, congregationis, & inſtituti, quamcunq; ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum miſſarum, vel vniuerſaliorum celebratione; aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.*

§. 4. *Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet ſacerdoti, qui miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.*

§. 5. *Præterea ne in Eccleſijs, in quibus onere miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, ſacerdotes in eis, vt per eſt adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quod onera huiuſmodi cum nulla, aut parua ſint vtilitate coniuncta, ſtatuit, atq; decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia*

lia Eccleſijs capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſterijs, Conuentibus, ac locis omnibus tam ſecularibus, quam regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda à die realis acquiſitionis, ſtatim deponi debeant penes ædem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium quamprimum inueſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

§. 6. *Ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contingerit, eorũq; pretium ſub eadem pœna, vt ſupra deponi, atq; in alijs bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum eiuſdem oneris repetitione, atq; annexione conuerti debeat.*

§. 7. *Ad hæc Sacra Congregatio quibuſuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam ſecularium, quam regularium ſuperioribus, vel alijs, ad quos pertinet, diſtricte prohibet, ne in poſterum onera perpetua, ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum, ſeculares quidem, ſine Epiſcopi, vel eius generalis vicarij; Regulares verò ſine Generalis, vel Prouincialis conſenſu, et licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, alioquin ſecularis, qui huius prohibitionis transgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo, Regulares verò pœnã priuationis omniũ officiorũ, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſq; actiuæ, ac paſſiuæ abſq; alia declaratione incurrant.*

§. 8. *Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoq; onera ſuſcipere valeãt, alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis etiam ſpontè oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſijs cum inſcriptione illa. Eleemoſyna pro Miſſis, vel alia ſimili, ſub ijsdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur.*

§. 9. *Epiſcopus verò, ſeu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarũ celebrandarum obligationibus cuicunq; Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea aſſenſum huiuſmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitimè conſtiterit; illius Sacerdotis tã nouo oneri ſuſcipiendo, quam antiquis iam ſuſceptis poſſe, præcipuamq; rationem habeant, vt redditus, qui Eccleſijs, & locis piis relinquuntur omninò reſpondeant oneribus adiunctis, ſecundum morem cuiuſque Ciuitatis, vel Prouinciæ, intelligantque ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in nouiſſimo die ſe huius prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.*

§. 10. *Poſtremò Illuſtriſſimi Patres non ſine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem diſciplinam euertunt, & præcipuè nimiam hanc facultatem fouent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemoſynæ cuiuſque monaſterii, inhærentes ſummorum Pontificum, ac Sacri Trident. Concil. decretis hac de re editis. Sanctiſs. D. N. authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcunque alijs Superioribus monaſteriorum, conuentuum, ac domorum regularium bona immobilia poſſidentium, cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & inſtituti exiſtentium intra fines Italiæ, & inſularum adiacentium, vt ſinguli, ad quos pertinet in qualibet Prouincia adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & prouentus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obuentiones tam communes monaſteriorum, conuentuum, & domorum eiuſdem Prouinciæ, quam etiam ſingularibus perſonis religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in communem vſum deinceps conferendas; decem annorum immediatè præcedentium habita ratione diligenter, & maturè recognoſcant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines ſterilitates, aliaſuè cuiuslibet generis onera conſueuerunt abſorbere.*

§. 11. *Eaq; omnia ſcripto fideliter exarata, idẽ ſuperior, cuius intereſt in proximo Capitulo, ſeu Cõgregatione generali, vel Prouinciali corã tribus iudicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Cõgregatione*

Digitized by Google

deligendis, proponat, computatis huiuſmodi redditibus eleemoſynis, & obuentionibus vniuerſis, & oneribus, vt ſupra, detractis, ſedulo examinent, quot Religioſi homines, connumeratis etiam Laicis, alijs neceſſarijs ſeruientibus, in vnoquoque monaſterio, Conuentu, & Domo regulari iuxta regionis, & proprij instituti morem victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorundem bonorum, redditųum eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus diſcuſſis; cuiuſque familiæ monaſterij, Conuentus, & Domus regularis in ſingula quaque Prouincia certus earum tantum perſonarum numerus, patrum Capitularium voto, præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus, vt ſuperius ſufficienter ali poſſint.

§. 12. Ne verò ſuperiores, qui id præſtare debent, ſerius, aut remiſsiùs, quam par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat ſacra Congregatio, vt infra annum poſt proximum Capitulum generale, vel prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta ad Sacram ipſam Congregationem Concilij ſinguli mittant.

§. 13. Numerumque familiæ, ſingulorumque Conuentuum, monaſteriorum, & Domorum huiuſmodi regularium, Capitulis, ſeu Congregationis generalis, vel prouincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, ijdem ſuperiores, tam Generales, & Prouinciales omnes, quam locales perpetuò ſeruare omninò teneantur, nec poſſint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redditųum abſque Sacra ipſius Congregationis licentia; Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum ſupra præſcriptum quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, vociſque actiuæ, ac paſsiuæ, & ad omnia ſuæ religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque alijs etiam grauioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis Sacra Congregatio ſubiacere voluit, & declarauit.

§. 14. Deinceps verò, Monaſterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis eiuſdem locis duodecim ſaltem fratres, aut monachi, ſeu religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, vt ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum decret. Felic. record. Gregorij XV. ac de re editi. Alioquin monaſteria, & loca huiuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim religioſi, vt ſupra ſuſtentari, atque inhabitare non poterũt, & actu non inhabitauerint. Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.

§. 15. Porrò ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, ſeù deſuetudinem abeant; Superiores locales cuiuſque Monaſterij, Conuentus, ac Domus regularis curare, atque efficere teneantur, ſub pœna priuationis officij, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vel in perpetuum ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduentus, et feria ſexta poſt octauam Corporis Chriſti præſentes ordinationes in publica menſa perlegantur.

§. 16. Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis cuiuſcunque ſint ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis quocunque honore, et poteſtate præditis, præſentia decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

§. 17. Non obſtantibus quoad ſupraſcripta omnia, et ſingula in præſentibus decretis contenta, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumque perſonarum, atque ordinum tam mendicantium, quam non mendicantium, Militiarum etiam S. Io. Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet Alterius inſtituti, etiam neceſſariò, et indiuiduo, exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium c Confraternitatum, et aliorum quorumcumque tam ſecularium, quam regularium locorum, nec non illorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, et conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque indultis, et litteris Apoſtolicis, etiam mari magno, ſeu bulla aurea, aut alias nuncupatis ſub quibuſcunque tenoribus, et formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijs efficacioribus, et inſolitis clauſulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, et ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis

conceſſis,

Digitized by Google

conceſsis, et iteratis vicibus approbatis, et innouatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, et formis ſpecialis, et indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio ſeu quauis alia expreſsio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſso, et forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſsis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris. Sacra Congregatio Sanctitatis ſuæ authoritate, et ſpecialiter, et expreſsè derogat, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

§. 18. *Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſsit, &c.*

Dat. Romæ die 12. Iunij 1625. Coſmus Card. de Torres. Proſper Fagnanus Sacræ Congregationis Secretarius.

Declarationes aliquot Sacræ Congreg. Concil. S. D. N. Vrbani Papæ VIII. Auctoritate editę ſuper Decretis eiuſdem Congregationis de Celebratione Miſſarum.

SVper primò Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis.

Quæritur quid ſi legatum ſit ita tenue, vt non ſit, qui velit onus illi iniunctum ſubire, & ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſarijs?

Et quid ſi permittatur Epiſcopo in fundatione vt poſſit huiuſmodi onera moderari?

Secundo, ſuper ſecundo eiuſdem Congregationis Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Miſſæ, quod ad rationem tributa eleemoſynæ præſcripta fuerint.

Quæritur, an verba illa (præſcripta fuerint) intelligenda ſint de præſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam iuxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum; Sacerdotes accipientes ſtipendium minùs congruo, teneantur Miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij ſeu Capellæ, Legati, aut Salarij, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis votiuis, aut Defunctorum recipere, & vnico Miſſæ ſacrificio vtrique oneri ſatisfacere?

Quintò poſito, quod teſtator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Miſſæ, abſque vlla præſcriptione eleemoſynæ, quæritur an liberum ſit hæredibus eleemoſynam ſibi bene viſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, ſuper tertiò Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat Priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel anniuerſaria celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quæritur, an verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt priuilegium?

Septimò, ſuper quarto eiuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat:

Quæritur an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, Hoſtiæ, & ſimilium?

Octa-

Digitized by Google

Octauò, an hoc decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, idest, an Rector beneficij, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redditnum beneficij?

Decimò an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione Miſſæ, debeant dare eandem integram eleemoſynam iis, quibus Miſſas celebrandas committunt; An verò ſatis ſit, vt dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Vndecimò, ſuper quinto eiuſdem Congregationis Decreto, quo inter cetera ſtatuitur in hæc verba (eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis) ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; Alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſpontè oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.

Quæritur an hoc Decretum prohibeat abſolutè, quominus accipiant nouas eleemoſynas, qui acceptis non ſatisfecerunt, & quid ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Duodecimò, quid ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento, conſentiat, vt Sacerdos Miſſam celebret, cum primum poterit?

Decimotertiò, an pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quam eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſiis, vt ibidem præcipitur?

Decimoquartò; An in hoc decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur. (Caſſe de morti?)

Decimoquintò, an adminiſtratores Eccleſiæ magnæ deuotionis, & concurſus, poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi iiſdem Miſſis non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, nè aliàs cultus Eccleſiæ, & deuotio, ac concurſus fidelium, vt aiunt minuantur?

Decimoſextò, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & Piorum Locorum, tam ſecularium, quam regularium ſuperioribus, de quibus fit expreſſa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali (& alijs, ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna declaratione?

Decimoſeptimò, ſuper ſeptimò eiuſdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in ſingulis monaſterijs religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.

Quæritur, an vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim ſimilis decreti Sanct. mem. Pauli V. abſque tamen computatione redditnum cuiuſque religioſi, ſit denuò facienda. Nec neceſſaria?

Decimo octauò, an Nouitij ad habitum Regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in monaſterijs; in quibus habita, vt ſupra præfixione numeri, commodè ali non poſſunt?

Decimononò, ſuper vltimò quo cauetur, vt nullibi recipiantur, conuentus Regularium, niſi præter alià ad id requiſita, duodecim ſaltem fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita, vt alioquin ſubſint iuriſdictioni ordinariæ.

Quæritur an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat, eas Religiones Cappuccinorum, ac Societatis Ieſu?

Vltimò, an idem Decretum, vbi diſponit, vt nullibi recipiantur monaſteria, niſi, &c. Habeat locum in Italia dumtaxat, ad quem eſt ſtrictum decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam.

Digitized by Google

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Interpretum, authoritate ſibi à S. D. N. attributa ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita, ad hunc modum reſpondit. Videlicet.

Ad primum, & ſi legatum ſit adeò tenue nihilominus pro reductione oneris, vt ſupra impoſiti, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque vlla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino à re eſſe iudicauerit: Verumtamen ſi in ipſa beneficij erectione expreſsè cautum fuerit, vt liceat Epiſcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſeruandam.

Ad ſecundum eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario, quod ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundum morem Ciuitatis, & Prouinciæ.

Ad tertium teneri:

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu Capellæ, Legati, aut Salarij, ſi eleemoſynas pro alijs etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum cenſuit, vbi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum ſecundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum, reſpondit permittendam non eſſe, vt Eccleſiæ, ac loca, pia, ſeu illorum adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum vllam vtcumque minimam portionem retineāt ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & loca ipſa alias non habent redditus, quos in vſum earundem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ ſacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ, & nihilominùs eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt. Expenſis, vt ſupra deductis, abſolutæ tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octauum, non habere locum; ſed ſatis eſſe, vt rector beneficij, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam ſecundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad decimum debere abſolute integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad vndecimum reſpondit, non prohibere abſolutè ac propterea, & ſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum; dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad duodecimum, quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeunt, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione, id ſciat, & conſentiat, vt illæ tunc demum celebrentur cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit: Decretum non prohibere, quominus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis iuxta benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad decimum tertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipiendis onera perpetua Miſſarum celebrandarum, ſine licentia Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimum quartum comprehendi.

Digitized by Google

Ad decimum quintum. Non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, vt ſupra in reſponſione ad Duodecimum.

Ad decimum ſextum, comprahendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimum ſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam ſeruata forma vltimi decreti hac de re editi.

Ad decimum octauum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio monaſterio eiuſdem Religionis eſſe collocandos, vbi commodè ali poſſint.

Ad decimum nonum, cenſuit comprahendere.

Ad vltimum, habere locum extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres. Proſper Fagnanus Sacræ Congr. Secret.

DE PRÆCEPTO AVDIENDI MISSAM.

Quas Perſonas, & quibus Diebus obliget Præceptum Audiendi Miſſam. Cap. XXXVI.

1 *Adeſt præceptum Eccleſiæ omnibus fidelibus, audiendi Sacrum in diebus feſtiuis.*

2 *Omnes fideles Adulti ſub mortali tenentur audire Sacrum integrum in diebus feſtiuis.*

3 *Miſſa in tres partes diuiditur, & vnam ex illis omittere, erit mortale. Et in die Natiuitatis Domini, vna tantum Miſſa ſufficit ad præceptum.*

4 *Qui audiuit Miſſam ex deuotione, ſi poſtea cognoſcat eſſe, diem feſtum, non tenetur aliam Miſſam audire.*

5 *Ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ, requiritur intentio, & attentio.*

6 *Si quis in Miſſa habeat voluntatem libidinoſam, poterit tamen ſatisfacere præcepto.*

7 *Epiſcopi ex conſilio debent quotidiè miſſam audire.*

8 *Dum quis audit Miſſam non poteſt confiteri, aut aliud opus facere.*

9 *Ad ſatisfaciendum præcepto Miſsæ requiritur præſentia corporalis in Eccleſia.*

10 *Dies feſtiui ſunt dies Dominici, & alij dies præcepti ab Eccleſia.*

11 *Si quis eſt diſceſſurus mane ad locum, vbi non celebratur feſtiuitas, non tenetur audire Miſſam.*

12 *Feſtum Annunciationis, ſi venerit in Paraſceue, non tenentur fideles audire Miſſam.*

13 *Si quis non poſset, niſi dimidiam Miſsam audire, teneretur illam audire.*

14 *Satisfaceret quis præcepto audiendo Miſsã in Oratorio priuato, ſi non adeſset peculiaris prohibitio Eccleſiæ.*

ESt priùs ſupponendum, eſſe in Eccleſia præceptum omnibus diebus audiendi Miſſam diebus feſtiuis: hæc concluſio eſt de fide certa, vt habetur in multis capitibus de conſecr. diſtin. 1. vt cap. Miſſas, cap. omnes fideles, ita communiter omnes patres, & præcipuè P. Auguſtinus lib. de S. Virginitate cap. 14. & 15. Sumitur ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ, & ita omnes Doctores ſentiunt, vt D. Thom. 2. 2. q. 112. art. 2. Sot. 2. de iuſtit. q. 4. ar. 4. & in 4. d. 13. quęſt. 2. art. 1. 1. & ibi Paludanus quæſt. 13. Nauarr. in cap. Quando & in manuali cap. 13. num. 16. & cap. 21. omnes Summiſtæ verbo Miſſa, & Canoniſtæ in dictis capitibus de conſecrat. quod præceptum, licet, ſit humanum, tamen valde conſentaneum eſt, & fundatum in lege naturæ, & diuinæ, & probatur, quia ſacrificare eſt quodammodo de iure naturæ, ſaltem quatenus eſt externus cultus Dei, vnde congruenter Eccle-

Eccleſia certos dies aſſignauit, in quibus talis cultus daretur Deo, & vt etiam hoc modo adimpleretur tertium præceptum diuinum *Sabata ſanctifices*. Nec non,& prę-ceptum Chriſti *(Hoc facite in meam commemorationem)* Quod intelligitur,vel offerendo reſpectu ſacerdotum, vel aſſiſtendo, & ſimul ſpiritualiter offerendo cum ipſis Sacerdotibus, ſicut fecit Chriſtus in nocte cœnæ, ſacrificando,& diſcipuli aſſiſtendo. Vnde hoc pręceptum ſub mortali obligat, licet, tantum Pontifex poſſit diſpenſare, ideò in hoc nullo modo eſt audiēdus Angelus ver.Feria nu.45.aſſerens potiùs Miſſam eſſe omittendam in die feſto, quam Concionem; nam hoc eſt apertè falſum, cum Miſſa, & non concio ſit de præcepto, vt conſtat ex communi vſu Eccleſiæ, quibus poſitis.

2. Dico omnes fideles adultos teneri diebus feſtis Miſſam audire, dummodo nō detineātur à iuſta cauſa: imò,vt ait Caiet. ver.feſtorum violatio. Si quis putat bona fide, cauſam eſſe ſufficientem, licet, re vera, non ſit, tamen adhuc excuſatur, quod etiam docet Nauarr.cap.21.num.14.& eſt generalis regula de omnibus peccatis, vt ait idem Nauarr.c.23.n.42. omnes igitur fideles habentes vſum rationis, quod accidere ſolet circa ſeptemnium, tenentur ſub mortali ad obſeruantiam huius præcepti,niſi ignorātia obligationis pręcepti, illos excuſaret, vt notat Azor.1.par. lib.7. cap.2. infideles autem non compræhenduntur ſub hoc præcepto, quia de his, qui foris ſunt, non pertinet ad Eccleſiam vt alibi diximus ex 1.ad Corinth.5. imò nec Cathecumeni hoc præcepto ligātur; licet, admittātur ad Miſſam Cathecumenorum, ſcilicet, vſque ad Offertorium, namq; hoc ex præcepto, & tenentur dicti fideles totā Miſſam audire, vt conſtat ex cit. cap. Omnes fideles, vbi hæc verba habentur. *Omnes fideles, qui conueniunt in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſiam, & ſcripturas Apoſtolorum, & Euangelium audiant, qui autem non perſeuerant in oratione vſque dum miſſa peragatur, conuenit communione priuari*; Et in cap.Miſſas dicitur. *Miſſas die Dominico ſecularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus*; Vnde nec poſſunt fideles abſq; graui culpa omittere partem notabilem Miſſæ;licet, poſſint excuſari inſeruientes dictis miſſis,ſi ratione ſeruitij ad Miſſam ſpectātis, notabilem partem omitterent, vt ratione vini,thuris, & ſimilium, quod intellige, quando id caſu accidat, cum teneantur omnia præuidere, ſecùs autem ſi ſine neceſſitate abeſſe procurent, vide Suar. diſp.88. ſect.2. & 4.

3. Sed quęnam ſit pars notabilis Miſſę? Reſpondeo,eſſe dimidiam,vel tertiam partem ipſius, & ſecūdum communiorem opinionem.Prima pars eſt à principio vſq; ad principium Euangelij excluſiuè.Secunda eſt ab Euangelio, vſq; ad Communionem. Tertia eſt vſque ad finem Miſſæ. Attamen etiam ſi quis omitteret à principio vſq; ad epiſtolam excluſiuè, & poſtea diſcederet poſt factam communionem, non committeret culpam grauem, quia omnia magis ſubſtantialia Miſſæ iam audiuit; ſed nota, quod,qui nō audiuit primum Euangelium, non ſatisfacit, ſi non audit vſq; ad finem Euangelij D. Ioannis, cum ſaltem vnum Euāgelium ex præcepto ſit audiendum: eſt etiam notandū, omittere totum Canonem, ſcilicet conſecrationē, & ſumptionem, eſſe partem notabilem, & ſubſtantialem,& ideo abſq; culpa graui omitti non poteſt, & ſaltem conſecrationi omninò eſt aſſiſtendum, vel ad minus ſumptioni; vt Suar.ſtatim citand.§.vltimò;ſed Bonac.ſimiliter citandus in n.14.ait,mortale eſſe omittere conſecrationem, oblationem, & ſumptionem;nec audiendus eſt Nauarr. loc. cit. qui ait, quod ſi quis incipiat Miſſæ aſſiſtere ab offertorio, vel ſymbolo, ſatisfaciet præcepto, dummodo poſtea legat, vel legi ſibi faciat Euangelium; nam dicta lectio non eſt pars Miſſæ,& præceptum eſt de Miſſa audienda; vt benè ait Suar.diſp.88.ſect.2.§.Addit verò, Filiucc. tr.5. cap.7. nu. 201.& alij; Non eſt autem neceſſe, vt dicta Miſſa audiatur in Parochia, vt conſtat ex communi vſu Eccleſiæ, nec ad hoc poteſt Epiſcopus fideles obligare, cum non poſſit reſtringere ius commune; poteſt tamen monere illos, vt frequentent ſuam Parochiam; vt ait Concil. Trid. ſeſſ. 22. in decret.de obſeru.in celebr. Miſs. Moneant etiam eumdem Populum,

Digitized by Google

lum, vt frequenter ad ſuas Parochias ſaltem diebus Dominicis, & maioribus feſtis accedant; Syluef. ver. Miſſa 2. q. 5. Nauarr. cap. 21. num. 5. Suar. loci cit. concluſ. 1. Filiucc. eodem loc. num. 203. & alij; ſumitur etiam ex dictis nec teneri fideles audire Miſſam ſolemnem; nec plures ſed vnam tantum, etiam in die Natiuitatis Domini; & licet, Miſſa ſit de Sancto, vel de requie, dummodo ſit Miſſa, ſufficiens eſt ad præceptũ; vt communiter omnes. Imò etiam ſi miſſa fuerit celebrata ritu Græcorum, vel Syrorum, dummodo ritus ſit approbatus ab Eccleſia, & ſi alia Miſſa non adeſſet, teneremur omninò, talem Miſsam, dicto ritu celebratam audire: vt Nauarr. conſil. 5. de celebr. Miſs. & alij, quos ſequitur Filiucc. tr. 5. cap. 7. nu. 204. nec ſimiliter refert, ſi vna pars Miſsæ audiatur ab vno Sacerdote, & alia ab alio; licet, indecens ſit, vide etiam Bonac. diſput. 4. q. vlt. pun. 11. num. 12. & 13. Reginald. lib. 19. num. 26. & alios.

4. Deinde, qui Miſsam audiuit, non putans eſse diem feſtum, vel ſciens, non habuit intẽtionem ſatisfaciendi pręcepto; ſed ſatisfaciendi poſtea: non ideo tenetur aliam Miſsam audire; ſed poteſt illam iam auditam, applicare, cum Eccleſia non pręcipiat audire Miſsam cum hac intentione; nam ſi v. g. tibi debeo veſtem, vel aliud, quod poſtea me inuito recuperas, nõ ſum amplius tibi debitor; & idem eſt dicẽdum de horis canonicis pro ſcrupuloſis, quia etiam ſi videantur non habuiſse intentionem; imò habuiſse animum non ſatisfaciendi, non tenentur repetere; ſed poſsunt illud officium offerre in ſatisfactionẽ; ſed dicta applicatio eſt facienda antequam transeat hora audiendi Miſsam, vel media nox recitandi officium; ita ex Diuo Thom. 2. 2. q. 104. art. 3. ad 2. Filiucc. tr. 5. cap. 7. nu. 210. & 211. Suar. diſp. 88. ſect. 3. §. circa poſteriorem partem, in med. Bonac. diſp. 4. q. vlt. pun. 11. num. 22. & 23. & alij multi, quos ipſe affert; & idem eſt dicẽdum, ſi quis coactè aſſiſtat Miſſæ, habens voluntatem non aſtandi, nec ſatisfaciendi præcepto, & ſi ei liberum eſſet abiret; nam hic non ſatiſfacit præcepto; ſi tamen intra debitum terminum mutet voluntatem, poterit dictam Miſſam applicare in ſatisfactionem præcepti; ità Doctores cit.

5. Requiritur etiam in Miſſa attentio, vt talis actio dicatur actio humana, & Religioſa, quæ attentio tripliciter eſſe poteſt, vel circa ea, quæ dicit, & facit Sacerdos, & hæc ſufficiens eſt, licet, ſit omnium imperfectiſſima. Secunda circa ea, quæ dictis, vel factis ſignificãtur; & hæc erit perfectior. Tertia eſt illa, quæ attendit ad Deum, & ad Diuina myſteria, & hæc eſt optima, & perfectiſſima, & harum vna ſaltẽ virtualiter eſt neceſſaria: itá fusè Suar. in cit. ſect. 3. §. circa alteram partẽ; & meritò reijcit opinionem Syluef. ver. Miſſa 2. q. 6. aſſerentem interiorem attentionem non cadere ſub præcepto, quia humanum præceptum nõ cadit in actum interiorem; ſed hoc eſt falſum, quia id quod præcipitur in caſu noſtro, eſt actus religionis habens omnimodam cõnexionem cum actu interiori, & ſic ratione dictæ connexionis, benè poteſt cadere ſub præcepto, hãc doctrinam multi ſequuntur, licet, non deſint etiam multi qui contrarium ſentiant cum Syluef. vt refert Dian. par. 2. tr. 12. reſol. 2. & hanc contrariam opinionem ipſe ſequitur, putans cum alijs, ſufficere quamdam extrinſecam attentionem, vt non occupetur audiens Miſſam ad alia negotia diuerſa à Miſſa; vt confabulando, ridendo, &c. quia cum huiuſmodi actibus non poteſt ſtare actus humanus, & religioſus, quod benè debent aduertere illi, qui hanc opinionem ſequũtur, ſed prima opinio tutior eſt, & in praxi conſulenda.

6. Vnde, ſi quis audiendo Miſſam, habeat prauam voluntatem, vel libidinoſam in aſpiciendo mulieres, dummodo nõ abſtrahatur à debita attentione; vel ſecundũ Dian. dummodo nõ ſit admixta cum actibus externis, ita vt non poſſit dici, talem audiẽtem Miſſam exercere actum religionis, ſatisfaciet præcepto. Vnde à fortiori dicere poſſumus, audientem Miſſam poſſe pſalmos, vel orationes recitare etiam in ſatisfactionem præcepti, vel pœnitentiæ confeſſionis; vt Suar. diſp. 88. ſect. 3. in fine cum Gabr. Caiet. Sot. Medina, Adrian. Nauarr. & alijs.

Eſt

7. Eſt hic notandum, quod ſupra omiſimus, infantes, & carentes vſu rationis non ligari hoc præcepto: & è contra Epiſcopos ex cõſilio debere quotidie Miſſam audire ex cap. vlt. de priuil. in 6. Deinde clerici poterunt obligari ad frequentiùs Miſſam audiendam ratione beneficij; & ſimiliter Religioſi ratione profeſſionis. Suar. loc. cit. ſect. 4.

8. Sed quæritur, vtrum dum quis audit Miſſam, poſſit confiteri, vel examen conſcientiæ facere? & affirmatiuè reſpondet Reginaldus lib. 19. nu. 14. in fine dummodo Miſſæ aſsiſtat, & licet, hanc opinionem aliquando ſequutus ſit Bonac. tamen poſtea contrariam amplexus eſt, tanquam magis tutam, & veriorem diſput. 4. q. vlt. pun. 11. nu. 26. ſequutus Suar. diſp. 88. ſect. 6. & Azor. 1. par. lib. 7. cap. 2. q. 8. & re vera hanc opinionem puto veram ſaltem, quoad confeſsionem, quia eſt actio omninò diuerſa, & ratio humana id dictat; tamen contrarium facientem non damnarem de mortali, quia etiam prima opinio non caret ſua probabilitate; nam etiam officium diuinum eſt quid omninò diſtinctum, & tamen ex eodem Suar. & Azorio, poteſt recitari in Miſſa.

9. Requiritur etiam ad Miſſam præſentia corporalis moraliter loquendo, ita vt audientes, quantum in ipſis eſt, poſſint illam audire, & videre, ſeu percipere aliquo modo miniſterium Sacerdotis; licet, actualiter non videant ex aliquo accidẽti, vt accidit in cæcis, & ſurdis, vel ratione multorum aſtantium in Miſſa; hi enim ſatisfaciunt, dummodo debita attentione aſſiſtant; quæ aſſiſtentia debet eſſe in Eccleſia, niſi ratione paruitatis Eccleſiæ, aſtãtes extra illam Miſſam audirent; ſed nullo modo ſatisfaceret, ſi quis domi manendo, Miſſam audiret, quamuis Sacerdotem aſpiceret per feneſtram, vel portam Eccleſiæ, quia moraliter loquendo, non diceretur præſens; vt Suar. diſp. 88. ſect. 3. §. in hac re. Ex D. Anton. Sylueſt. Nauarr. Caiet. & Soto, & ſequitur Filiuc. tr. 5. ca. 7. num. 208. & 209.

10. Sed quia diximus, Miſſam eſſe ex præcepto audiendam in diebus feſtiuis, quæritur, quinam ſint hi dies feſtiui? Reſpondeo in primis. Eſſe omnes dies Dominicos, vt habetur in cap. Miſſas de conſecr. diſt. 1. & licet in veteri lege dies Sabbathi erat deputatus ad diuinum cultum, quod præceptum, quia ceremoniale erat ceſſauit; & in diem Dominicum ab Eccleſia fuit translatum ad ſignificandum vmbras Iudaicas iam ceſſaſſe, & in Dominica reſurrectione omnia fuiſſe completa; & meritò quidem fuit etiam talis dies vocatus dies Solis, vt conſtat ex lege omnes dies cap. de ferijs, ad ſignificandum in tali die ceſſaſſe tenebras Iudęorum, & nouum Solem eſſe ortũ Chriſtianis; & de tali die Solis memorat Iuſtin. Apolog. 2. in fine, Tertull. in Apolog. cap. 16. Bellarm. Card. lib. 3. de cultu. Sanctorum cap. 11. & alij. Præter dictos dies Dominicos, ſunt etiam alij dies, in quibus fideles tenentur audire Miſſam, & ſunt omnes dies feſtiui à iure communi inſtituti, & præcepti, vel ex antiquiſſima, & vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine, vel ex priuata lege alicuius Epiſcopatus; de quibus omnibus ſigillatim memorat Suar. diſp. 88. ſect. 5. §. dico ſecũdò, ponetur tamen in fine huius capitis bulla Vrbani VIII. recenter edita in qua determinãtur dies feſtiui, qui ex præcepto ſeruandi ſunt; & eſt notandũ, quod tranſacto tali die feſto, nõ tenetur quis alio die Miſſam audire, eo quod in tali die feſto non audiuit, quia præceptum eſt affirmatiuum obligans pro tali die tantum; ſicut etiam dicitur de horis canonicis, vt Medina C. de orat. 9. de horis canon. recitand. Nauar. in cap. Quoniam notab. 3. num. 18. & communiter omnes.

11. Eſt etiam notandum, teneri incolam audire Miſſam, antequam diſcedat è loco, vbi celebratur dies feſtus, quia hoc præceptum obligat omnes, qui in tali loco reperiuntur, licet, diſcedere debeat ad locum, vbi dies feſtus non celebratur. Ita Filiuc. tr. 5. cap. 7. num. 220. ex Suar. & Nauar. licet, Sancius lib. 3. de matr. diſp. 28. num. 22. cum alijs contrarium ſentiat, quód non videtur improbabile, ſed omninò verum, ſi intra horas, in quibus deberet audire Miſſam, reperiatur in territorio, vbi non celebratur feſtiuitas; imò hãc opinionem tenet Suar. lib. 2. de religion.

Digitized by Google

cap.14.num.21.Nald.verb.Miſſa num.15. Henriq. cap. 25. nu.2.& ſequitur. Bonac. diſp.4.q.vlt.punct.12.in fin.qui ex eiſdem Doctoribus etiam docet, extraneum peruenientem ad locũ in quo celebratur dies feſtus ex aliqua peculiari cauſa non teneri, Miſſam audire, niſi ibi ſit moraturus per maiorem partem anni.

12. Vtrum autem, ſi feſtum Annunciationis venerit in Paraſceue, teneantur fideles Miſſam audire? negatiuè reſpondendum eſt, quia Miſſa dicti diei, non eſt vera Miſſa, cum ibi non fiat conſecratio, vt Suar.diſp.75.ſect.4.Bellarm.tom.2.lib. de Euch. cap. 22. & alij communiter contra Vaſq.tom.3.in 3.par.diſput.232. ca.2. num.18.

13. Item dubitatur, an ſi quis reperiat Miſſam in Canone, vel offertorio, & non adſit alia Miſſa, teneatur talem Miſsã audire? & affirmatiuè reſpondet Suarez diſp.88.ſect.2. & Sanchez in ſumma to. 1. lib.1.cap.19.num.6.& ratio eſt, quia præceptum debet adimpleri meliori modo, quo poteſt, & maximè quia in tali caſu ſaltem quis audiret partem magis eſſentialem Miſſæ; attamen negatiuam partem tenet Sancius in Select.diſp.15.num. 5. & id probabile eſse ait Diana par.3.tract. 6. miſcell. reſol. 69. & ſimiliter idem putat eſse dicendum, ſi quis non poſset, niſi dimidiam Miſsam audire, v. g. à principio, vſq; ad conſecrationem; ſed à prima opinione non eſt diſcedendum tanquam tutiori, & probabiliori.

14. Sed quæritur, vtrum quis ſatisfaciat præcepto, ſi audiat Miſsam in oratorio priuato? Reſpondetur affirmatiuè, ſecluſa prohibitione Eccleſiæ, nam vt refert Quaranta verb.Miſsa verſ.quanta, & in praxi ita videtur obſeruari; Adeſt decretum Sacræ Congregationis, quo præcipitur, vt licentia celebrandi in oratorio priuato concedatur cum hoc onere, vt ſolum priuilegiarius, & ipſius familiares poſſint ſatisfacere præcepto, audiendo dictam Miſsam. Vnde alij nullo modo ſatisfaciunt.



Vrba-

VRBANVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.

VNiuerſa per Orbem nouit Eccleſia Romani Pontificis ſupremæ incumberę ſollicitudini Dominicum gregem ad æternam dirigere ſalutem, & Apoſtolica ſic explicare præcepta, vt fideles in viam mandatorum currere, & ad Beatitudinem valeant feliciter peruenire. Pluximorum ſiquidem Venerabilium fratrum Noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum per varias regiones conſtitutorum relatione ad Hos peruenit Feſtorum multitudinem per ſingulas eorum Diæceſes, atque Prouincias adeò creuiſſe deuotione, atque conſuetudini noua in dies introducente, vt multi iam dubitare videantur, quænam ex Præcepto, quæuè ex libera cuiuſque voluntate ſint ſeruanda, pietatis feruore ob nimiam eorumdem numeroſitatem tepeſcente; Quinimò, & clamor Pauperum frequens aſcendit ad Nos eamdem multitudinem ob quotidiani victus laboribus ſuis comparandi neceſſitatem ſibi valde damnoſam conquerentium, & quod ſummopere dolendum eſt magno cum animi noſtri mærore didicimus tanta ſepè ſæpius malignatum Inimicum in Sancto, vt ipſa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in Eccleſiis Deum populi vtantur, ſed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non formident, ita vt quæ ad glorificandum Diuinum Nomen ſunt primitus inſtituta, temporis decurſu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offenſionem, grauemque iacturam conuerterit animarum. Quamobrem dicti Venerabiles Fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi Nobis fecerunt humiliter ſupplicari, vt in prædictis de Apoſtolica poteſtatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem. Nos itaque volentes ex debito Paſtoralis officij prouidere, & ſanctificationis Feſtorum certum deinceps firmare præceptum antiquam Eccleſiæ in hoc multitudinem ſectantes, habitus prius frequentibus per Doctos, Pioſq; Viros, quos ad hæc ſpecialiter deputauimus, conſultationibus, vt rei videtur grauitas poſtulare. Motu proprio, & ex certa ſcientia, meraque deliberatione Noſtri, nec non de prædicta Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, hac perpetua valitura Conſtitutione de voto etiam Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum, Apoſtolica auctoritate decernimus, & declaramus infraſcriptos duntaxat dies pro Feſtis ex Præcepto colendos eſſe, quos nempe, vel ab initiò veneranda ſacrauit antiquitas, vel vniuerſalis Eccleſia probauit conſuetudo, vel omnium gentium vnanimis pietas veneratur.

Dominicos ſcilicet totius anni, Natiuitatis D.N.I.C. Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis cum duabus ſequentibus Ferijs, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duabus pariter ſequentibus Ferijs, Sanctiſſimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Chriſti, & Inuentionis S. Crucis, nec non Feſtiuitatum Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Natiuitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, S. Petri, & Pauli, SS. Andreæ, S. Iacobi, S. Ioannis, S. Thomæ, SS. Philippi, & Iacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis, & & Iudæ, & S. Matthiæ, Chriſti Domini Apoſtolorum. Item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentij Martyris, S. Sylueſtri Papæ, & Confeſſoris, S. Ioſephi etiam Confeſſoris, & S. Annæ Deiparæ reſpectiuæ Sponſi, ac Genetricis, Solemnitatis omnium Sanctorum, atque vnius ex Prncipalioribus Patronis in quocunque Regno, ſiue Prouincia, & alterius pariter Principalioris in quacunque Ciuitate, Opido, vel Pago, vbi hos Patronos haberi, & venerari contigerit.

Ad reliquorum verò dierum obſeruantiam, quos hactenus ſiue in vniuerſa Eccleſia, ſiue in quauis Natione, aut Regno, Prouincia, Diœceſi, aut loco quomodocunque, ſiue ex præcepto, ſiue ex conſuetudine, ſiue ex deuotione Chriſti fideles tanquam feſtiuos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipſos teneri dicta auctoritate tenore præſentium perpetuò etiam decernimus, & declaramus. Ne autem dies feſtos à locorum Ordinarijs nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eoſdem Ordinarios in Domino monemus, vt ad Eccleſiaſticam vbique ſeruandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione

ſub

ſub præcepto nouorum Feſtorum audeant abſtinere. Vt verò ea, quæ ſuperius expreſſa ſunt feruentiori qua decet veneratione, ac deuotione colantur, eiſdem Ordinarijs antiquorum Canonum obſeruantiam ad memoriam reuocamus in concedendis licentijs laborandi diebus Feſtis; Quæ quidem licentia non aliter, quam ad formam prædictorum Canonum, vt præmittitur, concedendæ, non niſi gratis, liberè, & ſine vllo prorſus pretio, aut pacto directè, vel indirectè concedantur, ſub pœnis, etiam grauioribus Noſtro, Succeſſorumque Noſtrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc Noſtram Conſtitutionem Dies Feriatos circa iudicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus erant ante eiuſdem promulgationem. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub indignationis Noſtræ pœna, nunc, & pro tempore exiſtenti Noſtro in Vrbe, eiuſque diſtrictu Vicario in Spiritualibus Generali, ac vniuerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſque Prælatis, ac cuiuſcunque generis Locorum Ordinarijs, etſi Cardinalatus honore fulgeant, vt has præſentes litteras, omniaque & ſingula in eis contenta ſinguli videlicet in eorum reſpectiuè Diœceſibus publicent, & ab omnibus eorum ſubditis ad vnguem obſeruari faciant. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, etiam in Prouincialibus, Synodalibus, & Vniuerſalibus Concilijs editis, & edendis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac ſingularum Prouinciarum, Ciuitatum, Oppidorum, & Locorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus longiſſimo tempore præſcriptis ac obſeruatis, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque indultis, decretis, declarationibus, & litteris Apoſtolicis, alijſque gratijs, tam per ipſos Romanos Pontifices prædeceſſores Noſtros, ac Nos etiam motu ſimili etiam Conciſtorialiter, quam per Ordinarios locorum cuiuſcunque qualitatis, etiam Cardinalatus honore, vt præfertur, fulgentes, Legatos etiam de Latere, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios ipſis Prouincijs, Ciuitatibus, Oppidis, & Locis, alijſque quibuſcunque etiam quantumuis priuilegiatis perſonis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, ac alias in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis, & ſi alias pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, etiam forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, eiſdem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt earumdem præſentium tranſumptis, etiam, & manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique locorum tam in iudicio, quam extrà illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Noſtrorum Decretorum, Declarationum, Monitionis, Intentionis, Mandati, Derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1642. Idibus Septembris Pontificatus Noſtri Anno Vigeſimo.

De

De cauſis excuſantibus ab audienda Miſſa. Caput XXXVII.

1 *Excommunicatio, & Interdictum excuſat à præcepto audiendi Miſſam.*

2 *Habens priuilegium tempore Interdicti, tenetur Miſſam audire.*

3 *Inuincibilis ignorantia, excuſat etiam à dicto præcepto.*

4 *Impotentia corporalis, vt infirmitas, & ſimiles etiam excuſant; niſi in Oratorio priuato poſſet commodè Miſſam audire.*

5 *Nautæ, Curſores, & ſimiles excuſantur ab audiendo Miſſam.*

6 *Ex iactura alicuius boni, vel ex difficultate, & labore, poteſt quis excuſari ab hoc præcepto.*

7 *Ratione charitatis proximi, vel propriæ vtilitatis ſpiritualis, poſſit etiam quis excuſari ab audiendo ſacro.*

8 *Ratione officij etiam poteſt quis excuſari, vt ſunt milites cuſtodientes Caſtrum, vel portas Ciuitatis.*

9 *Vſus patriæ etiam excuſat, vt viduæ, quæ non ſtatim exeunt mortuo marito, vel puellæ, &c.*

10 *Excuſantur etiam fideles, ſi non habeant, niſi Sacerdotem excommunicatum, interdictum, vel ſuſpenſum.*

11 *Ratione maioris boni, & ſi adſit aliqua moralis neceſſitas, poterit etiam quis excuſari.*

12 *Contra tranſgreſſores huius præcepti, nulla adeſt pœna, vel cenſura; licet, poſſint excommunicari, ſi ſe non emendauerint.*

1. QVamuis dixerimus pręceptum audiendi Miſſam obligare omnes fideles ſub mortali ad illam audiendam omnibus diebus Dominicis, & feſtiuis; Tamen quia hoc præceptum eſt de iure Eccleſiaſtico, ex conſequenti non obligat cum tanto rigore, vt non poſsit Miſſa omitti ex aliqua iuſta, & decenti cauſa; Vnde, licet, multæ numerari poſſent, tamen omnes ad octo capita reducemus, ex quibus alia faciliter cognoſcentur. Primũ caput eſt impedimentum ſpirituale, ſcilicet, Excommunicatio, vel Interdictum ſpeciale, vel generale; nam per huiuſmodi cenſuras priuatur quis ne poſsit intereſſe diuinis officijs, vel Miſſæ, vnde ceſſat obligatio audiendi Miſſam; Vtrum autem talis excomunicatus, vel interdictus mortaliter peccet non audiendo Miſſam ex negligentia, qua vtitur in procurando abſolutionem? & negatiuè reſpondendum eſt, quia nõ tenetur quis tam remotè, ſe diſponere ad Miſſam, nec etiam peccat contra hoc præceptum, qui præuidet excommunicationem, & non curat illam euitare; vt docet Suar. diſp. 88. ſect. 6. ex Nauarr. cap. 21. nu. 34. & 45. ſed hæc ratio non currit in præcepto confeſſionis, & communionis, quia ex his præceptis quilibet tenetur ad mundandam animam, & ex conſequenti ad omnem diſpoſitionem neceſſariam, vt abſolui poſſit à peccatis: & ideò toties, quoties non confitetur in Paſcha, & non communicat, mortaliter peccat, idem Suar.

2. Sed quæritur, vtrum tempore interdicti habens priuilegiũ, teneatur Miſſam audire? reſpondetur affirmatiuè, quia impedimentum, quod aderat per interdictum, quo excuſabatur ab hoc præcepto, iam eſt ſublatum, ſicut ſi quis per vim detentus, vel ex infirmitate, non poſſet Miſſam audire, excuſaretur à peccato; ſed ſolutus, vel liberus ab infirmitate, tenetur præceptum adimplere, nec poſſet excuſari à peccato. Suar. diſp. 88. ſect. 6. §. Solet ex Nauarr. cap. 21. nu. 3. & Sot. d. 13. q. 2. ar. 1. & d. 22. q. 3. art. 1. & ſequitur Filiucc. tr. 5. cap. 7. nu. 225.

3. Reducitur ad dictum caput impedimenti ſpiritualis: Inuincibilis ignorantia, vt ſi quis neſciret eſſe diem feſtum in tali loco, quę eſt ignorantia facti; At ignorantia iuris non poſſet tam faciliter excuſari, v. g. ſi quis neſciret obligationem audiendi Miſſam in die feſto; nam ad hanc cognitionem omnes fideles tenentur, & ideò poſſet quis excuſari, niſi ratione pueritiæ; vel niſi eſſet omninò educatus in Syluis, vel eſset ſtupidus; & idem dicitur de naturali obliuione, vel inconſideratione ex eiſdem Doctoribus.

4. Se-

Digitized by Google

4. Secundum caput excuſationis eſt impotentia corporalis, vt ſi quis egrotet, & non poſſit è lecto ſurgere, vel detineatur in vinculis, aut in domo cũ præcepto, vt non poſſit exire, vel ſi fidem dederit nõ exeundi, & maximè ſi talis promiſſio fuerit iuramẽto firmata; quod intellige, quando talis promiſſio fuerit ratione alicuius grauis negotij, vel facta Superiori, cui non debeat fides frangi, ex malo, quod inde ſequi poſset, &c. in ſimilibus caſibus excuſatur quis à præcepto audiendi Miſsam. Sed dubium eſt, vtrum habens Oratorium domi, vbi celebrari poſſit, teneatur quis in dictis caſibus Miſsam procurare, & audire; & iuxta dubium antea dictum, videtur affirmatiuè reſpondẽdum, & maximè ſi iam adſit Sacerdos ſtipendiarius, qui quotidie celebret; & ratio eſt, quia ſublato impedimento, præceptum debet conſequi ſuum effectum: & ita tenet Nugnus q. 85. art. 6. & ratio eſt, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, vnde cum quiſq; ſit obligatus audire Miſsam, quando commodè, & ſine diſpendio poteſt, dicendum eſt etiam, quod teneatur procurare, vt Sacerdos Miſsam dicat, vt illam audire poſſit: Tamen negatiuè reſpondet Suar. diſp. 88. ſect. 6. §. vltimò reuocatur, & ratio eſt, quia nemo tenetur ſibi Miſsam procurare; ſed tãtum illam audire; & cum dicere Miſſam in Oratorio priuato (licet adſit priuilegium) ſit ex ſui natura odioſum, & minus decens, poteſt quis non vti dicto priuilegio, nec Eccleſia obligat, vt quis vtatur priuilegio, vt poſſit præceptum adimplere; vnde in hoc caſu rectè accomodatur illud axioma. Nemo cogitur ſuo priuilegio vti, quam doctrinam plures afferunt, & ſequitur Filiucc. tr. 5. cap. 7. n. 224. & hanc opinionẽ probabiliorem putat Bona. diſp. 4. p. vlt. q. vlt. n. 14. re tamẽ vera, ſi adeſſet iam Sacerdos, qui quotidie in tali Oratorio celebraret, licet ex annuali reddituu, ad inſtantiam eiuſdem, qui tenetur Miſsam audire, non puto in tali caſu poſſe quem excuſari; quia iam ceſſant rationes à Suar. allatæ; & velle voluntariè in die feſto tantum, omittere talem vſum, videtur contra rationem, & maximè, quia intentio Eccleſię concedentis tale priuilegium eſt, vt dicti priuilegiati cõmodè poſſint exercere opera chriſtiana; inter quæ maximum locum tenet ſacrificium Miſſæ, licet etiam in hoc caſu, primam opinionem probabilem reputem.

5. Ad dictum caput reducuntur Nautæ, Curſores, Molitores, iter facientes, Cuſtodes Caſtri, & ſimiles, quod intellige, quando ità ſunt impediti, vt non poſſint præceptum commodè adimplere; idem etiam dicitur de paſtoribus gregem cuſtodientibus; ſed ſi fuerint plures, poſſunt ſe inuicem iuuare, ali qui Miſſam audiendo, & alij cuſtodiendo, & è contra; Azor. li. 7. c. 7. q. 7. ex cõmuni doctrina Suar. loc. cit. Filiuc. eodẽ loco n. 228. & Bonac. d. loc. n. 6.

6. Tertium Caput excuſationis eſt Impotentia moralis, pro qua generalis regula aſſignatur à Doctoribus: ſcilicet, tunc quemlibet excuſari, quando ſine iactura alicuius boni mediocris, vel abſq; magna difficultate, aut labore Miſſa audiri non poteſt; & ratio eſt, quia audire Miſſam eſt præceptum humanum, quod non obligat cum magno incommodo, vnde, qui in eundo, vel redeundo ab Eccleſia, timet aliquod periculum vitæ, non tenetur Miſſam audire, vt ratione inimicorum, ratione peſtis, vel mali aeris, &c. ſic etiam neq; infirmi, neque conualeſcentes tenentur Miſſam audire, ſi conualeſcentes commodè, & abſque vllo periculo ad Eccleſiam pergere non poſſint, quod etiam dicitur de habentibus curam infirmorum; Item excuſatur, qui non poteſt domo exire abſq; aliquo periculo iniuriæ, vel iacturæ honoris. Vnde viri nobiles, & multò magis fœminæ excuſantur, ſi nõ poſſint abſq; dedecore ex defectu veſtimentorum ad Eccleſiam pergere, quod intellige iuxta qualitatem perſonarum, & morem patriæ, nec hæc licentia eſt extendẽda ad ſuperfluos ornatus, & maximè in mulieribus. Item nec tenetur mulier domo exire ad audiendam Miſſam, ſi ex indecenti concubito grauida ſit, ad quod occultandum, neceſſe eſt, vt domi maneat. Excuſantur etiam, qui damnum tenerẽt in bonis temporalibus, ſi domo diſcederent; ſic etiam iter facientes, ſi, Miſſam relinquãt, ne ſocios amittãt, quando tamen ex hoc etiam aliquod damnum, time-

Digitized by Google

timerent, vt latrones in via, tranſitus periculoſos, & caſus ſimiles; nam præcisè ob ſocietatem, non poſſet quis Miſſam omittere, vt Caiet. verb. Feſtum, & communiter omnes; itẽ ſi iter agentes, & maximè in mari, aliquam proximam tempeſtatem probabiliter timerẽt ex mora facienda in Miſſa, & alij caſus ſimiles. Poſſunt etiam aliquando excuſari fęminæ, quæ relinquũt Miſſam, vt ſeruiant viris indiſcretis; & ſic etiam ſerui; ſed ſi hoc ſæpè eis accideret, tenerentur monere Dominum, vt eis tribuat tempus audiendi Miſſam, quod ſi obtinere non poſsẽt, tenerentur alium Dominum quærere; ita communiter omnes, teſte Suar. diſ. 88. ſect. *6.* §. Quintum caput in fine. Item excuſantur, qui abſque temporali, vel corporali incommodo Miſſam audire nequeunt, vt ſi quis incedere deberet per duo, vel tria milliaria, & maximè tempore pluuiæ, & tempeſtatis; ſed in hoc eſſent conſiderandæ circumſtantiæ perſonarum, temporis, loci, &c. quod iudicio prudentis viri relinquitur. Filiuc. tract. 5. cap. 7. num. *226.* §. quintò; Itẽ excuſantur qui in oppidis habent vnicam Miſſam, & non poſſent omnes illam ſimul audire ob cuſtodiam domus, vel ob ciborum præparationem in aliquo caſu moraliter neceſſario, Bonac. diſp. 4. q. vlt. pun. vlt. num. 7. Nauar. cap. 21. num. 3. & alij.

7. Quartum caput, eſt ratione charitatis proximi, vel propriæ, vt ſi neceſſarium ſit aſſiſtere infirmo; vt ſupra diximus; vel ſi non adeundo Eccleſiam euitentur rixæ, vel rumores ob inimicitias, vel ſimiles cauſas. Itẽ ſi maritus nolit, vt vxor Eccleſiam adeat ob zelotypiam, erit excuſata, ſi timeat graue incommodum ſequuturum, non obediendo marito, ſecùs, ſi hoc agat ob vanam cõplacentiam mariti; Suar. loco cit. Excuſatur etiam mater, quæ domi manet ad cuſtodiendam filiam, ob probabile periculum, quod timet, eã ſolam relinquendo, vel etiam ad Eccleſiam ducendo; vt Nauar. cap. 21. num. *9.* Item puella ad euitandam laſciuam intentionem alicuius iuuenis particularis, quem videt erga eam procliuum, poteſt relinquere Miſſam; licet nõ teneatur, quia poteſt vti iure ſuo, quod etiam intellige de alijs fœminis: aliter fœminæ priuarẽtur libertate; Filiuc. loco cit. num. 228. Item excuſantur Nutrices, quæ non poſſunt relinquere pueros abſque periculo, ac etiam excuſantur alij, vel aliæ, quibus cura de pueris credita ſit; & ſic etiam ſi in Eccleſia detineri non poſſent abſq; graui moleſtia tum Sacerdotum celebrantium, tum Miſſam audientium.

8. Quintum caput, eſt ratione officij, vnde milites cuſtodientes portas Ciuitatis, vel Caſtrum, aut vigilias facientes, non tenentur Miſſam audire, quãdo ex magno incommodo ſequuturo, eis id non permittitur ex bono publico; idem etiam dicitur de ſeruis particularibus in aliquo tamen caſu, vt iam dictum eſt.

9. Sextũ caput excuſationis, eſt vſus patriæ à Paſtoribus Eccleſiæ toleratus; quando ex aliqua decenti cauſa introductus eſt, vt conſuetudo, ne mulieres per aliquot dies poſt mortẽ mariti nõ exeant; nam prædictæ excuſantur, dummodo vltra tempus conſuetum id non agant; Similiter puellæ nobiles, quę non conſueuerunt exire, donec nuptui tradantur; notando tamen, quod ſi dictæ puellæ ſoleãt exire ad ludos, ad choreas, vel ſpectacula, nõ poſſunt excuſari ab audienda Miſſa; ſic etiam cõſuetudo, vt mulieres poſt partum per aliquos dies non exeant, tum ob reuerentiam, & deuotionem, tum ob debilitatem, excuſat eas ab hoc præcepto; Suar. dicta ſect. *6.* Filiuc. loco cit. nu. *229.* & Bonac. eodem loco n. *26. 27.* & ſeqq. mẽſtrua autem illas non excuſant, niſi ratione debilitatis.

10. Septimum caput eſt ex parte Sacerdotis; Vnde ſi fideles non habeant aliũ Sacerdotem, niſi interdictum, excommunicatum, vel ſuſpẽſum, non tenentur Miſſam audire; nec tenẽtur tẽpore Interdicti priuilegium quærere, quia præceptum ad hoc non obligat, vt ait Sot. in 4. d. 13. q. 4. art. 1. Nauar. cap. 71. nu. 3. & alij communiter; Vtrum autem idem ſit dicendum de Sacerdote publicè concubinario? Reſpondetur negatiuè, & omnes tenentur ab eo Miſſam audire, vſquequò fuerit ab Eccleſia denũciatus excommunicatus; Suar. diſp. 88. ſect. *6.* circa finẽ; Caiet. 2. 2. q. 12. art. 2. Nauar. cap. 25. num. 79. & de pœnit. d. *6.*

Digitized by Google

d.6. cap.1. num.22. Gabr. & Maior.& alij apud ipſum Suar. vbi etiam docet, excuſatum ab auditione Miſſæ nõ teneri ad alias orationes fundendas, vt volebat Scot. in 4.d.9.& 17. q.vnica, & Angel. verb. Feriȩ num.43. nam prȩceptum cadit ſuper Miſſam, & non in aliud, vt latè probat etiam Nauar.cap.21, num.7.& in cap. quando de conſecr.d.1.notabil.3.num.5. cum D.Antonin. & alijs.

11. Octauum caput, erat ratione maioris boni, vnde Angelus, vt refert Suar. loco cit. aſſeruit, non peccare illum, qui, vt audiret concionem, non audiuit Miſſam, nec qui tempore Miſſæ confitebatur peccata ſua, & eo magis, ſi poſtea non ſit habiturus copiam confeſſarij; ſed hæc opinio nullo modo ſuſtineri poteſt, ſi ſic ſimpliciter intelligatur; erit igitur vera, quãdo aliqua moralis neceſſitas vrgeat; vt ait Suar. dicta ſect.6. §. ſeptimum caput.

12. Eſt hic vltimò notandum, nullam in iure adeſſe pœnam, aut cenſuram contra non audientes Miſſam in diebus feſtiuis; ſed quia in cap. Miſſas de conſecr. d.1. dicitur, vt tranſgreſſores huius præcepti. *Ab Epiſcopo publicè confundantur*, ideò tales, ſi poſt debitam monitionem ſe non emendauerint, excommunicari poterunt; & ſi pertinaces fuerint, erunt ſuſpecti de fide, & contra illos acriter procedi debet; Sicuti è contra optimum iudicium fidei, & deuotionis eſt faciẽdum de illo, qui non ſolum diebus feſtiuis; ſed etiam ſingulis diebus procurat Miſſam audire, & diuinis officijs, prȩcipuè diebus ſolemnibus intereſſe.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Quid ſit Pœnitentia, quodnam eius obiectum, & neceſſitas. Cap. XXXVIII.

1 *Pœnitentia vnde dicatur, & quid ſit, & in quibus conueniat pœnitentia, vt virtus; & pœnitentia, vt Sacramentum.*

2 *Pœnitentia, vt virtus, & pœnitentia, vt Sacramentum in multis differunt.*

3 *Obiectum materiale pœnitentiæ, eſt omne malum culpæ.*

4 *Peccata aliena includuntur in obiecto materiali pœnitentiæ.*

5 *Peccatum originale, etiam aliquo modo includitur in tali obiecto.*

6 *Actus afflictionis, & doloris includuntur etiam in obiecto pœnitentiæ.*

7 *Obiectum materiale pœnitentiæ amplectendum, eſt opus bonum, & obiectum formale eſt ius diuinum.*

8 *Virtus pœnitentiæ eſt in intellectu.*

9 *Pœnitentia eſt actus ſupernaturalis, & eſt de fide.*

10 *Actus pœnitentiæ non eſt neceſſe, vt ſit vniuerſalis de omnibus peccatis, niſi quando ratio deteſtationis eſſet vniuerſalis.*

11 *Pœnitentia debet eſſe cum deteſtatione ſuper omne malum pœnæ.*

12 *Proprium peccatum ſemper deteſtabilius eſt, quam alienum, & è contra malum proprium pœnæ deteſtabilius eſt, quam malum culpæ alterius.*

13 *Pœnitentia eſt ſimpliciter neceſſaria ſuppoſito peccato.*

1 POenitentia, vt ab eius etymologia incipiamus prouenit a pœna, & pœnitentia idem eſt, ac pœnam tenere, ſeu, vt ait P. Auguſt. lib. de vera, & falſa pœnit. cap.19. *Pœnitentia eſt pœnætenentia*, vel vt Iſidor. lib.3. Etymolog. cap. vlt. *Eſt pœnætenentia, quia pœnitentia triſtitiam, & dolorem affert*; contra hæreticos aſſerentes, pœnitentiam conſiſtere tantum in retractatione primorum actuum; abſq; vllo alio dolore. Poteſt igitur definiri pęnitentia iuxta cit. Sanctos. *Eſt voluntaria pœni-*

Digitized by Google

pœna, qua aliquis ſe punit, quod voluntariè peccãdo commiſit, in qua definitione conuenit tam pœnitentia conſiderata, vt virtus, quam conſiderata, vt pars Sacramenti, ſicut etiam ambæ cõueniunt, quatenus ſunt medicinæ contra peccatum actualem, vt ait D.Thom.q.84.art.5. & Luc.3. *Niſi pœnitentiã egeritis omnes ſimul probibitis*; tertiò etiam cõueniunt, quatenus ambæ ſunt ſecũda tabula poſt naufragium, vt ait etiam D.Thom.art.6.& habetur in Concil.Trid. ſeſſ.6. cap.14. can.2. vnde Tertull. lib. de pœnit. in princ.ait: *Pœnitentiam ita amplexare, ſicut naufragus alicuius tabulæ fidem*, & Ambroſ.ad Virginem lapſam cap.18. *Tu, quæ iam ingreſſa es agonem pœnitentiæ inſiſtè miſera, fortiter inhere, tamquam naufragus tabulæ:* quartò conueniunt circa obiectum, ſcilicet circa actuale peccatum: quintò in ſubiecto, quia ambæ requirunt hominem adultum capacem actualis peccati; ſextò conueniunt, quia ambæ poſſunt iterari, vt ſumitur ex D.Thom. dicta q.84. art.10. & Magiſtro in 4.diſt.14.

2. Differunt tamen pęnitentia, vt virtus, & pœnitentia, vt Sacramentum, quatenus vt virtus cõſtituitur in genere actus, vel habitus; at vt eſt Sacramentum ponitur in genere ſigni; nam vt ait D. Thom. q.84. art. 1. *Pœnitentia prout eſt Sacramentum, eſt ſenſibile ſignum interioris ſatisfactionis, & remiſſionis peccati, quam perficit abſolutio Sacerdotis*: & idem docet art.3. Deinde, pœnitentia, vt idem Sanctus docet q. 85. art. 1. quatenus virtus eſt, non ſignificat dolorem, & paſſionem ſenſibilem, ſed tantum quamdam liberam, & volũtariam deteſtationem peccati commiſſi; quatenus eſt actus humanus rectæ rationi conſentaneus; ſed quatenus eſt Sacramentum vtrumque indicat. Differunt etiam, quia pœnitentia vt virtus, eſt actus interior, vt verò Sacramentum, eſt actus exterior; & prima eſt tantum diſpoſitiua ad gratiam, ſed ſecunda efficaciter cauſat gratiam, vt fuſiùs videri poteſt apud Magiſtr. ſentent. loco cit.

3. Circa obiectum pœnitentiæ? Reſpõdeo duplex eſſe obiectum, ſcilicet materiale, & formale, materiale etiam duplex eſſe, vel vt quid fugiendum, vel vt quid amplexandum; ſicut eſt in qualibet virtute; v. g. in omnis inhoneſta delectatio eſt obiectum materiale fugiendum caſtitatis; & puritas corporis eſt obiectũ amplexandum eiuſdem virtutis: vnde in pœnitentia obiectum materiale fugiẽdum eſt omne malum culpæ; vt omnes communiter aſſerunt cum D.Thom.q.85.art.1.& anteà q.84. art.2. & in 4. d.17. q.2.art.1.& 3. & Magiſter ibi, & d. 14. in quo malo culpæ includuntur omnia peccata venialia, & omnes actus externi peccaminoſi, quatenus coniuncti ſunt cum actibus internis; item includuntur etiam omnia peccata nondum commiſſa, quia pœnitentia eſſentialiter dicit triſtitiam de cõmiſſis, & prępoſitum, ſeù odium contra peccata, quæ cõmitti poſſunt: ideò Paulus 2.ad Corint. 7.ait. *Triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*, in quo loco D.Thom.dubitando, ait. *Quomodo triſtitia pœnitentiã operatur, cum pœnitentia nihil aliud ſit, quam triſtitia?* & reſpondet, *quia pœnitentia non ſolum includit triſtitiam de commiſſis; ſed etiam odium contra peccatum.*

4. Vtrum autem peccata aliena includantur in dicto obiecto materiali pœnitentiæ? & negatiuè videtur eſſe reſpondendum; nam quilibet tenetur tãtum pro ſuis peccatis pœnitentiam agere, & non pro peccatis aliorum, vt D.Thom. & omnes alij aſſerunt in 4. d.17. queſt. 2. art.2. quæ doctrina eſt vera, quia dicti DD. loquuntur de pœnitentia ſtricto modo ſumpta, ſcilicet quatenus ſignificat contritionẽ præteritorum peccatorum, cum prepoſito mutandi vitam, & odio peccati; At ſi pœnitẽtia ſumatur largo modo, quatenus eſt virtus iuſtitiæ, quæ Deo debetur, vtiq; dicta peccata aliorum erunt etiam obiectum materiale pœnitentiæ. Iuſtus enim non ſolum odit iniuſtitiam contra ipſum factam, ſed etiam factam contra alios; vnde pœnitens debet pœnitere non ſolum de peccatis proprijs, ſed etiam de alienis, ſaltem per odium contra peccatum; & ſub hac conſideratione poſſumus dicere, hanc virtutem pęnitentię fuiſſe in Chriſto, quia non de ſuis, ſed de noſtris peccatis pœnitentiam egit, profecto modo odio habendo peccatum, & reſtituendo Patri per iu-

ſtitiam, quæ ei fuerant oblata per peccatum.

5. Idem eſt etiam dicendum de peccato originali; nam ſi pœnitentia conſideretur prout importat contritionem propriè dictam, & retractionē à peccato, certum eſt, quod dictum peccatum originale non poſſit eſſe obiectum materiale talis pœnitentiæ quia in nobis diffunditur tanquam malum pœnæ, & ideò non poſſumus verè de illo pœnitere, vt omnes Theologi aſſerunt D Thom. q. 84. ar. 2. ad 3. & in 4. d. 17. q. 2. art. 2. quæſtiun. 2. Sot. d. 14. q. 1. & alij omnes. Sed ſi conſideretur pœnitentia quatenus dicit effectū iuſtitię ad Deū; poterit etiam peccatū originale eſſe obiectum pœnitentiæ, ratione iniuſtitiæ quam odio habere debemus; imò poterat Deus exigere talēpœnitentiam, & dolorem, tanquam ſatisfactionē, vel diſpoſitionem neceſſariā ad remiſſionē peccati originalis, cum talis actus poſſibilis ſit, vt ait D. Tho. loc. cit. & Sot. eodē loco. Attamen hoc pręceptum nec fuit datum, nec dari oportuit; vt ſicut per vnum prauum actum Adæ tale peccatum commiſſum, & introductum eſt, ita per voluntatem Chriſti tantum tolleretur.

6. Eſt etiam obiectum materiale pœnitētiæ malū pęnæ, ſcilicet illi actus interni, vel etiā externi afflictionis, & pęnæ aſſumptæ propter Dei offenſam, & quamuis D. Thom. loc. proximè cit. quęſtiun. 1. cum cæteris Theologis dicat veram pęnitentiam eſſe de malo culpæ, & non de malo pœnæ; loquitur de pœnitentia in omni rigore accepta, prout importat actum retractandi, & deſtruendi à ſe peccatum, ad quod principaliter pœnitens debet intendere; quod fieri non poteſt, niſi per actum triſtitiæ, & odij contra peccatum, vt ſupra diximus.

7. Obiectum autem materiale pœnitentiæ, quod eſt amplectendum, eſt bonum opus, quia eiuſdem virtutis eſt vitare malum, & amplecti bonum; ſicut eiuſdem charitatis eſt; velle bonum Dei, & odio habere peccatum vt ait D. Thom. & Caiet. q. 85. art. 2. ad. 1. & ſub hac conſideratione aliquo modo poſſumus dicere, quod Deus ipſe ſit etiam obiectum materiale pœnitentiæ, quia peccator quærit ipſum Deum per peccati odium, vel quatenus pœnitentia eſt iuſtitia, quæ debetur ipſi Deo, vt fuſiùs Suar. 3. p. to. 4. diſp. 2. ſect. 2. & Filiucc. tr. 6. cap. 1. nu. 12.

Sed quodnam ſit obiectum formale pęnitentiæ? Reſpōdeo in qualibet virtute proximum: & intrinſecum motiuum eius, eſſe obiectum formale, vt D. Tho. 1. 2. q. 1. ar. 3. & propriùs per totam queſt. 18. Vnde in pænitentia ſpecialiter conſiderata, eius obiectum formale erit Ius Diuinū, quia pro debito iuſtitiæ ſeruandum eſt; vt ſumitur ex D. Tho. q. 85. ar. 3. vbi ait. *Virtutem pœnitentiæ eſſe quādam iuſtitiam*; & in 2. 2. q. 57. aſſerit *Ius eſſe obiectū iuſtitiæ*. Cum igitur ex iuſtitia peccatores teneātur pœnitere, dicendum eſt, quod Ius diuinum erit obiectum formale pœnitentiæ, & motiuum intrinſecum eius, vt Suar. diſput. 2. ſect. 3. & Filiucc. loco cit. num. 13. & 14. Ex quo ſequitur, pœnitentiam reduci ad virtutem Cardinalem iuſtitiæ, cum per illam peccatores reddant Deo quamdam compenſationem.

8. Quæritur tamen, vtrum virtus pœnitentiæ ſit in voluntate? & negatiuè reſpondent hæretici; ſed aſſerunt illam eſſe in intellectu, & pœnitentiā conſiſtere tantum in cognitione mali, cum animo reſipiſcendi, ſecluſo omni dolore, & qualibet pæna; vt Bellar. lib. 1. de pęnit. cap. 7. Vulgi autem opinio eſt omninò contraria, & putat pęnitentiam conſiſtere in appetitu ſenſitiuo, ſcilicet in dolore ſenſibili, in lacrymis, &c. Sed dicēdum eſt pęnitentiam conſiſtere in voluntate tanquam in ſubiecto, quia pęnitentia eſt actus iuſtitiæ, & iuſtitia non conſiſtit niſi in voluntate. Sumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. can. 4. vbi dicitur, *Liberum arbitrium effectiuè cooperari in conuerſione peccatoris*; Et liberum arbitrium non eſt, niſi voluntas. Supponitur tamen in dicta volūtate actus intellectus habens regulariter actum appetitus ſenſitiui, vt conſequentem ipſum, vt colligitur ex eodem Concil. Trid. dicta ſeſſ. 6. cap. 6. his verbis. *Peccatores ſe eſſe intelligentes, mouentur aduerſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem*.

9. Eſt etiam actus veræ pęnitentiæ ſuper-

pernaturalis, & eſt de fide, vt ſumitur ex Concil. Aurisic. 2. can. 4. vbi ſic habetur. *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem noſtrã Deum expectare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus, per Sãcti Spiritus infuſionem, & operationem fieri confitetur, reſiſtit Spiritui Sancto dicenti. Preparatur voluntas à Domino;* Et Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. can. 3. ſic ait. *Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit;* Sumitur etiam ex 2. Thimot. 2. *Ne quando Deus det illis pęnitētiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis.* Vbi Auguſt. lib. 5. contra Iulian. cap. 3. ait. *Niſi ipſe dederit, quis agit pœnitentiam.* Et ita loquantur omnes Sancti, & Theologi omnes cum D. Thom. q. 85. ar. 5. & 1. 2. q. 109. art. 7. & q. 113. art. 3. Bellar. lib. 1. de pœnit. cap. 3. Sotus in 4. d. 14. q. 2. & alijs omnibus.

10. Sed dubium eſt, vtrum actus pœnitentiæ debeat eſſe vniuerſalis de omnibus peccatis? & breuiter reſpondeo non omnem actum poenitentiæ, nec omnem deteſtationem peccati debere eſſe vniuerſalem ex parte obiecti, quia qui poenitet de homicidio quod commiſit, ob eius turpitudinem, non ideo poenitet de furto, quod etiam commiſit; quando autem ratio deteſtandi peccatum vniuerſalis eſſet, tunc etiam actus pœnitentiæ deberet eſſe vniuerſalis, vt eſt in peccato infidelitatis in quo nõ poteſt quis de vno tantum peccato infidelitatis pœnitere abſq; alio, & ſimiliter quãdo peccata habent eamdẽ turpitudinem, & rationem deteſtandi, non poteſt vnum deteſtari, ſine alio. Dixi ex parte obiecti, quia ſi loquamur de Actu pœnitentiæ, ſpecialiter ſumpto, quatenus dicit iuſtitiam ad Deum: tunc, vt dictus actus ſit perfectus, & efficax, debet continere virtualiter deteſtationem omnium mortalium; vt Suar. diſp. 3. ſect. 8. aſſer. 4. dico, mortalium tantũ, & non venialium; quia peccata venialia non habent dictum motiuum, ac habent mortalia, cum non priuent hominem gratia Dei, nec conducant illum ad pęnas Inferni, ſicut priuant, & conducunt mortalia. E contra verò pęnitentia de venialibus virtualiter continet pęnitentiam de mortalibus, vt conſideranti patebit, & ideò venialia non poſſunt remitti ſine mortalibus, & vnum veniale poteſt remitti ſine alio veniali; nõ autem vnum mortale poteſt remitti ſine alio mortali; idem Suar. aſſer. 6.

11. Debet etiam eſſe actus pęnitentiæ, cum deteſtatione ſuper omne malum pęnæ; quia deteſtabilius eſt peccatum quã quælibet pęna. vt communiter omnes Theologi aſſerunt. D. Thom. 1. p. q. 48. ar. 6. & 2. 2. q. 19. art. 1. Bonau. in 4. d. 16. ar. 2. q. 1. Palud. d. 17. qu. 1. art. 6. & alij omnes: Vnde Paulus ad Rom. 3. *Non ſunt facienda mala culpa, vt euitentur mala pœna.* Quod eſt verum etiam reſpectu pęnæ æternę, quia hæc poſſet eſſe obiectum voluntatis rectę, non autem peccatum. Nam Moyſes Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Et Paul. *Optabam ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Ad Rom. 9. quæ verba intelliguntur de malo pænæ, non autem de malo culpæ; Vtrum autem vnum peccatum ſit alio deteſtabilius? Affirmatiuè reſpondendum eſt, quia vnum peccatum poteſt habere maiorem deformitatem, quam aliud; & ideò per pænitentiam poterit maiori odio deteſtari; vt D. Thom. in 4. d. 17. qu. 2. art. 3. quæſtiunc. 3. Sotus q. 2. art. 2. concluſ. 5. & alij.

12. Aliud dubium eſt, vtrũ proprium peccatum ſemper deteſtabilius ſit quam alienum? Reſpondetur affirmatiuè, etiam ſi peccatum alienum fuerit grauiſſimum, & proprium leuiſſimum, quia peccatum alienum ad me non ſpectat, & ideò nullus ſub quocunque prætextu debet aliquam culpam, licet, leuiſſimam committere ad euitandum peccatum, licet, grauiſſimum alterius; ita communiter Theologi in 4. d. 17. Palud. ibid. q. 1. art. 5. Sot. q. 2. art. 4. & alij. E cõtra verò deteſtabilius eſt quodlibet peccatum alienum, licet, leuiſſimum quam quodlibet proprium malum pænæ ex eodem Palud. & Sot. Sed hoc non ſemper cadit ſub obligatione; quia poteſt eſſe tale detrimentum, & incommodum proprium, vt charitas non obliget ad id ſuſtinendam propter vitãdam culpam alterius,

Digitized by Google

rius, & cum culpa pendeat ex alterius volũtate, non teneor cũ tanto incõmodo illã impedire. Suar.to.4.diſp.3.ſect.10.in fine.

13 Ex quibus omnibus colligitur pænitentiã omninò neceſſariam eſſe ſuppoſito peccato, & ideò vocatur ſecunda tabula poſt naufragium, cum per ipſam iterum reconciliemur Deo, & acquiramus gratiam ipſius, ſine qua nullus vitam æternam guſtabit.

De Pęnitentia prout eſt Sacramentum, de eius Inſtitutione, Neceſſitate, & Præcepto, ac de eius Materia. Cap. XXXIX.

1 *Multa ſunt certa, & de fide in Sacramento Pœnitentiæ.*

2 *Aſſignatur definitio pænitentiæ quatenus Sacramentum eſt.*

3 *Sacramentum pænitentiæ in voto ſufficit ad remiſſionem peccati.*

4 *Sacramentum pænitentiæ neceſſarium eſt ex præcepto Diuino.*

5 *Materia remota Sacramenti pænitentiæ ſunt peccata Actualia, licet, peccata mortalia dicantur materia neceſſaria, & venialia materia ſufficiens.*

6 *Peccata alias confeſſa dicuntur etiam materia ſufficiens huius Sacramenti.*

7 *Peccatum dubium non eſt materia huius Sacramenti, ſed in dubio abſolui poteſt.*

8 *Sacramentum pænitentiæ eſſentialiter conſtat ex materia, & forma.*

9 *Materia proxima huius Sacramenti eſt Contritio, Confeſſio, & Satisfactio; licet duæ primæ dicantur partes eſſentiales, & tertia pars integralis.*

10 *Orationes, ſignum Crucis, & manus extenſio non ſunt neque de eſſentia, neque de præcepto, licet, laudabiliter fieri debeant.*

1 RElictis hæreticorum erroribus certa, & vera, & quæ ſunt de fide credenda primò dicenda ſunt; Vnde dico certum, & de fide eſſe, pænitentiam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad remiſsionem peccati mortalis. Secundò, Sacramentum pænitentiæ non fuiſſe ante aduentũ Chriſti, nec ante eius mortem, & Reſurrectionem. Tertiò, hoc Sacramentum non prodeſſe non baptizato. Quartò, Chriſtum Dominum inſtituiſse hoc Sacramentum in illis verbis. *Quorum remiſeritis peccata*. Quintò, Hereticum eſſe aſserere, pænitentiam non eſse verum Sacramentũ inſtitutum ad reconciliandũ Deo peccatores ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. can. 1. Sextò, Hæreticum eſse dicere, Sacramentum baptiſmi eſse Sacramentum pænitentiæ, & non benè appellari pænitentiam ſecundam tabulam poſt naufragium. c.2. can.2. Septimò, Hæreticum eſse aſserere, illa verba; *Quorum remiſeritis peccata*, non eſse intelligenda de poteſtate remittendi peccata. can. 3. Aut ad pænitentiam non requiri Contritionem, Confeſsionem, & Satisfactionem tanquam materiã, & partes eius. can. 4. Aut dicere alium, quam Epiſcopum, & Sacerdotem habere poteſtatem abſoluendi c.5. & can. 10. Vel eoſdem, ſi mali fuerint, talem poteſtatem perdere, aut non eſſe iudices ad abſoluendum confeſsum, ſed ad declarandum eum eſse abſolutum. c.6. & can.9. Alia autem, quæ etiam de fide ſunt reſpectu contritionis videri poſsunt in cap.1. dict. ſeſs. reſpectu confeſsionis. in cap.2. & reſpectu ſatisfactionis in ca.3.

2. Quomodo autẽ definiatur pœnitentia, quatenus Sacramentum eſt? Reſpõdeo cum Magiſt. ſent. in 4. d. 14. *Pænitentia eſt gratia, vel virtus, qua commiſſa mala cũ emendationis propoſito plangimus, & odimus, & plãgenda iterum, vel vlteriùs committere nolumus.* Quæ definitio eſt ſumpta à D.Gregorio, & Ambroſ. & illam refert Raynerius in ſua Pantheologia de pœnit. cap. 1. Dicitur gratia, non quia pœnitẽtia ſit eiuſdem naturæ cum gratia; ſed quia conuenit cum illa in effectu, ſcilicet in eo, quod tam gratia, quam pœnitentia reddant animã Deo gratam; vnde D.Tho. in 4. d.14. art.1. q.2. in ſolut. 2. argum. ait. Pœnitentiam dici gratiam in quantum gratificat, & dici etiam virtutem in quãtum mouet ad opera; & ideò dicta verba ponuntur loco generis; Per alia verba, *quæ commiſſa mala cum emendationis propoſito plangimus, & odimus;*

mus; ſignificatur actus pœnitentiæ qui eſſentialiter requiritur. Additur deinde, *cum emendationis propoſito*, quia ad duo ſpecialiter tenetur pœnitens: Primò debet reſpuere ab eo peccata præterita, & de illis dolere, & plangere, ſaltem planctu interiori: Secundò debet illa cauere in facto, vel in propoſito. Alij Doctores alias definitiones afferunt, quæ cum in re idem importent, non puto hic eſſe immorandũ.

3. Sed quæritur, vtrum Sacramẽtum pœnitentiæ in voto ſufficiat ad remiſſionem peccati? Reſpondeo affirmatiuè, quia per ſolam contritionem peccator conſtituitur in gratia; Vnde ad iuſtificationem non eſt medium neceſſarium Sacramentum pœnitentiæ. Ita communiter omnes Theologi cũ Magiſt. in 4. d. 17. & D. Tho. ibidem, & in 3. par. q. 86. art. 2. & 4. contra Gẽtes cap. 72. & iam eſt de fide definitum in Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. & ſeſſ. 14. cap. 4. ſed notandum eſt, quod tale votum eſſentialiter dicere debet ordinem ad cõfeſſionem. Vnde ſi quis non habeat tale propoſitum, nec ipſum votum erit validũ ad remiſsionem peccati. Sed vtrum debeat eſſe explicitum tale votum, vel ſufficiat votum implicitum? Reſpondeo ſufficere implicitum, illud tamen, quod ex natura rei includitur in amore Dei ſuper omnia, & propoſito ſeruandi omnia mandata, ſuppoſita inſtitutione, & neceſsitate dicti Sacramenti, ita D. Thom. d. 17. q. 3. art. 5. quæſtiunc. 1. argum. vlt. Maior. d. 14. q. 2. Sot. d. 14. q. 1. art. 5. & d. 17. q. 2. art. 1. in fine. Nauar. cap. 1. num. 15. & ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi ſic habetur. *Præterea, & ſi contritionem hanc aliquando charitatem perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſum nihilominus recõciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, nõ eſſe aſcribendam:* ubi nota illa uerba, *quod in illa includitur;* Vnde ſi contritio, uel actus amoris Dei ſuper omnia, non contineat implicitè tale uotum ſuſcipiendi Sacramẽtum, non erit uera cõtritio, neque uerus actus amoris; & conſequenter non mundabitur homo à peccato: ita communiter omnes Doctores.

4. Eſt tamen Sacramentũ pœnitentiæ neceſſariũ ex præcepto diuino, & eſt communis Eccleſiæ ſenſus, & patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. in cuius fine ſic dicitur; *Eſt autẽ hoc Sacramentum pœnitẽtiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, vt nondum regeneratis ipſe Baptiſmus:* quando autem quis non haberet copiam confeſſarij, iam ſaluaretur in caſu mortis, quia moreretur in gratia; & dum quis peragere debet aliquod officium, ex quo teneretur eſſe in gratia, tunc nec eſſet neceſſariũ hoc Sacramẽtum ſi haberet contritionem; ſed in praxi ſecuriùs eſt hoc Sacramentum ſuſcipere, cum contritio non tam faciliter habeatur Filiuc. tract. 6. cap. 2. nu. 52. Bonac. diſp. 5. q. 5. pun. 3. num. 7. & communiter omnes.

5. Quænam ſit materia remota huius Sacramenti? Reſpondeo eſſe peccata actualia, & dicuntur materia remota reſpectu partiũ integralium, in quibus proximè conficitur Sacramentum, ut in contritione, confeſsione, ac ſatisfactione, tamquam in partibus integralibus, ut infra: Peccatum uerò originale, non dicitur materia huius Sacramenti, quia contra ipſum fuit inſtitutus Baptiſmus; & licet omnia peccata actualia, ſcilicet poſt Baptiſmum, ſint materia remota huius Sacramenti, non tamen eodem modo ſe habent ad illud: nam peccata mortalia dicuntur materia neceſſaria huius Sacramẽti, quatenus abſolui nequeunt abſq; dicto Sacramẽto ſaltem in uoto, ut ſupra. Sed peccata uenialia dicuntur materia ſufficiens, quatenus, licet, non ſint neceſſariò abolenda per hoc Sacramentum; tamẽ aboleri poſſunt, ut ſumitur ex Cõcil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & cap. 7. & ita abſque controuerſia omnes docet. Idem etiam eſt dicẽdum de peccatis confeſsis; licet enim non teneatur quis iterum illa cõfiteri; tamen ſi confiteatur, ſufficienter efficietur Sacramentum, quia hoc Sacramentum nõ fuit inſtitutum à Chriſto Domino cum limitatione ad unum abſolutionis actum; imò ob maiorem ſecuritatem, & animæ ſalutem, bonum erit aliquando præterita peccata confiteri: ita omnes Theologi, & alij DD. & optimè hanc doctrinam tradit

Caiet.

Digitized by Google

Caiet.tom.1.opuſc.tract.5.de cõfeſs. q.4. Medina tract. 2. queſt. de fructu iterandi confeſsionem, Sot.in 4. diſt.18.q.4.art.3. Vaſq.3.p.q.91.art.3.d.7.& q.92.ar.3.dub. 5.num. 10. & alij, & ſumitur ex Extrauag. Bened. XI. 1.de priuileg.

6 Aliqui tamen dicunt dicta peccata alias confeſſa, licet ſint ſufficiens materia pro Sacramento, tamen dictũ Sacramentum non habere ſuum effectum, cum reperiat factum quidquid facere poſſet, & maximè quoad remiſsionem culpę,& pœnæ,prout vult Scot.dub.19.ad 1.& Gabr. ibi q.1.art.1.dub.2. Sed dicendum eſt cũ communi doctrina,etiam tale Sacramentum, ſeù confeſsionem de dictis peccatis alias cõfeſſis, habere ſuum effectum, dummodo non adſit obex, ſicut habent aliæ confeſſiones,ſeu quodlibet Sacramentum pœnitentiæ;hoc patet,quia ſi ex hoc,quod pœnitens ſit iam abſolutus à culpa, & pœna,non eſſet capax effectus Sacramenti,ſequeretur, quod contritus,qui ex magna contritione eſſet iam abſolutus à culpa, & pæna,non eſſet capax effectus Sacramenti, quod eſt falſum;igitur non ex eo,quod Sacramentum abſoluerit à culpa,& pęna, pœnitens ſit ineptus ad recipiẽdum effectum Sacramenti. Nam effectus principalis Sacramenti eſt infuſio gratiæ, quæ ſi reperit animam in culpa, ob ſolam attritionem illam purgat à culpa, & etiam à pæna iuxta diſpoſitionem, quando verò reperit animam ſine culpa,vel quia habuit contritionem, vel quia peccata iam alias fuerunt confeſſa, & abſoluta, tunc recipit anima augumentum gratiæ, & abſoluitur etiam à pæna ex opere operato iuxta diſpoſitionẽ pænitentis, D.Thom. d.18.q.1.art.3.quæſtiunc. 2. ad 4. Caiet. & Medina locis cit. Palud.d.19. q.1. Sot.d.18.q.4.art.3. in fine,Durand.q.2.& alij quos ſequitur Suar. tom.4.diſp.18.ſect.1.num.9.& 10.

7. Vtrum autem peccatum dubium poſſit eſſe materia huius Sacramenti? Reſpondeo negatiuè, quia materia alicuius rei, & præcipuè Sacramentorũ,debet eſſe in re certa; & peccatum dubium non dicitur in re certum; Attamen,quia reſpectu noſtræ cognitionis aliquo modo videtur, quid certum, ideò vel dictum peccatum eſt ſub conditione, ſaltem mente concepta,abſoluendum, vel cum eo dicẽda ſunt alia peccata certa, vt abſolutio cadat in materiam certam,& aptam,Suar.loco cit. num.12. Filiuc. tract.6. cap.3. num.60. & alij omnes.

8. Ex quibus dictis cõſtat,Sacramentum pænitentiæ eſſentialiter conſtare ex materia, & forma, vt ſentiunt Theologi cum D.Thom.3.par.q.84.art.2.& 3. & ſumitur ex eodem q.90. & 4. contra gentes cap.62. & idem docet Caiet. & Ferrarien. in dictis locis, & alij, quos ſequitur Suar. de pænit.diſp.18.ſect.2. & ſumitur ex Cõcil.Florent.in decreto Eugenij,& ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. Vnde hoc Sacramentum poteſt etiam definiri hoc modo. *Eſt compoſitum morale, ſeù artificiale conſtans ex actibus pænitentis,& verbis Sacerdotis, inſtitutum ad ſignificandam, & conferendam gratiam remiſſiuam peccati poſt baptiſmum cõmiſſi*; quænam autem ſit forma? certum eſt,quod ſint verba Sacerdotis,vt infra dicemus. Materia verò ſunt tres partes pænitentiæ,ſcilicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio, vt docet D.Thom.q.84.art.2.& q.90. & in 4. d.16.q.1.art. 1. & ſumitur ex Concil. Florent. & Trid. vt ſupra, D.Antonin. 3.par. tit.14.cap.17.§.6.& alij omnes.

9. Et eſt ſciẽdum has tres partes materiæ,ſcilicet contritionem,confeſſionem, & ſatisfactionem, dici materiam proximã huius Sacramẽti, vt ijdem DD. Suar.diſp. 18. ſect.3. Bonac. de pænit. diſp. 5. par. 3. pun.2.num.1.Sayr.lib.2.de Sacram.cap.3. q.vnica art.7.& alij,& circa cõfeſsionem, nulla eſt dubitatio, quod ſit materia huius Sacramenti,vt ſumitur ex cit.Concilijs,& Doctoribus. Vnde Innocent.I. Epiſt. 1. cap.7. ait. *De pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt iudicare,attendendo ad confeſſionem pænitentis, ad fletus, ad lacrymas*. Imò Durand.in 4. d.16.q.1. ait,tantum confeſſionem eſſe materiam huius Sacramenti, ſed meritò communiter reijcitur. Patet etiam contritionem, & ſatisfactionem eſſe partes pænitentiæ ex eiſdem Concil. & ex Leone X. in Bulla cõtra Lutherum art.15. & ex cõmuni doctrina Doctorum. Vtrum autem hæ tres partes materiæ ſint omnes eſſentiales, dicam infra agendo de vnaqua-

quaque earum, ſed pro nunc dico, tantum contritionem, & confeſſionem eſſe partes eſſentiales, ſatisfactionem verò eſſe partẽ integralem.

10. Sed quæritur vtrum etiam de neceſſitate, ſeù ſubſtantia huius Sacramenti, aut de neceſſitate præcepti requiratur aliquis ritus ſpecialis, tam ex parte pœnitentis, quam ex parte miniſtri? & reſpondetur ex parte pænitentis, certum eſt, nullum ritum, aut cæremoniam eſſe eſſentialem, vel neceſſariam. Ex parte autem Sacerdotis tres cæremoniæ conſiderari poſſunt; prima cõſiſtit in quibuſdam verbis, & orationibus deprecatorijs, quæ dicuntur à Sacerdote partim ante abſolutionem, & partim poſt ipſam; quæ cæremonia laudabiliter fit, vt loquitur Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. non autem eſt de eſſentia, aut de præcepto. Secunda cæremonia conſiſtit in ſigno Crucis, quod datur in fine confeſſionis per modum benedictionis, & deprecationis de qua meminit D. Thom. q. 84. art. 4. ad argumenta, & Stephanus Papa in cap. Numquid de conſecr. diſt. 5. dixit, *omnia Sacramenta hoc ſigno perfici:* Attamen nulla huius cæremoniæ eſt neceſſitas, aut præceptum: Tertia cæremonia eſt manus impoſitio, & hæc neque neceſſaria eſt, expedit tamen dictam cæremoniam tenere, vt ait Palud. in 4. d. 22. q. 3. & ratio eſt, quia deſeruit ad excitandam deuotionem pænitentis; ſed cum fæminis non licet illa vti, ſcilicet tangendo eius caput, vt aduertit Nauarr. de pænit. diſt. 6. cap. 1. in princ. num. 9. imò Victoria id generaliter negat tam de fæminis, quam de hominibus, ſed admittit tantum extenſionem; & ita eſt vſus vniuerſalis Eccleſiæ, & magis decens.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ, & de poteſtate neceſſaria ad remittenda peccata. Caput XXXX.

1 *Forma Sacramenti pænitentiæ conſiſtit in his verbis ore prolatis, ego te abſoluo.*

2 *Pronomen ego, & expreſſio Sãctiſſimæ Trinitatis, non ſunt de eſſentia Sacramenti.*

3 *Eſſentialis forma conſiſtit in his verbis, abſoluo te, nec immutari poteſt.*

4 *Per dicta verba non indicatur tantum peccatorem eſſe abſolutum.*

5 *Dicta verba idem ſignificant, ac ſi Sacerdos diceret, Abſolutionis Sacramentum tibi impendo.*

6 *Sacerdos, ſi dictis verbis intendat abſoluere etiam à cenſuris, valida erit abſolutio.*

7 *Abſolutio non poteſt dari ſub conditione de futuro, ſed tantum de præſenti, vel de præterito.*

8 *Conditio de futuro, etiam ſi adimpleatur, abſolutio erit inualida.*

9 *Forma abſolutionis non poteſt dari abſenti.*

10 *Abſolutio in aliquo caſu poteſt dari pluribus ſimul.*

11 *De fide eſt in Eccleſia eſſe poteſtatem remittendi peccata ſub nomine clauium ſignificatam.*

12 *Ad remittenda peccata requiritur poteſtas ordinis, & iuriſdictionis.*

13 *Sine iuriſdictione non fit Sacramentum nec datur abſolutio à peccatis.*

14 *Apoſtoli habuerunt poteſtatem iuriſdictionis à Chriſto Domino.*

15 *Claues reſpectu Summi Pontificis ſignificant ſcientiam, & potentiam.*

16 *Claues reſpectu Sacramenti Pænitentiæ, ſignificant poteſtatem interrogandi, & cognoſcendi peccata, & poteſtatem abſoluendi.*

17 *Diuiſio clauium competit etiam poteſtati iuriſdictionis.*

18 *Omnes actus clauium adequatè ſunt in Summo Pontifice, inadequatè in alijs.*

1. Certum eſt, & de fide; formam Sacramenti pœnitentiæ eſſe hãc, ſcilicet; *Ego te abſoluo à peccatis tuis,* ore prolatam, ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. & ſumitur ex vſu, & perpetua traditione Eccleſiæ, & ita communiter docent omnes Theologi contra Palud. d. 17. q. 2. art. 1. nu. 7. Medin. C. de confeſſ. q. de modo confiten-

fitendi, P.Sot.lect.11.de confeſſ. Nauar.in ſumma cap.21.nu.36.& in cap.quem pęnitet de pænit. d.1. nu.4. aſſerentes aliquando ſufficere dictam abſolutionem ſcripto Miſſam, licet, expreſsè non negent eſſe neceſſarium formã verbo proferre; vt refert Suar.de pænit.diſp.19.ſect.1.noſtram igitur opinionem tenent omnes cum Magiſt. in 4.d.14.& D.Thom.3.p.q.84.ar.3.Caiet. ver.Confeſſio conditione 11. Filiucc.tr.6. de contrit.cap.3.nu.62.Syluef.ver.abſolutio 6.q.4.Bonac.de Pœnit.diſp.5.q.4.pun.1.num.1.& pun.6.num.1.qui etiam aſſerit hæc duo verba, ore prolata, ſcilicet, *Abſoluo te*, eſſe ſufficientem formã ad eſſentiam ſacramenti; & ita etiam communiter docent omnes, vt Suar.loc.cit.nu.22.Valent. diſp.7.q.1.pun.3.Filiucc.loc.cit.num.61.& omnes alij.

2. Vnde colligitur, illud pronomen, *Ego*, non eſſe de eſſentia huius formæ, nec illa verba, *Ab omnibus peccatis tuis*; Nec inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, & à fortiori nec oratio, *Paſſio Domini noſtri*, &c. Licet, quoad inuocationem Sanctiſs. Trinitatis, Durandus in 4.diſt.22.q.2.vult eſſe de neceſſitate ſacramenti, & inclinat Maior.& Petr.Sot. tamen contrarium communiter omnes docent, imò D.Thom. in cit. art.3. ait. Hoc relinqui arbitrio Sacerdotis. Nec ſimiliter audiendus eſt Gabr. d.14.q.2. aſſerens, neceſſaria eſſe omnia illa verba, *Ab omnibus peccatis tuis*; Quam ſententiam ſequitur Palud.d.22.q.3. Maior.d.14.q.2.& Petr. Sotus lect.4. de Confeſsione, ſed hi tres Doctores putant illud verbum, non eſse de eſsentia, ſed tantum *à peccatis tuis*; nam contrarium communiter omnes ſentiunt, vt D. Thom. loco cit. cum ibi nullam mentionem horum verborum faciat, Caiet. in ſumma verb. Abſolutio, Vaſq. de pęnit. q.84. art.3. dub.4. num.9. Suar. diſp.19. ſect.1. nu.19. & ſeqq. Henriq.lib. 4.cap.11.num.4. Valent.diſp.7.q.1. pun.3. vbi etiam docet ſecluſo ſcandalo, & contemptu, non eſſe peccatum dicta verba relinquere; & idem ſumitur ex dictis verbis citatis D. Thomæ.

3. Eſt tamen notandum, dicta verba, *Abſoluo te*, eſſe tantum formaliter eſſentialia ad Sacramentum, & non materialiter; licet, ex præcepto propter vniuerſalem vſum Eccleſię, materialiter neceſſaria ſint. Vnde ſi quis verba æquipollentia, vel ſynonima proferret conficeretur quidem Sacramentũ, ſed miniſter mortaliter peccaret, vt docet Suar. loco cit. num.24. & maximè quando ſignificatio certa in incertam cõmutatur; vt ſi quis dicat, ego te mundo, remitto, & ſimilia verba; ſi quis autem diceret abſoluat te Deus, vel abſoluat te Chriſtus, non videtur fieri Sacramentum, quia forma non eſt pronuncianda modo deprecatiuo, ſed iudiciali; vt ſumitur ex D.Thom.q.84.art.3.ad 1.vbi negat, hanc eſſe ſufficiẽtem formam, nempe, abſoluat te Deus; & ita communiter omnes aſſerũt; eſſet tamen vera forma, ſi quis diceret, abſoluatur N. quia forma pronuntiatur per modum imperatiui; ſed praeſumptuoſum, & illicitum eſſet, nec quis euaderet culpam mortalem, vt communiter omnes apud citatos Doctores.

4. Quid autem ſignificent dicta verba, *Abſoluo te?* Variæ ſunt opiniones; prima aſſerit per dicta verba idem intelligi, ac ſi diceretur, Ego te abſolutum oſtendo, vel declaro; quam ſententiam tenet Magiſter d.18. Bonau. ibi art.2. q.1. Gabr. q.1. art.2.Maior.q.1.& d.14.q.2. & ibi Gabr.q. 2. art.1.& 2 Alenſ.4.par. q.21. alias 80. & Medin. tract.2. q. de effectu abſolutionis, quæ ſentẽtia ad præſens eſt erronea; Cum in Concil. Trid. ſeſſ.14. can.9. ſic dicatur. *Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem non eſſe iudicialem, ſed nudũ miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tãtum credat, ſe eſſe abſolutum, aut Sacerdos non ſeriò, ſed ioco ſe abſoluat, aut dixerit non requiri confeſſionem pœnitentis, vt Sacerdos eum abſoluere poſſit; anathema ſit.* Vnde meritò Ricchard. Victor. lib. de poteſtate ligandi, & ſoluendi cap.21. dictam opinionem refellit his verbis. *Extat quorundam ſententia tam friuola, vt ridenda potius, quam refellenda videatur; putant enim Sacerdotes non habere poteſtatem ſoluendi, ſed oſtendendi ſolutos; ſed nunquam Dominus dixit, quod ſolutum oſtenderitis, erit ſolutum: dicunt Sacerdotes non habere poteſtatem remittendi peccata, cum Dominus hoc dicat, & dicũt habere poteſtatem oſtendendi remiſſa, cum Domi-*

minus hoc non dicat;& ita communiter omnes dictam opinionem reijciunt in 4.d.18 vt D.Tho.q.1.art.3.quæſtiunc.1. Durand. q.2. Richar. art.2. q.1. & d.16. art.1. q.2. idem D. Thom. 3. par. q.84. art.3.& in 4. d.22.q.2.art.1.quæſtiunc.3.Sot.q.1.art.3. & Pet.Sot.lect.4.Caiet.to.1.opuſcul.tract. 18. q.5. Scot.q.vnica, & d.4. q.4.quos ſequitur Suar. de pœnit. diſp.18. ſect.2.Bonac.de pœnit. diſp.5. q.4. pun.1.num.8. & 9. Vaſq.de pœnit. q.84. art.3.dub.2.num. 12.& ſeqq.& alij.Patet hęc veritas ex verbis Chriſti. *Quorum remiſeritis peccata, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cœlis*.

5. Et relictis alijs opinionibus. Dico cum D.Thom.in cit.art.3. ad 5. dicta verba: *Ego te abſoluo*, idem importare,ac ſi Sacerdos diceret, Abſolutionis Sacramentum tibi impendo; quod intelligitur dummodo non ſit obex ex parte pœnitentis, vt cõmuniter omnes ita dicta verba exponunt; & idem eſt, ac ſi Sacerdos diceret; Remitto tibi peccata,quantum eſt ex vi Sacramenti, vt Bonac. loco cit. Cord. lib.1.q.5. Vbi multos affert,Nauar.de pœnit.d.6.cap.1.num.16.& alij ſupra cit.

6. Vtrum autem, ſi Sacerdos intendat abſoluere dictis verbis, pænitentem etiam à cenſuris, validè abſoluat? Affirmatiuè reſpondendum eſt; & tunc abſolutio à cenſuris cenſebitur prior natura, vt probat Bonac. loc.cit.nu.10. ex Sot.d.14. q.1.art.3.Nauarr.de pęnit.d.6.cap.1.Henriq.lib.4.c.11.nu.3.cum alijs multis, quos ipſemet Doctor refert de cenſur.diſp.1.q. 3.pun.5.num.3.& 4.

7. Sed quæritur,vtrum abſolutio poſſit dari ſub conditione? Reſpondeo ſi conditio fuerit de præterito, vel de pręſenti, ualidum erit Sacramentũ dummodo conditio adſit; vt ſi quis dicat; Ego te abſoluo, ſi non es abſolutus, vel te abſoluo, ſi habes animum reſtituẽdi, nam ſi pęnitens non erat abſolutus, manet abſolutus, & ſimiliter ſi habet animum reſtituendi; ſecùs autem è contra, idem etiã erit dicendum, ſi confeſſor dubitauerit de ſufficienti vſu rationis ratione pueritiæ, vel ratione amentiæ, eſſet enim danda abſolutio ſub conditione.

8. Si autem conditio fuerit de futuro, tunc inualidum erit Sacramentum; etiam ſi conditio poſtea adimpleatur; quia non eſt in poteſtate Sacerdotis ſuſpendere effectum Sacramenti. Vnde ſi quis diceret, Abſoluo te pro craſtina die, vel ſi Epiſcopus conſenſerit,vel poſtquam ſatisfeceris, &c.Nam forma cum intentione abſoluendi; & materia debent eſſe ſimul, & in his, & ſimilibus caſibus non ita eſſet, quia forma non datur cum actuali intentione abſoluendi,& ſic adeſſet materia abſque debita forma; & poſt conditionem adimpletam, nec adeſſet forma, nec materia; igitur nullum eſſet Sacramentum;Caiet.ver. Abſolutio;Sylu.eodem ver.3.n.12.Filiuc. tr.6.de contr. cap.3. num. 63. & alij communiter.

9. Quæritur ſecundò, vtrum hoc Sacramentum poſſit dari perſonę abſenti? in qua quæſtione licet, multi DD. olim affirmatiuè reſponderint, vt refert Suar. de pænit. diſp.19. ſect.3. tamen poſt declarationem Clementis VIII. factam die 19. Iulij ſub pœna anathematis ipſo facto incurrendæ, & ſibi reſeruatæ, omninò negatiuè reſpondendum eſt.Verba quæ habentur in Declaratione Pontificis ſunt hæc. S. D. N. &c. *Re maturè,& diligenter conſiderata, hanc propoſitionem, ſcilicet, licere per litteras,ſeù internuncium confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minùs vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps iſta propoſitio publicis,priuatiſque lectionibus,concionibus,& congreſſibus doceatur, neuè vnquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur*: Quæ declaratio eſt iuxtà mentem Concil.Trid. cum in cap.2.ſeſſ.14. de differentia inter Sacramentum Baptiſmi, & Pænitentiæ ita loquatur. *Secùs eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lauacro Baptiſmi ſui corporis mẽbra ſemper effecit; nam hos ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminauerũt, iam non repetito Baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat,ſed ante hoc Tribunal, tanquam reos, ſiſti voluit, vt per Sacerdotum ſententiam, non ſemel, ſed quoties, ab admiſſis peccatis ad ipſum pænitẽtes confugerint,poſſent*

liberari. Eſt igitur neceſſarium; vt pœnitens ſiſtat ſe ante pedes Confeſſarij, vt ab ipſo tanquam à iudice liberari poſſit. Vide Suar. diſp. 19 ſect. 4. Reginald. lib. 6. num. 5. Henriq. lib. 5. ca. 2. num. 7. Caiet. ver. Confeſſio conditione 11. Valentia 3. p. d. 7. q. 11. pun. 1. circa fin. & alios.

10. Sed dubium eſt, an liceat formam abſolutionis, ſeu Sacramentum pluribus conferre ſimul? Et affirmatiuè reſpondet Henriq. lib. 4. de pœnit. cap. 11. §. 4. cum multis alijs in periculo tamen naufragij, vel mortis, in quo poſſent plures ſimul cōfiteri; imò expediret; vt loquitur Filiucc. tr. 6. c. 3. num. 76. Eſt tamen cauendum ne forma repetatur ſuper eadem peccata; & in eadem confeſſione, quia eſſet Sacrilegium cum caderet in materiam nullam.

11. Quoad poteſtatem remittēdi peccata, in primis certum, & de fide ſupponendum eſt, eſſe in miniſtris Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata, de qua ſub nomine Clauium tractant Doctores cum Magiſt. in 4. d. 18. & relictis hereticorum opinionibus; fundatur dicta concluſio in verbis Chriſti Matth. 16. *Tibi dabo claues regni Cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, &c.* & Io. 20. *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Et ita fuit definitum in Concil. Conſtantienſ. ſeſſ. 8. & 15. & in Lateran. in c. Firmiter de ſumma Trinitate, & in Florent. in literis vnionis ſub nomine clauium; & expreſſiùs in Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. & can. 3. quę poteſtas eſt per modum iudicij exercenda; vt loquitur idem Concil. Trid. can. 9. his verbis. *Si quis dixerit, Abſolutionem Sacramentalē Sacerdotis non eſſe actum iudicialem, &c.* Vnde Bernar. ſerm. 1. de Sanctis Petro, & Paulo inquit: *Quid Petro potentiùs, qui Claues Cæli tam ſingulariter accepit, vt præcedat ſententia Petri, ſententiā Cæli?* Liberat etiam hæc poteſtas non ſolum hominem pœnitentem à culpa, ſed etiam à pœna æterna, & à pœna temporali iuxta pœnitentis diſpoſitionem, vt dicemus agendo de ſatisfactione. Quæ concluſio iam patet ex ſupradictis; Vnde Henriq. lib. 4. c. 30. & 31. Tria, ait, tolli per pœnitentiam, tam prout virtus, quam prout Sacramētum eſt: nempè inimicitiam Dei, contrariam charitati, ratione auerſionis. Offenſam Dei contra iuſtitiam præferendo bonum creatum ipſi Deo. Priuationem gratiæ, & iuſtitiæ, quę debuerat eſſe. Cum igitur peccator mereatur æternam pœnam, liberatur ab illa per pœnitentiam; ſequitur Filiucc. tr. 6. c. 4. num. 85. de qua re fusè Suar. diſp. 16. ſect. 4.

12. Eſt tamen notādum, duplicem eſſe poteſtatem remittendi peccata: nempè ordinis, & iuriſdictionis, & ambæ ſunt neceſſariæ ad remittenda peccata: Et primam habent omnes Sacerdotes, quia dum ordinantur duplicem poteſtatem accipiunt, vnam ſuper Corpus Chriſti verum, & aliam ſuper Corpus Chriſti Myſticum, prima ordinatur ad conſecrationem Corporis Chriſti, altera ad abſolutionem peccatorum, & ambæ poteſtates includuntur in Charactere; & ideò ſicut Character eſt indelebilis, ità etiam indelebilis eſt hæc poteſtas à Sacerdote, ità loquuntur omnes Theologi in 4. d. 18. vbi D. Thom. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 1. Richar. art. 1. q. 3. P. Sot. lect. de Clauib. Sot. d. 20. q. 2. art. 1. & alij. Nec obſtat, quod prima poteſtas fuerit tradita Apoſtolis in nocte cœnæ in illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*; & ſecunda poſt reſurrectionem in illis verbis *Accipite Spiritū Sanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. Io. 20. quia prima fuit data cum ordine ad ſecundam, & in ſecunda fuit conſummata corū conſecratio, & ordinatio, vt ait Suar. diſp. 16. ſect. 3. num. 3. Conferuntur autem hæ poteſtates Sacerdotibus poſt Apoſtolos in ordinatione Sacerdotali, vt colligitur in Extrau. Io. 22. & clariùs ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 10. & ſeſſ. 23. cap. 1. vbi ſic habetur. *Hoc autem ab eodem Domino Saluatore noſtro inſtitutum eſſe atque Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus in ſacerdotio, poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem eius, necnon, & peccata dimittendi, & retinendi, ſacræ literæ oſtendunt, & catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit*.

13. Poteſtas Iuriſdictionis etiam neceſſaria eſt, ita vt ſine illa nihil operetur poteſtas ordinis, vt definiuit Concil. Trid.

ſeſſ.

ſeſſ. 14. cap. 7. & antea Concil. Florent. in decreto Eugenij, & ratio eſt, quia vt diximus, hæc poteſtas eſt iudiciaria, vnde, vt iudicium ſit validum, neceſſaria eſt Iuriſdictio: quid autem ſit hæc iuriſdictio, & quando conferatur? relictis alijs opinionibus, certum eſt, eſſe quid diſtinctum à poteſtate ordinis, tam quoad eſſentiam, quam quoad modum, et tempus, quo confertur, nam poteſtas ordinis datur in charactere, vt diximus, et poteſtas iuriſdictionis datur tantum per externam conceſſionem, ſeù collationẽ alicuius muneris Eccleſiaſtici, et datur extra Sacramentum Ordinis (infra Summum Pontificem) immediatè ab homine; vt ſumitur ex Diuo Thoma 2.2.q.39.art.3.et 4. contra gentes cap.72. et in 4.d.17. q.3.art.3.quæſtiunc. 4.et d.19.q.1.art.3.quæſtiunc.1.Bonau.ibi art.3. q. 1. et præcipuè in ſolutionibus argumentorum, Sot.in 4.d.18.q.4.ar.2.Couarr.lib.1.var.reſol.ca.10.nu.11. vbi multos affert, ſequitur Suar.diſp.16.ſect.3.nu.7.cum multis alijs.

14. Sed dubium eſt, vnde Apoſtoli habuerint hanc poteſtatem iuriſdictionis? nempè à Chriſto Domino, an à D.Petro? et relicta aliorum opinione aſſerentium habuiſſe illam à Petro, quia tantum Petro dictum eſt; *Paſce oues meas.* Io. 21. quæ licet probabilis ſit; probabilius tamẽ videtur dicendum, habuiſſe à Chriſto Domino, non ex vi verborum, *Accipite Spiritum Sanctum*, etc. ſed ex peculiari intentione Chriſti, in illis verbis. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, vt fusè Cardinalis Bellarm. lib. 4. de Summo Pontifice cap. 22.et 23.et Suar.loc.cit.nu.3.

15. Quare autem poteſtas abſoluendi à peccatis ſignificetur nomine Clauium? Breuiter reſpondeo, reſpectu Summi Pontificis, per claues ſignificari Scientiam, et Potentiam: Scientia, quia Pontifex habet poteſtatem definiendi fidei veritates, et interpretãdi Sacram Scripturam, cui omnes parere tenentur, et ideò meritò Clauis dici poteſt, quia ſine tali fide nullus intrabit in regnum Cœlorum. Alia Clauis dicitur, Potentia ſpiritualis, quã habet Pontifex ad gubernandum Eccleſiam, præcipiendo, vel leges condendo, &c. & hoc modo Ambr. ſer. 66. & P. Auguſt. ſer. 27. de Sanctis, videntur accomodaſſe clauem potentię, Petro; & clauem ſcientię, Paulo, non quod vterque vtramque clauem non habuerint, ſed per quamdam eminentiam, & appropriationem; quam explicationem ſequuntur communiter Theologi in 4. d. 18. 19. & 20. Scot. diſt. 19. q. 1. art. 3. & alij quos ſequitur Suar. diſp. 16. ſect. 4. num. 5. & 6.

16. Reſpectu verò Sacramenti pœnitentię, quia agitur de remiſſione peccatorum modo iudiciali, vt ſupra, duo ſunt ibi neceſſaria, ſicut ſunt in omni iudicio; primum conſiſtit in cognitione, & examinatione cauſę; Secundum in ſententiæ prolatione. Per primam Clauem, ſignificatur poteſtas, & auctoritas Confeſſoris ad examinãdam conſcientiam, & iuridicè interrogandum pœnitentem in foro pœnitentiali; ita vt pænitens teneatur veritatem fateri. Per ſecundam Clauem, ſignificatur poteſtas abſoluendi à peccatis, ferendo ſententiam; quam explicationem inſinuat D. Ambr. & P. Auguſt. loc. cit. his verbis. *Clauis dicenda eſt, qua peccatorum corda reſerantur, mentis ſecreta pandantur, & quidquid intrinſecùs clauſum tenetur, in palam rationabili manifeſtatione producitur; Clauis, inquam, eſt, quæ, & conſcientiam ad confeſſionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem myſterij ſalutaris includit.* Tradit idem Suar. ex communi ſententia loc. cit. num. 6. Vnde poteſtas Clauium ex Extract. Ioan. 22. ſic definiri ſolet. *Eſt poteſtas, qua Iudex Eccleſiaſticus dignos admittere valet ad Regnum Cœlorum, & repellere indignos.* Quid autem ſit, vel quid ſignificetur per Regnum Cęlorum? Dico ſignificari Eccleſiam militantem, intra quam per poteſtatem relictam à Chriſto Domino, recipiuntur digni; & repelluntur indigni.

17. Sed vtrum poteſtas iuriſdictionis debeat numerari inter Claues? negatiuè videtur reſpondere Caiet. tom. 1. opuſcul. tr. 3. de Poteſt. Rom. Pontif. cap. 5. vbi ait, Theologos tantum diuidiſſe Claues, vt pertinent ad poteſtatem ordinis; cum illa tantum ſit propriè, & per ſe poteſtas. At iuriſdictio videtur potiùs eſſe conditio neceſſaria, & applicatio materiæ.

Digitized by Google

Marian. autem Victor. in lib. de cōfeſſ. cap. 12. tres claues aſſignat, nempè, ſcientiæ, potentiæ, & iuriſdictionis; ſed non eſt recedendum à communi diuiſione Theologorum. Tamen dicere poſſumus, talem diuiſionem in clauem ſcientiæ, & potentiæ conuenire nō ſolum poteſtati ordinis, ſed etiam poteſtati iuriſdictionis. Nam certum eſt, ſub dicta metaphora clauium, includi poteſtatem iuriſdictionis, quia promiſſio facta Petro, ſeù poteſtas ei data in illis verbis. *Paſce oues meas*. Ioan. 21. Maximè in iuriſdictione conſiſtit, & ſimiliter poteſtas ei data ligandi, & ſoluendi ab excommunicatione, etiam eſt ſignificata ſub nomine clauium; igitur talis diuiſio vtrique poteſtati conuenit; Suar. diſp. 16. ſect. 4. num. 7.

18. Actus autem dictarum clauium ſunt non ſolum ligandi, & ſoluendi, quia hi pertinet ad poteſtatem iudicialem; ſed etiam alios actus includunt, ſcilicet illuminandi, diſpenſandi, regendi, &c. qui omnes actus adequatè ſunt in Summo Pontifice, in cæteris autem inadæquatè, & per participationem, vt loquitur Caiet. loco cit. vel dicendum eſt; has claues eſſe alijs communicatas à Petro, quoad poteſtatem ordinis perfecti; quoad poteſtatem verò juriſdictionis ex parte, & dependenter ab jpſo tāquam à capite; Vnde Euſebius Niſſenus Homil. in die S. Petri ad illa verba. *Tibi dabo claues*, ſic ait. *Petro principaliter dicitur, cæteris tamen Apoſtolis, etiam dictum eſſe intelligi debet, & Epiſcopis, & Sacerdotibus, iſtis enim, & claues, & poteſtas data eſt à Deo, vt non ſolum Eccleſiam, ſed etiam Cælos aperiant.*

De effectu, & neceſſitate Pęnitentiæ quoad remiſſionem peccati mortalis. Cap. XXXXI.

1 *Pœnitentia eſt habitus ſupernaturalis infuſus in voluntate; non tamen fuit nec in Chriſt. nec in B. Virgine, ſtricto modo loquendo.*

2 *Pœnitentia ex ſe ſufficiens eſt ad abolenda omnia peccata, licet, grauiſſima, & enormiſſima.*

3 *Probatur, doctrinam traditam eſſe de fide.*

4 *Dum ſumus in hac vita, ſemper habemus gratiam ſufficientem ad pœnitentiā pro quibuſuis peccatis.*

5 *Probatur eadē doctrina auctoritate Concil. Trid. Patrum, & ſacra ſcriptura.*

6 *Peccata in Spiritum Sāctum difficiliter remittuntur.*

7 *Peccata mortalia non poſſunt remitti ſine pœnitentia, niſi in tribus caſibus.*

8 *De potentia Dei abſoluta poſſunt remitti peccata mortalia ſine pœnitentia.*

9 *Non poteſt remitti vnum peccatum mortale quin remittantur omnia.*

10 *Remiſſis peccatis mortalibus, remittitur etiam pœna æterna, quæ commutatur in temporalem, & remittitur iuxta qualitatem contritionis, & per ſubſequentem pœnitentiam.*

1 ESt primò breuiter notandum, pœnitentiam eſſe habitum ſupernaturalem voluntati infuſum; vt D. Thom. 3. par. q. 83. art. 4. & ſeqq. & in 4. d. 14. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. & ſeqq. & ibi Richard. Palud. Sot. Ledeſm. & alij, imò generatur in appetitu ſenſitiuo, tanquam concomitante ipſum actum voluntatis. Nam ſicut appetitus ſenſitiuus habens habitum temperantiæ, difficiliter cadit in intemperantiam, & non ex alia cauſa, niſi quia adeſt habitus, qui difficiliter mouetur ad actum contrarium; ſic etiam dicendum eſt de appetitu ſenſitiuo hominis habētis habitum pœnitentiæ in voluntate, non enim faciliter mouetur ad actum cōtrarium; ergo id non niſi ex habitu prouenit, qui manet in tali appetitu ſenſitiuo; vt Palud. d. 14. q. 2. num. 11. Ledeſma 1. par. q. 25. art. 4. Sed talis habitus dicitur acquiſitus, & potiùs manet in iraſcibili, quam in concupiſcibili, vt Bonau. diſt. 14. ar. 2. quæſt. 1. cum Alberto ibidem ar. 8. & idem dicunt de actu voluntatis. Vtrum autem talis habitus, ſeù virtus pœnitentiæ fuerit in Chriſto Domino? negatiuè abſolutè reſpondet D. Thom. in 4. diſt. 14. art. 3. quæſtiunc. 3. ad argumenta, & hoc etiam ſi Chriſtus cōſideretur, vt homo; admittit tamen illam

in

Digitized by Google

in omnibus hominibus, etiam innocentibus, & par. 1. quæſt. 95. art. 3. ponit illam in Adamo in ſtatu innocentiæ, non verò in Angelis, quia ſunt illa incapaces; ſequitur Richar. 4. diſt. 14. art. 2. quæſt. 3. Palud. quæſt. 4. Maior q. 2. qui etiam negat fuiſſe in B. Virgine. Tamen diſtinguendum eſt, ſi loquamur de pœnitentia in rigoroſa ſignificatione, ſcilicet quatenus connotat proprium peccatum commiſſum, & eius retractationem; ſic certum eſt non fuiſſe in Chriſto, nec in B. Virgine, nec in alijs innocentibus, licet B. Virgo, & alij innocẽtes abſolutè peccare poterant; ſcilicet per quãdam diſpoſitionem quaſi aptitudinalẽ. Si autem loquamur de pœnitentia quatenus dicit iuſtitiam ad Deum; ſub hac ratione poſſumus dicere fuiſſe in Chriſto, in B. Virgine, & in omnibus Sanctis, vt tenet Thomas de Argentina in 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 5. Alexander Alenſis 4. par. quæſt. 12. memb. 1. art. 1. §. 1. circa finem, & alij, quos ſequitur Suar. diſp. 7. ſect. 1. nu. 10. quibus poſitis.

2. Dico, pęnitentiam ex ſe in ſuo genere eſſe ſufficientem ad abolenda omnia peccata mortalia, quamuis grauiſſima, & non ſolùm ſemel, vel bis, ſed ſępè, quæ verba pono ad reijciendos tres errores hæreticorum, quorum primus eſt, pœnitentiam eſſe inſufficientem ad remiſſionem peccatorum, quem errorem tenuerunt quidam hæretici Cathari, & Cathaphrygæ, & alij, vt refert D. Epiphanius hæreſ. 59. Pater Auguſt. lib. de vera, & falſa pęnitentia cap. 3. & de Agone Chriſt. cap. 30. & lib. de hæreſib. Hieronym. lib. 2. contra Iouin. & Epiſt. 50. 54. & 61. & fundamentum horum hæreticorum fuit illud dictũ Apoſt. ad Hebr. 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, rurſus renocari ad pœnitentiam*, & cap. 10. *Non relinquitur hoſtia pro peccato*. Secundus error eſt: Pœnitentiam auferre quidem peccata, ſed non peccata grauiſſima, hũc errorem tenuit Nouatus, vt colligitur ex Euſeb. lib. 6. Hiſtoriæ; & multi etiam putãt in tali errore fuiſſe Tertullianum, quia ait, non omnibus peccatoribus denegandam eſſe pœnitẽtiam, ſed tantum Mœchis, vt refert Pamelius in Anthidoto ad paradoxa Tertulliani num. 27. ex lib. eius de pudicitia; Sic etiam Armeni aliqua poſuerunt peccata eſſe irremiſſibilia, vt Armacanus lib. 9. de quæſtionibus Armenorum cap. 27. Tertius error eſt, pœnitentiam ſufficere ad tollenda peccata ſemel non tamen ſæpiùs; ideò addidi alia verba; non ſolum ſemel, vel bis ſed ſæpè. hunc errorem tenuit Montanus, & eius ſequaces dicuntur Montani, & in hunc errorem incidit etiam Tertullianus, vt ait Diuus Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis: non tamen deſunt, qui putant, poſtea Tertullianum reſpuiſſe. Fundamentum huius erroris erat fundatum in quadã cõgruentia, ſcilicet ne daretur homini nimia licentia peccandi, in cuius ſignum, aſſerebant, nunquam Chriſtum Dominum bis aliquem curaſſe; ſic etiam ne videretur Deus diligere peccata tam faciliter dimittendo, vt eleganter refert P. Auguſt. lib. de vera, & falſa pœnitentia cap. 5.

3. Noſtra autem Doctrina vera, & de fide eſt, vt conſtat ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 14. & can. 24. & ex tota ſeſſ. 14. & ex Concil. Mileuit. & Arauſic. & ex Niceno can. 8. & ex decretis diſt. 50. & in diſt. de pœnitent. ita fatentur omnes Patres, & præcipuè Pater Auguſtinus Epiſtola 108. & ſermone 15. de verbis Apoſtoli, & ſermone 181. de tempore cap. 14. et lib. 2. de Adulterinis coniugijs cap. 6. et ad verba Pauli, quæ magis videtur vrgere; Reſpondetur ſenſum literalem eſse; peccatorem per pœnitentiam impoſſibile eſse, poſse mundari, ac fuit mundatus in Baptiſmo; ſcilicet conſequi illam liberalem remiſſionem totius culpæ, et pænæ eo modo, quo ei fuit conceſſum in Baptiſmo iuxta illud dictum. *Mundans non facit innocentem*; Vnde Athanaſ. orat. de Blaſphem. in Spiritum Sanctum aduertit. Non dixiſse Paulum, impoſſibilem eſse pœnitẽtiam, ſed impoſſibile eſse, per cauſam pœnitentiæ quempiam renouari iterato Baptiſmate; et eodem ſenſu dicitur in cap. 10. non relinqui aliam hoſtiam pro peccato, ſcilicet aliam Chriſti mortem, quæ per iteratum baptiſma repræſentetur, vt Chriſoſtomus ibi, Pater Auguſt. lib. de vera, et falſa pænitent. cap. 3. et Diuus Ambroſius lib. 2. de pænitent. cap. 2. Vide etiam D. Thom. 3.

par.

Digitized by Google

par.q.86.art.1.vbi multa præclara notat.

4. Sed dubium eſt, vtrum dum ſumus in hac vita, poſſimus ſemper habere pœnitentiam ſufficiẽtem ad remittenda peccata, quamuis grauiſſima, ſed priùs nota, quod quæſtio non eſt, vtrum homo ſemper habeat liberum arbitrium ad aſſumendam pœnitentiam, quia hoc certum eſt, cum per quæcunque, licet, grauiſſima peccata, homo nunquam amittat liberum arbitrium, nec vſum rationis, quamuis illum minuat ex prauis, & inordinatis habitibus vt D.Thom.1.2.q.85.art.1.& 2.neque dubium eſt, vtrum ſemper ex parte Dei poſſimus habere gratiam efficacem ad pœnitendum; quia hoc certum etiam, & de fide eſt, cum maior ſit potentia, & miſericordia Dei, quam grauitas quorumcumque peccatorum. Difficultas igitur eſt, vtrum ſemper peccator in hac vita habeat gratiam ſufficientem ad pœnitentiam; & negatiuè aliqui reſpondent vt Henriq.quolib.8.q.1. Abulenſ.in Exod.cap.4.q.12.& in Deuter. cap.2.q.10.Medin.lib.3. de recta in Deũ fide cap.1.& alij, quos refert Suar. diſp.8. ſect.2.in princ.ſed hoc non ratione culparum, cum Deus ſemper poſſit quaſcumque culpas abolere; nec adeſt lex, vt ſi homo perueniat ad talem peccatorũ multitudinem, ſit gratia ſufficienti priuandus: loquuntur igitur hi Doctores tantum reſpectu perſonarum aliquarum, quibus Deus denegat auxilia ſufficientia propter ſua peccata, & hanc ſententiam fundabant in aliquibus locis ſacræ ſcripturæ, & locutionibus Patrum, nam ad Roman. dicitur. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*. Io.12.*Propterea non poterunt credere, quia dixit Iſaias; Ex cæca cor populi huius*, & Eccleſ. 7.*Conſidera opera Dei, quia nullus poteſt corrigere, quem ipſe deſpexerit*; Et ità ſimiliter aliqui Patres locuti ſunt; Et Iſidor. lib. 2. de ſummo bono cap.15.ait. *Nonnulli ità deſpiciuntur à Deo, vt non poſſint mala plangere, etiam ſi velint*. Et multa alia Sacræ Scripturæ loca, & Sanctorum Patrum afferri poſſent.

5. Tamen dicendum eſt, peccatoribus in hac vita ſemper eſſe paratam gratiam ſufficientem ad pœnitẽtiam; quæ ex ſe ſufficiens eſt ad abolenda omnia peccata, quamuis enormiſſa, & in maximo cumulo, ità D.Thom.3.par.q.86.artic.1. Petr.Sot. lect.5.de pœnitentia, Vega lib.13.in Trid. cap.12.& 13. Sot.in 4.diſt.15.q.1.art.2. & 1.de natura, & gratia cap.8.Ferrar.3.contra gentes cap.159.Suar.de pœnit. diſp.8. ſect.2. nu.6. cum multis alijs; Filiucc. tr.6. cap.4.num.87. probatur ex pluribus locis Sacræ Scripturæ: vt Ierem. 3. *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere, ergo ſaltem ammodo voca me* (& infra.) *Reuertere auerſatrix Iſrael, dicit Dominus, & non auertam faciem meam à vobis, quia ſanctus ſum ego, dicit Dominus, & non iraſcar in perpetuum*, & Ezecch. 18. & 33. *Nolo mortem peccatoris, ſed, vt conuertatur, & nunquid voluntatis meæ eſt mors impij?* Et ità fuit à Concilijs definitum, vt à Concilio Lateranenſi in capite Firmiter de ſumma Trinit. & à Concilio Tridentino per totam ſeſſ. 14. & ſeſſ. 6. capite 14. Ad rationes primæ ſententiæ reſpondetur, aliquos peccatores eſſe adeò immerſos in peccatis, & prauè diſpoſitos, vt in eis nõ appareat nec ſufficiens gratia, & moraliter loquendo, difficillimum videtur poſſe conuerti ob prauos habitus.

6. Nec ſimiliter obſtat, quod peccata in Spiritũ Sanctũ, dicantur irremiſſibilia. Matt. 12. quia hoc dicitur ex eo, quod re vera dicta peccata, cum nullam excuſationem habeant, difficiliter remittuntur, quia difficiliter peccator poteſt de eis pœnitere; Finalis enim impœnitentia dicitur peccatum irremiſſibile, quia in hac vita tantum datur pœnitentia remiſſiua peccatorum, vnde ſi peccator moreretur abſq; pœnitentia, rectè dicitur tale peccatum irremiſſibile. Filiucc.tract.6.cap.4.nu.88.& Bellarm. lib.2.de pœniten.cap.16.ad 4. & Henriq.cap.13.§.6.

7. Sed quæritur, vtrum peccatũ mortale remitti poſſit abſq; pœnitentia? Reſpondeo negatiuè; patet ex Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*; Vnde dicendum eſt, pœnitentiam eſſe neceſſariam ſecundum proprium, & formalem actum doloris, ſeù deteſtationis. Ità D. Thom.3.p.q.86. art.2. & q.85.art.5.ad 2. & 1.2.q.113.art.2.& ſeqq.& q.28. de veritate, art. 5. & ſumitur, ex Concil. Trid. ſeſſ.14.cap.4.vbi ait. *Fuit autem omni tempore*

Digitized by Google

pore neceſſarius hic motus, ad obtinendam peccati veniam; & ex ſeſſ. 6. cap. 6. & 7. & Lateran. in cap. Firmiter, de ſumma Trin. & de fide Cathol. Aliquãdo tamen poteſt obtineri remiſſio peccatorum abſque formali actu pœnitentiæ, vt ait Scot. d. 14. q. 1. art. 3. Gabr. q. 1. concluſ. 2. Maior. quæſt. 1. Vega lib. 6. in Trident. cap. 33. & 34. Et tres caſus aſſignari poſſunt. Primus eſt, actus amoris Dei ſuper omnia de quo iam ſupra diximus; imò Sotus loco citato aſſerit eſſe de fide; ſcilicet, quod per talem actum amoris Dei obtineatur remiſſio peccatorum, abſque formali actu pęnitentiæ, idem docet Caiet. q. 87. art. 1. faciunt verba Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur; Et omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt*. Vnde P. Auguſt. cõtra Creſcon. lib. 2. cap. 12. loquens de peccatis, ait. *Mũdantur ipſa, quæ omnibus ſupereminet, charitate, quæ ſi adſit, omnia rectè fiunt; ſi verò abſit, omnia fruſtra fiunt*. Secundus caſus eſt, Martyrium, vt ait Sot. Vnde, qui Martyriũ ſubit, cenſetur elicere formalem actum pœnitentiæ. Si autem dum ducitur ad Martyrium recordetur alicuius culpæ mortalis, tenetur etiã talem actum formalem pœnitentiæ elicere; vt ait Sot. tom. 3. tertiæ partis, diſp. 29. ſect. 2. & 3. & tom. 4. de pœnitent. diſp. 9. ſect. 1. num. 6. Sed Sot. abſque vlla diſtinctione loquitur, & verè ita puto eſſe loquendum; quia ſi per actum amoris Dei ſuper omnia poteſt haberi remiſſio peccatorum; Multò magis per Martyrium, in quo eſt actus amoris non ſolum in voluntate, & quodammodo ſpeculatiuè, ſed etiã in praxi, & cum amiſſione propriæ vitæ; in quo conſiſtit perfectus amor Dei, & fidei; & de tali poteſt dici, obſeruaſſe illud dictum. *Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis*. Tertius caſus eſt obliuio; vt etiam ait Sotus, & expreſsè traditur à D. Thom. q. 87. art. 1. nam ſi inculpabiliter quis obliuiſcatur alicuius culpæ, excuſabitur à præcepto pęnitentiæ; Suar. loco cit. de pęnit. & Filiuc. tract. 6. cap. 4. num. 89. & ſeqq.

8. Vtrum autem de potentia Dei abſoluta, peccata mortalia remitti poſſunt ſine pęnitentia? Affirmatiuè reſpondendum eſt. Nam poſſet Deus, ex communi ſententia, naturam hominis peccatoris aſſumere hypoſtaticè, & per talem aſſumptionem, ipſum ſanctificare, & mundare à culpa; vel vt ait D. Thom. & ferè omnes, teſte Suar. loco cit. ſect. 2. num. 4. poteſt homo in ſtatu peccati mortalis iuſtificari per Martyrium ſibi voluntarium, ex præcedente voluntate: & tamen in hoc caſu nullus pręcederet actus pęnitentiæ, & remiſſio fieret per infuſionem gratiæ, & probatur; nam actus peccatoris non requiritur ad remittenda peccata tanquam forma excludens culpam; ſed tanquam diſpoſitio congrua ex diſpoſitione diuina; & cum non repugnet, Deum poſſe cõferre effectum formalẽ ſine præuia diſpoſitione; ſequitur, quod etiam Deus poterit peccatorem iuſtificare de potentia abſoluta abſque pœnitentia, neque obſtat, quod D. Thom. q. 86. art. 2. videatur contrarium aſſerere; nam ibi Sanctus loquitur de potentia Dei ordinaria; vt colligitur ex rationibus ab ipſo allatis, & ita illum interpretatur Suar. in cõmentario dicti articuli num. 3. in fine; & fuſiùs dictam doctrinã tradit diſp. 9. ſect. 2. cum multis alijs. Alia etiam, quæ hic addi poſſent, relinquo ſpeculatiuis Theologis.

9. Quæſtio tamen eſt, vtrum remiſſo vno peccato mortali, remittantur etiam alia eiuſdem peccatoris? quæ quæſtio poteſt procedere de facto, & de poſſibili. De facto, certum, & de fide eſt, nõ poſſe vnum peccatum mortale ſine alio dimitti; vt omnes Theologi docẽt cum D. Thom. 3. par. q. 86. art 3. iuxta illud Iacob. 2. *Qui in vno offendit factus eſt omnium reus*; & ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi dicit. *Iuſtificationem peccatoris, includere remiſſionem peccatorum*; & in cap. 15. ait. *Quodlibet peccatum mortale cum gratia repugnare*, & ipſamet ratio humana dictat, non poſſe vnum ſimul eſſe in gratia, & odio. Quæſtionem autem de poſſibili relinquo ſpeculatiuis diſputandã; nam negatiuè reſpondet Sot. d. 15. q. 1. art. 3. Sed affirmatiuè defendit Scot. d. 14. q. 1. & multi alij licet, ex diuerſo fundamento.

10. Sed vtrum remiſſis peccatis, remittatur etiam pœna æterna dictis peccatis debita? Affirmatiuè reſpondendum eſt, & eſt de fide, ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap.

14. & 7. & eſt communis ſententia Theologorum, ſed vtrum de potentia abſoluta poſſit Deus remittere culpam, & non pęnam? Diſputant DD. & adſunt opiniones probabiles pro vtraque parte, quod omitto, vt ſupra. Commutatur tamen dicta pœna æterna in pœnam temporalem, vt communiter omnes DD. loquuntur contra hæreticos noſtri temporis, aſſerentes, remiſſa culpa, remitti etiam totam pęnam; Sed circa hanc rem, tria certa ſunt, & de fide; Primum eſt, remiſſa culpa mortali per pænitentiam, non ſemper remitti totam pęnam temporalem, ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. & 30. & ſeſſ. 4. cap. 2. & 8. & can. 12. 13. & 14. Secundum eſt, pęnam temporalem remanentem poſt remiſſam culpam, non ſemper eſſe æqualem, ſed maiorem, vel minorem iuxta qualitatem contritionis, & tanta poterit eſſe contritio, vt remittat etiam omnem pęnam temporalem; vt ſumitur ex D. Thom. 3. par. q. 86. art. 4. & clarius contra gentes cap. 72, & eſt communis opinio. Tertium eſt; talem pęnam remanentem tolli poſſe per ſubſequentes actus pænitentiæ, ex Concil. Trident. loco citato, nec aliqua adeſt difficultas.

De effectu Pęnitentiæ, quoad remiſſionem peccatorum venialium; & de perfectione effectus pęnitentiæ circa remiſſionē peccatorum. Cap. XXXXII.

1 *Ad remiſſionem peccatorum venialium requiritur aliquod auxiliū ſupernaturale.*

2 *Probatur dicta doctrina auctoritate Concilij Tridentini, & Patrum.*

3 *Peccata venialia remittuntur per pænitentiam formalem, vel virtualem.*

4 *Remittuntur etiam dicta peccata per attritionem, vel alium actum contrarium.*

5 *Poſt hanc vitam datur pænitentia de peccatis venialibus, ſcilicet in vltimo inſtanti vitæ.*

6 *Dicta doctrina intelligitur quoad culpam, non quoad pænam.*

7 *Remittuntur etiam dicta peccata per Sacramenta ex opere operato.*

8 *Remittuntur etiam per Sacramentalia.*

9 *Peccata iam remiſſa per ſubſequens peccatum non redeunt.*

10 *Si iterum ad noua peccata quis reddit, grauius peccat.*

11 *Per pænitentiam virtutes infuſè reſtituuntur.*

12 *Per pænitentiam homo reſurgit in priſtinam dignitatem, ſed non ad dignitatem innocentiæ.*

13 *Opera bona facta in gratia, & poſtea mortificata per peccatum, per pænitentiam reuiuiſcunt.*

14 *Opera mortua, ſcilicet, facta ſine gratia, nullo modo viuificari poſſunt per pænitentiam.*

1 CErtum eſt, quod peccatum veniale cōueniat cum mortali, in quantum eſt etiam malum culpæ, & Dei offenſa tribuens maculam in anima, licet imperfectam ex eo, quod per illā non dicitur peccator auerſus à Deo, vt ab vltimo fine; & ex conſequenti non priuat illum diuina gratia, nec conſtituit inimicum Dei; vt D. Thom. 1. 2. q. 72. art. 5. & q. 88. & 89. & 3. par. q. 87. art. 2. ad 3. Quando autem dicitur remitti peccatum veniale, intelligitur formaliter remitti dictam maculam, & non pœnam, niſi iuxta qualitatem doloris, vt diximus de mortalibus. Quod aſſero contra Durand. in 4. d. 16. q. 2. & d. 20. q. 1. aſſerentem peccata venialia remitti per naturalem actum illi contrarium, & alios aſſerentes remitti ſuſtinendo aliquam pœnam proportionatam, quod aſſerunt, quia putant poſt peccatum veniale non manere, niſi reatum pœnæ, ſicut etiam dixerunt de mortali, vt ſupra, quod iam falſum probauimus; ſicut etiam in præſenti falſum dicimus eſſe, aſſerere, in peccato mortali non adeſſe culpam, & pœnam; Vnde neceſſariò eſt dicendum, formaliter remitti culpam, & pęnam iuxta diſpoſitionem doloris; vt latè defendit Sot. d. 15. q. 2. art. 2. & Ledeſm. q. 28. art. 1. Et etiam dicendum eſt, non remitti per naturalem actum, ſed ne-

neceſſarium eſſe aliquod auxilium, vel beneficium Dei iuxta illud Pſal. 31. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Nõ tamen requiritur habitualis gratia; quia peccatum veniale non eſt illi contrarium; nec per illud remittitur, ſed ſufficit motus gratiæ, vel charitatis; vt loquitur D.Tho. 3.par. q.87. art.2. & hanc doctrinam tradit, Sot. lect. 18. de pęnit. & alij communiter.

2. Patet etiam hæc doctrina ex oratione Dominica, vbi generatim quotidiè petimus. *Dimitte nobis debita noſtra*; quæ verba voces iuſtorum eſſe, ait Cõcil. Trid. ſeſſ.6. cap. 11. propter frequentia peccata venialia. Vnde id, quod petimus, colligitur eſſe opus gratiæ, & non opus naturæ, vt frequenter legitur apud P. Auguſt. & in Concil. Mileuit. & Arauſican. in quibus aſſignatur generalis regula, nẽpè, nihil, quod ad pietatem, & vitam æternam conferat, poſſe obtineri abſque auxilio gratię, quod etiam intenditur, & dicitur de omni liberatione à malo, vel miſeria, vt declarauit dictum Concil. Arauſic. can. 14. & 22.

3. Sed per quẽnam actum pęnitentiæ peccata venialia remittantur? & relictis varijs opinionibus? Reſpõdeo cum D.Tho. loco proximè cit. per pęnitentiam formalem, vel virtualem; ſcilicet per actum deteſtationis, & doloris, vel per actum amoris, & charitatis erga Deũ; quam doctrinã tradit etiam dictus Sãctus in q. 2. de malo art. 11. & 12. & in 4. d. 16. q.2. art.2. quæſtiunc.2. Bonau. d.21. art. 1. q.2. Sot. d.15. Pet. Sot. lect. 18. & alij paſſim. Illa tamen peccata venialia non dicuntur remitti per formalem, & virtualem pœnitentiam, de quibus habetur contritio; vel ſi actus amoris fuerit vniuerſalis includens deteſtationem aliquorum tantum peccatorum venialium, illa tãtum erunt remiſſa, at ſi contritio generalis fuerit de omnibus peccatis venialibus, & ſic etiam actus amoris, omnia erunt abſoluta, vt docet Caiet. 3. par. q.87. art. 1. & alij Thomiſtæ, & præcipuè id docet D. Thom. dicta q.7. de malo art. 11. ad 4. & in 4. d.16. q.2 art. 2. quæſtiunc. 4. ad 3. & ratio eſt, quia ſicut actus contritionis de mortalibus omnibus liberat, & mundat ab illis omnibus; à fortiori actus cõtritionis de omnibus venialibus, mũdabit ab illis omnibus; vt Suar. tom.4. dę pœnit. diſp. 11. ſect. 3. num.7.

4. Tolluntur etiam peccata venialia per attritionem, aut per contrariũ actum, vel propoſitum virtutis repugnantem dictis peccatis venialibus, hæc concluſio ſimiliter vera, & certa eſt, quam docet Scot. in 4. d.21. q.1. Gabr. in 4. d. 16. q.5. art.2. concluſ.4. & art.3. dub.3. Maior. q. 1. Medina tract. 1. de pœnit. q.3. & optimè Bonau. in 4. d.21. art. 1. q.2. & ſumitur ex Pater Auguſt. in Enchir. cap. 71. vt refertur in Concil. Tolet. 4. cap.5. & in decret. de pœnit. diſt. 3. cap. de quotidianis, vbi ait, cata venialia remitti per orationem Dominicalem, & alia opera pietatis; & idẽ docet lib. de fide, & ſymbolo cap.6. & Epiſt. 108. ad Seleucianum, & eſt cõmunis Doctorum opinio.

5. Vtrum autem poſt hãc vitam, poſſit dari pęnitentia de peccatis venialibus? affirmatiuè aliqui reſpondẽt, ſcilicet purgari, & remitti dicta peccata in Purgatorio ſucceſſione temporis, & non per ſolam pęnam, ſed per bonos actus, quos tunc anima exercet, præſertim volũtariè acceptando, & ſuſtinendo talem pœnã; ita videtur indicare S.Thom. in 4. d.21. q. 1. art.3. & clariùs id tradit Bonau. art.2. q.1. Sot. diſt. 15. q.2. art.2. & alij; ſunt etiam alij, qui aſſerunt dicta peccata remitti ante mortem per quamdam gratiam finalem; vt Maior. in 4. d.21. q.1. art.3. Sed hanc ſententiam meritò impugnat D. Thom. in 4. d.21. q.1. art. 3. Puto tamen eſſe dicendum, dicta peccata venialia remitti in illo inſtanti ſeparationis animæ à corpore per actũ amoris, & contritionis perfectæ omnium culparum. Nam anima in tali momento optimè cognoſcit ſuum ſtatum; & eſt expedita ad operandum; & iam ex parte Dei habet auxilium efficaciſſimum iuxta qualitatem gratiæ, in qua decedit; Vnde perfectè tendit in Deum cũ auerſione ab omnibus culpis; ita ſentit D.Tho. q.7. de malo art. 11. Ricchar. d.21. art.2. q.1. Palud. q. 1. art. 1. concluſ.3. & alij multi. Non tamen improbabilis eſt ſententia Scoti in 4. d.21. q.21. aſſerentis peccata venialia remitti in tali inſtanti propter pręcedẽtia merita; & quia

Digitized

homo peruenit ad illum finem cum gratia ſatisfaciente. Vnde Deus quodammodo in illa noua, & finali acceptatione dictorũ operum, remittit omnia peccata venialia; quod intellige quoad culpam.

6. Quid verò dicendum ſit de pœna, ſcilicet an remittatur etiam tota pęna, vel pars illius? Reſpondeo vi talis actus in vltimo inſtãti vitæ nullam fieri remiſſionem pœnæ; quia Deus ſtatuit tempus huius vitæ ad ſatisfaciendum per noſtros actus, vel pœnas huius vitæ; at in inſtanti mortis extrinſecè finit vita, & intrinſecè incipit alia; Vnde non datur modus ſatisfaciendi, cum intrinſecè incipiat ignis Purgatorij; nec eſt ſimilis ratio de peccato mortali, quia tunc per contritionem daretur infuſio gratiæ, per quam liberatur homo à culpa, & ex conſequenti à pœna æterna, quæ ex tali culpa procedit, Suar. diſp. 11. ſect. 4. num. 18.

7. An dicta peccata venialia remittantur per Sacramenta ex opere operato? Reſpondeo affirmatiuè; & hoc tàm quando dicta venialia ſunt cõiuncta cum mortalibus, quia tunc ſimul remittuntur, quando tamen ſaltem attritio ad dicta venialia ſe extendit, licet, virtualiter; quam ſi dicta venialia abſque mortalibus ſint abolenda; vt fit in homine iuſto habente tantum venialia; nam ex dicto homine per ſumptionem Sacramenti ex opere operato tolluntur peccata venialia; dummodo, vt dixi, in illo ſit aliqua diſpoſitio, & attritio extendens ſe ad dicta venialia, & ratio eſt, quia ſicut per ſolam attritionẽ cum Sacramento obtinetur remiſſio mortalium; multò magis id concedendum eſt in venialibus, vide Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 12. ſect. 1. et Filiuc. tract. 6. cap. 5. num. 124. et ſeqq.

8. Vtrum etiã Sacramentalia remittant peccata venialia? eſt priùs notandum Sacramentalia eſſe quaſdam cæremonias inſtitutas ab Eccleſia ad ſolemnem ritum Sacramentorũ, quibus applicatur remiſſio venialium, et ſex communiter nominantur, quæ continentur in hoc verſu, ſcilicet.

Orans, Tinctus, Edens, Confeſſus, Dans, Benedicens.

Ideſt; oratio Dominica, aqua benedicta, panis benedictus, confeſſio generalis, eleemoſyna, et benedictio Abbatis, vel Epiſcopi; ſolẽt etiam addi oratio in Eccleſia conſecrata, tunſio pectoris, et extrema vnctio; ſed prima duo reducuntur ad orationem, quia extrema vnctio eſt Sacramentum, et non ſacramentale. Vnde ad quæſitum reſpõdeo dicta ſacramẽtlia non habere vim remittendi peccata ex opere operato; et ratio eſt, vel quia Eccleſia non habet poteſtatem inſtituendi cauſam, quæ habeat talem effectum ex opere operato, vel quia etiam ſi habeat, non conſtat ex tali inſtitutione; vt fuſiùs oſtendit Suar. diſp. 12. ſect. 2. num. 4. ex pluribus locis D. Tho. et præcipuè in 4. d. 16. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 4. et d. 21. q. 2. art. 1. Alenſ. 4. par. q. 65. mẽb. 3. art. 4. Duran. d. 21. q. 3. et alij multi, quos etiam ſequitur, Filiuc. tract. 6. cap. 5. num. 13c. habent tamen dicta Sacramentalia virtutem remittendi dicta venialia, ſed ex opere operato, vt dicti Doctores aſſerunt.

9. Quoad ſecundam partem capitis, ſcilicet quoad efficaciam remiſſionis habitæ per pœnitentiam, quęri poteſt, vtrum peccata iam remiſſa, redeant quoad culpã per ſubſequens peccatum? et affirmatiuè reſpondẽt aliqui, vt Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramẽto, par. 14. cap. 9. et Gratian. d. 4. de pœnit. probatur hæc ſententia ex Parabula Matth. 18. *Omne debitum remiſi tibi, quia rogaſti me*, et deinde ſubdit Rex; *Non exeat inde donec ſoluat vniuerſum debitum*, ex quibus verbis colligitur, quod propter peccatum non miſerendi ſui debitoris, ſit ei imputatum primum debitum, ſcilicet peccatum dimiſſum; et ita videtur intelligere P. Auguſt. dum exponens dictam Parabulam, ait in ſerm. 15. de verb. Domini cap. 6. *Si non dimiſeris, reuocabo te, & quidquid tibi dimiſeram, replicabo*; et lib. 1. de Baptiſm. Paruulorum cap. 12. et 13. dicit, *peccata remiſſa aliquando redire*, et idem dicit lib. 3. de Baptiſmo cap. 13. ita etiam, ex locutionibus aliquorum Patrum colligit a. peccata Gratian. Tamen dicendũ eſt, dicta remiſſa, ſeù culpas remiſſas formaliter nunquam redire, quamuis noua peccata multiplicentur, ità communiter omnes cũ D. Thom. in 4. d. 22. Albertus art. 5. Bo-

Digitized by Google

Bonauent.art.1.q.1.et 2.Pet.Sot.lect.9.de pęnit. Sot.d.16. & alij multi; probatur ex cap. vlt. de pęnit.diſt.4. vbi Gelaſius Papa ſic ait. *Diuina clementia, peccata ſemel remiſſa, in vltionem iterum redire non patitur.* Ad Parabulam autem Matth. Reſpondeo ibi non loqui de reditu culpæ,ſed pęnæ, de qua ad præſens nō agimus;imò nec intelligitur reſpectu pęnæ remiſſæ à Deo, quia finis Parabulæ eſt attendendus, & nō verba; ſicut videmus in alia Parabula apud Luc.16. vbi dicitur. *Laudauit Dominum villicum iniquitatis*; nam ibi non laudatur factum, ſed induſtria: Vnde in prima Parabula ſignificantur nobis ſtrictiſſimè Deum eſſe exacturum à nobis rationes noſtrorum peccatorum, ſi miſericordiam nō fecerimus cum fratribus noſtris, quod intelligendum eſt reſpectu culparum, & pęnarū in quas inciderimus,& iam de non remiſſis. Et ad verba P.Auguſt.reſpondetur ibi loqui de reditu peccatorum quoad carentiam gratiæ, & reatum æternæ damnationis, & ideò ait; *Aliquando redire peccata diſſimilia,vt hæreſis,ſchiſma,&c.aliquando ſimilia,* ideſt in ſpecie,& per dicta peccata reddit homo ad gratiæ carentiā, & reatum pœnæ &c. vt Suar.diſp.13.ſect.1.n.7.

10. Eſt tamen notandum; eſſe communem opinionem Theologorum cum D. Thom.3.par.quæſt.88.ar.4.ex hac circumſtantia præcisè ſcilicet ex remiſſione habita de peccatis; magis aggrauari peccata ſubſequentia, & hoc tum ratione ingratitudinis, tum ratione abuſus miſericordiæ Diuinæ,ac etiam, quia peccator agit contra promiſſionem ſeu propoſitum factum Deo in prima; ſeù antecedenti iuſtificatione, non iterum ipſum Deum offendendi, vt ait Scot.in 4. diſt.22.quæſt.vnica ar. 3.& Gabr.ibi art. 2.

11. Hic etiam quæri poteſt, vtrū per pęnitentiā virtutes infuſę reſtituātur? dico infuſę,quia virtutes naturales ſicut non auferuntur per peccata, ſic redire non poſsūt per pęnitētiā. Ad quæſitū reſpōdetur affirmatiuè, vt D.Thom.3.p.q.89. art.1.& ratio eſt, quia ſicut per peccatum remittitur gratia, & ex conſequenti virtutes,& dona ex ea progredientes; ſic per gratiam, & ſimiliter virtutes, & dona,quæ ex dicta gratia progrediuntur; Sed notandum eſt, non ſemper in iuſtificatione reſtitui eamdem numero gratiam,ſed poteſt eſſe maior,vel minor;& ſimiliter virtutes non ſemper reſtituuntur eodem numero,ſed iuxta qualitatem iuſtificationis, & gratiæ: vt notat Suar.in Comment.dicti articuli D.Thom. vide etiam Filiucc.tract.6.cap.6.num.133. &ſeqq. quæ Doctrina etiam procedit reſpectu perfectionis, & intentionis; nam ſicut poteſt eſſe, vt maiores, vel minores virtutes reſtituantur; ita etiam poteſt eſſe, vt reſtituantur eædem in minori, vel maiori perfectione, vt probat D. Thom. d.q. art.2.& ratio eſt, quia actus pœnitentię eſt diſpoſitio ad infuſionem gratiæ, & virtutum; Vnde iuxta maiorem, vel minorem pœnitētiam, ſeù diſpoſitionem, erit etiam perfectio virtutum.

12. Eſt etiam notandum, per pœnitentiam hominem reſurgere in priſtinam dignitatem; ſcilicet, quoad illam dignitatem, vt poſſit connumerari inter filios, quam amiſerat in peccato; ſed quoad dignitatem innocētiæ illam nullo modo poteſt recuperare; quia ad præteritum non datur potētia. Vnde Nahum habetur ca.1. *Mundans non facit innocentem*: Poterit tamen homo recuperare maius bonum, vt conſtat in multis Sanctis. Vnde D. Greg. homil. 34. in Euang.ad illud. *Gaudium eſt in Cælo ſuper vno peccatore, &c.* Sic ait. *Qui erraſſe à Deo ſe conſiderant,damna præcedentia lucris ſequentibus recompenſant.* Vide D.Th. q.89.art.3.

13. Quæritur etiam,vtrum opera bona facta in gratia,& poſtea mortificata per peccatum, reuiuiſcant per pœnitentiam? & affirmatiuè reſpondendum eſt ex communi conſenſu cum Magiſtro in 4.d.14.& D.Thom.d.q.89.art.5.Bonauen.Scot.Sot. Durand.& alijs, quos ſequitur Suar.opuſ. de reuiu.mer.diſp.1.ſect.2.confirmatur ex P.Auguſt.lib.de vera,& falſa pęniten.cap. 14. vbi ſic ait. *Pium eſt credere, recepta Dei gratia, qui in eo deſtituit mala priora, etiam remuneret bona*; Et multa alia affert Suar.loc. cit. quem etiam ſequitur Filiucc. tract. 6. cap.6.nu.137.& 138.& ſeqq. vbi ſimiliter fusè hoc tractat.

14. E contra verò, opera mortua,ſcilicet

Digitized by Google

licet, non facta in gratia, nunquam viuificari poſſunt, quia neceſſe eſſet, vt iterum procederent à principio vitam habente, ſcilicet, gratiam, & procedere eodem numero non poſſunt; Vnde impoſſibile eſt, vt dicta opera viuificari poſsint; vt Diuus Thom. loc. cit. artic. 6. remunerantur tantū à Deo dicta opera remuneratione temporali, vt idem S. ad 3. & notandum, quod nullo modo poſſumus dicere, dicta opera viuificari per pęnitentiam ſaltem quoad bona temporalia; nam hoc falſum eſt, quia dicta bona dantur etiam exiſtentibus in peccato mortali; & viuificatio non dicitur, niſi in ordine ad vitam æternam, & gratiam, vt notat Suar. in Comment. dicti articuli num. 3.

De partibus Pœnitentiæ, ac de eius præcepto. Cap. XLIII.

1 *Tres ſunt partes integrales pænitētiæ, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.*

2 *Ex præcepto diuino tenetur quis pænitere, ſuppoſito peccato.*

3 *Impænitētia eſt ſpeciale peccatum ab alijs diſtinctum.*

4 *Præceptum pænitendi eſt diuinum naturale, & non diuinum tantum.*

5 *Pænitentia formalis, quatenus includit gratiam, non dicitur cōnaturalis peccatori.*

6 *Peccator non tenetur per totum curſum vitæ ſemper pænitere de peccatis commiſſis per actum elicitum.*

7 *Peccator non tenetur ſtatim conteri de peccatis commiſſis.*

8 *Præceptum pænitendi obligat in caſu mortis, & in omni alio periculo mortis.*

9 *Peccator non tenetur actus extrinſecos pænitentiæ facere.*

10 *Aliqui actus externi pænitentiæ aliquando ſunt moraliter neceſſarij.*

1 CErtum eſt apud omnes Doctores, tres eſſe partes materiales, ſeù integrales pænitentiæ, videlicet, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, vbi habetur in Concilijs Florent. & Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. & docet D. Thom. 3. p. q. 89. per omnes tres primos articulos, in quartò autem, alio modo diuidit pænitentiam, nempè in pęnitentiam ante Baptiſmum, pęnitentiam mortalium, & pęnitentiam venialium; quam diuiſionem ſumpſit ex P. Auguſt. lib. de pęnit. medi. cap. 2. & lib. 50. homiliar. homil. vlt. cap. 2. et habetur in cap. Tres ſunt; de pænit. diſt. 1. vbi Sanctus dictas tres ſpecies pænitentiæ aſſignat; ſed dicta diuiſio conuenit pænitentiæ pro vt virtus eſt, vt S. Thom. probat, & Suar. in commentario dicti articuli vbi in nu. 10. notat P. Auguſtinus aſsignaſſe dictos tres actus, ſeù modos pænitentiæ, quia illos; exercet Eccleſia pro diuerſis hominibus nam primo vtitur in Cathecumenis, cum illos diſponat ad Baptiſmum per aliquos actus pœnitentiæ ne obicē ponant ad gratiam: ſecundo modo vtitur pro hominibus baptizatis, ſed mortuis ſpiritualiter per peccatum, et his neceſſaria eſt confeſſio; et ſatisfactio: tertio modo vtitur pro baptizatis, et iuſtis, qui dicuntur viua membra Eccleſiæ, et tantum venialiter delinquunt, ideò his leuiora remedia ſunt inſtituta, vt ſupra diximus; quibus notatis, dico.

2. Suppoſito peccato, ex præcepto Diuino tenetur quis pœnitere, et conteri, ita ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. et ex verbis Domini Luc. 13. *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*. Vnde P. Auguſt. lib. 50. homiliar. homil. 50. in fine ſic ait. *Circumſtant ergo nos, & præcepta benè viuendi, & exempla pænitendi, non tantum rectè facientium; ſed etiam pænitentium.* Et Tertull. lib. de pœniten. cap. 4. vbi perſuadens pmnitentiam eſſe bonam, ſic loquitur. *Bonum atque vtile eſſe quod Deus præcipit:* Et infra, *Bonum eſt pænitere an non? quid reuolnis? Deus præcepit.* Ità ſimiliter docēt communiter omnes Theologi cū Diuo Thoma multis in locis, & præcipuè in 4. d. 17. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 4. & q. 3. art. 1. quæſtiunc. 4. Sot. diſt. 17. q. 2. art. 6. Cano releċt. de pęnit. par. 4. Sot. lect. 13. de pænit. par. 4. Pet. Sot. lect. 13. de pęnit. Vega lib. 13. in Trid. cap. 19. & 20. Medin. C. de pænit. q. 2. & alij multi, quos ſequitur Suar. d. 15. ſect. 1. Quæ contritio poſt peccatum fuit

fuit in omni ſtatu hominis ſemper neceſſarium, ideò Concil. loco cit. ait. *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus neceſſarius*. Oritur autem dictum præceptum ex triplici motiuo; Primò ex lege iuſtitiæ, qua quiſquis tenetur ſatisfacere iniuriæ illatæ, quæ lex præcipuè pertinet ad virtutem pęnitentiæ cum ibi agatur de offenſa facta Deo; Secundò ex lege charitatis diuinæ, qua homo tenetur diligere Deum ſuper omnia,& conſequenter tenetur facere omne poſſe ad habẽdam ipſius amicitiam, quæ perditur per peccatum, & & recuperatur per pœnitentiam; Tertiò ex lege charitatis propriæ, qua homo tenetur habere curã de propria anima, & ex conſequẽti adhibere remedia neceſſaria, ne in æternum pereat; nam ſi quis tenetur prouidere alteri in neceſſitate ſpirituali;ſi poſſit, multò magis tenetur ſibi ipſi, quæ omnia indicat D.Tho.3.p.q.84.ar.5.ad 2. Sed pręcipuè hũc tertium motiuũ attingit Sot.d.17.q.2.art.6.& Scot.16.q.1.dum ait. Pœnitentiæ obligationem nontantum ex illo præcepto; *Diliges Dominum Deũ tuum*, ſed etiam ex illo; *Diliges te ipſum*, oriri;ad quod propoſitum facere poſſunt verba P. Auguſt.in Enchir.cap.76.vbi ait. *Qui vult eleemoſynam ordinatè dare, à ſeipſo debet incipere,& eam ſibi primum dare.*

3. Ex qua doctrina colligitur, impænitentiam eſſe ſpeciale peccatum à cæteris diſtinctum,quando tamen non adeſſet formale propoſitum non pænitendi; vt ait D. Thom. in 2. d.43.& in 2. 2. q.14.art.2.ait. Impœnitentiam, quatenus numeretur inter ſpecies peccati in Spiritu Sancto; non dicere ſolum permanentiam in peccato, ſed propoſitum non pænitendi; & hæc eſt communis ſententia. Impænitentia autẽ, quæ non habet tale propoſitum, ſed prouenit ex negligẽtia culpabili hominis nolentis pęnitere tẽpore debito,aut ex ignorantia vincibili, vel ex certa ſcientia,non dicitur peccatũ diſtinctum ab alijs; dummodo non adſit actus elicitus omittendi pænitẽtiam; vel propoſitum,vt ſupra,quia tunc eſſet ſpeciale peccatum;& ſic loquitur D.Tho. 2.2. q.14.art.1. ad 3.vbi dicit, huiuſmodi impænitentiam finalem, non eſſe ſpeciale peccatum,agit enim de impænitentia quæ non eſt ſpecialiter intenta, ſeù quæ accidit ſecluſo tali propoſito non pænitendi, & Suar. de pænitent. ſect. 2. diſp. 15.

4. Sed dubium eſt,vtrum præceptum pænitẽdi, naturale diuinum ſit, an tantum diuinum ex voluntate Dei ordinatum? Et certum eſt,eſſe diuinum naturale,ita communiter omnes fatentur; & ſumitur ex facto Adami; nam ipſe tenebatur pænitere; Vnde D.Tho.q.84.art.7.ad 1.ait. De iure naturali eſſe, quod aliquis pæniteat de malis, quæ fecit, & q.86.art.6. ad vlt.dicit Sacramentum pœnitentiæ aliquo modo fuiſſe in veteri lege, quatenus pænitentia, quæ de iure naturali eſt,aliquam determinationem habuit in ea lege; vt etiam dixerat in dicta q.84. art.7. ad 2. vbi Caiet.idem docet, Sot.d.14. q.1.art.7. Vega lib.13.in Trid.cap.20.& omnes Scholaſtici ita loquuntur;Medina autem cap.de pænit.tract.1. q.2. art. 2. videtur contrarium ſentire;nempè, eſſe tantum præceptum diuinum poſitiuum; & inter alias rationes, quas affert, vna, quæ magis vrgere videtur, eſt; quod præcepta naturalia diuina ſint immutabilia, ſaltem ſecũdum ordinariam Dei legem,& prouidentiam;ſed præceptũ pænitentiæ mutabile eſt,cum potuerit Deus exigere ab homine formalem actum pænitentiæ, & de facto in lege gratiæ mutatum fuit, quia in veteri lege erat neceſſaria contritio; At in lege Euangelica, ſufficit attritio cum Sacramento, igitur cum hoc præceptum mutabile ſit, non poterit eſſe diuinum naturale, ſed diuinum tantum.

5. Et ſciendum eſt, aliud eſſe quærere, an obligatio ſatisfaciẽdi Deo pro iniuria ei illata, ſit præceptum diuinum naturale, & aliud an modus ſatisfaciendi Deo per formalem pænitentiam, & contritionem oriatur ex iure naturæ. Nam iuxta primum quæſitum, nullus negat, nec ipſe Medina, imò id expreſsè docet, nempè,tale præceptum eſſe naturale diuinum. At iuxta ſecundum quæſitum erit præceptum diuinum poſitiuum, quatenus Deus inſtituit talem modum in ſatisfactionem peccatorum. Nam certum eſt, peccatorem

non

non poſſe elicere actum talem, quamuis adiutum diuino auxilio, quo poſſit de condigno ſatisfacere Deo pro iniuria ei facta in peccato, prout aſſerit Medina, & ſentiũt etiam omnes alij DD. primæ opinionis ex communi doctrina. Vnde infertur talem modum ſatisfaciendi Deo per pœnitentiam, aut non obligare hominem, licet, ei connaturale ſit obligatio ad condignam ſatisfactionem, vel dicẽdum eſt, hominem excuſari ab hac obligatione, cum non poſſit; ſed notandum, quod cum homo poſſit ſaltem imperfectè, & de congruo adiutus à diuina gratia, ſatisfacere tenetur ex lege naturali ad talem ſatisfactionem; quia iam ſupponitur poſſibilitas; nam ſicut homo tenetur ad condignam ſatisfactionem ex lege naturali, ſi poſſet, ſic etiam tenetur ad aliqualem ſatisfactionem, quam poteſt, & confirmatur; quia, licet, homo non poſſit dignas Deo agere gratias pro acceptis beneficijs; tenetur tamen illas exibere, vt poteſt: & ſicut nõ poteſt tribuere Deo condignam orationem, tenetur illam etiam, prout poteſt; ſic in caſu noſtro, licet, peccator non poſſit facere condignam pœnitentiam, tenetur tamen illam facere, vt poteſt ex iure naturæ, vt Suar. diſp. 15. de pœnit. ſect. 3. num. 6. Filiuc. tract. 6. cap. 7. num. 191.

6. Eſt etiam notandum, hominem nõ teneri de eiſdem peccatis ſemper pœnitere per actum elicitum deteſtationis, & doloris, vt multi Doctores volebant; ſcilicet vt peccator, quoties ei in mentem venirẽt peccata, teneretur actum formalem pœnitentiæ elicere. Vnde aduertendum eſt, duplici modo poſſe intelligi pœnitentiã perpetuam, quam quiſque tenetur habere de peccatis commiſſis: Primò modo negatiuè, quatenus pœnitentiam iam factam, nunquam diſplicere, vel retractare debet; Secundò modo poſitiuè, & actualiter, ita vt peccator ſemper teneatur conteri de peccatis commiſſis per formalem pœnitentiam, quoties ei in mentem venirent; conſiderando pœnitentiam. Primo modo eſt omninò neceſſaria, aliter quoties illam retractauerit, vel de illa diſplicentiam ſumpſerit, toties peccabit; & ita intelligendus eſt P. Auguſt. lib. de vera, & falſa pœniten. cap. 13. vbi exponens illa verba Chriſti ad adulteram Io. 8. *Vade, & amplius iam noli peccare:* ſic ait, *Non dixiſſe Dominum, nec voluntas peccandi in te oriatur,* (& deinde) *quod quomodo ſeruabitur, niſi dolor continuè in pœnitentia cuſtodiatur?* Hanc opinionem docet D. Thom. q. 84. artic. 8. & 9. Caietan. ibid. & primo to. opuſcul. tr. 17. q. 1. Nauar. cap. 1. nu. 22. Suar. diſp. 15. ſect. 4. nu. 4. & alij multi, quæ ſententia eſt vera etiam in articulo mortis, cum non conſtet preceptũ obligans homines, vt iterum conterantur in articulo mortis.

7. Sed quæritur, vtrum homo teneatur ſtatim (moraliter loquendo) conteri de peccatis commiſſis? & quamuis affirmatiuè aliqui reſpondeãt, vt Syluef. ver. Contritio num. 4. Alenſ. 4. p. q. 77. membr. 4. art. 1. Maior d. 17. q. 5. & 9. D. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 18. §. 2. & alij. Tamen negatiuè reſpondendum eſt, etiam ſi opportunitas adfuerit, & faciliter id agere poſſet; hanc opinionem magis videtur inſinuare D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 4. & expreſſiùs hoc docet Durand. in 4. diſt. 17. q. 10. nu. 5. Angelus ver. Contritio num. 5. Medina C. de pœnit. tract. 1. q. 6. & trac. 2. q. de confeſsione ſtatim agenda; Sot. d. 17. q. 2. art. 6. Canõ relec. de pęnit. diſt. 5. & alij multi; & ratio eſt, quia aliter homo, qui ſemel peccauit, per dilationem pęnitentiæ ſemper peccaret quod eſt falſum, & contra Doctrinam Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. & ſeſſ. 6. cap. 6. & 7. Deinde præceptum contritionis eſt præceptũ affirmatiuum, quod de ſui natura, nec pro ſemper, nec ſtatim obligat, ſequitur Suar. diſp. 15. ſect. 5. nu. 2. & ſeqq.

8. Quando autem hoc præceptum obliget? Reſpõdeo ſecundum opinionem multorum Doctorum hoc præceptũ obligare tantum in articulo mortis, ità ſentit D. Thom. in 4. diſt. 17. q. 1. artic. 4. vbi licet loquatur de Confeſſione, eſt tamen eadem ratio de pœnitentia interiori; Durand. ibi q. 10. nu. 5. & 6. Caiet. in Sum. ver. Contritio Adrian. quæſt. 3. de confeſſione, Medina cap. de pœnit. tr. 1. q. 6. artic. 1. ad argum. Sot. diſt. 17. q. 2. artic. 6. & Nauar. cap. 1. num. 31. & ratio eſt, quia nulla datur maior ratio aſſignandi aliquod tempus, niſi

illud, in quo eſt vera neceſſitas; cum præceptum affirmatiuum obliget tãtum in caſu neceſſitatis. Eſt tamen aduertendum id quod docet Pater Auguſt. ſerm. 57. de tempore, nempè, *Pænitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt; quæ autem à moriente petitur, timeo ne, & ipſa moriatur;* & Serm. 71. ad fratres in Eremo ſic ait. *Satis alienus eſt à fide, qui ad agendam pænitentiam tempus ſenectutis expectat.* Propter hæc, & ſimilia verba Patrum, & Sacræ Scripturæ alij aſſerunt adeſſe præceptum negatiuum non transferendi pœnitentiam vſque ad finem vitæ, & aliquos caſus ponunt, in quibus tenetur homo pœnitere ante vltimum finem vitæ, quos non pono, quia mihi non probantur præter caſum periculi mortis; in tali enim caſu certum puto, quemlibet teneri non ſolum ad pœnitentiam intrinſecam, ſed etiam extrinſecam, ſcilicet ad confeſsionem, vt ſuo loco dicemus; Nullus tamen pœnitentiam differre debet, ne veniens Dominus inueniat nos abſq; oleo, & foris expellat. Vnde ait Cyprianus lib. 4. Epiſt. 2. alias Epiſt. 52. num. 6. *Nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit eſſe moriturum.*

9. Vtrum autem homo teneatur aliquos actus pœnitentiæ extrinſecos facere in hac vita? negatiuè reſpondendum eſt, ex communi Theologorũ ſententia; quod etiam multi intelligunt de pœnitentia impoſita in ſacramentali confeſsione: ſed de hac pœnitentia ſuo loco dicemus; nunc tantum agimus de pœnitentia vi ſolius præcepti naturalis; docet igitur hanc ſententiam Sotus in 4. diſt. 20. quæſt. 2. art. 2. ad 5. Vega lib. 13. in Trident. cap. 22. vbi etiam negat de neceſſitate confeſſionis eſſe ſatisfactionem; Ricardus art. 6. vbi citat D. Thom. Bonau. & Adrian. Cordub. lib. 5. de Indulgentijs, q. 5. 8. & 10. & ratio eſt, quia ex nulla parte poteſt colligi dictum præceptum; nam ſi conſideretur ratio iuſtitiæ ad Deum, non obligat peccatorem, vt ipſemet ſibi pœnam imponat, cum Reus nõ poſsit eſſe iudex ſui ipſius; ſed ſufficiet, ſi patienter ſuſtineat pœnam à iudice inflictam, & cum Deus dictam pœnam, vel in Purgatorio, vel in hac vita ad æqualitatẽ puniat; ſequitur quod homo poſſet abſque vlla iniuſtitia dictã pœnam vſque ad aliã vitam differre, quantum in ſe eſt, niſi Deus velit illã exigere etiam in hac vita; vnde certum eſt, quod peccator non teneatur illam in hac vita purgare per pœnitentiam.

10. Neque obſtat id, quod aſſerunt Palud. 4. d. 17. q. 1. art. 1. in 3. definitione contritionis, & Cano d. relect. p. 4. concl. 2. & in 4. p. nempè dictam pœnitentiam eſſe neceſſariam, & Cano addit eſſe certiſsimã ſententiam; & ratio eſt, quia ſicut peccatum commiſſum eſt anima, & corpore; ità anima debet conteri, & corpus aliam pœnam ſibi proportionatam ſubire, vt ambo ſuſtineant pœnam proportionatam, ſicut ſumpſerunt delectationem in peccato. Tamen reſpondendum eſt, dictam rationem, abſolutè loquendo, eſſe falſam; quia ex tali argumẽto, ſequeretur anima per ſe ſolam, non poſſe ſatisfacere dictæ pœnæ in Purgatorio; nec dum eſt in hac vita cum corpore, poſſet per ſolos actus contritionis illam purgare, quod eſt falſum, cum id poſſit eſſe contritio, ſcilicet, vt abſoluat non ſolum à culpa; ſed etiam ab omni pœna; vnde in quantum actus externi pænitentiæ ordinantur præciſè ad tollendum reatum pænæ temporalis, nõ ſunt neceſſarij. Dantur tamen aliqui actus pęnitentiæ moraliter neceſſarij ad præſeruandum ab aliqua culpa, vt ſunt ieiunium, eleemoſyna, & oratio; de quibus præcipuè loquitur Concil. Trid. ſeſs. 6. cap. 4. dicuntur etiam moraliter neceſſarij dicti, & alij actus pij, & externi, quando iudicantur apti ad contritionem habendam, & ad veram pænitentiam amplectẽdam; vnde multi Patres dicunt, lacrymas, & alia ſigna externa doloris, eſſe neceſſaria ad placandum Deum, non quia præcepta ſint, ſed quia ſolent eſſe connexa cum contritione; quæ per ſe præcepta eſt; & hoc ſenſu D. Thom. q. 84. ar. 7. ad 1. ait. Non ſolum pęnitentiam internã, ſed etiam externam eſſe de lege naturali.

DE CONTRITIONE, ET ATTRITIONE.

Quid ſit Contritio, & Attritio, ac de conditionibus earum. Caput XLIIII.

1. *Contritio dicit auerſionem volũtatis à peccato, & includitur in actu amoris Dei ſuper omnia.*
2. *Contritio formaliter conſiſtit in deteſtatione peccatorum.*
3. *Contritio formalis neceſſe eſt, vt procedat ab actu amoris Dei ſuper omnia.*
4. *Requiritur etiam propoſitum non peccandi in futurum ſaltem virtuale.*
5. *Contritionis actus non eſt neceſſe, vt ſit in aliquo gradu intenſus.*
6. *Ad contritionem non requiritur aliqua temporis duratio.*
7. *Non eſt neceſſe, vt contritio cadat ſuper omnia peccata diſtinctè.*
8. *Contritio virtualiter dicitur maior, vel minor iuxta qualitatem peccati.*
9. *Contritio non poteſt dari de vno tantum peccato mortali, & non de alijs.*
10. *Contritio, licet, actiuè non procedat à gratia habituali; habet tamen illam in ſe.*
11. *Attritio eſt diſpoſitio ad gratiam imperfectè, ſeu inſufficienter ex ſe.*
12. *Attritio, & Contritio differunt ex diuerſo motiuo, ex quo progrediuntur.*
13. *Attritio ex metu gehennæ, eſt bona, & honeſta.*
14. *Operari ex timore, non eſt malum, quando non excludit vltimum finem.*
15. *Attritio proueniens ex fœditate peccati, bona eſt, & ſupernaturalis.*
16. *Attritio non poteſt fieri contritio; ſed attritus poteſt fieri contritus.*

1 Contritio, quia dupliciter poteſt conſiderari, ſcilicet, & quatenus virtus eſt, & quatenus eſt pars Sacramenti. In præſenti agemus de illa quatenus virtus eſt, vt ex illius cognitione, poſtea faciliùs agamus de illa, quatenus pars Sacramenti eſt. Vnde contritio iuxta communem ſenſum, ſignificat perfectam auerſionem voluntatis à peccato, qua homo ſe præparat ad reconciliãdam amicitiam cum Deo; iuxta Pſal. 146. *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Vbi P. Auguſtinus. *Sanat contritos corde; ideſt, humiliatos corde, confitentes ſeipſos pænitentes,* (& infra,) *qui cor non conterunt, non ſanantur*; & Bern. ſerm. 12. in Cant. ait. *Optimum vnguentum contritio, quod ex recordatione peccatorum conficitur.* Vtrum autem dicta contritio virtualiter contineatur in actu amoris Dei ſuper omnia; & vt talis ſufficiens ſit ad remiſsionem peccatorum? Affirmatiuè reſpondet Nauar. in manuali cap. 1. nu. 5. ex quo ſequitur, quod actus amoris Dei ſuper omnia, ſit verus actus penitentiæ, cum virtualiter contineat actum contritionis, & ſimiliter per ipſum iuſtificetur peccator; quam doctrinam, licet acriter impugnet Sot. in 4. d. 15. q. 1. art. 2. & d. 17. q. 2. art. 1. Putans nunquam poſſe peccatorem ſufficiẽter diſponi, niſi per formalem actum pænitentiæ, & non per actum amoris; tamen dicendum eſt, opinionem Nauar. optimam eſſe; & eam ſequitur Suar. de pænit. diſp. 4. nu. 2. & 3. licet diſcordet à Nauarro, quatenus talem actum amoris vocat formalem contritionem, quod eſt falſum; quia vt diximus, & loquitur etiam Cõcil. Trid. contritio ſignificat perfectum dolorem, vel perfectam deteſtationẽ cum dolore; Vnde non poteſt dici, quod contineatur in actu amoris Dei ſuper omnia formaliter, ſed virtualiter.

2. Formaliter autem conſiſtit contritio in deteſtatione peccatorum ſuper omnia; & talis deteſtatio, eſt verus actus pænitentiæ; & ex tali deteſtatione, oritur poſtea-

ſtea vel antecedenter, voluntas deſtruendi peccatum, odium peccati, & dolor de illo; ideò Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. contritionem, per deteſtationem, & dolorem definiuit, qui dolor oritur ex deteſtatione: Vnde P. Auguſt. Pſal. 74. *Qui conteritur, iraſcitur ſibi:* ita ſentit D. Tho. 3. par. q. 85. art. 2. & q. 86. art. 8. & in 4. d. 17. q. 2. per totum, Caiet. to. 1. opuſcul. tract. 4. q. 1. Alenſ. 4. par. q. 17. memb. 1. Vega lib. 13. in Trid. cap. 25. quos ſequitur Suar. loco cit. num. 4.

3. Requitur etiam ad veram contritionẽ, vt talis deteſtatio ſuper omnia, procedat ab amore Dei ſuper omnia; vt etiã docet D. Thom. dicta q. 85. art. 5. & 6. & & q. 86. art. 3. & 1. 2. q. 113. art. 4. 5. & 8. & in 4. d. 17. Caiet. loco cit. Petr. Sot. lect. 14. de pœnit. Scot. in 4. d. 14. q. 2. ad vlt. & d. 15. & 16. vbi Durand. & Alenſ. 4. par. q. 17. mẽb. 2. eamdem doctrinam tradit Bonac. d. 5. pun. 1. num. 2. & ſeqq. Filiuc. tract. 6. cap. 6. num. 178. & alij; faciunt ad hunc propoſitum verba. Deut. 4. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, ſi tamen ex toto corde tuo quæſieris eum, & tota perturbatione animæ tuæ;* In primis verbis ſignificatur amor Dei, in ſecundis, ſignificatur pœnitentia, quia ſumit ſuum valorem ex dicto amore Dei: Vnde P. Auguſtinus lib. de vera, & falſa pœnit. cap. 9. & 17. *Sine amore nemo vnquam gratiam inuenit, nec veniam aſſecutus eſt;* & ſerm, 7. de tempore. *Veram pænitentiam nõ facit, niſi odium peccati, & amor Dei.* Et ideò meritò definiri ſolet contritio. Dolor de peccato propter Deum ſummè dilectum. Non tamen eſt neceſſe; vt ad veram contritionẽ adſit formalis actus amoris; ſed ſufficit ſi includatur, & perficiatur in deteſtatione peccati; vt idem D. Thom. in 4. d. 14. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. & alij ibi; & probatur ex facto Dauid 2. Reg. 12. vbi ſtatim, ac dixit. *Peccaui Domino,* ſubiungitur. *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum,* & Pſal. 31. *Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

4. Idem etiam eſt dicendum, de propoſito non peccandi in futurum. Nam licet, omnes Doctores ad veram contritionem, requirant propoſitum non peccandi in futurum, vt S. Thom. 3. par. q. 85. & 86. & 3. contra gentes cap. 158. lib. 4. cap. 2. & in 4. d. 17. q. 2. & ibi alij. Tamen non eſt neceſſe, vt tale propoſitum formale, & expreſſum ſit, vt volebat Caiet. tom. 1. opuſcul. tract. 4. q. 1. Sot. in 4. d. 15. q. 1. art. 2. & d. 17. q. 2. & art. 1. & 2. & de natura, & gratia cap. 14. & alij; ſed ſufficit, vt virtualiter contineatur in vera deteſtatione, vt Petr. Sot. lect. 17. de pœnit. Nauar. cap. 1. num. 15. Vega lib. 13. in Trid. cap. 22. Medina cap. de pœnit. tract. 1. q. 3. Adrianus in 4. q. 1. de pœnit. & Suar. tom. 4. diſp. 4. ſect. 3. num. 2.

5. Vtrum autem talis deteſtatio peccati, ſeù actus contritionis debeat eſſe in aliquo gradu intenſus? & licet, variæ poſſent afferri opiniones, tamen breuiter dicendum eſt; nullam definitam, vel certam intentionẽ actus requiri: ita Sot. d. 17. q. 2. Medin. cap. de pœnit. tract. 1. q. 5. Vega lib. 13. in Trid. cap. 24. Nauar. cap. 1. num. 9. Gabr. in 4. d. 14. q. 1. & Suar. diſp. 4. ſect. 4. num. 9. & ratio eſt, quia contritio ex ſe eſt actus, & diſpoſitio proportionata ad infuſionem gratiæ; & non conſtat, Deum requirere certum modum accidentalem illius actus; igitur ex ſe, & abſque vlla conſideratione intentionis, ſufficiens erit ad excludendum peccatum; Vnde Leo. Epiſt. 91. *Nec miſericordiæ menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur moras, vera conuerſio;* & in cap. Talis de pœnit. d. 3. Ex Chriſoſt. Epiſt. 5. ad Theod. cap. 5. referuntur hæc verba. *Quãtulumcunque, & quolibet breui tempore non deſpicit pænitentiam,* (& infra) *nõ patitur exiguæ etiam pænitentiæ amitti mercedem.*

6. Hinc etiam oritur, quid dicendum ſit, ad illud aliud quæſitum, nempè, vtrum ad veram cõtritionem, requiratur aliqua temporis duratio? Nam negatiuè reſpondendum eſt, vt patet ex dictis ſententijs citatis; & itá docet D. Thom. 3. par. q. 89. art. 2. & 1. 2. q. 113. art. 5. & 7. Gabr. in 4. diſt. 14. q. 5. art. 2. concluſ. 5. Sot. d. 17. q. 2. art. 4. Medina tract. 1. de pœnit. Vega lib. 13. in Trid. cap. 23. Suar. diſp. 45. num. 4. contra Caiet. tom. 1. opuſcul. tract. 4. q. 1. aſſerentem aliquando Deum expectare huiuſmodi durationem, priuſquam acceptet actum in ratione contritionis, & diſpo-

ſpoſitionis vltimæ ad gratiam; ſed dicendum eſt, quod in quocunq; momento detur contritio, detur etiam, & gratia; vnde Papa Cælestinus epiſt. ad Epiſcop. Gall. cap. 2. *Vera* (inquit) *conuerſio mente potius, quam tempore metienda eſt, dicente Propheta, ſi conuerſus fueris ſaluus eris*; Et Iulius I. tom. 1. Concilior. poſt. 3. eius epiſtolam. Sic ait, *Quia Dominus non ſolum temporis; ſed etiam mentis inſpector eſt, ſicut latro vnius momenti pœnitentia meruit eſſe in Paradiſo*. Confirmatur etiam ratione; quia ſicut vltima diſpoſitio habet infallibiliter conſequutionem effectus; ita contritio, cum ſit ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem peccati, habet infallibilem coniunctionem cum gratia, & ex conſequenti nulla requiritur temporis duratio.

7. Sed an de ratione contritionis ſit, vt cadat ſuper omnia peccata diſtinctè recogitata? Reſpondeo, vel loquimur in ordine ad confeſſionem, vel in ordine ad iuſtificationem tantum; in ordine ad confeſſionem, certum eſt, eſſe neceſſariam recogitationem peccatorum diſtinctam, tã quoad ſpeciem, quam quoad numerum, vt dicatur vera contritio in ordine ad cõfeſſionem; vnde Chryſoſt. homil. 9. ad hebræos circa finem; *Si quis* (inquit) *recognoſcit ſe peccaſſe, & non ad ſingulas ſpecies deſcẽdat, nunquam ceſſabit*. At ſi loquamur de contritione in ordine ad iuſtificationem; ſufficiet vniuerſalis deteſtatio peccatorũ, ſolum confusè recogitatorum, ita Suarez diſputat. 4. ſect. 6. numero 7. & 11. Petrus Sot. lectione 13. de pœnitentia, Nauar. cap. 1. num. 25. Vega lib. 4. in Trid. cap. 25. Caiet. 3. p. q. 87. art. 1. & tom. 1. opuſcul. tr. 4. cap. 2. & expreſsè hanc doctrinam docet D. Thom. q. 28. de verit. artic. 5. ad 3. & 4. Imò poteſt peccator iuſtificari cogitando de vno peccato, & illud deteſtando ex vero motiuo pęnitentię; & hoc etiam ſi alia peccata cõmiſerit, dummodo ſaltem virtualiter intendat omnia deteſtari; vt expreſsè docet D. Bonauent. d. 16. 2. p. illius art. 2. q. 1. ad 2. Medina tract. 1. de pœnit. queſt. 12. artic. 2. & colligitur ex ſupra dictis.

8. Neque obſtat, quod videatur maior contritio requiri de grauiſsimo peccato, quam de leuiori; Vnde ſi quis doleat de leuiori, non poterit iuſtificari ob aliud peccatũ grauiſsimũ. Reſpondetur, falſam eſſe illationem; quia in dicta cõtritione, licet, ęquè intenſa, virtualiter reſpectu grauioris peccati, vel leuioris, dicitur maior, vel minor, loquendo de appretiatione, non de intentione actus, cum iam dixerimus non eſſe neceſſariã ad iuſtificationem aliquam actus intentionem. Suar. diſp. 4. ſect. 4. nu. 12.

9. Eſt tamen notandum, peccatorem, non poſſe iuſtificari per contritionẽ vnius tantum peccati, & non alterius, quod iam cognoſcit commiſiſſe: ſed dum omnium recordatur, de omnibus tenetur habere formalem contritionem, ſi voluerit iuſtificari, imò in tali formali contritione debet contineri virtualiter deteſtatio omnium aliorum peccatorum, quorum non recordatur, vt patet ex ſupradictis, & docet Suar. diſp. 4. ſect. 6. num. 17. & num. ſequenti addit. Contritionem debere eſſe etiam de actibus peccatorũ, vt antea docuerat Vega lib. 13. in Trid. cap. 25. quando tamen actus ſunt intrinſecè mali, & habẽt neceſſariam connexionem cum peccato: ſecùs ſi actus fuerint ex ſe indifferentes vel boni: quia tunc debet deteſtari tantum malitia, & modus peccaminoſus operandi.

10. Vtrum autem actus contritionis ſit ſemper gratia informatus? Relictis variorum Doctorum explicationibus; dicendum eſt, actum contritionis actiuè nõ prouenire à gratia habituali, neque ob hanc cauſam, poſſe dici actum contritionis actiuè non prouenire à gratia habituali, neq; ob hanc cauſam poſſe dici actũ gratia informatum: ità expreſsè D. Thom. 1. p. q. 62. artic. 2. ad 3. & 1. 2. q. 109. art. 6. & q. 112. artic. 2. & 3. p. q. 89. art. 1. Suar. diſp. 4. ſect. 7. num. 8. cum alijs; & ratio eſt, quia in auxilijs, & principijs neceſſarijs ad opera gratiæ, quædam infundit Deus, vt operemur, quædam, quia operamur, quando infundit Deus primo modo, opus dicitur ſolius gratiæ abſque vlla noſtra diſpoſitione; quando infundit poſteriori modo, talis infuſio eſt mediante noſtra operatione, & diſpoſitione, & ſemper ſupponitur in nobis

bis

Digitized by Google

bis gratia à qua procedit tale opus, & diſpoſitio. Vnde, vt fiat contritio, requiritur gratia excitans, quæ datur à Deo abſque noſtris meritis, et diſpoſitione, & datur ad offerendum opus contritionis, et ideò non ſupponit gratiam, facta poſtea contritione, infunditur gratia habitualis, eo quod iam operati ſumus, et hæc gratia ſupponit aliam gratiam, ſeù opus noſtrum factum per gratiam excitantem. Sequitur Filiuc.tract.6.cap.7.num.178.Bonac.diſp. 5.q.5. pun. 1. num. 2.§.Reſpondeo duplici eſſe, et alij apud hos Doctores; quod intellige, quando actus contritionis elicitur ab homine non exiſtente in gratia; nam ſi eliciatur ab habente gratiam habitualem, talis actus dicetur elicitus à gratia habituali, et per ipſum acquiritur augumētum gratiæ. Igitur actus attritionis, quando elicitur à peccatore, priùs natura intelligitur informis, quatenus procedit à gratia excitante; ſeù ab auxilio ſupernaturali; vt idem D.Thom.3.par.q.89.ad 1.et ſumitur ex verbis Concil.Trid.ſeſſ.6.cap.7.vbi ſic habetur. Hanc diſpoſitionem, iuſtificatio ipſa conſequitur; et can.3 ait. Neminem, ſine gratia pœnitere poſſe ſicut oportet, vt iuſtificationis gratiam conſequatur.

11. Quoad attritionem; Dico, attritionem eſſe contritionem imperfectam, et iuxta qualitates, quas illi attribuit Concil. Trid.ſeſſ.14.c.4.ſic deſcribi poteſt. Eſt quędam deteſtatio peccati diſponēs hominē ad gratiam, ſed ex ſe remotè, et inſufficienter; ſufficienter autē cum ſacramēto; Vnde vera attritio nō poteſt oriri ex turpi motiuo, cum tale motiuum, nō poſſit dici penitentia, nec poteſt fundari in motiuo tantummodo temporali, vel humano; quidquid aliqui dicant. Nam P.Auguſt. lib.de vera, et falſa pœnit.cap.2.vocat. *Inutilem dolorem, ſine ſpe veniæ*; et lib.de cathechiz. rudibus cap. 17. Talem dolorem vocat. *Pœnitentiam fictam*. Item, neque erit vera attritio, ſi dolor erit purè naturalis; nam actus purè naturalis non poteſt eſſe diſpoſitio pro forma ſupernaturali, vt expreſsè loquuntur omnia Concilia, et præcipuè Concil. Trid.ſeſſ.14. cap. 4. vbi ſic habetur. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehenne, & pęnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem pecandi excludat cum ſpe veniæ; declarat, non ſolum non facere hominem hyppocritam, & magis pecatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum mouentis, &c.* ex quibus verbis clarè colligitur; Attritionē purè naturalem eſſe omninò inualidam, et inſufficientem ad iuſtificationem peccatoris cum Sacramento. Requiritur etiā ad veram Attritionem, vt formaliter, vel virtualiter includat propoſitum non peccandi de cætero. Ita Suar.tom.4. de pœnit.diſp.5.ſect.1.Bonac.diſp.5.q.5. pun.3. num.3.et ſeqq.cum alijs multis.

12. Differt autem Attritio à contritione principaliter, ex diuerſo motiuo; nā motiuum Attritionis eſt pœna æterna, vel turpitudo peccati, &c. et motiuum contritionis eſt ipſa offenſa Dei, vt ſupra, ex quo ſequitur, quod dolor Attritionis ſit imperfectus, quia non attingit gratiam, niſi cum Sacramento, et dolor contritionis perfectus, quia obtinet gratiam ſine Sacramento, ſcilicet, cum Sacramēto tantum in voto. Item Attritio non includit formaliter, vel ſaltem virtualiter dilectionem Dei ſuper omnia; et contritio maximè; ideò P. Auguſt.lib. de vera, et falſa pœnit.cap.17. Contritionem appellat; *Conuerſionem*, et Attritionem, *Verſionem*. Sic etiam Attritio poteſt eſſe in homine habente culpā mortalem: At contritio mundat hominem à tali culpa; vt fuſiùs Suar. diſp.5. ſect.1.nu. 6. & ſeqq. vide etiam Bonac. diſp. 5. q. 5. pun. 3.num.11.& ſeqq.Filiucc.trac.6.cap. 7.nu.183.& alios.

13. Attamen, quia Attritio, iuxta Concilium Trid. in cit. ſeſſ. 14. cap. 4. diuidit contritionem imperfectam, ſeù attritionem, in eam, quæ ex metu gehennæ, & in eam, quæ eſt ex fœditate peccati, quæ vera diuiſio eſt, & adequata, licet, à Concilio non per modum diuiſionis dicatur; vt Suar.diſp.5.ſect.2. in princ. Ideò quęrendum eſt primò, vtrum Attritio ex metu gehennæ ſit honeſta, ſeù bona? & licet, aliqui etiam ex catholicis olim dixerunt, operari propter timorem, tanquam ex fine proximo, eſse per ſe malū, vt Gregor.

gor. in 2. d. 26. q. 1. art. 3. ad 1. principale. Almain. tract. 1. moral. cap. 3. dub. vlt. & Adrian. quolib. 4. q. 2. Tamen maximè ad præſens horum opinio eſt omninò falſa; vt conſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 8. vbi ſic habetur. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, anathema ſit*. Vnde Baſil. ad illud, *Timete dominum omnes Sancti eius*: Exponit de timore pænarum: & illum vocat. *Frænum animæ, & quaſi fundamentum noſtræ vitæ inſtituendæ*, Et Cyprian. lib. 3. ad Quirin. cap. 20. dictum timorem vocat. *Firmamentum fidei, & ſpei*.

14. Et, licet, duobus modis poſſit quis operari ex timore, vel ex eo tanquam ex occaſione; & talis modus operandi ex timore à nullo ſenſato capite improbari poteſt, nec improbatur à ſupradictis Doctoribus, vel ex eo, tanquam ex fine proximo; & talis modus nec etiam eſt improbandus; cum non excludat vltimum, & debitum finem; nec talis circunſtantia ſit per ſe mala, nempè, vt quis quærat Deum ex timore pœnarum, ita D. Thom. 3. p. q. 85. artic. 5. ad 1. Sot. in 4. diſt. 14. q. 2. art. 5. Ledeſm. 1. p. 4. q. 26. art. 5. Suar. loc. cit. num. 7. vbi plures affert, Filiucc. tract. 6. cap. 7. nu. 184. & ſeqq. & alij.

15. Secundò quærendum eſt, vtrum attritio proueniēs ex fœditate peccati, bona ſit, & ſupernaturalis? Reſpōdeo in primis, certum eſſe omnem attritionem prouenientem ex fœditate peccati, eſſe bonam: etiam ſi tantum naturalis ſit: quia peccatum eſt contra Deum, & vt tale à qualibet creatura eſt reprobandum; tunc autem talis attritio ex fœditate peccati eſt ſupernaturalis, quando eius motiuum ſumitur per conformitatem ad regulam, & rationem ſupernaturalem; tunc eius actus eſt tam in proſecutione boni, quam in fuga mali, & eſt actus ſupernaturalis, vt Suar. diſput. 5. ſect. 2. num. 12. in fine, & Filiucc. tract. 6. cap. 7. num. 188.

16 Vtrum autem attritio poſſit fieri contritio? breuiter reſpondeo negatiuè ſi in rigore loquamur; quia actus contritionis, & attritionis ſunt eſſētialiter differentes, vt ſupra num. 12. diximus; poteſt tamē attritus fieri contritus; quia vnum eſt, attritionem fieri contritionem, & aliud attritum fieri contritum; ſicut aliud eſt, albedinem fieri nigredinem, & aliud album fieri nigrum; nam ſubiectum poteſt mutari per aliam formam; ſed non ipſa forma; vnde attritus poteſt fieri cōtritus, ſed nunquam attritio poterit eſſe contritio, vt D. Thom. in 4. diſt. 17. artic. 1. q. 2. Richard. dicta diſt. 17. art. 1. quæſt. 2. Medina trac. 1. quæſt. 1. & alij communiter. Tribus autem modis dicitur homo ex attrito fieri contritus; primò propriiſſimè, quia mutat dolorem imperfectum in perfectum; ſecūdò minus propriè, vt ſi dolori imperfecto, addat amorē Dei ſuper omnia; tertiò fit contritus virtute ſacramenti; Suar. diſp. 5. ſec. 3. & Filiucc. tract. 6. cap. 7. num. 189.

De Contritionis, & Attritionis neceſſitate ad effectum Sacramenti conſequendum. Cap. XLV.

1 *Ad effectum Sacramenti Pænitentiæ conſequendum, neceſſariò requiritur actus formalis pænitentiæ.*

2 *Sufficit vera attritio ad effectum ſacramenti pænitentiæ conſequendum; debet tamen eſſe ſupernaturalis, includens propoſitum non peccandi in poſterum, &c.*

3 *Attritio ſaltem debet adeſſe poſt confeſſionē, ſed ante abſolutionem, cū propoſito obediendi Confeſſario.*

4 *Poteſt dari ſacramentum informe ex defectu doloris; ſed recedente fictione, & veniente vera attritione, pænitens recipiet gratiam.*

5 *Confeſſio etiam ſi fuerit de venialibus, neceſſaria erit formalis attritio, ſaltem reſpectu alicuius peccati venialis, vt forma cadat ſupra debitam materiam.*

1 SVpponendum eſt primò, ad effectū ſacramenti conſequendum; neceſſarium eſſe aliquem actum formalis pœnitentiæ; vt communiter omnes Doctores aſſerunt; & ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap.

Digitized by Google

cap.14.vbi ſic habetur. *Vnde dicendum eſt. Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à baptiſmali, eamque continere non modo ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum, & humiliatum, verum etiam eorumdem ſacramentalem confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tēpore faciendam.* Ex quibus verbis ſatis colligitur, ſacramentum pęnitentiæ ſupponere actum formalis pænitentię neceſsarium ad iuſtificationem: et in ſeſs.14.c.4concludit, et ait. *Eccleſiam nunquam docuiſſe, aut ſenſiſſe ſacramentum hoc dare gratiam ſine proprio motu pænitentis;* Vnde licet quis iuſtificetur per actum amoris Dei ſuper omnia, vt ſupra diximus, abſque formali actu pænitentiæ, tenetur tamen poſtea ad formalem pænitentiam habendam in confeſſione, quia virtualiter talis actus formalis pęnitentię, continebatur in dicto actu amoris ſuper omnia; vt iam diximus cum Suar. diſp. 15. ſect.1.nu.5.§. ſecūdum etiam. Quod aſſero contra Syluеſt. ver. confeſſ.1.q.21.aſſerentem, nullam formalem pęnitentiam eſſe neceſſariam ad percipiendum fructū ſacramenti pęnitentiæ; ſed ſufficere tantum voluntatem confitendi, & recipiendi abſolutionem; & licet hanc doctrinam tribuat Soto in 4.diſt. 14. q.4. artic.3. tamen Sotus ibi tantum ſic ait. *Licet homo accedat parum attritus, iuſtificabitur*, vnde non excludit omnem actum formalis pænitentiæ, ſeu propoſitum non peccandi, cum debito dolore, &c.

2. Qualis autē debeat eſſe talis actus formalis pœnitentiæ; ſcilicet, an requiratur actus perfectus, ſcilicet, contritio, vel ſufficiat tantum attritio ad obtinendum effectum dicti Sacramenti; modo dicendū eſt. Et, licet, variæ ſint opiniones; Tamen, quia breuitati, quoad poſſumus ſtudemus; dicendum eſt, ſufficere veram, & integram attritionem peccatorum, ſiue illa cognita ſit, ſiue non, ità tenet S.Thom. in 4.d.17. q.3. art.5. q.1. et diſt.18. q.1. art. 3. quæſtiunc.1. vbi in hoc æquiparat Sacramentum pænitentiæ, Sacramento baptiſmi; et in.3.par.q.80. art.4. ad 2. vbi ſimiliter aſſignat diſcrimen inter baptiſmum, et penitentiam ex vna parte, et inter Euchariſtiā ex altera, his verbis. *Nam baptiſmus, & pænitentia ſunt quaſi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati; Euchariſtia verò eſt medicina confortatiua, quæ non datur, niſi liberatis à peccato.* Vbi nota, tantum Euchariſtiam neceſſariò ſupponere hominem liberum à peccato. Eamdem ſententiā tenet Scot. in 4. d. 14. q.4.art.3. Palud. in 4.d.19.q.1.art.2.et d.17.q.8. D. Anton. 3.par. tit.14. cap.19. §.5. Cano relect. de pænit. par.5. ad 2. et alij, quod intellige de vera, ſupernaturali, et integra attritione, vt Suar. diſp.20. ſect.1. num.10. et apertè hanc doctrinam affert Concil. Trid. ſeſſ.14 cap.4. vbi de contritione imperfecta, ſcilicet, de attritione loquens, ait. *Quamuis ſine Sacramento pænitentiæ per ſe perducere peccatorem ad iuſtificationem nequeat; tamen eum, ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam, diſponere;* Addit etiam Vaſq.q.91.art. 1.dub.1.num.2.de pænit. Cano relect. de pænit. par.5. Vega lib.13. in Trident. cap. 34. Suar. diſput.20. ſect.4. num.4. dummodò fuerit iam facta debita diligentia, Molpheſius tract.7.cap.9. nu.40. cum alijs, ait, ſufficere etiam attritionem putatam; vt quando quis bona fide accedit ad Sacramentum, putans eſſe ſufficienter diſpoſitū. Debet etiam includere talis attritio, propoſitum non peccandi in poſterum, quia aliter non eſſet vera attritio. Non tamen requiritur, vt in attritione ſit intrinſecus, et perfectus dolor; ſed ſufficit dolor imperfectus: Vnde ſi quis doleat non habere attritionē, eo quod illam nō cognoſcat; iam dicitur attritus, quia in tali dolore, eſt etiam dolor, ſeu attritio ſufficiens cum Sacramento ad habendam gratiā, vt ait Nauar. q.20. Palud. in 4. d.17.q.1.art.5. et videtur ſumi ex D. Thom. in 4. d.17. qu. 1. ar.1.q.1. et 2.ar2. vbi docet, dolorem non eſſe in manu noſtra, licet, vtile ſit illum habere; aliquis tamen dolor voluntatis rationalis, omninò neceſſarius eſt, vt ait idē Nauar. loco cit. et cum communi Doctorum conſenſu docet Suar. diſp.20. ſect.3. num.8.

3. Eſt tamen notandum, talem attritionem ſufficere ad effectum Sacramenti percipiendum, etiam ſi non procedat, aut comitetur confeſſionem: dummodo adſit poſtea, ſaltem ante abſolutionem; ex qua cau-

cauſa ſolent pænitentes excitari ad dolorem, finita confeſſione peccatorum, et ante abſolutionem, Suar. diſp. 20. ſect. 4. num. 31. Eſt tamen neceſſarium, vt pænitens habeat propoſitum obediendi confeſſori in omnibus rebus, quæ pertinent ad debitam diſpoſitionem, vel emendationem in futurum; vt docet idem Doctor num. 35. ex Sylu. verb. Reſtitutio 5. §. 7. circa autē acceptationem pænitentiæ, vel ſequendum opinionem confeſſoris, dicemus infra.

4. Vtrum autē poſſit dari Sacramentum informe ex defectu doloris? Affirmatiuè multi reſpondent, ſcilicet, Sacramentum validum eſſe in ſe, ſed inualidum pro effectu gratiæ, ita D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiūc. 1. Capreolus, Richard. Palud. Caiet. Sot. Can. Ledeſm. Sylu. Nauar. Couarr. et alij, quos ſequitur Suar. diſp. 20 ſect. 5. num. 3. quādo tamen defectus prouenit ex inculpabili inaduertentia, vel ignorantia; vt idem Doctor notat num. 7. Sed vtrum recedente fictione, ſeù aduenieute ſufficienti dolore, pœnitēs recipiat effectum Sacramenti? & etiam affirmatiuè reſpondendum eſt; quidquid in contrariū aliqui dicant; quod etiam habent alia Sacramēta præter Euchariſtiam; vt alibi notauimus. Hanc ſententiam ſumunt Doctores ex D. Thom. loco cit. ſequitur Suar. loco cit. nu. 14. cum Palud. Caiet. Cano, Pet. Soto, Ledeſm. & alijs cit.

5. Sed quæritur, vtrum, ſi confeſſio fuerit tantum de venialibus, requiratur etiam formalis attritio, ſicut diximus de contritione? Reſpondetur affirmatiuè; ſumitur apertè ex Cōcil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. vt iam ſupra citauimus, & verba eius attulimus; Vnde, licet, ad remiſsionem venialium extra Sacramentum, non ſit neceſſaria formalis attritio; vt ſupra probauimus; tamen in hoc Sacramento omninò requiritur; non tamen neceſſe eſt, vt ſit attritio de omnibus venialibus, licet, nullus ſe de peccatis venialibus in confeſsione accuſare debeat, ſine vera attritione; Attamen de neceſsitate Sacramenti eſt, vt ſaltem adſit attritio de aliquo veniali, vel aliquibus, vt forma cadere poſsit ſupra debitam materiam; & ratio eſt, quia vt ſupra diximus. Vnum peccatum veniale poteſt remitti ſine alio, & venialia nō ſunt materia neceſſaria confeſsionis; Vnde dummodo adſit materia ſufficiens pro Sacramento: poterit quis excuſari à mortali, ſi de omnibus, quæ confitetur, ſcilicet, venialibus, non habeat veram attritionem, vt Suar. diſp. 20. ſect. 6. num. 6. & 7.

DE CONFESSIONE
SECVNDA PARTE
SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Quid ſit Confeſſio, & quas conditiones habere debeat. Caput XXXXVI.

1 *Confeſſio quid ſit, & quænam eius conditiones.*

2 *Explicantur conditiones confeſſionis in communi.*

3 *Accuſatio debet procedere ex intrinſeco animi dolore.*

4 *Confeſſio non eſt eſſentialiter ſecretè facienda.*

5 *Probatur tradita doctrina, & quod confeſſio publica non poſſit præcipi lege humana.*

6 *Confeſſio non eſſentialiter facienda eſt voce humana, & propria.*

7 *Omnia peccata mortalia ſunt neceſſariò aperienda in confeſſione.*

8 *Pænitens non peccat, ſi non eidem confeſſori,*

ſori, confiteatur peccata mortalia, quæ ei in alia confeſſione occurrunt.

9 *Peccata ſunt iuxta eorum ſpecies in confeſſione aperienda.*

10 *Probatur dicta doctrina aliquibus caſibus.*

11 *Circumſtantiæ quomodocunque aggrauantes non ſunt neceſſariò aperiendæ, niſi mutent ſpeciem.*

12 *Octo circumſtantiæ communiter numerantur à Doctoribus.*

13 *Explicantur dictæ circumſtantiæ in communi.*

14 *Furari in loco ſacro, non ſemper eſt ſacrilegium.*

15 *Circumſtantia virginitatis aliquando eſt aperienda, aliquando non.*

16 *Gradus conſanguinitatis, & affinitatis, nō ſunt neceſſariò explicandi.*

17 *Delectationes moroſæ cum Virgine, Moniali, &c. ſunt explicandæ.*

18 *Mulier, quæ habuit copulam cum Sacerdote religioſo, non tenetur, niſi circumſtantiam ordinis ſacri, vel voti explicare.*

1 EX iam dictis; conſtat confeſſionem peccatorum, eſſe ſecundam partem Sacramenti pœnitentiæ; quæ iuxta communem Theologorum ſententiam cum D. Thom. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 2. ita deſcribi poteſt. *Eſt legitima, & ſacramentalis accuſatio de proprijs peccatis, ad eorum veniam, virtute clauium obtinendam, coram Sacerdote facta.* Quæ deſcriptio, cum pendeat ex conditionibus ipſius confeſſionis; Primò illas declarabimus, vt faciliter quis cognoſcere poſſit, quænam ſint de eius ſubſtantia. Conditiones igitur, continentur in his verſibus.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis
Atq; frequēs, nuda, diſcreta, libēs, verecūda.
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata.
Fortis, accuſans, quæ ſit parere parata.

2. Quæ conditiones, licet ſexdecim ſint; tamen non omnes pertinent ad ſubſtantiam cōfeſſionis; ſed vna tantum continet talem ſubſtantiam tanquam genus; ideſt. Accuſans; aliæ autem conditiones, ſunt ad ſpecificandam rationem dictæ accuſationis; & tam in hac, quam in qualibet alia accuſatione, quinque conſideranda ſunt; ſcilicet, materia accuſationis, modus eius, perſona accuſans, & quæ accuſatur, & apud quam perſonam accuſatur; Materia explicatur per illa verba deſcriptionis. De proprijs peccatis; quod intelligitur de omnibus mortalibus poſt baptiſmū commiſsis, & non confeſsis. Quod explicatur per aliam conditionem, ſcilicet; Integra, ad quam multæ aliæ reducūtur; videlicet, Simplex, nam confeſsio non debet eſſe artificioſè compoſita, vt aliquid in ea occultetur, additur. Pura, quia confeſsio non debet eſse mixta alijs rebus non pertinentibus ad ipſam. Fidelis; quia confeſsio debet continere peccata commiſſa tantum, nec plura, nec pauciora. Nuda, ideſt abſq; palliatione; ſed vnumquodque peccatum declarandum eſt, prout eſt. Diſcreta; Eſt etiam ſeruandum tempus, locus, perſona, & modus loquendi, & ſuperflua in confeſſione ſunt reſecanda. Fortis; quia confeſſio ob nullam verecundiam, aut incommodum omitti debet, nec fieri abſque debita rectitudine ad illam requiſitam. Frequens, & Accelerata citò debet fieri confeſsio poſt peccatum commiſſum; & non debet multū differri, quæ omnia pertinent ad materiam confeſsionis.

3. Quoad modum accuſationis; intelligitur, de modo intrinſeco, & eſſentiali; ſcilicet, vt accuſatio in confeſsione, fiat cū debito animi dolore; quod etiam declarāt aliæ conditiones. Scilicet, humilis; ideſt, vt confeſsio procedat ex recognitione peccatorū; & fiat verbis, & actibus, etiam externis, & humilibus. Libens, quia debet eſſe voluntaria. Lacrymabilis, ideſt cum debita contritione, vel attritione. Parare parata; debet fieri cū propoſito ſatisfaciendi, & obediendi confeſſario; vt ſupra diximus. Secreta, quia debet confeſsio eſſe ſecreta, quæ conditio pertinet ad modum extrinſecum, & accidentalem. Alia tria, quæ propoſuimus conſideranda, ſcilicet: Accuſans, perſona accuſata, & apud quem accuſatur; ſignificatur pœnitens, quæ debet eſſe baptizatus; & vt confiteatur corā legitimo confeſſario, &c.

4. Sed quoad hanc vltimam conditionem; quæri poteſt, an ſit de neceſsitate

Digitized by Google

Sacramenti, vt confeſsio ſit ſecreta, ſeù auricularis; & reiectis hæreticis noſtri temporis, qui noſtrum modum confitendi irrident. Affirmatiuè reſpondet aliqui Scolaſtici; vt Scot. & Gabr. d. 17. q. 1. Richard. art. 3. q. 8. & Angel. verb. Confeſſio nu. 29. & 30. Sed re vera, hæc ſententia eſt omninò falſa; & contra Concil. Trid. nam in ſeſſ. 14. cap. 5. ſic habetur. Cæterum, quoad modum cōfitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem, & ſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem; delicta ſua publicè confiteri poſſit, nō eſt tamen hoc diuino præcepto mandatū; nec ſatis cōſultè humana aliqua lege præciperetur; Ex quibus verbis apertè colligitur, confeſſionem publicam, ſeù non ſecretam, non fuiſſe vetitam, contra dictos Doctores; & confeſſionem ſecretam fuiſſe approbatam ab initio Eccleſiæ: contra dictos hæreticos.

5 Vnde dicendum eſt, confeſſionem ſecretam eſſe ſufficientem ad conficiendū Sacramentum, quod eſt de fide; vt patet ex dicto Cōcilio, & ſumitur etiam ex cap. Vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſs. vbi dicitur: *Soli Sacerdoti faciendam eſſe confeſſionem*; Ideò P. Auguſt. lib. de vera, & falſa pœnit. cap. 10. ait. *Qui confiteri vult, quærat Sacerdotem ſcientem ligare, & ſoluere*; & nota, quod iuxta verba vltima Concil. Trid. citata, cōfeſſio publica non poſſet per legem humanam prçcipi; & licet P. Auguſt. lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 53. videatur aſſerere; quod aliquando olim pœnitentia publica fiebat, non ſolum quoad actum publicum pœnitentiæ, vt ad præſens ſolet fieri abſque vlla cauſa manifeſtatione, nec etiam perſonæ; ſed etiā quoad manifeſtationem perſonæ, & cauſæ, ſcilicet, peccati; Tamen hoc non erat, nec eſſe poterat de præcepto humano, cū iam ex prçcepto diuino, non conſtet; ſed id fiebat ob feruorem pœnitentiæ, qui in primitiua Eccleſia vigebat. Ex altera autem parte, dicendum eſt, confeſſionem ſecretā, non eſſe de neceſſitate Sacramenti pœnitentiæ; vt communiter Scholaſtici docēt cum D. Thom. quolibet 1. art. 10. & in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 2. P. Sot. lect. 2. de confeſſione, Vega lib. 13. in Trident. cap. 28. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. Caiet. tom. 1. opuſcul. opuſc. vlt. reſponſ. 5. & alij paſſim. Et ratio eſt, quia confeſſio, etiam ſi ſecreta nō ſit; dummodo in ea adſit vera accuſatio cum debito dolore, &c. vt ſupra; non eſt, cur Sacramētum confici non poſſit per veram abſolutionem; & maximè cū detegere peccata non ſit ex ſe malum, nec alteri iniurioſum.

6. Sed dubium eſt, vtrum confeſſio ſit neceſſariò, facienda voce humana, & propria? Reſpondeo negatiuè, poteſt enim confici Sacramentum, quamuis confeſſio non fuerit facta proprijs verbis: vt D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 2. Vnde valida erit confeſſio facta, per interpretem, nutibus, ſignis, aut etiam ſcripto, vt vult Sot. d. 18. q. 2. art. 6. dūmodo, vt ipſe ait, cum ſcripto, aſſocientur alij nutus in ſignum accuſationis, vel vt loquitur Suar. diſp. 21. ſect. 3. num. 7. Sufficiet ſi pœnitens oſtendat ſcriptum demōſtrando ſigna contritionis, & petendo abſolutionem dictorum peccatorum; Attamen hoc non poteſt fieri abſque aliqua neceſſitate, quia, licet, de dicta confeſſione proprio ore facienda, non detur aliquod præceptum; tamen ex ipſamet inſtitutione Sacramenti, & ex vſu Eccleſiæ colligitur tale præceptum, vt communiter omnes aſſerunt, cum D. Thom. loco cit. Sot. dicto loco, Petr. Sot. lect. 2. de confeſs. Cano de relect. par. 5. Alenſ. 4 par. q. 18. membr. 4. §. vlt. & alij, quos ſequitur Suar. loco cit. num. 4. & ſeqq. licet, in num. 6. notet, ratione paruitatis materiæ, id poſſe eſſe veniale; vt ſi nō in tota confeſſione, ſed tantū in vno, vel alio peccato id fiat; & ſi ex aliqua rationabili cauſa, tota cōfeſſio ita fiat, nullum erit peccatū; vt v. g. ratione impotentiæ emittendi vocem, de quo caſu nullus dubitat; vel ſi poſſit, ſed cum magna difficultate; item ratione magnæ verecundiæ; quia, vt ait, Cano, cum talis obligatio ſit ex conſuetudine introducta, non eſt accipienda cum tanto rigore; & cōſentit Suar. vt ſupra, Filiuc. tract. 7. cap. 1. num. 13. & ſeqq.

7. Deinde quæritur, vtrum in confeſſio-

Digitized by Google

ſione ſint neceſſariò aperiēda omnia peccata mortalia? Reſpondetur affirmatiuè; omnia tamen illa, quæ pœnitens habet in conſcientia: ſeu de quibus poſt baptiſmum non eſt confeſſus; & ſunt eidem Sacerdoti integrè aperienda; quæ concluſio certa, & de fide eſt; vt colligitur ex diuerſis Concilijs; & præcipuè ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. can. 7. vbi ſic dicitur. *Qui ſcienter aliquid retinet, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponit*. Et habetur ex perpetua traditione Eccleſiæ; Vnde P. Auguſt. lib. de vera, & falſa pœnit. cap. 9. & 15. ait ad pęnitentem. *Ponat ſe in poteſtate iudicis, in iudicio Sacerdotis, nihil ſibi reſeruans ſui*; & ita communiter loquuntur omnes Patres: Ratio autem ſumitur ex D. Thom. in 4. d. 47. q. 3. art. 4. & ibi Paludanus, & alij; & eſt, quia ex ipſa inſtitutione Sacramēti vnum mortale, non poteſt remitti ſine alio, vt ſupra probauimus. Igitur neceſſe eſt, vt omnia ſimul aperiantur in confeſſione, vt ab illis pęnitens abſolui poſsit; quam ſententiam abſque vlla controuerſia omnes ſequuntur.

8. Eſt tamen notandum, non ſpectare ad integritatem confeſſionis; nec pęnitentem mortaliter peccare, ſi vni confeſſori dicat, v. g. venialia, & alteri poſtea mortalia, quando illi occurrunt, dummodo quando confitetur venialia, non habeat mortalia; tunc enim non eſſet integra confeſſio, & ex conſequenti inualida, & ſacrilega; & probatur, quia peccator nullo iure tenetur ſæpè, vel ſemper eidem confeſſori confiteri; Vnde dummodo neceſſaria adſint ad Sacramentum, & fructum eius percipiendum, non eſt dicēdum pœnitentem committere culpam mortalem, vt volebat: Sylu. verb. confeſs. 1. q. 6. & Victoria in ſumma num. 196. docet noſtram ſententiam, Suar. diſp. 22. ſect. 1. nu. 13. ex Nauar. cap. 21. num. 42.

9. An peccata ſint in cōfeſsione aperienda diſtinctè iuxta eorum ſpecies? affirmatiuè communiter omnes docent; & patet ex multis Concilijs, & præcipuè ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. vbi ſic dicitur. *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, neceſſarium non eſſe iure diuino, confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia*. (Deinde,) *& circumſtantias quæ peccati ſpeciem mutant, &c. anathema ſit*. Et ratio ſumitur ex eodem Concil. quia ad ritè iudicium ferēdum, neceſſe eſt, vt confeſſor omnia peccata intelligat, & ſecundum ſpecies, & ſecundum numerum, & ſecundum circumſtātias mutantes ſpeciem: ſcilicet moralem, & non phyſicam; vt Bonac. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. §. 3. difficul. 1. num. 2. Azor. 1. par. lib. 4. cap. 4. Suar. diſp. 22. ſect. 2. num. 4. & ſeqq. Sot. d. 18. q. 2. art. 4. concluſ. 6. & alij. Vnde ſi quis habuit animum occidendi Clericum, vel peccādi cum habente ordines ſacros, licet, vna ſit actio phyſica, ſunt tamen duo peccata ob duas deformitates ſpecie diſtinctas, ſcilicet, iniuſtitiæ, & ſacrilegij.

10. Vnde ſequitur, actus phyſicos, quibus perpetratur peccatum, licet, diuerſos, non eſſe explicandos in confeſſione, ſic etiam, qui peccauit cum diuerſis animalibus, nō tenetur dicere omnes ſpecies animalium: ſed ſufficiet, ſi dicat tot peccata beſtialitatis commiſi; item qui plura, & diuerſa peccata ſuperſtitionis commiſit, ſufficiet, ſi dicat illa ſub generico, & communi nomine; vt Henriq. lib. 5. cap. 5. nu. 3. cum Caiet. Sot. & alijs; ſed in hoc cautè procedendum eſt, quia ordinariè fiunt hæ ſuperſtitiones cum diuerſis, & varijs circumſtantijs, quæ mutant ſpeciem, & ſunt omninò declarandæ: ſic etiam, qui pluries incidit in hæreſim, ſufficiet, ſi dicat, per tot vices in hæreſim incidi; ità Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. concluſ. 6. Reginal. lib. 6. nu. 114. Vaſq. q. 91. art. 1. & alij, quos refert Bonac. loc. cit. num. 5. è contra ſi quis oblitus eſt dicere circumſtātiam mutantem ſpeciem, tenetur illam poſtea confiteri, & ſimiliter, ſi non dixit aliquam circumſtantiam, per quam peccatum veniale fiat mortale: vt Suar. diſp. 22. ſect. 2. num. 7. & 8. ſi quis autem dixiſſet aliquam circumſtantiam, per quam peccatum veniale eſſet mortale, & poſtea aduertat, talem circūſtantiam non eſſe veram; non tenetur iterum confiteri; item qui ſe periculo peccandi expoſuit, tenetur illud aperire in confeſſione; ſed ſi poſtea iam aduertat talem actum, non eſſe amplius periculum; ſed verè peccatum, ſufficiet ſi dicat ipſum peccatum; dummo-

do inter periculum, & actum completum non intercedat mora; tunc enim eſſent diſtincta peccata: idem Bonac. nu.7. ex Suar. to.5. diſput.18. ſect.3. num.16. Sanchez in Summa lib.1. cap.8. num.4. & ex alijs.

11. Vtrum autem circumſtantiæ aggrauantes tantum, ſint neceſſariò cõfitendæ? Reſpondeo; maximam quæſtionem tantum eſſe inter Doctores de circũſtantijs notabiliter aggrauantibus; & ex vtraque parte magna multitudo Doctorum adeſt. Re tamen vera, Concilium Tridentinũ dicta ſeſſ.14. c.5. & can.7. obligat tantum ad circumſtantias mutantes ſpeciem; quod ſi eſſent etiam neceſſariò confitendæ circunſtãtię notabiliter aggrauantes, hoc vtique non prætermiſiſſet, & ſicut dixit, circumſtantias mutantes ſpeciem, poterat faciliter addere, & notabiliter aggrauantes, nec faciunt verba Suar. diſp.22. ſect.3. num.7. aſſerentis, Concilium id non determinaſſe ob magnam quæſtionem, quæ erat inter Doctores; nam ex hoc ſequitur, opinionem, quam amplexus eſt dictum Concilium, eſſe veram, & non alterã; vnde dicendum puto, hanc opinionem canonizatam per Concilium Tridentinum, eſſe veram, & nullum poſſe abſque aliqua temeritate aſſerere, hanc opinionem eſſe falſam; hanc etiam amplectitur D. Thom. in 4. diſt.16. q.3. art.2. q.5. cum Alberto Magno ibi art.24. Palud. q.3. artic.3. Durand. q.4. Bonau. diſt.17. q. vlt. Nauarr. cap.6. num.6. & in cap. conſideret de pænit. d.5. num.6. Vaſq. in 3. p. tom.4. q.91. art.1. dub.2. & 3. Valent. to.4. diſp.7. quæſt.11. pun.1. Leſſ. lib.4. cap.3. dub.12. num.8. Tabb. ver. Circumſtantię nu.8. & 9. & multi alij, quos breuitatis cauſa omitto.

12. Sed quænam ſint circumſtantiæ neceſsariò confitendæ? Reſpondeo, ſeptẽ, vel octo cõmuniter numerari à Doctoribus, quæ in hoc verſu continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Per verbum, *quis*, denotatur qualitas perſonæ, in qua faciliter poteſt dari circumſtantia aggrauans in infinitũ, ſeù mutans ſpeciem, vt ſi perſona fuerit in ſacris, vel habeat votum, transfert vitium carnale in ſacrilegium; vel ſi fuerit perſona habens vxorem, & è contra habens virum, peccatum fornicationis, transfert in adulterium; & eſt etiam explicandum, an complex habebat virum, vel vxorem reſpectiuè. Item ſi fuerit perſona publica habens officium, peccatum contra charitatem, mutat in peccatum contra iuſtitiam, & ſic de ceteris.

13. Sequens particula, quid, ſignificat ipſam materiam peccati, quoad eius conditiones: vel ipſum obiectum peccati, & eius qualitates; vt ſi quis peccauit cum cõiugata, cum conſanguinea, &c. Vbi dicit circumſtantiam loci, vt eſt Eccleſia reſpectu fornicationis, vel immunitatis, aut ſanguinis effuſionis. Quibus auxilijs, hęc particula reſpicit perſonas quibus peccator adhibuit ad aliquod peccatũ patrandum, & debent exprimi in confeſſione. Cur, hæc particula reſpicit finem, in quo noua malitia eſse poteſt, vt ſi quis furetur gladium, vt occidat inimicum. Quomodo, hæc eſt circumſtantia modi, quę etiam poteſt mutare ſpeciem peccati, vt ſi quis auferat bona aliena inuito domino, erit furtum; ſed ſi pręſente domino, erit rapina. Quando dicit circumſtantiam temporis, vt ſi quis celebret poſt prandium, aut bis comedat in die ieiunij, ex Suar. diſp.22. ſect.4. Valent. to.4. diſp.7. q.11. pun.11. Reginal. li.2. cap.3. & ex alijs.

14. Ex quibus omnibus; ſequẽtes caſus colligi poſsunt; nempè, ſi quis furatus ſit rem ſacram, vel aliud de loco ſacro, nõ ſatisfacit, dicendo furatus ſum, ſed neceſſe eſt explicare locũ, qui habet ex ſe aliam malitiam mortalem, cum in cap. quis quis 17. q.4. prohibeatur furtum rei ſacræ, vel alterius rei de loco ſacro. Ità Suar. de relig. to.1. lib.3. cap.4. num.7. & Layman. lib.4. tr.10. cap.7. num.18. cum alijs; & ratio eſt, quia, vt colligitur ex verbis Ioan. Papę in dicto cap. quiſquis: ſacrilegiũ ſemper cõmittitur, auferendo ſacrum de ſacro, vel nõ ſacrũ de ſacro, aut ſacrũ de non ſacro: ſed in hoc caſu, notãdũ eſt, duobus modis poſse rem nõ ſacrã, eſse in Eccleſia, primo modo, quaſi ſub iure, & poteſtate Eccleſiæ, vt ſi res eſset Eccleſiæ tradita ad cuſtodiã, vel in pignus, vel illi accommodata, vel depoſita, &c. Secundo modo; poteſt res

eſse

eſſe in Eccleſia per accidens, vt ſi caſu ibi relicta ſit, vel ſi aliqua perſona illã ſecum afferat in Eccleſia:& quando res eſt primo modo in Eccleſia, certum eſt eſse ſacrilegium, quia actio dirigitur cõtra honorem Eccleſię; at ſecundo modo, non adeſt talis malitia; vnde ſi quis furatus eſset aliquam crumenam pecuniarum in Eccleſia, non diceretur circumſtantia mutans ſpeciem, & ex conſequẽti non neceſſariò explicanda in confeſsione. Hanc ſententiam docet Sot. in 4. d. 18. art. 4. Io: de la Crux in direct. conſcient. par. 2. tract. de Sacram. pœnit. q. 3. dub. 6. concluſ. 1. Henriquez, & alij cum Leſs. & Dian. tract. de circumſtant. par. 1. reſol. 27. Vnde colligitur, vt ſi quis furetur tapetũ, ſellam, vel aliquid aliud, quod Eccleſiæ fuerit commodatũ, ſacrilegium talẽ furem committere, ſecùs ſi talia eſſent allata ad Eccleſiam ob commoditatem principis, vel alterius perſonæ.

15. Deinde poteſt dubitari de circũſtantia virginitatis propriæ, an ſit neceſſariò explicanda? & certum eſt, viros non eſſe ad id obligatos; vt probat Caiet. 2. 2. q. 154. art. 6. eſſe tamen obligatas feminas propter iniuriam parentum, quibus virgo ſubeſt; vt fusè probat idem Doctor. Attamen dicendum eſt; nec fœminas eſſe ad id obligatas, imò quãdo liberè conſentiunt, nec ſtuprator tenetur confiteri de ſtupro; ſed de ſimplici fornicatione; vt diximus in primo libro de reſtit. cum P. Nauar. lib. 2. de reſtit. cap. 3. num. 433. Leſſ. lib. 2. cap. 10. dub. 6. num. 5. & alij, & ſimiliter ibi notauimus, nec ſtupratorem obligari ad aliquã reſtitutionẽ; quam doctrinam tradit etiam hic Suar. de pœnit. diſp. 22. ſect. 4. num. 5. & 6. ex Graff. lib. 2. cap. 78. nu. 8. & loquuntur hi Doctores de virgine ſub cura parentum, & liberè conſentiente. Hinc ſequitur, ſponſum, & ſponsã de futuro, ſi ſe cognoſcant, non eſſe obligatus aliquam circumſtantiam aperire. Sed quid dicendum ſit, ſi dicti ſponſi cum alijs fornicentur? Reſpondeo, nec etiam eſſe obligatos talem circumſtantiam aperire, quia non eſt circumſtantia mutans ſpeciem, nec eſt adulteriũ, vt docet Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 13. num. 4. Couar. in 4. Decret. par. 1. cap. 1. num. 1. Viualdus in candelabro aureo par. 1. tit. de ſpõſalibus num. 10. & alij: quamuis Filiuc. tom. 2. tract. 30. cap. 2. nu. 53. aſſerat, dictam circumſtantiam eſſe tantum explicandam à muliere, & non à viro, prout etiam docet Sanchez de matrim. to. 1. lib. 1. diſp. 2. num. 6. & alij. At noſtra opinio eſt omninò tenenda, quia non datur maior ratio in muliere, quam in homine, cum per ſponſalia ad inuicem obligentur; ſed quia talis obligatio eſt de futuro matrimonio, & non de fide habenda circa conſeruationẽ corporis; ideò reſpectu dictorum ſponſalium, nulla datur circumſtãtia neceſſariò confitenda.

16. Quid autem dicendum ſit de gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis? & certum eſt iuxta noſtram ſententiam, non eſſe neceſſariò exprimendas in confeſſione; nam inceſtus non differunt ſpecie inter conſanguineos, & affines in genere moris, & in iudicio ſacramentali. Prout vult Caiet. & D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. Vnde quamuis grauiùs ſit peccatum cum ſorore, vel matre, quam cum conſobrina, nepte, vel conſobrina vxoris, & alijs; tamen augetur malitia in eadem ſpecie; & ideò non neceſſariò confitenda; ſequitur Nugn. in Addit. ad 3. par. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3. & probabilem hanc opinionem vocat Filiuc. tom. 2. tract. 30. cap. 5. num. 97. & alij, quos ſequitur Dian. par. 1. tract. 7. de circumſtant. reſol. 31.

17. Item neque eſt neceſſariò explicanda circumſtantia delectationis moroſæ; ſcilicet, vtrum fuerit cum virgine, vel maritata, aut conſanguinea, &c. quando tamen delectatio eſt tantũ in parte ſenſitiua, & ſine efficaci voluntate; tunc enim omnes delectationes ſunt eiuſdem ſpeciei, & nõ differunt à ſimplici fornicatione, vt docet Vaſq. 1. 2. tom. 2. diſp. 112. Sayr. lib. 9. cap. 7. nu. 10. Reginald. tract. 2. lib. 12. cap. 2. num. 13. & alij, quæ ſententia, licet, ſpeculatiuè vera ſit, tamen in praxi; non puto eſſe recedendum à communi, & contraria opinione; ſcilicet, quod ſint omninò dictæ circumſtantiæ aperiendæ; nam ſi quis delectetur cum virgine, vel maritata, &c. neſcio, quomodo ſimul poſſit non habere efficacem voluntatem conſumandi peccatum,

tum, ſi commodè poſſet; & hanc ſententiam ſequuntur Caiet. 2.2. q. 154. art. 4. Nauar. cap. 16. num. 9. Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 1. cap. 2. nu. 11. Azor. par. 1. lib. 4. cap. 6. q. 3. & alij multi.

18. Sic etiam ſufficiet mulieri, quæ peccauit cum Sacerdote religioſo, ſi dicat tantum, peccaui cum Sacerdote, vel cum initiato ordinibus ſacris; & idem eſt dicendum de Sacerdote religioſo, ſufficit, ſi dicat, ſum Sacerdos, vel in Sacris initiatus, imò ſufficit dicere, violaui votum caſtitatis, tacendo votum ſolemne ordinis, vel religionis; & idem dicitur de fœmina, Sanch. de matrim. tom. 2. lib. 7. diſp. 27. nu. 27. Filiuc. tom. 2. tract. 30. cap. 9. num. 124. & 125. Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 5. num. 6. & alij multi, licet, non deſint, qui contrarium ſentiant; Idem iudicium erit, ſi quis habeat rem cum nouitia, vel nouitio reſpectiuè, non enim eſſet circumſtantia neceſſariò operiēda; quia eſt tantum circumſtantia aggrauans; vt ex Megala in 1. par. lib. 5. cap. 1. nu. 7. docet Diana par. 1. tract. 7. de circumſt. reſolut. 7. & totam traditam doctrinam optimè tradit Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 23. à num. 27. & ſeqq.

De integritate materiali confeſſionis. Caput XLVII.

1 *Omnia peccata quoad numerum explicanda ſunt in confeſſione.*

2 *Peccata interna circa idem obiectum non multiplicantur, niſi interpoſito aliquo tempore.*

3 *Peccata externa etiam multiplicātur præuia interruptione actus.*

4 *Actus phyſici tēdentes ad vnum, vel procedentes ab vno impetu, vnum peccatum conſtituunt.*

5 *In vno actu phyſico poſſunt dari duæ malitiæ, & duo pecacata.*

6 *Qui vno actu proponit non ieiunare in tota Quadrageſima, plura peccata committit, licet cōtrariū ſit etiam probabile.*

7 *Actus præambuli, conſequentes, & ſubſequentes peccatum, non conſtituunt nouum peccatum.*

8 *Circumſtantia durationis temporis nō ſemper eſt neceſſariò aperienda in confeſſione.*

9 *Ratione voti, & officij multiplicantur peccata.*

10 *Scandalum eſt etiam diſtinctum peccatum, vt inducendo aliquem ad peccatum, ad quod non erat paratus.*

11 *Duplici modo dicitur confeſſio inualida.*

12 *Confeſſio valida nullo modo eſt neceſſariò reiteranda, generaliter loquendo.*

13 *Confeſſio non eſt neceſſariò iteranda, quia pœnitens oblitus eſt pœnitentiæ.*

14 *Faciens confeſſionem generalem, non tenetur omnia peccata iterum exponere.*

15 *Ratione voti, vel ſtatuti Religionis, poteſt quis obligari, vt iterum confiteatur.*

16 *Confeſſio repetēda eidem confeſſario non eſt neceſſe, vt peccata iterum exponantur.*

17 *Confeſſio de venialibus præcipi non poteſt, licet, poſſit præcipi confeſſio in communi.*

18 *Mendacium in confeſſione, de rebus nō pertinentibus, & non neceſſarijs ad confeſſionem, non eſt mortale.*

19 *Pœnitens non peccat mortaliter imponendo ſibi peccatum veniale, quod non fecit; ſecus, ſi ſibi imponat peccatum mortale.*

20 *Debitum examen conſcientiæ eſt neceſſariò præmittendum ante confeſſionem.*

1 IAm diximus, non ſolum omnia peccata; ſed etiam, eorum ſpecies eſſe neceſſariò in confeſsione aperiēdas: nunc ſequitur dicendum, an ſint etiam explicanda dicta peccata ſecundum numerum; & quia hoc poteſt dupliciter intelligi; vel de omnibus prorſus peccatis commiſsis materialiter ſumptis; vel de omnibus formaliter ſumptis, ſcilicet, de ijs tantum; quæ nulla ratione omitti poſſunt; & reſpectu primorum peccatorum, confeſsio dicitur materialis; reſpectu ſecundorum, confeſſio dicitur formalis. In præſenti capite agemus de confeſsione materiali, in ſequenti de confeſsione formali; & quamuis non defuerunt Canoniſtę; qui dixerūt, non eſſe neceſſarium omnia, & ſingula peccata, quoad numerum, in confeſsione aperire intra eamdem ſpeciem; quod docuit

Digitized by Google

tuit precipuè Archidiaconus,ob cuius auctoritatem,Angel.verb.Confeſsio 1.num. 20. dictam opinionem non putat improbabilem;& Sylu.eodem verb.num. 11. ait, eſſe rem incertam. Tamen certa, & vera doctrina eſt, quod omnia peccata quoad numerum intra eamdem ſpeciem; ſint neceſſariò in confeſsione explicanda,vt iam patet ex Concil. in antecedenti capite citatis,& præſertim ex Concil.Trid. ſeſſ. 14. cap.5.& can. 7. cuius verba ſupra retulimus.Ita ſentiunt omnes Theologi,& apertè id aſſerit D.Thom.opuſcul. 12.q.6.& ſumitur ex vniuerſali ſenſu Eccleſiæ; Vnde non ſufficit dicere in confeſsione,fornicatus ſum,vel furatus ſum; ſed neceſſe eſt dicere numerum fornicationum, & furtorũ, & ſi numerus certus ſciri non poſsit,debet dici numerus incertus plùs, vel minùs; & ſi poſt confeſsionem aliqua occurrant, quæ non videntur explicata,intelliguntur iam dicta,nec iterum ſunt exprimenda,niſi numerus eſſet notabiliter maior ſupradictum numerum in confeſsione dictum; quia tunc non dicentur peccata ſufficienter explicata; & ſi neutro ex his modis explicari poſsint,ſaltem debet pœnitẽs dicere tempus,quo in tali peccato perdurauit, & cõſuetudinẽ peccandi;quia ex hoc confeſſor cognoſcet ſtatum peccatoris, Suar. diſp.22. ſect.5. num.38.& 39. Vaſquez de pœnit. q.91. art. 1. dub.6. Filiuc. tract.7. cap.4.num.72.& alij communiter.

2. Sed difficultas eſt: Vnde colligatur diſtinctio numerica peccatorum? Reſpondeo; peccata interna circa idem obiectum,nõ multiplicari, niſi per interruptionem, & interpoſito aliquo tempore; ſed circa plura obiecta, certum eſt, idem actũ laſciuum poſſe numericè multiplicari, & cenſebuntur plures actus, & plura peccata diſtincta, neceſſariò in confeſsione explicanda; Tripliciter autem interrumpuntur dicti actus interni, ſcilicet, per contrariam voluntatem, per voluntariam ceſſationem ab illo actu: Tertiò per ceſſationem inuoluntariam;ſed interpoſita aliqua mora notabili,vt hora;prout contingit ratione ſomni, negotiorum,&c. ex quorum occaſione, non poteſt peccator ad idem actum attendere; Et omnia iſta peccata ſunt neceſſariò explicanda in confeſsione; vt Suar.diſp.22. ſect.5. num.7. & ſeqq.Filiuc. tract.7. cap.4. num.83. Bonac.diſp.5. q.5.ſect.2. pun.2. §.3. difficult.2. num.22. Vaſq.de pœnit.q.91.art.5.dub.5.num.12. & alij.

3. Peccata verè externa, tunc dicuntur multiplicari,quando quis iam ceſſauerat tam ab actu externo, quam interno ſimul, & poſtea iterum ad illud redit; & omnia eadem proportione decidẽda ſunt, ac diximus de peccatis internis; Vnde licet vnus actus externus continuatus per diuerſas phyſicas actiones,proueniat ex pluribus actibus internis repetitis, vnũ tantũ cõſtituat peccatum;vt dum quis ſumit enſem, parat equum, & pergit ad occidendum inimicum; quamuis plures actus internos in dictis actionibus,& tempore eliciat, vnum tantum peccatum committet; vt Filiuc.loco cit.num.84.Bonac.& alij loco cit. vide etiam Nauar. cap.6. num. 16. qui tam dictam doctrinam, quã ſupra traditam optimè tradit.

4. Ex quo infertur,non ſolum plures actus phyſicos conſtituere vnum peccatũ, quando omnes tendunt ad vnum finem, & ad vnum peccatum,quandò omnes tendunt ad vnum finem,& ad vnum peccatũ; ſed etiam, quando dicti actus procedunt ex vno impetu;Vt ſi quis vno impetu plures ictus inferat Clerico, vnum peccatum committit, & ſemel in excommunicationem incidit, vt Io.Andr. in cap.Delictum de reg.iur. in 6. ſic etiam, qui vno impetu aliquem pluribus iniurijs afficit; vocando furem,mendacem, ſodomitam,&c. vnum peccatum committit;quia omnes hæ iniuriæ cõcurrunt ſub vna ratione formali auferendi honorem. Ita Caiet.2.2.q.72.art. 1.Nauar.loc. cit.num.17.Sot.de iuſtit.lib. 5.q.9.art.1.Molin.tom.5.tract.4. diſp.19. num.3. Azor. 3.par. lib.13. cap.5. dub.1. Reginald.tom.2.lib.24.cap.5.num.102. & licet,Sot. modificet dictam opinionem aſſerendo; niſi contumeliæ eſſent nimis graues; vt vocando hæreticum, proditorem, & c. ſed quia hæ circumſtãtiæ ſunt tantum aggrauantes, non conſtituunt nouum peccatum.

5. Sed dubium eſt: Vtrum,ſi quis pluribus

tibus ſimul iniuriam conferat, plura peccata committat iuxta numerum perſonarum? ſed eſt primò videndum. Vtrum in vno actu phyſico poſſint eſſe plures malitiæ diuerſæ? & negatiuè reſpondet Suar. de pœnit. diſp. 22. ſect. 5. num. 24. & 25. ex qua opinione, neceſſariò dicendum eſt, dictum numerum perſonarum non eſſe neceſſariò explicandum, quamuis dictus Suar. aſſerat eſſe explicandum: Vnde Vaſq. 3. par. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 4. num. 4. putat Suar. non conſequenter loqui; & ait, in opinione Suarij, & aliorum, non eſſe neceſſariò explicandum numerum perſonarum; quam opinionem probabilem vocat; ſed Suar. id aſſerit, quia tenet opinionem, vt circumſtantiæ notabiliter aggrauantes, explicandæ ſint in confeſſione, vt eſt in caſu prędicto; ideò conſequenter loquitur: Vaſq. autem docet, poſſe dari plures malitias in eodem actu, & conſequenter plura peccata; & ideò aſſerit, in confeſſione eſſe neceſſariò explicãdum talem numerum perſonarum, & hanc ſuam opinionem probabiliorem vocat; & hãc tanquam tutiorem in ordine ad cõfeſſionem, puto eſſe tenendam.

6. Vnde, qui vnico actu ſtatuit non ieiunare per totam Quadrageſimam, tot peccata committit, quot ſunt dies Quadrageſimæ; & qui ſtatuit non audire Miſſam per menſem, vel annum, aut non recitare Officium Diuinum, tot peccata cõmittit, quot dies, in quibus præceptũ obligat ad Miſſam, vel ad Officiũ; ſed verè in his caſibus puto adeſſe vnum tantum peccatum, quia eſt circa idẽ obiectum; item, qui habuit volũtatem occidendi tres homines, vel fornicandi cum tribus fęminis, tria peccata committit; item, qui vnico impetu malediceret Deum, B. Virginem, & Diuum Petrum, tria peccata committeret; ſic etiam, qui malediceret Chriſtum, & Apoſtolos, tredecim peccata committeret ſecundum Vaſquez, & alios; ſed ſecundum Henriq. & alios, duo tantum peccata commiteret: & idem dicas, ſi quis actum odij faciat cõtra Petrum, & eius familiam: Item qui vnico actu detrahit famæ trium perſonarum, tria peccata committit, ſicut qui vno ictu tres occidit, etiam tria peccata committit, & ſi occiſi eſſent clerici, in tres excommunicationes, & irregularitates incideret, vt Nauarr. cap. 6. num. 18. & tandem, qui vno actu, vel verbo quatuor ad peccãdum excitauerit, quatuor peccata committit; hæc omnia iuxta ſententiam Vaſq. Nauarr. & aliorum; licet contraria, quam docet Suar. & alij, vt diximus num. antecedenti, etiam probabilis ſit; ſed in ordine ad confeſſionem, omnes conueniũt; prędicta omnia eſſe explicanda, licet ex diuerſis fundamentis.

7. Colligitur etiam ex doctrina tradita in num. 4. actus pręambulos ad peccatum non augere numerum peccatorum neceſſariò cõfitendum, nec ſimiliter actus conſequentes, aut ſubſequentes actũ principalem peccati: Vnde, ſi quis ſtatim poſt commiſſum peccatũ gaudeat de illo, vel ſe laudet illud perpetraſſe, non incurrit nouum peccatum mortale; vt fusè probat Nauarr. cap. 6. num. 17. §. Addimus, ex Caiet. to. 1. opuſculor. opuſcul. 5. q. 3. licet (vt ipſe Doctor aſſerit) quoad ſtrictum iudicum Dei, omnes iſti actus per ſe ſint peccaminoſi: & contritio formaliter, vel virtualiter debeat extendi ad omnes, tamen, quoad iudicium ſalutare pœnitentię, ſufficit, vt peccatum ità dicatur, vt confeſſor poſſit cognoſcere ſtatum peccatoris, & ei debitam medicinam applicare; & idem aſſerit eſſe dicendum de tactibus, oſculis, prędentibus, vel ſubſequentibus ipſum peccatum. Hanc doctrinã impugnat Suar. diſp. 22. ſect. 5. nu. 27. & putat omnes actus ſubſequentes, vt diximus, conſtituere nouum peccatum, & eſſe confitendum; ſed opinio Nauarr. ſatis probabilis eſt.

8. Vtrum autem circumſtantia durationis temporis conſtituat nouum peccatum, & ſit neceſſariò aperienda in confeſſione? negatiuè reſpondendum eſt; nam vt ſupra diximus nu. 1. circa fin. tunc tempus eſt explicandum, quando pęnitens nõ recordatur numeri peccatorum; vt etiam docet Vaſq. in 3. p. tom. 4. quęſt. 91. artic. 1. dub. 3. num. 36. Vnde ſi quis habeat rem cum meretrice per totam noctem, in qua tantum bis peccauit; ſufficit ſi dicat bis fornicatus ſum; nec in hoc audiendus eſt Zandard. in direct. confeſſ. p. 1. de ſacram. pœnit.

Digitized by Google

nit. cap. 18. aſſerens, ſufficere, ſi pœnitens dicat, feci quantum potui; nam peccata ſunt aperienda ſecundum actum, & non ſecundum potentiam, & cum vnus actus non dicat neceſſariam connexionem cum alio; neceſſariò conſtituunt plura peccata; & ideò vt plura explicari debent.

9. Poterunt etiam multiplicari peccata ratione qualitatis perſonæ; vt ſi quis habens votum Caſtitatis, cognoſcat aliam habentem etiam votum caſtitatis, tenetur vtramque circunſtantiam in confeſſione aperire. Et ſi Parochus, cui incumbit ex officio ſalus animarum, rem habeat cum pœnitente, tenetur dictam circumſtãtiam aperire iuxta Bonac. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. pun. 2. diff. 3. prop. 3. num. 9. ſecùs de Confeſſore non Parocho: ſed neq; de Parocho hoc eſt affirmandũ, quia non eſt circumſtantia mutans ſpeciem; ſed tantum aggrauans. Item ſi quis commiſit fornicationem cum tribus fœminis eiuſdem qualitatis, ſufficit, ſi dicat, ter fornicatus ſum. Qui autem iniuriam intulit Patri, vel Matri, Principi, vel Superiori; tenetur hanc circũſtantiam aperire, ob ſpeciale præceptum, quo quis tenetur prædictis reuerentiam exhibere, vt Henriq. lib. 5. cap. 6. num. 3. in cõment. littera E, Nauarr. cap. 14. num. 11. & alij. Item, qui vnico actu a pluribus quantitatem notabilẽ accipit, plura peccata committit, quia plures offendit, vt ſi quis auferat rem notabilis prætij, in qua adeſſent plures domini; ſed in hoc caſu, contrarium ſentit Vaſq. loc. cit. dub. 4. num. 8. & 10. & docet, vnum tantum eſſe peccatum; & ex accidenti eſt, quod in dicta re ſint plures domini; Attamen ſi tale furtum procederet ex odio particulari contra dictos dominos, tot peccata eſſent, quot ſunt domini.

10. Ratione ſcandali datur etiam multiplicatio peccatorum; : vt ſi quis inducat aliquos ad peccatum, ad quod non erant diſpoſiti nec formaliter, nec virtualiter, tot peccata committit, quot inducit ad peccandum; vnde, ſi quis induxit fœminam ad peccandum, ad quod nullo modo erat parata, duo peccata committit fornicationis, & ſcandali: ſecùs ſi ad id erat parata, vt ſunt meretrices, vt Suar. diſp. 22. ſect. 4. num. 17. Sic etiam, ſi quis detraheret famæ alterius coram tribus, videtur tria peccata cõmitere propter ſcandalum, & ideò tenetur dictas perſonas explicare vt Sayr. de pœnit. cap. 9. num. 11. & Syluef. ver. ſcandalum q. 2. ad fin. ſed etiam probabiliter puto, eſſe vnum tantum peccatum; licet, grauius, quam ſi fuiſſet patratum coram vno, debet tamen quis aperire in confeſſione hanc circumſtantiam: vt confeſſor tribuat remedium reſtituẽdi famam; ſi neceſſe fuerit.

11. Sed quæritur, vtrum peccata iam confeſſa, debeant iterum in cõfeſſione aliquando manifeſtari ob integritatem confeſſionis? Reſpondeo, ob ſex cauſas poſſe pœnitentem obligari, ad reiterandã confeſſionẽ validè factam, ſed illas infra examinabimus; prima eſt, ratione excommunicationis; ſecunda, ratione confeſſionis informis; tertia, quia pœnitens omiſit aliquod peccatum, vel Confeſſarius non benè omnia percepit; quarta, ſi pœnitens oblitus ſit pœnitentiæ impoſitæ; quinta, ob confeſſionem generalem, quam quis ſpontè vult facere; ſexta, ob præceptum, vel votum ad id obligans. Deinde ſciendum eſt, dupliciter poſſe dici confeſſionem inualidam, vel quia in illa nõ fuit ſacramentalis abſolutio, vel quia nõ fuit validè data, aut accepta; & quocunque modo confeſſio inualida fuerit, ſemper eſt iterum faciẽda, quia peccata nõ ſunt remiſſa per claues Eccleſię; nec obſtat, ſi hoc aliquãdo accidat ſine culpa pœnitentis; vt ſi confeſſor non dederit abſolutionem, vel nõ habuerit intentionem abſoluendi; nam adhuc confeſſio eſt iteranda, quia eſt medium neceſſarium ad ſalutem; vt fuſiùs docet Suar. diſput. 22. ſect. 6. num. 1.

12. Quando verò confeſſio valida fuerit, nullo modo generaliter loquendo talis confeſſio eſt neceſſariò iteranda, nec dicta peccata ſunt neceſſariò clauibus ſubijcienda; eſt communis regula, & ita docet Benedictus XI. in Extrau. Inter cunctas de priuileg. his verbis. *Ne ſequatur abſurdum, vt peccata ſemel per pœnitentiam dimiſſa, debeat quis iterum confiteri*; Idem Sumitur ex Concil. Tridne. ſeſs. 14. cap. 5. vbi habetur, quod tantum quis teneatur confiteri peccata

cata, de quibus conſcientiam habet; & ita communiter omnes docent; Vnde non tenetur quis omnes confeſſiones reiterare, eo quod in iuuentute, vel alio tempore fecerit confeſſionem ſacrilegam, dummodo in alijs ſubſequentibus confeſſionibus nõ meminerit dicti ſacrilegij; ſed debet tantum talem confeſſionem ſacrilegam repetere. dixi generaliter loquendo, quia ratione voti, vel ſtatuti Religionis, poſſet quis obligari ad reiterandam confeſſionem, vel confeſſiones validè factas. Quare dicendum eſt, talem validam confeſsionem non eſſe iterandam ratione excommunicationis, quia vel pœnitens erat in bona fide, vel mala; ſi primo modo, iam verè fuit abſolutus; quia excommunicatio non reddit pœnitentem incapacem abſolutionis à peccatis, niſi quatenus fuerit in mala fide; & tunc non ſumus in caſu validæ confeſsionis; Nec ob ſecũdam cauſam talis confeſsio eſt iteranda, ſcilicet, ex eo, quod fuerit informis, quia hoc non obligat pœnitentem, vt iterum confiteatur; vt ſupra diximus. Nec ratione tertiæ cauſæ; quia vel omiſit ſcienter aliquod peccatũ, & tunc non ſumus in caſu validæ confeſſionis, ideò eſt iteranda, vel non ſcienter, & tunc non tenetur iterum confiteri; ſed ſufficit, vt dicat illa, vel illud, quod abſque culpa omiſit in antecedenti confeſsione; & idem eſt dicendum ſi confeſſor non omnia perceperit; nam ſi in hoc bonam fidem habuit pœnitẽs validè ſuſcepit ſacramentum, & ſi cognoſcat aliquid non fuiſſe perceptum à confeſſore; illud tantum repetat. Ità Suar. diſp. 22. ſect. 7. nu. 3. & 4. ex Diuo Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. q. 2. ad 3. & eſt cõmunis Doctrina, quam etiam ſequitur Filiucc. tract. 7. cap. 4. num. 93. & ſequentibus.

13. Item neque tenetur quis iterare confeſſionem ex eo, quod oblitus ſit pænitẽtiæ; quia iam peccata ſunt remiſſa abſq; vlla dependentia à pœnitentia, ſeù ſatiſfactione: nam ſi eſſet iteranda, id eſſet, vt abſolueretur à culpa, ſed ab hac iam eſt abſolutus; vel vt abſoluatur à pęna, & ab hac in partim eſt abſolutus, & alia pars alijs modis poteſt remitti in hac vita, vel in Purgatorio. Vel vt adimpleat præceptum confeſſoris; & ex hac cauſa non eſt iteranda confeſſio, quia in naturali obliuione nõ datur culpa pænitentis; & ideò in tali caſu cenſetur, ac ſi eſſet impotens, ità Caiet. in ſumma ver. Confeſſio iteranda; Sot. d. 20. q. 2. art. 2. ad 3. P. Sot. lect. 2. de ſatisfactione, & alij, quos ſequitur Suar. loc. cit. nu. 5. & Filiucc. nu. 97. quidquid aliqui in contrarium ſentiant.

14. Neque ratione confeſsionis generalis quam quis ſponte vult facere, tenetur omnia peccata iterum cõfiteri, quamuis dicat confeſſario ſe velle accuſare de omnibus generaliter; nam tale mẽdacium non eſt de re neceſſaria ad ſacramentum; nec confeſſor dicitur grauè deceptus, quia quid ad ipſum? ità Nauarr. cap. 21. nu. 38. Suar. num. 7. Sot. diſt. 18. q. 2. art. 5. Filiucc. loc. cit. num. 98.

15. Et tandem, licet, quis vt iam tetigimus; poſsit obligari ad iterandam confeſsionem, non tamen ab alio, ſed à ſe ipſo id poteſt, ſcilicet, quatenus pęnitens voluntariè ſe ſubdit tali obligationi; ſicut accidit in voto; nec tanquam rei pertinenti ad perfectionem ſacramenti; vnde Religioſi Ciſtercienſes ſunt ex regula obligati ſemel in anno confeſsionem generalem illius ãni peragere, quamuis iam ritè ſemper confeſsi ſint: quod præceptum obligat eo quod, quis in profeſsione voluntariè ſe tali legi ſummittit; licet, iuxta Suar. loc. cit. num. 10. meliùs eſſet, vt hoc non proponeretur vt præceptũ; ſed vt regula conferens ad perfectionem; & idem ſentit Filiucc. num. 99.

16. Sed quæſtio eſt, quonam modo confeſsio ſit iteranda, quando id accidit ratione inualidę confeſsionis? & breuiter reſpondeo, vel confeſsio eſt repetenda eidem confeſſori, vel alteri, ſi hoc ſecundo modo, certum eſt, quod confeſsio debeat fieri, ac ſi nunquam eſſet facta: ſi eſt repetenda eidem confeſſori: tunc (relictis varijs opinionibus) confeſsio vel fuit abſolutè inualida in ſe, vt ex defectu doloris, integritatis, vel iuriſdictionis ex parte confeſſarij: & in tali caſu confeſsio eſt omninò repetenda, ſi confeſsor nullam memoriam habeat peccatorum: ſecùs ſi illorum recordetur ſaltem in confuſo, ita vt

ſciat

ſciat ſtatum peccatoris: ſi autem confeſsio fuit nulla ratione abſolutionis tãtum; tunc nullo modo eſt neceſsariò repetenda confeſsio, etiam ſi confeſsor peccatorum non recordetur, nec pænitentiæ: ſufficit enim vt ſciat pœnitentem eſse ritè confeſsum, & benè diſpoſitum; ſi autem pœnitentiam non dederit; nec peccatorum recordetur aliquo modo ſaltem in confuſo; tunc neceſse eſt iterum peccata explicare quoad vſque confeſsor hac repetitione forſitan recordetur, & hoc etiam ceſsante, omnia ſunt repetẽda; tamen hoc ſpectat ad debitam ſacramenti adminiſtrationem; quia ſi confeſsor abſolueret, eſset validum ſacramentum, & pœnitens eſset abſolutus; ſicut ſi quis abſolueret, non impoſita pœnitentia, eſset enim validum & legitimè confectum ſacramentum; malè tamen faceret confeſſor: vt Suar. diſputat. 22. ſect. 6. num. 7.

17. Vtrum autem peccata venialia ſpectent ad integritatem confeſsionis, & an poſsit præcipi eorum confeſsio? Reſpondeo, certum eſſe, peccata venialia nõ pertinere ad integritatem confeſsionis, quia non ſunt materia neceſſaria; ſed tantum ſufficiens, vt ſupra de pœnitentia diximus. Vtrum autem eorum confeſsio præcipi poſsit? Reſpondeo etiam certum eſſe, Eccleſiam non poſſe præcipere talem confeſsionẽ tanquam partem neceſſariam ad ſacramentum; quia Eccleſia nec poteſt mutare materiam ſacramentorũ, nec conſtituere aliam materiam neceſſariam; vt Sot. diſt. 18. q. 1. art. 3. igitur neque poterit præcipere dictorum venialium confeſsionem, tanquam materiam neceſſariam ſacramenti pœnitentiæ. Deinde etiam certũ eſt, nec Eccleſiam poſſe præcipere confeſsionem omnium venialium, tum quia intolerabile eſset, tum quia materia conſilij, vt eſt confeſsio venialium, non poteſt mutari in præceptum. Reſpectu verò aliquorũ particulariũ peccatorũ venialium; probabile eſt, poſse Eccleſiã eorum cõfeſsionẽ pręcipere, licet, hoc etiã patiatur ſuas difficultates. Certum tamen eſt, Eccleſiam poſſe pręcipere vſum Sacramenti pęnitentiæ; ita vt indifferenter omnes obliget, ſiue habeant peccata mortalia, ſiue venialia; ita Suarez diſput. 22. ſect. 8. num. 5. D. Thom. in d. 5. art. 1. q. 3. Bonauent. d. 17. art. 4. q. 2. Azor. 1. part. lib. 7. cap. 39. q. 4. Filiuc. tract. 7. cap. 4. nu. 107. Bonac. diſp. 5. q. 3. pun. 1. nu. 8. & quamplures apud hos Doctores. Et probatur, nam in dicto præcepto nihil eſſet alienum ab inſtitutione huius Sacramenti; nec eſſet res adeò difficilis, vt excederet materiam præcepti; ſed eſſet opus religionis, quod faciliter fieri poteſt; & ſicut Eccleſia præcipit cõfeſſionem annualem, & poſſet præcipere, vt fieret ſingulis ſemeſtribus; ita etiam poteſt præcipere, vt quis confiteatur, ſiue peccata mortalia habeat, ſiue venialia; & ſimiliter, ſicut Eccleſia poteſt præcipere ieiunium in alijs diebus, & vt Miſſa audiatur in alijs diebus ab ipſa aſsignatis, quia huiuſmodi actiones pertinent ad Religionẽ; poterit etiam præcipere talem vſum Sacramenti pænitentiæ, ſiue, quis habeat peccata mortalia, ſiue venialia, vt diximus.

18. Sed dubitatur. Vtrum aliquid addere, vel negare in confeſsione, pertineat ad eius integritatem? in quo dubio examinandum eſt; Vtrum mendacium in confeſsione ſit peccatum mortale; & reddatur confeſsio nulla? Sed eſt priùs notandum, duplici modo poſſe contingere mendacium in confeſsione; vno modo augendo peccatũ commiſſum; alio modo affirmando, vel confitendo peccatum, quod non fuit commiſſum. Deinde circa tria poteſt eſse tale mendacium: Primò, circa res nullo modo pertinentes ad confeſsionem. Secundò, circa materiam non neceſſariam confeſsionis, vt circa peccata venialia. Tertiò, circa materiam neceſsariam; ſcilicet circa peccata mortalia. Reſpectu primarum rerum ad confeſsionem non pertinentium, communis eſt opinio, quod tale mendacium erit tantum veniale, licet, grauiùs, quam ſi fuiſset dictum extra confeſsionem; & ratio eſt, quia dictæ res non aguntur ibi tanquam materia Sacramẽti; & ideò, nec vlla fit iniuria ſaltem grauis, Sacramento, quoad ſecundas res non neceſsaria, dico etiam certum eſſe apud omnes, negare in confeſsione peccatum veniale commiſsum; ex ſe non eſſe

mortale, quia dicta venialia nõ ſunt materia eſſentialis, & neceſſaria ad integritatẽ confeſsionis; nec obſtat, quod ſicut Reus tenetur verum reſpondere iudici iuridicè interroganti, ita etiam teneatur pœnitens in iudicio ſacramentali; Nam reſpondeo, Reum eſſe obligatum reſpondere iudici circa materiam neceſſariam ad iudicium, & non circa materiam non neceſsariam; imò poteſt Reus in tali caſu reſpondere ſecundum mentem iudicis, quam habere debet; & non quam habet; & hoc modo euitaret etiam peccatum veniale; & ita ſimiliter eſt dicendum in pœnitente.

19. Dubium igitur conſiſtit, an imponẽdo ſibi pœnitẽs aliquod veniale, quod non commiſit, mortaliter peccat? Et certum eſt, pœnitẽtem ſacrilegium committere, ſi in tali confeſsione, alia venialia, vel mortalia non exponat, vt licitè, & validè poſsit dari abſolutio; Vnde, ſecluſo hoc caſu, dubium eſt, an ſit mortale imponere ſibi veniale, quod non commiſit? & quãuis aliqui affirmatiuè reſpondeant, vt Caiet. in ſum. verb. Confeſs. condit. 4. Ledeſm. 2. par. q. 5. art. 4. dub. 4. & alij; tamen negatiuè eſt reſpondendum: vt docet Sot. d. 18. q. 2. art. 4. Pet. Sot. lect. 10. de pœnit. Nauar. cap. 21. nu. 37. Sylu. verb. confeſs. q. 8. Filiuc. tract. 7. cap. 4. num. 111. Suar. diſp. 22. ſect. 10. n. 7. & alij, & ratio eſt quia agitur de re leui; Vnde, licet, tale mendacium ſit ſacrilegium, tamen ratione materiæ leuis, erit tantum veniale, & ſimiliter, licet adſit deceptio confeſſoris; deceptio eſt de re leui, & nõ neceſſaria, & ideò peccatum erit etiam leue, ſcilicet veniale. Deinde circa materiam neceſſariam, in qua pœnitens poteſt etiam mentiri; faciliter reſpondetur; nam ſi pœnitens neget peccatum mortale commiſſum; vel illud ex induſtria non confeſſario exponat; ſacrilegium graue committit, & confeſsio redditur nulla; ſi autem aliquod peccatum mortale ſibi imponat, quod non fecit, eodẽ modo reſpondendum eſt, ſacrilegium pœnitens committit, & cõfeſsio eſt nulla, quod intellige (ſecluſa ignorantia inuincibili) multoties enim rudes maiorem ſummam peccatorum ſibi imponunt; nec putant eſſe malum, excedere in dicẽdo plures peccata; hæc ſententia etiam communis eſt, vt Sot. lib. 5. de iuſtit. q. 6. art. 1. & q. 10. art. 2. Nauar. cap. 27. num. 248. & omnes alij Doctores citati, præter Sylu. qui ſignificat, hanc eſſe etiam materiam leuem, quia non eſt mendacium pernicioſum, nec ex hoc infertur grauis iniuria confeſſori, vel alteri, niſi ſibi ipſi; quod non eſt mortale.

20. Vltimò quæritur, an ſit contra integritatem confeſsionis, non præmittere debitum examen conſcientiæ ante confeſsionem? Reſpondeo tria, vel quatuor eſſe certa in hac materia; Primũ eſt, quod pœnitens teneatur ad moralem diligentiam adhibẽdam in examinando eius conſcientiam; quia qui obligat ad finem; obligat etiam ad media neceſſaria, vnde, cum ex præcepto diuino teneatur pœnitens integram confeſsionem facere, tenetur etiã ad diligentiam faciendam; vt integra confeſsio fieri poſsit; Vnde Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ſic loquitur. *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, &c.* Secundum eſt; hanc diligentiam non requiri æqualem in omnibus; nec hoc poteſt aliqua menſura definiri; illa tamen eſt neceſſaria, quæ moraliter loquendo, ſufficiens iudicari poſsit, attentis circumſtantijs perſonarum, & capacitatis, conſuetudinis peccandi; Occupationis, negotiorum, diurnitatis temporis, &c. Tertium eſt, quod pœnitens non tenetur ad extraordinariam diligentiam, vt ad ſcribendum peccata; licet, Caietan. verb. confeſsio condit. 11. iudicet vtile id eſſe, quando timetur defectus memoriæ: Quartum eſt, quod dictũ examen aliquando poteſt ſuppleri per prudentem confeſſarium interrogantem; quod ſæpè accidit in rudibus: & mulieribus volẽtibus ex peccatis interrogari, ita cõmuniter omnes, vt videri poteſt apud Suar. diſp. 22. ſect. 11. Filiuc. loco cit. 214. Sot. d. 18. q. 2. art. 4. ad vlt. Pet. Sot. lect. 19. de confeſſ. & alios.

De

Digitized by Google

De integritate formali confeſſionis. Caput XLVIII.

1 *Ob inſtans periculum mortis, poteſt quis excuſari ab integritate confeſſionis.*

2 *Ad euitandum graue damnum proprium, confeſſarij, vel alterius, poterit quis excuſari ab integritate confeſſionis.*

3 *Ignorantia inculpabilis excuſat pænitentẽ ab integritate confeſſionis, & idem dicitur de obliuione.*

4 *Ratione Caſus reſeruati, aliquando poterit pænitens dimidiare confeſſionem, ſcilicet, quoad habendam abſolutionem directam.*

5 *Manifeſtatio complicis, non ſemper excuſat ab integritate confeſſionis.*

6 *Confeſſio nõ poterit eſſe formaliter integra, ſi in ea adſit ignorantia culpabilis, & mortalis.*

7 *Confeſſor excuſatur, ſi in confeſſione non ſe accuſet de omnibus peccatis ad hoc, vt non manifeſtetur pænitens.*

8 *Nimia ſollicitudo confeſſarij, multoties excuſat pænitentem ab integra confeſſione, & ſimiliter impotentia linguæ, vel imperitia loquelæ.*

9 *Infirmus contagioſus, ſufficit, vt dicat aliqua tantum peccata, & deinde poterit confeſſarius illum abſoluere, ad euitandum periculum mortis.*

1 EX titulo huius capitis, ſupponitur, poſſe dari confeſsionẽ abſque expreſsione omnium peccatorum, vt iam diximus, ex aliqua cauſa, vt infra; & hanc vocari, confeſsionem formalem, quatenus in ea adſit, ſeu conficiatur legitimè Sacramentum; & idem eſt, ac quærere, quænam ſint cauſæ excuſantes pœnitentem, ne integrè omnia peccata exponat in confeſſione? Et inter alias cauſas, numerari ſolet à Doctoribus, inſtans mortis periculum, ob quod dubitatur, an ſit excuſatus pænitens, ſi non omnia peccata explicet in confeſsione? Et affirmatiuè communiter Doctores reſpondent, quando verè alia peccata explicari non poſſet; Eſt tamen notandum in tali caſu, ſemper eſſe priùs dicendum materiam certam, & neceſſariã, ſcilicet, peccata mortalia; imò, & de mortalibus, meliùs erit dicere priùs grauiora, & ſi poſt datã abſolutionem, ceſſet periculum, ita vt poſsit pœnitens ſequi confeſsionem, tenetur alia peccata confiteri quouſque poteſt, & aliam abſolutionem accipere; & deinde ſi iterum ceſſet periculum, debet iterum alia, ſi quæ habet peccata, confiteri, & ſimiliter abſolutionem accipere, & ſic deinceps vſquequo totam integram confeſsionem, ſeu omnia peccata dixerit. Imò ſi pænitens ſit morti proximus, & nullum peccatum explicare poſſet; ſed tãtum ſignum peccaſſe, et deſiderium abſolutionis, abſolui poterit, & debet; Et ſi nec dicta ſigna poſſet oſtẽdere confeſſario; & tamen alij teſtificent pœnitentem vocaſſe confeſſarium, & oſtendiſſe voluntatẽ confitendi; debet etiam abſolui, conditione mente concepta, quæ ſemper in tali caſu intelligitur, ſcilicet, quantum poſſum, & ſi materia eſt ſufficiẽs, ita Suar. diſp. 23. ſect. 1. Filiuc. tract. 7. cap. 5. num. 119. & ſeqq. D. Antonin. 3. par. tit. 10. cap. 2. & alij communiter, imò etiam ſi non oſtenderit dicta ſigna adhuc poterit dari abſolutio dummodo non conſtet de contraria voluntate morientis, & talis moriens ſoleret more chriſtiano viuere: hanc ſententiam ſuſtinent multi recentiores relati à Diana de abſolut. morib. reſol. 8. ſed minus efficaciter probant; videtur tamen poſſe ſuaderi, vt probabilis in praxi (licèt eum mordicùs impugnet Card. de Lugo d. 17. de pœnit.) eo modo, quo illam probauit in ſuis manuſcriptis publicè dictatis Ferrariæ P. Franciſcus Pellizzarius è Soc. Ieſu, nimirum tum ex doctrina, quam tradit P. Auguſt. tom. 6. lib. 1. de adult. coniug. cap. 26. 27. & 28. tum ex eo, quod docet Sanchez lib. 2. de matrim. diſt. 40. num. 7. videlicet imminente damno notabili proximi licitum eſſe, omiſſa ferè certa opinione eam ſequi, quæ ſpeciem aliquam probabilitatis habeat: quæ doctrina vtique procedit in noſtro caſu; cum xe vna parte agatur de ſpirituali ſalute proximi, & ex alia parte negari non poſsit, quin hæc noſtra opinio, cum ſit plurium Doctorum recentiorum, & practicetur à viris valdè doctis, ac timora-

moratis, ſpeciem aliquam probabilitatis habeat.

2. Deinde quęritur, vtrum ad euitandum graue damnum proprium, vel alienũ, poſsit quis aliquod peccatum non propalare in confeſsione? & reſpondetur affirmatiuè, vt omnes Theologi tenent cum D.Thom.in 4.d.17.q.3.art.3.quæſtiunc.4. ad 5.& ratio eſt, quia pręcepta poſitiua nõ obligant cum tanto rigore; Vnde Bernar. lib.de præcept.& diſpenſ.ait. *Quod propter charitatem introductum eſt, contra eãdem charitatem exerceri non debet*; Vnde ſi pęnitens putet aliquod graue damnum ſibi, confeſſario, vel alteri euenturum, debet tacere tale peccatum; ſed alia peccata confiteri, ſi aderit neceſsitas, vt infra, nec poſsit confeſsio differri, & dummodo alia peccata ſint mortalia, quia aliter, nullo modo teneretur confiteri; & vt ait D.Thom. pęnitens tunc ſe gerere debet, ac ſi non haberet copiam confeſſoris; & addit, meliùs fore tunc confiteri laico, quam tali Sacerdoti; ſentit igitur ſanctus Doctor, nullo modo eſſe talem confeſsionem faciendam cũ tali damno. Sequitur hanc doctrinam Sot.d.18. q.2. art.5.ad 3. P.Sot.lect.10.de confeſs. & alij omnes, quæ doctrina intelligitur, quando confeſsio differri non poſſit, nec alius adeſſet confeſſor; vt in caſu mortis, vel ratione annualis confeſsionis ad adimplendum præceptum; Neceſsitas communicandi, vel faciendi ſacrum, quando tamen abſque ſcandalo omitti nõ poſſet; & quodlibet aliud incõmodum, quod quis timeret, niſi tali modo confiteretur. Item ſi confeſſio eſſet ad longum tempus differenda, & ex alia parte pęnitens priuaretur magna vtilitate, quam percipit ex Sacramento, poſſet etiam cõfiteri tali modo; vt ſumitur ex Soto; qui etiam addit, quando talis caſus occurrit, teneri ſtatim pęnitentem, dictum peccatum nõ confeſſum, confiteri; ſed hoc non puto verum, nec vllum adeſt certum fundamentum; vt infra fuſiùs dicemus; & in lib.1. de reſtit. iam diximus.

3. Sed dubium eſt, vtrũ ratione ignorantiæ, vel obliuionis excuſetur pęnitens, ſi nõ dicat omnia peccata in confeſsione? Reſpondetur affirmatiuè; nam pueri, & rudes, quia neſciunt multoties grauitatem peccati, vel quia putant in confeſsione nõ eſſe ſub præcepto diuino omnia peccata aperienda; multa peccata relinquunt, & quando verè non adeſt culpabilis malitia, non eſt confeſsio iteranda; et idem eſt dicendum, quãto quis poſt factum debitum examen, moraliter loquendo, obliuiſcitur alicuius peccati, vel plurium, aut non illi in mentem venerunt, & ideò illud, vel illa tacet in confeſſione, tunc talis cõfeſſio cenſenda eſt formaliter integra, & non eſt repetenda. Sufficit enim, vt confeſſio fiat de illis peccatis, quorum pœnitens, memoriam habet, vt loquitur Concil. Florẽt. vel vt Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap.5. *Quorum poſt diligentem diſcuſſionem conſcientiam habet, & memoria occurrunt*, Suar. diſp.23. ſect. 3. Nauar. cap.9. num.12. Bonac. diſp.5. q.5. ſect.2. pun.2. §.3. difficul.4. nu.2.& 3.& alij communiter.

4. Quæritur etiam, vtrum ratione caſus reſeruati, pœnitens poſſit cõfeſsionem non integram facere? Reſpondetur negatiuè, licet, aliquãdo poſsit confeſsor abſoluere à non reſeruatis, & mittere pœnitentem ad habentẽ auctoritatem pro reſeruatis, debet tamen pænitens omnia peccata tam reſeruata, quam non reſeruata confeſſori explicare, & confeſſarius debet ab omnibus abſoluere; ſcilicet, directè à non reſeruatis, indirectè autem à reſeruatis. Dixi aliquando, quia abſque rationabili cauſa non debet cõfeſſor pœnitentem abſoluere, niſi priùs accipiat auctoritatem abſoluendi à reſeruatis; vt intra agẽdo de caſibus reſeruatis meliùs dicetur. Ait autem Gerſon. alfabet.4. lit.S. ſe non condẽnaturum pęnitẽtem, qui tantũ vellet confiteri illa peccata, à quibus abſolui poteſt tantum, & non alia, quod re vera, non video eſſe improbabile, licet, hanc opinionem non conſulerem ob contrariam, quæ communis eſt, vt infra cap.51. num.10.

5. Vtrum autẽ, ne manifeſtetur complex, poſsit quis tacere peccatum in confeſsionẽ? de hoc, licet, iterum redibit ſermo. Pro nunc tamen dico, ſi pœnitens dubitet, ſeu putet aliquod damnum futurum dicto complici, non debet, nec tenetur tale peccatum aperire; ſi non timeat, niſi noti-

tiam

Digitized by Google

ſtiam quamdam ſub tali ſigillo, tunc tenetur illud confiteri, quia nulla datur legitima cauſa dimidiandi confeſsionem; ſi tamen poſſet, deberet alteri confeſſario confiteri, qui non poſſet cognoſcere dictum complicem; vt Filiuc.tract.7. cap.5.num. 128.Bonac.diſp.5. q.5.ſect.2.pun.2.§.3.d. 4.n.5. §.An verò, vbi plures affert;ſed nos fuſius infra cap.53.

6. Quæſtio autem eſt; vtrum confeſſio poſsit eſſe integra formaliter, ſi ob ignorantiam, ſeu negligentiam mortaliter culpabilem, confeſsio non fuerit integra materialiter? ſcilicet, vtrum confeſsio non integra ex culpa mortali, poſsit eſſe valida quoad Sacramentum; ſed non quoad gratiam? ita vt poſsit vocari confeſsio informis? Reſpōdeo; iam ſupra dictum eſt, confeſsionem poſſe eſſe informem ex defectu doloris; ſed ad præſens, non intelligo, quomodo poſsit confici Sacramentum cum actuali peccato commiſſo in tali Sacramento? & maximè cum de eſſentia huius Sacramenti ſit, vt confeſsio ſit integra ſaltem formaliter; ſunt tamen aliqui Doctores, qui aſſerunt talem confeſsionem informem dari poſſe, ſed eorū fundamentum, nullam video habere firmitatē; ideò cū communi ſententia, dico, dictam cōfeſſionem informem, nullo modo dari poſſe, quia qui non adhibet debitum examen ante confeſsionem, vt diximus, & ſit adeò negligens, vt mortaliter peccet ob non integram confeſsionem factam ex culpabili negligentia; omninò ſacrilegium committit, ob Sacramentum non ritè factum; vt fuſiùs probat Suar. diſp.23.ſect.4. Nauar. cap.9. num.16. P.Sot. lect.10. de pœnit.& alij,& ſumitur ex Concil.Trid.ſeſſ.14.cap. 5. vt ſupra notauimus de examine cōſcientiæ ante confeſsionem.

7. Dubium etiam eſt, vtrum cōfeſſor qui in confeſsione commiſit aliquod peccatum mortale, quod non poteſt explicare, niſi notificet peccatum pœnitētis, poſſit in confeſsione illud tacere? Reſpondeo in tali caſu, ſi dictus confeſſor non habeat copiam confeſſarij ignorantis perſonam pœnitentis; teneri omninò dictum peccatum non propalare in confeſsione; & ratio eſt, quia ſigillum confeſsionis ſub quocunque prætextu frangi non poteſt, ita Henriquez lib.2. cap.12. comment.lit.T. Bonac.loco ſupra cit.dicto num.5. Reginal.lib.6.num. 162.& alij communiter.

8. Excuſatur etiam ab integrali confeſsione materiali pœnitentis, quia confeſſarius ob nimiam ſollicitudinem abſoluit antequam omnia peccata proferat; Item mutus, qui non niſi ſignis poteſt ſua peccata propalare, tunc enim confeſsio erit formaliter integra; & ſic etiam dicitur de extraneo neſciente loqui idiomate confeſſarij, tunc enim, ſi neceſsitas exigat, poterit illum cōfeſſarius abſoluere ex ſignis contritionis,&c. Henriq. loco cit.num.3. Reginal. ibidem num. 155. &alij, excuſatur etiam fœmina, ſi temeat ne ſollicitetur à confeſſario, ſi aliqua peccata manifeſtet dummodo non habeat copiā alterius confeſſarij, & dummodo teneatur confiteri, vel ratione præcepti, vel ratione ſcandali vitandi, Henriq.num.6. Nauar.cap.7.nu.3. Bonac.num.12.quod intellige de verò, & probabili periculo, & non de qualibet ſuſpicione, vt notat Reginald. loco citato num.157.

9. Item, ſi pœnitens infirmus laboret morbo contagioſo, & reperiatur in periculo mortis, poterit confeſſarius morari quantum poteſt abſque periculo ſuæ vitæ in audiendo peccata, & poſtea abſolutionem dare, etiam ſi confeſsio completa non fuerit, Vaſquez q.91. art.2. dub.2. num.2.& alij.

De Miniſtro confeſſionis, tam reſpectu ordinis, quā reſpectu iuriſdictionis, & delegationis. Caput XLVIIII.

1 *Sacerdos eſt neceſſarius miniſter Sacramenti pænitentiæ, nec in hoc aliquis diſpenſare poteſt.*

2 *In Sacramento pænitentiæ eſt omninò neceſſaria poteſtas iuriſdictionis: quam nō habent Prælati regulares reſpectu ſecularium.*

3 *Supremam poteſtatem iuriſdictionis in primo*

mo loco habet Summus Pontifex ex iure diuino.

4 *Epiſcopi habent etiam hanc poteſtatem reſpectu Epiſcopatus tantum ex iure humano.*

5 *Parochi habent hanc poteſtatem reſpectu Parochiæ ex iure humano, & alij Superiores Religionum.*

6 *Talis poteſtas poteſt exerceri extra Parochiam cum ſubditis proprijs.*

7 *Habentes plura domicilia, vel quaſi domicilium in alia Parochia, poteſt confiteri Parocho in cuius Parochia reperitur.*

8 *Proprius Sacerdos reſpectu Parochi, eſt Epiſcopus, reſpectu Epiſcopi, & Cardinaliũ eſt Summus Pontifex.*

9 *Excipiuntur ab ordinario iure, familia Summi Pontificis, Cardinaliũ, & alij.*

10 *Talis iuriſdictio delegari poteſt, & eſt de fide.*

11 *Illi poſſunt iuriſdictionem delegare; quos illam ordinariam habere diximus.*

12 *Regulares poſſunt audire confeſſiones fidelium, abſque alia obligatione confitendi Parocho.*

13 *Delegatio poteſt aliquando durare, etiam poſt mortem delegantis.*

14 *Quilibet Sacerdos habet iuriſdictionẽ abſoluendi in articulo mortis.*

15 *Quilibet Sacerdos poteſt abſoluere à venialibus, & mortalibus aliàs confeſſis, non autem ab oblitis in confeſſione.*

16 *Delegatio poteſt fieri dando facultatem pœnitenti, vt poſſit ſibi eligere confeſſorem.*

17 *Tribus modis poteſt eſſe conceſſa talis facultas pœnitenti; ſcilicet, à iure, à conſuetudine, & ab homine.*

18 *Superiores habentes iuriſdictionem in foro externo, poſſunt ſibi eligere confeſſorem.*

19 *Ex conſuetudine abſolutè loquendo, nullus poteſt habere facultatem eligendi ſibi confeſſorem.*

20 *In delegatione nõ comprehenduntur caſus ſpecificè reſeruati Prælato, niſi id explicetur.*

21 *Facultas interpretatiua; vel præſumpta, non poteſt tribuere facultatem eligendi confeſſorem.*

1 CErtum, & de fide eſt ſolũ Sacerdotem eſſe verum miniſtrum confeſſionis, vt patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 9. & 10. & ex Concil. Cauilonenſi 2. cap. 33. & habetur in cap. quidem dicunt de pœnit. d. 1. & ex Concil. Cõſtantienſi ſeſſ. 8. & 15. vbi quidam errores hæreticorum circa hoc fuerunt damnati; ſumitur hæc concluſio ex verbis Chriſti. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis;* Vnde Fabian. Papa Epiſt. 2. decret. col. 4. ad finem, ait: *Qui mortaliter peccat, in barathrum delabi; Niſi ei Sacerdotali dignitate ſubuẽtum fuerit;* & D. Ambroſ. lib. 2. de pœnit. cap. 2. in fine. *Conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis, quod ab Apoſtolis ad Sacerdotes tranſmiſſum eſt;* Imò, etiam ſi Sacerdos in ſe malus fuerit, adhuc eſt ſufficiens miniſter confeſſionis, cum bonitas Sacerdos non neceſſariò requiratur ad Sacramentum, neq; ad percipiendum fructum eius; & addo, quod Sacerdos eſt ita neceſſarius miniſter confeſſionis, vt nec vllam diſpenſationem, nec ob quamcunque neceſſitatem alius, præter ipſum, poſſit hoc Sacramentum adminiſtrare; Vnde, confeſſio facta laico, vel alio non Sacerdoti ex aliqua neceſſitate, & timore mortis, nec Sacramentalis eſt, nec neceſſaria; & iuxta Scot. d. 14. q. 4. non eſt conſulenda, quia homo ſe infamat abſque vlla cauſa, & idem ſentit Sot. d. 18. q. 4. art. 1.

2. Sed quæſtio eſt, vtrum tantum Sacerdos habens iuriſdictionem poſſit eſſe miniſter huius Sacramenti? Reſpondeo affirmatiuè; nam vt ſupra diximus, ad hoc ſacramentũ ritè miniſtrandum, requiritur ex parte miniſtri nõ ſolũ poteſtas ordinis; ſed etiam poteſtas iuriſdictionis, vt cõmuniter docent omnes Theologi cũ D. Tho. in 4. d. 17. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 4. & d. 19. q. 1. art. 3. Sot. d. 18. q. 4. art. 2. & d. 20. q. 1. art. 5. P. Sot. lect. 5. de confeſſione; & hoc apertè ſumitur ex verbis Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. vbi ſic dicitur. *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat. Nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem,* ex quo colligitur, valorẽ huius Sacramenti ex parte miniſtri pendere

dere

Digitized by Google

dere ex conceſsione, vel prohibitione Eccleſiæ; quod eſt ſingulare huic Sacramento; cõcluſio dicta intelligitur de confeſsione neceſſaria, ſcilicet, continente in ſe materiam neceſſariam, ſcilicet peccata mortalia nunquam confeſſa; nam reſpectu peccatorum venialium, vel mortalium alias nõ abſolutorum; poteſt quilibet Sacerdos eſſe verus miniſter; & ſimiliter in caſu extremæ neceſsitatis, etiam quilibet Sacerdos eſt verus miniſter; vt omnes Doctores aſſerunt. Vtrum autem Prælati regulares, vt Priores, Guardiani, &c. poſsint audire ſæcularium confeſsiones abſque licentia, & approbatione Ordinarij, & prout refert Diana 1. par. tract. 16. & miſcel. 2. reſol. 46. Affirmatiuè reſpondet Henriquez lib. de Indulgentijs cap. 22. num. 3. in Gloſſ. litera R. vbi citat Mancium, Gallum, Medinam, & Bannes. Idem docet Valerus in differentijs vtriuſque fori verb. nullitas different. 5. num. 3. & ratio horum Doctorum fundatur in verb. Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. vbi decernitur: *Nullũ Sacerdotem etiam regularem poſſe confeſſiones ſæcularium audire, niſi aut parochialẽ beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, &c.* In quibus verbis; niſi parochiale beneficium, aſſerunt comprehendi etiam dictos Priores, Guardianos, &c. eo, quod tale officium exerceant cum ſuis ſubditis. Tamen dictam opinionem nõ ſolum improbabilem reputo, ſed etiam periculoſam, cum Concilium loquatur tantummodo de habente beneficium Parochiale, quod non tribuitur, niſi per Epiſcopum, & non niſi per ſtrictum examen, ideò Concilium iudicauit ſuperfluũ eſſe aliud examẽ in dictis Parochis, & maximè cum in aliquibus Religionibus non benè ordinatis, nõ multum curetur de ſciẽtia in electione Prælatorum; & ſimiliter dicti Prælati nunquam in iure vocantur Parochi, quod pluribus rationibus probat Mãriquez in ſuis quæſtionibus moralibus q. 118. num. 3. & idem antea docuit Diana loco cit. ex Suar. 3. par. tom. 4. diſp. 28. ſect. 4. num. 21. & nouiſsimè hanc opinionem docet Io: de Lugo noſtris temporibus præclariſsimus Doctor de pœnit. diſp. 21. num. 9. & 10. ad quam doctrinam omninò confirmandam, ſufficere poterit vſus vniuerſalis Eccleſiæ.

3. Qui autẽ dicãtur miniſtri veri huius Sacramenti, ſcilicet, habentes poteſtatem tam ordinis, quam iuriſdictionis; ſeu miniſtri ordinarij? Reſpondeo ex verbis Cõcil. ſupra citatis, colligitur, neceſſariam eſſe iuriſdictionem propriam, vel delegatam; ad præſens autem loquimur de iuriſdictione propria. Vnde dico tres eſſe ordines miniſtrorũ habentiũ talem iuriſdictionẽ; & in primo, & ſupremo loco eſt Põtifex, qui hanc poteſtatem habet à Chriſto, licet, eligatur ab hominibus, vt in cap. in nomine Domini, declarat Nicolaus Papa d. 23. & prædicta iuriſdictio eſt omninò independens ab alijs; ſed omnes aliæ habent dependentiam ab ipſa; nec eſt limitata ad locum, vel perſonas; vt communiter ſunt aliæ iuriſdictiones.

4. In ſecundo ordine ſunt Epiſcopi in proprio Epiſcopatu; de quibus diſputãt Doctores, an habeant talem iuriſdictionẽ ex iure diuino, an ex iure humano? & aliqui aſſerunt illam habere ex iure diuino, & immediatè à Chriſto Domino; vt Maior. in 4. d. 17. q. 7. Pet. Sot. lect. 5. de confeſsione, & alij; tamen aliqua primò ſupponenda ſunt, vt ex illis vera reſolutio colligatur; primũ eſt, dignitatem Epiſcopalẽ à Chriſto fuiſſe inſtitutã, & iure diuino fuiſſe introductam in Eccleſia: vt ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. can. 6. & 7. ſecundum eſt, nullam iuriſdictionem ſpiritualẽ pertinentem præcipuè ad forum pœnitentiale, eſſe neceſſariò coniunctam cum dignitate, & ordine Epiſcopali, ſcilicet, vi conſecrationis tantum. Tertium eſt, iuriſdictionem Epiſcopalem, vt ordinariam, & ex officio ſaltem in cõmuni, eſſe à Chriſto Domino inſtitutam, vt ſumitur ex verbis Innocentij III. in cap. 2. extra de Tranſlatione Epiſcoporum; & idem ſtatuit Pius I. epiſt. 1. & ita loquũtur multi Patres; & ſatis id declarat D. Th. opuſc. 19. cap. 4. Quartũ eſt, talẽ iuriſdictionem eſſe actu cõiunctam cũ munere Epiſcopali; ex iure diuino poſitiuo habente aliquod fundamentum in iure naturali, ratione tamẽ officij, ad quod præficitur; Vnde eo ipſo, quod quis conſtituitur Epiſcopus, habet de intrinſeca ratione ſui officij, iuriſdictionẽ ſuper omnes

animas ſui Epiſcopatus. Quintũ eſt; omnes Epiſcopos habere hoc munus à Sum. Pontifice, ſeù depẽdenter ab illo; quia omnes recipiunt hanc dignitatem ab illo, vt ſumitur ex cap. quoties 24. q. 1. & apertè id docet Leo Papa Epiſt. 87. & aliàs 89. & habetur in cap. Ita Dominus d. 19. & à Summo Pontifice dependent tam in diuiſione Diœceſum, quam in extenſione, vel limitatione eorum iuriſdictionis. Ex quibus omnibus concludendum eſt; hanc iuriſdictionem non dari immediatè à Chriſto Epiſcopis, ſed à Summo Pontifice, & ideò Epiſcopos illam non habere ex iure diuino, ſed humano, & ratio eſt, quia vt diximus, talis iuriſdictio non competit Epiſcopis vi conſecrationis; ſed ratione officij, quod tribuitur à Pontifice; quod docet D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 3. & in 4. diſt. 19. q. 1. art. 3. & diſt. 20. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. Caiet to. 1. opuſcul. trac. 1. cap. 2. Couarr. in regul. peccatum 2. p. §. 9. nu. 6. & ſeqq. vbi plures affert; & alij plures, quos ſequitur Suar. diſp. 26. ſect. 1.

5. In tertio Ordine ſunt Parochi in propria Parochia ex communi doctrina Theologorum diſ. 17. & colligitur ex communi vſu, & ſenſu Eccleſiæ, & cap. omnis vtriuſque ſexus, vbi proprius Sacerdos, dicitur parochus, & de tali proprio Sacerdote ſupponitur, poſſe ſuã iuriſdictionem alijs cõmittere; quod pertinet ad officium iudicis ordinarij, licet, ad præſens per Cõcilium Tridentinum, talis facultas fuerit Parochis interdicta in hoc foro pœnitentiali, cum nullus poſſit confiteri, niſi Sacerdoti ab Epiſcopo approbato; vt infra meliùs dicetur. Reducuntur etiam ad hunc ordinem Archipresbyteri; quia ſunt quaſi primarij Parochi; & olim erant quaſi Vicarij Epiſcoporum in eorum abſentia, vt colligitur ex cap. 3. de offic. Archipresbyteri; Reducuntur deinde Superiores immediati Religionum, & omnes alij, quibus ex iure aliquo, vel ex priuilegio ſpeciali commiſſa eſt cura animarum.

6. Duo tamen ſunt hic notanda, primum eſt, talem iuriſdictionem dicere ordinem non ad confinia Diœceſis, ſeù Parochiæ; ſed ad perſonas talis Diœceſis, vel parochiæ reſpectiuè; ita vt Epiſcopus, vel Parochus benè poſſit abſoluere ſuum ſubditum extra Diœceſim, vel parochiam, & illi licentiam dare eligendi confeſſorem vbicunque extiterit; vt Sot. 4. diſt. 18. q. 4. art. 3. §. Aliud verò dubium; Vittoria in ſumma num. 151. & licet, Syluester hoc concedat habentibus iuriſdictionem ordinariam, non autem illis, qui habent tantum iuriſdictionem delegatam ver. Confeſſor 1. q. 14. tamen eadem eſt ratio, & reſpectu omnium dicta doctrina vera eſt, & ita loquuntur dicti Doctores, & alij, quod intellige, dummodo non adſit mutatio domicilij; tunc enim eximitur quis à propria parochia, & fit alterius. Secundũ eſt, quod ratione delicti, nõ acquiritur ius ad talem Epiſcopatum, vel parochiam; ſicut eſt in iudicio externo. Vnde licet, quis peccet in aliena parochia, vel alieno Epiſcopatu, nan ideò tenetur in eadem parochia, vel Epiſcopatu confiteri; aliter confeſſio non poſſet eſſe integra, quia peccata committuntur in diuerſis locis, & ſi nõ poſſent abſolui, niſi in proprijs locis vbi cõmittũtur; confeſſio eſſet dimidianda in partes, idem Sylueſ. loc. cit. q. 13. Nauarr. in cap. Placuit de pœnit. diſt. 6. num. 33. & cõſtat ex communi vſu Eccleſiæ.

7. Eſt etiam hic notandum, quod, ſi aliquis habeat plura domicilia in diuerſis Eccleſijs, in quibus habitat per diſtincta anni tempora, poſſit confiteri illi Parocho, vbi actualiter moratur iuxta D. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 4. vel etiam cui voluerit ex duobus Parochis, vbi habet domicilia, vt vult. Nauarra in cap. placuit de pœnit. nu. 77. licet, teneatur certum facere alium Parochum vbi actualiter habitat, in caſu, quo confiteatur Parocho domicilij, in quo actualiter non habitat. Quãdo autem quis in vno loco habet domicilium, & in alio quaſi domicilium, eo quod ibi habitet per aliquam anni partem, vt ſunt Scholares, Litigantes, Mercatores, & ſimiles: debet confiteri Parocho loci vbi habitat actualiter, cum tali Parochiæ pro dicto tempore ſubijciatur: vt idem Nauarr. cum alijs in dicto cap. Placuit. Illi verò, qui nullum habẽt domicilium; ſed ſemper vagantur, ſubijciuntur illis parochijs, vbi actualiter reperiuntur, vt Sot. diſt. 18. q. 4.

art.

art. 4. Medina C. de confeſſ. q. 35. & alij, Caiet. verò verb. abſolutio 2. & D. Anton. putant hos nullum habere proprium Sacerdotem, & ideò liberum eis eſſe confiteri, cui voluerint, & idē docet Nauarr. loc. cit. num. 79. Peregrini etiam, & iter agentes, qui habent proprium domiciliū, quando tamen reperiuntur in alienis Eccleſijs, poſſunt confiteri parocho loci, in quo reperiuntur; vt Sot. loc. cit. Syluef. ver. confeſſio 1. q. 11. & alij. Quid verò dicendum ſit de fidelibus exiſtentibus apud infideles nec habentibus, niſi ſimplicē Sacerdotem fidelem? Reſpōdeo dictos fideles debere, imò, & teneri confiteri dicto ſimplici Sacerdoti in omni periculo mortis ex iure diuino, quia, tunc reputantur, ac ſi eſsent in extrema neceſſitate, in qua quilibet Sacerdos habet iuriſdictionem, ſecluſo periculo tamen mortis, puto non poſse confiteri, & ex conſequenti dicēdum eſt, dictos fideles nec teneri ad annualem confeſſionē, & ſi Sacerdos inde eſset diſceſsurus, poſsent fideles ei confiteri etiam ſecluſo periculo mortis, quia etiam reputantur, ac ſi eſſent in extrema neceſſitate, ſi poſtea non ſint habituri alium Sacerdotem, imò, & tenentur, quia quilibet tenetur preuenire confeſſionem, quando dubitat nō eſse habiturū Sacerdotē, vt ex cōmuni docet Nauar. c. 2. n. 10. & Beia p. 3. caſu 2. §. tum quia.

8. Quis autem dicatur proprius Sacerdos reſpectu Parochi, Epiſcopi, &c.? Reſpondeo reſpectu Parochi, eſſe Epiſcopum eius immediatum Superiorem; reſpectu Epiſcopi, eſſe Sūmum Pontificē cum ipſe tantum ſit Epiſcoporum immediatus Superior; vnde non benè dixiſſe videtur Sylueſt. ver. Confeſſor 1. q. 2. dum aſſeruit proprium Sacerdotem Epiſcoporum eſſe Archiepiſcopum, Archiepiſcoporum verò Patriarchas, horum verò Pontificem; nam hoc nullo iure fundatur, vt benè ponderat Sot. diſt. 18. q. 4. art. 2. imò Archiepiſcopi nullam iuriſdictionem habēt in hoc foro in Diœceſibus Suffraganeorū; & multò minùs in ipſos Epiſcopos. Cardinales etiam habent Summum Pontificem pro proprio Sacerdote, cum ſit immediatus eorum Superior; vt Syluef. loc. cit.

9. Excipiuntur autem ab hoc ordinario iure, familia Pontificis, cuius proprius Sacerdos eſt ipſe Pontifex, vel eius Summus Pœnitentiarius, aut alius, quem Pontifex voluerit, quod intellige de familia Romæ reſidente; Excipiuntur etiam familiæ Cardinalium, quia ipſi Cardinales dicuntur proprij Sacerdotes eorum familiæ, quod munus poſſunt per ſe ipſos, vel per alios, quib. hoc voluerint cōmittere, exercere, quod neceſſariò eſt faciēdum, quando ipſi Cardinales non ſunt Sacerdotes; de familia autem Epiſcopi nō eſt idem dicendum, ſed ſubijcitur propriæ parochiæ niſi (vt notat Sot.) Epiſcopus voluerit illam eximere à proprijs Parochis, licet ordinariè hoc non fiat. Excipiuntur etiam Decani Eccleſiarum, & Archidiaconi, quia hi ſubijciuntur immediatè Epiſcopo tantum, vt Syluef. loc. cit. & alij, licet, in hoc conſuetudo, & particularia priuilegia ſeruanda ſint; Sacerdotes autem non excipiuntur, vt quidam volebant, quia hoc nullo iure conſtat, nec conſuetudine; puto tamen conſuetudinem ſolummodo eſſe; vt Sacerdotes cōtinuè inſeruientes alicui parochiæ, poſse ibidem ſe confiteri in ſatisfactionē annualis confeſſionis, licet, in alia parochia habeant domicilium, hoc enim rationabile eſſet; & poſſet præſupponi tam voluntas Epiſcopi, quam Parochi. Item excipiuntur Religioſi, qui proprio reguntur ſtatuto, & habēt proprios paſtores; & idem dicitur de monialibus exēptibus, & ſi non fuerint exemptæ, earum proprius Superior erit Epiſcopus, & eius Vicarius erit proprius ipſarum Sacerdos. Denique excipiuntur Reges, & Principes ſupremi, iuxta eorum priuilegia, & conſuetudines; quę legitimè cēsēdæ sūt, & iure illas fuiſſe introductas, licet, de iure non ſint exēpti.

10. Quoad miniſtrum ex Delegatione, priùs ſupponendum eſt, iuriſdictionem in hoc foro pœnitētiali, delegari poſſe, & eſt de fide certum ex ſupra citatis Concilijs, & patet ex cap. Aqua de conſecrat. Eccleſiæ, vel Altaris, ex quo colligitur, omnia, quæ ſunt de iuriſdictione, poſſe delegari, quæ delegatio duobus modis fieri poteſt, vel directè tribuendo alteri Sacerdoti facultatem abſoluēdi, vel quodammodo indirectè; ſcilicet tribuēdo fa-

cultatem pœnitenti eligendi ſibi Confeſſarium; & vt ordinatim procedamus, dicemus primò de delegatione directa; deinde de indirecta, ſed notandum eſt, delegationem dupliciter concedi poſſe, vel vt delegatus iuriſdictionem per ſe exerceat, vel vt alijs diſtribuat, hanc ſecundam habent Vicarij Epiſcoporum; licet, potiùs eorum auctoritas ordinaria, quam delegata cenſeri poſſit, & poſſunt illam habere omnes alij, quibus illam Epiſcopus commiſerit; imò hæc facultas non per ipſum delegatũ exercenda, poteſt committi etiam non Sacerdotibus: Vnde Vicarij Epiſcoporum aliquando ſunt non Sacerdotes; & talem facultatem habent; quando autem iuriſdictio, ſeù delegatio eſt exercenda per delegatum, tunc neceſſariò committenda eſt Sacerdoti, cum eſſentialiter requiratur poteſtas ordinis ad miniſterium huius ſacramenti, nec tunc delegatus poteſt alteri ſubdelegare ex cap. vlt. §. vt de offic. deleg.

11. Qui autem poſſint iuriſdictionem delegare? Reſpondeo poſſe omnes illos, quos ordinariam iuriſdictionem habere diximus ex cap. inter cetera de offic. ordin. vt Pontifex, Epiſcopus, & Parochus; ſcilicet Pontifex poteſt in tota Eccleſia; Epiſcopus in propria Diœceſi, Parochus in propria parochia, quod intellige cum debita proportione, nam Epiſcopus non poteſt delegare ſuper caſus Pontifici reſeruatos; nec ſimiliter Parochus ſuper caſus Epiſcopo reſeruatos; quia, quod non poſſunt per ſe, nec poſſunt per alios, & notandum, quod in delegando hanc poteſtatem, nulla forma requiritur; ſed tantum expreſſio voluntatis delegantis; Dubium tamen eſt inter Doctores, an ratihabitio ſufficiat ad exercendam delegationem? & relicta opinione Palud. in 4. d. 19. & ibi Capreol. ad 1. contra 3. concluſionem, aſſerentiũ abſolutè affirmatiuè eſſe reſpondendum; diſtinguendum eſſe puto cum Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 3. aut dicta ratihabitio eſt in ſpe de futuro, aut eſt de præſenti; ſi ratihabitio fuerit de futuro, delegatio præſumpta inualida erit; at ſi ratihabitio fuerit de præſenti, talis delegatio, ſeu vſus dictę delegationis validus erit; hanc opinionem ſequitur Sylu. verb. confeſs. q. 6. Nauar. cap. 9. nu. 6. & in cap. placuit de pœnit. d. 6. num. 103. Ledeſm. 2. 2. par. 4. q. 22. art. 1. Sed re vera, nec hæc opinio videtur tuta, quia Sacramentum non poteſt dependere à futuro euentu, nec in praxi videmus aliquem ſuperiorem velle, vt quis vtatur ſua iuriſdictione abſque debita licentia; nec ad hoc facit id, quod dicitur in regula 10. de regulis iuris in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari*; nam talis ratihabitio impropriè dicitur in caſu noſtro; quia propria ratihabitio, reſpicit præteritum, & ideò retrotrahitur; at in hoc foro pœnitentiali, neceſſe eſt, vt de præſenti ſit ſpecificata delegatio, quia non agitur de re, quæ in futuro validari poteſt; Et ideò vera opinio eſt, delegationem omninò dandam eſſe ab habente auctoritatem; antequam exerceatur; ita docet Suar. diſp. 26. ſect. 1. num. 13. & ſeqq. Filiuc. tract. 7. cap. 8. num. 208. D. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 4. caſ. 8. Hériq. quolib. 1. q. 31. & 32. & alij ab his citatis.

12. Vtrum autem regulares priuilegiati poſſint abſoluere fideles, ita vt non teneantur confiteri Parocho tempore Paſchali? Reſpondetur affirmatiuè; vt patet ex Extrauag. Ioan. 22. Vas electionis de hæret. ex alia Benedicti XI. Inter cunctas de priuileg. & ratio eſt: *Ne* (vt inquiũt dicti Pontifices) *ſequatur abſurdum, vt peccata ſemel remiſſa, aliquis confiteri teneatur, & liberatus debitor, iterũ ſoluere cogatur.* Eſt communis Doctorum doctrina; & conſtat ex communi vſu Eccleſiæ. Vnde regulares in hoc foro non dicũtur delegati, cum habeãt quamdam ſimplicem iuriſdictionem ſuper omnes fideles, vndequaque ad eos recurrentes in hoc foro pœnitẽtiali, quod non habent Parochi.

13. Quãtum autem duret delegatio? Reſpondeo durare vſque ad terminũ pręfixum à delegante, vt conſtat ex toto tit. de offic. delegat. niſi per ipſum, vel alium ſuperiorem maiorem fuerit ſublata; Et ſi abſque vllo termino fuerit conceſſa, durabit vſq; ad mortẽ dicti delegantis, quia nobis mortuis, moriuntur omnia, quæ in nobis ſunt; & idem eſt dicendum, ſi talis de-

Digitized by Google

delegatus mutaretur, vel ſuſpenderetur; quod intellige generaliter loquẽdo. Vtrũ autem delegatio poſſit fieri, ita vt duret poſt mortem delegantis? Reſpondeo affirmatiuè reſpectu Summi Pontificis; & licet, ex cap. Relatum, & ex cap. Licet, etiam delegatio facta à Põtifice expiret per eius mortem, cauſa non inchoata; tamen id intelligitur in foro contentioſo, & non in foro pęnitentiali, nec in negotijs fidei; ideò, cõceſſum eſt Inquiſitoribus, vt iuriſdictio eis delegata non expiret mortuo Pontifice cap. ne aliqui de hæret. in 6. Et quamuis de delegatione reſpectu huius Sacramenti, nullus adſit textus id explicãs; Certum tamen eſt, Põtificem poſſe illam concedere, vt duret etiam poſt eius mortem vſque ad reuocationem; & colligitur ex cap. ſi ſuper gratia de offic. delegat. in 6. & ex cap. ſi cui de præbend. in 6. vbi, dicitur *Pontificem poſſe concedere gratiam, quæ duret etiam poſt eius mortem*; igitur poterit etiam hanc delegationem concedere in hoc foro pęnitẽtiali, quæ per modum gratiæ conceditur; Vtrum autem idem dicendum ſit de Epiſcopis? negatiuè reſpondet Sylu. verb. confeſs. 1. q. 9. & D. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 9. & rationem ſumũt ex cit. cap. Relatum, ideò aſſerunt, confeſſorem, mortuo Epiſcopo, neminem poſſe abſoluere, niſi illum, cuius confeſsionem audiuit ſecundum partem, vel totam, ante mortem Epiſcopi, tunc enim intelligitur cauſa incepta, quæ finiri, & terminari poteſt etiam poſt mortem delegantis; ſed dicendum, etiam mortuo Epiſcopo, poſſe delegatum exercere ſuam delegationem in hoc foro pęnitentiali; quia talis facultas cõceditur per modum gratiæ, & patet ex vſu communi Eccleſiæ; nam mortuo Epiſcopo, non ideò confeſſores ceſſant à miniſterio confeſſionis, donec eis per Capitulum, vel ſucceſſorem reuocetur, Suar. diſp. 26. ſect. 3. num. 7. & ſeqq. Filiuc. tract. 7. cap. 8. num. 216. ex Nauar. in cap. Placuit de pœnit. d. 6. num. 161. licet, ibi loquatur de facultate data pęnitenti ad eligendum confeſſorem, ſed eſt eadem ratio. Quæ rationes poſſunt etiam accommodari in delegatione facta à Parocho, quando aliquem aſſumit in ſuum Vicarium, ſeu Coadiutorẽ abſque approbatione, & confirmatione Epiſcopi; nam quãdo adeſt talis approbatio, tunc etiam mortuo Parocho, manet delegatio. Sed quia hæc pendẽt à voluntate Epiſcopi; ideò conſuetudo conſulenda eſt, vt ijdem Doctores.

14 Sed quæritur, vtrum omnis Sacerdos habeat iuriſdictionem in articulo mortis? & affirmatiuè reſpondendum eſt; vt conſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. & ex multis alijs Decretis, & ita docent omnes Doctores cum D. Thom. in 4. d. 19. q. 1 art. 3. quæſtiunc. 1. Sed eſt hic aduertẽdum aliquos Doctores diſtinctionem ponere inter articulum mortis, & periculum mortis; & articulum mortis vocant illum, in quo verè mors proximè inſtat, & moraliter eſt certa; Periculum mortis vocant illud, in quo adeſt probabile periculum mortis, quia frequenter mors in tali periculo accidere ſolet; vt in longa nauigatione, bello, & partu; & in articulo mortis aſſerunt, licitum eſſe cuilibet Sacerdoti abſoluere, non autem in periculo mortis; quæ doctrina in re eſt vera, & nullus ab illa eſſentialiter diſcedit; quia licet, dicant licitum eſſe Sacerdoti in periculo mortis abſoluere; tamen intelligunt de periculo, quod idem ſit, ac articulus mortis; & ita loquitur Nauar. cap. 26. num. 31. & cap. 27. num. 271. Sylu. verb. confeſſor 1. q. 6. Medina C. de confeſs. q. 16. & alij multi; ſed iuxta primam diſtinctionem loquitur Sot. d. 18. q. 4. art. 4. Couar. in cap. Alma mater par. 1. §. 11. num. 8. & alij. In iure autem talis articulus mortis, modo dicitur articulus mortis, modo periculum mortis. Nam in cap. ſi quis ſuadente 17. q. 4. ponitur reſeruatio; Excipitur autem periculum mortis, & in cap. Non dubium de ſent. excommunic. fit caſus exceptio, quia dicitur eſſe in articulo mortis. Vnde, licet, aliquando Doctores dicant quemlibet Sacerdotem poſſe abſoluere in periculo mortis; non malè loquuntur; ſed intelligendus eſt caſus, in quo verè mors proximè inſtat, & eſt moraliter certa; & non de omni periculo mortis; & ita communiter omnes ſentiunt, quod intellige, quando non adeſt alius, qui ex officio id poſsit, & velit exequi; & vtrum hoc conueniat cuilibet,

libet Sacerdoti, quamuis ſuſpenſo, vel excommunicato, aut hæretico? affirmatiuè reſpondendum eſt; & ſumitur ex Concil. Trid. dicta ſeſſ. 14. cap. 7. vbi tres diſtributiones ſunt notādæ, ſcilicet, quilibet pœnitens, à quibus vis peccatis, à quocunque Sacerdote. Vnde, & abſque vlla limitatione, poterit quis in tali caſu abſolui; ſed vtrum hoc conueniat cuilibet Sacerdoti ex iure diuino, an ex iure humano? Licet, aliqui dicant conuenire ex iure diuino; tamen, vt ſumitur ex verbis dicti Concilij; hoc conuenit tantum ex iure humano, nam ibi dicitur. Ne aliquis periret, cuſtoditum ſemper in Eccleſia fuit. Vnde talis traditio ortum habuit ex Eccleſia, & ad ſummum ex Apoſtolis; & hanc opinionem docet D. Thom. d. 19. q. 1. art. 3. & d. 20. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. Sot. d. 18. q. 4. art. 4. Pet. Sot. lect. 5. de confeſsione, Couar. qui multos refert in cap. Alma mater, §. 6. nu. 8. par. 1. & alij multi.

15. Quæritur ſecundò, vtrum quilibet Sacerdos poſsit abſoluere à venialibus? Reſpondeo poſſe abſoluere à venialibus, & à mortalibus alias confeſsis, dummodo ex aliqua cēſura non ſit impeditus: ita communiter omnes; & ratio eſt, quia tantum in materia neceſſaria requiritur iuriſdictio; in materia autem ſufficienti, ſufficit poteſtas ordinis, vt loquitur Diuus Thom. d. 18. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. & Sot. d. diſt. q. 4. ar. 2. ad 2. licet, ab hac ratione multi diſcordent, ſed mihi aptiſsima videtur; & ob hāc rationem videri poteſt, quam falſa ſit opinio Valeri in differentis vtriuſque fori verb. Nullitas, diffic. 5. num. 3. aſſerentis quemlibet Sacerdotem poſſe etiā abſoluere à peccatis mortalibus oblitis in confeſsione; vt refert Diana par. 2. tract. 16. reſol. 46. nam non ex eo, quod dicta peccata fuerūt oblita, ſequitur, quod non ſint materia neceſſaria confeſsionis? & ex conſequenti ſubdita iuriſdictioni; Vnde nullo modo poſsunt dicta peccata abſolui, niſi ab habente iuriſdictionem; ita ex communi doctrina iam ſupra explicauimus.

16. Quoad ſecundum modum delegandi, ſcilicet, concedēdo facultatem pœnitenti, vt poſſit ſibi eligere confeſſorem; ſciendum eſt, ipſoſmet, qui poſſunt ſuam iuriſdictionem alij delegare, poſſe etiam concedere alijs facultatem eligendi ſibi confeſſorem; nam de Summo Pontifice, patet ex eius pleniſſima poteſtate: de Epiſcopo conſtat ex cap. 2. de pœnit. & remiſſ. in 6. & de Parocho colligitur ex cap. Omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ. & ex cap. Placuit de pœnit. d. 6. vt ibi docet Nauar. art. 48. & idem dicitur de alijs Superioribus habētibus iuriſdictionem; Dubium tantum eſſet poſſet, an dicti Superiores, ſi fuerint excommunicati, vel ſuſpenſi, poſſint concedere talem facultatem? & licet Palud. affirmatiuè reſpondeat in 4. d. 17. q. 4. nu. 26. & 27. & D. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 9. tamen hæc opinio nullo modo poteſt eſſe vera, quia excōmunicatio, ſuſpenſio, &c. priuant excommunicatum, &c. iuriſdictione, quæ vt ſupra probauimus, eſt omninò neceſſaria in hoc Sacramento, quod intellige de excommunicato non tolerato, notorio, &c. Vnde neceſſario dicendum eſt, nullius momenti eſſe talem delegationē; imò ſi fuiſſet ante dictas cenſuras conceſſa, ſtatim exſpirat; vt patet ex dictis; quæ doctrina ſumitur ex vſu Eccleſiæ; & illam docet Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 3. Filiuc. tract. 7. cap. 9. num. 228. Sylu. verb. confeſſio 2. Victoria nu. 152. & Suar. diſp. 27. ſect. 1. num. 5.

17. Tribus autem modis poteſt intelligi conceſſa talis facultas, ſcilicet, a iure, ex conſuetudine, & à Prælato; à iure, dupliciter intelligi poteſt, ſcilicet, diuino, vel humano; à iure diuino, tantum Pontifex habet facultatem eligendi ſibi confeſſorē; quomodo autem tunc confeſſor poſſit habere auctoritatem ſuper Pontificem? aliqui reſpōdent in hoc tantum caſu; dictum confeſſorem habere iuriſdictionem ſupra Pontificem ex iure diuino, vt Palud. d. 17. q. 3. art. 4. & aliqui Canoniſtæ; tamen dicendum eſt, dictum confeſſorem electum à Pontifice, habere poteſtatem delegatam ei ab ipſomet Pontifice tanquam Chriſti Vicario, & data dicta facultate, ei ſubijcitur Pontifex tanquam peccator; ita loquitur D. Thom. in 4. d. 19. q. 1. art. 3. q. 2. Sot. d. 18. q. 4. art. 2. Turrecrem. lib. de Eccleſia cap. 8. & alij.

18. Epi-

Digitized by Google

18. Epiſcopi autem, & eorum Superiores, vel inferiores Prælati habentes iuriſdictionem, vt ſupra, habent hanc facultatem à iure humano, ſcilicet, eligendi ſibi confeſſorem, quidquid in hoc dicat Nauar. cap. 17. num. 260. ita communiter omnes ſentiũt, vt Caiet. verb. Abſolutio cap. 2. Sylueſt. verb. Confeſs. 1. §. 2. & 8. Filiuc. tract. 7. cap. 9. num. 231. D. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 9. & alij, & ſumitur ex verbis poſitis in cap. vlt. de pœnit. & remiſſ. quæ ſunt iſta. Permittimus Epiſcopis, & alijs Superioribus, necnõ minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter ſui Superioris licentiam, prouidum, & diſcretum ſibi poſſint eligere confeſſorem; Vnde quando Epiſcopus, vel alij Superiores eligunt, ius, ſeu Pontifex tribuit poſtea tali confeſſori electo iuriſdictionem, ſeu poteſtatem, ex quo ſequitur, certum eſſe, hos omnes Prælatos Papa inferiores, habere hanc poteſtatem eligendi ſibi confeſſorem ex iure humano. Intelligũtur autem omnes Epiſcopi electi, & confirmati, ſiue habeant Epiſcopatum, ſiue non; Degradatus autem non habet talem facultatem, quia priuatur omnibus priuilegijs ei conceſſis vi ordinis; Præpoſitus verò verbaliter tantum, vel ſuſpenſus, talem facultatem habet, quia tantum priuatur vſu iuriſdictionis, & non alijs priuilegijs, ſicut nec clericali: Pro inferioribus autem Prælatis, intelliguntur omnes illi, qui ſaltem habent aliquam iuriſdictionem in foro externo; nam, vt ait alia Gloſſ. in cap. Decernimus de iudicijs, de ratione Prælati eſt, vt habeat aliquam iuriſdictionem Eccleſiaſticam in foro cõtentioſo; & hoc modo Parochi non videntur habere hanc facultatem, quia non ſunt verè Prælati, licet, Sylu. loco cit. Ang. ver. confeſſio 3. & Panorm. aſſerant poſſe, ſed hoc non illi conuenire poteſt, niſi ex conſuetudine; qua poſſunt omnes Parochi eligere ſibi confeſſarios ab Epiſcopo electos; vt Emanuel Sà verb. confeſſor nu. 2. Suar. diſp. 27. ſect. 2. num. 7. & ſect. 3. Toler. cap. 90. in addit. ver. Sacerdos à conſuetudine habet. in fine, & alij. Illi autem Parochi qui eſſent immediati ſubditi Pontifici, vtique talem facultatem haberent. Archipresbyteri etiam habẽtes iuriſdictionem in foro externo habent dictam facultatẽ; & ſimiliter Auditor Cameræ in Romana Curia: Item Prælati exempti fruuntur etiam hoc priuilegio; vt ſunt Prælati Religionum habentes iuriſdictionem in foro externo ſiuè mediatè, ſiue immediatè, vt ſunt Generales, Prouinciales, Priores, ſeu Guardiani, &c. dummodo ex ſtatutis religionis contrarium non fuerit ordinatum; vt Filiuc. tract. 7. cap. 9. num. 131. in fine, & Suar. loco cit. num. 9. Alijs autem præter iſtos, nulla eſt à iure conceſſa facultas eligendi ſibi confeſſarium; vide infra cap. ſequenti num. 5. quia dicta facultas eligendi confeſſorem eſt coarctata in Concilio Trid.

19. Quinam autè ſint illi, qui ex conſuetudine habeant hoc priuilegium eligendi ſibi confeſſorem? Reſpondeo nullam conſuetudinem in ſe conſideratam, poſſe tribuere hanc facultatem eligendi confeſſorem; At quando talis conſuetudo videtur, & ſuffertur à Superioribus, ad quos ſpectat, tunc non iudicanda eſt conſuetudo; ſed conceſſio legitimè habita, licet, non extet memoria. Vnde vbi adeſt conſuetudo, vt Parochus, vel alij Sacerdotes eligant ſibi confeſſarios, ſeruanda eſt; quia cenſenda eſt, legitimè fuiſſe introducta; Attamẽ poſſunt ſemper Superiores talem conſuetudinẽ reuocare, non tãquam conſuetudinem habentem vim legis, ſed tanquam delegationem, quę durat ad libitum ſuperioris reuocantis; & ita reconciliãtur Doctores aſſerentes, per nullam conſuetudinem poſſe introduci, vt quis facultatem habeat eligendi confeſſorem, cum actus à principio nullus, non poſſit validari per quodlibet ſubſequens; & inter alios docentes contrarium, vide Suar. diſp. 27. ſect. 3. D. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 19. §. 19. Sot. d. 18. q. 4. art. 2. & alios.

20. Tertius modus concedẽdi facultatẽ eligendi ſibi confeſſorẽ, eſt à Prælato; Vbi eſt notandum, talem facultatem conceſſam à Prælato, nõ poſſe excedere facultatem ipſius Prælati; nec intelligitur extendi ad omnes caſus, ſed ad illos tantum, quos Pręlatus ſpecialiter ſibi non reſeruauit; prout declaratum eſt in cap. ſi Epiſc. de pœnit. & remiſſ. in 6. & idem videtur dicen-

cendum de caſibus à iure Epiſcopis reſeruatis; ſed cum hoc pendeat à voluntate Prælati concedentis talem facultatem, illa conſulenda eſt. Pontifex autem, quando generaliter concedit talem facultatem eligendi confeſſorem, non ſolum non intendit caſus ſibi reſeruatos cõcedere; ſed nec etiam illos, qui sũt Epiſcopis reſeruati;niſi id explicetur in tali conceſſione; vt ſumitur ex Clem. 1. de priuil.& Extrauag. Inter cunctas eodem tit.non enim Pontifex intendit derogare iuri Epiſcoporum, niſi id exprimat, vt ibi diximus. Nec ſimiliter in conceſsione dictæ facultatis intelligitur aliquid præter abſolutionem à culpis,& ab ijs, quæ cũ culpis annexa ſunt; v.g. diſpẽſatio votorum, aut commutatio, non intelligitur conceſſa,niſi exprimatur. Vtrum autem talis delegatio, ſeu facultas conceſſa finiatur per mortem concedentis?iam ſupra diximus, & adhuc dicimus, talem conceſsionem non finiri, quia non conceditur talis facultas tanquam delegatio; ſed tanquam gratia, quæ non ceſſat per mortem concedẽtis; vt Nauar. in cap. Placuit, de pœnit. & remiſs. num. 35. & 161.

21. Sed aliud dubium eſt, an ſufficiat talis facultas interpretatiua, vel præſumpta? Reſpondeo negatiuè, niſi adſint aliqua ſigna exteriora denotantia talem voluntatem ſuperioris concedentis talem facultatẽ,ita Suar.diſp.28. ſect.4.num.16. Filiuc.tract.7.cap.9.num.241. & 242.Sot. Henriq.Capreol.Palud.Gabr.Antonin.& alij multi apud hos Doctores; & ratio eſt, quia vel talis præſumptio fundatur in aliquibus ſignis externis, vel non, ſi primò modo,iam intelligitur data facultas,vt diximus, ſi ſecundo modo, talis præſumptio erit, quaſi ſpes ratihabitionis de futuro,& in hoc foro neceſſaria eſt iuriſdictio de præſenti; & ideò talis facultas interpretatiua nihil poterit operari; Ex qua doctrina faciliter reſponderi poteſt ad quatuor caſus,quos ponunt Doctores,primus eſt; An ſi Parochus diſcedat à Parochia pro aliquo notabili tempore, intelligatur data facultas Parochianis,vt alterum ſibi eligere poſsint confeſſorem?& reſpondendum eſt in tali caſu, recurrendum eſse ad Vicarium, vel Epiſcopum; niſi conſtet ex voluntate Parochi alias declarata, quod intendat in ſimili caſu talem facultatem concedere; ſecũdus caſus eſt; ſi Parochus moriatur,vel infirmetur;tunc eodem modo, eſt reſpondẽdum,nec valet excuſatio, quod Epiſcopus non faciliter adiri poſſit; & idem eſt dicendum quando Parochus eſset ſuſpẽſus,excommunicatus, &c. Tertius caſus eſt,ſi Parochus rogatus, noluerit audire confeſsionem; tunc, nec intelligitur data facultas eligẽdi alium confeſſorem; niſi id explicet; ſed potiùs eſſet recurrendum ad ſuperiorẽ; Quartus caſus eſt, quando pœnitens habet aliquam cauſam rationabilem non confitendi Parocho, vt v.g. fœmina, quæ peccauit cum ipſo Parocho, an poſſit alteri confiteri? & etiam negatiuè reſpondendum eſt; quia nullum datur ius poſitiuum prohibens, ne Parochus in tali caſu nõ poſſit audire talẽ confeſſionem,vt Suar.loco cit. num. 19. & Filiuc. num.246. Vnde, licet, in dictis, & alijs caſibus venia petatur, & nõ obtinentur; non ideò poteſt quis ex ſua auctoritate alium confeſſorem eligere; vt docet D. Thom.in 4.d.17.q.3.art.3.quæſtiunc.4.ad 5.& 6. Superior tamen iniuſtè negando hanc facultatem ſubdito, ſibi, & illi damnationẽ acquirit; vt ait idem Doctor opuſcul.19.Sot.in 4.d.18.q.4.art.2.& alij multi,quos ſequuntur Suar. loco cit. num.20. & Filiuc.num.247. & ſeqq.

De qualitatibus neceſſarijs in Sacerdote aſſumendo pro Confeſſore, vel vt delegari poſſit iuriſdictio audiendi confeſſiones, & abſoluendi à reſeruatis. Caput XXXXX.

1 *In Confeſſore requiritur poteſtas, bonitas, & ſcientia.*

2 *Bonitas eſt neceſſaria,vt Confeſſor abſq; noua culpa Sacramentum adminiſtret.*

3 *Aliqua ſcientia eſt neceſſaria Confeſſori, quæ in quinque rebus conſiſtit.*

4 *Ali-*

4 *Aliqua ſunt neceſſaria ſcienda à Confeſſore pro validitate Sacramenti.*

5 *In Confeſſore omninò eſt neceſſaria approbatio proprij Epiſcopi, etiã reſpectu Prælatorum alienæ Diæceſis.*

6 *Simpliciter approbatus in vna Diæceſi, cenſetur approbatus vbique, quatenus poteſt eligi ab habente priuilegium eligendi confeſſorem approbatum, etiam extra Diæceſim.*

7 *Approbatio debet fieri ab Epiſcopo Confeſſoris, & non pœnitentis.*

8 *Confeſſores ſimpliciter approbati, debent ſubiacere diſpoſitioni Epiſcopi loci in quo morantur.*

9 *Omnes Prælati habentes iuriſdictionem ordinariam, poſſunt ſibi, vel alijs caſus reſeruare.*

10 *Peccata etiam ſi non habeant cenſuram, reſeruari poſſunt.*

11 *Peccata venialia ſeruari non poſſunt, niſi in quodam caſu; mortalia verò interna ſeruari poſſunt.*

12 *Omnia peccata mortalia abſolutè loquendo, reſeruari poſſunt, & de facto nullus eſt caſus à iure Epiſcopo reſeruatus.*

13 *Regulares habent vndecim tantum caſus, qui reſeruari poſſunt.*

14 *Pro bono alicuius Conuentus particularis, non videtur Prælatus regularium poſſe alios caſus reſeruare, nec ſub prætextu excommunicationis reſeruatæ, poſſunt alij caſus reſeruari.*

1 TRes qualitates communiter dicũt Doctores, eſſe neceſſarias in confeſſore, vt ritè Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrare poſſit: ſcilicet poteſtatem, bonitatem, & ſcientiam; quoad poteſtatẽ; Dico dupliciter conſiderari poſſe, & in ordine naturali, & in ordine ſupernaturali; Et vtroque modo conſiderata, eſt omninò neceſſaria in Sacerdote, vt poſſit eſſe confeſſor. Nam poteſtas in ordine naturali, eſt poteſtas, ſeu potentia audiendi, vel aliquo modo percipiendi peccata pœnitentis, potentia loquendi, vt forma in abſolutione peccatorum pronunciari poſſit; Debitus diſcurſus, vt rectum iudicium de peccatis formari poſſit; Poteſtas autem ſpiritualis, eſt poteſtas ordinis, & iuriſdictionis, de qua iam diximus; Vtraque igitur poteſtas tam in corpore, quam in anima eſt in confeſſore omninò neceſſaria.

2. Quoad bonitatem, dicendum eſt, illam non requiri neceſſariò ad conficiendum Sacramẽtum, neque ad eius effectum percipiẽdum; vt ſæpè diximus; eſſe tamen neceſſariam, vt confeſſor abſque noua culpa, & ſacrilegio adminiſtret hoc Sacramentum; requiritur enim, vt ſit abſque culpa mortali, ſaltem per præſumptam contritionem ablata; ſed ſecuriùs per confeſſionem eſt abſtergenda, ita communiter omnes; vide Filiuc. tract. 7. cap. 9. nu. 150. & Suar. diſp. 28. ſect. 1.

3. Quoad ſcientiam: certum ex communi omnium Doctorum ſententia, aliquam ſcientiam neceſſariam eſſe confeſſario; & ratio eſt, quia nullus poteſt iudiciũ ferè in cauſa graui, neque ad id deputari, niſi habeat ſcientiam proportionatam ad ferẽdum rectum iudicium; ſed ſic eſt, quod in foro pœnitentiali agitur de re non ſolum graui; ſed grauiſſima, cum inde pendeat ſalus animæ, ergo omninò neceſſaria eſt debita ſcientia, ita Caiet. verb. confeſſori neceſſaria, P. Sot. lect. 6. de confeſſ. Nauar. cap. 4. num. 1. & in cap. 1. §. Caueat de pœnit. d. 6. & alij. Dicta autem ſcientia in quinque conſiſtit; nã primò debet confeſſor ſcire differẽtiam inter peccatũ mortale, & veniale practicè in omnibus præceptis, ſaltem communi, & ordinario modo; quia exactè ſcire diſcernere omnes caſus, eſt res difficilis, & in hoc laborant etiam doctiſſimi viri; vnde ſaltem confeſſor communi modo debet id ſcire, vt iudicium ferre poſſit. Secundò debet ſcire ſpecies, numerum, & circumſtantias peccatorum, vt ſupra iam diximus; Tertiò, tenetur ſcire diſpoſitionem neceſſariam, quæ requiritur in pœnitente: Quartò, quæ peccata ſint contra iuſtitiam, & obligantia ad reſtitutionem: Quintò, quæ peccata ſint reſeruata, vel habeant annexam cenſuram reſeruatam. Addit etiam Caiet. confeſſorem poſſe faciliùs hominem doctum audire; & illius ſciẽtia iuuari; & notandum eſt, ſciẽtiam in confeſſario requiri iuxta qualitatem pœnitentium; nam pro rudibus in Villis, minor ſcientia requiritur, pro mo-

rantibus in Ciuitate, maior ſcientia eſt neceſſaria; & eo maior quo maioribus negotijs ſunt applicati pœnitentes; vt Mercatores, Milites, Iudices, Notarij, Procuratores, & ſimiles doctiores, imò doctiſſimũ confeſſoré requirunt. Deinde cõfeſſor debet eſſe adeò idoneus, vt ſaltem in caſibus non ita frequentibus, & ordinarijs ſciat dubitare, & ad peritiores recurrere; Confeſsores auté carentes tali ſcientia mortaliter peccant ſe exponendo ad audiendas confeſſiones, & ſuperiores illum approbantes ſimiliter mortaliter peccant, vel quomodocunque illum ad confeſſiones audiendas deputantes; Et ſic etiam pœnitens eligendo confeſſorem, quem non cognoſcit reſpectu ſui idoneum; mortaliter peccat, ita communiter omnes, vt videri poteſt apud citat. Doctores, & apud Filiuc. tract. 7. cap. 9. num. 252. & 253. Suar. diſput. 28. ſect. 2.

4. Pro validitate autem Sacramenti; neceſſe eſt, vt confeſſor ſciat formam abſolutionis: ſecundò, vt cognoſcat peccata mortalia ſaltem ſecundum communem eorum rationem, vt v. g. Furtum, Homicidium, Fornicationẽ, Odium, Vindictam, &c. eſse peccata mortalia: quod ſi confeſsor id ſciat; ſed neſciat in particulari diſcernere peccatum mortale à veniale; tunc poterit eſse validum Sacramentũ, ſi pœnitens accedat bona fide; at ſi cognoſcat talem ignorantiam, mortaliter peccat, & peccatum ſacrilegij, nec non, & confeſſio reſpectu ſui, eſt inualida; vt fuſiùs probat Suar. loco cit. num. 11. & ſeqq. ex Gabr. Adrian. Medina, & alijs.

5. Eſt tamen, hic notãdum, quod præcipua, & magis eſsentialis conditio, quæ requiritur in confeſsore, eſt vt ſit approbatus ab Epiſcopo iuxta Cõcil. Trid. ſeſs. 23. cap. 15. de reformat. nam licet, ante dictum Concilium, licitum erat tam Parocho, quam alijs habẽtibus iuriſdictionem, alijs delegare eorum facultatem abſque vlla licentia, & approbatione Epiſcopi; vt docet Nauar. in cap. Placuit, de pœnit. d. 6. num. 49. & ſeqq. Caiet. verb. Abſolutio, & alij: Tamen poſt dictum Concilium nullus eſt idoneus confeſsor, niſi habeat officiũ Parochiale, vel approbationẽ ab Epiſcopo, vnde Doctores, Graduati, & omnes alij non habẽtes curam animarum, tenentur talem approbationẽ ab Epiſcopo obtinere, aliàs inhabiles omninò erunt; & ſic omnes Epiſcopo inferiores, vt Parochi, & alij non poſsunt ſibi eligere confeſsorem, niſi vnũ ex approbatis ab Epiſcopo, imò, & ipſi Epiſcopi extra Diœceſim, ſi voluerint confiteri alicui Sacerdoti non ſubdito, neceſse eſt, vt etiam ſit approbatus à proprio Epiſcopo, vt conſtat ex Cardinalium declaratione de anno 1158. & 1160. vt refert Suar. diſp. 28. ſect. 4. num. 4. & ita etiam neceſsariò eſt dicẽdum de alijs Prælatis tam ſæcularibus, quam regularibus habentibus auctoritatẽ eligendi ſibi confeſsorem; ſcilicet, vt talis facultas non extẽdatur, niſi ad proprios ſubditos; & idem docet Filiuc. loco cit. num. 256. colligitur etiam, quod Parochus non poſſit delegare alteri ſuam auctoritatem in hoc foro, niſi alicui ex approbatis ab Epiſcopo; & ita ſimiliter eſt intelligenda facultas data à Pontifice in Bulla Cruciatæ, & quæ dari ſolet in Iubilæis; electio enim, neceſse eſt, vt fiat ex approbatis ab Epiſcopo.

6. Eſt tamen ſciendum; tam Parochum, quam alios Prælatos habentes curã animarum eſſe vbique reputãdos idoneos quoad examen ſubeundum, & ideò benè poteſt illis conferri iuriſdictio, ſeù delegatio, & poſſunt eligi in confeſſorem ab habentibus priuilegium eligendi confeſſoré approbatum, & hoc tam in propria Diœceſi, quam extra, abſque vlla Epiſcopi loci, aut Parochi licentia, niſi in priuilegio adeſſet aliqua limitatio: vt Suar. loc. cit. num. 17. Vnde Parochus ex Diœceſi Neapolitana, benè poteſt eligi in confeſſorem Panormi ab habente priuilegium eligẽdi ſibi confeſſorem approbatum abſque vlla alia licentia Epiſcopi Panormitani, aut Parochi; ſecùs à non habente tale priuilegium, quia requiritur iuriſdictio, Ex quo infero, Prælatos regulares non poſſe abſoluere, niſi proprios ſubditos, nec abſolui à Sacerdotibus extra Religionem, niſi ab approbatis ab Epiſcopo, vel alio Prælato regulari, vel ſæculari habente iuriſdictionẽ extrinſecam, ſcilicet à Prouinciali pro tota prouincia, vel à Generali pro tota Religio-

ligione, aut Priore pro ſuo Conuentu. Vnde quando reperiuntur extra eorum Conuentum,cuius ſunt Prælati; vel extra prouinciam vbi nullam habēt iuriſdictionem;nullo modo poſſunt dictos religioſos abſoluere abſque licentia proprij Prælati ratione iuriſdictionis,quę neceſsaria eſt ad hoc ſacramentum, vt ſupra diximus; & multò minùs poſſunt abſoluere à caſibus reſeruatis dictis ſuperioibus localibus; ſi autem tam dicti Prælati, quam alij confeſſores fuiſſent admiſſi ad confeſſionem fratrum ab eorum Generali, vel Prouinciali, abſq; vlla limitatione; tunc poſsēt omniū Fratrum Religionis, vel prouinciæ reſpectiuè confeſſiones audire abſq; alia licentia Prouincialium, aut Priorum; non tamē poſſent abſoluere à caſibus reſeruatis dictis Superioribus; niſi id ſpecialiter fuiſſet eis conceſſum à Generali,vel à Prouinciali propriæ prouinciæ, in qua reperiuntur, vel ab alio ad quem ſpectat, ità communiter omnes Doctores, vt ſumitur ex Suar. dicta ſect.4.& Filiucc. tr.7. cap.9.nu.256. & ſeqq.

7. Vtrum autem requiratur approbatio Epiſcopi pœnitentis; an Confeſſoris? Reſpondeo requiri approbationem Epiſcopi Confeſſarij, quia approbatio conſiſtit in tribuendo ſimul auctoritatem abſoluendi, & cum hæc non poſsit tribui niſi ab habente ordinariam iuriſdictionem, ſequitur, quod ad talem Epiſcopum ſpectet etiam approbatio: probatur hæc doctrina ex quadam Cardinalium reſponſione allata à Suar. diſp.28.ſect.6.nu.6. in qua ſic habetur. *Nullum etiam regularem S. D. N. declarauit, tempore Iubilei poſſ. confiteri peccata ſua niſi Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confeſſiones; in bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones, non autem de Ordinario pœnitentium.* Ex in alia reſponſione,ſic Pontifex loquitur. *S.D.N. Audita relatione Congregationis, declarauit, Epiſcopum vigore priuilegij de quo in cap. fin. de pœn. & rem. non poſſe ſibi eligere Sacerdotem ſibi non ſubditum: qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formā huius decreti admiſſus, ſeù approbatus ad audiendas confeſſiones.* Sed nota, quod non ex hoc ſequitur, quod Epiſcopus non poſsit alienū Sacerdotem morantem per aliquod tempus in ſua Diæceſi eligere in confeſſorem. ſed benè poteſt, quia pro tali tempore dicitur ſubditus Epiſcopi,vbi moram agit,& cōfirmatur, quia aliter nec Epiſcopus poſſet approbare Sacerdotem alienum ad audiendas confeſsiones ſæcularium in ſua Diæceſi: quod ex praxi colligitur eſſe falſum non tamen deſunt,qui aſſerant,approbationē eſſe neceſſariò obtinendā ab Epiſcopo pœnitētis;ſed ni fallor videtur quęſtio conſiſtens in quadam ſpeculatione, & modo loquendi; quia in re omnes conueniunt; vt videri poteſt apud Suarium ſectione 6.

8. Sed quæritur, vtrum approbatio vnius Epiſcopi, intelligatur pro tota Eccleſia? Reſpondeo,ex vi approbationis eſt iudicanda apta pro tota Eccleſia, quando talis approbatio eſt abſolutè, & ſimpliciter facta abſq; limitatione; attamen quia requiritur etiam iuriſdictio; ideò neceſſe eſt, vt dicti cōfeſſores ſic approbati,ſe ſubdant Ordinarijs aliorū locorum, tam quoad examen, quam quoad delegationē accipiendam: & iam ita eſt vſus omnium Epiſcoporum, vnuſquiſque enim vult ſcire paſtorem, cui committendæ ſunt eius oues, quod rationabile eſt, ex qua doctrina multi caſus reſoluuntur,quos omitto, quia faciliter reſolui poſſunt ex dictis.

9. Et quia Confeſſor poteſt aſſumi, vel delegari tam ad caſus ordinarios, quā ad caſus reſeruatos, cum iam dixerimus de Confeſſore reſpectu ordinariæ confeſſionis ſequitur dicendum de Confeſſore reſpectu caſuum reſeruatorum. Sed priùs ſupponendum eſt, adeſſe in Eccleſia hanc poteſtatem reſeruandi caſus Superioribus iudicibus, & eſt de fide certum definitum in Concil.Trident. ſeſs. 14. cap. 7. & cap.11.& talis fuit antiquiſsimus vſus Eccleſiæ, vt colligitur ex Concil.Carthag.3. cap.32.& Aphric. cap. 10. vt habetur 26. q.6.& ex alijs Concilijs, & illi tantum poſſunt ſibi, vel alijs caſus reſeruare, qui habent iuriſdictionem ordinariam, vt Epiſcopi, Parochi, & alij Prælati habentes iuriſdictionem externam, licet, Parochi ex conſuetudine tali iuriſdictione non vtan-

tur; ſed de iure vtique poſſent, quando alteri delegant in foro pœnitentiali facultatem abſoluendi; vt docet Medina diſt. 17. q. 5. dixi ſibi, vel alteri, quia ſicut Epiſcopus poteſt concedere, & de facto concedūt omnes Epiſcopi aliquibus, vt poſſint abſoluere à caſibus ſibi reſeruatis, poterit etiam à principio reſeruationis ſtatuere, vt aliqui caſus, vel plures, aut omnes ſint reſeruati alicui perſonæ particulari, nam reſeruatio Caſus, eſt actus iuriſdictionis nō conceſſæ; vnde poteſt Epiſcopus non omnibus talem facultatem concedere, ſed aliquibus tantum; cum non neceſſe ſit, vt iuriſdictio tota ſimul communicetur; & ideò miror, quare Sot. d. 18. quęſt. 2. art. 5. dicat Epiſcopum reſeruātem caſum abſoluendum à Decano, & alium abſoluendum ab Archidiacono, nihil facere: & reſeruationem eſſe ridiculam, & inualidam; eſt enim talis doctrina non ſolum contra rationes allatas; ſed etiam contra vſum Concilij Trid. cum in ſeſſ. 24. cap. 6. aliqui caſus reſeruentur Epiſcopo, vel eius Vicario; At peccatum hæreſis eſt reſeruatum tantummodo Epiſcopo, & hoc non prouenit, niſi ex iuriſdictione talem facultatem concedētis; quare igitur non poterit etiam Epiſcopus habens ordinariam iuriſdictionem vni reſeruare vnum caſum, & alterum alteri; imò Vſus vniuerſalis Eccleſiæ ità ſe habet, nam nō omnes pœnitentiarij habent eamdem facultatem; ſed quidam maiorem, & quidam minorem iuxta voluntatem delegantis: & notandum, quod delegatus ad caſus reſeruatos, non intelligitur delegatus ad vota, vel iuramenta commutanda vel abſoluenda, vt communiter omnes docent.

10. Sed vtrum peccata non habentia cenſuram reſeruari poſſint? Reſpondetur affirmatiuè, & conſtat ex communi praxi; patet etiam ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. vbi dicitur. Præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt, & de facto in Extrau. Inter cunctas de priuileg. numerantur aliqui caſus reſeruati, quibus nulla eſt annexa cenſura. Vtrum autem, quando Pontifex reſeruat ſibi cenſuras, reſeruet etiam ſibi culpas? Reſpondeo affirmatiuè, quia talis eſt intētio Pontificum declarata in aliquibus caſibus; vt in caſu percuſſionis clerici in cap. ſi quis ſuadente 17. q. 4. dicitur. *Anathematis vinculo ſubiaceat*: (& ſubdit) *Et nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere, niſi mortis vrgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur*. Vnde ſi quis bona fide fuiſſet abſolutus, abſolutio eſt nulla, & debet iterū abſolui tam à cenſura, quam à culpa: vt Nauarr. cap. 27. num. 271. & eſt communis Theologorum ſententia cum D. Thom. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 4. quæſtiunc. 2. ad 4. Sot. diſt. 18. q. 2. art. 5. & alij communiter.

11. An autem omnia, & ſola mortalia reſeruari poſſint? ſed primò ſupponendū eſt peccata venialia reſeruari non poſſe abſolutè loquendo, quia non ſunt materia neceſſaria ſacramenti, & nullus tenetur illa confiteri: poſſent tamen reſeruari, quando quis vellet ab illis ſacramentaliter abſolui, tunc enim poſſet Eccleſia, ſeù habentes iuriſdictionem ordinariam illa reſeruare ſibi, vel alteri iudici particulari, non tamen talis reſeruatio obligaret pœnitentem ad cōfeſſione; niſi quatenus vellet ab illis ſacramentaliter abſolui; tunc enim teneretur comparere corā aſſignato iudice; quia abſolutio ſacramentalis pendet ex iuriſdictione, quæ non operatur, niſi iuxta delegationem, & voluntatem delegantis; ſecundò ſupponendum eſt, peccata interna poſſe etiam reſeruari ob rationem factam, licet ex vſu non reſeruentur, quia expediens non eſt; docet Sot. d. 18. q. 2. art. 5. Caiet. 2. 2. q. 11. ar. 3. Ledeſm. 2. par. 4. q. 8. art. 2. dub. 10. quos ſequitur Suar. diſp. 29. ſect. 3. num. 3. & Filiuc. tract. 7. cap. 10. num. 272.

12. Ad quæſitum igitur reſpondetur, omnia mortalia tam interna, quam externa reſeruari poſſe abſolutè loquendo, quia omnia ſubduntur iuriſdictioni, & ideò abſolui non poſſunt niſi iuxta volūtatem habentis illam; Ex vſu tamen, & conuenientia, non reſeruantur, niſi aliqua grauiora; imò grauiſſima; Et licet, interdum fuerit vſus in aliqua Religione reſeruare omnia mortalia; tamen poſt decreto Clem. VIII. de anno 1591. fuerunt tantum aliqui caſus declarati, ex quibus aliqui, vel omnes à Prælatis Religionum reſeruari poſſunt;

Vn-

Digitized by Google

Vnde, licet, omnia peccata mortalia reſeruari poſſint; Secundum rectum tamen ordinem, non niſi aliqua grauiora reſeruari debent; ſed vtrum de facto ſint aliqua peccata mortalia reſeruata Pontifici, vel Epiſcopis? nam de Parochis non eſt dubium, Reſpondeo, omnes caſus Summi Pontificis habere etiam annexam cenſuram, & ideò de illis agemus, cum de cenſuris: quoad Epiſcopos? Reſpondeo, triplici modo poſſe eis eſſe caſus reſeruatos: primo modo per ſtatuta Synodalia; quæ cum diuerſa ſint in diuerſis Epiſcopatibus, illa conſulenda ſunt: Secundo modo per conſuetudinem; & hæc etiam in vnoquoque Epiſcopatu conſulenda eſt: tertio modo, eſt de iure communi; & quinque caſus numerari ſolent de iure communi Epiſcopis reſeruati; primus eſt peccatũ, in quo annexa eſt pœnitentia publica: ſecundus, quando ei eſt annexa excommunicatio: tertius, quando erit annexa irregularitas: quartus eſt incendiarius: quintus blaſphemia publica; ſed nec dicti caſus videntur eſſe reſeruati, quia Extrauag. ſuper Cathedram de ſepulturis in qua dicti caſus enumerantur, fuit abrogata per Clement. V. per Clem. Dudum de ſepult. per verba *Omninò caſſamus*, vt fusè probat Suar. loco cit. nu. 6. & ſeqq. & Filiuc. num. 273. & ratio eſt (præter dictam) quia primus caſus iam non eſt in vſu: cum pœnitentiæ publicæ ceſſauerunt: ſecundus poteſt abſolui ab omni Parocho, vel alio confeſſore, quia in iure nunquam excommunicatio reſeruatur Epiſcopo; & ideò quilibet poteſt ab illa abſoluere; ex cap. Nuper de ſentent. excommunic. in 6. Nauar. cap. 27. num. 262. & alij communiter, quod intellige, quando excommunicatio ſimpliciter in iure ponitur abſque vlla reſeruatione: Tertius caſus quoad culpam, poteſt etiam abſolui à quolibet confeſſario, licet, quoad irregularitatem requiratur Pontifex, vel Epiſcopus in delicto occulto; nam irregularitas non impedit Sacramentum, ſicut excommunicatio, Caiet. verb. irregularitas, Nauar. loco cit. & alij: quartus caſus iuxta Nauar. manet reſeruatus ex communi opinione, & vſu; Vnde non vi iuris, ſed ratione conſuetudinis erit reſeruatus; aduertit etiam Suar. in hoc caſu num. 9. quod, licet, in eo nulla adſit excommunicatio annexa: tamen, ſi ſemel ab homine feratur, ſtatim manet reſeruata Põtifici ex cap. Tua nos de ſenten. excommun. quintus caſus, nec eſt reſeruatus; ſed præcipitur confeſſori, vt ab eo non abſoluat, niſi impoſita graui pœnitentia, ex Concil. Lateranen. ſub Leone X. ſeſſ. 9. in tit. de reformatione Curiæ, §. ad abolendam.

13. Quoad regulares autẽ; ne eorum Prælati in indiſcretionem inciderent; voluit Clemens VIII. eorum iuriſdictionem reſtringere, ne poſſent vltra numerum caſuum ab ipſo præſcriptorum ſibi reſeruare. Et vndecim numerantur in eius decreto citato, quorum primus eſt. Veneficia, Incantationes, Sortilegia. Secundus, Apoſtaſia à religione, ſiuè habitu dimiſſo, ſiuè retento, quando eo peruenit, vt extra ſepta Monaſterij ſeu cõuẽtus fiat: Tertius, Nocturna, ac furtiua è Monaſterio, ſeu cõuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta: Quartus, Proprietas contra votum paupertatis, quę ſit peccatum mortale: Quintus, Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeu legitimo: Sextus, Procuratio, auxilium, ſeù conſilium ad abortũ faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto: Septimus, Falſificatio manus, ſeù ſigilli officialium Monaſterij, aut Conuentus. Octauus, Furtum de rebus Monaſterij, ſeù Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale. Nonus, Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus: Decimus, occiſio, aut vulneratio, ſeù grauis percuſſio cuiuſque perſonæ: Vndecimus, Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores. Imò nec iſti caſus omnes ſunt neceſſariò reſeruãdi; ſed pro libito Superioris, ideò adduntur in dicto decreto. *Superior Religionis poſſit hos caſus ſibi reſeruare, aut omnes, aut eorum aliquos, prout ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerit.* Et præter hos caſus, nullus Superior, niſi Capitulum Generale, vel Prouinciale, magna cũ maturitate poteſt alios caſus reſeruare; Vnde Pontifex addit. *Si quod aliud præterea*

pec-

peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in prouincia matura diſcuſſione, & conſenſu.

14. Ex quibus verbis, dubitari poteſt, an pro bono alicuius domus, ſeu Conuentus particularis, poſsit Capitulum Generale, vel Prouinciale alios caſus reſeruare? Negatiuè videtur eſſe reſpondendum, nam verba diriguntur ad conſeruationem Religionis, & puritatẽ cõſcientiæ, & in vno Conuentu non conſiſtit conſeruatio Religionis, & puritas conſcientiæ; tamen affirmatiuè reſpondet Suar. diſp. 29 ſect. 3. num. 12. ſed ſi verba citati decreti, benè conſiderẽtur prima opinio improbabilis non eſt. Vtrum etiam per dicta verba fuerit ablata facultas Superioribus particularibus Religionis, ne poſsint præcipere ſub excommunicatione ipſis reſeruata? Negatiuè reſpondet idem Suar. num. 13. licet, aſſerat id non eſſe faciendum abſque conſenſu Capituli Generalis, vel Prouincialis, vt tutius Superior procedat, quia, vt ipſe ait multi viri docti contrarium ſenſerunt, & verè contrarium puto eſſe ſentiendum; quia ſicut, qui præcipit finem, præcipit etiam media ad finem; ſic in caſu noſtro. Pontifex reſtrinxit caſus ad finem, ne poſsẽt faciliter multiplicari; igitur pręcipit etiam, ne aliquid addi poſsit ad hoc, vt Religioſi non poſsint conſequi talem finem; nam ſi Prælatus ponit excommunicationem ſibi ob reſeruatam aliquem caſum ſibi non reſeruatum; reditur illuſa mens Pontificis, & finis eius, quia in omni caſu poſſent Prælati addere excommunicationem, illam ſibi reſeruãdo; & hoc modo omnes caſus ad libitum Superiorum, & non ad libitum Pontificis, erunt reſeruati. Vnde omninò, dicendum puto, eſſe neceſſarium conſenſum Capituli Generalis, vel Prouincialis ad quamlibet aliam reſeruationem faciendam; & poſt hęc ſcripta reperi Marullum tom. 1. diſp. 1. cap. 2. diſt. 4. num. 575. talem ſententiam defendentem contra Suar. & ſequitur Diana 3. par. de dubijs regular. reſol. 13.

Qui abſoluere poſſint à caſibus Reſeruatis, & quomodo. Caput LI.

1 *Iter agens poterit abſolui à reſeruatis, in Diœceſi tamen, vbi illa non fuerint reſeruata.*

2 *Epiſcopi poſſunt abſoluere à reſeruatis Pontifici, ſi delicta fuerint occulta.*

3 *Abbates non habent dictam facultatem, quamuis tantum Pontifici ſubdantur.*

4 *Prælati regulariũ poſſunt abſoluere, vt Epiſcopi à caſibus Papæ reſeruatis, ſed occultis.*

5 *Eamdem auctoritatem habent Archiepiſcopi tempore viſitationis in Epiſcopatu Suffraganei.*

6 *Habentes facultatem abſoluendi alios, poſſunt illa vti pro ſeipſis.*

7 *Regulares etiam ex vi iuris communis poſſent abſoluere fideles à caſibus Epiſcopo reſeruatis; ſed non poſſunt ex quadam declaratione ſub Clemente Octauo condita.*

8 *Prælati tenentur concedere licentiam, vt ſubditi abſoluantur à reſeruatis, quando talem facultatem petunt, cum aliqua tamen moderatione.*

9 *Superior poteſt ex decenti cauſa abſoluere tantum à reſeruatis, & remittere pœnitentem, vt abſoluatur ab alijs.*

10 *Confeſſor eodem modo poteſt abſoluere à non reſeruatis, & pro reſeruatis mittere pœnitentem ad ſuperiorem.*

11 *Nullus, præter articulum mortis, poteſt abſoluere directè à reſeruatis.*

12 *Peccata reſeruata, ſed abſoluta à ſuperiore; non ſunt amplius materia neceſſaria confeſſionis.*

13 *Reſeruatio caſuum, aufertur etiam per confeſſionem inualidam.*

14 *Reſeruatio caſuum, tollitur etiam per obliuionem.*

15 *Vna reſeruatio ablata, aliæ tolluntur, ſed non in omni caſu.*

16 *Ponũtur Decreta Sacræ Congreg. in quibus declaratur à quibus cenſuris, & caſibus Mendicantes poſſint, vel non poſſint abſoluere.*

1 Cer-

1 CErtumeſt, omnes Prælatos, & Superiores habentes poteſtatem reſeruandi caſus, vt ſupra, poſſe etiam ab illis abſoluere, vel per ſeipſos, vel per alios ab ipſis deputatos. Diſputant tamen Doctores, vtrum ſubditus vnius Epiſcopi iter agẽs per alienam Diœceſim, poſſit ibi abſolui à caſibus reſeruatis? & licet, negatiuè reſpondeat Sot.d.18.q.2.art.4. Tamen Caiet.in ſum.verb.Abſolutio 2. Contrarium docet, quæ opinio certa eſt ex conſuetudine ab Eugenio Quarto declarata, & approbata, dummodo dicti caſu non eſſent etiam in tali Epiſcopatu reſeruati; nã dictus habens caſum, vel caſus reſeruatos, cenſetur tanquam incola dictæ Diœceſis, & ſicut incolæ non poſſent abſolui; ita neq; alienus; hanc opinionem docet etiam Palud.d.17.q.3.D.Antonin.3.par.tit.17.cap.4.Suar.diſp.30.ſect.1.num.4.Filiuc.tract.7.cap.10.num.283.Nauar.cap.27.nu.261. & alij, è contra verò, non poterit quis abſolui à caſibus non reſeruatis in vno Epiſcopatu, ſi illos confiteatur in alieno Epiſcopatu, in quo fuerint reſeruati; quia vt dixi, reputandus eſt tanquam incola illius Diœceſis, in qua confitetur, vt Suar. num.6.

2. Deinde quæritur, quinam habeant poteſtatem abſoluẽdi à reſeruatis per generalem delegationem à iure? Reſpondeo, Epiſcopos tãtum habere hanc poteſtatem abſoluendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis; dummodo fuerint occulti; ita habetur in Cõcil.Trid.ſeſſ.24.cap.6.vbi hæc verba notantur. *Liceat Epiſcopis, &c. in quibuſcunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcienciæ gratis abſoluere impoſita pœnitentia ſalutari. Idem, & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientia, eis tantum, non eorum Vicarijs ſit permiſſum;* Vbi nota, quod publicũ illud dicatur, quod eſt notum in Vicinio, vel Collegio, Oppido, &c. Si tamen aliquibus fuerit notum, & peccator non laboret publica infamia, non eſt cenſendum publicum delictum, vt oſtendit Nauar.cap.27. num.254.& 255. Secundò, notandum eſt, per illa verba, *ſubditos ſuos*, denotari, quod iter agentes, vel transferentes ſe ad alienum Epiſcopatum, in quo non ſit notum delictum; non ex hoc, poſſunt abſolui à dicto Epiſcopo alieno; quia iam delictum ex ſe, & ex ſui natura eſt publicum; & ideò abſolui nullo modo poteſt: Tertio eſt notandum, quod pro Epiſcopo, intelligatur Epiſcopus electus, & confirmatus, licet, non conſecratus; quia iam ex tunc in confirmatione accipit iuriſdictionem: Intelligitur etiam Capitulum, Sede Epiſcopali vacante, quia dictum Capitulum ſuccedit in iuriſdictionẽ Epiſcopi ex iure cõmuni cap. His quæ, &c. cum olim de maior. & obedient. quod in particulari de poteſtate abſoluendi, declarat Gloſſ. in cap.2. ne Sede vacante aliquid innouet. in cap. vnico de maior.& obedient.in 6. Quartò eſt notandum, quod pro ſubditis intelliguntur Peregrini, Vagi, Scholares, Mercatores, ac etiam Religioſi exempti, ſi de licentia eorum Prælatorum ſubdantur in hoc foro.

3. Sed dubium eſt, vtrum dicta facultas extẽdatur ad inferiores Prĕlatos exemptos, vt ſunt aliqui Abbates, & alij habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem? Reſpondendum eſt negatiuè, vt conſtat ex quadam Cardinalium declaratione allata à Suar.diſp.30.ſect.2.num.6. quæ ſic habet. *Super illam particulam, liceat Epiſcopis, in hac decreto non comprehunduntur inferiores habentes iuriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, ſed tãtum Epiſcopi priuatiuè quoad omnes alios.*

4. Vtrum autem idem dicendum ſit de Prælatis regularium? Reſpondendum eſt negatiuè, ex quadam declaratione Pij Quinti in hoc ſpecialiter facta ad inſtantiã cuiuſdam Prouincialis ordinis Prĕdicatorum; in qua ſic habetur. *Exponi nobis ſuperfecit dilectus filius Prior Prouincialis prouinciæ Hiſpaniæ Fratrum Prædicatorum, &c. Et inſuper qui ſacrum œcumenicum Concilium Generale Tridẽtinum conceſſit Epiſcopis, vt abſoluere poſſint in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ.24. cap.6. habetur. Ne Prior Prouincialis, & Superiores Prælati dicti ordinis, tam in dicta prouincia, quam extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici, aut ſæculares exiſtant, eidem Priori*

Con-

Conuentuali, & Superioribus Prælatis, vt ipſi per ſeipſos idem omninò poſſint in Fratres, & Moniales dicti ordinis ſibi ſubditos, quoad abſoluendi, & diſpenſandi huiuſmodi, quam alias quaſcunque facultates eiſdem auctoritate, tenore etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus præſentes literas perpetuò durare, & valere.

5. Sed vtrum eandem auctoritatem habeant Archiepiſcopi in Diœceſi Suffraganei tempore viſitationis? nam extra dictum tépus, certum eſt nullam iuriſdictionem habere; & reſpondendum eſt affirmatiuè, quia ſicut dicto tempore habet ibi iuriſdictionem Epiſcopalem, & quodammodo maiorem; ita etiam poterit ibi tali frui facultate, vt Suar. diſp. 30. ſect. 2. num. 8. Eſt tamen notandum facultatem conceſſam Epiſcopis quoad abſolutioné ab hæreſi occulta; reuocatam eſſe per Bullam Cœnæ; & idem dicitur de omnibus caſibus in dicta Bulla Cœnæ poſitis. Sic enim dicitur; *Vt ab illlis caſibus nulla perſona Eccleſiaſtica, etiam Epiſcopali, vel maiori dignitatep ædita, abſoluere poſſit prætextu cuiuſcunque facultatis, etiam per cuiuſuis Concilij decreta in genere, vel in ſpecie conceſſa*; Vnde non benè cõtrarium defenditur à Nauar. cap. 27. num. 260. ex quodam legis principio, quod lex particularis non derogetur per Generalem, nam in dicta Bulla reuocatur omnis lex tam generalis, quam particularis; & nominatim Concil. Trid. vt docet idem Suar. num. 11. & Filiuc. tract. 7. cap. 10. num. 287.

6. Eſt etiam notandum, Epiſcopum & ſimiliter omnes alios habentes aliquam iuriſdictioné, aut facultatem in alios; poſſe illa vti in fauorem propriæ perſonæ, dando alijs eorum auctoritaté, vt abſolui poſſint; prout reſpondit Sacra Congregatio dubio ei propoſito hoc modo. *An Epiſcopo in aliquod delictorum, de quibus hoc capite; Pro lapſo, liceat ad ſe abſoluendum proprium confeſſarium deputare cum eadem auctoritate, quam ipſe poſſet ex eodem capite in ſibi ſubditos exercere? Reſponſum autem fuit; Congregatio cenſuit id Epiſcopo licere.*

7. Aliud dubium eſt vtrum Regulares ex vi iuris communis tantum poſſint abſoluere fideles à peccatis Epiſcopo reſeruatis? quod non intelligitur de caſibus à iure Epiſcopo reſeruatis, quia iam ſupra probauimus, nullũ eſſe de præſenti caſum in iure Epiſcopis reſeruaum; Dubium igitur eſt de caſibus, quos ſibi Epiſcopi reſeruare ſolent; & affirmatiuè reſpondendum eſt; vt fusè probat Io. de la Crux de priuil. lib. 2. cap. 6. dub. 7. ex D. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 11. Sylueſ. verſ. caſus, & verbo confeſſio num. 28. Tabbien. verb. diſpenſatio §. 15. Armilla ver. abſolutio nu. 25. Panor. in cap. ſuper ſpecula ne Clerici, vel Monaci; Bonif. in clement. dudum de ſepultur. idem docet Gabr. diſt. 17. q. 2. art. 3. dub. 3. Angelus ver. confeſsio 3. num. 28. & alij; quidquid in hoc dicat Nauarr. cap. 27. num. 363. vel 266. & Suarez diſputat. 30. ſect. 2. num. 16. & ratio eſt, quia quando conceditur priuilegium alicui ad inſtar aliorum, non intelligitur iſti limitatum priuilegium, ſi alijs limitetur; Vnde cum in Clem. dudum de ſepult. fuerit conceſſum Prædicatoribus, & minoribus, & ex conſequenti alijs Religionibus per communicationem, vt poſſint abſoluere à caſibus, à quibus Curati de iure poſſunt abſoluere, & ibi datur facultas Parochis, vt poſsint abſoluere à caſibus omnibus, exceptis caſibus Epiſcopo in iure reſeruatis; nõ ideò ſequitur, quod cum dictis Parochis fuerit poſtea limitatum tale priuilegium; intelligatur etiam limitatum pro regularibus; Deinde in Clementina dudũ de priuilegijs datur facultas regularibus, quanta in iure conceditur Parochis; in iure autem conceditur talis facultas, vt ſupra, licet, fuerit poſtea illis limitata, non tamen intelligitur etiã limitata religioſis; vt fusè probat idem Io. de la Crux loc. cit. concluſ. 3. Vtrum autem de facto Regulares poſsint tali priuilegio vti, alibi eſt dicendum. pro nunc autem, puto certum eſſe regulares poſſe abſoluere ab omnibus cenſuris, & caſibus tam Pontifici, quam Epiſcopis reſeruatis, præterquam à caſibus exiſtentibus in bulla Cœnæ: & quos Epiſcopi ſibi reſeruare ſolent, & talis eſt communis praxis ex quodam Sacræ congregationis decreto ſub die 9. menſis Ianuarij 1601. & publicatum 26. Nouembris 1602. in quo decreto, & declaratione reſtrin-

ſtrin-

Digitized by Google

ſtringitur regularibus facultas abſoluendi à caſibus, quos Ordinarij locorum ſibi reſeruarunt, vel in poſterum reſeruabunt. Poſſunt etiam regulares abſoluere à caſibus Papalibus, ſed occultis, à quibus poſſunt abſoluere Epiſcopi iuxta Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de refor. vt Sanchez in ſumma to. 1. lib. 4. cap. 54. num. 27. quē ſequitur Diana p. 3. de dubijs Regular. reſol. 13. ſunt etiam alij quinque caſus à quibus nec etiā regulares abſoluere poſsūt; et ideò in fine huius capitis dictum decretum, ac eius declarationem per extenſum ponam.

Quod autem dixi Regulares priuilegiatos poſſe abſoluere à caſibus papalibus occultis iuxta conceſſionem factam Epiſcopis in Conc. Trid. intelligi debet etiam de ijs caſibus Papalibus, à quibus aliàs regulares abſoluere nequeunt; quo modo Fagundez præc. 2. Eccleſ. lib. 8. cap. 8. n. 29. admittit illos poſſe abſoluere ſeculares & à percuſſione clerici enormi, ſi ſit occulta: alioquin, cum plures caſus reſeruati Papę concedantur regularibus priuilegiatis ex indulto bullato Pauli 3. conceſſo Societati Ieſu, & latè explicato à Suar. to. 4. de relig. tr. 10. lib. 9. c. 2. etiā ſi ſint notorij; priuilegium, de quo hic, fruſtratorium eſſet, ac inutile; eiuſmodi autem priuilegium (vt mihi indicauit amiciſſimus P. Franciſcus Pellizzarius è Soc. Ieſu hac de re mecum diſſerens) competit Regularibus, nō quidem directè ex vi conceſſionis Concilij Tridentini (nam in ea nominantur ſolum Epiſcopi) ſed indirectè, nempè ex indulto Pauli III. ſuperiùs allegato; quatenus regulares vi illius poſſunt abſoluere à quibuſcunque peccatis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, cum enim clauſula *etiam* ſit ampliatiua, adeoq; comprehēdat caſus aliàs reſeruatos Sedi Apoſtolicæ: & cū aliqua decreta Sacræ Congregationis inferiùs adducenda preter caſus contentos in bulla cænæ, & illos alios quinque à Clemente VIII. reſeruatos, excipiant ſolum caſus ſpecialiter reſeruatos Ordinarijs locorum: ſequitur omnes alios caſus contineri in indulto Pauli III. & conſequenter etiam caſus Papales occultos; quippè qui deſinunt eſſe Papales, & fiunt Epiſcopales, hoc ipſo quod iure ordinario concedūtur Epiſcopis, vt perpetuò annexi dignitati Epiſcopali; ſequitur, inquam, illos concludi in indulto Pauli III. & conſequenter competere regularibus: quæ doctrina eſt valde ingenioſa, & benè notanda.

8. Quæritur deindè, vtrū Epiſcopus vel alius Superior teneatur cōcedere ſubdito facultatem, vt abſolui poſſit à caſibus reſeruatis, quando illam petierit? Reſpondetur, ſecluſis extrinſecis incōmodis, Superiorē omninò teneri dictā facultatē cōcedere dummodo, putet talem facultatem eſſe futuram vtilem pœnitenti, & non damnoſam ex nimia facilitate obtinendi dictam facultatem: & niſi peccatum ſit tale, vt cedat in damnum alicuius communitatis, vel alterius perſonæ; cui Prælatus, ſeruato ſigillo cōfeſsionis prouidere poterit; communiter tamen loquendo, Superior debet eſſe potius facilis, quam difficilis in concedenda dicta facultate; Vnde D. Tho. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. q. 4. ad 6. ait. *Peccare Superiorem, qui ſe difficilem oſtendit in tribuendo talem facultatem*. Et addit. *Vnde illi, qui ſunt nimis ſolliciti, vt conſcientiam ſubditorum ſciant, multis laqueum damnationis inijciunt, & per conſequens ſibi ipſis*. Idem docet Sot. diſt. 18. q. 2. art. 5. Nauarr. in ca. placuit de pænit. num. 119. & 151. & alij, poſſunt tamen Superiores in concedendo talem facultatem, aſſignare pænitentiam pro qualitate delicti, quia cum ipſi ſint Superiores iudices, benè poſſunt taxare modum ferendi ſententiam cum debita pœnę aſſignatione: vnde Clemens VIII. in decreto de caſuum reſeruatione pro regularibus ait. *Licebit tamen Superioribus determinare pænitentias graues quibuſdam peccatis etiam non reſeruatis, à confeſſarijs imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi peccatis perpetrādis cohibere poſſint*.

9. Secundò quæritur, vtrum Superior poſſit tantum audire reſeruata, & ab illis abſoluere; pro alijs autem remittere pœnitentem ad alium Confeſſorem? & quamuis aliqui negatiuè reſpondeant; tamen communis eſt opinio, quod Superior id poſſit: & idem docet Caiet. ver. confeſſio conditione 10. vbi ait, *Talem eſſe conſuetudinem Romanam, neque oportere ſapere pluſquam oportet, eam in dubium reuocando*. Idem

Gg docet

docet Sot.d.18.q.2.ar.5. licet addat ex rationabili cauſa, P.Sot.lect.10.de confeſſione, Henric. quolib.1. q.29. & alij multi, & omnes afferunt cõſuetudinem pro fundamento rationis; addunt tamen, talem pœnitentem ſic abſolutum, teneri poſtea omnia peccata tam reſeruata, quam nõ reſeruata alteri cõfiteri, vt confeſſio ſit integra: ſed aduertendum eſt, non poſſe Superiores omnia peccata audire, & poſtea tantum à reſeruatis abſoluere; quia hoc eſſet dimidiare confeſſionem abſq; vlla prorſus cauſa; imò neque poſſunt Superiores ad corũ libitum tantum peccata reſeruata audire; & remittere pęnitentem ad alium Confeſſorem, niſi id faciant ex aliqua graui cauſa, & neceſſitate, vt docet Suar.diſp.31. ſect. 1.num. 7. & Filiuccius tract. 7. capite 10. num. 300.

10. Vtrum autem idem ſit dicendum, de confeſſore audiente, & abſoluẽte pœnitentem à caſibus non reſeruatis, & remittente pœnitente ad Superiorem pro reſeruatis? Reſpondeo affirmatiuè: dummodo tamen pœnitens dicat primò Confeſſori omnia tam non reſeruata, quam reſeruata, vt confeſſio ſit integra, & ſaltem indirectè abſoluatur etiam à reſeruatis ita videtur ſentire D.Thom.in 4.diſt.17.q.3.art.4.q.2. ad 4.vbi Durandus q. 15. num.8. id docet ex conſuetudine. P.Sot.lect.10. de confeſſione, Henric.quolib.1.q.29.& 30.Nauarr. in cap.conſideret, §.Cautus num. 10.& alij multi, inter quos Alex. Alenſ. 4. par.q.77. membr.5.art.2.ad vlt.alias q.18.memb.4. art.5.§.2.ad vlt.addit, *Poſſe pœnitentem confiteri in tali caſu ea peccata, quæ ſubſunt iuriſdictioni dicti Confeſſarij, reliqua reſeruando Superiori*; Eamdem opinionem docet Gerſon. vt dixi in cap.48.num.4.& P.Sot.hanc opinionem non putat improbabilem; nec verè improbabilis eſt iudicanda, quia obligare pœnitentem, vt bis confiteatur ſua peccata, ſapit durum; licet, nec hunc modũ confitendi, nec alium ſupradictum nunquã conſulerem; debent enim Superiores omnia peccata audire tam reſeruata, quã non reſeruata, & ab omnibus abſoluere, & Cõfeſſor, qui non habet facultatem abſoluendi à reſeruatis, debet pœnitentem mittere ad Superiorem, vt ab illo de omnibus abſoluatur; & ideò in principio confeſſionis, pœnitentes interrogandi ſunt, an habeant caſus reſeruatos; hoc enim modo nulla datur dimidiatio confeſſionis, nec pœnitens ſubit onus bis confitendi ſua peccata; quod vnuſquiſque durum ſentit.

11. Sed vtrum in aliquo caſu poſſit Confeſſor abſoluere etiam à caſibus reſeruatis? Reſpondeo, hoc de articulo mortis, certum eſſe; ſed Dubium eſt an ratione cõfeſſionis annualis, vel cummunionis, aut Sacri faciendi, quãdo tamen nec Superior faciliter haberi poteſt, nec dictæ actiones ommitti poſſunt abſque ſcandalo, vel graui damno poſſit Confeſſor in dictis caſibus abſoluere pœnitentem etiam à reſeruatis? & negatiuè reſpondet Durandus in 4.diſt.17.q.15. nu.8. Richar.dicta diſt.17. art.2.quæſt.8. & Adrian.q.4. quod verum puto, quando pænitens non habet, niſi peccata reſeruata; tunc enim cum ſola contritione, ſaltem præſumpta, poteſt dictas actiones facere; vt ſupra etiam diximus. At ſi pęnitens habeat alios caſus non reſeruatos, tenetur illos confiteri, ac etiam omnes alios reſeruatos, vt ab omnibus abſolui poſſit, ſaltem indirectè à reſeruatis: & poſtea ſuo tempore dictos reſeruatos Superiori habenti auctoritatem iterum confiteri; & hoc etiam ſi in dictis caſibus adeſſet excommunicatio, quod nolebat Angelus ver. confeſſio 5. num. 9. ſed communiter omnes ita aſſerunt: vt Sot. diſt. 18. quæſt. 2.artic.5. Suar. diſputat.31. ſect.3. num.3 & 7.

12. Duo tamen ſunt hìc notanda; primũ eſt, quod peccata reſeruata ſemel abſoluta ab habente auctoritatem, non ſint ampliùs materia neceſſaria confeſſionis, & ideò poſſunt poſtea etiam à quolibet Sacerdote abſolui; at ſi habeant alia peccata mortalia annexa, quæ ſint confitenda alteri Confeſſario inferiori, ex eo quod Superior tantum abſoluit à reſeruatis; tunc licet, dicta reſeruata ex ſe non ſint materia neceſſaria, cum iam fuerint abſoluta, tamẽ debent etiam explicari cõfeſſori inferiori, vt cõfeſſio ſit integra, & ab omnibus ſimul abſolui poſſit; ſed vide ea quæ diximus in num.10. Secundum eſt, quod Superior habens iuriſdictionem ordinariam, & qui ſibi

caſum

Digitized by Google

caſum reſeruauit, poſſit reſeruationē tollere abſq; ſacramentali confeſſione; at Superior ex delegatione non poteſt reſeruationem tollere; ſed neceſſe eſt, vt abſoluat, niſi alia poteſtas ei fuerit conceſſa, nempè, vt poſſit etiam alijs committere talem abſolutionem, vt multi pœnitentiarij habent.

13. Eſt etiam hic notandum, in multis caſibus aliquando auferri reſeruationē abſq; vlla abſolutione à culpa, vt v.g. peccator comparuit coram ſuperiore, vel alio habente auctoritatem abſoluendi à reſeruatis; ſed abſq; vllo dolore, vel alia neceſſaria diſpoſitione; tunc licet, pœnitens à culpa nullo modo abſoluatur, imò maiorem contrahat propter ſacrilegium; tamen caſus reſeruati, dummodo fuerint integrè expoſiti, non remanent amplius reſeruati; ſed poſſunt abſolui ab alijs Confeſſoribus, à quibus poterat, ſi non adfuiſſet, talis reſeruatio; & ratio eſt, quia iam pœnitens, quoad reſeruationem omnia adimpleuit; comparuit enim coram Superiore, & omnia peccata illi expoſuit, &c. Vnde reſeruatio ablata fuit. Ita Caiet. verb. Caſuum reſeruatio; Syluеſt. ver. confeſſio 1.q.19.& alij.

14. Secundus caſus eſt, quando pœnitens confitetur habēti auctoritatem abſoluendi à reſeruatis, ſed per inculpabilem obliuionem illa non confitetur, vel aliqua ex illis; tunc ſi nullo modo aliquod peccatum reſeruatum confeſſus ſit; ſignum eſt, quod acceſſerit ad talem Superiorem tanquam ad ordinarium confeſſorem; & ſic peccata adhuc dicuntur reſeruata, cum nullo modo fuerint explicata ante legitimum iudicem; ſed ſi acceſſit cum animo confitendi omnia, etiam reſeruata; & poſtea per obliuionem aliquod, vel aliqua tantum dixit, & non omnia; dicta peccata non manent ampliùs reſeruata; quia iā cenſentur ſaltem indirectè dicta peccata abſoluta; tenetur tamen pœnitens dicta peccata oblita iterum confiteri alteri confeſſori; ita Nauarr. in ca. conſideret §. cautus num.32. de pœnit. diſt.5. & in ſumma cap.26. num.13. Gabr. in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art.3. dub.2. Filiuc. tract.7. cap.10. num. 312. Suar. diſp.31. ſect.4. num.14. & 15. vbi cum dictis Doctoribus, putat eſſe dicendū, quando pœnitens accedit ad talem Superiorē, vt poſſit abſolui etiam à reſeruatis, ſi adſint, & talem intentionem manifeſtet dicto Superiori, tunc etiam ſi obliuiſcatur, inculpabiliter tamen, reſeruatorum, non eſſe ampliùs reſeruata, & poterit talis pœnitens abſolui ab alijs Confeſſoribus, vt fuſiùs Doctores citati.

15. Sed dubium eſt, vtrum, ſi caſus habeat plures reſeruationes, vna poſſit auferri ſine alia? Reſpondeo, vel dictæ reſeruationes procedūt ab vno, vel à pluribus, ſi ab vno, cenſetur vna reſeruatio pluries repetita, & ſic ablata vna, omnes tolluntur, ſi à pluribus, vel habent eamdem iuriſdictionem inſolidum, vel ſunt Superiores ſubordinati, ſi habent eamdem iuriſdictionem, vna ablata reſeruatione, dicuntur omnes ablatæ; ſi fuerint Superiores ſubordinati, vt Epiſcopus, & Pontifex, tunc ablata reſeruatione Epiſcopi, non eſſet ablata illa Pontificis: ſed è contra, ſi eſſet ablata illa Pontificis, cēſeretur ablata illa Epiſcopi; non tamen per hoc aufertur poteſtas Epiſcopo reſeruandi ſibi caſum, niſi Pontifex id prohiberet, vel concederet facultatem abſoluendi, non obſtante reſeruatione Epiſcopi; vnde ſi daretur caſus in quo adeſſet reſeruatio Epiſcopi, & reſeruatio Pontificis; & poſtea nollet Pontifex, vt deinceps duret eius reſeruatio; tunc remaneret illa Epiſcopi; ſecùs ſi Pontifex illam auferret, dando facultatem abſoluendi, quia tunc cenſetur etiam illa Epiſcopi abſoluta, quæ doctrina intelligitur de caſibus non habentibus annexam cenſuram; nam quando caſus habent annexam cenſuram propter diuerſas reſeruationes; tūc poterit vna cēſura reſeruata manere, alia ablatá, & ſic de ſingulis; ſi autem cenſuræ dicantur plures propter plures leges eamdem cenſuram imponentes, tunc vna cenſura eſt reputanda, & ideo ea ablata, alia non remanet. Suar. diſp.31. ſect.4. nu.25. & ſeqq.

Digitized by Google

Decretum Sacræ Congregationis, quo prohibetur abſolutio à Caſibus Reſeruatis.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, iuſtis, & grauibus cauſis id exigentibus, ac de Sanctiſs. D. N. Clementis Papæ VIII. ſpeciali mandato, viuæ vocis oraculo deſuper habito, Sacerdotibus omnibus tam Sæcularibus quam Regularibus per vniuerſam Italiam extra Vrbem degentibus ad confeſſiones audiendas approbatis, quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis Ieſu, & generaliter quorumcunque aliarum, quouis nomine nuncupentur, iubet, & præcipit, ne quis eorum ſub prætextu Priuilegiorum, Indultorum, aut facultatum generaliter, vel ſpecificè, ſcripto, aut viuæ vocis oraculo, vel per communicationem à Sede Apoſtolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus ſæcularium, aut ſingularibus perſonis, ſeu alias quomodocunque ſub quibuſuis tenoribus, formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs ad cuiuſuis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum inſtantiam conceſſorum, ſeu confirmatorum, alicui cuiuſuis ſtatus, gradus, & conditionis, aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quam Sæcularis, etiam Regiæ, vel Imperialis ab vllo ex caſibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi ſolita, contentis, vel alias quomodocunque Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, aut in futurum per Sanctitatem ſuam, eiuſque ſucceſſores pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reſeruandis; Nec etiam à caſibus, quos Ordinarij locorum hactenus reſeruarunt, vel in poſterum ſibi reſeruabunt, nullo caſu etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in mortis articulo, ſeu in noua, vel ſpeciali Sanctitatis ſuæ, aut ſucceſſorum ſuorum, vel Ordinariorum quoad caſus ab ipſis tantum reſeruatos, reſpectiuè impetrata in ſcriptis licentia, Ordinarijs locorum exibenda, abſolutionis beneficio de cætero impendere audeat, vel præſumat; ſed cum opus fuerit pœnitens, ad Superiores, legitimoſque Iudices ſuos accedere conſulant, ſub pœna contrafacientibus, tam regularibus, quam ſæcularibus excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confeſſiones, & quæcunque Officia, Præturas, Beneficia, in poſterum obtinenda, ipſo facto abſque vlla alia declaratione incurrenda, ſuper quibus à nemine, niſi à Romano Pontifice habilitatio, diſpenſatio, aut abſolutio, præterquam in mortis articulo, poſſit impartiri; Sanctitas enim ſua (quatenus opus ſit) facultates, & conceſſiones ipſas in hac parte vti caſſas, & irritas haberi de cætero voluit, & vult, non obſtantibus quibuſcunque.

Præterea nouerint pœnitentes, abſolutionem, ſi quam obtinebunt contra huiuſmodi prohibitionem, eſſe nullam, nulliuſque roboris, vel momenti.

Et ne locorum Ordinarij, quibus ius hoc reſeruandorum caſuum competit, plurium, quam opus ſit, reſeruatione, ſubditis, aut confeſſarijs in animarum ſalute procuranda cooperatoribus ſint oneroſi, monentur omnes, vt paucos, eoſque tantum, quos ad Chriſtianam diſciplinam retinendam, animarũque ſibi creditarum ſalutem pro cuiuſuis Diœceſis ſtatu, & qualitate neceſſario reſeruandos eſſe iudicauerint, reſeruent. In quorum fidem, &c. Romæ die 9. menſis Ianuarij anni 1601.

Declaratio eiuſdem Decreti ab eadem Sacra Congregatione condita.

Cvm autem dubia quædam, ac difficultates circa eiuſdem Decreti interpretationem, atque obſeruationem emerſiſſent, eadem Congregatio, ne vllus deinceps obſcuritati, ſcrupulo, ambiguitate locus relinquatur, & vt clarius appareat, in quibus caſibus vigore eiuſdem Decreti reſeruatis intelligatur prohibita abſolutio, ſpeciali mandato eiuſdem Sanctiſs. D. N. Clementis Papæ VIII. ſimiliter viuæ vocis oraculo ſuper ea habito, ipſum Decretum ita moderauit, ac declarat, videlicet, ſub eiuſdem prohibitione illos tantum in poſterum comprehendi caſus, qui in Bulla

in die

in die Cœnæ Domini legi conſueta continentur. Ac præterea violationis immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis conſtitutionis fel. recor. Gregorij XIV. quæ incipit; Cum alias nonnulli violationis clauſuræ Monialium ad malum finem. Prouocantium,& pugnantium in Duello, iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini,& Conſtitutionem fel.recor.Gregorij Papæ XIV. incipientem, Ad tollendum. Inijcientium violentas manus in Clericos,iuxta Canonem. Si quis ſuadente,&c. 17.q.4. ac iuris diſpoſitionem. Simoniæ realis ſcienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes caſus,quos Ordinarij locorum ſibi reſeruarunt,vel in poſterum reſeruabunt. In quibus omnibus iam enumeratis caſibus, dumtaxat, & ſublata etiam pœna inhabilitatis audiendi confeſſiones,eadem Sacra Congregatio vult, & mandat,dictum Decretum in ſua firmitate, & priſtino robore permanere. Ac præterea declarat, eos quidam Sacerdotes tam ſæculares,quam regulares, qui aliqui ex Priuilegijs,Indultis, & Facultatibus in ſupradicto Decreto expreſſis ſuffulti fuerint, poſſe iuxta eorum Priuilegia, Indulta, & Facultates,uſu ante idem Decretum,receptas,& quæ ſub alijs reuocationibus non comprehenduntur, tantùm,& non alias abſoluere à caſibus in præſenti declaratione non comprehenſis, alijs verò Sacerdotibus,huiuſmodi Priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedi. Sed ne locorum Ordinarij,ad quos caſuum reſeruatio ſpectat, ea in re modum excedant. Eadem Sacra Congregatio illos rurſus magnopere admonendos cenſet,vt non paſſim; ſed cum id videbitur communi bono impedire,atrociorum tantum, & grauiorum criminum abſolutionem ſibi reſeruent,quorum reſeruatio ad chriſtianam diſciplinam retinendam conferat in ædificationem, non autem in deſtructionem cedat. Ne alioquin Sacramenti pœnitentiæ miniſtrorum coarctata poteſtate,Sanctæ Matris Eccleſiæ piæ mentis contrarius effectus ſubſequatur. Prohibet etiam, ne ſibi ſuperfluè reſeruent caſus in Bulla die Cœnæ Domini legi conſuetos,& contentos,neque alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſeruatos. Facultatem verò,& licentiam abſoluendi à caſibus reſeruatis, quam in ſcriptis tantum concedi permittebatur,etiam ſola viua voce concedi poſſe,declarat. Cæterum ne quis Sacerdotem ſæcularium,aut regularium,ſub prætextu,& per primo dictum Decretum,non fuerit ſufficienter eorum ſpecialibus Priuilegijs derogatum; eidem Decreto, ſic, vt præfertur declarato conuenire audeat, Sanctitas ſua Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis omnibus, in fauorem quorumcũque Ordinum, ſeu Inſtitutorum Regularium,aut Sacerdotum tam ſæcularium,quam regularium editis, necnon eorumdem Ordinum, ſeu Inſtitutorum, ac etiam Eccleſiarum,& Monaſteriorum, & aliorum ſæcularium, ſeu regularium locorum quorumcunque, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus,Priuilegijs quoque,Indultis, ac Literis Apoſtolicis,etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea,aut alias nuncupatis, eiſdem Ordinibus, ſeu Inſtitutis,ac etiam Eccleſijs, & Monaſterijs,& ſæcularibus, ſeu regularibus locis, aut perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarũ derogatorijs,alijſque efficacioribus,& inſolitis clauſulis,necnõ irritantibus, & alijs Decretis,etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis,ac etiam iteratis vicibus approbatis,& innouatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, ſpecifica expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbũ,non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio,ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum,nihil penitùs omiſſo,& forma in illis tradita, obſeruata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quo ad ea,quæ præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogat, contrarijs quibuſcunque non obſtantibus. Romæ die 26. Nouembris 1602.

Alex.Card.Florent.Epiſc.Prænestinus.

Hieron. Agucchius Secret.

Caſus

Digitized by Google

Caſus igitur, à quibus nullus tàm regularis, quàm ſæcularis abſoluere poteſt, non obſtante quocunque priuilegio etiam Confraternitatibus conceſſo; ſunt videl.

Caſus contenti in Bulla Cœnæ Domini clarè, vel dubiè.
Violationis immunitatis Eccleſiæ in terminis Conſtit. Gregorij XIV.
Violationis Clauſuræ Monialium ad malum finem.
Prouocantium, & pugnantium in Duello, in terminis Concilij Tridentini, & Conſtitut. Gregorij XIII.
Inijcientium manus violentas in Clericos, iuxta cap. Si quis ſuadente, ac iuris diſpoſitionis.
Simoniæ realis ſcienter contractæ.
Confidentiæ beneficialis.
Et omnes alij caſus, quos locorum Ordinarij ſibi hactenus reſeruarunt, aut reſeruabunt.
In alijs caſibus, poſſunt regulares, & alij vti eorum priuilegijs.
Pœnæ contra tranſgreſſores. Sunt Excommunicationis, Priuationis officiorum, Dignitatum, Beneficiorum, Inhabilitatis ad ea in poſterum obtinenda; & ipſo facto in illas tranſgreſſores incurrunt; & à nullo diſpenſari, habilitari, vel abſolui poſſunt, niſi à Sede Apoſtolica, præterquam in mortis articulo, & licet, aderat etiam pœna inhabilitatis audiendi confeſſiones; ſed fuit ſublata in prædicta declaratione, quæ omnia ſunt pro confeſſoribus tàm ſæcularibus, quam regularibus per totam Italiam, & extra Vrbem degentibus.

De obligationibus pertinētibus ad Confeſſorem, ac de ſigillo confeſſionis. Cap. LII.

1 *Parochus ſemper tenetur cōfeſſiones ſubditorum audire, quando opportuno tempore id petant.*
2 *Confeſſor tenetur cognoſcere diſpoſitionem pænitentis, vt iuſtum iudicium ferat.*
3 *Confeſſor tenetur examinare conſcientiam pænitentis, ſi cognoſcat non dixiſſe omnia peccata.*
4 *Confeſſor tenetur monere pænitentem manentem in malo ſtatu, licet, ex ignorantia inuincibili.*
5 *Confeſſor poteſt ſequi opinionem probabilem pænitentis.*
6 *Confeſſor tenetur monere pænitentem, ſi in confeſſione adfuit aliquis error eſſentialis.*
7 *Confeſſor ſi poſitiuè non obligauit pænitentem ad reſtitutionem: tenetur ipſe ad reſtitutionem.*
8 *Qui fingit ſe confeſſorem, & adminiſtrat ſacramentum, fit irregularis.*
9 *Ex confeſſione oritur obligatio ſeruandi ſecretum.*
10 *Ex ſola confeſſione ſacramētali oritur ſigillum, ſeu ſecretum ſeruandum.*
11 *Ex confeſſione facta laico, vel alio, bona fide, oritur etiam ſigillum confeſſionis.*
12 *In omni materia tam mortali, quam veniali, eſt obſeruandum ſigillum confeſſionis.*
13 *Peccatum, licet, publicum, eſt ſeruandum ſub ſigillo prout cognoſcitur in confeſſione.*
14 *Peccata venialia in communi non cadunt ſub ſigillo confeſſionis.*
15 *Pænitens non obligatur ad ſigillum confeſſionis; ſed Confeſſor, Interpres, & alij.*
16 *Confeſſor non poteſt loqui cum pænitente de auditis in confeſſione, extra confeſſionem.*
17 *De licentia pænitentis, poteſt Confeſſor loqui cum alijs de auditis in confeſſione.*
18 *Sigillum confeſſionis eſt ſeruandum tam directè, quam indirectè.*
19 *Nullus vſus externus notitiæ confeſſionis eſt li-*

Digitized by Google

eſt licitus, ſi directè, vel indirectè reueletur peccatum.

20 *In aliquo caſu poteſt confeſſor mortem euitare, licet, maligni id cognoſcant fieri ex notitia confeſſionis.*

21 *Confeſſor poteſt reddi cautior, & prudentior ex notitia confeſſionis, dummodo nulla tribuatur ſuſpicio ſcientiæ confeſſionis.*

22 *Vſus notitiæ confeſſionis aliquando poteſt eſſe licitus, ſi nulla prorſus adſit reuelatio confeſſionis.*

23 *Confeſſor poteſt negare ſuffragium illi, quē ex confeſſione nouit indignum, ſi electio fiat ſecreto modo, ſecùs ſi fiat publicè.*

24 *Nulla adeſt pœna, vel cenſura de facto incurrenda ob reuelationem confeſſionis.*

1 QVæritur primum, vtrum proprius Sacerdos, vt Parochus, teneatur ſemper confeſſiones ſuarum ouium audire, quando id petierint? & aliqui reſpondent, teneri illas audire, quando tenentur confiteri; ſed non quando voluerint abſque neceſſitate, ita Sylu. verb. confeſſor 1. num. 18. Medina q. 41. de confeſſione per Curatum audien. & alij; ſed meritò hanc opinionē reprehendit Sot. d. 18. q. 4. art. 1. Nauar. in cap. conſideret de pœnit. d. 6. à num. 152. Adrian. q. 5. de confeſſ. dub. 18. & verè talis opinio tuta non eſt. Vnde dicendum puto, Parochum non ſolum teneri miniſtrare hoc Sacramentum, quando ſubditi ad id tenentur, ſed etiam, quandocunque petierint, dummodo tamen opportuno tempore, & iuſta cauſa petant, nec aliqua cauſa rationabilis adſit ad id denegandum; & ratio eſt, quia Parochus non ſolum tenetur ratione neceſſitatis ſubditorum; ſed etiam ratione vtilitatis, commodi, & profectus eorum; magnum enim incommodum, & graue periculum ſubirent, animæ fidelium, ſi eis non niſi ſemel in anno adminiſtraretur hoc Sacramentum; & cum fideles paſcant eorum Parochum ob Sacramentorū adminiſtrationem; non debent pati tale detrimentū, & incommodum; cum ſit contra omnem iuſtitiam.

2. Tenetur etiā tàm Parochus, quàm quilibet alius confeſſor cognoſcere diſpoſitionem pœnitentis, vt poſſit iuſtum iudicium facere; quæ diſpoſitio in duo conſiſtit, ſcilicet in diſplicentia præteritorum, & propoſito in futurum. Et quando adeſt aliqua obligatio reſtituendi, non eſt neceſſe, vt confeſſor cogat pœnitentem ad reſtituendum ante abſolutionem; ſed ſufficiet ſi confeſſor cognoſcat pœnitentem habere verum animum reſtituēdi, vel ſtatim poſt confeſſionem, vel quando venerit ad pinguiorem fortunam; ſi autem aderit alia obligatio relinquendi occaſionem in futurum; tunc idem etiam dicendū erit; & ſi tàm in hoc caſu, quam in iam dicto pœnitens iterum, atque iterum cadat, vel potens non reſtituat; debet cōfeſſor remittere pœnitentē donec ſuam obligationem adimpleat, vt Caiet. verb. Reſtitutio cap. 6. D. Antonin. 2. par. tit. 2. cap. 8. & alij; vide etiam Nauar. cap. 3. num. 10. vbi multa aſſerit circa obligationem relinquēdi occaſionem in futurum:

3. Item tenetur confeſſor examinare conſcientiam pœnitentis, ſi cognoſcat nō dixiſſe omnia peccata, & eorū circumſtantias; quia cum ſit iudex animæ pœnitentis, tenetur procurare integram cauſam cognoſcere, vt iuſtum iudicium ferat; Vnde in cap. Vtriuſque ſexus ſic dicitur; *Sit ſacerdos diſcretus, & cautus, more periti Medici, diligenter inquirens peccatorū circumſtantias.* Et miror quomodo Medina Cod. de confeſſione, quæſt. de confeſſione iteranda; aſſerat. Confeſſorem cognoſcentem pœnitentē non feciſſe ſufficiens examen, non teneri illum interrogare, etiam ſi cognoſcat omittere peccata in confeſſione, &c. quod certè eſt contra omnem rationem naturalem, & contra omnem iuſtitiam iudici competentem; ideò contraria eſt omninò tenenda, vt ſupra, vt docet Magiſt. ſent. in 4. d. 19. & ibi D. Thom. in fine literæ poſt omnes queſtiones, Sot. d. 18. q. 2. art. 4. Nauar. cap. 5. num. 2. & alij; ſed quid ſi confeſſor ſciat peccatum pœnitentis; & tamen pœnitens illud neget in confeſſione? tunc iuxta D. Tho. quolibet 1. art. 12. credendū eſt, pœnitenti tàm pro ſe, quàm contra ſe; nam iudex in omni foro debet procedere iuxta allegata, & probata, & non iuxta propriam ſcientiam; ita tenent etiam citati Doctores.

4. Quid etiam debeat facere confeſſor, quando pœnitens manet in malo ſtatu materialiter tantum, ſcilicet, ex ignorantia inuincibili; vt v.g. pænitẽs poſſidet rem alienam, quã inuincibiliter poteſt credere non eſſe ſuam; vel ſi habeat impedimẽtum dirimens matrimonium, quod ipſe inuincibiliter ignorat? Reſpondeo, ſi tunc confeſſor ſperet ſuam monitionem profuturam, non debet illam omittere; ſed tenetur omninò illam facere, & hoc tam ratione charitatis, quàm ratione officij, ſubit enim vices Paſtoris in tali officio, Sot. d. 18. q. 2. art. 4. P. Sot. lect. 10. de confeſſione; & alij multi, quos ſequitur Suar. diſp. 32. ſect. 4. vnde P. Auguſtinus in cap. Si quis autem de pœnit. d. 5. ſic ait; *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non admonerem, non te terrerem.* In caſu igitur, quod confeſſor nihil prodeſſe putet, debet relinquere pænitentem in bona fide.

5. Aliud dubium eſt, quid facere debeat confeſſor, quando ipſe ſequitur opinionem probabiliorem, & pænitens vult ſequi opinionem probabilem? Reſpondeo, tunc poſſe confeſſorem ſe cõformare cum opinione pænitentis, & illum abſoluere; ita docet Sot. d. 18. q. 2. art. 5. in fine, Nauar. cap. 27. num. 280. & 288. & in cap. Si quis autem num. 66. de pænit. d. 7. D. Antonin. 1. par. tit. 4. cap. 10. §. 10. quidquid alij in contrarium aſſerant, vel diſtinguant; nam abſque vlla exceptione, doctrina vera eſt.

6. Sed ad quid teneatur cõfeſſor, quãdo aliquem errorem commiſit in confeſſione ſiuè ex malitia, ſiuè ex inaduertẽtia? In quo dubio diſtinguendum eſt, aut error conſiſtit in re eſſentiali ad ſubſtantiam Sacramenti, vt ſi confeſſor abſoluerit abſque iuriſdictione, vel abſque intentione abſoluendi; aut quia abſoluit pœnitentem culpabiliter non diſpoſitum, vel non integrè confeſſum, &c. vel error conſiſtit in eo, quod non functus eſt officio ſuo in confeſſione, vt tenebatur, v. g. ſi non obligauit pœnitentem ad reſtitutionem, ad quam ex iuſtitia tenebatur; vel non tollendi occaſionem peccati; aut quid ſimile; & loquendo de errore primo modo; certum eſt confeſſorem teneri admonere pœnitentem de tali errore ſecreto modo, quando tamen id poteſt abſq; graui nocumẽto, vel ſcandalo; & ita docet Sot. d. 18. q. 4. art. 6. Nauar. cap. 1. de pœnit. d. 6. nu. 60. Sylu. verb. confeſſor 3. in princ. & alij, licet D. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 12. aſſerat, in tali caſu poſſe confeſſorem ſupplere id, quod omiſit ex ſe ipſo, abſque pœnitente, vt petendo iuriſdictionem, vel præbendo intentionem abſoluendi, aut repetendo formam abſolutionis, ſi illam omiſit, dirigendo illam ad pœnitentem; quia etiam ipſo pœnitente inſcio, habebit effectum Sacramenti, ſi fuerit diſpoſitus, quod ex aliquibus circũſtantij confeſſor coniectare debet, & teſtatur dictus Sanctus talem modum ſupplẽdi defectum confeſſionis placuiſſe multis Patribus in Concil. Baſilienſi; & placet etiam Nauar. cap. 26. nu. 14. & ratio horum Doctorum eſt, quia putant abſolutionem poſſe ferri in abſentem, quando præceſſit materia; quæ ſententia, ſi loqueretur de excommunicatione, vera eſſet, quia ad illam non requiritur forma verborum, nec vt pœnitens ſit in gratia, aut non ſit inuitus; ſufficit tantum intentio habentis iuriſdictionẽ; ſed quia agitur de abſolutione peccatorum, in qua requiritur præſentia pœnitẽtis, vt probauimus in cap. 40. nec non, vt ſit diſpoſitus cum debita intẽtione ſaltem virtuali, vt in furioſis, freneticis, & ſimilibus; Ideò tuta iudicari non poteſt; vt probat etiam Suar. diſp. 32. ſect. 6.

7. Si autem error erit ſecũdo modo; tunc vel in tali errore adfuit damnũ tertij, vel non, ſi adfuit, ad nihil tenetur confeſſor, niſi ad pænitentiam agendam de peccato commiſſo; ſi adfuit tenetur confeſſor pœnitentem monere, vt ſupra; & ſi non poſſit, vel cum effectu ſequatur damnum tertij, quia non obligauit, v.g. pænitentem ad reſtituendum, aut obligauit aliquem, qui non tenebatur; tunc confeſſor tenetur ad reſtitutionem damni illati, ſi malitia, vel grauis negligentia interceſſit; & dummodo etiam poſitiuè ſe geſſerit confeſſor, ſcilicet, conſulendo, vt reſtitutio non fieret, vel fieret reſpectu illius, qui nullo modo tenebatur; & ratio eſt, quia omittẽdo confeſſor aliquid ad quod tenebatur; non ex eo peccat contra iuſtitiam reſpectu illius, cui reſtitutio debebatur, vel non tenebatur;

Digitized by Google

tur; ſed tantum peccat cōtra Religionem, non rectè adminiſtrando Sacramentum;ita Suar.dicta diſp.32.ſect.6.num.9.

8. Vtrum autem adſit aliqua pœna cōtra laicum,Clericum, vel Sacerdotem, qui fingeret ſe confeſſorem, & hoc Sacramentum adminiſtraret; variæ ſunt opiniones,vt refert Suar.diſp.32.ſect.7.tamen dicendum eſt omnem fictum confeſſorem incidere in irregularitatem; quæ ſententia eſt communis Canoniſtarum; & eam tenet Sot.d.18.q.4.art.1.in fine, Nauar.cap.27. num.142.& alij, quādo tamen adeſſet mera temeritas,vide Suar.loco cit.nu.4.

9. Quoad ſigillum confeſsionis, dico, Duo eſſe certa in hac materia,primum eſt, ex confeſsione oriri obligationem ſeruandi ſecretum,ſeu ſigillum; & hoc tam ex lege naturali,& ex tacito pacto inter confeſſorem, & pœnitentem; quam ex lege Religionis, ſuppoſita huius Sacramenti inſtitutione; Secundum eſt,quod dictum ſigillum in nullo caſu frangi poſsit, & ob nullum finem, nec etiam pro tuenda tota Republica; quam doctrinam omnes Thologi communiter aſſerunt cum D.Thom.in 4. d.21. q.3. art. 1. vbi contrariam ſententiam erroneam vocat, & quolibet 1.art.8. Sot.d. 18.q.4.art.5.P.Sot.lect.11.de confeſs.Couar.in 4.par.2.cap.8.§.12.num.10.& omnes alij;& ratio eſt, quia aliter magna iniuria fieret Sacramento; Vnde qui contra hoc ſigillum ageret præter peccatum contra iuſtitiam, quod committeret, peccati ſacrilegij cōtra Sacramentum etiam reus eſſet; Ideò in cap. Sacerdos de pænit.d.6. dicitur, propter nullum ſcandalum vitandum, frangendum eſſe hoc ſigillum; & in cap. Omnis de pœnit. & remiſſ. Caueant omninò ne verbo, aut ſigno, aut alio quouis modo aliquatenus prodant peccatorē, & iniungitur depoſitio, & detruſio in arctū Monaſterium contra reuelātem, vt Filiuc. tract.7.cap.11.num.316.

10. Oritur autem hoc ſigillum ex ſola confeſsione ſacramentali; nam ex confeſsione facta laico, vel Clerico nō Sacerdoti, non oritur, niſi ſecretum naturale, quod non habet eādem vim;quia aliquando ſecretum naturale licitum eſt reuelare, quando vrget bonum commune, ex virtuali,& rationabili pacto; aliter pactum eſſet iniquum,& non eſſet ſeruandum,vt notat Nauar.cap.1.in princ.de pœnit.d.6. At ſecretum cōfeſsionis ex nulla cauſa, aut occaſione reuelari poteſt ex voluntate Chriſti,ſic dictum Sacramentum inſtituentis ex communi ſenſu Eccleſiæ, & ex perpetua traditione; Vnde licet, aliqui multoties dicant, hoc tibi dico ſub ſigillo confeſsionis;ſed reuera non poteſt cadere ſub ſigillo confeſsionis, niſi id, quod ſpectat ad confeſsionem;eſt tamen reputanda talis res indigens maiori ſecreto,quam aliæ res, vide Suar.diſp.33. ſect.2. & Filiuc. tract.7. cap. 11.num.119.

11. Sed vtrum oriatur tale ſigillū ex confeſsione facta laico exiſtimato Sacerdote, vel alio non confeſſore, quando bona fide pænitens accedit,& confitetur? Reſpondeo affirmatiuè, ita communiter omnes; quia peccata fuerūt dicta in ordine ad confeſsionem; & priuilegium confeſsionis eſt, vt ex ea oriatur tale ſigillum, aliter, grauis iniuria fieret Sacramento, & pænitenti,& confeſsio odioſa redderetur,Suar. diſp.33 ſect.2.num.3.Filiuc.tract.7.cap.11 num.320. Bonac.diſp.5. q.6. ſect.5.pun.2. num.2. & alij; & regula generalis aſsignari poteſt; ſcilicet,vt quotieſcunque pænitens accedat bona fide animo ſe accuſandi in hoc foro pænitentiali, & ſubijciendi clauibus Eccleſiæ,ſemper oriatur ſigillum confeſsionis, vt optimè explicat Caiet.2.2.q. 70.art.1.& tom.1. opuſcul.tract.21.Sot.d. 18.q.4.art.5.& in relect.de Sacram. mēbr. 2.q.7. Nauar.cap.18. num.55. ex quo fundamēto ſequitur, quod multo magis oriatur ſigillum ex confeſsione incepta, licet, non potuerit perfici; quod optimè docet D.Thom. d.21.q.3. art.1.vbi ait: *Non eſſe neceſſarium ad ſigillum confeſſionis,vt confeſſio fiat cum omnibus requiſitis ad abſolutionem*, aliter non poſſent pænitentes ſecurè confiteri,quia in caſu,quo ex aliquo penitentis, vel confeſſarij indiſpoſitione,cōfeſsio perfici non poſsit, manifeſtari poſſent eorum peccata,quod eſt abſurdum;imò iuxta Caietanum loco citato; dictum ſigillum oritur etiam ſi pænitens accedat non animo confitendi, ſed conſulendi animæ ſuæ; ſed hoc negant Sot.& Nauar.quia ſequeretur,

Digitized by Google

quod omnis conſultatio facta ad bonum animæ, induceret obligationem ſigilli cōfeſſionis; inducit tamen ſecretum naturale.

12. Sed quæritur vtrum in omni materia confeſſionis ſit ſeruandum ſigillum? Reſpōdeo; in primis cadere ſigillum ſuper quodlibet peccatum ſiuè mortale, ſiuè veniale, licet, minimum, niſi ignorantia, vel naturalis inaduertentia excuſaret, ita communiter omnes, vt Sot. relect. de ſecreto q. 3. cap. 3. Nauar. & alij omnes præter Ledeſm. 2. par. 4. q. 11. art. 1. cap. 5. qui docet, reuelare peccatum veniale, non manifeſtando illud audiuiſſe in confeſſione, non eſſe mortale; quæ ſententia eſt contra communem ſenſum, & directè contra inſtitutionem Sacramenti. Cadit etiam ſigillum ſuper omnes circumſtātias, & obiecta peccatorum; v. g. ſi quis confiteatur habuiſſe propoſitum, vel tentationem fornicandi; ſuper dictam fornicationem cadit ſigillū, etiam ſi peccatum non fuerit conſummatum, nec peccator in tale peccatum conſenſerit; quia hoc etiam ſpectat ad reuerētiam Sacramenti; & alias Sacramentum eſſet odioſum. Et idem dicas, ſi quis dicat in confeſſione habere voluntatem fornicandi, occidendi, &c. quamuis in illam nō conſentiat; quia omnia dicuntur in ordine ad confeſſionem, D. Thom. in 4. d. 21. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. Sot. d. 18. q. 4. art. 5. ad 2. & relect. de tenend. ſecret. membr. 3. q. 4 dub. 1. P. Sot. lect. 11. de confeſſione, Caiet. tom. 1. opuſcul. tit. 21. & alij communiter. Item ſigillum cadit ſuper omnia illa, quæ dicuntur ad declarandum peccatum; quia etiam iſta per reductionem, cenſentur materia cōfeſſionis; & addit Sot. dicto art. 5. *Si quis occaſione dicendi peccata, declaret habere defectum originis, vel quid ſimile, totum id cadere ſub ſigillo; quia licet, non ſit materia confeſſionis, dicitur tamen propter confeſſionem, & aliter non diceretur; & hoc eſt omninò neceſſarium, vt tolerabilis ſit confeſſio*; Non tenetur tamen confeſſor ad ſigillum, ſi pœnitens accedat animo inducendi illum ad peccatum, vel illudendi, aut decipiendi; Vnde Sot. in cit. art. 9. narrat quēdam Cardinalem fuiſſe mulctatum à Summo Pontifice, eo, quod non manifeſtauerit conſpirationem in ipſum Pontificem, quam alter ipſi aperuerat in confeſſione animo trahendi ipſum ad eamdem conſpirationem; idem docet Bonac. cum alijs diſp. 5. q. 6. ſect. 5. num. 5. & 7.

13. Cadit etiam ſub ſigillo confeſſionis peccatum publicum, quatenus in confeſſione cognoſcitur; Vnde etiam ſi erat publicum confeſſario, non tamen poteſt dicere illud audiuiſſe in cōfeſſione, quamuis hoc cederet in honorem pœnitentis; quia, etſi non infamaretur pænitens, eſſet tamen contra dignitatem, & inſtitutionem Sacramenti; & eſſet etiam contra famam pænitentis; quia magis aggrauaret caſum, & precipuè quoad certitudinem; ita Diuus Thom. loco cit. Caiet. verb. confeſſor in fine, Nauar. cap. 8. num. 11. & alij; poteſt tamen loqui confeſſor de tali peccato iuxta notitiam, quam ex publica fama habet, nullo modo tangendo confeſſionem, ex eiſdē Doctoribus; Vnde benè poteſt confeſſor repellere à communione vſurarium publicum, quem noluit abſoluere in confeſſione, ſed non ex ſcientia confeſſionis, nec aliquid nominando de cōfeſſione; ſed ex publica fama nota, etiam dicto confeſſori; & ſimiliter, vt ait Sot. ſi confeſſor ſuſpicetur aliquem furaſſe res ſuas, poſſet illum accuſare apud iudicem, quamuis eidem confeſſori fur confeſſus eſſet; nō vtendo ſcientia confeſſionis; ſed ſignis ſuſpicionis, quæ extra confeſſionem habuit; licet, hoc difficiliter in praxi videtur poſſe fieri ſine ſcandalo, & irreuerentia Sacramenti; niſi ſaltem accuſatio præceſſiſset confeſſionem; & tunc confeſsor poſset alio remedio vti: quæ omnia intelligenda ſunt cum ordine ad perſonas; nam peccatum dici poteſt; ſed non perſona, quando tamen nulla ſuſpicio dari poſſet de perſona, & dummodo non dicatur coram eodē peccatore, vel ad modum, quo faciliter talem publicationem peccati ſcire poſſet: quia hoc eſſet in magnum ruborem peccatoris, & fortè etiam in damnum, & confeſſio redderetur odioſa, & ideò nūquā puto ex quauis cauſa, de auditis in cōfeſſione eſſe loquendum; & quamuis nominetur aliqua Communitas; v. g. Religioſus talis Religionis; adhuc datur fractio ſigilli propter

pter iniuriam, quã patitur Religio, & conſequenter pœnitens ex confeſſione, ita Ledeſm.2.p.4.q.10.artic.2.licet, Nauarr.loc. cit.aſſerat eſſe quidem peccatum, ſed non contra ſigillum; at cum hoc peccatũ oriatur ex malo vſu confeſſionis, neceſſariò dicendum eſt, quod ſit etiam cõtra ſigillum; ſecùs puto dicendum, quando nominatur perſona in genere alicuius Ciuitatis, Opidi, & ſimilium: quia cum vbique ſint boni, & mali, nec communitas, nec pœnitens, aliquam iniuriam patitur; vt ſuppono.

14. Peccata autem venialia in communi non cadunt ſub ſigillo: v.g.non peccat Confeſſor ſi dicat abſolui Petrum à re veniali;quia eo ipſo,quod quis confitetur, neceſſe eſt, vt adſint venialia; & quia hoc aliquando dici ſolet in laudem pœnitẽtis; ideò aduertit Nauarr.in cap. Sacerdos de pœnit. d.6. nu.71. ne Confeſſor ita laudet vnum pœnitentem; vt alteri afferat iniuriam; vt ſi Confeſſor audiat tãtum confeſſionem duorum, vel trium, non debet de vno affirmare nunquam habere niſi venialia; quia ſequeretur, quod alij habeant mortalia; nec Superior poteſt dicere audiuiſſe cõfeſſionem alicuius ea occaſione, & modo, vt de eo ſuſpicionem dare poſſit, habuiſſe rem grauem pertinentem ad ipſum Superiorem; eſt etiam aduertendum, eſſe etiam contra ſigillum confeſſionis aſſerere de Religioſo, vel alia perſona exiſtẽte in opinione ſingularis ſanctitatis apud alios, habuiſſe peccata venialia in confeſſione, quia licet, confeſſio non poſſit dari, niſi adſint venialia, tamen huiuſmodi perſonæ, non de venialibus, ſed de atomis conſcientiæ confiteri ſolent; & in vltimo pro certa materia confeſſionis ſolent dicere aliqua venialia olim facta; Vnde dicere de ſimilibus perſonis habuiſſe peccata venialia actualia, ſcilicet de nouo commiſſa eſſet omninò contra ſigillum confeſſionis, & contra famam talis perſonæ;& maximè, quia maius ſcandalum ſolent afferre venialia huiuſmodi perſonarum;quam ſacrilegia aliorum. Alia verò, quæ ſolent dici in confeſsione non pertinentia ad ſacramẽtum,nec ad accuſationem peccatorum; vt ſupra;nõ cadunt ſub ſigillo, licet, etiam in his magna prudentia debet vti Confeſſor.

15. Quæritur ſecundò, quænam perſonæ obligentur ad ſigillum confeſsionis? ſed in primis certum eſt, pœnitentem non obligari ad dictum ſigillum, imò de eius licentia, & voluntate, poteſt etiam Cõfeſſor loqui, & licet, etiam pœnitens teneatur celare ea, quæ audiuit à Confeſſore; quando Confeſſor id præciperet, vel res eſſent odioſæ; tamen hoc eſt tantum reſpectu ſigilli naturalis, & non confeſsionis; vt docet Sot.dict.relect. de ſacram. memb.3. q.4.concluſ.4.& Richar. diſt.21.art.5.q.3. quos ſequitur Suar.diſp.33. ſect.4.num.2. quo poſito. Reſpondeo, quinque eſſe genera perſonarum, quæ tenentur ad ſigillũ confeſsionis; & primo loco ponitur Confeſſarius,ad quẽ reducitur Superior,quando ab eo petitur facultas abſoluendi à reſeruatis; ad ipſum enim refertur ratione confeſsionis;& ex conſequenti ſub eodem ſigillo, vt idem Suar. num.3. Filiucc.tract. 7. cap.11. num.323. & alij. Secundo loco ponuntur interpretes: & quamuis Caiet. ver.confeſsio condit.11. & Sot.loc.cit.aſſerant,interpretes non obligari tali ſigillo, quia nec ipſi habẽt claues, nec ſunt ibi inſtrumentum Chriſti: tamen D. Thom. d. 21.q.3.art.2.quæſtiunc.3.ait. *Sicut Interpres participat actum clauium,ita participare ſigillum*. Quem modũ loquendi ſequuntur Richar.dicta d.21.art.4.q.3.Medin.de ſigillo q.50. Scot.d.17.q.1. & alij, quos ſequitur Suar.loc.cit.num.4. & Filiucc.ibid. §.Secundò. Tertio loco ponitur Conſiliarius, quem Confeſſarius conſuluit de licentia pœnitentis; quia in tali caſu dictus Conſiliarius participat etiam ipſe actum clauium. P.Sot.lect.11.de confeſsione: & alij citati. Quarto loco ponitur ille, qui furtiuè audiuit confeſsionem alterius, vel à caſu; quia aliter ſequeretur iniuria tam contra ſacramentum, quam contra pœnitentem; vel vt dicit Nauarr. res quando tranſit ad alium,tranſit cum ſuo onere. Vnde ſequitur, quod, ſi ex aliqua occaſione multi audiant confeſsionem alterius eo quod alta voce penitens loquatur, omnes teneantur ad ſigillum cõfeſsionis, & idem dicas de audientibus aliquem reuelantem

confeſsionem alterius; ſemper enim talis reuelatio tranſit ad alios cum onere eiuſdem ſigilli; & ideò dum quis reuelat (etiã ſi res ſit nota) ſemper committit ſacrilegium: & hi ſunt, qui quinto loco ponuntur. Suar. diſput. 33. ſect. 4. num. 8. Filiucc. loc. cit. & alij apud ipſos.

16. Sed dubium eſt, vtrum Confeſſor poſsit loqui cum eodem pænitente de auditis in confeſsione? & negatiuè communiter omnes reſpondent, ageret enim contra ſigillum confeſſionis, quatenus ſigillum obligat Confeſſorem, vt nullo modo de auditis in confeſſione loquatur: ita Sot. 4. diſt. 18. quæſt. 4. artic. 6. & releſt. de ſecreto memb. 3. q. 4. dub. 4. poſt quintam concluſionem; & ratio eſt, quia ad finem huius legis, & bonum ſacramenti; neceſſe eſt, vt Confeſſor non ſolum non loquatur cum infamia pœnitentis; ſed nec etiam cum rubore, & cum ex tali locutione oriretur talis rubor in pœnitente, qui poſſet etiam illum retrahere à ſacramento, ideò neceſſariò dicendum eſt, Confeſſorem nec cum ipſo pœnitente loqui poſſe de auditis in confeſſione; quando autem confeſſor teneretur monere pœnitẽtem, ob aliquem errorem commiſſum in cõfeſſione; tunc poſſe dicere pœnitenti, velle quamdam rem neceſſariam ad confeſſionem illi aperire: vel in confeſſione loqui; quod ſi affirmet; poterit loqui; ſi autẽ id nollet; poſſet tunc dictum errorem aperire etiam contra voluntatem pœnitentis; quia cenſetur irrationabiliter inuitus; nec Confeſſor in tali caſu putatur loqui extra confeſſionem, ſed ſupplere, ſeù perficere eamdem confeſſionem, vt Suar. diſput. 33. ſec. 5. nu. 3. Filiucc. tr. 7. cap. 11. num. 324.

17. Quid autem dicendum ſit de locutione cum alijs? Dico, de licentia pœnitentis licitum eſſe loqui de auditis in cõfeſſione cum alijs, ità communiter omnes, præter Scot. diſt. 21. Durand. q. 4. & paucos alios docentes, nec cum dicta facultate, Confeſſorem, vel alium obligatũ ad ſigillũ, vt ſupra poſſe de rebus in confeſsione auditis loqui cum alijs; noſtrã tamen concluſionem tenet D. Thom. d. 21. q. 3. art. 2. Sot. diſt. 18. q. 4. artic. 6. & in cit. Releſt. P. Sot. lect. 11. de confeſſ. Nauarr. cap. 8. num. 2. & cap. 18. num. 12. & in cap. Sacerdos num. 127. Cardin. in d. cap. Sacerd. de pęnit. d. 6. Syluеſ. ver. Confeſſor 3. q. 3. & 5. Filiucc. nu. 325. Suar. nu. 6. & alij: & ratio eſt, quia hoc ſigillum, licet, ſit ſacrum, continetur tamen ſub genere ſecreti; & eius naturam comitatur. Vnde in poſſe cõmittentis ſecreti erit, an ſit propalandum, nec ne, eſt tamen notãdum; quod ad hoc requiritur licentia expreſſa, & non ſufficit præſumpta, nec ratihabitio, & ſimiliter, qui audit à Confeſſore res pertinentes ad confeſsionem vt ratione cõſilij, vel alterius rei, quamuis de licentia pœnitentis; tenetur etiam ad ſigillum; Confeſſores autem, qui loquuntur in ſomno, & maximè ſi alijs interrogãtibus aptè reſpõdeant, vt in aliquibus expertus ſum, non debent reputari apti ad hoc munus, cum præcipua conditio, quæ requiritur in Confeſſore, ſit conſeruatio ſigilli.

18. Eſt etiam ſciendum, dictum ſigillum confeſſionis eſſe ſeruandum nõ ſolum directè; ſed etiam indirectè; & ratio eſt, quia idem detrimentum, & incommodum ſequitur ex reuelatione directa confeſsionis, quã ex reuelatione indirecta; & ideò vtraq; intelligitur prohibita; Vnde ſi quis diceret non abſolui Petrum; hæc locutio eſt indirecta reuelatio confeſsionis; & operatur eũdem effectum, ac reuelatio directa, quia iã intelligitur, Petrum non fuiſſe abſolutum ex aliqua culpa graui, à qua abſolui non poterat; vel non habuiſſe debitam diſpoſitionem; ita Sot. loco cit. Nauar. cap. 8. num. 10. & d. cap. Sacerdos nu. 63. & alij communiter præter Caiet. verb. confeſsio negantem hanc eſſe reuelationem indirectam. Sic etiam eſt ſeruandum hoc ſigillum non ſolum verbis, ſed etiam factis, aut ſignis; & ſumitur ex cap. Omnis vtriuſque ſexus, vbi hæc notantur. *Verbo, vel ſigno, vel alio modo*; Vnde Parochus ex ſcientia confeſsionis non poteſt negare, nec communionem, nec alia Sacramenta pænitenti, & idem eſt dicendum de negatione abſolutionis reſpectu vnius ex ſcientia confeſsionis alterius; imò neq; confeſſor tenetur vitare pænitentẽ, quem in confeſsione nouit eſſe excommunicatum; quia licet, alijs id non reuelet, reuelat

ta-

Digitized by Google

tamen ipſimet pænitenti, quod etiam eſt prohibitum; vt Medina, & Ledeſm. quos ſequitur Suar.diſp.33.ſect.6.num.4. Item in interrogationibus, confeſſor, tàm in iudicio, quàm extra, debet reſpõdere eodem modo, ac reſpondere teneretur, ſi interrogaretur de rebus, quas nullo modo ſcit; quia id, quod ſcit confeſſor in confeſsione, eſt reputandum minus, ac id, quod verè neſcitur; quæ poteſt eſſe regula generalis in hac materia, nec adeſt mendacium; quia ſemper virtualiter intelligitur ignorantia reſpectu reuelationis; & ſi confeſſor deberet mortẽ ſubire, teneretur illam pati, potius quam dictũ ſigillum frangere, ita communiter omnes.

19. Quæritur tertiò. An licitus ſit aliquis vſus externus notitiæ habitæ in confeſsione? Et ex iam dictis, in primis, colligitur, nullum vſum externum talis notitiæ eſſe licitum, nec vllo modo fieri poſſe aliquem actum, per quem directè, vel indirectè manifeſtetur peccatum pænitentis; & præter exempla proximè allata, adeſt etiã aliud vulgare de ſuperiore, qui nullo modo poteſt gubernare ſubditum ex notitia, quam habet in confeſsione, quando alij, vel etiam ipſemet ſubditus ſuſpicare poſſet, id fieri ex notitia confeſsionis; nam iuxta iam dicta, ſigillum eſt ſeruandum, etiam reſpectu pænitentis; Vnde non poterit Superior ex tali notitia illũ amouere ab officio, vel mutare in alium locum; nec in confeſsione poteſt imponere pænitentiam publicam ob aliquid graue, vel minimum auditum in confeſsione; At ſi caſus exegiſſet, vt ſubditus amoueretur; tunc poſſet Superior in confeſsione ei præcipere, vt tali officio ſpontè renuntiet, quod ſi facere noluerit, non debet illum abſoluere; quod eſt intelligendum, quando tale officium eſt duraturum aliquo determinato tempore; & amoueri officialis non ſoleat, niſi ex graui cauſa, ſecùs quando officium non habet certum tempus; & officialis faciliter ex diuerſis occaſionibus amouetur; tunc enim iuxta Sylu. verb. confeſsio 3. q.4. & alios, eſſet licitum, licet, pænitẽs ſuſpicetur amoueri ex ſcientia confeſsionis, dummodo ſuſpicio non ſit etiam in alijs; ſed iuxta doctrinam ſupra traditã, quæ omninò tenenda eſt, nullo modo id eſſet licitum; quia reſpectu pænitẽtis cõfeſsio redderetur odioſa, vt docet etiam Richar. art.4.q.2.ad 4. Filiuc.tract.7.cap.11.num.333. Suar.diſp. 33.ſect.7.num.4. & alij, quæ doctrina, licet, ſit certa reſpectu omnium; Apud regulares tamen, & reſpectu Superiorum regularium eſt certiſsima, vt patet ex Decreto Clementis VIII. de caſibus reſeruatis Superioribus regularibus, vbi ſic loquitur. *Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti; Caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Atque ita per quoſcunque regularium Superiores, quicunque illi ſint, obſeruari mandauit.*

20. Sed dubium eſt, quid facere debeat confeſſor, ſi ex confeſſione nouerit, mortiferum venenum fuiſſe in vinum ampullarum immiſſum; & nec poſſit aliud vinum petere, nec ſacrificium omittere? & ſi petierit, vel ſacrificium omiſerit, manifeſtabit confeſſionem; ſaltem reſpectu pœnitentis, & illorum, qui venenũ immiſerunt, vel fuerũt complices, quod totum eſt prohibitum, vt diximus; Et propter hanc rationem, & propter doctrinam iam traditã, aliqui reſpondent, confeſſorem debere in tali caſu mortem ſubire; quia aliter ſequeretur, confeſſionem indirectè reuelari poſſe; & ita tenet Richard. art.4. q.2. Nauar. dicto cap. Sacerdos num.135. Suar. diſput. 33.ſect.7.num.7. & Filiuc. tract.7. cap.11. num.334. Alij autem docent, confeſſorem poſſe vitare talem ſacrificium, vel fugere, quidquid inde ſequatur, & ratio eſt, quia talis actio ex ſe non eſt reuelatiua confeſſionis; ſed eſt indifferens, & poteſt procedere ex multis cauſis; & licet, ex ea colligant, qui fuerunt cõplices, id fieri per notitiam confeſſionis; hoc tamen aduenit ex eorum malignitate, & non ex actione facta à confeſſario; ſed hęc ratio impugnari poteſt, quia ad manifeſtationem confeſſionis, non requiritur, vt actio ſit ex ſui natura manifeſtatiua cõfeſsionis; ſed ſufficit vt moraliter indirectè dictam confeſſionem manifeſtet. Et ideò in fauorem huius opinionis, & ne diſcedamus à doctri-

na tradita, aliam rationem puto poſſe aſſignari; & eſt; quia ſigillum cõfeſſionis præcipuè dirigitur ad bonum pœnitentis, & non ſolũ nullum malum ei aduenire debet ex confeſſione; ſed nec etiam nullus rubor, aut pudor; ipſo pœnitente inuito; quia ex eius voluntate, poterit confeſſor manifeſtare confeſſionem; ex quo colligitur, quod irreuerentia grauis, quæ fit huic Sacramento, propter reuelationem prouenit, ſeu eſt per ordinem ad damnum pœnitentis, & quatenus ex tale manifeſtatione pœnitens aborreret Sacramentum; At in dicto caſu, ſi confeſſor aliqua excuſatione aſſumpta, euitet ſacrificium, licet iniqui putent, id confeſſorem agere ex notitia confeſſionis; hoc tamen non eſt in damnum pænitentis, nec in eius ruborem, nec poteſt hinc ſumere occaſionem aborrendi Sacramentum; & eo magis, ſi confeſſor hoc faciat ex conſenſu pœnitentis, ad quod talis pœnitens aſſentire omninò tenetur, aliter nec abſolui debet; & confeſſor poteſt vti iure ſuo omittendo ſacrificium; quia verè de hac actione nullo modo pœnitens conqueri poteſt, nec debet, in quã opinionem inclinat Sot. in releƈt. de ſecreto, memb. 3. q. 4. docet illam Sylu. verb. confeſſor 3. q. 2. Scot. in 4. d. 21. q. 2. ad 3. Gabr. ibidem ar. 3. dub. 1. Maior. q. 3. ad 2. & Bonac. diſp. 5. q. 6. ſect. 5. pun. 4. nu. 29. & alij.

21. Addo etiam, poſſe confeſſarium cautiorem reddi ex auditis in confeſſione, & attentiorem, ac vigilantiorem modo tamen ab alijs vſitato; quia ex hoc non redditur odioſa confeſſio, nec malum, aut pudor aduenit pænitenti, vt Sot. d. 18. q. 4. art. 5. Reginal. lib. 3. cap. 6. num. 32. & alij; Vnde, confeſſarius, qui nouit ex confeſſione ſuum famulum eſse furem, poterit prudenti modo non ei ſic faciliter pecunias, vel bonorum cuſtodiam committere; vide Reginal. num. 27. & Bonac. nu. 30. & idem etiam eſt dicendum, de confeſsore, qui nouit ex confeſſione ſuum confeſsorem non eſse Sacerdotem; poteſt deinde abſtinere à confeſſione illi facienda, quia hoc nón eſt in damnum, nec in pudorem pænitẽtis, vt Sylu. verb. Confeſsor 3. q. 19. Reginal. loc. cit. nu. 19. & alij cũ dicto Bonac. nu. 27.

22. Ex quibus poteſt colligi, generalis regula, ſcilicet; Quando ex vſu notitiæ habitę in confeſsione, nulla ſequitur directa, vel indirecta reuelatio, nec morale periculum eius; Vſus dictæ notitiæ non eſt per ſe malus; imò poterit eſse licitus, & honeſtus; Vt, vltra caſus prædictos, ſi confeſsor cognoſcat ex confeſſione alterius, debere aliquam maiorem interrogationẽ alicui facere, dummodo ita prudẽter fiat, vt pœnitens nullo modo poſsit ſuſpicari, id fieri ex notitia habita in confeſſione alterius; tunc talis vſus licitus, & honeſtus erit; vt docet Sylu. verb. Confeſsor 3. q. 26 Nauar. cap. 8. num. 17. Filiuc. tract. 7. cap. 11. num. 335. Suar. diſp. 33. num. 9. Sed notandum, quod regularibus id fuit prohibitum à Clemente VIII. vt diximus in num. 19. quãdo tamen Prælati regularium vellent vti dicta notitia ad externam gubernationem; de qua loquitur dictus Põtifex; ſecùs in alijs caſibus; vt idem Suar. & Filiuc. locis cit. Eſt etiam ſciendum, ad dictum vſum, quando licitus erit, vt in caſibus dictis, & ſimilibus; requiri etiam, vt nullo modo adſit aliquod grauamen pœnitentis; & vt fiat ob aliquam grauem cauſam, & vtilitatem; ita colligitur ex D. Tho. quolibet 5. art. 13. & in 4. d. 21. q. 3. art. 1. Sylu. loc. cit. q. 14. Nauar. in cap. Sacerdos num. 124. & alij; Vnde contra hoc ſigillum ageret Superior, ſi ex ſciẽtia confeſsionis, puniret pænitentem, vel illum priuaret officio, vel beneficio; vel ſi tẽderet ei inſidias, vt poſset illũ reperire in tali peccato confeſso; poterit tamen, vt dixi in num. antecedenti vigilantior exiſtere; ſed non modo extraordinario; ſed vſitato ab alijs Superioribus; licet hoc, vt dixi, regularibus eſt prohibitũ, vide D. Thom. & Sot. releƈt. de ſecreto membr. 3. q. 4. poſt 5. concluſ.

23. Sed dubium eſt, vtrum confeſsor poſſit negare ſuffragium illi, quem ex confeſsione nouit indignum, licet, exteriùs reputetur dignus? quod dubium non poteſt procedere reſpectu Superiorum regularium; quia, vt ſæpè dixi, illis eſt omninò prohibitus talis vſus ad gubernationẽ externam. Quibus ſecluſis, affirmatiuè reſpondet D. Thom. loco cit. Nauar. in dicto cap. Sacerdos num. 146. imò aſserũt confeſso-

feſſorem ad id teneri, quando nullũ adeſt periculum reuelationis, & Nauar. ait, confeſſorem incurrere in pænas, & cenſuras latas contra eligentem indignum; quę ſententia vera videtur Suario, quando electio fit per ſecreta ſuffragia; ſecùs ſi fiat per publica, quia difficiliter poteſt euitari aliqua ſuſpicio, ſaltem in pænitente non eligẽdo illum ad tale officiũ; quod etiam eſt prohibitum, vt ſupra diximus; nec puto verum id, quod dicit Nauar. confeſſorem incurrere in pænas, &c. quia iura imponentes pænas contra male eligentes, non loquuntur reſpectu ſcientiæ confeſſionis; vt docet Sot. loco cit. cum Palud. d. 21. q. 3. imò, nec adeſt vlla culpa, quia licitè poteſt confeſſor nullo modo vti ſciẽtia confeſſionis; & hunc modum iudico meliorẽ, & magis alienum à ſcrupulis.

24. In quas autẽ pænas incurrat fractor ſigilli confeſſionis? Reſpondeo, nullam pænam, aut cenſuram incurrere fractorem huius ſigilli ipſo facto; nam in cap. Sacerdos de pęnitent. d. 6. imponitur pęna depoſitionis à iudice ferenda; & abditur. *Cogendum eſſe huiuſmodi Sacerdotẽ, vt perpetuò ignominioſe peregrinetur:* Et in cap. Omnis vtriuſque ſexus confirmatur eadem depoſitionis pæna, ſed additur; *Vt confeſſor perpetuò trudatur in Monaſterium*; Vnde non benè aliqui dixerunt adeſſe pænam irregularitatis contra prędictum reuelantem; ſed difficultas eſt, quomodo hoc delictum ſit probãdũ in iudicio? Reſpõdetur tum ex coniecturis, tũ etiam ex pluribus, licet, nõ conteſtibus propter naturam delicti, probari poteſt; ſed quid ſi confeſſor dicat habuiſſe licentiam à confeſſore? tunc, vt ait D. Thom. d. 21. q. 3. art. 2. ad 2. Confeſſor id tenetur probare, vt etiam docet Sylu. verb. Confeſſor 3. nu. 9. & hanc eſſe communem ſententiam in cap. Omnis, teſtatur Nauar. in cap. Sacerdos num. 164. Vnde in graue periculum ſe exponunt confeſſarij vtendo iure ſuo; quod nimis durum videtur, & ideò, licet, cæteris paribus, ſit tenendum in fauorem pænitentis; tamen ſunt conſiderandæ qualitates pænitentis, & confeſſoris, & an talis fractio ſigilli potuit fieri ex aliqua occaſione inferẽdi malum pænitenti, &c. vt notat Suar. diſput. 33. ſect. 8. in fine, ex Diaz in practica cap. 109.

De ſecreto ſeruando circa peccatum, & perſonam complicis. Cap. LIII.

1 *Reuelare peccatum proximi tàm in confeſſione, quàm extra, eſt mortale in ſe, licet, vni tantum reueletur.*

2 *Peccatum complicis non eſt manifeſtandum; ſi ei eſt ſequuturum aliquod damnum, ſed hoc ſecluſo manifeſtari poteſt in confeſſione.*

3 *Perſona, quæ nõ fuit ſocia in crimine, nunquam debet manifeſtari.*

4 *Confeſſor eodem modo, quo tenet ſub ſigillo confeſſionis pænitentem, debet tenere complicem pænitentis.*

5 *Confeſſor de licentia pænitentis poteſt vti notitia confeſſionis in correctionem complicis.*

1 VEra, & communis ſententia eſt, reuelare peccatũ proximi in particulari cum eius infamia, ſiuè in confeſſione, ſiuè extra, ex ſe peccatum mortale eſſe; ita docet Sot. lib. 5. de iuſt. q. 5. art. 2. contra Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2. aſſerentem, reuelare peccatum proximi vni perſonæ, non eſſe mortale; noſtram ſententiam docet Suar. diſp. 34. de pœnit. ſect. 1. aſſertione 1. & Filiuc. tract. 7. cap. 11. num. 339. & ratio eſt, quia infamia apud vnam perſonam, etiam grauis eſt, & colligitur, ex eo, quod nullus id libenter ferat; ſed maxima cum meſtitia, & dolore; ex aliqua tamen cauſa legitima id in confeſſione licitum eſſet, quando aliter fieri non poſſet, nec aliquod malum complici eſſet futurum, niſi illa notitia ſub tali ſigillo, & ratio ſumitur ex D. Thom. 2. 2. q. 73. art. 2. vbi ait, detractionem formalẽ eſſe intrinſecè malum, non autem materialem, ſcilicet, abſq; animo infamandi, & cũ aliqua iuſta cauſa factam, quæ doctrina cum ſit vera extra confeſſionem, multò magis erit vera in confeſſione. Cauſa autem legitima erit, vel bonum pœnitentis, vel bonum complicis, vel bonum tertiæ perſonæ; ita communiter

mu-

muniter omnes, vt Sot.d.18. q.2. art.5. ad 4. Nauar.cap.7. num.7. Richar.in 4. d.21. art.q.2. Filiuc.& Suar.loco cit.& eſt notandum id, quod dicit D. Thom. nempè, hominem teneri potiùs cõſulere animæ ſuæ, quam famæ proximi; imò id licet, etiam extra cõfeſsionem propter conſilium, vel auxilium ſpirituale.

2. Sed dubiũ eſt, quid faciendũ, quando vel eſt manifeſtāda perſona complicis, vel eſt peccatũ tacendum in confeſsione? Reſpondeo, ob ſolam integritatem confeſsionis, & ſecluſa alia vtilitate, de qua iam diximus, ſi timeatur aliquod damnum futurum pœnitẽti ex tali reuelatione: nullo modo eſt reuelandum, ſed tacendum; ſed ſi peccatum nullam infamiam ſecum afferat, quia apud homines non ex omnibus peccatis ſumitur infamia: tunc ex illa ſola notitia ſub ſigillo confeſsionis dicenda, nõ debet pœnitens tacere peccatum in cõfeſſione, quia iam nullum damnum patitur proximus, ſed tenetur illud confiteri, vt diximus ſupra cap.48.num.5. Si autem totum damnum pœnitentis conſiſtat in hoc, quod complex, qui commiſit tale peccatũ afferens infamiam, cognoſcatur à confeſſore: tunc etiam cõmuniter dicunt Doctores, pœnitenti non ſolum licere; ſed etiã ipſum teneri tale peccatum in confeſſione aperire, quando tamen pœnitens alium Confeſſorem non habeat, & debeat neceſſariò confeſsionem facere; vt ratione annualis confeſsionis, vel celebrationis, aut communionis moraliter neceſſariæ. Hanc ſententiam docet fuſiſsimè Suar. diſp. 34. ſect.2. per totam, vbi multos affert, vt D. Thom. Bonau. Alenſ. Durand. Maior, Gabr. Medin. Henric. vtrumq; Sot. Syluеſ.& alios multos; & hanc opinionem puto eſſe tenendam, licet, non puto improbabilem eſſe opinionem Nauarr. in cap. conſideret de pœnit.d.5. & in Summa cap. 7. num. 3. Marſil.in 4.q.12.art.4.ad 7. Armill. verb. confeſsio nu.11.& licet, citet Caiet. tamen verum non eſt, ſed contrarium aſſerit in ſumma ver. confeſsio condit.3. & tandem hanc ſecundam ſententiam tenet Viguerius in ſumma cap.16.§.4.ver.17. qui cum alijs aſſerunt, nec pœnitentẽ debere, nec poſſe dictum peccatum aperire cum infamia proximi; ſed pœnitentem, ſe gerere debere, ac ſi non haberet copiam Confeſſarij reſpectu illius peccati, vel circunſtantiæ; quam opinionem etiam probabilem putat Filiucc.tract.7. cap.11. num.343. & ratio eſt, quia in praxi ſemper aliquod damnum timeri poteſt; & maximè, quia (vt ſupra docuimus) non omnis vſus notitiæ confeſsionis eſt illicitus.

3. Eſt tamen notandum, quod nullo modo liceat manifeſtare peccatum alterius perſonæ, quæ non fuit complex in delicto; v.g. ſi quis tribuat venenum matri, vel ſorori grauidæ ob illicitũ cõcubitum; non debet aperire illicitum concubitum; quia hoc nullo modo eſt neceſſarium ad confeſsionem, niſi ad diminuendam culpam: quod non vitiat confeſsionem, ex Filiucc. num.344.

4. Sed quæritur, vtrum Confeſſor teneatur eodem modo tenere ſub ſigillo pœnitentem, & complicẽ; ita vt ſicut non poteſt vti ſcientia, ſeù notitia confeſsionis pœnitentis, nec etiam in bonum ipſius pœnitentis; ſic ſimiliter non poſsit illa vti in bonum complicis abſque licẽtia pœnitentis? & affirmatiuè communiter omnes reſpondent, vt Sot.diſt.18.q.4.artic.5.& Relect.de ſecreto mem.3.q.4. Syluеſ. ver. confeſſor 3.q.6.& omnes alij Doctores citati. Hæc doctrina patet ex ante dictis; nam nõ ſolum peccata pœnitẽtis cadunt ſub ſigillo; ſed etiam omnia alia, quæ dicuntur in confeſſione, in ordine ad ipſam confeſſionem; vnde non ſolũ ſocius criminis, quando ex neceſſitate explicatur in confeſſione, cadit ſub ſigillo confeſſionis; ſed etiam quando caſu, vel inaduertenter, aut ex ignorantia pœnitentis in confeſſione nominatur; quia pœnitens omnia aperit ad finem confitendi: de licentia tamen pœnitentis, vſus talis notitiæ licitus erit; vt Suar. diſputat.34. ſect.3. aſſer.3. & Filiucc. num. 345.

5. Sed dubium eſt, an poſſit Confeſſor vti tali notitia confeſſionis in correctionem complicis, & in bonum aliorum de licentia tamen pœnitentis? multi negatiuè reſpondent, & ſunt omnes illi, qui negant Cõfeſſorem poſſe cum alijs loqui de auditis in confeſſione de licentia pœnitentis,

Digitized by Google

tis, quos ſupra retulimus; Et ideò Reſpondendum eſt affirmatiuè; ex rationibus iam allatis cap. anteced. nu. 17. & licet, multa hic aduertant Suar. loc. cit. ſect. 4. & Filiuc. tract. 7. cap. 11. num. 148. & ſeqq. tamen ex dictis faciliter intelliguntur, nec puto eſſe ampliùs hic immorandum.

De præcepto confeſſionis, quãdo, & quomodo obliget, & quas perſonas cõprehendat. Cap. LIV.

1 *Ex præcepto diuino fideles tenentur ad Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiendum.*

2 *Hoc præceptum non comprehendit pueros innocentes, nec infideles.*

3 *Hoc præceptum obligat omnes baptizatos habentes peccatum actuale mortale.*

4 *Medici poſt triduum debent relinquere infirmos, ſi eis non conſtet de confeſſione.*

5 *Hoc præceptum obligat etiam extra articulum mortis.*

6 *Fideles ex præcepto Eccleſiæ tenentur ſemel in anno confiteri.*

7 *Comprehenduntur ſub hoc præcepto omnes poſt annum diſcretionis.*

8 *Habentes tantum peccata venialia, non comprehenduntur ſub hoc præcepto.*

9 *In toto anno poteſt hoc præceptum adimpleri.*

10 *Aliquando quis tenetur anticipare confeſſionem.*

11 *Confeſſionem per interpretem, nullus facere tenetur.*

12 *Mutus tenetur confiteri per ſcriptũ iuxta meliorem opinionem.*

13 *Per confeſſionem inualidam, non adimpletur præceptum confitendi.*

14 *Pœnæ contra tranſgreſſores, ſunt, vt arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ, & careant Eccleſiaſtica ſepultura.*

1 DVplex eſt præceptum confeſſionis, ſcilicet diuinum, & humanum, ſeù Eccleſiaſticum; primò dicemus de præcepto diuino. Secundò de præcepto Eccleſiaſtico; & reiectis hæreticorum erroribus, dicendum eſt cum Eccleſia Catholica, à Chriſto Domino fuiſſe latum præceptum obligans fideles poſt Baptiſmum, qui mortaliter peccauerũt, ad hoc Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiendum in remedium, & remiſsionem peccatorum, patet hæc doctrina ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. vbi ſic habetur. *Quoniam autẽ Deus diues in miſericordia cognouit figmẽtum noſtrũ illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſtea in peccati ſeruitutem, & Dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapſis poſt baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur.* Eſt cõmunis Theologorũ doctrina cum Magiſtro in 4. d. 16. & 17. & iam in principio hoc ſufficienter probatum eſt. Vtrum autem Eccleſia in hoc præcepto diſpenſare poſsit, & an potuiſſet illud inſtituere; ſi non fuiſſet inſtitutum à Chriſto? Negatiuè ad vtrumque eſt reſpondendum, quia Eccleſia non eſt ſupra præceptum diuinum, nec poſſet illud inſtituere, quia Eccleſia non iudicat de actibus internis, & in confeſsione ſunt explicãda tam peccata interna, quam externa, nec ſimiliter poſſet, quia in hoc ſacramento operatur virtus Chriſti, quæ confert gratiam ex opere operato, ad quod Eccleſia nõ potuiſſet pertingere ſine Chriſti inſtitutione, ſi tamen Chriſtus inſtituiſſet tantum, & non præcepiſſet, tunc poſset Eccleſia id præcipere, vide Suar. diſp. 35. ſect. 1. num. 15. & ſeqq. Nauarr. de pœnit. d. 5. in princ. num. 18. Filiucc. tr. 7. cap. 2. num. 24. & ſeqq. & alios.

2. Quas autem perſonas obliget hoc præceptum? Reſpondeo, in primis certũ eſt, non obligare pueros ante vſum rationis, tum quia non ſunt capaces præcepti, tũ quia non poſſunt habere materiã neceſſariam ad hoc ſacramentum; nec ſimiliter adultus, & innocens, vt B. Virgo, & S. Io. Baptiſta obligarentur ad hoc præceptum. Idem etiam eſt dicendum de infidelibus, licet aliqui Theologi abſque vlla ratione contrarium ſenſerunt, ſicut etiam dixerũt de Euchariſtia; nempe, hæc duo præcepta non obligare etiam infideles, quia diuina ſunt; vt docet Syluеſ. ver. confeſsio 2. §. 5. Angelus eodem ver. 2. §. 2. Richar. d. 17.

quæſt.4. artic.2.& Scot.diſtin.16. quæſt.1. art.1.dictum autem fundamentum iam rectum eſſe probauimus ſupra quoad Euchariſtiam, cap.19.num.12.ſed quoad hoc ſacramentum pœnitentiæ, reijcitur verbis citatis ex Concil.Tridentino nempè: *Quo lapſis poſt baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur*; & ratio clara eſt, quia aliter infidelis poſſet per hoc ſacramentum iuſtificari; & abſque vlla cauſa, baptiſmus diceretur,ianua Sacramentorum;vt optimè, & alijs rationibus probat Sot.d.18.q.1.art.2. & alij omnes; ex quo colligitur differentia inter præceptum Euchariſtiæ,& Pœnitentiæ; nam præceptum Euchariſtiæ obligat etiam infideles, quia generale eſt, vt loco citato probauimus. At præceptum pœnitētiæ ſupponit materiam neceſſariam,quæ non poteſt reperiri, niſi in homine baptizato, & ideò obligat tantum fideles; licet, Sotus idem etiam affirmet de Euchariſtia, quod etiam probabile eſt; & fortè probabilius, quia Chriſtus ad ſuos Apoſtolos, & ad fideles ſuos loquebatur, quando dixit; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*; Vnde,qui non ſunt religionis chriſtianæ;non comprehenduntur ſub hoc præcepto.

3. Dicendum eſt igitur; hoc præceptum confeſſionis obligare omnes baptizatos, qui poſt baptiſmum peccata mortalia contraxerunt;hæc cōcluſio eſt omnium Theologorum;& eſt de fide ex Cōcil.Trid. citato,& videri etiam poteſt cap.5. & can. 7. Sed difficultas eſt, quonam tempore obliget hoc præceptum diuinum; & ſecluſa opinione aliquorum aſſerentium, quemlibet teneri ſtatim poſt commiſſum peccatum cōfiteri,quod eſt nimis durum; dicendum,hoc præceptum obligare in articulo,ſeu periculo mortis;ſcilicet,in caſu, quo probabiliter timetur,mors ſi antea nō fuerit impletū;& ratio eſt,quia præceptum confeſſionis eſt præceptum affirmatiuum; & cum ſit adimplēdum in hac vita, ſaltem adimpleri debet in caſu neceſſitatis, ſcilicet,quando adeſt periculum mortis; ita ex cōmuni doctrina tradit Suar.diſp.35. ſect. 2.Filiuc.tract.7.cap.2.num.32.Nauar.cap. 3.num.9. & cap.27. num.68. & alij; Sed ſi daretur caſus, in quo quis ſciret nullo modo in poſterum poſſe implere hoc præceptum, & tunc habeat copiam confeſſarij; vt accidere poteſt in aliqua captiuitate; tunc teneretur quis confiteri, ac ſi eſſet in periculo morti; quia iā dubitat mori abſq; hoc Sacramento, vt ijdem Doctores ex D. Thom.Palud.& alijs.

4. Et eſt aduertendum; quod Medici ex cap. Cum infirmitas de pœnitentia, & remiſsone tenebantur in principio curationis Infirmorum, illos admonere ad confeſſionem faciendam; & quia hæc lex abrogata erat ex contraria conſuetudine, ſeu ex non vſu; Pius V. in ſuo motu proprio, qui incipit, Super gregem de anno 1566. dictam legem renouauit,& addidit; *Ne Medici vltra tertium diem viſitent agrotū, niſi ſibi conſtet de confeſſione infirmi per fidem Confeſſoris in ſcriptis datam; & ſimiliter, vt Medici antequam aſcendant ad gradum Doctoratus, de hoc conſuetudine ſeruanda, iuramentum præſtent*. Prout iam obſeruatur, ſed ſciendū non ita qualibet infirmitate ad id obligari Medicos;ſed in illis tātum,quæ in principio oſtēdunt aliquod periculum; Vnde Caiet.verb.Medicus, ait, ſi morbus talis eſt, ob quem meritò decumbit ægrotus, obligat lex,non verò in alijs; Nauar. autem cap.25.num. 61. dicit, hanc legem obligare in morbo periculoſo, ſcilicet, in principio morbi id debet Medicus obſeruare, antequam adſit de facto periculum: imò lex ideò præcipit, vt in primis tribus diebus fiat confeſſio;ne infirmi (vt loquitur lex) cū de confeſſione facienda admonentur, exiſtiment ſe iam morituros; & triſtitia afficiantur; Vnde non expectandū eſt tale periculum; ſed in principio morbi id eſt agēdum; & hoc poteſt Medicus operari, vel per ſeipſum, vel per alios fide dignos; nec eſt neceſſe, vt fides Confeſſoris in ſcriptis tradatur;quia dicta Bulla in tali rigore recepta non eſt, vt conſtat ex vſu communi; imò ſufficiet fides ipſiuſmet infirmi ſi fuerit perſona credito digna; & denique licet, ſi infirmus noluerit confiteri, Medicus non debeat illum mederi, ſed deſerere; tamen ſi poſtea verè conſtitueretur in graui periculo, & infirmus eſt obſtinatus;nō ex hoc teneretur Medicus talem infirmum de facto relinquere; quia non eſt cenſenda talis intentio Pontificis; imò nec de-

Digitized by Google

debet illum deſerere, ſi adeſſet graue periculum; monitio igitur eſt facienda ad terrorem, & verè etiam Medicus debet relinquere infirmum vſquequò non adſit periculum graue; ita Suar. diſp. 35. ſect. 3. num. 4. & 5. Filiuc. tract. 7. cap. 2. num. 33. & 34. & idem docet Dian. 3. par. tract. 4. de Sacram. reſolut. 93. vbi quamplures affert.

5. Sed vtrum hoc præceptum diuinũ confeſſionis obliget extra articulum mortis? Reſpondeo affirmatiuè, & licet, non poſſit aſſignari tempus particulare, tamen non debet nimium differri, vtputè vltra quatuor, vel quinque annos, vt docet Henriquez lib. 4. cap. 3. num. 4. litera H. cũ Sot. Leſſ. & alij, quos ſequitur Bonac. d. 5. q. 5. ſect. 2. pun. 4. num. 17. Alij autem dicunt, dictum tẽpus eſſe determinandum ab Eccleſia ex poteſtate ei relicta à Chriſto; quia ſicut habet poteſtatem iudicandi de peccatis, ita etiam habet poteſtatem definiendi tempus, in quo faciendum eſt hoc iudicium; ita Suar. diſp. 35. ſect. 3. num. 9. & Filiuc. tract. 7. cap. 2. num. 38. Poterit autem quis per accidens pluries etiam in anno obligari ad confeſſionẽ, vt ſi ſumpturus ſit Euchariſtiam, vel celebraturus, & habeat conſcientiam peccati mortalis; ſi voluerit indulgentias ſumere; ſi habeat votum, vel iuramentum; vel ſi ei iniũctum eſſet à confeſſario ad pœnitentiam; & denique quotieſcunque quis reperitur in aliquo periculo mortis, vt eſt tempus partus, pugnæ in bello, vel alio conflictu periculoſo, tempus nauigationis periculoſæ ad partes longinquas, & c. alij caſus ponuntur à Doctoribus, quos non pono, quia non mihi probantur, vide Sot. d. 18. q. 3. art. 3. Pet. Sot. lect. 8. de confeſſione, Suarez, & Filiuc. loco cit.

6. Quando autem teneantur fideles ex præcepto Eccleſiæ confiteri? Reſpondeo teneri ſemel in anno, vt habetur in cap. Omnis vtriuſque ſexus; & hoc de fide eſt certum, & ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & in can. 8. ſic loquitur. *Si quis dixerit, confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſeruat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, à pijs abolendam, aut ad eam non teneri omnes, & ſingulos vtriuſque ſexus Chriſti fideles, iuxta magni Concilij Lateranenſis conſtitutionem ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, vt non confiteantur tempore Quadrageſimæ, anathema ſit*; quod aſſero propter Durãd. d. 17. q. 14. qui durè locutus eſt, reuocando in dubium, an Eccleſia potuerit præceptum ponere confeſſionis; & licet, poſtea affirmet Eccleſiam poſſe; tamen de facto ait, non eſſe hoc præceptum in Eccleſia, ſed tantum conſilium, & ſalubrem exortationem; quæ ſententia eſt contra dictum Concilium Tridentinũ, contra communem ſenſu Eccleſiæ, & contra omnes Doctores, qui id affirmant in 4. d. 17. Sot. d. 18. q. 1. art. 1. Pet. Sot. lect. 5. de confeſsione, Caiet. tom. 1. opuſcul. tit. 5. q. 1. & omnes alij. Sed nota, hoc præceptum dici Eccleſiaſticum ob ſolam temporis determinationem; in reliquis autem eſt diuinũ, prout loquitur idemmet Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. his verbis. *Neq; enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt Chriſti fideles confiterentur, quod iure diuino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed vt præceptum confeſſionis ſemel ſaltem in anno ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perueniſſent, impleretur*. Vnde infertur, hoc præceptum, quoad hãc determinationem temporis, poſſe ab Eccleſia abrogari, non autem præceptum in communi, quia diuinum eſt; vt Sot. loco cit. q. 1. art. 5. D. Tho. d. 17. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 5. & alij.

7. Quos autẽ comprehendat hoc præceptum? Reſpondeo, comprehendere omnes fideles, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint, vt colligitur ex cit. cap. Omnis, vbi ſic habetur. *Omnis vtriuſque ſexus fideles, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint, omnia peccata, ſaltem ſemel in anno confiteantur*; & intelligitur tam de peccatis internis, quam externis mortalibus; vt benè docet Nauar. cum alijs in cap. Fratres de pænit. d. 5. num. 59. contra Margaritã confeſſorum falsò aſſerẽtem, hoc præceptum confeſsionis non obligare, quoad peccata interna, contra communem Doctorum ſententiã in 4. d. 17. Richard. art. 2. q. 4. ad 6. Gabr. q. 1. concluſ. 2. Sot. d. 18. q. 1. art. 3. & Canoniſtæ omnes in citato cap. Omnis vtriuſque ſexus. Vtrum autem ſub hoc præcepto comprehenda-

tur Pontifex; negatiuè abſolutè reſpondet Nauar. de pœnit. d. 5. in princ. §. 2. num. 32. ſed in hoc caſu eſt reſpondendum, prout reſpondetur, quando in communi quæritur; Vtrum lex comprehendat legiſlatorem; & communiter affirmatur, comprehendere quoad vim directiuam, & nõ coactiuam; & ſicut poteſt diſpenſare cum alijs, multò magis poteſt diſpenſare cum ſeipſo; vt Couar. cum multis alijs in cap. Alma mater, par. 1. cap. 1. §. 5.

8. Sed quæritur vtrum habentes tantum peccata venialia, teneantur confeſſionẽ annualem facere? & licet, aliqui affirmatiuè reſponderint; tamen negatiuè reſpondendum eſt; & in hãc opinionem magis inclinat D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 5. & abſolutè illam docet Sot. d. 18. q. 1. art. 3. Caiet. tom. 1. opſcul. tit. 5. q. 1. & par. 3. q. 65. art. 2. Sylu. verb. Cõfeſſ. 3. §. 13. & alij, & quamuis aliqui aſſerant id eſſe verum, quia Eccleſia non poteſt præcipere cõfeſsionem de venialibus, tamen hoc fundamentum ſupra oſtendimus non eſſe ſolidum, cum Eccleſia in cõmuni, poſſit præcipere vſum huius Sacramenti, vt ſupra probauimus.

9. Vtrum autem obliget pro aliquo tempore aſsignato? Breuiter reſpondeo ex communi opinione, & vſu, non obligare in aliqua parte anni particulari; ſed ſufficit, vt confeſſio fiat ſemel in anno, quia annus eſt computandus ex vno tempore Paſchali, in aliud ſicut diximus de communione. Sed dubium eſt, an qui non impleuit hoc præceptum in vno anno, teneatur ſtatim confiteri in ſecundo anno? in qua re ſunt duæ opiniones ambæ probabiles; prima aſſerit, non teneri, quia præceptum confeſſionis, eſt præceptum affirmatiuum, & obligat tantum in tali tempore determinato, ita Sylu. verb. Euchariſtia 3. q. 15. D. Antonin. 2. par. tit. 9. §. 3. & alij; Secunda opinio aſſerit teneri; & quò magis quis differt confeſſionem, eò grauiùs peccare; ita Sot. d. 18. q. 1. art. 4. Nauar. cap. 21. num. 45. & ſequitur Suar. diſp. 36. ſect. 4. & Filiuc. tract. 7. cap. 2. num. 54. vtramque opinionem putat probabilem; licet, probabiliorem aſſerat, eſſe ſecundam.

10. Aliud dubiũ eſt, an teneatur quis aliquando anticipare confeſſionem? Reſpondeo, quando quis præuidet non habiturum copiam confeſſarij intra terminum anni; tenetur præuenire, quia præceptum poteſt adimpleri in toto anno, & ſicut qui præuidet, non futuras alias Miſſas, tenetur illam audire: ſic etiam, qui præuidet non habiturum confeſſarium, tenetur, dum poteſt, præceptum adimplere; ita ex communi doctrina tradit Suar. diſp. 36. ſect. 5. Pet. Sot. lect. 5. de confeſſ. Sylu. verb. Confeſſio 1. q. 2. Filiuc. tract. 7. cap. 11. num. 58. & alij, & eam ſequitur etiam Io. de la Crux in direct. conſcien. par. 2. de Sacram. pœnit. quæſt. 3. dub. 3. concluſ. 2. licet, aſſerat, cõtrariam opinionem eſſe etiam probabilem, vt refert Diana 3. par. tract. 4. de ſacram. reſol. 69.

11. Deinde quæritur; An quis excuſetur ab hoc præcepto: ſi confeſſionem facere non valeat, niſi per interpretem? & cum diſtinctione reſpondet Sylueſt. verb. confeſſio 1. num. 15. nam ſi loquamur de confeſſione, quæ eſt facienda tantum ex præcepto Eccleſiæ; dictum pœnitentem excuſari, quia non tenetur cum tanto incommodo dictum præceptum adimplere. Si autem loquamur de confeſſione faciẽda iure diuino, vt eſt in periculo mortis, &c. vt ſupra; tunc pœnitentem teneri; quia in tali caſu, non eſt reputandum dictum incommodum adeò graue, vt quis excuſetur à præcepto diuino; Communis tamen ſententia eſt, pœnitentem non teneri neq; ex præcepto diuino, neq; Eccleſiaſtico, dictam confeſſionem per interpretem facere; ita Sot. d. 18. q. 2. art. 6. Caiet. ver. Confeſſio condit. 11. P. Sot. lect. 5. de confeſſione; & ratio eſt, quia nullus neq; iure diuino, neque iure Eccleſiaſtico, tenetur ad aliam confeſſionem, præter ſecretam, & auricularem; vt ſumitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. Securior tamen pro ſalute animæ, eſt prima opinio pro caſu mortis; cum pro ſalute omnia incõmoda, ſupportari debeant, & maximè in fine vitæ.

12. Sed dubium eſt, vtrum idem ſit dicendum de muto, & eo, qui non poteſt niſi per ſcriptum confiteri? & affirmatiuè multi reſpondẽt vt Sot. loc. cit. Nauar. cap. 21. num. 36. Richar. diſt. 17. art. 2. quæſt. 5.

&

Digitized by Google

& alij grauos auctores; & ratio eſt, quia pœnitens non tenetur ſe ſubijcere periculo perdendi ſcriptum, nec vt Confeſsor rapiat illud, & publicet, &c. Sed contraria ſentẽtia eſt omninò verior, & in praxi tenenda, nempè pœnitentem teneri ad talem confeſsionem tam ex præcepto diuino, quam Eccleſiaſtico, quia dicta pericula faciliter vitari poſsunt; nec ſunt adeò difficilia, vt ex eis videatur pœnitens confeſsionem poſſe omittere; hanc ſentẽtiam inſinuat D. Thom. diſt. 17. q. 3. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 2. Caiet. verb. confeſsio condit. 11. P. Sot. lect. 11. de confeſsione, & alij, quos ſequitur Suar. diſp. 36. ſect. 6. nu. 7. & Filiuc. tract. 7. cap. 2. num. 63.

13. Quæritur etiam, vtrum per quãlibet confeſsionem adimpleatur hoc præceptum confeſsionis? Reſpondeo adimpleri per confeſsionem validam, licet, informem, ita Suar. diſp. 36. ſect. 7. num. 6. & ratio eſt, quia hoc præceptum obligat tantum ad ſacramentum ſuſcipiendum; vnde ſiuè peccator accipiat effectum huius ſacramenti, ſiuè non, præceptum dicitur impletum; Nullo autem modo adimpletur per confeſsionem nullam, quando nullitas prouenit ex malitia Confeſſoris non dantis abſolutionem, vel non habentis iuriſdictionem, vel ex negligentia culpabili pœnitentis, qui non dixit omnia peccata; ſed ſi eſſet nulla ex defectu doloris; tunc aliqui Doctores putant eſſe adimpletum præceptum; vt Sylueſt. verb. confeſſor. 4. q. 2. & 3. Fagundez præcept. 2. lib. 1. cap. 4. num. 4. & alij; ſed hoc non eſt dicendum ex ratione ab ipſis allata, ſcilicet, quia Eccleſia non poteſt præcipere actus internos, quæ doctrina falſa eſt, quando dicti actus interni requiruntur tanquam forma actuum externorum, vt eſt in caſu noſtro, imò potius eſt dicendum, Eccleſiam non poſſe præcipere confeſsionem, niſi quatenus eſt pars Sacramenti pœnitẽtiæ, cuius vſus præcipitur, vt benè notat Suar. loc. cit. num. 5. & Filiuc. tract. 7. ca. 5. num. 64. Vnde, licet, attritio, & contritio, quatenus ſunt actus interni, præcipi nõ poſſint; cadunt tamen ſub præcepto, quia sũt forma actuum externorum, qui omninò requiruntur ad hoc Sacramentum; Vnde ſaltem ſecurior, & probabilior opinio eſt; quod neq; per talem confeſsionem nullã ex defectu doloris adimpleatur præceptũ confeſsionis; & hanc etiam ſententiã probabiliorem putat Diana 3. par. tr. 4. de Sacram. reſol. 120. tenet Sot. d. 18. quæſt. 3. ar. 5. P. Sotus lect. 8. de confeſsione, Nauarr. cap. 10. num. 4. & alij.

14. Vltimò quæritur, quænam pœnæ impoſitæ ſint contra tranſgreſſores huius præcepti? Et omiſſa opinione Durandi in 4. d. 17. q. 14. exiſtimantis, probabile eſſe, Eccleſiam non poſſe punire hoc delictum, quia cum internum ſit, in Eccleſiaſtico foro probari non poteſt, quod falſum eſt, Et dicendum eſt, de iure communi, aliam pęnam non eſſe contra prædictos impoſitam; Niſi, vt dicitur in cap. Omnis vtriuſque ſexus; *Vt arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ, & priuentur ſepultura*. Vnde ad vtramque pœnam requiritur ſententia iudicis; vt patet ex verbo *arceantur*, non tamen eſt dubium potuiſſe Eccleſiam aliam pœnam, & cenſuram ipſo facto incurrendam ſtabilire, prout de facto eſt in aliqua Diœceſi ex præcepto Epiſcopi, vel Synodi. Et quia in dicto cap. Omnis, imponitur dicta pæna illis, qui non communicauerint, nec Sacramentum pænitentiæ ſuſceperint, ideò ſciendum eſt, quod dictæ pęnæ incurruntur tã pro tranſgreſſione communionis, quam confeſſionis; Pueri autem poſſent excuſari à dictis pœnis, ac etiam à cenſuris ferendis, vel latis à iudice, ante tamen decimum quartum annum; licet, non excuſentur à cẽſura Canonis; vt docet Diana 3. par. tract. 4. de Sacram. reſolut. 120. in fine, ex Filiuc. tom. 1. tract. 7. cap. 3. num. 72.

De

DE SACRAMENTALI SATISFACTIONE.

Vtrum in hac vita poſſimus conſequi remiſſionem pœnæ temporalis per opera noſtra ſatisfactoria. Caput XXXXXV.

1 *Satisfactio, alia eſt Sacramentalis, alia nõ Sacramentalis, ſeu ex voluntate propria facta.*

2 *Aſſignatur definitio ſatisfactionis non Sacramentalis, & per illam verè conſequimur remiſſionem pœnæ.*

3 *Vt opus ſit ſatisfactorium neceſſe eſt, vt fiat in ſtatu gratiæ.*

4 *Pœna vnius peccati poteſt obtineri abſque alia.*

5 *Opera non facta in gratia, non reuiuiſcunt, veniente gratia.*

6 *Opus, vt ſit ſatisfactorium, neceſſe eſt, vt procedat à libera voluntate, &c.*

7 *Opus factum ex præcepto, adhuc eſt ſatisfactorium.*

8 *Opus tam internum, quam externum proueniens ab interno, poteſt eſſe ſatisfactorium.*

9 *Opus, vt ſit ſatisfactorium debet eſſe aliquo modo pœnale, licet probabile ſit omne opus bonum poſſe eſſe meritorium, & ſatisfactorium ſimul.*

10 *Non ſolum Ieiunium, Oratio, & Eleemoſyna ſunt opera ſatisfactoria; ſed etiã alia opera pietatis.*

11 *Opera, vt ſupra, ex Diuina promiſſione ſunt ſatisfactoria de condigno.*

12 *Meritum de condigno tres conditiones requirit, quæ omnes requiruntur in operibus ſatisfactorijs, vt ſupra factis.*

13 *Ad condignam ſatisfactionem ex opere operantis, requiritur opus vt ſupra ſicut ad conſecutionem gloriæ, requiritur meritum ex opere operato.*

1 Satisfactio reſpectu peccatorum, dupliciter conſiderari poteſt, vel quoad culpam, vel quoad pœnam, in præſenti agendum eſt de ſatisfactione quoad pœnam temporalem, quæ remanet poſt confeſſionem, vel contritionem ſoluendam à peccatore in hac vita, vel alia; nam de ſatisfactione quoad culpam, non pertinet ad hunc locum de illa agere; & iam ex dictis colligitur, ſatisfactionem culpæ fieri per contritionem. Dicta igitur ſatisfactio pœnæ temporalis dupliciter etiam conſiderari poteſt; vel quatenus illa fit extra Sacramentum ex opere operãtis, vel quatenus fit, vt pars Sacramenti pœnitentiæ, & habet effectum ex opere operanto; in hoc primo capite agemus de ſatisfactione extra Sacramẽtum; & deinde dicemus de alia; Vnde.

2. Primò quæritur quid ſit ſatisfactio; & an verè per illã remittatur pœna temporalis? & reſpondeo ſatisfactionem eſſe voluntariam ſolutionem, & compenſationem iniuriæ Deo per peccatum illatæ, cũ propoſito non peccandi amplius, & confitendi, ex cap. Satisfactio de pœnit. d. 3. An autem per illam remittatur pœna temporalis? Reſpondeo affirmatiuè contra multos hæreticos aſſerentes, noſtram ſatisfactionem nihil operari, vel quia Chriſtus iam ſatisfecit pro nobis; vel quia remiſſa culpa, nulla remanet pœna, contra quos ſcribit Bellarm. lib. 4. de pœnit. Vega lib. 13. in Trident. cap. 36. P. Sot. in lectionibus de ſatisfactione, & alij. Dicendum eſt igitur, nos per noſtra opera conſequi remiſſionem culpæ temporalis; patet ex Eccleſi. 3. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum*, & Luc. 11. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda vobis*; & Paulus ad Corinth. 11. *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur, dum iudicamus autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Quæ verba P. Augu-

ſtin.

Digitized by Google

ſtin.in Enchirid. cap.66. intelligit de temporalibus pœnis,quibus à Deo iuſti in hoc Mundo puniuntur, vt in futura vita non ſeueriùs puniãtur;& Homil.50.in vlt.cap. 3. ait. Maiorem ſeueritatem quiſque in ſe debet adimplere,vt à ſeipſo iudicatus, nõ iudicetur à Deo. Et Euchar. lib. 2. Reg. cap.8.ſic ait; *Procul dubio Dominus delet peccatum; ſed ſine vltione non deſerit, aut enim ipſe homo in ſe punit, aut Deus percutit*. Patet etiam hæc veritas ex Concil.Trid.ſeſſ. 14. cap.8.& 9. vbi quamuis dicatur, hanc noſtram ſatisfactionem fundari in meritis Chriſti; tamen dicitur,etiam nos verè eſſe illos,qui ſatisfacimus per virtutem,& gratiam ab illo acceptam; ita loquuntur omnes Theologi in 4. d. 15. & 19. & omnes ſcriptores; & præcipuè P. Auguſt. lib. de vera, & falſa pœnit. tract. 124. in Ioannes, & 22.contra Fauſtum cap.67.& alibi.

3. Requiritur autem,vt opus poſſit eſſe ſatisfactorium, quod procedat ab homine non habẽte culpam mortalẽ; ſed gratiam ſanctificantẽ;ita communiter omnes Theologi in 4.d.15. vbi D.Tho. q.1.art.3. quæſtiunc.2.Sot.d.19.q.1.art.4. P.Sot.lect.vlt. de ſatisfactione,Caiet.tom.1. opuſc.tract. 6. q. 2. & alij communiter; & ſumitur ex Concil.Trid.ſeſſ.14. cap.8. vbi ſic dicitur. *Accedit ad hæc, quod dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arrham habentes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur; Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exoluimus,vt non ſit per Chriſtum Ieſum,* (& infra) *ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus,in quo mouemur, in quo ſatisfacimus*. Ex quibus verbis colligitur, neceſſarium eſſe, vt homo viuat in Chriſto per gratiã, vt poſſit ſatisfacere, & idẽ ſumitur ex can. 13.& 14.eiuſdem ſeſſionis.

4. Eſt tamen notandum, quod licet, ex ante dictis conſtet, nec reatum pœnæ æternæ,ob peccatum mortale,nec pœnam temporalem ob peccatum veniale, poſſe remitti, quin priùs remittatur culpa, quia repugnat remitti pœnam,non remiſſa culpa; & ſimiliter non poſſe remitti culpam vnius peccati mortalis, quin non tollatur culpa omnium mortalium; tamen hæc regula nõ currit in ſatisfactione pœnæ; nam poteſt homo ſatisfacere pro pœna peccatorum mortaliũ abſq; vlla remiſſione peccatorum venialium, etiam quoad culpam, non enim repugnat, vt quis ſatisfaciat pro mortalibus, dum manet in venialibus; pro pœna autem vnius peccati mortalis, poteſt homo benè, & rectè ſatisfacere, etiam ſi non ſatisfaciat pro pœna alterius peccati mortalis, quia quodlibet mortale habet ſuam pęnam particularem, niſi fuerit per magnam contritionem remiſſa; idem etiam dicitur de venialibus, cum hac differentia,quod pœna vnius, vel pluriũ venialium poteſt remitti, etiam manẽte alia culpa veniali; At pœna vnius peccati mortalis,nõ poteſt remitti manente alia culpa mortali.

5. Vtrum autem opera facta in peccato mortali,poſtea reuiuiſcant, adueniente gratia? negatiuè eſt reſpondendum, vt iam ſupra diximus, tantum eſt hic notandum, D.Tho. loco cit. ad 3. docere,aliqua opera pœnalia, quæ aliquem effectum permanentem relinquunt in homine; vt eleemoſynam relinquit carẽtiam alicuius bonis temporalis,ieiunium,relinquit debilitatem corporis,macerationes, & ſimilia; valere ad ſatisfaciendum, veniente charitate;quod eſt intelligendum,dicta opera, nõ eſſe neceſſariò repetenda, vt poſſint eſſe ſatisfactoria; ſed per nouum actum charitatis, poſſe iterum offerri Deo dictos effectus pœnales, & hoc modo dicta opera eſſe ſatisfactoria, & meritoria;ita Pet.Sot. loco cit.Sylu.verb.Satisfactio q.7. Filiuc. tract.8. cap.1. num.6.Suar.diſp.37.ſect.2. num. 8. & alij. Valent tamen omnia opera facta in peccato mortali, primò ad facilitandum hominem ad huiuſmodi opera facienda, ſecundò etiam valent ad impedienda peccata, & ex conſequẽti ad mitigandas pœnas Iaferni; tertiò valent ad habẽdum aliquod premium temporale de congruo,ſed non de condigno. Nam peccator non poteſt mereri de condigno; quartò poſſunt valere ad impetrandum à Deo aliquod auxilium, & præcipuè ſi procedant ex gratia excitante.

6. Tria autẽ requiruntur, vt aliquod opus

opus viatoris ſit ſatisfactorium?(dico viatoris, quia poſt hanc vitam, nec damnati ſatisfaciunt in Inferno, nec Beati poſſunt mereri,nec in Purgatorio,nec in Paradiſo) primum eſt, vt opus ſit liberum, nam ſicut homo volũtariè peccauit, ità per liberam voluntatem neceſſe eſt, vt ſatisfaciat; non autem eſt neceſſe,vt actus ſit elicitus à voluntate in electione talis pœnæ; ſed ſufficiet, vt ſaltem actus ſit imperatus à voluntate in patienter ſuſtinendo, & acceptando dictam pœnam à Deo, vel ab hominibus illatam; ita communiter Theologi in 4.d.15.& 16.Secundum eſt,vt opus ſit moraliter bonum, & vt bonum à voluntate acceptetur,D.Thom.d.15.q.1.art.4. quæſtiunc.1. Tertium non eſt neceſſe,ad hoc, vt opus ſit ſatisfactorium, quod procedat à formali voluntate ſatisfaciendi; ſed ſufficiet quælibet voluntas placendi Deo, vel conſulendi ſaluti propriæ, vel exercendi actum Religionis,&c.

7. Sed vtrum omnia opera facta in gratia ſint ſatisfactoriam? Aliqui exiſtimarunt, opera ex præcepto facienda non eſſe ſatisfactoria, quia ſatisfactio eſt de indebitis; vt Scot. in 4. d.15. q.1. Palud.dicta diſt. q.1.art.2.& Maior. q.2.dub. 1. & alij, & quamuis etiam alij dixerunt, opera procedentia ex iure naturæ non eſſe ſatisfactoria; tamen dicendum eſt, omnia opera,etiam præcepta valere ad ſatisfaciendum,nõ ex rigore iuſtitiæ (nam hoc modo neque opera ex conſilio ſunt ſatisfactoria) ſed de condigno modo infra explicando num. 12. ita Caiet. tom. 1. opuſcul. tract.6. q.1. Sot.d.19. q.2. art. 1. Victor.num.203. P.Sot. lect.vlt. de ſatisfact. Suar.diſp.37. ſect.4.num.3. Filiuc.tract.8. cap.1.num.13.& alij,& ratio eſt,quia eleemoſyna, ieiunium, & ſimilia, quæ fiunt ex præcepto non ſolum nõ amittunt primam dignitatem, & vim; ſed cæteris paribus, quando procedunt ex præcepto habent maiorem vim, & ſunt Deo gratiora, & ordini charitati magis conſona, vide tamen fuſiùs apud Doctores cit.

8. Sed dubium eſt, vtrum ſatisfactio fieri poſſit tantum per actum internum? & affirmatiuè reſpondent Henriq. quolibet q.18. & Ledeſm.2.par. q.14. art.1.dub.4. quæ ſententia eſt directè cõtra Scot.d.15. q.1. §.De ſecundo principali; aſſerentem, tantum per actum externum fieri ſatisfactionem, ſed ambæ ſententiæ ſunt contra communem opinionem; & ideò dicẽdum eſt,actum internũ,vel per ſe ſumptum,vel coniunctum cum externo, poſſe eſſe ſatisfactorium; & prima pars huius concluſionis patet ex iam dictis de contritione, vbi diximus per ſolam contritionem internã, poſſe aliquando peccatorem conſequi remiſſionem etiam totius pœnæ temporalis; & ſecunda pars ſimiliter patet, quia ſatiſfactio,non eſt aliud, niſi voluntariæ pœnæ aſſumptio,ita Sot.d.19.q.2.art.1.

9. Sed quæſtio eſt, vtrũ opus bonum, vt ſit ſatisfactorium, debeat eſſe pænale? pro qua quæſtione dico primò,omne opus humanum, & honeſtum aliquo modo pænale,eſſe ſatisfactorium; ita D.Thom.in 4. d.15. q.1.art.5. quæſtiunc.1.& communiter omnes alij, & ratio eſt, quia ſatisfactio eſt actus iuſtitiæ,quo peccator vindicat, & punit in ſe diuinam offenſam, at vindicta cum propriè fieri dicatur per pœnã aſſumptam;ideò per quodlibet opus aliquo modo pœnale, fit ſatisfactio,ſic etiam quia ſatisfactio fit loco pœnæ Purgatorij; & ideò peccator aſſumit in hac vita pænam, vt ibi illam non luat, & quanto magis augebitur actus pęnæ in hac vita,eo magis minuetur pœnæ alterius vitæ.Dico ſecundò,ſatisfactionem ſemper conſequi etiam aliquod meritum,ita D.Thom.in 4.d.17.q.2.art.4. quæſtiunc.3. ad 3. & ratio patet ex dictis, quia actus,vt ſit bonus,debet procedere à gratia, & dum procedit à gratia, neceſſariò ſequitur meritum. Dico tertiò,probabile eſſe, omne opus bonum eſſe ſimul meritorium, & ſatisfactorium;ita Caiet.tom. 1.opuſcul.tract.6.q.1.Suar.diſp.37.ſect.6. num.8.Filiuc.tract.8.cap.1. num.19. & fuſè id dicti Doctores probant cum alijs apud ipſos.

10. Et eſt notandum, quod quamuis à Doctoribus Ieiuniũ, Oratio, & Eleemoſyna numerentur pro operibus ſatisfactorijs;tamen nõ ex hoc,non poſſunt eſſe aliæ actiones pœnales, quæ etiam ſint meritoriæ, & ſatisfactoriæ; Vnde Concil. Trid. ſeſſ.14. can.14. ait; *Si quis dixerit, pro peccatis*

catis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patianter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis; ſed neque ſpontè ſuſceptis, vt ieiunijs, orationibus, eleemoſynis, vel alijs etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam, eſſe tantum nouam vitam, anathema ſit. Igitur etiam alia opera bona ſunt ſatisfactoria. Colligitur etiam, non ſolum pœnalitates voluntariè aſſumptas, ſed etiam patienter toleratas valere ad ſatisfactionem; vt idē conſilium etiam apertè docet in cap. 9. dictæ ſeſſionis; & hæc eſt omnium opinio Theologorum, & Patrum, vt iam ex dicto Concil. Trid. eſt de fide.

6. Vtrū autem dicta opera ex ſe ſint ſatisfactoria pœnæ temporalis, an ex diuina promiſſione, & acceptatione? Pro quo reſpondeo primò, omnia opera ſatisfactoria, prout à gratia procedunt, habere aliquam dignitatem, & proportionem ad ſatisfaciendum, ſecluſa Dei promiſſione; & ratio eſt, quia quando quis perſoluit debitum, non indiget aliqua lege, aut promiſſione, vt ei debitū remittatur, quia ſicut ſolutio prouenit ex lege iuſtitiæ; ſic remiſſio ſequitur ex lege iuſtitiæ. Dico ſecundò, opera, vt ſupra nullo modo poſſent eſſe ſatisfactoria pœnę temporalis, niſi adeſſet promiſſio Dei de cōdonando talem pœnā ſub cōditione talis operis; & ratio eſt, quia pœna temporalis debita ex peccatis, eſt pœna alterius vitæ, ſcilicet, Purgatorij, cū qua nullam proportionem habet pœna huius vitæ; Attamen, quia opera noſtra procedunt ex gratia nobis per merita Chriſti data; ipſe Chriſtus offert dicta opera Patri, & ab illo acceptantur, vnde Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. ait. *Sed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo mouemur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre;* Vnde ſpecificè dicta opera dicuntur ſatisfactoria ex ſpeciali Dei beneuolentia, & amore, in dictam ſatisfactionem, illa acceptando, vt loquitur idem Concil. in cap. 9. dictæ ſeſſ.

12. Ex quo ſequitur, vt diximus num. 7. dicta opera eſſe ſatisfactoria de iuſtitia, & de condigno reſpectu pœnæ in Purgatorio debitæ pro peccatis remiſſis; & ratio eſt, quia ad meritum de condigno, requiritur tantum dignitas operātis, proportio operis, & promiſſio; & in his operibus iam adeſt dignitas perſonæ, quæ concurrit per gratiam, & eſt Chriſtus Dominus, cuius gratia nos operamur; adeſt etiam proportio operis, vt iam diximus; adeſt etiā promiſſio Dei, vt ſimiliter diximus ex Concil. Tridēt. igitur nihil deeſt, quin dicta opera nō poſſint dici ſatisfactoria ex opere operato; diximus in num. 7. non eſſe ſatisfactoria de rigore iuſtitiæ, quia ſecluſa promiſſione Dei, dicta opera de condigno ſunt meritoria gratiæ, & gloriæ tantum; ſed pœna peccatis debita, eſſet ſoluenda in Purgatorio, vnde ex beneuolentia Dei fuit, vt hanc promiſſionem faceret, vt loquitur dictum Concil. cap. 9. his verbis, *Docet præterea, tantam eſſe diuinæ munificentiæ largitatem, vt non ſolum pœnis ſpontè à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delictis impoſitis; ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.*

13. Concludēdum eſt igitur, ad condignam ſatisfactionem, & recompenſationem pœnæ temporalis pro peccatis debitæ ex opere tamen operantis, neceſſariam eſſe actionem ipſius operantis; ſcilicet, vt faciat homo opera ſatisfactoria, vt ſupra; ſicut neceſſarium ad conſequendam gloriam, eſt meritum de condigno ipſius operantis; Vnde P. Auguſtinus ſerm. 50. de tempore in fine ſuper illud Eccleſiaſt. 21. *Fili, peccaſti, ne adycias iterum,* (& addit Auguſtinus,) *ſed quid proderit deprecari, ſi te non dignum feceris exaudiri, non faciendo fructus dignos pœnitentiæ, ne tanquam ſterilis arbor excideris, & in ignem mittaris; Si ergo exaudiri vultis, cum deprecamini pro peccatis veſtris, dimittite, vt dimittatur vobis.*

De ſatisfactionis conditionibus. Cap. LVI.

1 *Satisfactio eſt imponenda à confeſſario pœnitenti, tanquam pars Sacramenti.*

Digitized by Google

2 . *Effectus ex opere operato ſatisfactionis cõſiſtit in remiſſione partis pœnæ .*

3 *Pænitẽs recipit ſupradictum effectum completa pænitentia poſt abſolutionem.*

4 *Confeſſor, per ſe loquendo, tenetur pænitentiam pænitenti imponere ,*

5 *Confeſſor in imponenda pænitentia , debet intendere ad ſalutem animæ ,*

6 *Opera tam interna , quam externa , poſſunt aſſignari pro pænitentia .*

7 *Opera ex præcepto facienda , poſſunt etiam aſſignari pro pænitentia.*

8 *Opera tam in particulari, quam in communi poſſunt dari pro pænitentia .*

9 *Confeſſor poteſt obligare pænitentem ad acceptandam pænitentiam .*

10 *Pænitentia non eſt ad longum tempus differenda, licet, à confeſſore non aſſignetur terminus ,*

11 *Pænitẽtia facta in culpa mortali caret fructu, licèt, pænitens ſatisfaciat.*

12 *Qui in peccato mortali adimplet pænitentiam, non peccat mortaliter.*

13 *Pænitentia non poteſt adimpleri per alium , niſi de licentia confeſſoris .*

14 *Idem confeſſor, vel æqualis poteſt mutare pænitentiam cognito ſtatu pænitentis .*

15 *Superior poteſt mutare pænitentiam, ſed inferior non poteſt mutare pænitentiam ſuperioris, ſcilicet pænitentiam impoſitam ob caſus reſeruatos.*

1 CErtum eſt, confeſſores debere imponere pœnitentibus aliquam ſatisfactionem, non ſolum in medicamẽtum infirmitatis , & ad nouæ vitæ cuſtodiam ; ſed etiam in vindictam præteritorum peccatorum, vt loquitur Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. his verbis . *Habeant autem præ oculis , vt ſatisfactio , quam imponunt , non ſit tantum ad nouæ vitæ cuſtodiam , & infirmitatis medicamentum ; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam , & caſtigationem*; quæ ſatisfactio eſt Sacramenti pænitentiæ pars integralis, non autem eſſentialis, quia iam conficitur Sacramentum , & habetur effectus ante factam ſatisfactionem; vt communiter omnes Theologi docent , vt D.Tho. 3.p. q.90. art.2, & 3. Sot.d.17.q.1.art.3.& alij; Eſt etiam talis affectus ex opere operato , quia cum ſatisfactio ſit pars Sacramenti , applicantur pænitenti ſpeciali modo merita Chriſti ; vt ait Concil, Trident. ſeſſ. 14.cap.3. his verbis . *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti , ipſius pænitentis actus, nempè contritio, confeſſio, & ſatisfactio . Qui quatenus in pænitente ad integritatem Sacramenti , ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pænitentiæ partes dicuntur .*

2. Quinam autem ſit, ſeu in quo conſiſtat hic effectus ſatisfactionis ex opere operato ? Reſpondeo, conſiſtere in remiſſione alicuius partis pœnæ tẽporalis , præter aliam partem , quæ obtinere poteſt ex opere , & merito operantis ; ita communiter omnes Doctores in 4.d, 15. & 16. D.Thom.quolib.3.art, 28. Caiet. tomo 1. opuſcul.tract.6.q.vlt.Sot,d.20. q. 2. art. 3. licet in d, 19.quæſt.1.art,5. aliud videatur ſentire; & ita communiter omnes alij. Cõſiſtit etiam dictus effectus , quatenus per ſatisfactionem ſacramentalem , confertur etiam gratia gratum faciens , quia cum ſit vera pars Sacramenti , & omnia Sacramẽta nouæ legis conferant talem gratiam; ſequitur , vt etiam ſatisfactio conferat dictã gratiam . Ita D.Thom.3.par. q.90. art. 2. ad 2, & ibi Caiet.Sot,d.17.q.1.art,2.

3. Sed quæritur , quando pœnitens conſequatur dictos effectus ? Reſpondeo in primis certum eſſe , pœnitentem in cõfeſſione, & abſolutione, ſuppoſita bona diſpoſitione , & acceptatione ſatisfactionis iniunctæ à confeſſore , conſequi non ſolũ remiſſionem culpæ , & æternæ pœnæ , ſed etiam remiſſionem alicuius pœnæ temporalis ; Et ad quæſitum reſpondeo, aliã pœnam remitti ratione ſatisfactionis impoſitæ à Confeſſore; ſed non niſi quãdo actualiter fit, & adimpletur dicta ſatisfactio; quia ſicut Sacramentum non tribuit gratiam ex opere operato , niſi quando actualiter ſuſcipitur , ſic etiam pœnitentia , quia eſt pars Sacramenti , non poterit ſuum effectum cauſare , niſi actualiter fiat , & adimpleatur . Sed notandum , pænitentem dictos effectus non conſequi ex opere operato ſtatim, ac cõplet pęnitentiam, ſi pænitentiã faciat ante abſolutionẽ; v.g. ſi Confeſſor ex aliqua cauſa , præcipiat pænitenti , vt ante abſolutionem pænitentiam faciat,

ciat, tunc non recipit ſtatim pænitens dictos effectus ex opere operato. Sicut nec etiam per actum contritionis, licet, præcedat confeſſionem, ſed pro tunc conſequitur effectus ex opere operantis, & cõpleto Sacramento per abſolutionem, recipit fructus ex opere operato, Suar. diſp. 38. ſect. 2. num. 5. Vtrum autem per dictam ſatisfactionem impoſitam à Confeſſario remittatur tota pæna, licet, ſatisfactio minima ſit? Reſpondeo negatiuè; ſed remittitur iuxta proportionem ſatisfactionis; vt alibi etiam diximus.

4. Quæritur ſecundò, vtrum Confeſſor teneatur imponere ſatisfactionem pænitenti? & per ſe loquendo, affirmatiuè eſt reſpondendum ex Concil. Trid. ſeſs. 14. cap. 8. & ex cap. omnes vtriuſq; ſexus, non tamen ſemper tenetur illam ſub præcepto imponere; niſi tamen conditio pænitentis id expoſceret; tunc enim tenetur illam ſub præcepto imponere, prout iudicauerit expediens eſſe pro ſalute pænitentes, & quia ſatisfactio imponitur tanquam medicina, ideò Confeſſores debent illam imponere iuxta diſpoſitionem pænitentis, ex D. Thom. quolib. 3. art. 28. P. Sot. lect. 2. de ſatisfact. & ex alijs. Dixi (per ſe loquendo) quia aliquando Confeſſor abſoluere poteſt nulla impoſita ſatisfactione; vt in caſu mortis, vel quando Confeſſor clarè cognoſceret, pænitentem ex nimia contritione integrè ſatisfeciſſe, & præcipuè quando peccata ſunt leuia, & dolor eſſet magnus. Ita Caiet. tom. 1. opuſc. q. 2. art. 2. Nauarr. cap. 26. num. 20. & alij; bonum tamen erit, aliquam ſatisfactionem ſemper imponere. Eſt etiam imponenda ſatisfactio ante abſolutionem, vt iam adeſt conſuetudo, licet, poſſet etiam imponi poſt abſolutionem; ſed ſeruanda eſt dicta conſuetudo, tum quia videtur Sacramentum magis ordinatum, tum quia in acceptatione dictæ ſatisfactionis, cognoſcitur diſpoſitio, & intentio pænitentis; vide Syluest. verb. Confeſſor. 4. §. 1.

5. Sed eſt notandum circa mẽſuram ſatisfactionis imponendæ à Confeſſore; quod ex Concil. Tridentino, Confeſſor nõ poſſit ex ſuo arbitrio nulla ratione iuſtitiæ conſiderata, pænitenti ſatisfactionem imponere: ſic enim dictum Concil. loquitur. ſeſs. 14. cap. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pænitentium facultate, ſalutares ſatisfactiones iniungere, ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pænitentibus agant, leuiſſima quæque opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes fiant.* Tamen confeſſor ex rationabili cauſa, vel propter fragilitatem pœnitentis, poteſt aliquando diſſimulare, & leuiorẽ ſatisfactionẽ imponere; & ratio eſt, quia in hoc Sacramento magis intendi debet ſalus pœnitẽtis, quam ſatisfactio pęnę tẽporalis, ita D. Tho. in add. q. 18. art. 4. Sot. d. 20. q. 2. art. 3. & alij communiter, & ad hũc finem Gregor. Nazianz. orat. 26. circa finem, ſic ait. *Hanc rationem tene, vt partim illum corrigas, idque leniter, & humanè, non vt hoſtis, neque vt durus, & rigidus Medicus,* (& infra) *habet medicinæ regulam, Chriſti diſcipulus es, mitis, & benignus, qui noſtras infirmitates portauit.*

6. Quænam autem opera ſint iniungenda à confeſſore in ſatisfactionem pœnitenti? Reſpondeo, iam illa eſſe numerata cap. anteced. num. 10. Vtrum autem ſatisfactio ſit faciẽda per opus externum? Reſpondeo, poſſe etiam fieri per opus internum, licet, opus externum ſit magis aptum; ſed prout confeſſor iudicauerit expediens eſſe pro bono pœnitentis, ita illud iniungere poterit; Vnde aliquando poteſt eſſe neceſſarium, vel magis vtile, vt pœnitens per aliquos dies faciat tria, vel quatuor propoſita in die non peccandi; vel vt conſideret diem iudicij, vel mortem, &c. & hæc benè poſſunt pro ſatisfactione aſſignari. Sed vtrum ſatisfactio publica imponi poſſit pœnitenti? licet negatiuè reſpondeat Nauar. in cap. Sacerdos de pœnit. d. 6. num. 86. in ſumma cap. 8. num. 10. Tamen affirmatiuè reſpondendum eſt, non obſtãte, quod per illã cognoſcatur, confeſſorem impoſuiſſe talem pœnitentiam ob graue peccatum; nam ita expedit ob Eccleſię ſatisfactionem, & exemplum; ſed vrget Nauar. ergo licitum eſt aperire ſecretum, ſeu ſigillum confeſſionis? Reſpondet Durand. d. 14. q. 4. nõ frangi ſigillum, quia peccatum eſt publicum; ſed hæc reſponſio

eſt contra doctrinam, quam ſupra tradidimus de ſigillo, & contra omnes Doctores, quia reuelatur confeſſio, & aliquod graue in confeſſione fuiſſe, quod ſufficit ad fractionem ſigilli, D. autem Thomas negat eſſe reuelationem, quia fit ex voluntate pænitentis; Vnde talis pænitentia non eſt imponenda abſque voluntate pænitentis, quamuis pænitens ex aliqua graui cauſa, & incommodo poſſit illam non acceptare; ſed ſecluſa hac cauſa, & pænitens tenetur illam acceptare;& confeſſor tenetur illam imponere, quando ad tollendum ſcandalum,& ad ſatisfaciendum Eccleſiæ ratione criminis publici, & notorij, neceſſaria iudicaretur, D.Thom. in 4. d. 14. q. 1. art. 5. quæſtiunc. 1. ad 1. & d. 17. q. 3. art. 4. q. 4. ad 4. Sot. d. 19. q. 2. art. 5. Medina tract. 2. q. 44. D. Anton. 3. par. tit. 14. c. 17. §. 6. Suar. diſp. 38. ſect. 6. num. 3. Filiuc. tract. 8. cap. 2. num. 45. & alij communiter.

7. Sed dubium eſt, vtrum opera ſupererogationis tantum poſſint imponi pro ſatisfactione pænitenti? Reſpondeo poſſe tam dicta opera, quam alia ex præcepto facienda imponi, quando tamen adeſt aliqua cauſa, & ita videbitur confeſſario; vt benè ait Nauar. in cap. 1. de pænit. cap. 6. dub. 6. num. 40. & ſeqq. & Filiuc. loco cit. num. 46. & iam nos id ſupra diximus in cap. anteced. poſſunt enim dicta opera ex præcepto eleuari per claues Eccleſiæ, & obligare ex duplici præcepto.

8. Sed aliud dubium eſt, vtrum ſit imponēdum aliquod opus in particulari, vel ſufficiat clauſula generalis, quidquid boni feceris, &c? Reſpondet D. Thom. quolibet 3. art. 28. ſufficere clauſulam generalē; quia ſicut peccatum in communi poteſt eſſe materia huius Sacramenti, vt ex pluribus docet Io: de Lugo de Sacram. pænit. diſp. 17. ſect. 1. num. 8. ſic etiam ſatisfactio poterit eſſe in communi; idem docet Petr. Sot. lect. 2. de ſatisfact. Nauar. cap. 26. num. 24. & alij, quos ſequuntur Suar. loco cit. nu. 6. & Filiuc. eodem loco num. 47. regulariter tamen imponi debet opus particulare, vt Eccleſia vniuerſalis vtitur.

9. Quæritur tertiò, vtrum pænitēs teneatur acceptare pænitentiam, ſeu ſatisfactionem, & illam implere? Vera ſententia eſt, poſſe confeſſorem obligare pænitētem ad acceptandam, & implendam pænitentiam; ita Magiſt. in 4. d. 16. & 18. & ibi D. Tho. q. 1. art. 3. quæſtiun. 3. Sot. d. 20. q. 2. art. 2. P. Sot. lect. 2. de ſatiſfact. & alij multi, quos affert Suar. diſp. 38. ſect. 7. num. 2. ſumitur tum ex Concil. Trident. in loc. ſæpè citato, tum ex Concil. Saleguſtadienſi cap. 18. in 3. tomo Conciliorum vbi ſic habetur. *Multi tanta falluntur ſtultitia, vt capitali crimine culpata, pænitentiam à ſuis Sacerdotis acceptare nolint*; & in cap. Omnis vtriuſque ſexus, præcipitur, vt fideles confiteantur, & pęnitentiam impleant; tamen hæc obligatio poterit eſſe venialis, quando confeſſio eſſet de venialibus, & ſumitur ex verbis dicti Concilij (*capitali crimine culpati.*) Sed quid ſi pęnitens vellet alium confeſſorem eligere, & nollet acceptare pęnitentiam, nec abſolutionem cum tali onere? Reſpondeo in hoc verè pęnitentem nō peccare, quia liberum eſt ei alium Medicum,& iudicem quærere;ſed confeſſores non debent talem occaſionem præbere pęnitenti; ſed debent ſe accommodare fragilitati pęnitentis,& omni meliori modo procurare ſalutem eius; vt notauimus in num. 5. Nota etiā;pænitentē obligari ſub veniali tantum, quando confeſſio fuerit de mortalibus, iam iterum abſolutis in alijs confeſſionibus; vel ſi omittat aliquam partem pænitentiæ non grauem;aut etiam totam,licet,confeſſio fuerit de mortalibus,quando tamen pænitentia leuis eſſet;& addit Medina tract. 2. q. 45. omiſſionem pænitentiæ eſſe etiam veniale, quando confeſſor non obligat pænitentem, niſi ſub veniali, licet, confeſſio fuerit de mortalibus;imò addit,poſſe confeſſorem pęnitenti imponere pænitentiam abſque vlla obligatione, & ſequitur Suar. diſp. 38. ſect. 7. num. 5.

10. Quando autem debeat adimpleri talis pœnitentia? Reſpondeo, eſſe adimplendā iuxta tempus taxatum à Confeſſore; & ſi intra tale tempus non adimpleatur, non ex hoc ſequitur, quod pœnitens nō teneatur poſtea illam adimplere, quia natura ſatisfactionis eſt, vt ſemper obliget, licet, differatur, quoad vſq; adimpleta fuerit, & quamuis à Confeſſore taxetur tem-

tempus, hoc fit ne ad longum tempus differatur; nec ex hac cauſa tantum eſt condemnandus pœnitens de mortali: quando autem nullum aſſignatur tempus a Confeſſore; tunc tenetur etiam quamprimum ſatisfactionem facere, ſcilicet quamprimum commodè poteſt, quia ita exigit natura ſatisfactionis, ſicut etiam dicitur de voto, in quo licet, non fuerit determinatum tempus, quo adimpleri debeat; tenetur tamen quis dum commodè poteſt illud adimplere; quæ omnia moraliter intelligenda ſunt; nec ſtatim eſt iudicanda culpa mortalis, niſi quando dilatio nimia eſſet abſq; vlla occaſione, ita Suar. loc. cit. nu. 6. Diana autem par. 2. tr. 15. & 1. miſcell. reſol. 53. in fin. ait, pœnitentiam poſſe differri per annum ex Fernand. in inſtr. Confeſſor. par. 1. doct. 7. §. 2. num. 2.

11. Sed dubium eſt an poſſit talis pœnitentia adimpleri in ſtatu peccati mortalis? & reſpondetur, poſſe illam adimpleri quoad ſatisfactionem ex Sacramento debitam, ſicut etiam adimpletur præceptum Ieiunij, Miſſæ audiendæ, &c. licet, quis reperiatur in peccato mortali; ſed difficultas eſt, vtrum pœnitens recipiat in tali caſu fructum, & remiſſionem pœnæ temporalis ex opere operato? & affirmatiuè aliqui reſpondent; vt Medin. cap. de confeſſione q. de pœnit. Marſil. in 4. q. 11. art. 3. Scot. & alij, qui tenent ſatisfactionem habere ſuum effectum ex opere operantis; Tamen negatiuè reſpondendum eſt; quia ex communi opinione, & ex Concilijs cõſtat, ſatisfactionem conferre ſuum effectũ ex opere operato præter illud ex opere operantis; & cum conſtet, peccatum mortale eſſe obicem ad recipiendam quamlibet gratiam ſupernaturalem, neceſſariò dicendum eſt, ſatisfactionem factam in peccato mortali, nihil valere, quoad effectum eius; ſed tantum quoad quamdam ſatisfactionem extrinſecam: imò iuxta Sotum d. 19. q. 1. ar. 5. & alios, nec talem effectum pænitens conſequitur, recedente culpa mortali; ſed verè probabilis videtur dicendum contrarium, nempè, pænitentem conſequi talem effectum, vt docet Caiet. to. 1. opuſcul. tract. 6. quæſt. vltima, P. Sot. lect. vlt. de ſatisfact. Nauarr. de pænit. d. 6. cap. 1. num. 48. Victoria in ſumma num. 201. Suar. diſp. 38. ſect. 8. num. 5.

12. Sed vtrum, qui in peccato mortali adimplet pænitentiam, peccet mortaliter? & ratio dubitandi eſt, quia quotieſcunq; quis impedit gratiam ex opere operato, ſemper peccat mortaliter, vt videtur in matrimonio, extrema vnctione, cõfirmatione, &c. Ergo ſimiliter, qui impedit gratiam ex opere operato recipiendã per ſatisfactionem, quo eſt pars Sacramenti; etiam peccabit mortaliter; hæc ratio verè ſpeculatiuè conuincit; attamen, quia talis effectus non eſt adeò certus, & quid extrinſecum; ideò moraliter loquendo, & practicè, non eſt iudicandum mortale; ſed veniale; vt idem Suar. loc. cit. num. 7.

13. Quæritur quartò, vtrum ſatisfactio poſſit impleri per alium? & affirmatiuè communiter omnes Doctores reſpondent; quando tamen hoc fiat de conſenſu Confeſſoris; vt Caiet. in ſumma verb. ſatisfactio cap. 2. Sot. diſt. 19. quæſt. 2. art. 4. Corduba lib. 5. de Indulgentijs quæſt. 5. ad 8. circa finem quæſtionis, & alij Theologi in 4. d. 20. quos ſequitur Suar. loc. cit. ſect. 9. & Filiuc. tr. 8. cap. 2. num. 58. & ratio eſt, quia multoties ſatisfactio datur per modũ medicinæ contra peccatum; & ideò in tali caſu, eſt neceſſariò facienda per pænitentem; nec aliter debet concedere Confeſſor; ex aliqua tamen cauſa poterit concedere Confeſſor; vt adimpleatur etiam per alios, & in hoc caſu etiam pænitẽs cõſequitur effectum ſatisfactionis ex opere operato; vt D. Thom. d. 20. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. Durand. ibi q. 2. & alij multi.

14. Quis autem poſſit pænitentiã impoſitam auferre, vel mutare? Reſpondeo, vel loquimur de mutatione in eadem cõfeſſione, vt ſi pænitens ſtatim redeat ad Confeſſorem occaſione obliuionis, vel alterius cauſæ, quia tunc idem iudiciũ æſtimatur, poterit Confeſſor mutare, minuere, vel etiam auferre pænitentiam, ſi caſus id exegerit; vel loquitur de mutatione pænitentiæ, eo quod eadem peccata iterum confitetur fortè propter maiorem ſatisfactionem ipſius pænitentis, & tunc poteſt etiam Confeſſor mutare pænitentiam, vt ſupra; aut loquimur de mutatione pæniten-

Digitized by Google

tentiæ extra confeſſionem, & hæc mutatio nullo modo eſt licita; vide Sot. d.20.q. 2. art.3.Suar.ſect.10.num.3. Filiucc. tract.8. cap. 2. num.49. licet iuxta Diana 2. par. tract.15. & 1. miſcell. reſol.53.§. & ideò. licita ſit, quia docet eumdem Confeſſariũ poſſe permutare pænitentiam extra confeſſionem, ſi pænitens ad illum reuertatur intra hebdomadam: attamen Io: de Lugo de pænit.diſp.25. nu. 111. contrarium docet, nempè id non poſſe fieri, niſi intra cõfeſſionem, quod verè eſt probabilius, niſi ſtatim pęnitens rediret propter obliuionẽ, vt iam diximus, docet tamen idem Doctor num. 112. Confeſſorem poſſe ſemper etiã vltra hebdomadam, & poſt longum tẽpus permutare pænitentiam pænitenti id petenti, dũmodo Confeſſor recordetur ſaltem quadam memoria confuſa peccatorum, ob quæ iniunxit talem pænitentiam; quod quidem firmiſſimis rationibus probat, & omninò verum id eſſe puto, quia nulla datur ratio, ob quam intra hebdomadam, vel menſem id poſſit agere Confeſſor, & non poſt longum tempus. Si autem loquamur de mutatione ſatisfactionis facienda ab alio æquali Confeſſore; tunc iuxta communem opinionem, valida erit permutatio, ſi iterum pænitens confiteatur eadem peccata alio Confeſſori; & licet aliqui dicant non eſſe neceſſariam talem confeſſionem; tamen non video, quomodo Medicus poſſit ordinare medicinam abſq; morbi cognitione; puto, ſaltem, eſſe neceſſarium, vt pænitens dicat, vel exponat peccata ſecundum eorum ſpecies, quando agitur de moderatione pænitentiæ, ſecùs ſi in aliam æqualem eſſet cõmutanda; vel ad minus debet Confeſſor intelligere cauſam ob quã talis ſatisfactio fuit impoſita; vt ritè poſſit ſe gerere in huiuſmodi mutatione; licet non deſint, qui aſſerant, poſſe fieri dictam commutationem etiam extra confeſſionem, vt Nauar. conſil.26.de pænit.& remiſs. alij autem dicũt, abſolutè poſſe alium æqualem Confeſſorem mutare pænitentiam, vt Sylueſ.verb. confeſſio 1.q.27.Nauarr.cap.26. num. 22. Medina tit.2.quæſt.45.& alij; ſed à iam dictis in praxi non diſcederem; vide Suar. diſp.38.ſect.10.& Filiuc.tr.8.cap.2.nu.50.

15. Quoad Superiorem autem Confeſſorem, nulla eſt difficultas, quin poſſit permutare dictam pænitentiam; quidquid aliqui dicant; imò ſi Superior habeat auctoritatem concedendi Indulgentias, poterit auferre dictam pænitentiam in totũ, vel in partem prout voluerit, & potuerit; dicit tamen Suar.dicta ſect.10.nu.8.talem Confeſſorem nec poſſe niſi repetita eadẽ confeſſione à pænitente; ſed etiam in hoc caſu dicendum eſt, vt ſupra. Quid autem dicendum ſit, quando pænitentia fuit impoſita à Confeſſore ſuperiore, ſcilicet habente caſus reſeruatos, & ratione dictorũ caſuum fuerit aſſignata talis pænitentia? Tunc omninò dicendum eſt, non poſſe inferiorem Confeſſorem ſe ingerere in tali pænitentia, nec in facto ſuper quod non extenditur eius facultas; ità fusè, & optimè probat Suar.diſp.38.ſect.10. num. 14. circa autem peccata, in quibus talis Confeſſor haberet eamdem poteſtatem; vtiq; ſe ingerere poſſet, & pænitentiam mutare vt ſupra, diximus num. antecedenti; vide Filiuc. loco cit.num.52. quidquid in contrarium aſſerat Dian. vt ſupra, quod nullo modo videtur rationi conſentaneum; non enim iudex inferior debet ſe ingerere in cauſa Superioris, & ad quam nullam habet iuriſdictionem, & ſicut peccata erant reſeruata, ſic etiã pęnitẽtia remanet reſeruata, quod pluribus alijs rationibus docet etiam Io: de Lugo de pęnit. diſp.25.ſect.6. nu.105. Vtrũ autem pœnitens poſſit propria auctoritate ſibi pœnitentiã commutare in opus euidenter melius, affirmatiuè reſpondet Portella in addit.de dub.regul. verb. Pœnitentia Sacramentalis num.6. & ratio eſt, quia idem quis poteſt facere in voto, poteſt enim vouens votum ſibi commutare in opus euidenter melius; & hanc opinionem probabilem vocat Diana loco cit. §.Sed ſi aliquis in fine, & par.3. tract.6. de Sacram.reſol.53. Sed verè magis probabilis eſt contraria opinio, quia pœnitentia imponitur per modum iudicij, & pœnitens non poteſt eſſe iudex ſui ipſius. Nota etiam ex propè tradita doctrina; Io: de Lugo, Suarez, & aliorum, vt ſupra colligi, improbabilem etiam eſſe doctrinam Dian. in 3.par.tract.6. de Sacram. reſol.53. §. Notan-

Digitized by Google

tandum eſt, vbi aſſerit ſimplicem Sacerdotem poſſe commutare pœnitentiam impoſitam à confeſſario ob peccata mortalia, ad quæ dictus Sacerdos ſimplex nullam habebat iuriſdictionem; eſſet enim velle vagare extram ſuam ſferam contra ordinem naturæ, & iudicium vnicum debet eſſe, & omninò ſingulare; nec videmus Medicum cognoſcere infirmitatem, & Barbitonſorum, vel Pharmacopulam ordinare medicinam.

Neq; obſtat, quod facta confeſſione peccatorum; v.g. reſeruatorum, dicta peccata non remaneant reſeruata; igitur, nec pænitentia, & ſimiliter facta confeſſione peccatorum mortalium, à dictis peccatis poſſit abſoluere quilibet ſimplex Sacerdos, ergo, & poterit pœnitentiam commutare. Nam omninò falſum eſt tale argumētum, quia pænitentia dicit ordinem ad tale Sacramentum iam factum, & eſt ipſius pars integralis, igitur retinet eādem naturam, ſcilicet, vt non poſſit alius inferior circa idem Sacramentum ſe ingerere, eſt enim contra naturam iudicij, & contra diſcurſum naturalem.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

De inſtitutione huius Sacramenti, ac de eius materia, forma, & effectu. Cap. XXXXXVII.

1 *De fide eſt, dari in Eccleſia Sacramentum extremæ Vnctionis.*

2 *De fide etiam eſt, dictum Sacramentum fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino.*

3 *Materia remota huius Sacramenti eſt oleū oliuarum ab Epiſcopo conſecratum.*

4 *Modus conſecrandi dictum oleum fuit inſtitutus ab Eccleſia.*

5 *Dicto oleo nihil debet miſceri; licet, Chriſma poſſet etiam eſſe apta materia.*

6 *Materia proxima huius Sacramenti eſt Vnctio.*

7 *Traditur forma eſſentialis huius Sacramenti.*

8 *Forma huius Sacramenti eſt pronuncianda modo deprecatiuo.*

9 *Declarantur verba, quæ ſunt de eſſentia dictæ formæ.*

10 *Aſſignatur definitio huius Sacramenti.*

11 *In omni periculo mortis, licet, infirmus non totaliter conualuerit, poteſt dari hoc Sacramentum.*

12 *Hoc Sacramētum confert gratiam, purgat, & roborat animam, & ſubleuat corpus, & ſanat, ſi ita expediens erit.*

13 *Effectus huius Sacramenti, conferuntur in quinta Vnctione.*

14 *Aliquando poſſunt haberi hi effectus in ſecunda, vel tertia Vnctione, ſi infirmus tunc decedat.*

1 EST de fide ſupponendum, eſſe in Eccleſia Sacramnetū extremę Vnctionis; vt conſtat ex Epiſt. Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*; quæ verba, de tali Sacramento eſſe intelligenda, expoſuit Concil. Cabilonenſ. ſub Carolo, cap. 8. & poſtea ſubdit: *Non itaque contemnenda eſt huiuſmodi medicina, quæ animæ, corporiſque medetur languoribus*: & Concil. Magunt. ſub Gregorio IV, cap. 26. ſic loquitur. *Sacra cum vnctione Dei animati ſecundum ſtatuta Sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur*; & de hoc Sacramento mentionem faciunt multa antiqua Concil. & vltimo loco, de illo multa dici t Concil. Florent. in decreto Eugenij, & Trid, ſeſſ. 14. & in canonibus. Omnes etiam Patres multa de hoc Sancta Vnctione ſcribunt; vt P. Augu-

ſti-

Digitized by Google

nus lib. de rectitudine Catholicæ conuerſationis; ſic ait. *Quoties aliqua infirmitas occurreret alicui, &c.* (& infra;) *Euchariſtiam cum fide, & deuotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Eccleſia petat, vnde corpus ſuum vngatur, & ſecundum Apoſtolum, oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, nec ſolum corporis, ſed etiam animæ ſanitatem accipiet,* & eamdem doctrinam docent omnes alij Patres.

2. Vtrum autẽ fuerit immediatè inſtitutum à Chriſto Domino? affirmatiuè reſpondendum eſt; & eſt de fide ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. Quamuis non defuerũt Doctores catholici, qui olim hoc negarẽt; putabant fuiſſe hoc Sacramentum inſtitutum ab Apoſtolis, eo quòd nulla mentio fiat de hoc in Euangelijs, ſed tantum in Epiſtola Iacobi; & hoc erat fundamentum Altiſiod. lib. 4. ſum. tract. 7. cap. 1. eamdem ſententiam tenuit Hugo de S. Victor. lib. 2. de Sacram. cap. 2. quem ſequutus eſt Magiſt. in 4. d. 23. & Bonau. ibi art. 2. q. 2. Tamen cõmunis Theologorum opinio fuit, & eſt, dictum Sacramentum fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino; vt communiter ſcribentes aſſerunt in 4. d. 23. & licet, tempus dictæ inſtitutionis non conſtet. Certũ tamen eſt, non fuiſſe inſtitutum ante vltimam Cœnam; nec poſt aſcenſionem; quia perfectè Chriſtus fundauit ſuam Eccleſiam antequam ad patrem aſcenderet; nec mirum, ſi Euangeliſtæ id omiſerint; quia cum hoc Sacramentum non ſit adeò neceſſarium; ad id, quod magis oportebat, incumberunt; vt rectè Bellarm. lib. 3. de Sacramento Extremæ Vnctionis, lib. vnico, cap. 2.

3. Quænam autem ſit materia remota huius Sacramenti? Reſpondeo eſſe Oleum Oliuarum ab Epiſcopo conſecratum; ita communiter omnes Theologi in 4. d. 23. Sot. d. 33. q. 2. art. 3. Durand. lib. 1. de ritibus Eccleſiæ cap. 20. num. 20. patet ex Concil. Florent. & Trid. loc. cit. & licet de hoc non adſit aliqua clara ſcriptura, tamen nobis ſufficere debet Eccleſiæ traditio; Vnde neq; Pontifex poteſt alijs concedere dictam facultatem benedicendi Oleum pro Sacramento Extremæ Vnctionis; quia dicta Concilia abſolutè loquuntur; & dicunt, materiam huius Sacramenti, eſſe Oleum benedictum ab Epiſcopo; & cum Pontifex nõ poſſit immutare aliquid eſſentiale in Sacramentis ob Chriſti inſtitutionem; ſequitur, quod neque poſſit alijs concedere ſupradictam facultatem; Neque audiẽdus eſt Palud. in 4. d. 7. q. 4. num. 34. aſſerens, Chriſtum non determinaſſe materiam huius Sacramenti eſſe Oleum benedictum, ſed talem, qualem Eccleſia id ſtatueret, & quia Eccleſia ſtatuit oleum benedictum; ideò tale Oleum eſt de eſſentia huius Sacramenti; hæc opinio Paludani non placet; quia iuxta Concilia omnia, & Patres, ac Theologi, Sacramenta fuerunt inſtituta à Chriſto Domino, quoad materiam, & formam eſſentialem; neque vllam poteſtatem reliquit Chriſtus Apoſtolis inſtituendi; ſed adminiſtrandi Sacramenta. Nec ſimiliter eſt admittenda ſentẽtia Caiet. 3. par. q. 72. art. 3. & aliorum apud Henriquez lib. 3. cap. 8. num. 2. aſſerentium, poſſe Pontificem committere dictam olei benedictionem ſimplici Sacerdoti; nam ſi hoc eſſet, non diceretur benedictio Epiſcopi requiri ex Chriſti inſtitutione; vt loquuntur Concil. cit.

4. Neq; obſtat ſi dicatur, ergo Chriſtus inſtituit benedictionem in tali Oleo neceſſariamquod nullibi conſtat. Reſpondetur, Chriſtum Dominum inſtituiſſe tãtum, vt Oleum benedictum ab Epiſcopo, eſſet materia remota huius Sacramẽti; modum autem dictæ benedictionis Chriſtus non inſtituit; Vnde quocunque modo Oleum poterit dici benedictum ab Epiſcopo, etiã ſi non ſeruetur ritus ab Eccleſia præſcriptus; erit apta materia pro hoc Sacramento; poſſet tamen Eccleſia omnem aliam benedictionem irritã reddere; & hoc modo, benedictio taxata ab Eccleſia eſſet neceſſaria; vt Suar. diſp. 39. ſect. 1. num. 9. Eſt tamen notandum, non omne Oleum benedictum ab Epiſcopo poſſe aſſumi ad conferendum hoc Sacramentum; ſed neceſſe eſt, vt ſit benedictum ab Epiſcopo in ordine ad hoc Sacramentũ; vt docet Bellarm. loco cit. cap. 7. Reginald. lib. 28. cap. 9. nu. 50. & alij multi; non eſt tamen de eſſentia, vt ſit in eodem anno benedicto, cum hoc ſit de iure Eccleſiaſtico; vt conſtat ex Concil.

cil. Aquiſgran.2. ſub Ludouico cap.8. vbi præcipitur Epiſcopis, vt in die Cenæ Oleũ Sanctum conficiãt; & habetur in cap.literis de conſecr.d.3.

5. Eſt tamen notandum dicto Oleo non licere propria auctoritate, & ſine cauſa aliquid miſcere; imò ſi mixtio ita fieret, vt Oleum non poſſet dici verè Oleum, ſed mixtum quid, vel vnguentum, non poſſet confici Sacramentum. Chriſma autem, poſſet eſſe apta materia pro hoc Sacramento; imò ita videtur Eccleſia aliquando vſa fuiſſe; vt colligitur ex Epiſt.1.Innoc.1. vbi ſic habetur. *Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto Oleo Chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto Chriſtiani vti poſſint in ſua, aut ſuorum neceſſitate perungendo*; In præſenti autem id non eſt licitum cõtra vſum, & præceptũ Eccleſię, & ex conſequenti eſſet grauis culpa; vt docet Palud. d.23. q.1. art.1.& Sot.d.33.q.2.art.3. ſed illud tãtum Oleum eſt adhibendum, quod iuxta Eccleſiæ ritum eſt benedictum in ordine ad hoc Sacramentum tantum. Addit tamen Bonac. diſput. 8. quæſt. vnica pun.2. num. 8. poſſe Parochum, aliquam paruam quantitatem Olei miſcere dicto Oleo benedicto, in caſu, quo timeret, dictum Oleum benedictum nõ ſufficere pro infirmis; Dixi paruam quantitatem, quia maior pars trahit ad ſe minorem; ſed ſi partes Olei eſsent æquales, vel maior pars Olei non benedicti; non poſset tale Oleum dici apta materia huius Sacramenti. Ex qua doctrina ſumitur, Oleum non benedictum, additum Oleo benedicto, fieri benedictum, dummodò non benedictum ſit in minori quantitate, & ſi poſtea addatur alia pars Olei nõ benedicti, fiet etiam benedictum, & ſic in infinitum, ſi in diuerſis vicibus addatur pars minor, quã non eſt Oleũ benedictum, ſemper enim totum erit benedictum ob virtutem ſupernaturalem, quæ eſt in oleo benedicto, & quæ attingit omnes partes, quę fiunt vna res cum liquore benedicto; dico liquore, quia eadem doctrina eſt pro aqua benedicta; cui in infinitum poteſt ſemper addi noua aqua non benedicta in minori tamen quantitate, & erit tota benedicta, vt optimè explicat Sylu, verb. Aqua num.3.

6. Materia autem proxima dicti Sacramẽti eſt Vnctio; & dicitur materia proxima, quia per illam conficitur Sacramentum, & recipitur gratia; debet tunc fieri dicta vnctio ad modum Crucis, iuxta vſum Eccleſiæ, licet, ſi non fieret tali modo; non eſſet mortale, quia nullibi conſtat de hoc præcepto, nec in ſe videtur materia grauis, eſt tamen eſſentialis vnctio, licet, minima, aliter nõ conficeretur Sacramentũ, vt ſi quis ſtillaret guttã Olei, quia dicta ſtillatio non poteſt dici vnctio. Debent etiam fieri ſeptem vnctiones, iuxta Concil. Florẽtinum, & iuxta vſum Eccleſiæ, vel quinque in hominibus, nec eſt neceſſe, vt in vnctionibus ſingulorum ſenſuum, fiat duplex vnctio; ſed ſufficit, ſi vna tãtum fiat, in vno oculo, in vna manu, & in vna aure; licet nullus diſcedere debet ab vſu Eccleſiæ, tamen ſi aliter fieret, verum eſſet Sacramentum, & nullum eſſet peccatum, ſaltem graue; ſed vtrum omnes dictæ vnctiones ſint de eſſentia huius Sacramenti? Antiqui Scholaſtici dixerunt, quinque tantum vnctiones eſſe de eſſentia, ſcilicet, Oculorum, Aurium, Narium, Oris, & Manuum; vt D. Thom. in 4. d.24. q.2. art.3. quæſtiunc.2. Durand.q.4.& alij multi; imò Sot.q.2.art. 3. putat, conuenientiùs eſſe vnctionem renum omittere; Tamen non videtur eſſe improbabile, vnam tantum vnctionem eſſe de eſſentia Sacramenti, reliquas verò eſſe de neceſſitate præcepti ratione cõſuetudinis Eccleſiæ; ſumitur hæc doctrina tũ ex verbis Iacob. *Vocet Presbyteros Eccleſiæ, & vngant eum Oleo*; tum etiã quia talis vſus vngendi per tot partes, non eſt apud omnes Eccleſias; vt loquitur Suar. ex communi doctrina diſp.39. ſect.2. nu.6. vide etiã in num.8. Ordo etiam dictarum vnctionũ, nec ſimiliter eſt eſſentialis, licet, abſq; aliqua culpa prætermitti non poſſit.

7. Quænam autẽ ſit forma eſſentialis huius Sacramenti? Reſpõdeo formam iuxta Eccleſiam Rom. eſſe hanc. *Per hanc ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per viſum, aures, &c. deliquiſti, Amen*: Dixi, iuxta Eccleſiam Romanam, quia in Eccleſia Mediolanenſi forma dicti Sacramenti olim erat hæc. *Vngo te oleo ſanctificato in nomine*

Digitized by Google

Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt more militis vncti præparatus ad certamen, aereas poſſis ſuperare poteſtates; & aliam quaſi ſimilem formam refert Palacios ex libro Sacrament. Venetorum confirmata à Leone X. quæ ſic ait. *Vngo te Oleo ſancto, vt hac vnctione protectus, fortiter ſtare valeas aduerſus aereas cateruas, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vnde dum dicta forma eſſentialiter non mutetur, ſemper erit validum Sacramẽtum; vt diximus de formis aliorum Sacramentorum; & licet Nauar. in ſumma cap. 22. nu. 13. cum alijs aſſerat, Eccleſiam poſſe mutare formam huius Sacramenti, ſano modo eſt intelligendus; ſcilicet, quod poſſit mutare materialia verba; ſeruato tamen eodem legitimo ſenſu, qui licet, nõ repeTiatur expreſſus in ſacra Scriptura, tamen conſtat ex traditione Eccleſiæ, & certum, ac de fide eſt, Eccleſiam Romanam errare non poſſe in ritibus Sacramentorum, & omnes formas Sacramẽtorum fuiſſe inſtitutas à Chriſto Domino, Suar. diſput. 39. ſect. 3. Filiuc. tract. 3. cap. 4. num. 79. & alij.

8. Debet etiam forma huius Sacramenti pronunciari modo deprecatiuo, & non indicatiuo tantum, aliter enim non conficeretur Sacramentum, vt communiter omnes Theologi ſentiunt cũ D. Tho. in 4. d. 23. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. & ſumitur ex Concil. Florentino, & Tridentino, ac etiam ex verbis Iacob. *vt orent ſuper eum,* quæ oratio intelligitur de oratione vocali, & iuxta modum, quo Eccleſia vtitur, & maximè cum Eccleſia decipi nõ poſſit circa ea, quæ pertinent ad ſubſtantiam Sacramentorum, vt habetur in cap. Ad abolendam de hæret. & licet, in citatis formis ad. ſint multa verba indicatiui modi; tamen, vt benè ait D. Thom. loc. cit. ad 3. *Verba illa indicatiui modi, quæ ſunt in vſu aliquarum Eccleſiarum, non eſſe formam huius Sacramenti; ſed eſſe cæremoniam quãdam, ſeu diſpoſitionem ad formã.* Vnde in verbis ſubſequentibus deprecatiuis perficitur Sacramentũ, ſequitur Suar. loco cit. & Filiuc. num. 80. & ſeqq.

9. Sed vtrum omnia dicta verba formæ, quibus vtitur Eccleſia Romana ſint de eſſentia huius Sacramẽti? Reſpondeo negatiuè; & iſta tantum erunt de eſſentia, ſcilicet. *Per iſtam ſanctam vnctionem, parcat tibi Deus,* vel *vngo te Oleo ſancto, vt Deus tibi remittat quidquid deliquiſti per viſũ, &c.* Dictæ tamen mutationes fieri non poſſunt abſq; graui culpa, vt communiter omnes docẽt; vide Suar. Filiuc. Sot. & alios loco cit. Addit etiam Bonac. diſp. 8. quæſt. vnica pun. 3. num. 5. ex Suar. diſp. 41. ſect. 2. & Filiuc. num. 129. & ex alijs, poſſe Parochum in extrema neceſſitate omnes vnctiones facere, vnicam tantum formam proferendo; v. g. dum vngit, poteſt dicere: *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti.*

10. Ex quibus omnibus conſtat quomodo definiendum ſit hoc Sacramentum Extremæ Vnctionis; *Eſt enim vnctio Oleo benedicto facta in eis partibus corporis, vbi præcipuè quinque organa ſenſuum vigent, ſub præſcripta forma verborum.* Eſt etiam vnum Sacramẽtum, & in ſpecie, & in numero, quia ſemper fit ex eadem materia, & forma, & numericè non diſtinguitur, niſi ratione ſubiectorum, ratione autem eiuſdem ſubiecti ſemper dicitur vnum, quia non eſt iterabile in eadem infirmitate; vt poteſt iterari, Euchariſtia, & Pœnitentia. Dicitur etiam vnum Sacramentum, quia licet adſint plures formæ, & materiæ, tamen omnes tendunt ad vnam perfectam vnctionem; Vnde licet, in qualibet forma admittamus aliquam gratiam partialem, non ex hoc ſequitur, quod Sacramentum non ſit vnum, cum ratione perfectionis vnum ſit; vt conſtat etiam in ordinibus, in quibus licet, in omnibus tribuatur character, tamen, quia omnes tẽdunt ad Sacerdotium, vnum dicitur Sacramentum Ordinis, & vnus character, quoad perfectionem.

11. Quomodo autem intelligendum ſit, in eadem infirmitate non poſſe reiterari hoc Sacramentum? Reſpondeo nõ poſſe reiterari, quando adeſt idem periculũ; at ſi infirmus omninò exeat à periculo mortis; licet de facto nõ ſanetur, & poſtea iterum incidat in idem periculum, tunc poteſt de nouo dictum Sacramentum accipere, quia, vt benè ait D. Thom. d. 23. q. 2. art. 4.

art.4.quæſtiunc.2. hoc Sacramentum non reſpicit infirmitatem, ſed periculum mortis, vt videri poteſt in Cōcil.Trid.ſeſſ.14. cap.3. vnde quandocunque aduenerit nouum periculum mortis,de nouo poteſt accipi hoc Sacramentum;nec in hoc eſt aſſignandus annus, vel menſis ex vno periculo ad aliud,quia hoc gratis,& abſque vllo fundamento aſſeritur: Vnde,eſt miniſtrandum hoc Sacramentum morti proximis ratione morbi, vulneris, partus, vel ſenectutis, non aut ratione vltimi ſupplicij, & eſt miniſtrandum quoad fieri poteſt dum infirmus habet vſum rationis;imò in morbis mortiferis, poteſt in initio ſtatim hoc Sacramentum miniſtrari, vt Emanuel Sà verb. Extrema Vnct.num.4. quod intellige, quando in principio Medicus ſtatim de ſalute infirmi nullam ſpem haberet.

12. Quoad effectum huius Sacramenti. Certum eſt, conferre gratiam ſanctificantem, prout diximus de alijs Sacramentis, & eſt commune omnibus Sacramentis nouæ legis; Primarius tamen effectus gratiæ huius Sacramenti eſt, tollere reliquias præcedentium peccatorum tam originalis, quam actualium ſiuè mortalium, ſiuè venialium;ita D.Thom.in 4.d.24.q.2.art. 2.quæſtiunc.2.Sot.q.1.art.2.& paſſim alij; & licet, aliqui aſſerant primarium finem huius Sacramenti eſſe remittere peccata venialia;tamen meritò D.Thom. loco cit. q. . art.2. q.1. Talem opinionem reprehendit, quem ſequitur Palud.ibidem q.4. Sot. q.1. art. 2. & alij multi;nam remiſſio peccatorum, tamquam primarius effectus pertinet ad Sacramentum pœnitentiæ, vt ibi diximus; Vnde alij dixerunt, hoc Sacramentum Extremæ Vnctionis remittere peccata venialia,ſed non niſi excitando actum diſplicentiæ,quod idem eſt,ac conferre auxilium gratiæ, quo homo poſſit expellere peccata venialia; & ita videtur ſentire Bonauent. in 4. d.23. art.1. q.1. & alij,ſed neque hæc ſententia videtur apta; cum hoc Sacramētum ex ſe, & citra opus operātis debeat habere aliquem effectum ex opere operato,prout habent omnia Sacramenta; Vnde dicēdum eſt,primarium effectum huius Sacramēti eſſe tollere reliquias peccatorum, vt ſupra, ſcilicet, expellere habitudines, & procliuitates ad malum,& torporem ad bonum; Secundus effectus huius Sacramēti eſt ſubleuare infirmum ab ægritudine; ac conferre ei ſanitatem,ſi ita pro ſalute animæ expediēs fuerit;vt communiter omnes Doctores fatentur,& præcipuè D.Thom.3.par.q.30.art.2 quem effectum habet hoc Sacramentum ex ſui natura,ex verbis Iacobi; *Et alleuiabit eum Dominus*. Tertius effectus eſt, non ſolum delere omnia venialia; ſed etiam conferre auxilium contra tentationes, & difficultates in tali articulo mortis infirmo occurrentes; vt ait Concil.Trid. ſeſſ.14.in proemio huius Sacramenti his verbis. *Primum itaque,circa illius inſtitutionem,declarat, & docet,quod clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſeruis ſuis quouis tempore voluit de ſalutaribus remedijs aduerſus omnia omnium hoſtiū tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis alijs præparauit, quibus Chriſtiani conſeruare ſe integros, dum viuerent ab omni grauiore ſpiritus incommodo poſſint, ita Extremæ Vnctionis Sacramento finē vitæ, tamquam firmiſſimo quodam præſidio, muniuit, &c.* Et Concil.Colon.par.7.cap.40. ſic ait. *Reſtat Extrema Vnctio, quæ quoniam in morte extrema lucta eſt adhibetur, vt vel conualeſcat ægrotus, ſi Deo ita viſum, fide, bonaque ſpe obdormiat in Domino*. Vnde verè dicere poſſumus,per hoc Sacramentum,animā mundari, & roborari, & corpus ſubleuationem acquirere, ac ſanitatem, ſi ita expediens fuerit; vt communiter omnes docent.

13. Quo autem tempore hoc Sacramentum conferat ſuum effectum? Reſpondeo, conferre in vltima vnctione, ſcilicet in quinta, quia,vt diximus,quinque tātum ſunt de eſſentia huius Sacramenti, & quia tunc completur, ſeu perficitur Sacramentum, tunc etiam detur eius effectus; neque obſtat, quod in Ordine detur gratia in ſingulis ordinibus, quia adeſt debita forma, & materia; Ergo ſimiliter videtur dicendum in dictis vnctionibus, poteſt enim dari per ſingulas vnctiones partialis gratia; ſed adeſt diſpar ratio: nam Sacramentum Extremæ Vnctionis nullo modo perficitur,neq;dicitur eſſe Sacramentū,niſi in quinta vnctione; At Sacramentum ordi-

Digitized by Google

nis cum contineat diuerſa officia, & ad ſingula officia deſtinentur miniſtri, in quolibet ordine conficitur Sacramentum, & ex conſequenti confertur gratia; Attamen, quia dicta officia tēdunt ad Sacerdotium, vnum dicitur Sacramentum ordinis, quoad perfectionem, vt diximus; vide Suar. diſp. 41. ſect. 2. num. 8. & 12. Sot. in 4. d. 22. q. 1. art. 1. & alios. Vide tamen doctrinam traditam cap. anteced. num. 6.

14. Vtrum autem aliquādo poſſit dari effectus huius Sacramenti, abſque omnibus vnctionibus? vt v. g. ſi infirmus decedat poſt ſecundam, vel tertiam vnctionem? & affirmatiuè reſpondet Suar. ſect. 3. num. 3. ex pia quadam cōſideratione; nam ſicut pœnitens dicitur integrè confeſſus, quamuis nō omnia peccata dicat ob mortem ſuperuenientem; & quia iam fecit, quod in ſe eſt; ita etiam in hoc caſu putandum eſt; & licet hæc ratio habeat ſuas difficultates, tamen quia ſumus in cauſa pia, & fauorabili, diſplicere non debet.

De ſuſcipiente, Miniſtro, ac eorum præceptis. Caput LVIII.

1 *Suſcipiens hoc ſacramentum debet eſſe Chriſtianus, adultus, habens vſum rationis, &c.*

2 *Parochus poteſt dare hoc Sacramentum illi, qui tantum oſtendit actus attritionis.*

3 *Quinque partes corporis neceſſariò ſunt vngendæ.*

4 *Solus Sacerdos eſt miniſter huius Sacramenti; licet, ſpectet ſpecialiter ad Parochum.*

4 *Hoc Sacramentum validè à pluribus Sacerdotibus confici poteſt.*

6 *Sacerdos, ſi infirmus moriatur non completis omnibus vnctionibus, ceſſare debet; & ſi fuerit dubius de morte, debet id agere ſub conditione.*

7 *Regulares nō poſſunt adminiſtrare hoc Sacramentum ſub pœna excommunicationis.*

8 *Nullum adeſt præceptum ſumendi hoc Sacramentum, licet mortale ſit illud omittere ex contemptu.*

9 *Hoc Sacramentum poteſt recipi ante, & poſt viaticum.*

10 *Sacramentum pœnitentiæ non eſt neceſſariò præmittendum.*

11 *Sub mortali tenetur Parochus miniſtrare hoc Sacramentum fidelibus.*

12 *Cum periculo propriæ vitæ, non tenetur Parochus hoc Sacramentum miniſtrare.*

13 *Parochus tenetur ſeruare ritum Eccleſiæ in orationibus, &c. Poteſt tamen non vti miniſtro.*

1 SVſcipiens Sacramentum Extremæ Vnctionis debet eſſe Viator, Chriſtianus, Adultus, habens vſum rationis; vel vt ſaltem habuerit; & oſtenderit ſufficientem conſenſum circa hoc Sacramentum, & dummodo non maneat in peccato mortali: Hæc doctrina cōmunis eſt Theologorum in 4. d. 23. vbi Palud. q. 3. nu. 14. Sot. q. 2. art. 2. Sylu. Vnctio Extrema q. 5. Nauar. cap. 22. num. 13. & licet D. Thom. in 4. d. 23. q. 2. art. 2. aſſerat hoc Sacramentum non eſſe dandum furioſis, aut amentibus, etiam ſi ſint in periculo mortis; tamen id intelligendum eſt de perpetuò amentibus, & furioſis, qui nunquam habuerunt lucida interualla, prout declarauit dictus Sanctus agendo de Euchariſtia, & alijs Sacramentis; eādem doctrinam ſequitur Filiuc. tract. 3. cap. 5. num. 101. Suar. diſp. 42. ſect. 1. & alij paſſim; quando autem timeretur aliqua irreuerentia in dictis amentibus, non eſſet eis adminiſtrandum hoc Sacramentum; debet etiam ſuſcipiens hoc Sacramentum eſſe in periculo mortis naturalis; cum fuerit inſtitutum dictum Sacramentum ad hunc finem, & pro hominibus fidelibus in infirmitate decedentibus; ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. ideò ſi daretur ſanis, vel iam mortuis, nō fieret Sacramentum; Et notandū, quod ille cenſeatur conſentire ſuſceptioni huius Sacramenti, qui iam actus contritionis fecit, & cognoſcitur eſſe in bono ſtatu, quod ſemper præſumendum eſt, quando contrarium non cōſtat, nam iuxta iuris regulam. *Qui malus non probatur, iuſtus eſſe præſumitur.* Qui autem præſumitur benè diſpoſitus, creditur etiam appetere omnia neceſſaria, & vtilia ad

Digitized by Google

ad ſalutem; & hæc virtualis voluntas infirmi ſufficit ad valorem Sacramenti, poſui illam particulam (Adultus) quia infantibus, & perpetuò amentibus, non eſt miniſtrandum hoc Sacramentum; neq; obſtat, quod ſupra cap. antec. num. 12. diximus, primarium effectum huius Sacramenti, eſſe remittere reliquias peccati originalis, & actualis; quæ reliquiæ peccati originalis, cum reperiantur etiam in infantibus; debet etiã ipſis miniſtrari hoc Sacramentum. Reſpondetur, hoc Sacramentum non tollere reliquias peccati originalis radicaliter, ſed per auxilia ſpiritualia confortando animam ad ſuperandã debilitatem in dicto peccato contractam; Infantes autem, cum non ſint doli capaces, nec indigent tali auxilio, vt Suar. diſput. 42. ſect. 1. num. 4.

2. Sed dubium eſt: Vtrum Parochus poſſit dare hoc Sacramentum illi, quem nouit fuiſſe peccatorem, & non fuiſſe confeſſum; ſed tantum oſtendiſſe, vel oſtendere actus attritionis? Reſpondeo affirmatiuè, quia attritio etiam cognita, vt attritio, ſufficiens eſt ad Sacramentum; & virtute dicti Sacramenti fit contritio; & ex conſequenti infirmus recipit effectus huius Sacramenti, Suar. loc. cit. num. 5. dummodo tamen infirmus non peccet in ſuſceptione dicti Sacramenti; ſed quid ſi Parochus nouerit nunquam infirmum mortaliter peccaſſe? Reſpondeo, etiam tali infirmo eſſe adminiſtrandum hoc Sacramentum; nam D. Iacob. ait. *Si in peccatis ſit, remittuntur ei*. Vnde non eſt neceſſe, vt infirmus peccator extiterit; imò eſt dandũ dicto infirmo hoc Sacramẽtum, ne in peccatum incidat, Henriq. lib. 3. cap. 8. num. 4. & cap. 11. num. 8. Bonac. diſp. 7. q. vnica punct. 5. num. 13. Suar. diſp. 42. ſect. 2. nu. 7. vbi plures affert aſſerentes etiam B. Virginem hoc Sacramentum ſuſcepiſſe.

3. Quænam partes corporis ſint vngendæ? Reſpondeo, eſſe Oculos, Aures, Nares, Os, & Manus modo tamen, quo diximus cap. antec. num. 6. Reſtat tantũ vulgare dubium diſſoluendum, vtrum carẽs manibus, vel auribus, &c. poſſit recipere hoc Sacramentum? & reſpondetur affirmatiuè, ſed tunc eſt facienda vnctio partibus proximioribus dictorum ſenſuum; vt vſus Eccleſiæ, & communis Doctorum doctrina declarat.

4. Quoad miniſtrum huius Sacramẽti; certum, & de fide eſt, eſſe ſolos Sacerdotes, nec poſſe aliquem inferiorem hoc Sacramentum miniſtrare ob quamlibet neceſſitatem, intelliguntur tamen Sacerdotes non prohibiti ab Eccleſia, vt ſunt degrati, excommunicati, &c. nam iſti, & quilibet alius Sacerdos, licet, conficerent Sacramentum in ſalutem infirmi; tamen eſſet ad eorum propriam ſpiritualẽ mortem, quia mortaliter peccarent; dico, quod conficiant Sacramentum, quia in hoc Sacramento non requiritur eſſentialiter iuriſdictio, ſicut requiritur in Sacramento pœnitentiç; nam in pœnitentia requiritur, quia fit per modum iudicij, ad quod eſſentialiter requiritur iuriſdictio; at extrema Vnctio non datur per modum iudicij; ſed per modum medicinæ, & curationis; Regulariter tamen nullus debet dare hoc Sacramentum, niſi ſolus Parochus, vel alius de eius commiſſione, quia adminiſtratio Sacramentorum pertinet ad Parochum; & ideò ſi alius id egerit, niſi tamen in caſu, quo infirmus decederet abſq; hoc Sacramento ob carentiam proprij miniſtri, tunc enim rationabiliter præſupponitur licẽtia Parochi, ex cit. DD. mortaliter peccaret.

5. Sed quæritur, vtrum hoc Sacramẽtum à pluribus Sacerdotibus ſimul validè confici poſſit? ſed hoc duobus modis intelligi poteſt; vel quod vnus Sacerdos vngat, & alius formam proferat; vel quod vnus duas, vel tres partes tantum vngat, & formam proferat, & alius vngat alias partes, & ſimiliter formam proferat. Reſpectu primi modi, reſpondendum eſſet negatiuè, ſicut etiam diximus de baptiſmo, nam idem qui lauat, debet formam proferre; & ſimiliter idem, qui vngit, colligitur apertè ex verbis Iacobi 5. *Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum*. Reſpectu ſecundi modi; eſſet affirmatiuè reſpondendum, quod eſt ſpeciale in hoc Sacramento, quia conſtat ex pluribus formis, & materijs partialibus; ita D. Thom. in 4. d. 23. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 3. Sot. q. 1. art. 1. Syluest. verb. vnctio

ex-

extrema q.4. Filiuc. tract. 3. cap. 5. num. 93. & alij qui ſimiliter docēt in caſu neceſſitatis poſſe plures Sacerdotes vngere vnuſquiſque aliquem ſenſum, & formam proferre; & tunc non ſolum validè, ſed etiam licitè fieret Sacramentum, Suar. diſput. 43. ſect. 2. num. 5. & 8. Filiuc. num. 94. & alij.

6. Eſt tamen notādum, Sacerdotem, ſi dum vngit, infirmus moriatur, debere ceſſare ab vnctione; & ſi dubitet, an deceſſerit, poterit vngere ſub conditione, ne Sacramentum miniſtretur ſubiecto incapaci, & forma cadat in materiam non aptam: vide Bonac. diſp. 7. q. vnica pun. 5. num. 8. & 9.

7. Secundò notandum eſt, Regulares, licet exemptos, nō poſſe adminiſtrare hoc Sacramentum ſine Parochi licentia, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, vt habetur in Clem. 1. de priuil. vt docet Nauar. tom. 5. de cēſuris diſp. 22. ſect. 4. & alij, dicta tamen excommunicatio nō incurritur, ſi adminiſtratio fiat cum ratihabitione Parochi in caſu neceſſitatis, in quo infirmus decederet ſine hoc Sacramento ob carentiam miniſtri, Sot. d. 23. q. 2. art. 1. & licet non poſſet præſumi talis ratihabitio ex iniquitate Parochi, adhuc tamen eſſet miniſtrandum hoc Sacramentū ex intentione Eccleſiæ, vide Suar. diſp. 44. ſect. 2. num. 3.

8. Ex quonā præcepto fideles teneantur hoc Sacramentum ſumere? Reſpondeo non teneri ex præcepto diuino, neque ex præcepto Eccleſiaſtico; ita communiter omnes Doctores cum D. Thom. in 4. d. 23. art. 1. q. 3. ad 1. Palud. ibi q. 3. Sot. q. 1. art. 1. Caiet. verb. Vnctio extrema, & alij. Attamen, quia hoc Sacramentum eſt inſtitutū à Chriſto Domino in auxiliū animarum, vt ſupra, ideò non eſt contemnendum; Vnde in duobus caſibus poteſt quis mortaliter peccare omittendo hoc Sacramētum; Primò ratione ſcandali, ſecundò ratione contemptus, ſed notandum, ſcandalum tūc dici, quando ex facto vnius, alij ad peccandum excitātur efficaciter, vel cum morali periculo ex parte operantis; in præſenti autem caſu, ſcandalum in tali rigore non videtur habere locum, quia, licet, aliqui inducerētur ex tali exemplo ad non recipiendum hoc Sacramentum, hoc non eſſet inducere ad aliquid mortale, cum nullum præceptum de hoc Sacramento adſit; poſſet tamen adeſſe ratio ſcandali, ſi aliqui ex hac occaſione inducerentur ad paruipendendum hoc Sacramentum, vel ad negligenda generalia remedia ad ſalutem, vel ad iudicandum temerariè cum publica detractione de ſalute animæ dicti operantis, &c. ratione enim dictarum circūſtantiarum ſcandalum eſſet mortale. Ratione contemptus etiam eſſet mortale; vt patet ex Concil. Colon. ſub Adulpho cap. vlt. vbi ſic habetur. *Relatum nobis in Concilio eſt, impios quoſdam homines infirmitatis ſuæ tēpore Vnctionem ſacram reſpuiſſe, ac cōtempſiſſe; quamobrem ſtatuimus, vt ſi quis Sacramentum illud, nobis ab Apoſtolo Iacobo tantopere commendatum, contempſerit, Eccleſiaſtica careat ſepultura.* Sed tota difficultas eſt in declarando talem contemptum; quia non agimus de contemptu legis; de tali enim contemptu agitur in materia de legibus; & videri poteſt Nauar. cap. 23. nu. 42. & ſeqq. vbi talem contemptum optimè declarat; ſed quia de hoc Sacramento nulla datur lex; ideò maiorem difficultatem habemus in declarando talem contemptum; Nam Sot. lect. 2. de hoc Sacramēto ait, non poſſe omitti hoc Sacramentum ſine peccato, ſi ex negligentia omittatur, quæ ſententia non iudicatur apta, quia ſequeretur hoc Sacramentum eſſe ſub præcepto; Magiſter verò in 4. d. 23. ait, peccatum eſſe omittere hoc Sacramentum ex contemptu, vel ex negligentia; & talis ſententia coincidit cum prima, ſecundum illam particulam (ex negligentia.) Alij autem putāt ad contemptum ſufficere, vt quis ſciat, & poſſit, & nolit recipere ex mera negligentia, & accidia; ita tenet Maior. 4. d. 23. & alij apud Suar. diſp. 44. ſect. 1. num. 6. Vbi notat dictus Doctor, quod neque hoc in rigore ſufficiat ad contemptum; quia ſi quis omitteret hoc Sacramentum ex eo ſolum, quia non adeſt præceptum illud ſumendi, vel quia patitur aliquam difficultatem, non eſſet damnandus de mortali, ſecluſo ſcandalo; Tunc igitur verè adeſſet contemptus, quando quis paruipenderet Sacramentū,

vel

Digitized by Google

vel fructum eius; & ita loquitur etiam Filiuc.tract.3.cap.5.num.113.& eodem modo peccarent Parentes, Domini, Tutores, Superiores, &c. Qui non peterent ex tali contemptu hoc Sacramentum pro Filijs, Paruulis, Seruis, Subditis, &c. vt ijdem Doctores docent.

9. Sed primò dubitatur, vtrum hoc Sacramentum ſit recipiendum ante viaticum? Dico recipiendum eſſe iuxta vſum Eccleſiæ, licet, ſi recipiatur ante, vel poſt, non videatur res grauis, dummodo cętera adſint, & alicubi refertur, dari viaticum vltimo loco, quatenus omnia Sacramenta ad illud referuntur, vt loquitur D.Thom. 3.par.q.63.art.3. Vnde agere contra dictā conſuetudinem, vel aliam contrariam, qua vtitur Eccleſia Romana, non videtur graue peccatum, ita Suar.diſp.44.ſect.1.nu.8. & Filiuc.dictò.cap.5. num.114.

10. Secundò dubitatur, vtrum Sacramentum pęnitentiæ ſit neceſſariò pręmittendum? Dico ex natura rei non eſſe neceſſariò præmittendum, quia ad recipiendum dignè Sacramentum, ſufficit, vt homo ſit in gratia; conſtituitur autem in gratia per ſolam contritionem; Vnde cum illa ſola ſaltem præſumpta poſſet hoc Sacramentum recipere; ad maiorem tamen ſecuritatem, nullus, niſi poſt confeſſionem, hoc Sacramentum ſumere debet; vide fuſiùs apud Suar.num.9.& ſequitur idem Filiuc.loco cit.

11. Quoad præcepta reſpectu miniſtri huius Sacramenti; Certum eſt teneri Parochum ratione officij; ſub mortali miniſtrare hoc Sacramentum fidelibus, quia licet, hoc Sacramentum non ſit neceſſarium, tamen fideles habent ius ad illud petendū; & Parochus non poteſt abſq; graui culpa priuare fideles tali Sacramento, quod eſt commune apud omnes Doctores. Tenetur etiam Parochus eſſe in gratia ſaltem per contritionem præſumptam, vt ſæpè diximus de Sacramentis in genere; ſi autem fuerit excommunicatus, nec debet dictum Sacramentum miniſtrare; ſed poſſet id alteri committere; Tenetur tamen illud non dare niſi benè diſpoſito, ad quod incumbere debet ex officio.

12. Dubium tamen eſt, vtrum Parochus teneatur cum periculo propriæ vitæ hoc Sacramentum miniſtrare, vt tempore peſtis? multas affert opiniones in hoc dubio Suar.diſp.44. ſect.3. nam aliqui abſolutè negant, quia hoc non eſt Sacramentum neceſſitatis, & ita tenet Armilla verb. Epiſc.6. Tabbien. eodem verb. num.5. & confirmatur ex Abulenſ.q.306.in 22.cap. Matth.ad 3.vbi ait; *Paſtores Eccleſiæ teneri ad exponendam vitam corporalem pro ſpirituali ouium, ſi aliter illa ſeruari non poteſt:* Et in præſenti caſu, certum eſt ſeruari poſſe; & fauet D.Thom.opuſcul.de perfect.vit. ſpirit.cap.14.vbi ait. Solum in caſu neceſſitatis extremæ teneri homines ſe exponere periculo mortis pro ſalute ſpirituali proximi; & affert exemplum, vt ſi proximus ſeducatur ab hæretico: Nauar. autem cap.24. num.10. & cap.25. num. 133. ait Parochum teneri in tali periculo tantum miniſtrare Sacramentum confeſſionis, & Euchariſtiæ; quæ opinio non videtur differre à prima, quia hæc duo Sacramenta ſunt ſimpliciter neceſſaria in articulo mortis. Alij tamen aſſerunt, Parochum teneri ad omnia Sacramenta miniſtrandum cum tali periculo; & hanc opinionē tenet Suar. licet, cum aliqua limitatione, & Filiuc. tract.3.cap.5.nu.98.ſed verè opiniones ſupradictorum Doctorum omninò probabiles, & tutæ mihi videntur, & ducor etiam ad id, quia D. Thom. 2.2. q.184. art.7. & q. 185. art.5. circa obligationem Paſtorū ait, non requiri extremam neceſſitatem; ſed opportunitatem, & abſolutam neceſſitatem; at in caſu prædicto nulla poteſt dari (ordinariè loquendo) abſoluta neceſſitas, cum non agatur de re neceſſaria; & eo magis, ſi iam ſciat Parochus infirmum eſſe in bono ſtatu, & nullam habere conſcientiam peccati mortalis; vt idem Suar. loc.cit.nu. 15.concedit.

13. Tenetur etiam Parochus ſeruare ritum ab Eccleſia præſcriptum non ſolum circa vnctiones, & ordinem earum; ſed etiam tenetur recitare illas orationes, & preces, ſaltem illas, quæ ordinariè dici ſolent; nam illas omnes omninò omittere, eſſet grauis culpa non ſolum propter præceptum Eccleſiæ, ſed etiam propter irreuerenren-

rentia Sacramenti; tenetur etiam adminiſtrare dictum Sacramentum cum debitis veſtibus iuxta morem Eccleſiæ; aliter non eſt adminiſtrandum, vt de Euchariſtia, & alibi diximus; non eſt tamen neceſſe, vt habeat miniſtrum ſibi reſpondentem; & maximè ad formam, non debet illo vti, ſed totam vſque ad illam particulam (*Amen*) debet ipſe pronunciare: & ſimiliter alias orationes, & reſponſiones poteſt ex ſe dicere: vide Suar. diſput. 44. ſect. 2. num. 7. & Bonac. diſp. 7. q. vnica pun. 6. nu. 6. & 7.

DE PVRGATORIO.

Purgatorium An, & Vbi ſit. Cap. LVIIII.

QVoniam agendo de Sacramento pęnitentiæ; diximus abſolutis culpis, & reatu pęnæ æternæ, remanere in pęnitente aliquam pœnam temporalem in hoc Mundo, vel in Purgatorio perſoluendam; Ideò poſt pœnitentiam egimus de Extrema Vnctione, quæ non ſolum confert ad roborandam Animam; ſed etiam ad purgandas reliquias peccatorum; Et quia, nec etiam ex ſumptione dicti Sacramenti, tota pœna temporalis aboletur; Idcircò in præſenti, neceſſe eſt agere de modo quo totaliter Animæ purgantur à dicta pęna tēporali; quod fit per Suffragia, & Indulgentias; Sed priùs dicendum eſt An, & Vbi ſit locus, in quo verè dictæ Animæ purgantur; deinde agemus de Suffragijs, quibus poſsũt iuuari dictæ Animæ, vt ab hac pœna ſoluantur, & tertio loco agemus de Indulgentijs, quibus ſimiliter optimè Animæ purgantur.

1 *Hæretici aſſeruerunt non dari Purgatoriũ, ſed contrarium probatur.*
2 *Idem probatur ex nouo Teſtamento.*
3 *Idem probatur ex Concilijs.*
4 *Probatur idem ex Patribus.*
5 *Reſpondetur ad fundamentum Hæreticorum.*
6 *Purgatorium eſt in loco certo ſub Terra verſus centrum.*
7 *Probabilius eſt Purgatorium eſſe propè Infernum damnatorum.*
8 *Animæ in Purgatorio patiũtur pœnã damni, & pœnam ſenſus.*
9 *Animæ cruciantur in Purgatorio à vero igne.*
10 *Ignis agit in Animas tãquam inſtrumentum diuinum, & non propria virtute.*
11 *Dictæ pœnæ Purgatorij acerbiſſimæ ſunt ſuper omne malum præſentis vitæ.*
12 *In Purgatorio veriſimiliùs eſt non adeſſe Dæmones cruciantes Animas.*
13 *Pœnæ Purgatorij quonam modo ſint diuturnæ, nihil certò ſcitur.*
14 *Pœnæ Purgatorij, an durent ſemper in eadẽ intentione; nec aliquid certò ſcitur.*
15 *Animæ ſecundum communem regulam è Purgatorio exire non poſſunt.*
16 *Animæ in Purgatorio non ſunt in ſtatu merendi pro ſe; ſed pro alijs piè creditur.*
17 *Animæ in Purgatorio certæ ſunt de ſua ſalute; imò cognoſcunt etiam tempus, quo purgatio durare debeat.*

1 NOn defuerunt Hæretici, & præcipuè Lutherani, qui aſſererent, nullo modo dari Purgatorium; quorum fundamentum fuit, quia nullam differentiam voluerunt dari inter peccatum veniale, & mortale; ſed omnia peccata eſſe mortalia; & non remitti dicta peccata, quin remittatur tota pęna; Vnde Animas decedentes ex hoc Mundo, vel ad gloriam, vel ad Infernum ſtatim ire putabant; quod confirmant ex illo Eccleſ. 11. *Si ceciderit lignum ſiuè ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, vbicunque ceciderit, ibi erit*; & Matth. 25. *Venite benedicti, & ita maledicti*. Certum tamen, & de fide eſt, dari Purgatorium, in quo Animæ purgantur à pœnis temporalibus. Hoc probatur primò ex veteri Teſtamento 2. Machab. 12. *Sãcta, & ſalubris eſt cogitatio pro defũctis exorare, vt à peccatis ſoluãtur*; & quod hoc intelligatur de Animabus iuſtis; &

non

Digitized by Google

non de illis, quæ poſt hanc vitam demerguntur in Infernum, ſimiliter ait; *Eos, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habere repoſitam gratiam*; & ſubdit *optimum eſſe conſilium pro eis exorare, vt à peccatis ſoluantur:* qui locus, cum clarus ſit, & ad illum non poſſint hæretici reſpódere, ad tollendas omnes difficultates in cõfirmationem eorum pertinaciæ, dicũt, dictos libros Machabæorum eſſe hypocriphos, ſcilicet, ſine auctoritate, prout mihi de facto reſpondit quidam Lutheranus occaſione cuiuſdã nauigationis. Arius autem, licet, apertè non negauerit Purgatorium, negauit tamen poſſe Animas ſuffragijs iuuari, vt ſumitur ex Epiph. hæreſ. 75. vbi ſic loquitur Arius. *Orat viuẽs, aut diſp. nſationem facit, quid profuerit mortuo? igitur nemo ſit pius, neque homini quidquam faciat, ſed acquirat amicos, qui orent pro ipſo, vt ne quid ille patiatur.* Albanenſes etiam, & Albigenſes, vt refert Prateolus, & D. Antonin. 4. par. tit. 17. cap. 11. §. 5. negauerunt non ſolum Purgatorium, ſed etiam Infernum, & dixerũt nullas poſt hãc vitam manere pœnas, neque gloriam; & fundamentum eorum fuit, quia Anima ſimul cum corpore perit; Contra quos errores, præter iam dicta; additur etiam in dicto loco Machabæorum. *Benè, & religioſè de reſurrectione cogitans; niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis*, & Paul. 1. Corint. 15. *Si mortui non reſurgunt, quid mihi prodeſt? Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur:* Probatur etiam hęc veritas ex Tobiæ 4. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue*; quod intelligitur de pane, & vino, quod Deo in ſacrificium pro animabus iuſtis offertur, & de illo, quod elargitur in ſubſtẽtationem pauperum, & Sacerdotum pro dictis animabus, vt ait Turrianus lib. 4. pro Epiſt. Pont. cap. 14. Adiungens illud Eccleſ. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam*; poſſet idem probari ex mille locis veteris Teſtamẽti, quos breuitates cauſa omittere oportet. Probat tandem ignem Purgatorij, Diuus P. Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. cap. 25. ex illo Malachiæ 3. *Sedebit conflans, & emundans argẽtum, & purgabit filios Leui*; & ex illo Iſaiæ. *Lauabit Dominus ſordes filiorum, & filiarum Sion, & ſanguinem circumdabit de medio corũ in ſpiritu iudicij, & ſpiritu combuſtionis*; & in lib. 50. Homil. in 16. id probat ex illo Daniel. 7. *Et fluuius igneus currebat ante eum.*

2. Probatur etiam hæc veritas ex nouo Teſtamento: nam Paul. 1. Cor. 15. ait: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt?* quaſi diceret, quid faciunt, qui affliguntur, & pœnitentiã agunt pro iuuandis mortuis, ſi mortui non reſurgunt? & P. Auguſt. lib. 21. de Ciuit. cap. 27. Hieronym. Epiſt. 151. ad Algaſ. q. 6. & alij Patres illa verba Chriſti Domini Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; Exponunt de eleemoſynis faciendis pauperibus, qui adiuuant poſt mortem, vt Animæ recipiantur in æterna tabernacula. Idem etiã ſumitur ex Matt. 12. *Non remittetur in hoc ſæculo, neque in futuro:* Ergo in futuro datur etiam locus remiſſionis; vt exponit idem P. Auguſt. lib. 6. contra Iulian. cap. 15. & lib. 21. de Ciuit. cap. 14. à quo idem didicerunt cæteri Patres, vt Beda, Iſidor. Bernar. Gregor. & alij.

3. Deinde probatur hæc veritas ex Concilijs, & præcipuè ex Florentino in literis vnionis, & Trid. ſeſſ. 6. can. 30. & Decret. de Purgat. & ſeſſ. 22. cap. 2. & can. 3. & in d. cap. 2. ſic dicitur in fin. agendo de Sacrificio Miſſæ. *Quare non ſolum pro fidelium viuorum peccatis pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis, ritè, iuxta Apoſtolorum traditionem offertur:* & in can. 3. id credi oportere dicitur, ſub pœna anathematis.

4. Patet etiam hæc veritas teſtimonio omnium Patrũ; & in primis P. Auguſt. lib. 2. contra Manich. cap. 20. in fine, ſic ait. *Qui agrum non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hac vita maledictionẽ terræ ſuæ; & poſt hanc vitam habebit, vel Purgatoriũ ignem, vel pœnam æternam:* idem ait lib. 21. de Ciuit. cap. 24. 26. & ſeqq. & in Pſalm. 37 & in Serm. 48. ad fratr. in Erem. & lib. de vera, & falſa pœnit. cap. 18. & in quæſtionibus ad Dulcitiũ q. 2. de Suffragijs, Serm. 32. de verb. Apoſt. Serm. 44. ad fratr. in Erem. & lib. 9. confeſs. cap. 11. idem docet D. Hieronym. ad illud Prouer. 11. *Mortuo*

tuo homine impio, nulla erit vltra ſpes, (ſic ait.) *Notandum, quod etſi impijs poſt mortem ſpes veniæ non eſt, ſunt tamen, qui de leuioribus peccatis cum quibus obligati defuncti ſunt, poſt mortem poſſunt abſolui, vel pœnis caſtigari, vel ſuorum precibus, & eleemoſynis, Miſſarumque celebrationibus*; & ſimilia colliguntur ex omnibus Patribus, quæ, quia breuitati ſtudemus, omitto.

5. Ad fundamentum autem Hæreticorũ reſpondetur, in dictis ſcripturis mentionem fieri de duobus terminis viæ per quos homo terminatur, vel ad Regnum æternum, vel ad ignem æternum; Vnde P. Auguſt. Serm. 14. de verb. Apoſt. & lib. 1. de peccat. mort. cap. 18. & ſeqq. & in alijs locis, duo loca ait eſſe præparata hominibus, ſcilicet, Regnum æternum, aut pœnam æternam; & ita etiam multoties loquũtur Scripturæ, & Patres, quia Purgatorium eſt via, & ideò faciendo mentionem de terminis, vt fit in citatis ſcripturis, omittitur via; quod eleganter declarat Sixtus Papa in Epiſt. ad malos Doctores, parum a principio his verbis. *Ego in ſcriptura duo tantum loca inuenio, Regni, & Gehennæ, hoc eſt vitæ, & mortis*, (& ſubdit) *Purgatorium ſemper excipio, in quo ad tempus piorum animæ corporibus ſolutæ expiantur.*

6. In quo autẽ loco ſit Purgatorium? nullum teſtimonium certum habemus, nec Eccleſiæ determinationem; Vnde Vgo de S. Victor. lib. 2. de Sacr. par. 16. cap. 4. ait, locum Purgatorij eſſe indeterminatum, vt conſtat ex multis reuelationibus, ideò ſubdit. *Probabilius eſſe vnumquemque purgari, vbi potiſſima peccata commiſit, ſicut multis documentis ſæpè probatum eſt.* Pro quibus reuelationibus videri poteſt D. Gregor. 4. Dialog. cap. 25. & 55. P. Damianus Epiſt. 13. ad Deſider. cap. 7. & alij. Communis tamen ſententia Theologorum eſt, Purgatorium eſſe quemdam locum certum, & definitum ſub terra verſus centrum conſtitutum à Deo in animarum Purgatoriũ, ita D. Thom. in 4. d. 21. q. 1. art. 1. q. 2. Richard. art. 1. q. 3. & d. 45. art. 1. q. 2. & ibi Bonau. art. 2. q. 2. Durand. in 3. d. 22. q. 4. & alij cõmuniter. Fauent huic ſententiæ verba Eccleſiæ: *Libera Domine animas fidelium defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu.* Et ille Apoc. 5. *Nemo inuentus eſt dignus aperire librum neque in Cælo, neque in Terra, neque ſubtus Terram.* Et certum eſt Ioan. non enumeraſſe, niſi iuſtos, & colligitur etiam ſub terra eſſe iuſtos, ſcilicet, Animas Purgatorij. Faciunt etiam pro hac ſententia verba Eccleſiaſt. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciã omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Et ex iſto loco ſolet probari deſcenſus Chriſti ad Inferos; & iuxta P. Auguſtinũ Epiſt. 99. ad Euod. ſignificat Chriſtum deſcendiſſe etiam ad Purgatorium, & ab illo aliquas Animas liberaſſe, ex verbis Act. 2. *Quem Deus ſuſcitauit à mortuis, ſolutis doloribus Inferni*; & pro certo ſupponit dictus Sanctus, omnia loca pœnalia à quibus Chriſtus Animas liberauit, eſſe in Inferno, ſcilicet, ſub terra, & eumdem locũ declarãs lib. 12. Geneſ. ad liter. cap. 33. ait, per Infernum ibi non poſſe intelligi ſinum Abrahæ; ergo neceſſariò intelligitur Purgatorium, quod ibi eſt. Ad viſiones autẽ, quas afferebat Vgo? Reſpondetur, nihil ex eis certum circa hoc colligi poſſe, & dato, quod in dictis locis, vel etiam in alijs adſint Animæ ad purgandum, hoc erit extra ordinariam legem Dei ob aliquem finem ſibi iuſtè, & benè viſum; ex ordinaria autem lege, Purgatorium manet ſub terra, vt diximus, & ita communiter ad dictas viſiones reſpondent Theologi; vt Gabr. d. 45. q. 1. art. 1. Sot. q. 1. art. 1. & 3. Cartuſ. q. 1. & Dialog. de iudicio, & lib. de 4. nouiſſimis cap. 48.

7. Quem autem ordinem inter ſe teneant dicta loca Inferni? Reſpondeo, iuxta communem opinionem, in infimo loco, ſcilicet, in centro eſſe Gehennam damnatorum; & ſinũ Abrahæ eſſe in ſuperiori loco, ſeu digniori, itaque quoad hæc duo loca Doctores nõ diſcrepant, diſſentiunt tamen vtrum propè Gehennam ſit Purgatorium, an Limbus Puerorum; & aliqui putant propè Gehennam, eſſe Purgatorium; & ita tenet Maior. d. 44. q. 3. in fin. Palud. diſt. 45. q. 3. Sot. d. 45. q. 1. art. 3. & citat pro ſe D. Thom. diſt. 21. & 45. eo quod dictus Sanctus dicat. Purgatorium eſſe vicinum Inferno, & eumdem ignem habere; ſed verè D. Thom. cõtrarium docet, nempè

pè Limbum Puerorũ eſſe propinquiorem Inferno, in 3. d.22. q.2. art.1. quæſtiunc. 2. idem ſentit Gabr. dicta d.45. q.1. art.1. Richar. vt ſupra, & alij; circa quas opiniones diſputant Scholaſtici. Vnum tantum puto veriſimile, nempè, dicta loca non eſſe ita compoſita, ſeu architectata, (vt ſic dicam) quin in vnum non poſſit tranſiri ſine alio, nam non videtur conueniens, vt ante Chriſti Aduentum animæ damnatorum, & purgãdæ debuiſſent tranſire per Limbum ſanctorum Patrum, & ſic de alijs. Veriſimile etiam puto, Purgatorium eſſe vicinũ Inferno, tum quia cõueniunt in pæna ſenſus, & ignis, tum quia hoc ſpectat ad maiorum Animarum purgationem, & humiliationem; nec refert, quod Animæ Purgatorij ſint digniores Animabus Puerorũ, quia pro illo tunc merentur illam pænam, quam non merentur dictæ Animæ Puerorum; & ideò non eſt inconueniens, quod ipſe ſint viciniores Inferno, ſeu Gehennæ damnatorum. Vtrum autem dicta loca diſtinguantur muris, ſeu per interiectam alicuius terræ partis molem; vel tantum præfinitis terminis à Deo? de hoc nihil certũ conſtat; illi tamen, qui putant ignem Inferni, & Purgatorij eſſe contiguum; aſſerũt ſimiliter dictam duo loca diuidi tantum terminis a Deo profinitis; Alia verò loca veriſimiliùs eſt diuidi dictis muris, ſeu aliqua parte terræ: vide citatos Doctores.

8. Quas autem pœnas patiantur Animæ in Purgatorio exiſtentes? Reſpondeo, pati pœnam damni, ſcilicet, carentiam viſionis diuinæ, & pœnam ſenſus, ſcilicet, dolores, & pœnas ſpecialiter inflictas ex Dei ordinatione: ita communiter Doctores in 4. d.20. & 21. vbi D. Thom. Bonau. Palud. Richard. & alij, & Sot. d.19. Durand. in 3. d.22. q.4. & patet, quia animæ eo ipſo, quod ſint extra corpus, deberent euolare ad patriam cæleſtem, igitur dum detinentur, patiuntur talem pœnam damni; patiuntur etiam pœnam ſenſus, vt ex dictis conſtat; & quãuis Caiet. tom.1. opuſcul. tract. 4. q.4. aſſerat, non poſſe dici dictas Animas pati pœnam damni, quia neque nos dicimur pati talem pœnam; tamen reſpondendum eſt, nos non pati dictam pœnam, quia ſumus in ſtatu, in quo non poſſumus videre gloriam cæleſtem, at anima ſeparata à corpore, non niſi per vim, & ratione macularum peccatorum tenetur, ne poſſit ad dictam gloriam euolare; & ſic benè dicuntur dictæ animæ pati dictam pœnam damni, & non nos. Si autem velimus dicere pœnam damni conſiſtere in perpetua carentia viſionis Dei, hoc modo vera eſt ſententia Caiet. quia dictæ Animæ Purgatorij, ſi non vident ad tempus, habent tamen ſpem certam, & indubitatã, quod eſt magnum, & maximum gaudium; & pro Animabus damnatorum eſt magnum, & maximum tormentum; licet, ex altera parte dicta carentia viſionis Dei, ſit pro dictis Animabus Purgatorij magnum tormentum, quia ex perfecta charitate amant Deum, & illo priuari, eſt magnus dolor; imò prout refert Beda lib. 5. Hiſtoria Anglic. aliquæ Animæ ſanctæ in hac vita degentes in quibuſdam viſionibus eis ex diuina prouidentia cõceſſis; viderunt locum quemdam amæniſſimum; in qua Animæ quædam nondum aptæ ad videndum Deũ dicta tantum pæna damni purgabantur; & ſimilia ſumuntur ex Gregor. 4. Dialog. cap.36. & ex Dionyſ. Carthuſ. Dialog. de iudicio part. cap.31. quod etiã dictæ Animæ in Purgatorio exiſtentes patiũtur pœnam ſenſus patet ex dictis.

9. Sed dubium eſt, an dictæ Animæ verè crucientur ab igne elementari, & corporeo; & quomodo? Et ſupponendum eſt, certum eſſe apud omnes ignem verum elementarem, & corporeum cruciare Animas damnatorum; quod licet, non ſit de fide definitum, nullus tamen abſque temeritate poſſet de hoc dubitare; Vnde ex cõſequenti videtur dicendum, etiam dictum ignem cruciare Animas in Purgatorio; & licet hoc non ſit adeò certum, vt primum, tamen etiam certum eſt; & ita fatentur cõmuniter Theologi; & patet ex Concil. Florent. & id optimè docet Cyrill. lib.10. in Ioan. cap.14. contra negantes Purgatoriũ, & ſpecialiter contra Græcos negãtes eius ignem. Vtrum autem ibi ſint alia corpora, quæ ſint inſtrumenta pœnarũ, vt aqua, nix, &c. Incertum eſt; licet Beda libro 5. de Hiſtor. Anglic. cap.13. referat, viſum

Digitized by Google

eſſe Purgatorij Animas ſępè mutari ex nimio calore ad rigidum frigus, & è contra; Anſelm. ſimiliter in Elucid. multas pęnas enumerat;ſed çertum nihil conſtat.

10. Quomodo autem ignis elementaris poſſit agere in dictas animas? eſt vulgaris difficultas. Reſpondeo breuiter, in diuinis inſtrumentis,non requiri propriã, & connaturalem actionem;quia agunt virtute diuina, & non propria; Vnde, licet, ignis Purgatorij corporeus ſit, benè poteſt agere in animas tamquam inſtrumentum diuinum ad hoc determinatum, & eleuatum. Ideò P. Auguſt. lib. 2. de Ciuit. ait. Spiritus torqueri ab igne miris, ſed veris modis,his verbis. *Cur non dicamus,quamuis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos,poſſe pœna corporali ignis affligi?* & infra. *Adhærebunt ſpiritus Dæmonum corporibus ignibus cruciandi, accipientes ineffabilibus modis ab ignibus pœnas;* & D.Gregor.4.Dialog cap.29.ſic ait. *Ex igne viſibili ardor,atque dolor inuiſibilis trahitur,* (& ſubdit.) *Et per ignem corporeum, mens incorporea, etiam incorporea flamma cruciatur,* quam ſententiã colligit ex illo Luc. 16. *quia crucior in hac flamma.*

11. Sed quam acerbæ ſint dictæ pœnæ? Reſpondeo,quoad pœnã damni acerbam eſſe ſuper omnem malum temporale, quod homo pati poſſet in hac vita, ita docet D.Thom.4. d.21. q.1.art.1.quæſtiunc. 3.Sot.d.13.art.3.concluſ.3.& alij. Adſunt tamen pro hac pœna multa vnguenta (vt ſic dicam) pretioſa, & lenitiua; primũ eſt, Certitudo gloriæ, quæ non poteſt afferre niſi maximum gaudium. Secundum eſt, rectitudo voluntatis, quam habent, quia libenter ſe conformant diuinæ iuſtitiæ, & libenter ſufferunt dictas pœnas; Tertium eſt diuina charitas, per quam tali pœna gaudent tãquam de medio ad ſatisfaciendum Deo, & ad obtinendam eius viſionẽ; quibus vnguentis per ſuam pijſſimam miſericordiam Deus me dignum faciat;ideò Bonau.in 4.d.20.art.1.q.2.ex ſola dilatione viſionis beatæ non putat animas recipere magnam triſtitiam; quatenus tamen ſubſunt diuinæ iuſtitiæ, & illi conformantur. Quoad pœnam autem ſenſus, communis opinio eſt, acerbiorem eſſe qualibet pæna huius vitæ: ita D. Thom. Bonau. Palud. Richard. & alij cit. & ſumitur ex P.Auguſtino lib.2.contra Manich.cap. 24.& lib.50. Homil.in 16. & latiùs lib. de cur.pro mort.agend.cap.18. vbi ſic ait. *Et ſi æternus non ſit; miro tamen modo grauis eſt, exceditque omnes pœnas, quas aliquis in hac vita paſſus eſt;* & D.Anſelm. 1. Cor. 3. ſic ait. *Sciendum enim eſt, quod grauior eſt ille ignis, quam quidquid homo pati poteſt in hac vita*, & in Elucidat. loquens de pænis Purgatorij, ait. *De quibus minimum,maius eſt,quam maximũ, quod in hac vita excogitari poteſt;* licet, Bonau.in 4. d.20. art.1. q.2. limitet hanc doctrinam, & dicit, poſſe aliquando dari maximam pænam huius vitæ, quæ ſit maior alicuius pęnæ minimæ Purgatorij;nam poteſt eſſe aliquis, qui debeat purgare tantum aliquod leue veniale, & propter illud non videtur mereri tantam pænam. Cæſarius Arelatenſ.Homil.8.ſic ait. *Sed dicet aliquis,non ad me pertinet quamdiù moram habeam, tãtum, vt ad vitam æternam perueniam:* (& ſubdit.) *Nemo hoc dicat fratres cariſſimi, quia ille ipſe Purgatorius ignis durior erit, quã quod poſſit pænarum in hoc ſæculo,aut accidere, aut ſentiri,aut cogitari;* & ſimilibus verbis loquuntur cæteri Patres.

12. Dubium vulgare ſimiliter eſt; Vtrũ in Purgatorio adſint Dæmones cruciantes dictas Animas tãquam miniſtri? negatiuè reſpondent communiter Theologi;vt D.Thom.Richar.Bonau.& alij in 4. d.20.& 21.Sot.d.19.& alij;& ratio eſt,quia nulla vera cauſa excogitari poteſt. Quare Dæmones debeant illic aſſiſtere, cum eorum locus ſit Gehenna, ſeu Infernus, (vt vulgo dicitur,) & ex altera parte non videtur conueniens,vt animæ Deo caræ tradãtur tortoribus inimicis Dei,& dictarum Animarum; neque obſtãt viſiones,ex quibus aliud videtur colligi, vt patet in vita D.Bernard. lib.1. cap. 10. in qua dicitur, quemdam religioſum illi apparuiſſe cum quatuor, qui ipſum dilaniabant, & poſtea fuiſſe liberatum precibus dicti Sancti; & idem etiam ſumitur ex Beda lib. 3. de Hiſtor. Anglie. cap. 19. & alijs, Nam dictæ viſiones ſunt ad oſtẽdendam pęnarũ acerbitatem;quæ à nobis intelligi non poſſunt, niſi per exempla nobis connaturalia.

13. Quæ-

Digitized by Google

13. Quæritur deinde, an pęnæ Purgatorij diuturnæ ſint? Reſp. de hoc nullā certitudinem dari, ſed tantum certum eſt, dictas pœnas vltra diem Iudicij durare non poſſe; vt ait P. Auguſt. lib. 21. de Ciuir. cap. 16. his verbis. *Purgatorias pœnas nullas futuras opinetur* (ſcilicet homo) *niſi ante illud vltimum, tremendumq; Iudicium*. Et ſumitur ex finali ſententia Matth. 25. ſecundò etiam certum eſt, durationem pœnarum non eſſe æqualem in omnibus animabus; vt docent omnes Scholaſtici; & ſumitur ex eodem P. Auguſtino lib. de 8. quæſtionib. ad Dulcitium q. 1. in fine, & lib. 50. homiliar. in 16. vbi ait, *Quanto magis, minuſue tranſeuntia dilexerunt, tanto breuius, tardiuſue ſaluabuntur; nam quanta fuerat peccati materia, tanta erit tranſeundi mora*. Sot. autem in 4. d. 19. q. 3. art. 2. in fine, ex quibuſdam coniecturis, putat, neminem vltra decennium in Purgatorio detineri, quæ ſententia graui cenſura fuit ab alijs notata; quia, licet, id Deus ſtatuere potuerit, tamen hoc ex nullo teſtimonio, aut diuina reuelatione conſtat; vnde id tantum ſpectare ad diuinam iuſtitiam puto.

14. Vtrum autem dictæ pœnæ ſemper durent in eadē intentione, vel paulatim minuantur? Reſpondeo, neq; de hoc adeſſe aliquod teſtimonium; licet, quoad pœnam damni, certum videatur non durare in eadem intentione, quia deſiderium videndi Deum aliquo modo completur per approximationem ad ipſum Deum; & ita ſimiliter poſſemus dicere de pœna ſenſus; ſecundum quādam conſiderationem, quia eadem pœna quanto diuturnior eſt, tanto maiorem dolorem affert; vnde dictæ animæ, licet, patiantur eamdem pœnam, tamen, quanto magis approximantur ad finem, eo magis minuitur dolor; ſecluſis ſuffragijs, quibus poſſunt dictæ pœnæ diminutionem accipere tam quoad tempus, quam etiam quoad intentionem, & fauent multæ viſiones, quas refert D. Bernar. in vita Malach. §. mortua eſt, Carthuſ. Dialog. de iudic. part. art. 31. Beda, & alij.

15. Aliud dubium eſt, an dictæ animę poſſint à Purgatorio exire? & reſpondetur negatiuè ſecundum communem legē; vt communiter Patres loquuntur, tamen hæc lex diſpenſabilis eſt, vnde P. Auguſt. lib. 10. de Ciuit. cap. 16. probabiliter credit veras eſſe apparitiones, quæ multoties leguntur ex diuina permiſſione in bonum dictarum animarum, & in exemplum viuentium; vt legitur apud D. Gregor. 4. Dialog. Bedam, & alios.

16. Sed quæritur, vtrum dictæ animæ ſint in ſtatu merendi? & reſpondetur negatiuè, ſcilicet, dictas animas eſſe in ſtatu, in quo nō poſſunt in gratia, vel charitate creſcere, vel minuere ad gloriam, eſt concluſio certa, & de fide, vt docet Caiet. tom. 1. opuſcul. tr. 23. q. 1. Sot. in 4. d. 19. quæſt. 3. art. 2. ſumitur ex Eccleſ. 11. *Facile eſt coram Deo in fine obitus retribuere vnicuiq; ſecundum opera ſua*; & Eccleſ. 18. *Ne vereris vſq; ad mortem iuſtificari, quia tempus iuſtitiæ acquirendæ eſt ante iudicium; nam de his, quæ poſtea ſequuntur, nulli iudicantur*. Id etiam ſumitur P. Auguſtino lib. 21. de Ciuit. cap. 27. & ex omnibus Patribus. Neque ſimiliter dictæ animæ poſſunt ſibi aliquid mereri, vel impetrare, nec de congruo quoad earum liberationem, vel pœnæ diminutionem, aut exitum ex dictis pœnis; & licet hoc non ſit adeò certum, vt primum; verum, & certum etiam eſt, & communiter receptum. Quæſtio tantummodo eſt, vtrum poſſint orare pro nobis, & aliquid de congruo mereri, vel impetrare? & negatiuè reſpondet D. Tho. 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3. & ratio eſt, quia dictæ animæ non ſunt in ſtatu orandi; ſed vt pro ipſis oretur, & quia non ſunt in ſtatu gloriæ, non poſſunt cognoſcere ea, quæ nos cogitamus, aut dicimus; & ſumitur ex P. Auguſt. lib. de cura pro mortuis agend. cap. 13. Multi tamen Doctores contrariū docent; vt Bellar. lib. 2. de Purgatorio cap. 15. Gregor. de Valen. 3. to. d. 6. q. 2. par. 6. Medin. C. de orat. q. 4. & 5. Gabr. lect. 58. in canon. & Suar. lib. 1. de orat. cap. 11. nu. 16. & tom. 4. de pœnit. diſp. 47. ſect. 2. num. 9. & ratio eſt, quia dictæ animæ ſunt Deo charæ, & quamuis ab ipſo affligantur, non tamen affliguntur tāquam ab inimico; ſed tamquam à iuſto iudice, & patre benigno, & ipſæ ſuſcipiunt dictas pœnas maxima voluntate tanquam filij; vnde nulla videtur

tur repugnantia, quin orare non poſſint pro ſuis amicis, & benefactoribus;& confirmat Bellarm. quia leguntur animæ Purgatorij feciſſe multa miracula, apud Gregor.lib.4.Dialog.cap.4.& idem aſſerit Petrus Damianus in Epiſt. de miraculis ſui temporis;vnde ſi Deus ita honorat animas illas, permittendo, vt miracula faciant; multo magi credi poterit, illas poſſe orare pro ſuis benefactoribus, & amicis, & Deum illas exaudire. Neq; obſtat quod dictæ animæ debitrices ſint,quia etiā nos debitores ſumus,& tamē pro alijs oramus;& Patres, qui erant in ſinu Abrahæ orabant pro viuentibus, vt de Onia, & Hieremia refertur 2.Machab. vlt. quæ omnia, licet, piè credi poſſint, tamen certa non ſunt; & ideò opinio D. Thom. eſt etiam veneranda; quam multi ſequuntur.

17. Sed vtrum dictæ Animæ in Purgatorio ſecuræ ſint de ſua ſalute? & affirmatiuè reſpondendum eſt; ita communiter omnes cum D. Thom. d.21. q.1.art.1. q.4.& cæteri Doctores d.45.Sot.d.19.q.3. art. 2. & ait, eſſe Catholicam doctrinam; Caiet. to.1.opuſcul. tract.23.q.2.Bellarm. lib.2.de Purg.cap.4.& ratio,quam inſinuat Caiet. & Bellarm. eſt, quia dictæ Animæ vident ſtatim, ac ſeparantur à corpore in ſua ſubſtantia habitum gratiæ, & habitum charitatis in voluntate; & ex conſequenti cognoſcunt ſe non eſſe damnatas; ſed hæc ratio non vide adeò apta; quia non ſolum animæ ſeparatæ;ſed nec etiam Angeli per ſua naturalia videre poſſunt myſteria gratiæ,quia ſunt qualitates ſupernaturales, & videri non poſſunt, niſi per earum ſpecies, quas oportet eſſe infuſas; Vnde erit etiam neceſſarium lumen dictis ſpeciebus accommodatum; quod lumen, & ſpecies nō infunduntur, dum Animæ ſunt in Purgatorio; ſed tantum quando erunt ad ſtatum beatitudinis. Qua propter dicendum, eſt dictas Animas cognoſcere nō eſſe damnatas; quia Animæ damnatæ non poſſunt diligere Deum; nec deteſtari peccatum;& dictæ Animæ eo,quod cognoſcāt ſe Deum diligere, cognoſcent etiam non eſſe damnatus; Deinde, certum eſt, Animas decedentes in peccato mortali,ſtatim in eodem punto damnari, & ad Infernum duci, iuxta illud Iob 21. *Ducunt in bonis dies ſuos,& in punto ad Inferna deſcendunt*; & Luc.16. *Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in Inferno*;Vnde Animæ eo,quod cognoſcant non ſtatim duci ad Infernum, ſecuræ ſunt de ſua ſalute; & tandem certum eſt in eodem punto ſtatim Animas cognoſcere ſe eſſe damnatas, vel non damnatas ex propria conſcientia, & auerſione à Deo; imò puto dictas Animas Purgatorij cognoſcere non ſolum earum pœnam eſſe temporalem; ſed etiam quanto tempore ſit duratura; vt conſtat ex multis reuelationibus; in quibus dictæ Animæ petierunt aliqua ſuffragia, affirmantes fore ſtatim liberandas à dictis pœnis; vt legitur apud Gregor. 4. Dial. cap.40. & apud alios.

DE SVFFRAGIIS.

Vtrum Fideles per Suffragia poſſint ſe inuicem iuuare,ac etiam iuuare Animas in Purgatorio exiſtentes.

Caput XXXXXX.

1 *Suffragia tribus modis poſſunt alij prodeſſe; & aſſignatur ſuffragij definitio.*

2 *Fideles poſſunt ſe ſuffragijs inuicem iuuare.*

3 *Satisfactio pro alio facta, habet effectum infallibilem de condigno.*

4 *Suffragia viuentium, poſſunt prodeſſe defunctis in remiſſionem pœnarum.*

5 *Dicta ſuffragia ex iuſtitia habent corū effectum in ſatisfactionem defunctorum.*

6 *Suffragia iuuare poſſunt tantum in ſatisfactionem pœnæ; ſed non pro culpa.*

7 *Offerēs ſuffragia,neceſſe eſt, vt ſit in gratia, niſi id agas tamquam miniſter Eccleſiæ.*

8 *Illi,*

Digitized by Google

8 *Illi, qui operantur ex præcepto, vel ordinatione Eccleſiæ, dicuntur operari nomine Eccleſiæ.*

9 *Faciens aliquod opus ex præcepto alterius, vt ſunt etiam legata, & aliæ ſatisfactiones relictæ à teſtatoribus, non eſt neceſſe, vt ſit in gratia.*

10 *Reſtitutio relicta à Teſtatore, non iuuat ad remiſſionem pœnæ, licet contrarium etiã probabile ſit.*

11 *Opera ſatisfactoria neceſſe eſt, vt applicentur à facientibus illa.*

1 SEcundum, quod propoſuimus eſſe diſcutiẽdum, eſt materia de Suffragijs; cum multum conferant ad remiſſionẽ pœnæ temporalis, quam intendimus. Et primò ſupponẽdum eſt; tribus modis poſſe Suffragia alijs prodeſſe; Primò ex opere operato; & de hoc primo modo nihil dicemus, quia ex doctrina ſupra tradita habemus meritum ex opere operato dari tantũ per Sacramẽtũ, vel Miſſæ ſacrificiũ, nec dictum meritum poſſe alijs applicari; ſed tantum remanere in ſuſcipiente Sacramenta; & exceptuatur tantum Miſſæ ſacrificium ob rationes allatas in capitibus de Miſſa. Secũdò poſſunt prodeſſe Suffragia alijs per Indulgentias; & de hoc ſecũdo modo agemus in ſequenti capite, agendo de Indulgentijs. Tertiò poſſunt prodeſſe Suffragia ex opere operãtis; & de his hoc tertio modo ſumptis in præſenti agemus, ſiuè fiãt auctoritate priuata, ſiuè publica, ſcilicet, totius Eccleſiæ. Et primò videndum eſt, an poſſit hoc genus Suffragiorum reperiri inter fideles. Secundò quibus modis dicta Suffragia fieri poſſint. Tertiò per quæ opera, & quas conditiones habere debeat operans; & ille pro quo Suffragia applicantur. Eſt etiam ſupponendum iuxta communẽ Theologorum doctrinã in 4. d. 45. Suffragium eſſe auxilium quoddam, quo vnus fidelis præbet alteri ad obtinendum à Deo remiſſionem pœnæ temporalis, vel aliquid aliud, quibus ſuppoſitis.

2. Primò quęritur, vtrum fideles poſſint ſe inuicem iuuare, tam pro pœnę ſatiſfactione, quam pro alia gratia impetranda? Et de fide eſt, inter omnes fideles myſticum Eccleſiæ corpus conſtituentes, in quo includuntur etiã Sancti; dari aliquam communionem bonorum operum, quibus quidã alios iuuare poſſint. Patet ex Symbolo in articulo de Sãctorum communione; omnes enim ſunt membra vnius myſtici corporis Eccleſiæ; & illa, quæ viua ſunt, & vtiliter operari poſſunt, benè poſſũt alia iuuare: 1. Corint. 12. & ad Epheſ. 4. Quod etiam eleganter declarat P. Auguſt. tract. 32. in Ioan. circa fine; & D. Chryſoſt. Hom. 41. in 1. ad Corint. vbi ſic ait. *Vnum corpus omnes ſumus, ſicut membra, licet, alia alijs illuſtriora, vndique veniam ipſis impetrari licet, precibus pro ipſis effuſis, muneribus datis, conſortio eorum, inter quos velut commune corpus referuntur:* Probatur dicta doctrina ex illo Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini;* & ad Rom. 15. *Obſecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me à Deo,* & Iob vlt. *Ite ad ſeruum meum Iob, ille orabit pro vobis;* & P. Auguſt. in Pſal. 61. docet, paſſiones ſanctorum ad communem vtilitatem prodeſſe, & hæc verba profert. *Patitur Chriſtus in membris ſuis, ideſt in nobis ipſis ad communem hanc quaſi Rempublicam, nam quiſque pro modulo noſtro exoluimus, quod debemus, & pro poſſe virium noſtrarum, quaſi canonem paſſionum inferimus, paritoria plenaria;* & poſſent afferri mille loci ſacræ Scripturæ, & Patrum. Sed notandum, hãc doctrinam eſſe veram, non ſolum quoad impetrandum aliquod auxilium à Deo, vt quiſq; ſatisfacere poſſit, & ad impetrandam remiſſionem alicuius pænæ; ſed etiam ad verè ſatisfaciẽdum vnus pro alio; vnuſquiſque enim fidelis pro pæna temporali alicui debita ſatisfacere poteſt; ita communiter omnes docẽt; vt D. Thom. in 4. d. 20. q. 1. art. 2. q. 3. & diſt. 45. q. 2. art. 1. & 3. contra gentes cap. 158. Bonau. d. 20. art. 1. q. 1. & 2. Sot. d. 19. q. 2. art. 4. & lib. 3. de natur. & grat. cap. 6. Caiet. tom. 1. opuſcul. tract. 16. q. 1. & 5. Bellarm. libro 1. de Indulg. cap. 2. & ita omnes alij. Quod pręcipuè optimè declarat Pius V. in Catechiſmo in fine Sacramenti pænit. nu. 61. his verbis. *In qua ſumma Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prędicanda eſt, qui humanæ imbecillitati hoc condonauit, vt vnus poſſit pro alio ſatisfacere,* (& infra.) *Ne verò de hoc cuiqua fidelium dubitandi locus relictus eſt, qui in*

Apo-

Apoſtolorum Symbolo ſanctorum communionem profitemur.

3. Sed dubium eſt, vtrum Suffragia, ſeu ſatisfactiones quas vnus fidelis facit pro alio, habeant effectũ remiſſionis pœnæ temporalis infallibiliter, & de condigno, vel tantũ hoc dependeat ex voluntate Dei acceptantis? & iuxta Medin. tract. 3. de ſatisfact. q. 2. & 3. & tract. 6. de orat. q. 19. in fine, dictus effectus non eſt de condigno, & pendet ex libera Dei voluntate, etiamſi opus fiat à iuſto, & pro alio iuſto offeratur; Vnde nec talis effectus infallibilis dici poteſt, & ſequitur Cordub. lib. 5. de Indulg. q. 5. art. 8. Tamen hi Doctores loquuntur contra communem ſententiam Theologorum iam citatorum; & ideò dicendũ eſt, effectum procedere de condigno, nec minorē ſufficere; & probatur verbis D. Tho. 3 contra gentes cap. 158. vbi ſic ait. *Sicut per ſeipſum, ita & per alium poteſt aliquis ſatisfacere Deo* (& infra:) *Affectio charitatis in eo, qui pro amico patitur, facit magis ſatisfactionem Deo acceptam, quam ſi pro ſe pateretur*; Supponit igitur Sanctus æquè infallibilem eſſe talem effectum, ſiuè opus ſatisfactoriũ fiat pro ſeipſo, ſiuè pro alio.

4. Vtrum autem Suffragia viuentium prodeſſe poſſint defunctis ad remiſſionem pœnarum? Arius id abſolutè negauit, vt refert P. Auguſt. hæreſ. 53. & Epiphan. hæreſ. 75. & alij hæretici noſtri temporis, qui Purgatorium negant: Alij Hæretici è contra dixerunt, Suffragia prodeſſe etiã damnatis; quia putabant nullam pœnam alterius vitæ fore æternam; vt volebant Platonici teſte D. Pater Auguſt. lib. 21. de Ciuit. cap. 13. & 17. & tribuitur etiam Origeni; Alij, licet afferant pœnas Inferni eſſe æternas, tamen putant Suffragia illis prodeſſe, ſaltem illis, qui habuerunt fidem: vide Gabr. lect. 56. in canonem, Carthuſ. in 4 d. 45. q. 2. has opiniones hæreticas referentes. Dicendum tamen eſt cum Eccleſia Catholica, ſuffragia viuorum prodeſſe defunctis in Purgatorio exiſtentibus quoad remiſſionem pœnarum: eſt de fide, & ſumitur ex 2. Machab. 12. *Sancta, & ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur:* quem locum contra omnes hæreticos declarat Bellarm. lib. 1. de Purgatorio cap. 3. idẽ probatur ex illo Tobiæ 4. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus*; Idem decernunt omnia Concilia, vt Carthag. 3. cap. 29. Carthag. 4. cap. 79. Tolet. 11. cap. 12. Arelat. 3. cap. 12. Vaſen. 1. cap. 2. Brach. 1. cap. 39. Lateran. ſub Innoc. III. cap. 66. & habetur in cap. ad Apoſtolicam, & alia Concilia, quæ omitto. Vltimò id decreuit Concil. Trid. ſeſſ. 25. decreto 1. his verbis: *Cum Catholica Eccleſia Spiritu Sancto edocta ex ſacris literis, & antiqua Patrum traditione, in Sacris Concilijs, & nouiſſimè in hac Oecumenica Synodo docuerit. Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas, fidelium Suffragijs, potiſſimum verò acceptabili altaris ſacrificio iuuari.* & ita loquũtur omnes Patres, quos breuitatis cauſa omitto. Eſt tamen notandum, Suffragia non eſſe offerenda pro mortuis in gloria regnantibus; quibus prodeſſe non poſſunt, vt declarat Innoc. III. in cap. cum Marthe, & P. Auguſt. in Enchir. cap. 109. nec ſimiliter ſunt offerenda pro damnatis; Vnde P. Auguſt. loco cit. ait. *Quidam enim ſunt valde mali, alij valdè boni, alij in ſtatu medio*; & prò his tantum docet, ſuffragia eſſe offerenda, circa quod longam facit diſputationem in lib. 21. de Ciuit. cap. 13. & ſeqq. & cap. 24. concludit Eccleſiam nunquam orare pro eo, quem nouit damnatum. De qua re multa extant Decreta, & Patrum ſententiæ, vt in 13. q. 2. cap. Quibus, cap. Cum grauia, cap. Non æſtimemus, cap. Cũ pro obeũtibus cum duobus ſeqq. & in alijs locis.

5. Sed quæritur; Vtrum Suffragia ſint à Deo acceptanda ex iuſtitia, an tãtum ex miſericordia? nam licet in nu. 3. dixerimus ſatisfactionem vnius pro alio habere effectum infallibilem; nunc idem quęritur, an idem ſit dicendum, quando Suffragia offeruntur pro fidelibus defunctis? & reſpondetur affirmatiuè, nempè dicta ſuffragia ex iuſtitia acceptari à Deo, & habere infallibilem affectum de condigno, ſcilicet, remiſſionem pęnę: ita loquũtur Theologi citati in num. 3. vide etiam D. Thom. in 4. d. 45. q. 2. art. 1. q. 2. Gabr. d. 16. q. 2. art. 3. dub. 8. Nauar. in comment. de Iubileo num. 18. & in lib. de Orat. & Hor. Can.

cap.

Digitized by Google

cap.20.num.82.Sot.in 4.d.21.q.2. art.3.& licet,Caiet.tom.1.opuſcul.tract.16.q.1.& alij contrarium ſentiant, ſed prima opinio certa eſt,vt ſumitur ex verbis D.Tho. cit. in num.3. in fine.

6. Quænam conditiones requirantur in illo,pro quo Suffragia offeruntur, vt effectum conſequatur? Reſpondeo, prima eſt,vt culpa,pro qua pæna meretur, ſit abſoluta,aliter impoſſibile eſt,pænam remitti,ſi priùs non remittatur culpa; neq; quoad culpam poteſt aliquis ab alio iuuari, niſi ad impetrandum aliquod ſupernaturale auxilium, quo poſſit ſe à culpa mundare;nam tantum Chriſtus ob ſuam excellentiam potuit nobis mereri remiſſionem culpæ; ſed nos non poſſumus pro alijs ſatisfacere,niſi quoad pęnā,imò nec de congruo poſſumus obtinere remiſſionem culpæ alterius. Hæc conditio non occurrit, quādo Suffragia fiunt pro Animabus Purgatorij;quia iam illę ſunt abſque vlla culpa,nec veniali; nam, vt agendo de Sacramento pænitentiæ diximus, dictæ Animæ in vltimo inſtanti ſeparationis Animæ à corpore,fuerunt eis remiſſæ omnes culpæ; & ideò ſtatim redduntur capaces omnis ſatisfactionis. Secunda conditio eſt,vt is, pro quo Suffragium offertur,ſit in ſtatu gratiæ;& ratio eſt,quia manens in malo ſtatu, eſt indignus omni remiſſione tam culpæ, quam pænæ. Tertia conditio eſt,vt is,pro quo fit ſatisfactio, illa indigeat, & ideò ſupra diximus, Suffragia non eſſe offerenda, nec pro Sanctis cum Chriſto regnantibus, nec pro damnatis.

7. Quæ autem conditiones requirantur ex parte offerentium Suffragia? Reſpondeo,prima eſt,vt ſit in gratia;ita communiter omnes Theologi d.19. 20. & 45. vbi D.Thom. q.2. art.1. quæſtiunc.3. & 3. par. q.82. art.6.Sot.q.2.art.1.& d.19.q.1. art.2. & alij, ſumitur ex 1. ad Corinth.13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*. Hæc doctrina vera eſt, quando Suffragia fiunt à priuatis perſonis priuato nomine, ſed dubium eſt vtrum idem ſit dicendū quando Suffragia publicè fiunt à miniſtris Eccleſiæ, nomine ipſius Eccleſiæ? & reſpondetur negatiuè;quia dicta officia,orationes,&c.fiunt nomine Eccleſiæ, quæ in ſe bona eſt, & ex conſequenti dicta Suffragia debent habere ſuum effectum, reſpectu illius pro quo fiūt, licet, nihil pro ſint dictis miniſtris in peccato exiſtentibus; docet D.Thom.loco primo cit.Sot.d. 45. q.2. art. 1.& Nauar. in tract. de Orat. cōcluſ.4.nu.59.& ſeqq.& c.20.nu.19.ſeqq. ait. Dictas orationes nomine Eccleſiæ factas, habere effectum ex opere operato ex Chriſti, vel Eccleſiæ inſtitutione, & citat Gabr.lect.57. in canonem, ſed hæc opinio Nauarri non placet,quia Eccleſia non habet poteſtatem inſtituēdi aliqua,quæ cauſent effectus ex opere operato,vt alibi etiā diximus;nec Chriſtus Dominus aliud pręter Sacramenta, & Sacrificium Miſſæ inſtituit,quod poſſit cauſare effectum ex opere operato. Sunt tamē Orationes,& Suffragia Eccleſiæ adeò efficaces, vt immediatè impetrēt à Deo remiſſionē pęnæ temporalis, idq; infallibiliter, & ex certa promiſſione propter ſingularem amorem, & ſanctitatē totius Eccleſiæ, vel etiam, quia in Eccleſia eſt poteſtas ad applicandā Chriſti ſatisfactionem, vel potiùs ad impetrandum, vt Deus eam applicet; & hoc facere intendit per huiuſmodi orationes publicas; & quæ verba,ſunt Suarij diſp.48.ſect.8.num.8.

8. Quis autem dicatur orare tamquam miniſter Eccleſiæ? Reſpondet Nauar. cap. 20. de oratione num. 40. eſſe quemlibet recitantem, vel dicentem orationes ab Eccleſia determinatas. Hæc tamen doctrina videtur nimis generalis; nā licet, Eccleſia ſtatuerit multas orationes, hoc tamen ideò facit, vt fideles haberent certum modum orandi;ſed non ex hoc ſequitur, quod omnes dicentes dictas orationes, illas dicant tamquam miniſtri Eccleſiæ; Illi igitur tantum dicuntur orare nomine Eccleſiæ; qui tamquam miniſtri ab Eccleſia deputati recitant ea, vel eas preces, &c. quæ ab ipſa Eccleſia inſtitutæ ſunt,ita Suar.loco cit.num.9.

9. Et quia primam conditionem facientis ſuffragia, diximus eſſe; vt reperiatur in gratia quæritur, vtrum, qui facit opus externum pro alio non ex propria voluntate; ſed ex voluntate illius pro quo applicat dictum opus, neceſſe etiam ſit, vt

Digitized by Google

maneat in gratia? ſed in primis certũ eſt, dantem v.g. eleemoſynam iuſſu domini, non indigere gratia, vt dominus recipere poſſit fructum dictæ eleemoſynæ; eſt tamẽ neceſſarium, vt ipſe dominus ſit in gratia, quia non attenditur inſtrumentum, cum non operetur virtute ſua, ſed virtute alterius. At maior difficultas videtur eſſe, quando opus fit ad adimplendum voluntatem teſtatoris: nec dubium eſt de ſacrificio Miſſæ, quia iam habet meritum ex opere operato; ad quod non requiritur bonitas miniſtri, vel inſtrumenti dantis eleemoſynam; & relictis varijs ſpeculationibus, quę in cõtrarium afferri poſſent; dicendum eſt, eleemoſynas, & alia opera pia, quæ fiunt ex voluntate teſtatoris ab hæredibus, vel alijs commiſſarijs iuuare teſtatores in Purgatorio exiſtẽtes pro pænarum ſatisfactione; non obſtante, quod hæredes vel commiſſarij ſint in peccato mortali, dum dictam voluntatem teſtatoris exequuntur; & ratio clara eſt, quia dicti non operãtur virtute propria, ſed virtute teſtatoris; quod expreſsè docuit D. Thom. in 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. his verbis. *Si aliquis in charitate decedens, præcipiat ſibi ſuffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa ſuffragia valent defuncto, quamuis illi, per quos fiunt, in peccato exiſtant.* Eamdem doctrinam tradit Sot. ibi q. 2. art. 1. concluſ. 4. Nauarr. de orat. cap. 19. num. 59. & ſeqq. Eſt tamen neceſſe, vt teſtator, quando condit teſtamentum ſit in gratia; vel ante mortem quando eſt in gratia, illud ſaltem ſua voluntate confirmet; vt opus poſſit procedere ab homine grato. Notat etiam Richard. d. 45. art. 2. q. 4. Etiam ſi quis viuens ſit in peccato mortali tempore, quo miniſter exequitur opus à ſe præceptum; ſi tamen, quando præcepit erat in gratia; non priuari fructu dicti operis; quia non attenditur ſtatus, in quo opus fit; ſed ſtatus; in quo mandans reperiebatur, quando commiſit dictum opus; &, licet, in tali ſtatu peccati mortalis ſentire non poſſit fructum dicti operis, habebit tamen illum, quando reſurget a peccato, quia in ſe opus eſt viuum; & poteſt tantum mortificari pro tempore, quo mandans reperitur in peccato mortali; quæ opinio, licet, probabilis ſit; tamen probabiliùs videtur dicendum; in dictis actibus, totam eſſentialem ſatisfactionem conſiſtere in actu volendi, & præcipiendi dictum opus; ita vt ſtatim, ſi præcipiens dictus actus fuerit in gratia, recipiet ſuum fructum ſatisfactionis, & meriti; quia ſi v. g. Dominus præcipiat eleemoſynam, & ſeruus illam furetur, Dominus non eſt priuandus ſua ſatisfactione, & fructu, quia attenditur eius bona voluntas; & ſimiliter, ſi teſtator præcipiat eleemoſynas, & hæredes illas non faciant, non eſt teſtator priuãdus ſuo fructu, igitur eſſentialis fructus conſiſtit in actu volendi, & præcipiendi; Accidẽtaliter autem multum iuuant eleemoſynæ, quando fiunt, tum quia pauperes, vel alij, qui aliquid recipiunt orationes fundunt pro anima teſtatoris; tum quia gratias agunt Deo pro receptis beneficijs; quæ omnia redundant in bonum teſtatoris; & maximè, quia Deus libenter exaudit orationes pauperum; ideò hæredes non exequendo voluntates teſtatoris, vel differendo, vltra peccatum infidelitatis, contra iuſtitiam peccant, ſi eleemoſynas pauperum detinent; Vnde meritò vocantur, Necatores pauperum, in Concil. Vaſenſi, & in Concil. Carthagin. 4. cap. 95. & in Concil. Agathen. cap. 4. vt refertur 13. q. 2. & hanc ſententiam ſic explicatã videtur tenere Sot. d. q. 2. art. 4. Angles queſt. de Indulg. art. vlt. difficul. 7. & ſequitur Suar. diſp. 48. ſect. 8. num. 18.

10. Hac occaſione, quæritur vtrum reſtitutio præcepta à teſtatore, iuuet aliquid ad remiſſionem pœnæ? & negatiuè reſpondet Sot. in 4. d. 45. q. 2. art. 3. & ratio eſt, quia ſi anima deceſſit in gratia, abſque reatu pęnę, ſtatuit euolauit ad Cœlum; etiã ſi reſtitutio non fiat; & ſi deceſſit cum tali reatu, detinetur in Purgatorio, quoadusq; ſoluat dictam pœnam; etiam ſi reſtitutio non fiat; nec ex hoc, quod reſtitutio iuſta non fiat, poteſt Anima detineri in Purgatorio; peccat tamen, qui reſtitutionem nõ exequitur contra iuſtitiam, & contra infidelitatem, & damnum etiam infert teſtatori in Purgatorio exiſtenti, quatenus priuat illum aliquo bono, quod ille, cui fit reſtitutio facere poſſet pro dicto teſtatore: vide

vide etiam Bellarm.lib.2.de Purg.cap.16. qui eamdem ſententiam ſequitur, & alias rationes addit. Et præcipue eſt, quia reſtitutio non eſt actus ſatisfactorius, cum ſatisfactio fiat per opus pænale, & tunc dicitur pænale, quando quis dat ſuum, & non alienum, ſed verè etiam probabile eſt iuuare dictam reſtitutionẽ ad remiſſionem pęnæ quamuis non in illo gradu, ac ſi quis daret ſuum; & ratio eſt, quia moraliter loquendo reſtituere alienum, etiam pęnale eſt; & cum fiat propter amorem Dei, & ad obſeruandam iuſtitiam eius, probabile eſt afferre aliquam pœnæ remiſſionem; vt tenet Suar.loco cit.nu n.21.in fine.

11. Alia conditio facientis Suffragia eſt, vt intendat illa facere pro tali, vel tali, aut pro omnibus prout voluerit; quia aliter opus nulli eſſet ſatisfactorium: ſed ipſi tantum; eſt tamen notandum, quod opus magis prodeſt vni, quam ſingulis pro quibus offertur, quia opus finitum eſt, & habet fructum finitum, qui ſi diuidatur, minor erit in ſingulis. Sed dubium eſt, vtrum ſuperior poſſit applicare opus ſuorũ ſubditorum, abſque eorum voluntate? & affirmatiuè reſpondet Palud.d.41.q.1.num.8. imò putat mandatum ſuperioris tantum poſſe, vt ſi ipſe ſit iuſtus, ſuffragium etiam fructuoſum ſit, etiam ſi ſubditus non fuerit iuſtus; ſed vtrumque non eſt probabile; quia opus, vt ſit ſatisfactorium neceſſe eſt, vt aliquo modo ſit pœnale, & ſicut pœna eſt facientis opus, ita, & fructus debet eſſe illius, cui ſentiens pœnã applicauit, & non ad libitum ſuperioris, qui nullã ſenſit pœnam; non nego tamen ſuperiorẽ poſſe præcipere aliquod opus in ſatisfactionem alterius; & ſubditos teneri obedire; At ſi ſubditi dictum opus non applicent, licet peccent contra præceptum ſuperioris; tamen opus nõ erit applicatum, nec ille, pro quo ſuperior opus fieri præcepit, fructum habet, vt etiam diximus de Miſſa; vide Sot. d.45.q.2.art.1.Filiuc.tract.8.cap.4. nu.95. Cordub. lib.5.de Indulgent.q.42.& Suar. diſp.48.ſect.8.in fine, vbi etiã quærit, quid fiant de operibus applicatis pro non indigentibus, vel incapacibus; & ait reponi in theſauro Eccleſiæ, licet, alij dicant applicari à Deo alijs indigentibus pro ſuo arbitrio, quod verum puto quando applicantur pro mortuis, ex virtuali intentione operantis.

DE INDVLGENTIIS.

An ſit Indulgentia, quid ſit, An detur poteſtas dandi Indulgentiam, Ac de eius effectu. Cap. XXXXXXI.

TErtium, quod propoſuimus tractandum eſt materia de Indulgentijs; quia multum conferunt ad pęnæ temporalis remiſſionem, ad quam laboramus; Vnde primo agemus de poteſtate dandi Indulgentiam, ac de eius effectu; deinde dicemus de theſauro Eccleſiæ; & de alijs ad ipſam Indulgentiam pertinentibus.

1 *In Eccleſia verè datur poteſtas concedendi Indulgentias.*

2 *Poteſtas dandi Indulgentias, pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis.*

3 *Indulgentia non poſſunt attingere remiſſionem culparum mortalium.*

4 *Indulgentiæ poſſunt remittere quaſcunque pœnas Deo debitas pro peccatis.*

5 *Indulgentia diuiditur tantum in plenariã, & partialem.*

6 *Indulgentia plenaria idem eſt, ac Iubilaeus, exceptis Priuilegijs, quæ in Iubilæo conceduntur.*

7 *Particulæ, contritis, & confeſſis non ſunt reſtrictiuæ, ſed declaratiuæ.*

8 *Pœnæ peccatorum venialium etiam tolluntur, ſed non niſi prius ablatis culpis.*

Digitized by Google

9 *Dies,& anni Indulgentiarum;intelligũtur dies, & anni pœnitentiæ.*

10 *In Eccleſia verè datur theſaurus ſpiritualis ex quo conceduntur Indulgentiæ.*

11 *Indulgentiæ dari non poſſunt, niſi ex theſauro Eccleſiæ.*

1 VNde primò quæritur, quid ſit Indulgentia, & an verè detur poteſtas in Eccleſia dandi Indulgentiam, nam quod detur Indulgentia ex fide patet, vt ex dicendis moſtrabitur, nec in hoc oportet immorari; quid autem ſit Indulgentia; faciliter etiam reſpondetur. Eſſe remiſſionem pænæ temporalis factam extra Sacramentum per applicationem earum ſatisfactionum, quæ ſunt in theſauro Eccleſiæ;nec in hac definitione declaranda puto eſſe immorandum; Dubium igitur eſt, vtrum in Eccleſia detur talis poteſtas cõcedendi Indulgentiã? quod idem eſt, ac quærere, vtrum in Eccleſia ſit poteſtas remittendi alicui pœnam ſine propria ſatisfactione eius,cui ſit remiſſio, & ſine aliquo ſuffragio aliorum fidelium?& reſpondetur affirmatiuè; & eſt de fide, vt ſumitur ex Concil.Trident.ſeſſ.21.cap.9.& clariùs in ſeſſ.25.in Decreto de Indulgentijs. Vbi ſic habetur. *Cum poteſtas conferendi Indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque huiuſmodi poteſtate,diuinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa vſa fuerit; Sacroſancta Synodus Indulgentiarũ vſum, Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit, eoſque anathemate damnat,qui autem inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant.* Sumitur hæc veritas ex verbis Chriſti ad Petrum. *Et ego dico tibi,quia tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum,& in Cælis,& quodcunque ligaueris ſuper terram,erit ſolutum,& in Cælis.* In his enim verbis Chriſtus conſtituit Petrum principem Eccleſiæ, ac eius ſucceſſorem, & ex conſequenti habentem poteſtatem abſoluendi in omni foro; nam traditio clauium hoc importat; neque dicas hanc poteſtatẽ fuiſſe etiam traditam Apoſtolis Matth.18. vbi Chriſtus Apoſtolis, & ſucceſſoribus Epiſcopis dixit. *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cælo,& quæcunque ſolueritis ſuper terram,erũt ſoluta,& in Cælo;* & hanc ſententiam tenuit Medina lib.de Indulgentijs,vbi omnia ſupradicta verba declarat à cap. 15. vſq; ad cap. 22. Tamen hæc Medinæ ſententia ſuſtineri non poteſt; cum tantũ Petro fuerit talis facultas cõceſſa immediatè à Chriſto,prout dixit S.Ambroſ. Serm. 66. & eſt communis Theologorum ſentẽtia, & vniuerſalis Eccleſiæ ſenſus, vt ſumitur ex vſu concedendi Indulgentias; & licet, etiam verba Chriſti Apoſtolis dicta, vniuerſalia ſint,tamen cum proportione, & habito reſpectu ſermonis,& loci, intelligenda ſunt. Verba enim Petro à Chriſto dicta, ſignificant principatum in vniuerſam Eccleſiã, vt notant Chriſoſt. Homil. 55. in Matth. Gregor.lib.4.Epiſt.32.& alij paſſim. Verba autem dicta Apoſtolis, fuerunt dicta poſtquam Chriſtus tradidit Apoſtolis modum faciendi correctionem fraternam, & poſtquam dixit. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam æthnicus,& publicanus;* quibus verbis oſtendit in Eccleſia futuram eſſe poteſtatem excommunicandi, & alias cenſuras, & pœnas imponendi, deinde ſubiunxit; *quæcunque alligaueritis,&c.* ſignificans, poteſtatem etiam abſoluendi eſſe in vniuerſali clauium poteſtate: & quod hoc totum ſit verum, patet, quia Chriſtus volens tradere actualiter hanc vniuerſalem poteſtatem,& principatum; Petro tantum dixi Ioan.21. *Paſce oues meas;*nam in dicto verbo. *Paſce,*includitur omnis actus iuriſdictionis neceſſarius ad claudendum, vel aperiendum Regnum Cœlorum.

2. Quæritur ſecundò,vtrum hæc poteſtas concedẽdi Indulgentias pertineat ad poteſtatem ordinis,an iuriſdictionis? Reſpondeo, non pertinere ad poteſtatem ordinis, nec talis poteſtas eſt principium neceſſarium ad concedendum Indulgentias; vt communiter omnes Theologi aſſerunt cum D.Thom. in 4. d.20. q.1. art.4. quæſtiunc.2.Sot.d.21.q.1.art.4.Caiet.opuſcul. de Indulg.cap.2.Sylu.ex communi Canoniſtarum verb.Indulgentiæ num.13.& alij; Eſt autem talis facultas, poteſtas iuriſdictionis, quia cum ſit ſpiritualis,neceſſe eſt,

vt

vt ſit ordinis, vel iuriſdictionis; & non eſt poteſtas cogẽtis, vel ligantis; ſed miſerentis, ſeu benefacientis, & ſoluentis, vt loquitur Suar. diſput. 49. ſect. 3. num. 7. & Filiuc. tract. 8. cap. 3. de Indulg. num. 66. & probatur ex ſupra dictis, quia Chriſtus in illis verbis; *Paſce oues meas*, tradidit Petro tantum poteſtatem iuriſdictionis; & probatur ex cap. Quod autem de pænit. & remiſſ. vbi conſultus Alexand. III. an Indulgentiæ conceſſæ ab Epiſcopo in dedicatione Eccleſiarum poſſent prodeſſe, etiam non ſubditis; reſpondit negatiuè, & rationem reddit: quia ſicut nemo poteſt ligari, niſi à ſuo iudice, ita neque poteſt ſolui; Vnde talis poteſtas eſt iuriſdictionis, & non ordinis; & confirmatur, quia Pontifex tãtum electus, & etiam ſi non eſſet ordinatus Sacerdos, ſicut poſſet abſoluere à cenſuris, ita poſſet Indulgentias concedere; & idem dicitur de Epiſcopo electo, & non conſecrato.

3. Quoad effectum Indulgentiæ: quæritur, vtrum Indulgentia poſſit attingere remiſſionem culpæ mortalis? Reſpondetur negatiuè, & eſt de fide, quia ad remiſſionem culpæ mortalis requiritur infuſio gratiæ ſanctificantis; quæ non infunditur per Indulgentiam; ſed per pœnitentiam; aliqui autem aliam tradũt rationem nempè; quia remiſſio Indulgentiæ ſumitur ex theſauro Eccleſiæ, in quo ſunt omnes ſatisfactiones Chriſti, & ſanctorũ; ſed ſatisfactiones non ſunt pro culpa; ſed tantum pro pœnis; igitur nullo modo Indulgentia poteſt attingere remiſſionem culpæ. Hæc tamen ratio nullo modo apta eſt, nec teneri poteſt; quia theſaurus Eccleſiæ quatenus cõtinet in ſe merita Chriſti, eſt adeò diues, vt poſſet dimittere non ſolum quaslibet pœnas; ſed etiam quaslibet culpas grauiſſimas; & Chriſtus Dominus vtique potuiſſet hanc poteſtatem, quam ipſe habebat, ſuo Vicario communicare, ſcilicet, vt per ſimplicem confeſſionem, vel attritionem, vel per quemlibet alium faciliorem modum, & extra Sacramentum poſſet peccata dimittere; & in hoc nulla daretur repugnantia, vel contradictio ex parte effectus; nam ſicut de fide eſt, Chriſtum potuiſſe id facere; poterat etiam id ſuo Vicario communicare; Vnde quod Indulgentiæ non poſſint attingere remiſſionem culparum, nõ prouenit ex inopia theſauri Eccleſiæ; ſed ex eo, quod Chriſtus talẽ poteſtatem ſuæ Eccleſiæ non reliquit; & idem dicitur de culpis venialibus; vt docet Nauarr. comment. de Indulgent. notabil. 10. num. 12. & tradit Suar. ex communi Theologorum ſententia diſp. 50. ſect. 1. num. 3. 4. & 11.

4. Sed dubium eſt, vtrum Indulgentiæ auferant pœnam Deo debitam pro peccatis, vel tantũ remittant pœnitentias iniunctas in foro Sacramentali? Reſpondeo, hoc pendere ex voluntate concedentis Indulgentias, poteſt enim Eccleſia concedere Indulgentias pro pœnis Deo debitis ex peccatis, vt patet ex vſu Eccleſiæ; & poteſt etiam illas concedere quoad pœnas in Sacramentali confeſſione acceptatas, vel imponendas à confeſſario; ita cõmuniter omnes, cum D. Thom. Bonau. & alijs in 4. d. 20 & Summiſtæ verb. Indulgentia. Communiter tamen conceduntur Indulgẽtiæ quoad omnes pęnas, nec neceſſariæ ſunt pœnitentiæ in confeſſione, quando adſunt tales Indulgentiæ remittentes omnes pœnas, &c.

5. Vtrum autem Indulgentia diuidatur in plenam, pleniorem, & pleniſſimam; vel tantum in plenam, & partialẽ? Iuxta primam diuiſionem videtur loqui Bonifacius VIII. in Extrauag. antiquorum de pœnit. & remiſs. his verbis. *Non ſolum plenam, largiorẽ, imò pleniſſimam omnium ſuorum concedimus veniam peccatorum*; ob quam diuiſionem Palud. d. 20. q. 4. voluit, Indulgentiam pleniſſimam extendi vſque ad remiſſionem culparum venialium; quod falſum eſſe, ſupra oſtendimus, cum Indulgentiæ tantum extendantur ad pœnam; Nauarr. autem in comment. de Indulg. notab. 9. & Gabr. in 4. d. 45. q. 3. putant Indulgentiam plenam, & pleniorem non eſſe totalem; ſed vel per ordinem ad mortalia tantum, vel ad pœnitentes iniunctas ab Eccleſia, ſeu à Confeſſarijs; ſed vera ſententia eſt, inter dictas Indulgentias plenam, pleniorem, & pleniſſimam, nullam eſſe differentiam; niſi in ſola voce, & maiori explicatione; ſed omnes idem importare; ita tenet Sot. d. 21 q. 2. art. 1 Cord. q. 11. Medina tract. de Indul-

Digitized by Google

dulg.Bonac.de Indulg.diſput.6.q.1.pun.2 per totum, & præcipuè num.5. vbi plures affert Suar.diſput.50.ſect.4.num.5. & 6. & alij; & probatur ex Extrauag. Clem. VI. Vnigenitus,de pœnit.& remiſſ.vbi ſic ait. *Theſauri Eccleſiaſtici diſpenſationem Petro eſſe commiſſam, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debita applicanda:* Et Sixtus IV. volens reuocare omnes Indulgentias æquè valentes illis quæ in anno Iubilæi conceditur Romæ; dixit tantum, reuocare omnes, & ſingulas plenarias Indulgentias, plenarias etiam ad inſtar Iubilæi conceſſas; & idem conſtat ex multis aliorum Pontificum decretis, vt probat Suar. loco cit. Vnde dicendum eſt, Indulgentiam, aut eſſe plenariam, aut partialem, vt eſt illa, quæ concedi ſolet pro tertia parte peccatorum, vel ſeptem, aut quadraginta annorum, &c.

6. Sed vtrum idem etiam ſit Indulgentia plenaria, ac Iubilæus? Reſpondetur affirmatiuè quoad effectum remiſſionis pœnæ; differunt tantummodo, quia quando Eccleſia concedit Iubilæum, non ſolum concedit Indulgentiam plenariam; ſed etiam concedit alia priuilegia, vt abſoluendi à cenſuris, à caſibus reſeruatis, &c. Ideò debent aduertere, qui publicant Indulgentiam plenariam, illam non publicare ſub nomine Iubilæi, ne fideles decipiantur; vide cit. Doctores. Eſt tamen notandum, tunc dari Indulgentiam plenariam, quando non fit determinatio ad partem pœnæ peccatorum, vel annorum; Vnde ſi dicatur abſolutè; concedimus Indulgentiam peccatorum, intelligitur plenaria; & clariùs ſi dicatur, concedimus Indulgentiam omnium peccatorum, vel Indulgentiam plenariam.

7. Ex dictis, manet etiam declarata quænam ſit Indulgentia partialis, ſcilicet, eſſe illam, in qua additur aliqua determinatio ad partem pœnæ. Sed dubium eſt, vtrum ſit Indulgentia partialis, quando in ipſa adduntur illæ particulæ contritis, & confeſſis, & ratio dubitandi eſt, quia ſi quis inculpabiliter ex obliuione relinquat aliqua peccata in confeſſione; tunc confeſſio erit valida; & pœnitens recipiet Indulgentiam; ſed non videtur poſſe recipi Indulgentia reſpectu peccatorum oblitorum; ergo non plenariè illam recipiet; & ex conſequenti dictæ particulæ facient Indulgentiam partialem. Sed reſpondetur dictas particulas non eſſe reſtrictiuas, ſed declaratiuas; & idem eſt, ac ſi diceretur, de omnibus peccatis remiſſis per contritionem, & confeſſionem; ſed ſic eſt, quod vt ſupra docuimus, vnum peccatum mortale non poſſit remitti ſine alio, & per cõtritionem, & confeſsionem legitimè factam abſoluantur omnia peccata etiam oblita, quia ſufficit, vt confeſsio ſit integra formaliter; & patet ex verbis Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap.5. vbi ſic dicitur. *Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti nõ occurrut, in vniuerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur*; igitur cum Indulgentia plenaria conceditur pro omnibus pœnis, intelliguntur etiã pœna dictorum peccatorum, quæ pænitẽs confeſſus non eſt; ſed quando recordatur, tenetur tantum illa confiteri abſque vlla pænitentia; licet, confeſſarij etiam cum Indulgentijs, ſemper aliquam pænitentiam imponant ad maiorem diſpoſitionem, & deuotionem, ita Suar. diſp.50.ſect.5.nu.4. Nauar. in comment.de Indulg.notabil.18 num.14.& notab.30.num.11.& 12.D.Antonin.1.par.tit.10.cap.3.§.5. & alij.

8. Sed quid dicendũ eſt de pœnis peccatorum venialium, vtrum etiam ſi quis illa non confiteatur, cõſequatur remiſsionem pœnæ pro illis debitæ? & reſpondeo finem Eccleſiæ, in ponendis dictis particulis cõtritis, & confeſsis; eſſe, vt vnuſquiſq; priùs conſtituatur in gratia ad hoc, vt verè poſsit accipere Indulgentias; neque ex hoc colligitur, quod non habens niſi venialia, teneatur confiteri, vt Nauar. in comment.de Iubil.notab.18.num.17.& notab. 30. num.6. Suar.diſp.52. ſect.3. num.9. & alij, ſicut nec habens mortalia, & venialia, tenetur confiteri niſi mortalia; aliter enim etiam hic teneretur confiteri venialia, vt eſſe poſſet eiuſdem cõditionis, ac primus, quod non videtur dicendum; Vnde puto Indulgentiam extendi etiam ad pœnam venialium quocũque modo abſolutorum, ſiuè per Sacramentalem confeſsionem, ſiuè per actum attritionis, &c. Dico abſolutorum, quia, vt ſæpè diximus Indulgentiæ

ſunt

Digitized by Google

ſunt pro pœnis tantum, & pœnæ non abſoluuntur,niſi priùs abſoluatur culpa.

9. Quomodo autē intelligatur Indulgentia, quæ concedi ſolet per tot dies, & annos; v.g. concedi ſolet Indulgentia decem annorum quadraginta, vel ſeptem annorum, &c? Reſpondeo, non intelligi dies, & annos, quibus anima deberet manere in Purgatorio; ſed remiſsionem pœnæ, quam quis obtinere poſſet in hac vita per tot dies, vel annos pœnitentiæ; quod optimè declarat Sot.d.21.q.2.art.1. Suar. diſp.50.ſect.5.num.12.Bonac. de Indulg. diſp.6.q.1.pun.2.num.2.

10. Et quia diximus Indulgētias prouenire ex ſpirituali theſauro Eccleſiæ;ideò an verè detur dictus theſaurus in Eccleſia? Reſpondetur affirmatiuè, & videtur eſſe de fide; iuxta modum loquendi Concil. Trid. in verbis ſupra allatis; & ſaltem, eſt communis omnium Doctorum ſententia, præter Maironem in 4. d.19.q.2. contra quem tenet Caiet. opuſcul. 55. de Indulg.cap.1.2.& 3.Sot.d.21.q.1.art.2. Petr. Sot.lect.2.de Indulg.Suar.diſp.51.num.3. Filiuc.tract.8.cap.3.num.67.& alij,& confirmatur hæc veritas ex Clem.VI.in Extrauag. Vnigenitus de pœnit. & remiſs. his pulchris verbis. *Quantum ergo exinde, vt nec ſupernacua, inanis, aut ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſauro militanti Eccleſiæ acquiſiuit, volens ſuis theſaurizare filijs pius pater, vt ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt; Dei amicitiæ participes ſunt effecti. Quem quidem theſaurum non in Sudario repoſitū, non in agro abſconditum; ſed per Beatum Petrum Cœli clauigerum, eiuſque ſucceſſores ſuos in terris Vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum*, & quod etiam dictus theſaurus conſtet ex meritis Beatæ Vergini,s& omnium Sanctorum;quod negauit idem Mairon.& Durandus in 4. diſt. 20. quæſt. 3. ſubdit idem Pontifex. *Ad cuius quidem theſauri cumulum Beata Dei Genitricis, & omnium electorum à primo iuſto vſque ad vltimum adminiculum præſtare noſcūtur*:quod inſinuauit Paulus 2.ad Corint. 12. his verbis. *Non quæro, quæ veſtra ſunt. Ne enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs; ego autem libentiſſimè impendam, & ſuper impendar ego ipſe pro animabus veſtris.*

11. Verum autem Indulgentiæ poſſint tantum concedi ex dicto Eccleſiæ theſauro? & licet, negatiuè reſpondeat Maironus d.20. q.1. cum putet Indulgentiam cōſiſtere in gratuita remiſſione danda per poteſtatem Eccleſiæ relictam à Chriſto; & idem imò peiùs videntur aliqui ſentire, quos refert Henric. quolibet 15.q.2. Tamen reſpondendum eſt affirmatiuè;& certum,& de fide eſt, Indulgentias omnes fundari in meritis Chriſti, cum nulla remiſſio culpæ, aut pœnæ fieri poſſit, quin non ſit fundata in meritis Chriſti; Vnde conſtat dictum theſaurum in Eccleſia eſſe ſimpliciter neceſſarium ad valorem Indulgentiarum; licet, hoc dici non poſſit de dicto theſauro, prout conſtat ex meritis Sanctorum,quia hæc non ſunt infiniti valoris, ac ſunt merita Chriſti;& licet,talis theſaurus exauriri poſſet, quatenus conſtat ex meritis Sanctorum; exauriri tamen numquam poteſt, quatenus conſtat ex meritis Chriſti, etiam ſi Mundus, & homines in infinitum durarent. Eſt tamen hic notandum, theſaurum Eccleſiæ quatenus conſtat ex meritis Chriſti diſpenſari non ſolum per Indulgētias;ſed etiam per ipum Chriſtum, quando remittit culpam, vel pœnam peccatorum; ac etiam diſpenſatur per Sacramenta,&c.Cum omnia ſint fundata in meritis Chriſti, at theſaurus Eccleſiæ, quatenus conſtat ex meritis non poteſt, niſi per Indulgentias elargiri: nam Chriſtus tantū pro nobis paſſus eſt.

De modis, quibus elargiuntur Indulgentiæ, & de diſpoſitione neceſſaria ad illas acquirendas, tum reſpectu viuentium, quam Defunctorum.

Caput LXII.

1 *Tribus modis conceduntur Indulgentiæ, ſcilicet, in locis, in rebus, & in perſonis.*

2 *Faciendum eſt opus in Indulgentia poſitum*

ſitum religioſo modo.

3 *Si diruta Eccleſia ſtatim reædificetur, manet etiam ibi Indulgentia.*

4 *Indulgentias in Eccleſijs impoſitas, poſſunt etiam regulares accipere.*

5 *Concedentes Indulgentiam, poſſunt etiam ipſi illam lucrari.*

6 *Suſcipiens Indulgentiam debet eſſe Chriſtianus, ratione vtens, ſubditus, & conſtitutus in gratia.*

7 *Recedente culpa mortali, non habetur fructus Indulgentiarum.*

8 *Confeſſio non requiritur ad Indulgentiam, niſi ponatur tamquam opus faciendum.*

9 *Indulgentia non neceſſariò requirit aliquod opus faciendum, ſi adſit iuſta cauſa.*

10 *Opus ob quod immediatè recipitur Indulgentia, eſt faciendum in gratia.*

11 *Opus, quod fit per Indulgentiam, debet fieri per ſe; niſi aliud exprimatur in Indulgentia.*

12 *Omnes æqualiter ſuſcipient effectum Indulgentiæ, ſi habeant iuſtam cauſam.*

13 *Declaratur eadem doctrina.*

14 *Vnica oratione, vel vnico opere, aliquando poteſt quis plures Indulgentias accipere.*

15 *Animabus exiſtentibus in Purgatorio, poſſunt Indulgentiæ cõcedi ſaltem per modum ſuffragij.*

16 *Accipiens Indulgentiam pro Animabus Purgatorij, non eſt neceſſe, vt ſit in gratia.*

1 CErtum eſt, omnes Indulgentias concedi tantum hominibus viatoribus; & conceduntur etiam defunctis; quia licet, non ſint verè viatores, participant tamen aliquam rationem ipſorum; quatenus non ad huc ſunt in termino, vt infra huius capitis explicabitur. Tribus autem modis conceduntur Indulgentiæ, ſcilicet, in locis, in rebus, & in perſonis; ideò Indulgentiæ diuiduntur in locales, reales, & perſonales; locales dicuntur illæ, quæ conceduntur hominibus, ſed non niſi in tali Eccleſia, vel alio loco Pio in fauorem, & Priuilegium dicti loci. Reales ſunt illæ, quæ conceduntur in aliquibus rebus, quæ faciliter moueri, & apud ſe haberi poſſunt; vt ſunt Calculi benedicti, ſeu Medaliæ, Imagines, Roſaria, Agnus Dei, & ſimilia; Perſonales ſunt illa, quæ conceduntur alicui perſonæ in tali loco oranti, vel aliud opus bonum facienti.

2. Et duo ſunt notanda, quæ ſunt omninò neceſſaria ad Indulgenitam localem accipiendam. Primum eſt, vt in Eccleſia, vel alio loco vbi poſita fuerit Indulgẽtia, fiat illud opus, quod præcipitur in conceſſione dictæ Indulgentiæ; vt ſi dicatur, ibi recitandum eſſe Officium, Miſſa, Roſarium, & ſimilia; id omninò faciendum ſit; Et ſi dicatur tantum, vt viſitetur Eccleſia, tunc intelligenda eſt viſitatio Religioſa, & honeſta; cum ad lucrandum Indulgentiam requiratur opus ex ſe Pium, & honeſtum; Vnde ingredientes Eccleſiam curioſitatis gratia, vel eodem modo, ac ſi incederent per alia loca, non lucrarẽtur Indulgẽtiam; & ideò talis viſitatio ſemper eſt facienda cum aliqua deprecatione, vel oratione, ſaltem minima; & eo magis, quia ſemper in dictis Indulgentijs additur, *vt oretur pro pace Eccleſiæ, Principum, &c.* quod vtique eſt faciendum; licet, breui interuallo fieri poſſit. Secundum eſt, vt verè, & phyſicè quis ingrediatur Eccleſiã; aliter, ſi ratione multitudinis oret extra Eccleſiam, benè faciet; ſed in rigore non lucraretur Indulgentiã; quia Indulgentię tantum valent, quantum ſonant; aliter ſequeretur, quod infirmi, & in carceribus detenti per ſolum affectum poſſent dictam Indulgentiam accipere; licet, Cordub. q. 31. citans Palud. & Roſellã verb. Indulgentia num. 22. cõtrarium ſentiat in caſu propoſito; & piè etiam credi poteſt, quia iam quis acceſſit, & qui parum diſtat, nihil diſtare videtur, abſolutè dictã opinionem docet Bonac. de Indulg. diſ. 6. q. 1. pun. 5. num. 26. qui alios citat, licèt citet Suar. qui cõtrarium docet; alij autem contrarium ſentiunt, vt Suar. diſp. 52. ſect. 1. num. 5. & 6. Filiuc. tract. 8. cap. 6. num. 133. ex Gloſſ. in Clem. 1. de Reliq. & venerat. Sanctor. & alij.

3. Sed dubium eſt, vtrum diruta Eccleſia, extinguatur etiam Indulgentia? & reſpondetur negatiuè, ſi fuerit diruta per partes, & reædificetur; & etiã ſi tota, dummodo ſtatim reædificetur; tunc enim conſur-

ſurgit etiam Indulgentia, quia in ſubita reædificatione, videtur eadem Eccleſia perſeuerare; dubium tantum poſſet eſſe, vtrum ſi transferretur dicta Eccleſia diruta, adeſſet eadem indulgentia? & in rigore videtur non adeſſe, quia non eſt verè eadem Eccleſia, cum habeat diſtinctum ſolum, & ſitum, &c. & ideò in tali caſu eſſet accipienda iterum dicta indulgentia; niſi in cõceſſione aliud exprimeretur, vt Suar. loco citato num. 9. & Filiuc. eodem loco num. 134.

4. Aliud dubium eſt, vtrum Indulgẽtiam conceſſam Eccleſiæ particulari alicuius ciuitatis, vel loci, poſſint Clerici, & Religioſi accipere? & reſpondetur affirmatiuè; quia etiam iſti ſunt pars; imò principalis populi Chriſtiani, & ſic intelliguntur in omnibus gratijs, & Priuilegijs Chriſtianis conceſſis; imò Regulares poſſunt frui etiam Indulgentijs ab Epiſcopo conceſſis, licet, illi non ſubdantur; quia in bonum, & non in malum ipſorum non ſubduntur; & cum hoc pendeat ex voluntate concedentis; non eſt præſumendum Epiſcopũ velle priuare religioſos tali bono, vt Corduba q.31. Felin. & alij, quos ſequitur Suar. diſp.52. num. 13.

5. Eſt etiam hic notandum, Summum Pontificem, & alios concedentes Indulgẽtiam, poſſe etiam illam lucrari; quia quod poſſunt pro alijs, poſſunt etiam pro ſe: nec ipſi ſunt minoris conditionis, quam ſubditi; quod idem dicitur de Indulgentijs perſonalibus; vt ex communi Theologorum doctrina patet ex D. Thom. 3. par. in add. q. 27. art. 4. ad 3. & in 4. d. 20. ar. 5. q. 4. Palud. ibi q. 4. ar. 3. Gabr. d. 45. art. 2. concluſ. 7. quod Pontifex poteſt facere per ſeipſum, vel concedendo alteri, vt, Confeſſario, poteſtatem concedendi illi Indulgentiam, quam deſiderat, & poſtea dicto Confeſſario in confeſſione tanquam homo peccator ſubeſſe, & tam abſolutionẽ, quam dictam Indulgentiam accipere; & licet, hunc modum neget Nauar. in comment. de Iubilæo notab. 20. num. 11. tamẽ optimus eſt, vt illum declarat Richar. diſt. 20. q. 3. Caiet. opuſc. de Indulg. cap. 5. & licet hi Doctores aſſignent hunc modum tanquam omninò neceſſarium; tamen hoc non puto verum, ſed poſſe Pontificem immediatè ſibi ipſi Indulgentiam concedere eodem modo, ac poteſt alijs; vt docet Suar. diſp. 52. num. 15. & 19. & Filiuc. tr. 8. cap. 6. nu. 131. nec obſtat, quod Pontifex non ſit ſubditus, quod requiritur ad Indulgentiã, quia eſt ſubditus ſuæ poteſtati.

6. Quoad diſpoſitionem neceſſariam in ſuſcipiente Indulgentiam; requiritur non ſolum, vt ſit Chriſtianus, ratione vrẽs, & ſubditus; ſed etiam, vt ſit in ſtatu gratiæ; de primis conditionibus iam ſupra ſufficienter diximus, & ex infra dicendis meliùs confirmabitur; de conditione quoad ſtatũ gratiæ, eſt res certa, & communis Theologorum in 4. d. 20. vbi tria aſſerunt requiri ad valorem Indulgentiæ; ſcilicet, poteſtatem in dante, pietatem in cauſa, gratiam in ſuſcipiente; vt D. Thom. d. 20. q. 1. art. 5. quæſtiunc. 1. & in addit. q. 27. art. 1. Medin. C. de orat. q. 25. Suar. diſp. 52. ſect. 2. num. 6. Filiuc. tract. 8. cap. 6. num. 137. Nauar. de Indulgentijs in comment. notabil. 17. num. 1. Bonac. diſp. 6. q. 1. pun. 5. num. 4. & Summiſtæ verb. Indulgẽtia, & ratio eſt, quia exiſtens in peccato mortali, indignus eſt omni remiſſione tam culpæ, quam pœnæ. Sed notãdum, ſtatum gratiæ eſſe omninò neceſſarium in ſuſcipiente Indulgentiam non in omnibus diebus, & per totum tempus, qua facit opera ad Indulgentiam acquirendam, v. g. ſi debeat ieiunare, & poſtea viſitare Eccleſiam, non erit neceſſe, vt ieiunium fiat in gratia quoad Indulgentiam, ſed ſufficiet, ſi in viſitatione Eccleſiæ, in qua datur fructus Indulgentiæ, ſit in gratia; imò ſi faciẽdum ſit aliquod opus ad Indulgentiam conſequendam, vt v. g. ſit ieiunandum per vnum diem, tunc licet opus ieiunij incipiatur in peccato mortali; ſi tamen in fine dicti diei conterat, habebit abſque dubio fructum Indulgentiæ, vt fuſiùs Suar. diſp. 52. ſect. 2. num. 7. & Filiuc. tract. 8. cap. 6. num. 138. & ſeqq. vide tamen ea, quæ dicemus infra num. 10.

7. Vtrum autẽ recedente culpa mortali: conſequatur quis effectum Indulgentiæ, quam non potuit habere ratione dictæ culpæ? quod dubium poteſt eſſe, vel de facto, vel de poſſibili; de facto certum eſt, quod, qui ob culpam non ſuſcepit fructum

Digitized by Google

Indulgentiæ, nec illum ſuſcipiet recedente culpa, ſi iam non durat tempus Indulgentiæ: De potentia autem, vtrum Eccleſia poſſet ſub hac conditione Indulgentias concedere, negandum non eſt, talem poteſtatem Eccleſiam habere; quidquid in hoc contradicat Caiet. in priori tract. de Indulg. cap. 9. & in poſteriori q. 21. nam eius ratio, quã aſſignat non videtur apta; népè Eccleſiam nunquam tali modo vſam eſſe, ergo ſignum eſt, non poſſe; nam non omnia quæ fieri poſſunt, fieri debent; Et Eccleſia nunquam tali modo vtitur, non quia non poſſet; ſed quia conueniens non eſſet, cum intentio Eccleſiæ ſit, vt quiſque reſurgat à culpa; ad quod nullus incumberet, nec ſollicitudinem haberet, ſi ſemper ad eius libitum poſſet fructum habere; Filiuc. tract. 8, cap. 6. num. 141. licet, in num. 140. aſſerat probabile etiam eſſe quẽlibet recipere fructum Indulgentiæ, recedente culpa mortali, ex Palud. & Henriq. ſed primam, & noſtram opinionem docet Suar. & reijcit hãc, ſecundam diſp. 52. num. 12. & ſeqq.

8. Sed vtrum omninò requiratur cõfeſſio ad Indulgentiam? Reſpondeo, vel confeſſio imponitur tanquam opus faciendum ad acquirendam Indulgentiam; & tũc omninò eſt neceſſaria, quando tamen quis habet conſcientiam peccati mortalis, vt diximus cap. antecedenti num. 8. vel imponitur tanquam neceſſaria ad gratiam; & tunc ſufficeret contritio, quia per illam ſufficienter quis conſtituitur in gratia; ſed quia ſciri non poteſt, an quis verè habeat contritionem; ideò Eccleſia ſolet illam ponere tanquam opus faciendum, & neceſſarium ad Indulgentiam: vide Suar. diſp. 52. ſect. 3. vbi in num. 12. docet, quando in Indulgentijs ponuntur illa verba: *Concedimus omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis*; tunc ſufficere contritionem, quia ibi non ponitur confeſſio tanquam opus requiſitum ad Indulgentiã, ſed declaratur ſtatus, in quo debet eſſe (ſcilicet gratiæ) recipiens Indulgentiã; & ita aſſerunt multi Canoniſtæ, quos pro ſe citat; fatetur tamen contrariam opinionem eſſe ſecuriorem, & in praxi conſulendam. Eſt etiam notandum, poſſe aliquem aliquando percipere fructus Priuilegiorum, quę in Indulgentijs concedi ſolent; & non ſumere Indulgentiam; vt ſi quis bona intentione, & animo accipiendi, v.g. Iubilæum confiteatur, & abſolutionem accipiat à reſeruatis, vigore priuilegij conceſſi occaſione Iubilæi; & poſtea occaſione alicuius peccati, vel negotij non communicet die aſſignato; tunc non eſt iterũ abſoluendus à reſeruatis; ſed tantum fructum abſolutionis pœnæ ratione indulgentiæ, non recipiet; ſecùs ſi fictè acceſſit ad obtinendam tantum abſolutionem: idem Suar. nu. 16. in fine; quod affirmat reſpectu confeſſionis tãtum; vt etiam concedit Filiuc. tract. 8. cap. 149. ſed reſpectu aliorum priuilegiorum, vt commutationis votorum, &c. puto talem commutationem nullam eſſe, quia hæc non cadit ſub ſacramẽto, quod retrotrahi nõ poteſt.

9. Sed quæritur, vtrum Indulgentiæ ſemper concedi neceſſariò debeant cum onere faciendi aliquod opus Pium? & abſolutè negatiuè reſpondendum eſt; quia vt diximus ex communi regula Theologorum; tria tantum requiruntur ad effectũ Indulgentiæ conſequendum, ſcilicet, poteſtas in concedente, gratia in recipiente, & pietas, ſeu debita cauſa; quæ conditiones benè poſſunt præſupponi, abſque vlla operis neceſſitate; aliquando tamen poteſt eſſe neceſſarium aliquod opus, quãdo cauſa Indulgentiæ talis eſt, vt ſine tali opere non ſit ſufficiens; vt v.g. ſi Indulgẽtia concedenda ſit ad aliquam piam cauſam, vel ad obtinũdum aliquod beneficium à Deo; tunc certum eſt eſſe aliquod opus neceſſarium pro dicta cauſa, vel ad impetrãdum à Deo id, quod intenditur; aliter ceſſante cauſa, ceſſabit etiam effectus, ſcilicet Indulgentia. Vnde regulariter loquendo, ſemper eſt neceſſariũ aliquod opus; quia ſemper Eccleſia diſtribuit indulgentias ad aliquam gratiam obtinẽdam, vel ad aliquod opus pium perficiendum; & hæc eſt ſecura praxis. Et notandum, quod, licet, opus impoſitum in Indulgentijs ſit omninò adimplendum; tamen ſi quis omittat aliquam minimam partem illius; non ideò priuatur fructu Indulgentię, vt ſi quis omittat duas, vel quatuor Aue Maria, in Corona impoſita ad obtinendam Indulgentiam, non ideò priuatur fructu, quia parua quantitas

non

Digitized by Google

non debet deſtruere totum opus, nec ex minima quantitate dicitur opus non factum; quantitas autem minima, vel notabilis dicitur reſpectu operis; Vnde ſi quis debēs recitare quinquies Pater,& Aue,& recitet tantū quatuor,non adimplet opus; nec conſequenter accipit Indulgentiam, quia vnum Pater,& Aue,eſt pars notabilis in tali caſu;vide Suar.diſp.52.ſect.5.nu.3. Filiuc.tract.8.cap.6.nu.153.& Bonac.diſp. 6.q.1.pun.5.num.21.

10. Sed vtrum opus faciēdum ad lucrandum Indulgentiam, ſit faciendum in gratia? iam diximus ſupra in num. 6. ſed hic meliùs aduertere oportet, vel tale opus præcedit Indulgentiam; vel non; ſi primo modo, vt in exemplis allatis in dicto num. 6. tunc non eſt neceſſe, vt fiat in gratia; ſi ſecundo modo; & ſtatim poſt ipſum opus adſit Indulgentia, tunc neceſſe eſt,vt dictum opus fiat in gratia; v.g. in recitatione Roſarij, in largitione eleemoſynæ, in viſitatione Eccleſiæ cum aliquibus precibus; in his, & ſimilibus operibus,omninò requiritur gratia: ita cōmuniter omnes,vt D.Thom.quolib.2.art.vlt.Sot.d.21 q.2.art.3.Palud.in 4.d.20.q.4.art.3. Suar. diſp.52. ſect.5. num.8. Sylu.verb. Indulg. num.32. Filiuc.tract.8. cap.6. num.157. & alij. Eſt etiam hic aduertendum,opus imponendum ad acquirendas Indulgentias, neceſſariò debere eſſe honeſtum in genere ſuo;& licet in indiuiduo ſit malum, non ex hoc impeditur fructus Indulgentiæ; vt ſi quis faciat eleemoſynā cum aliqua oſtētatione, vel orationem cum vanagloria, non ex hoc dicta opera non erunt honeſta,& apta,vt quis non poſſit lucrari Indulgentiam; quod fusè probant Suar. diſput. 52. ſect.6. & Filiuc.eodem loco num.158. & ſeqq.

11. At dubium eſt,vtrum opus impoſitum ad Indulgentiam lucrandam, fieri poſſit per alium? Reſpondeo, dari multa opera externa, quæ parum intereſt, ſi fiant per ſe,vel per alios;vt v.g.dare eleemoſynam, adiuuare carceratos, ſuccurrere pupillis, & ſimilia opera rectè poſſunt fieri per alios,& cēſentur facta à propria perſona;& ideò ordinariè loquēdo;qui ita adimplet dicta opera, Indulgedtiam conſequitur; Secùs autem ſi Indulgentia concederetur cum hoc onere, vt per propriā perſonā hæc opera fierēt ad excitandam maiorem deuotionem, & eſſet rationabilis cōditio,vt homines excitari poſsēt ad opera pietatis. Alia opera ſunt, quæ non eodem modo dicuntur propria, ſi fiant ab alio, ac prima, vt Ieiunium, Oratio, Peregrinatio,& ſimilia; tunc dicuntur propria, quando fiunt à propria perſona;& ideò nō lucratur quis Indulgentiam,ſi operetur,vt alius ieiunet pro ipſo, vel viſitet Eccleſiā, &c. Dummodo tamen aliter non colligatur ex tenore Indulgentiæ;quia iuxta commune axioma, tantum valet, quantum ſonat; & poteſt vtique Eccleſia concedere Indulgentiam cum hac limitatione;ſed ordinariè loquēdo non concedit: ex D.Tho. in 4.d.20.q.2. art.5.quaſtiunc.3.ad 2. Sed ſtatim dubium conſurgit, vtrum in tali caſu teneretur, qui pro alio ieiunat, vel peregrinationem facit, &c. eſſe in gratia, & affirmatiuè reſpondet Caiet.in opuſcul. de Indulgent.q.vlt.ad 2.& ratio eſt,quia talis operans ex conceſſione Indulgentiæ, operatur tāquam principalis,& verè hæc ſententia probabilis mihi videtur, ſi benè perpendatur. Alij tamen oppoſitum tenent Sot.in cit.d.21.q.2. art.3. & Adrian.quos ſequitur Suar.diſp.52.ſect.7.nu.4. Ex quo etiā reſoluitur aliud dubium, nempè vtrū vnus poſſit pro alio Indulgentiam accipere? Reſpondeo negatiuè, niſi id eſſet expreſſum in Indulgentia; nullus enim, nec etiam defunctis poteſt Indulgentiam applicare;niſi id explicetur à concedente Indulgētiam:idem Suar.num.6. Filiuc.tract. 8.cap.6.num.163.ex D.Tho.ſupra,& d.45 q.2.art.3.quæſt.2.

12. Quæritur ſecundò, vtrum omnes facientes opus propter Indulgētias iniunctum; æqualiter recipiant fructum Indulgentiæ? Reſpondeo affirmatiuè, & ratio eſt, quia in Indulgentijs conſideratur poteſtas Eccleſiæ;& non meritum operantis, aut maior, vel minor deuotio;nam quoad Indulgentiam pertinet, ſufficiens erit, vt quiſque exiſtens in gratia ſufficiēter opus impoſitum in Indulgentia, operetur; & licet,vnus poſſit habere maiorem meritum, & deuotionem in tali opere; vel illud fa-

Digitized by Google

cere cum maiori incommodo; hoc tantum illi erit ad maiorem gratiam,& meritum apud Deum; ſed quoad effectum Indulgentiæ, omnes ſufficienter facientes dictum opus conſequentur formaliter ęqualem effectum; dixi formaliter, quia nõ omnes habent eamdem peccatorum pœnam; tamen tota ab illo auferetur, ſicut etiam ab alio, qui maiorem haberet: hanc doctrinam declarat D. Thom. in 4. d. 20. q. 1. art. 3. quæſt. 2. ad 4. his verbis: *Quod ille, qui eſt vicinus Eccleſiæ, & etiam Sacerdotes, & Clerici conſequuntur tantam Indulgentiam, ſicut illi, qui venirent à mille dictis, quia remiſſio non proportionatur labori, ſed meritis, quæ diſpenſantur*; Vnde clarè conſtat in Indulgentijs non conſiderari meritum operantis; nec meritum operis in ſe facti; ſed tantum conſideratur liberalis diſtributio, quam facit Eccleſia ob tale opus ſufficienter factum. Dico ſufficienter factũ; quia (vt ſupra diximus) in Indulgẽtijs ponitur opus aliquando, vt adſit cauſa ſufficiens cõcedendi Indulgentias, & quia dictum opus non æqualiter ab omnibus factum poteſt dici cauſa ſufficiens, ideò neceſſe eſt, vt omnes ſufficienter illud efficiant modo tali, vt iuſtam cauſam attingant; v. g. ſi Indulgentia concedatur in auxilium fabricæ alicuius loci Pij; cum onere faciendi eleemoſynam aliquam pro dicta fabrica; tunc ſi ponatur, vt tam diuites, quam pauperes tribuãt vnum obolum, vel vnum Iulium; dicta eleemoſyna poterit eſſe iuſta cauſa reſpectu pauperis; ſed non reſpectu diuitis, quia eleemoſyna non eſt proportionata iuxta ſtatũ diuitis; Vnde recipiet Indulgentiam iuxta proportionem operis, quod fecit reſpectu iuſtæ cauſæ; quod declarat D. Thom. loco cit. ad 3. his verbis: *Quando datur Indulgẽtia indeterminatè, v. g. qui dat auxilium ad fabricam Eccleſiæ, intelligitur tale auxiliũ, quod ſit conueniens ei, qui auxilium dat, & ſecundum illud pluſquam minus de Indulgentia conſequetur; Vnde etiam aliquis pauper dans vnum denarium, conſequetur totam Indulgentiam, non autem diues, quem non decet ad opus tam pium, & fructuoſum, ita parum dare, ſicut non diceretur Rex alicui homini auxilium dare, ſi ei obolum daret:* ſic ille.

13. Ex qua doctrina intelligitur id, Bonifacius VIII. dixit in Extrauag. antiquorum de pœnit. & remiſſ. nempè. *Vnuſquiſque autem plus merebitur, & Indulgẽtiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius, & deuotiùs frequentabit*. Nam poteſt eſſe, vt non omnis viſitatio, vel aliud opus ſit reſpectu omnium iuxta cauſa dandi Indulgentiam; & ideò in tali caſu poteſt quis per ſuam maiorem deuotionem, quam adhibet; & ob maiorem replicationem eiuſdem operis, vt attingat totum effectum Indulgentiæ; quia in qualibet vice proportionaliter prout opus attingit iuſtam cauſa; obtinebit remiſſionem pœnæ; & tandem poteſt per replicationem operis totam remiſſionem obtinere. Vnde, ne diſcedamus à doctrina tradita, quando opus eſt iuſta cauſa, & ita fit ab omnibus, vt reſpectu omnium poſſit dici iuſta cauſa; tunc omnes æqualem effectum formaliter reportant; ſed ſi non reſpectu omnium erit iuſta cauſa, reportabunt fructum iuxta proportionem, quam opus habet ad iuſtam cauſam; eandem doctrinam tradit Suar. diſput. 52. ſect. 8. num. 1. & ſeqq. & Filiuc. tract. 8. cap. 6. nu. 164. & ſeqq. & antea docuit Maior. in 4. d. 20. q. 2. & alij.

14. Sed dubium eſt, vtrum quis vnico actu, ſeu oratione, poſſit recipere plures Indulgentias? Reſpondeo hoc pendere ex tenore Indulgentiæ; nam ſi dicatur, ob tale opus, quis conſequitur omnes Indulgentias, quæ ſunt in tali Eccleſia, vel in Vrbe; tunc vtique Pontifex vult, vt quis ob dictum opus omnes ſimul illas Indulgentias cõſequatur; & verè quis illas conſequitur, dum adſit iuſta cauſa; putat tamen Suar. loco cit. nu. 12. ſub illa generali conceſſione, & collatione Indulgentiarũ, non comprehendi Indulgentias plenarias, niſi exprimãtur iuxta ſtylum Curiæ Romanæ; & idem ait de Indulgentijs pro defunctis; quod etiam confirmat Filiuc. loc. cit. num. 168. in fine.

15. Quoad defunctos quęritur primò, an ſint capaces Indulgentiæ? & reſpondeo affimatiuè; quando tamen auctoritate Pontificis illis applicantur, cum nullus poſſit alteri Indulgentiam applicare, niſi auctoritate Pontificis, vt iã ſupra diximus: hanc veritatem confirmãt omnes Theologi; &

præ-

præcipuè D.Thom. in 4. d.45. q.2. art. 3. quæſtiūc.1.Caiet.tom.1.opuſcul.tract.16. q.5.& 6.Gabr.in addit.ad lect.57.ad canonem; & omnes alij Doctores;& ſumitur ex vniuerſali vſu Eccleſiæ; Vnde non poſſet quis id abſque errore, & magna temeritate negare; nam Sixt. I V. hoc declarauit, quē affert Gabr.& ſimiliter Leo.X.contra Lutherum; Innocentius VIII. Pius II. Caliſtus, Paſchaſius, & alij, qui defunctis Indulgentias conceſſerunt,& in dies concedi videmus, Contra hanc doctrinam aliqui antiqui, & ante omnem Eccleſiæ declarationem,contrarium ſenſerunt,vt Hoſtienſ. in ſum.lib.5.ſub tit.de remiſſionibus, Gerſon.Alphab.60.lit.B.ſeu in 4.tom.ſerm.2. de defunct. q.9. Et ratio contradictionis, & communis difficultatis, quæ fieri ſolet ad hanc doctrinā, conſiſtit in verbis Chriſti Matth.16. *Quodcunque ligaueris ſuper terram,erit ligatum,& in Cælis;& quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutū, & in Cælis*; per quæ verba videtur Petro tantum fuiſſe tradita poteſtas ſuper homines viuentes in terra, & non ſuper animas Purgatorij; ſed hæc expoſitio non eſt neceſſariò facienda; primò, quia illa particula ſuper terram benè poteſt referri ad eam, qui ſoluit,& nō ad eum,qui ſoluitur; ita vt ſenſus ſit, *quodcunque exiſtens in terra ſolueris,&c.* Et hoc rationabiliter,quia dū Pontifex viuit in hoc Mundo habet talem auctoritatem,vel vt melius dicamus,dictæ particula, *ſuper terram*, dicit actum ſoluēdi; & non ſubiectum ſoluendum;qui actus neceſſariò eſt faciendus ſuper terram. Deinde, *ſuper terram*, non eſt intelligenda connexa terræ ſuperficies:ſatis enim eſt,vt fiat actus ſoluendi ſuper quamcunque partem terræ; Et Animæ Purgatorij cum ſubſtantialiter ſint ſuper terram, non quam nos habitamus,ſed reſpectu alterius terræ, ſupra quam manet Purgatorium; dicendum eſt, quod benè Pontifex poſſit ſuper illas exercere ſuam iuriſdictionem; & eo magis, quod dictæ Animæ non ſunt in termino,ergo ſecundum aliquid ſunt in via,ſcilicet, quoad purgationem, ergo ſimiliter quoad purgationem poterit Pontifex ſuā facultatem exercere. Ne tamen à communiori opinione diſcedamus; duos modos concedendi Indulgētias diſtinguere oportet;ſcilicet, aut Indulgentiæ conceduntur per modum abſolutionis, aut per modum ſuffragij; primò modo Pontifex illas elargitur fidelibus uiuis: Secundo modo fidelibus defunctis, ſuper quas non poteſt, eamdem iudiciariam poteſtatem exercere; ſicut exercet ſupra fideles viuos concedendo illas per modum abſolutionis: ita Suar.diſp.13.ſect.2.num.4.& ſeqq. Reginald.lib.7.num.152.& 193.Filiuc.tract. 8.cap.8.num.202.& ſeqq. Corduba q.15. & 16.& alij,ſed,vt antea dicebam,puto nō ſolum probabile;Sed etiam verum, Pontificem habere iuriſdictionem in Purgatorium, quod apertè docet P. Auguſtinus in lib. retract. declarans illa verba à Chriſto Domino Petro dicta Matt.16.*Et portæ Inferi non prævalebūt aduerſus eā*, per quæ verba nihil aliud voluit Chriſtus dicere, quā quod portæ Purgatorij,non reſiſtunt, non claudentur, & addit. *Succeſſor Petri præſidētiam,iuriſdictionē,& auctoritatem in Purgatorio habebit,vnde poterit abſoluere,& liberare.* Gloſſa etiam tenet Papam habere auctoritatem in Purgatorium. Nam poſtquam declarauit Papā habere auctoritatem ſoluendi ligatum viuētem, & ſolutum viuentem ligare; reprehendit aliquos ex Cōcil. Conſtantinopol.aſſerētes Pontificem tantummodo habere auctoritatem ſuper viuos dicens. *Quomodo autem præſumunt quidam dicere de viuis tantummodo dictum eſſe, an ignorant, quia iudicium anathematis, nihil aliud eſt,quam ſeparatio?* Quam doctrinam occaſione ſcribendi cōtra Lutherum,multi docuerunt; vt Hieronymus Lucēſis Generalis Seruorum,in ſolutionibus Martini Lutheri. Michael Florentinus eiuſdem ordinis, in tit.de quidditate, diſpenſatore, & valore Indulgentiarum, Ambroſ. Spiera lib.de foribus Sapientiæ ſerm. 34. conſider.2.concluſ.1.Chriſtophorus Marcellus Venetus Archiepiſcopus Corcyræ, de auctoritate Pontificis lib.2.ſect.2. quos ſequitur Bartholomeus Sybilla ordinis Prædicatorum,in Speculo peregrinarum quæſtionum cap. primæ Decadis quæſt. 12. in Additione poſt dictam quæſtionem. Fundatur hęc doctrina in verbis Innocent.Papæ,in cap.Quod autem de pænit.& remiſſ. vbi

Digitized by Google

vbi ait. *Diſpenſans autem Indulgentias defunctis, eſt ſolus Papa:* Et idē docet D.Tho. in 4. d.45. cuius verba affert citatus Doctor Sybilla in dicta q.12. vbi alios Theologos affert, & fuſè id probat: quod etiam intellexit Suar. loco cit. vt apud ipſum videri poteſt.

16. Eſt tamen notandum, quando Indulgentiæ per Pontificis auctoritatem ſunt applicandæ Animabus Purgatorij; infallibiliter dictas animas illas, ſeu earum fructū obtinere exiſtente iuſta cauſa;& adimpleto opere ad hoc impoſito; nec requiritur, vt faciens opus pro dictis Indulgētijs, ſit in gratia; quia non ipſe, ſed Eccleſia tribuit hoc donum; & dummodo non adſit obex ex parte recipientis, prout adeſſe nō poteſt in dictis animabus, neceſſariò habetur effectus; ita communiter omnes; vt Suar.diſp.52. ſect.4. Corduba lib.5. q.26. propoſ.7.Henriq.cap.9.nu.6.Nauar.comment.de Indulg.notab.17.nu.4.& notabil. 19.num.6.Emanuel Sà verb.Indulg. nu.2. Bonac.diſput.6. q.1. pun.6.num.11.& alij communiter, & pro confirmatione omniū ſupradictorum faciunt verba Leon. X. in Epiſt. ad Caietanum, vbi de Purgatorio loquens ait. *Apoſtolica auctoritate theſaurum Ieſu Chriſti, & Sanctorum diſpenſando, & per modum abſolutionis Indulgentiam ipſam concedendo, vel per modum Suffragij illam transferendo,* (& concludit) *omnes tam viuos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiuſmodi conſequuti fuerint, à tanta temporali pœna ſecundum diuinam iuſtitiam pro peccatis ſuis actualibus debita liberari, quanta conceſſa, & acquiſita Indulgentia æquiualet.*

De cauſa finali concedendi Indulgentias, & cauſa efficiente, ac de forma, ſub qua Indulgentiæ concedendæ ſint. Caput LXIII.

1 *Ad valorem Indulgentiæ, requiritur cauſa pia, & proportionata.*

2 *Ad Indulgentiam communem, requiritur cauſa communis, ad particularem, requiritur cauſa particularis.*

3 *Solus Pontifex habet auctoritatem ex iure diuino concedendi Indulgentias.*

4 *Nec Sacerdotes, nec vllus alius ex iure diuino habet hanc poteſtatem.*

5 *Epiſcopi habent poteſtatem concedendi Indulgentias ex iure humano.*

6 *Nullus Epiſcopo inferior habet auctoritatem concedendi Indulgentias ex aliquo iure.*

7 *Prælati Religionum poſſunt efficere participes ſæculares bonorum Religionis.*

8 *Tantum Pontifex, & Epiſcopus poſſunt auctoritatem concedendi Indulgētiam, delegare.*

9 *Delegati non eſt neceſſe, vt habeant Sacramentum ordinis.*

10 *Indulgentiæ, ſi concedantur ex iuſta cauſa, ſemper habebunt effectum infallibilem, ſi non adſit obex.*

11 *Indulgentia conceſſa viſitantibus aliquam Eccleſiam; non ſumitur, niſi ſemel in die; & ſimiliter ſi fuerit conceſſa in perpetuum.*

12 *Indulgentia non expirat morte concedentis.*

13 *Reuocatio Indulgentiarum facta à Pontifice, non eſt neceſſe, vt notificetur eis, qui illa gaudent; licet, cōtrarium ſit probabiliùs.*

1 EST certum apud omnes Doctores ad valorem Indulgentiæ, neceſſarium eſſe cauſam piā, & proportionatam; & ratio eſt, quia Pontifex non eſt Dominus Eccleſiaſtici theſauri, ſed diſpenſator, vt ait, Apoſt. 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, & 1. Petri 4. *Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei;* Vnde conceſſio Indulgētiæ abſque legitima cauſa, non ſolum reddit nullam Indulgētiam; ſed etiam fit contra ius diuinum; vt probat Suar. diſput. 53. ſect. 2. num. 14. Filiuc. tract. 8. cap. 5. num. 103. & alij communiter; quā ſententiam confirmat D.Thom. in 4.d.45.q.2.art.3.quæſtiunc.2. his verbis. *Nec tamē ſequitur, quod Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio Animas à Purgatorio liberare, quia ad hoc, vt Indulgentiæ valeant, requiritur cauſa conueniens, Indulgentias concedendi;*

di, vt ſupra d.20.dictum eſt. Hæc ille, nota tamen, quod licet, Indulgentia eſſet inualida, quod nunquam præſupponi debet; tamen conceſſiones, & priuilegia, quæ in dictis Indulgentijs concedi ſolent, valere, & habere vim, vt eſt facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis, permutatio votorum, &c. Quia hæc pendent ex mera voluntate Pontificis; nec eſt neceſſaria alia cauſa. In quo autem conſiſtat hæc proportionalitas cauſæ, vt iuſta cẽſeatur ad concedendam Indulgentiam? Reſpõdeo conſiſtere quadam morali, & prudenti æſtimatione, qua iudicetur legitimè concedi poſſe dictam Indulgentiam; Et ſi excedatur in tali æſtimatione, non ideò Indulgentia erit nulla; niſi ſecundum illam partem, in qua exceſſum fuit.

2. Vtrum autem cauſa cõcedendi Indulgentiam debeat eſſe publica, ſcilicet, ad bonum publicum, an ſufficiat bonum priuatum? Miror Sot.d.21.q.2.art.2.docere omninò neceſſariã eſſe cauſam publicam ad concedendam Indulgẽtiam, his verbis. *Nam dare Indulgentias nulla tali imminente cauſa communi; ſed ob cauſam particularem, nempè, intuitu, & precibus cuiuſdam perſonæ nobilis, vel propter particularem deuotionem ad aliquod ſacellum, vel ad exaltandam ſuam auctoritatem; nec res antiqua eſt, nec ſynceritatem cauſæ, qua in concedendis Indulgentijs neceſſaria eſt præſeferre videtur: quare neque ſolidam habent valoris certitudinem.* Priùs autem notandum eſt, varijs modis poſſe Indulgentiam concedi, primò generaliter toti Eccleſiæ, ſiuè immediatè omnibus perſonis faciẽtibus hoc, vel illud opus bonum, ſiuè mediatè in aliquo loco, vt omnibus orantibus in tali loco; Secundò cõcedi poſſunt pro aliqua communitate particulari: Tertiò poſſunt concedi alicui perſonæ, & poteſt etiam eidem perſonæ concedi facultas pro alijs perſonis, ſcilicet, vt etiam alij. Poſſint eamdem Indulgentiam acquirere; quod idem eſt, ac alijs Indulgentiam concedere ad petitionem vnius: quibus notatis. Dico ad communem Indulgentiam, communem cauſam eſſe neceſſariam; Dicitur tamen etiam communis cauſa, bonũ alicuius Regni, vel Prouinciæ, quia ex malo ipſius magnum detrimentum Eccleſia poſſet ſentire, nec eſt neceſſe, vt bonum ſit immediatè ſpirituale, ſufficiet enim, ſi fuerit temporale ad finem ſpiritualem, vt fieri ſolet occaſione Peſtis, Belli, Famis, &c. & ex his cauſis Eccleſia largiri ſolet Indulgentiam Iubilæi. Ad particularem cauſam Indulgentiæ ſufficit particularis cauſa illi proportionata; nam etiam in bonũ Eccleſiæ redũdat bonum particulare ſuorum fidelium; & Pontifex habet plenam auctoritatem diſpenſandi, & diſpenſare poteſt non ſolum ad bonum commune, ſed etiam ad bonum particulare, cum vnuſquiſque per ſe, & abſque vllo ordine ad alium, ſit verum mẽbrum Chriſti; & particeps ſuorum bonorum; aliter, limitata eſſet auctoritas Pontificis, & videretur theſaurus Eccleſiæ eſſe nimis inops; cum ſit ditiſſimus. Conſtat hoc ex vſu Eccleſiæ, in quo decipi non poteſt, cum ſit res magni momenti; quod ſufficere poteſt in confirmationem huius doctrinæ; præter auctoritatem omnium Doctorum, & Conciliorum id docentium.

3. Quoad cauſam efficientem concedendi Indulgentiam. Dico; ex iure diuino ſolum Põtificem habere hanc poteſtatem; nam tantummodo Petro, & eius ſucceſſoribus dictum eſt. *Paſce oues meas. Et quodcunque ligaueris ſuper terrã &c. Et quodcunque ſolueris, &c.* Nec talem auctoritatem habet Concilium Generale, niſi quatenus eius caput eſt Pontifex; quando autem eſt Acephalum, vt tempore Sedis vacantis; tunc nec minus dictam auctoritatem habet; quidquid in contrarium, & quidem malè, aſſeruit Cordub.q.12.de Indulgent. quoad Conciliũ Sedevacante; putat enim dictum Concilium habere dictam facultatem contra communem ſententiam D. Thom. & aliorum in 4.d.20.q.1.art.4. Durand.q.5. Palud.q.4. art.3. Richard.art.5. q.3. qui omnes nulla mentione facta Concilij Generalis, tantum hanc facultatem Pontificem habere aſſerunt: quos ſequitur Suar.diſput.55.ſeſſ.1. Filiuc.tract.8.cap.4. num.84.& alij.

4. Non defuerunt, qui aſſererent etiã Sacerdotes habere poteſtatem concedendi Indulgentiam ex iure diuino, vel quia putant ad hoc ſufficere poteſtatem ordi-

nis;

Digitized by Google

nis; quia nullam diſtinctionem ponunt inter poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis; & vtrumq; iam falſum eſſe ſupra docuimus, quam opinionem tenuit Marſilius; & alij apud Suar. loco cit. ſect.2. Alij autem id affirmauerunt de Epiſcopis, quia putant iuriſdictionẽ datam eſſe iure diuino; quod etiam falſum eſſe ſupra oſtendimus; & hãc opinionem tenẽt Sot. Cordub. P.Sot.lect. 3. de Indulgentijs, Medina lib. de Indulg. diſp.5.& 6.& alij apud eumdem Suar. Tamen vera, & communis opinio eſt,Epiſcopos nullam facultatem habere ex iure diuino concedendi Indulgentiam;hoc patet ex communi vſu vniuerſalis Eccleſiæ; qui ſufficiens eſſet ad hanc veritatem confirmandam; patet etiam ex omnibus Doctoribus vſquemodo allatis; & ſumitur ex Extrauag. Clem.VI. quæ incipit Vnigenitus, de pœnit. & remiſſ. vbi ait: *Chriſtum reliquiſſe Eccleſia theſaurum ſuorum meritorum. Quem per Beatum Petrum Cæli clauigerum, eiuſque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, & proprijs, & rationabilibus cauſis, nũc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœna temporalis pro peccatis debita, tam generaliter, quam ſpecialiter*; vide Richar. d.20. art.20.q.3.Duran.d.20.q.2.ad 2. Suar.diſp.55. ſect.2.Filiuc.tract.8.cap.4.num.87.& alios.

5. Habẽt tamen Epiſcopi iure humano ordinariam poteſtatem cõcedendi Indulgẽtias,ſed cum limitatione ab ipſo iure poſita;eſt communis doctrina D.Thom. & aliorũ ſupra citatorum, & ratio eſt,quia id quod alicui cõpetit ratione officij, dicitur conuenire ex ordinaria poteſtate, ſiuè officium ſit à iure diuino, ſiuè à iure humano; ſed ſic eſt, quod Epiſcopus ratione officij, ſeu ſui muneris habet hanc poteſtatem, ergo talis poteſtas dicitur ordinaria; & confirmatur; nam nullus poteſt delegare,niſi habeat poteſtatẽ ordinariam, ſed ſic eſt, quod Epiſcopus poteſt delegare, ergo ſignum eſt, quod habeat poteſtatem ordinariam; & quod poſſit delegare patet ex cap. quod autem, vt probat Filiuc.tr.8.cap.4.num.88.§.Confirmatur.Et circa limitationem; Epiſcopi non poſſunt concedere niſi vnum annum Indulgentiæ in dedicatione Eccleſiæ; in anniuerſario autem talis diei Indulgentiam quadraginta dierum, quod etiam poſſunt concedere, quandocunque ex aliqua iuſta cauſa ei videbitur, vt habetur in cap. cum ex eo de pœnit. & remiſs. idem poſſunt concedere Archiepiſcopi tẽpore viſitationis;& tunc, licet, aliã ſimilem dederit Epiſcopus, ambæ valent; & ſimiliter Epiſcopi ſucceſſores poſſunt eandem Indulgentiam concedere, etiam ſi iam aliæ anteceſſerãs,& omnes validæ erunt; imò vnus Epiſcopus poteſt concedere dictam Indulgentiam ſuis ſubditis viſitantibus Eccleſiam alterius Epiſcopatus, ſeu Diœceſis; vt fusè Suar. diſp. 55. ſect.3. num. 7. Filiuc.num. 89. & alij. Pro defunctis autem dictas Indulgentias concedere non poſſunt, ex communi ſententia in cap. quod autem de pœnit. & remiſs. idem Suar. num. 9.

6. Alij autem Prælati Epiſcopo inferiores; etiam ſi nulli ſubſint, niſi Pontifici, nullam habent facultatem diſpenſandi Indulgentias nec iure diuino nec humano; & idem dicitur de Vicario Epiſcopi, de Capitulo Sede vacante; de Parochis, &c. & hoc patet tum ex vniuerſali vſu Eccleſiæ; tum ex communi Doctorum doctrina, vt Suar.diſp.55.ſect.4.Filiuc. tr.8. cap. 4. num.90.Bonac.diſp.6.q.1.punct.3.nu.18. & alij.

7. Vtrũ aũt Prælati Religionũ poſſint efficere participes ſeculares, & alios, ſatisfactionum, & orationum, quæ fiunt in Religione? Reſpondeo duo eſſe in orationibus, & alijs pijs operibus, nempe, ſatisfactionem, & impetrationem; Superiores quando admittunt aliquem ad participationem meritorum,& operum Religionis, illum admittunt quoad impetrationem; & non quoad ſatisfactionem; poſſent etiã admittere ad ſatisfactionẽ;ſed notandum, quod hoc non poſſit Superior pro ſuo libito; ſed requiritur etiam conſenſus ſubditorum; quia ſi ſubditi ſibi, vel alijs applicent talem ſatisfactionem, recta, & valida erit applicatio; nec applicatio Superioris eſſet alicuius momenti; peccaret tamen ſubditus, ſi contra voluntatem Superioris ageret, quia tenetur obedire; vt etiam diximus ſupra de ſuffragijs cap.60. num.11. ita Suar.diſp.55.ſect.5.num.6.& 8. Filiuc. tract.

Digitized by Google

tract.8. cap.4. num.95. §. Tertium eſt;& alij.

8. Qui autem delegare poſſint auctoritatem concedendi Indulgentias, & quibus? iam patet ex dictis, ſolum Pontificẽ, & Epiſcopum poſſe hanc facultatem delegare; quia hi tantum habent hanc auctoritatem ex ordinaria poteſtate, licet, illa Pontificis ſit a iure diuino; & illa Epiſcopi ſit à iure humano. Omnibus autem poteſt committi hæc delegatio, nec eſt neceſſaria poteſtas ordinis, vt in pœnitentia; ſed vtrũ poſſit committi laicis? Reſpondeo de abſoluta poteſtate, Pontifex tantum poteſt; ſed hoc intelligi nullo modo poteſt, niſi per generalem conceſſionem; & neceſſe eſt, vt declaret in tali caſu diſpenſare; niſi velimus dicere; quod ſi ſpecialiter committit, etiam diſpenſet. Vide plura apud citatos Doctores.

9. Circa formam, ſub qua concedi ſoleant Indulgentiæ; notandum eſt, duplicem eſſe modum concedendi Indulgentiam; Primus modus continet Indulgentiam latã. Secundus modus continet Indulgentiã ferendam. Indulgentia lata eſt illa, quam immediatè Pontifex per ſe concedit, vt ſi dicat, in caſu mortis in gratia, cõcedo plenariam Indulgentiam. Indulgentia ferenda eſt illa, quam Pontifex concedit mediatè, vel per delegationem, vt ſi Pontifex concedat in articulo mortis; vel ſi tale opus fiat, vt quis abſolui poſſit ab omni culpa, & pœna; in quibus conceſſionibus neceſſaria eſt aliqua forma verborũ, vel ſigna æquiualentia, per quæ ſignificetur talis conceſſio; & poteſt etiam fieri per ſcriptum, vel per nuncium. Et eſt etiam notandum, in forma, ſeu in conceſſione Indulgentiæ latæ, nullam aliam formam requiri ad actualem eius lucrationẽ, præter illam, quam Pontifex immediatè dedit; at in conceſſione Indulgentiæ ferendæ, requiri aliam formam per delegatum faciendam; v. g. poteſt, & debet delegatus dicere, auctoritate Sedis Apoſtolicæ mihi commiſſa, concedo tibi talem, vel talem remiſſionem; licet non omnia hæc verba ſint eſſentialia; nam verba, per quæ declaratur id fieri auctoritate Apoſtolica. Supponi potiùs debet, quam declarari; licet, ex maiori decentia explicari debet. Poteſt etiam delegatus dicere, remitto tibi; vel abſoluo te, &c. imò in eadem forma abſolutionis, poteſt delegatus intelligere pœnitentem abſoluere ab omni culpa, & pœna; quia verbum abſolue proportionẽ habet ad vtrumque. Nec ad hanc abſolutionem à pœnis per Indulgentiam requiritur, vt pœnitens percipiat, & intelligat Indulgentiam ſibi concedi; nam etiã quis abſoluitur à cenſuris abſq; eius intentione; ſufficiet igitur, ſi pœnitens ſciat habere tale indultum, & habeat ſaltem intẽtionem virtualem recipiendi tale beneficium; vnde ſi habens tale indultum conſtituatur in articulo mortis; & non poſſit nec Sacramenta per ſigna contritionis abſolui; dummodo probabiliter conſtet eſſe in gratia, poterit ei Indulgentia concedi, & à pœnis abſolui à miniſtro deſignato; imò, licet, Confeſſor neſciat indultum pænitentis, & pœnitens Indulgentiam non petierit ex obliuione; ſi Confeſſor abſoluat cum intentione abſoluendi non ſolum à culpa; ſed etiam à pœna quantum poteſt; & quocunque titulo; verè pœnitens erit abſolutus; vt Suarez diſp. 56. ſect. 1. num.8.

10. Vtrum autem Indulgentiæ tantũ valeant, quantum ſonant? ſcilicet, vtrum ſemper Indulgentiæ accipiantur ab omnibus prout conceduntur? & reſpondendũ eſt, poſita iuſta cauſa, & conditionibus ſupradictis, neceſſariò, & infallibiliter omnes conſequi earum effectum. Nec eſt dicendũ, ſemper iuſtã cauſã pręſupponi, quia aliter Põtifex, vel deciperetur, vel deciperet animas fideliũ. Reſpõdetur, circa iudicium cauſæ iuſtæ, vel iniuſtæ, ſeu non ſufficientis, Pontificem decipi poſſe; quia eſt actus pendens ex facto particulari, ſpectãs ad prudentiam; in qua non ſemper Pontifex habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti; ſicut habet in rebus ad fidem ſpectantibus ex Chriſti promiſſione Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*. Vnde non eſt inconueniens, ſi dicatur, Indulgentiam ſemper virtualiter cõcedi ſub tacita conditione, ſi verè ſubſit cauſa iuſta, vel non concedi, niſi iuxta proportionalitatem cauſæ. Ideò benè dicere poſſumus Indul-

gentiam in particulari, non ſemper operari infallibilem effectum tantum, quantũ ſonat; vt docet Caiet.tom.1.opuſcul.tr.4. q.2.& Corduba q.22.de Indulgentijs;non tamen Indulgentia eſt contemnenda ob illegitimam cauſam;quia nunquam debet reputari cauſa illegitima; cum nullus poſſit ſcire factũ ſuperioris,& ideò ſemper eſt præſumenda ratum, niſi clarè contrarium conſtiterit; & præcipuè de iudicio ſummi Pontificis nemini licet diſputare; vt ait Gratianus in §.qui autem 17.q.4.ad quod etiam Gloſs. ibi aliqua iura congerit, ac etiam in cap. non nos 40. diſt. & in cap. 1. 93.diſt.

11. Sed dubium eſt, vtrum Indulgẽtia conceſſa viſitantibus Eccleſiam aliquã, vel locum Pium,toties accipiatur,quoties fiet dicta viſitatio? affirmatiuè reſpondet Nauar.in comment.de Indulg. notab. 31. num.37.vbi citat Felinum; ita vt ſi Indulgentia fuerit conceſſa ad vnum, vel plures dies; ſemper in qualibet viſitatione poſſet quis Indulgentiã accipere; quæ opinio pia eſt, & plures viſitationes non nocebunt: ſed vtrum verè ita ſit? pendet ex mente Pontificis, quæ in praxi non videtur talis; cum tot actus in eodem die, potiùs deriſorij,quam pij viderentur;& ideò, vt benè ait Corduba q.33.& Palud. d. 20. q.4.num.24. Indulgentia ſemel tantum in die accipi poteſt ex prudenti,& rationabili modo cõcedendi Indulgentiam;& idem aſſerunt eſſe in Indulgẽtijs indefinitè conceſſis viſitantibus talem Eccleſiam,vel locum Pium;quæ Indulgentia, licet, perpetua ſit;accipi tamen poteſt non plùs,quam ſemel in die; & ita eſt communis vſus, & praxis intelligendi Indulgentias.

12. Aliud dubium eſt, vtrum Indulgentia exſpiret per mortem concedentis? & reſpondetur negatiuè, niſi talis terminus fuerit à concedente Indulgentiã præfixus;ita Palud. d.20. q.4.art.5.Sylu.verb. Indulgentia num.16. Nauar.comment. de Indulg. notab.31. num.26. & alij communiter; & ratio eſt, quia gratia non expirat morte concedentis: quod verum eſt non ſolum de Indulgentijs conceſſis à Summo Pontifice; ſed etiam de illis conceſſis ab Epiſcopis, vel etiam à Legatis, & Summo Pœnitentiario habentibus talem facultatem ex delegatione Pontificis. Vide plura apud Suar. diſput. 57. ſect. 2. num. 4. & ſeqq.

13. Vtrum autem Põtifex per ſolum actum voluntatis poſſit Indulgentiam ſuſpendere? Reſpondetur affirmatiuè; ex quo etiam colligitur, reuocationẽ factam à Pontifice, non eſſe neceſſariò notificandam Ciuitati, Prouinciæ, aut Eccleſiæ, à qua aufertur Indulgentia; nam illa tãtum reuocatio Priuilegiorũ eſt notificanda, ex qua ſubditi poſſent aliquod damnum pati; ſi quis tamen ex ignorantia talis reuocationis Indulgentiæ, bona fide abſolueretur à cenſuris, &c. eſſet benè abſolutus ex prẽſuppoſita rationabili intẽtione Pontificis; quia dum inculpabiliter ignoratur legis reuocatio, non erit illegitimus eius vſus; imò iuxta communem opinionem, Reuocatio Indulgentiarum v. g. facta Romæ, non habet ſuum effectum quoaduſque notificetur illis, qui tali Indulgentia gaudebant; ita Nauar. Corduba, Sylu. & alij apud Suar. diſp.57. ſect.2. num.8.idem docet Emanuel Sà verb.Indulgentia nu.9 Reginald.lib.7.num.167.& alij:licet Suar. quoad reuocationem ſtatim ceſſandam reſpectu fructus liberationis pœnæ; contrarium putet eſſe probabiliùs; admittit tamen validitatem abſolutionis cenſurarũ, caſuum reſeruatorum, &c. & ſubdit, alios Doctores ita eſſe intelligendos; quia in exemplis ab ipſis allatis,colligitur tãtum, illas reuocationes eſſe neceſſariò notificandas, ex quibus habentes tale priuilegium, poſſent aliquod damnum pati; vt iam diximus.

DE IVBILÆO.

Iubilæum quid ſit, & quomodo accipiatur, Ac de priuilegijs, quæ in ipſo conceduntur. Caput LXIIII.

1 *Iubilæum ſignificat annum remiſſionis.*

2 *Annus Iubilæi incipit in vigilia Natiuitatis Domini, & ſuſpenduntur omnes Indulgentiæ.*

3 *Debēt viſitari quatuor Eccleſiæ, ſed abſque culpa mortali.*

4 *Semel tātum poteſt quis lucrari Iubilæum, & abſolui à reſeruatis, &c.*

5 *Non poteſt quis eodem die Dominico confiteri, & communicare in Iubilæo duarum hebdomadarum.*

6 *Fideles virtute Iubilæi non poſſunt abſolui à iuramentis, niſi id explicetur in Bulla.*

7 *Toto tempore, quo durat Iubilæum, poteſt quis abſolui à votis: & non poteſt quis repetitis actionibus iterum Iubilæum acquirere.*

8 *Commutatio votorum poteſt alteri committi, & fieri tranſacto tempore Iubilæi.*

9 *In vltimis diebus, poteſt etiam quis Iubilæum lucrari per commutationem operum.*

10 *Qui noluit abſolui tempore Iubilæi à votis, vel irregularitate, non poteſt eo tranſacto abſolui.*

11 *Abſolutus à cenſuris, & votis, ſi poſtea non ſumit Iubilæum, non cenſetur abſolutus.*

12 *Abſolutus vigore Iubilæi à reſeruatis, peccabit mortaliter, ſi Iubilæum non ſuſcipiat.*

13 *Quando in Iubilæo conceduntur peccata Bullæ Cœnæ, cōceditur etiam peccatum hæreſis.*

14 *Confeſſores regulares nō approbati ab Epiſcopo, non cenſentur Confeſſores approbati ab Ordinario; vt requiritur in Iubilæo.*

1 CErtum eſt, Iubilæū ex propria ſignificatione, denotare annū remiſſionis, qui apud Hebræos erat quinquageſimus, in quo agrorum cura ceſſabat, ſerui libertate donabantur; & omnes poſſeſſiones venditæ proprijs dominis reſtituebantur: vt Leuit. 25. & 27. In præſenti autem Iubilæus ſignificat annum, in quo Romæ maximæ Indulgentiæ largiuntur ad vniuerſos Chriſti fideles, vt dicti fideles faciliter poſſint ex ſeruitute peccatorum, & Dæmonis ſe liberare; & ideò alio nomine ſolet vocari Annus Sanctus, qui olim erat annus centeſimus; vt habetur in Extrauag. Antiquorum Bonifacij VIII. de pœnit. & remiſſ. quem annum ad quinquageſimum reduxit Clemens VI. & Paulus Secundus illum redegit ad annum vigeſimum quintum, & ita illum conceſſit Vrbanus Octauus, ſcilicet in anno 1625.

2. Incipit autem dictus annus Iubilæi in Vigilia Natiuitatis Domini, in primis Veſperis vſque ad vigiliam ſequentis anni, & in eiſdem veſperis feſti; ea tamen eſt diuerſitas, quod veſperæ in principio dicti anni, dicuntur poſt aperitionem portæ; in qua incipit dictus annus; & in fine anni, veſperę dicuntur antequam porta claudatur: Vnde perdurat annus vſque ad finem veſperarum; ex quo ſequitur, differentem communionem, vel confeſſionem, vſque ad ſequentem diem Natiuitatis Domini, non lucrari Iubilæum. Suſpenduntur autem in dicto anno omnes Indulgentiæ, & indulta abſoluendi à caſibus reſeruatis, vt fideles ex hac occaſione non retrahantur à peregrinatione ad Vrbem facienda; quod declarat Vrbanuş Octauus in Bulla pro publicatione dicti anni Sancti edita; quæ incipit, Cum nuper, his verbis: *Cupientes, vt Christianæ nationes ex omnibus ter-*

Digitized by Google

rarum Orbis locis in Alma Vrbe noſtra in fidei, ac Religionis unitate congregata eodem pietatis, ac deuotionis ſpiritu. Baſilicas, & Eccleſias prædictas, quo maximè fieri poterit concurſu, durante eodem Iubilæo, viſitent, & frequentent, multorum Romanorum Pontificum exemplo adducti: Omnes, & ſingulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remiſſiones, ac facultates, & indulta abſoluendi etiam à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, etiam in literis die Cœnæ Domini, &c. (& infra) *ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe declaramus; eaſque, & ea eodem anno durante nulli prodeſſe, aut ſuffragari debere.* Ex quibus verbis in primis colligitur, illas tantum Indulgentias eſſe ſuſpenſas, quæ ſunt extra Romam, quia quæ ſunt intra Romam, non impediũt peregrinationem ad illam. Suſpenduntur tamen omnes Indulgentiæ tam plenariæ, quam partiales; per illa verba, omnes, & ſingulas: Secundò ſuſpenduntur etiam indulta abſoluẽdi à caſibus reſeruatis; ſed verũ intelligatur, ablata facultas commutandi vota, &c. in Bulla Sixti Quarti hoc exprimitur, iuxta Nauar. comment. de Indulg. notab. 33. & in Bulla Clementis Octaui, & Vrbani Octaui, exprimitur tantum abſolutio à caſibus cuiuſcunque priuilegij: Vnde nõ videtur abrogata facultas circa vota, & ſimilia. Deinde iuxta eumdem Nauar. & Filiuc. tract. 8. cap. 10. num. 254. illa tantum facultas abſoluendi eſt ſuſpenſa, quæ fuit conceſſa ad Indulgentias conſequendas; & non illa, quæ ex alio priuilegio fuit obtenta; ſed quidquid ſit reſpectu conſtitutionum aliorum Pontificum, tranſeat: Puto tamen id non poſſe colligi ex citata conſtitutione Vrbani Octaui, nam ibi tam in principio, quam in fine declaratur, & annullatur quælibet Indulgentia, & indulta abſoluendi; nec debet, aut poteſt aliud excogitari; quia mens Pontificis in dicta reuocatione eſt, ne fideles arceantur à peregrinatione ad Vrbem: & cum hæc poſſet etiam eſſe potiſſima cauſa; ideò ab ipſo fuit ablata; & ideò intelligenda eſt, tam reſpectu facultatis conceſſæ ad Indulgentiam conſequendam, quã quolibet alio modo.

3. Ad conſequendum verò dictum Iubilæum, neceſſe eſt viſitare quatuor Eccleſias ſingulis diebus per dies triginta continuos, aut interpellatos; ſi Romani, vel incolæ Vrbis fuerint: Si autem Peregrini, vel alij externi per quindecim ſaltẽ dies: In quibus viſitationibus, debet ſaltẽ quis eſſe in gratia per contritionem; vel ad minus, in vltima viſitatione, in qua eſt recipiendus effectus Indulgentiæ, iuxta doctrinam à nobis ſupra traditam, quam docet etiam Henriq. cap. 12. de Indulgentijs. Tenetur etiã quis ibi orare; ad quod ſufficit, etiam oratio mentalis, pro ſalute populi Chriſtiani, pace Eccleſiæ, ac pro alijs rebus iuxta Pontificis intentionem.

4. Introitus autem per portas apertas, non eſt neceſſarius, licet, pius, & ſanctiſſimus ſit, nec etiam viſitatio ſeptem Altarium; ſed ſufficit tantum orare ante Altare maius; & notandum, quod, licet, introitus per dictas portas apertas in peccato mortali, nequã eſſet; nõ tamen eſſet mortale, vt docet Filiuc. ex Nauar. tract. 8. cap. 10. num. 260. Eſt etiam notandum, ſemel tantum poſſe quemlibet lucrari Iubilæum; & ſemel abſolui poſſe à reſeruatis; dummodo non fuerint caſus obliti in prima confeſſione; imò dicti caſus poſſunt abſolui etiam poſt annum, quia iam non ſunt amplius reſeruati, cum fuerint indirectè abſoluti per confeſſionem formaliter integram, & idem dicas de cenſuris oblitis, ac de irregularitate, vt Sanchez lib. 4. cap. 54. num. 36. & 37. & lib. 8. de matrim. diſt. 15. num. 16. Secùs eſt dicendum de votis; nam ab iſtis poſſunt ſemper abſolui intra dictum annum ſuſcipientes Indulgentiam; minimè tamẽ extra illum, etiam ſi fuerint oblita; quia hæc particulariter commutantur, vel annullãtur; quod poteſt fieri etiam extra Sacramentum à Confeſſore electo virtute Iubilæi, vel ab alio habente eãdem auctoritatem, dummodo contrarium non præcipiatur in Bulla.

5. Eſt etiam ſciendum, Iubilæum aliquando concedi per duas tantum hebdomadas; & tunc intra totam hebdomadam poteſt quis confiteri ad finem communicandi die Dominico, vt loqui ſolent Bullæ: Vnde ſi quis velit confiteri, & communicare eodem die Dominico, non lucrabitur Iubileum; & ita reſpondiſſe fertur Clemen-

Digitized by Google

mentẽ Octauũ, vt ait Filiuc. tract. 8. cap. 10 num. 272. ſed hoc puto verum reſpectu illorum, qui habent materiam neceſſariam; vt maiori maturitate, propoſito, & fructum cõmunicare, & Indulgẽtiam accipere poſſint; ſi autem Iubilæum publicatur in die Dominico: tunc ſtatim poſſet quis confiteri pro communione facienda altero die Dominico. Adeſt tamen opinio Capuccini apud Sorbũ, in compend. priuileg. verb. Indulg. pag. 325. aſſerentis, poſſe quemlibet lucrari Iubilæum, ſi confiteatur, & communicet eodem die Dominico, adimpletis conditionibus, &c. & ſic declaraſſe refert Pium Quintum ad inſtãtiam RR. PP. Societatis Ieſu.

6. Vtrum autem per Iubilæum poſſint fideles abſolui à iuramentis, ſicut poſſunt abſolui à votis? & negatiuè eſt reſpondendum, niſi id exprimatur in Bulla, quia iuxta communem regulam, à diuerſis non fit illatio: ita Nauar. conſil. 3. de iuram. & in manual. cap. 27. num. 275. Sylu. verb. iuramentum 5. q. 3. & 6. & Tabien. verb. iurare q. 20. Sed ſi iuramentum concernat tantum hominis fauorem, non autem cultum Dei, poterit ab illo remitti, cui iuratum eſt; & ſi concernat etiam cultum Dei, remitti non poteſt per Iubilæum: ſequitur Filiuc. tract. 8. cap. 10. num. 281. in fine.

7. Sed quæritur, vtrum toto tempore, quo Iubilæũ durat, poſſit quis abſolui à votis, quoties illa emiſerit, etiam durante dicto tempore? & reſpondetur affirmatiuè, & ratio eſt, quia in Bulla nulla ſolet poni limitatio circa vota, prout ponitur in abſolutione à caſibus reſeruatis; ita Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 16. num. 1. quem ſequitur Sanchez lib. 4. cap. 54. num. 26. ſed notandum, vota facta poſt obtentum Iubilæum, non poſſe amplius commutari; quia facultas conceſſa in Bulla, eſt tantum ad lucrandum Iubilæum, vt loquitur idem Sanchez num. 28. ſecùs eſt dicendum de votis antea factis; nam iſta commutari poſſunt durante dicto Iubilæo; vt diximus. Sed maior difficultas eſt, vtrum quis repetitis eiſdem actionibus, poſſit etiam ſumere Iubilæum in ſecunda hebdomada, & hoc modo lucrari Iubilæum, & abſolui à caſibus reſeruatis; in quos incidit poſt acceptum Iubilæum? & affirmatiuè reſpondet Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 11. num. 1. & lib. 6. de pœnit. cap. 16. num. 3. vbi in commentario litera M. ait, id multos recentiores tenere; & tenet etiam Nauarr. §. in Leuit. notabil. 32. num. 45. & notabil. 34. num. 7. q. 4. & refert Iubilæum anni ſancti Gregorij Decimitertij in init. notab. 32. in quo dicitur poſſe fideles ſæpiùs repetitis diligentijs Iubilæum conſequi. Attamen, cum hoc pendeat ex Bulla, vt ipſimet Doctores fatẽtur; & ex multis annis dicta mens Pontificis non videtur talis, imò omninò contraria; nempè, vt poſſit quis tantum ſemel dictam Indulgentiam accipere, ſequitur, quod nec etiam poſſit à caſibus, vel votis abſolui: ita docet Suar. tom. 2. de religione tract. de voto lib. 6. cap. 16. num. vlt. & Sanchez lib. 4. cap. 54. num. 30. & ita declaraſſe Sacram Congregationem Concilij de mẽſe Maij 1620. docet Filiuc. tract. 8. cap. 10. num. 261. Vnde in præſenti nullo modo videtur probabilis opinio aliquorum Doctorum, quos affert Iacobus Mancinus in ſua practica viſitandi infirmos pag. 72. & 73. aſſerentium, illum qui iam adeptus eſt Iubilæum in prima hebdomada, poſſe abſolui à quolibet caſu, & cenſura Pontifici reſeruata, in ſecunda hebdomada, etiã ſi talia reſeruata commiſerit ſpe Iubilæi, quod hodie puto omninò falſum.

8. Sed dubium eſt, vtrum Confeſſor poſſit alteri committere commutationem voti, nempè, vt alius aſſignet opus, quod facere debeat loco dicti voti? Reſpondeo affirmatiuè; dummodo tamen dicat confeſſor, commuto tibi votum ex nunc in opus, quod ego, vel talis vir doctus, tibi dixerit, ſiuè Clericus, ſiuè laicus ſit, quia hic actus nõ eſt iuriſdictionis, ſed prudentiæ; & poteſt poſtea dictum opus pœnitẽti declarari etiam poſt tempus Iubilæi. Imò poteſt etiam confeſſor differre commutationem voti modo dicto etiã in caſu, quo pœnitens ſciret ſe ligatum eſſe voto; ſed non benè meminit materiæ particularis; in dicto caſu, poteſt confeſſor ſtatim habere intentionem liberandi pænitẽtem à dicto vinculo; & concedere ei tempus cogitandi circa materiam voti commiſſi; & poſtea illud commutare, licet, interim tranſ-

ſeat

ſeat tempus Iubilæi: Suar.tom.2. de relig. tract. de voto lib.6. cap.16. nu.15. ex quo ſumitur, poſſe etiam pluribus votis aſtrictum, petere commutationem, licet non recordetur numeri; ſed tantum materiæ, ſeu obiecti circà quod fuerũt vota; & confeſſarium poſſe illum abſoluere pro prudenti arbitrio illa commutando; & ſi poſtea pœniteas illorum meminerit, non indigebit alia abſolutione; docet Beia, ſeu Paleota in ſuis reſponſionibus 2. par. caſu 9. in ordine: & eſt primus ex propoſitis in Congregatione habita feria 3.die 9.Maij, Clauis Regia lib.6. cap.12. nu.18. & Sanchez lib.4. cap.54. num.35. imò, etiam ſi pœnitens ſcrupulis vexatus ob multitudinem votorum, quorum non meminit, poterit confeſſor illum generaliter abſoluere, etiam ab omnibus, impoſita ei prudenti commutatione, idem Doctor nu.37.

9. Aliud dubium eſt, vtrum quis in vltimis diebus, in quibus omnia opera in Iubilæo impoſita facere non poſſit, poſſit acquirere Iubilæum? Reſpondetur affirmatiuè, quia poterit tunc Confeſſarius ieiunia commutare in eleemoſynam, & viſitationes Eccleſiarũ in aliud opus. Quod ſtatim fieri poſſit; vt docet Henriq. lib. 7. de Indulgentijs cap.10.num.6. & Sanchez lib.4.cap. 54. num.28. quod puto verum, quando pœnitens fuit impeditus; vel nolebat Iubilæum accipere ex parua deuotione, vel ex peccatorum nexibus, quibus ligatus erat; & poſtea in dictis vltimis diebus ex Dei motione cupit Iubilæum accipere; & ſe à dictis peccatis liberare; in his enim caſibus non eſt pœnitenti hoc priuilegium denegandum. Etiam ſi hoc accidat in vltima die Iubilæi, ſcilicet in vltima Dominica; vide Dian.tr.1.& 1.miſcel. reſol.28.& Filiucc. tom.1. tract.8. cap.10. num. 268.

10. Vtrum autem, qui noluit tempore Iubilæi abſolui à votis, vel irregularitate; poſſit dicto Iubilæo tranſacto, ab illis, vel illa abſolui? & affirmatiuè reſpondet Sanchez lib.4.cap.54.num.40.& ratio eſt, quia putat dictum priuilegium eſſe perpetuum reſpectu votorum, &c. emiſſorum ante terminatum Iubilæum; quæ opinio mihi nullo modo videtur probabilis; nec iuxta intentionem Pontificis, qui priuilegium non concedit niſi pro tali tempore; ideò contrarium, quod docet Suar. lib. 2. de relig.cap.16.num.36. puto verũ; quod etiam tenet Beia 2.par.caſu 9.in ordine.

11. Quæritur etiam, vtrum abſolutus à caſibus reſeruatis, & cenſuris vigore Iubilæi, ſi poſtea dictum Iubilæum nõ ſumat, nec perficiat ordinata in ipſo, cenſeatur benè abſolutus? Reſpondeo, quoad caſus reſeruatos non eſt dubium, eſſe benè abſolutum, dummodo habuit veram intentionem ſuſcipiendi Iubilæum; vt etiam confirmat Suar.2. tom. de religione tr. de voto lib.6.cap.16.nu.6. tamen quoad abſolutionem cenſurarum, aliqui contrariũ tenent, nempè, non cenſeri abſolutum, niſi perficiat, & accipiat Iubilæum; & ratio eſt, quia talis abſolutio intelligitur data ſub tali conditione, nempè, ſi pœnitẽs accipiat Iubilæũ; & ita tenet Manuel Rodriq. in Bulla Cruciatæ §. 2. num. 8. Angles, & alij apud Cordub. in ſumma q.21. Contrarium tamen tenet dictus Corduba, Suar. loc.cit. Emanuel Sà, & alij, quos ſequitur Sanchez libro 4. cap. 54. num. 44. dummodo tamen pœnitens aliquam confeſſionem præmiſiſſet, quia ſi nullam confeſſionẽ feciſſet ex eo, quod non habebat conſcientiam peccati mortalis; tunc ſi poſt tranſactum tempus Iubilæi aduertat habere aliquam cenſuram reſeruatam, non cenſebitur ab illa, nec ab illius reſeruatione abſolutus, vt idem Sanchez. Vtrũ autem idem ſit dicendum de abſoluto à votis vigore dicti Iubilæi; & ſimiliter affirmatiuè reſpondet Sanchez num. 49. & citat Henriq. lib.7. de Indulgentijs cap.11. num.4.& lib.6.de pænit.cap.16. nu. 6. Viuald.in candelabro ſacramẽtorum 3. par. cap.14.num.59.& 60.& alios, & citat etiã Suar.in to.2.de religione lib.6.cap.16.nu. 9. Attamen ſcio Suar. contrarium docere in tom.4.de pænit.diſp.32.ſect.3.num.15. & illum ſequitur Filiuc.tr.8.ca.6.nu. 149. quam opinionem, vt probabiliorem, & ſecuriorem etiam amplexus ſum ſupra in cap.62.num. 8. imò ita etiam puto eſſe dicendum de abſoluto à cenſuris; quamuis contrariam opinionem non voco improbabilem, imò probabiliſſimam ob auctorita-

rita-

Digitized by Google

ritatem Doctorum; ſed contrariam libentiùs tanquam ſecuriorem, & in praxi probabiliorem amplector; quia abſolutio cēſurarum, & votorum differt ab abſolutione à caſibus reſeruatis; nam hæc non poteſt dari ſub cōditione ob naturam ſacramenti; at abſolutio à cenſuris, & votis, cū non ſit ſacramētalis, benè poteſt dari ſub conditione, imò ſub tali conditione ſaltē virtuali ſemper intelligitur data, nec poteſt Confeſſor contrariam intentionē habere. Deinde abſolutio à cenſuris, & votis, eſt tanquam priuilegium additum à Pontifice ad alliciendos animos fidelium ad talem Indulgentiam accipiendam; vnde ſi quis non accipiat, non debet frui hoc priuilegio.

12. Sed vtrum qui fuit abſolutus vigore Iubilæi, & poſtea non accipiat Iubilæum ex propria culpa, peccet mortaliter? Negatiuè reſpōdet Sanchez lib.4. cap.54. num.54. de matrim. diſp.43. nu.9. & lib.8. diſp.15. num.24. cum Henriquez, & alijs; at probabiliùs puto contrarium, vt docet Suar. tom.2. de relig. lib.6. cap.16. num.11. & tom.4. de pœnit. diſp.31. ſect.4. num.5. & ita videtur rationi conſentaneum; nam qui priuilegijs fruitus eſt, ex virtuali, & rationabili intentione promiſit ordinata in Iubilæo adimplere, & illud pro viribus ſumere; & cum agatur de re graui; & grauiter Eccleſia diceretur decepta; neceſſe eſt dicere; talem pœnitentem mortaliter peccare; ſi dictum Iubilæum non ſuſcipiat; & eo magis hæc ſententia erit probabilior, ſi admittatur pœnitentem eſſe etiam benè abſolutum à cenſuris, & votis; vt diximus num. antecedenti.

13. Deinde quęritur, vtrū quando in Iubilæo cōceduntur peccata Bullæ Cęnæ, intelligatur etiam peccatum hæreſis? ſed in primis ſciendum eſt: Peccatum hæreſis, aut eſt cum errore intellectus, vel nō? ſi non, nō cōprehenditur in Bulla Cęnæ Domini; imò etiam ſi quis in extrinſeco Deū negaret, vel Iudæum, aut Infidelē ſe oſtenderet ex vi, metu, timore, &c. licet, grauiſſimè peccaret, nullā tamen excommunicationem incurreret, & poſſet à quocunque confeſſore abſolui: vt Nauarr. in manuali cap.10. num.27. Sanchez lib.2. tom.1. cap. 7. num.8. Suar. tom.5. de cenſur. diſput.4. ſect.2. num.22. & diſp.21. ſect.2. num.3. & alij. Si autem hæreſis ſit cum errore intellectus; tunc aut peccatum eſt purè mentale; & in tali caſu, nec quis incurrit in excommunicationem Cœnæ Domini, quia illa tantum comprehendit hæreſim externam; ſcilicet, illam, quam quis verbo, ſigno, vel facto propalauerit; aut peccatum hæreſis eſt externum modo dicto, & tunc comprehenditur in Bulla Cœnæ Domini: Et de hoc peccato hæreſis quærunt Doctores; Vtrum poſſit quis ab illo abſolui virtute Iubilæi, etiam ſi ibi concedantur caſus Bullæ Cœnæ? & multi negatiuè reſpondent propter enormitatem huius peccati. Attamen pars affirmatiua probabilior, & vera eſt, & ratio eſt, quia aliquando dictum peccatum hæreſis exceptuatur in conceſſione Iubilæi, & aliquando non; igitur hoc dependet ex voluntate Pontificis illud concedentis; quando igitur in Bulla conceditur, ſeu conceduntur omnes caſus Bullæ Cœnæ, abſq; vlla exceptione, Signū eſt, Pontificem cōcedere etiam dictum caſum; alias autem rationes videre quis poterit apud Fagundez de præcept. Eccleſ. lib.8. cap.8. num.17. & ſeqq. vbi quam plures Doctores pro vtraque parte affert; aſſerit tamen alteram opinionem eſſe probabiliorem; ſed contrarium docet Filiuc. tom.2. tract.8. de Iubilæo cap.10. nu.265. & fusè eādem doctrina tradit Dian. par.1. tract.5. reſol. 1. vbi quam plures ſimiliter affert pro hac, & contraria ſententia, neq; obſtat ſtylus Curiæ Romanæ, in quo fundatur contraria ſententia, quia talis ſtylus non dicit aliā opinionem eſſe improbabilem; & maximè cum ſit à tot grauibus Patronis defenſa: Sed hic obiter notandum, à dicta hæreſi non poſſe pœnitentem abſolui virtute Bullæ Cruciatæ, vt patet ex Bulla Gregorij Decimitertij, quæ incipit officij noſtri, editæ anno 1574. & eſt Bulla 37. in ordine.

14. Circa verò electionem confeſſoris, quæri poteſt, vtrum confeſſores Regulares electi à proprijs Prælatis, poſſint vocari confeſſores approbati ab Ordinario, iuxta tenorem Iubilæi? Reſpondetur negatiuè reſpectu ſæcularium, & aliorum ex-

tra

Digitized by Google

tra propriam religionem; ſed intelliguntur illi confeſſores qui fuerint approbati ab Epiſcopo loci; nam reſpectu propriæ Religionis benè poſſunt vocari approbati ab Ordinario, eo quod ſint approbati à proprijs Prælatis, iuxta Concil, Trid. ſeſſ. 23. de reform. Sed facultas dictorum Prælatorum nō extenditur extra Religionem; vt fuſiùs Filiuc. tract. 8. cap. 10. num. 275. Et nota, quod neq; Epiſcopus virtute Iubilæi, poſſit abſolui, niſi à confeſſario approbato; quamuis de iure communi poſſit quemlibet idoneum ſibi eligere; & ratio eſt, quia in Iubilæo dicitur eligant confeſſores approbatos, Nauar. par. 2. conſil. lib. 5; conſil. 12.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Quid, & quotuplex ſit Sacramentum Ordinis, Ac de eius materia, & forma. Cap. LXV.

1 *Traditur Ordinis definitio, & diſtinctio ab alijs Sacramentis.*

2 *Sacramentum Ordinis, fuit à Chriſto inſtitutum in vltima Cœna, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem.*

3 *Septem ſunt Ordines, & omnes ſunt Sacramentum.*

4 *Epiſcopatus eſt Ordo diſtinctus ab alijs ſeptem.*

5 *Probatur tradita doctrina.*

6 *Archiepiſcopatus, Papatus; Prima tonſura, & pſalmodia non ſunt ordines.*

7 *Declaratur in quonam conſiſtat officium Epiſcopatus, Sacerdotij, & aliorum Ordinum maiorum.*

8 *Declaratur, in quo conſiſtat officium Ordinum minorum.*

9 *Materia remota omnium Ordinum, eſt res, quæ traditur ab Epiſcopo. Proxima autem eſt traditio dictæ rei cum debita forma verborum. Vnde in Sacerdotio erit traditio Calicis, & Patenæ cum pane, & vino.*

10 *Materia in Ordine Diaconatus, eſt traditio libri Euangeliorum.*

11 *Materia in Ordine Subdiaconatus, eſt traditio Calicis vacui cum Patena.*

12 *Materia aliorum Ordinum, conſiſtunt in traditione rerum cum debita forma verborum.*

13 *Materia Ordinis Epiſcopatus, eſt manus impoſitio cum verbis adiunctis.*

14 *Materia debent phyſicè tangi ab ordinandis.*

15 *Materia debent etiam phyſicè tangi ab Epiſcopis; & declaratur, quomodo dicta materia ſint neceſſariæ, & ex cuius inſtitutione.*

16 *Ponuntur formæ ſingulorum Ordinum.*

1 EST primò ſciendum, Sacramentum Ordinis dici ab effectu; ſicut etiam dicitur Sacramentum confirmationis ex eo, quod per dictum Sacramentum confirmentur in gratia; Sic dicitur Sacramentū Ordinis, quia ordinatim, & per gradus iuxta varia miniſteria ad illud aſcenditur. Vnde poteſt deſcribi hoc modo; nempè, *Ordo eſt cæremonia quædam, ſeu ritus, quo poteſtas alicuius Eccleſiaſtici miniſterij ſignificatur, & datur, vt ritè, ac reuerenter Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti celebrari poſſit:* In qua deſcriptione, quoad vim, & ſubſtantiam, continētur omnes, & aliæ deſcriptiones, quæ ab alijs Doctoribus dari ſolent; nam Magiſter ſententiarum in 4. d. 24. ait: *Ordinem eſſe ſignaculum quoddam, quo peculiaris poteſtas traditur ordinato:* vbi ponit *Signaculum*, pro ſigno, vt explicat D. Thom. ibi q. 34. art. 2. & Sotus ibi ſimiliter, ait. *Ordinem eſſe Sacramentum, quo ſpecialis poteſtas traditur in ordine*

ne ad conſecrandum corpus, & ſanguinem Chriſti. Ex quibus omnibus colligitur, hoc Sacramentum non pertinere ad ſalutem propriam; & in hoc differre ab alijs quinque Sacramentis, vſque modo dictis, quæ pertinent ad propriam ſalutem; conuenire autem cum Sacramento matrimonij, quia nec etiam eſt ad propriam ſalutem; ſed ad communem vtilitatē Eccleſiæ, ſcilicet generationem naturalem; Ordo autem eſt ad generationem ſpiritualem iuxta Apoſt. 1. ad Corinth. 4. *Per Euangelium ego vos genui*.

2. Fuit autem inſtitutum hoc Sacramentum à Chriſto Domino in vltima Cœna illis verbis, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: Quod idem important, ac ſi Chriſtus dixiſſet, ſicut ego conſacro, & offero; ita ſimiliter vos conſacro Sacerdotes, & Epiſcopos, vt conſacrare, & offerre poſſitis, & debeatis; nā in verbo facite præceptum conſecrandi imponitur: vide D. Thom. ſeſſ. 34. in addit. art. 4. & Sotus, quæ doctrina de fide eſt, vt patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. & can. 2. vbi ſic habetur. *Si quis dixerit, illis verbis; Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, vt ipſi, alijque Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum, anathema ſit.* In qua ordinatione per Chriſtum facta, fuerunt omnes ordines ſimul Apoſtolis collati: cum omnes contineātur in Sacerdotio, & omnes ad ipſum dirigantur.

3. Quot autem ſint ordines? Reſpondeo ſeptem; ſcilicet, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus: ita ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 2. Sed vtrum omnes dicti ordines ſint Sacramentum? Reſpondeo, tres eſſe opiniones, quas affert Valentia in 3. par. diſp. 9. q. 1. pun. 4. pag. mihi 1957. & prima eſt Durandi in 4. d. 24. q. 2. aſſerentis tantum ordinem Sacerdotij eſſe Sacramentum: Secunda eſt Soti in 4. d. 24. q. 1. art. 4. Michaælis Medinæ lib. 1. de ſacrorum ordinum, Vaſquez 3. par. diſput. 237. cap. 2. & Nauar. cap. 22. num. 18. docentes tātum tres ordines maiores eſſe Sacramentum; Minores autem eſſe quædam ſacramentalia: Tertia, quæ communis eſt, & tenenda, aſſerit omnes ſeptem ordines numeratos, eſſe Sacramentum; ita D. Tho. in addit. q. 37. art. 2. vbi ait, omnes dictos ordines imprimere characterem; & eādem doctrinam tradit 4. contra gentes cap. 65. Bonauent. in 4. d. 24. art. 2. q. 4. Richard. eadem diſt. art. 3. q. 3. Palud. q. 1. Capreol. q. 1. art. 1. P. Sot. lect. 4. de ordine, Bellarm. lib. vnico de Sacramento ordinis cap. 6. 7. & 8. Filiuc. tract. 9. cap. 1. num. 23. & ſeqq. & alij paſſim, quæ ſententia eſt magis cōſona Concilijs. Nam Concilium Florentinum poſtquam declarauit materiam Sacramentorum eſſe rem traditam ab Epiſcopo ordinato, & formam eſſe verba ab Epiſcopo in ipſa traditione prolata, tam in ordine Sacerdotij, quam Diaconatus, & Subdiaconatus, ſubiungit; *Sic etiam id intelligi debere in reliquis ordinibus*; & clarè id etiam docet Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 2. & 3. quā ſententiam multis alijs rationibus, & Patrum auctoritatibus probat Valent. dicto pun. 4.

4. Vtrum autem Epiſcopatus ſit Sacramentum ſpecie, vel numero diſtinctum à Sacerdotio, & alijs ordinibus? Reſpondeo, duas in hac re eſſe ſententias: Prima aſſerit non eſſe Sacramentum diſtinctum à Sacerdotio; ita D. Thom. q. 40. art. 5. Richardus, Albertus Magnus, Bonauent. & alij in 4. d. 24. Reginald. lib. 30. tract. 5. Henriquez lib. 10. cap. 2. & alij apud ipſum; idem docet Filiuc. tract. 9. cap. 1. num. 12. & alij; Duæ rationes ſunt potiſſimæ pro hac opinione. Prima eſt, quia ſi Epiſcopatus eſſet ex ſe ordo diſtinctum, poſſet conferri abſque Sacerdotio, quia non dependeret ab illo; ſed antecedens eſt falſum, ergo non diſtinguitur ab illo. Secunda ratio eſt, quia Epiſcopatus non habet diſtinctum reſpectum ad celebrationem Euchariſtiæ; ac habet Sacerdotium; nec aliquid aliud circa hanc celebrationem præſtantiùs agit; ergo eſt idem cum Sacerdotio. Secunda ſententia docet, Epiſcopatum eſſe diſtinctum Sacramentum à Sacerdotio: ita Durand. in 4. d. 24. q. 6. Palud. ibi q. 7. Maior. ibidem, Medina lib. 1. de cælibatu cap. 16. Nauar. cap. 22. num. 8. P. Sot. in inſtitutione Sacerdotū lect. 4. de Sacramento ordinis, vbi addit, id certa fide eſſe te-

nendum; & Valentia diſp. 9. quæſt. 1. pun. 4. pag. 1964. putat, hanc opinionem eſſe de fide, quãuis id non ſit ab Eccleſia explicatum; eãdem opinionem ſequitur Vaſquez 3. par. diſp. 240. cap. 3. Emanuel Sà verb. Ordo num. 7. & alij multi. Quæ opiniones cum habeant magnos Patronos; nullam earum puto eſſe tanquam improbabilem reprobandam; licet, libentiùs huic ſecundæ ſententiæ adhæreo; & relictis omnibus rationibus à Doctoribus allatis pro hac opinione; puto hanc opinionem eſſe verã, quia poteſtas, quam habet Epiſcopus conſecrandi Sacerdotes, & cõſtituendi homines cum poteſtate conſecrandi Euchariſtiam, nõ poteſt prouenire ab eodem charactere, quia character Sacerdotij dicit tantum potentiam ad dictam conſecrationem Euchariſtiæ; ergo neceſſe eſt, vt detur alius character, per quem poſſit dari talis poteſtas cõſtituendi Sacerdotes; Hæc autem non poteſt eſſe alia, niſi poteſtas Epiſcopalis proueniens ex diſtincto charactere, continente in ſe formaliter vtramque poteſtatem: & ideò non mirum, ſi nullus poſſit ordinari Epiſcopus, quin ſit etiam Sacerdos, quia character Epiſcopatus continet id, quod continet character Sacerdotij; & aliquid ampliùs; ex quo patet reſponſio ad primum argumentũ primæ opinionis. Ad ſecundum autem reſpondetur, Epiſcopatũ habere peculiarem ordinem ad Euchariſtiam, quàm non habet Sacerdos; nam ad Epiſcopus, ſeu ordo Epiſcopatus dicit ordinem, & ad conſecrandam Euchariſtiam, & ad conſtituendos Sacerdotes cum auctoritate cõſecrandi Euchariſtiam, quem ordinem nõ dicit Sacerdotium, vt fuſiùs Valent. diſp. 9. q. 1. pun. 4. pag. 1964. & ſeqq.

5. Fundatur etiam hæc doctrina in Chriſti inſtitutione. Nam apud Matth. 10. Marc. 3. & Luc. 6. & 10. Legimus à Chriſto Domino fuiſſe electos duodecim; *Quos Apoſtolos nominauit*; deinde apud Luc. 10. legimus à Chriſto fuiſſe deſignatos alios ſeptuaginta duos; & iuxta communem Patrum conſenſum, Epiſcopi tantum ſunt ſucceſſores Apoſtolorum; & Presbyteri ſunt ſucceſſores diſcipulorum; inter auctoritatem Apoſtolorum, & diſcipulorum magna eſt differentia; quod ſingulariter perſpicitur in illa celebri cæremonia, qua Mathias in locum Iudæ adunatus fuit; & ex diſtincta ordinatione, qua Chriſtus ordinauit Apoſtolos, & diſcipulos. Hæc autem differentia in nullo poteſt conſiſtere, niſi in quadam maiori dignitate, & auctoritate ſimul, quam Chriſtus tribuit Apoſtolis, & non diſcipulis; igitur neceſſariò videtur dicendum, auctoritatem Epiſcoporũ diſtinctam eſſe (modo explicato) ab illa, quam habent Sacerdotes; ſicut diſtincta fuit auctoritas Apoſtolorum ab illa diſcipulorum; & ſi diſtincta auctoritas, ergo & diſtinctus character, & diſtinctum Sacramẽtum; & licet, vniuerſaliter dicatur, ſeptẽ tantum eſſe ordines; id dicitur per reſpectum ad conficiendã Euchariſtiã; ad quam non eſt neceſſarius ordo Epiſcopatus.

6. Quid autem dicendum ſit, de Archiepiſcopatu; Papatu, prima tonſura, Pſalmodia &c. Dico, neque Archiepiſcopatum, neque Papatum eſſe ordinem; vt docet Sot. in 4. diſt. 24. q. 2. art. 4. concluſ. 2. ſecundò, nec primam tonſuram eſſe ordinem; ſed diſpoſitionem; ſeu tanquam nouitiatum ad ordinem: ita communiter omnes, Vaſq. diſp. 136. cap. 1. num. 9. & idem eſt dicendum de Pſalmodia, nempè, non eſſe ordinem, Filiuc. tract. 9. cap. 1. num. 14.

7. Sed quæritur, quod nã nõ ſit officiũ, dictorum ordinum? & reſpondetur ordinatim per omnes; officium Epiſcopi eſſe conſecrare Baſilicas, vngere, ſeu conſecrare Altaria, conſecrare Chryſma, imponere manum, ſcilicet, adminiſtrare Sacramentum Confirmationis, facere publicam populi benedictionem; diſtributionẽ officiorum, & ordinum Eccleſiaſticorum; benedicere Virginẽ; & ſuper omnia prædicare Verbum Dei; vt ſumitur ex Matt. 28. *Euntes docete omnes gentes*; & Paulus 1. Corinth. 1. *Miſit me Dominus Euangelizare, non baptizare*. Officium Sacerdotis eſt Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini ad Altare conficere; dona Dei benedicere, & orationes dicere; & Sacramẽta adminiſtrare excepto Ordine, & Confirmatione. Pertinet etiam ad Sacerdotem prædicare Verbum Dei, & docere

Digitized by Google

cere populum de licentia tamen Epiſcopi; vnde in Concil. Vaſſen. can. 4. dicitur, fuiſſe datam à Epiſcopis poteſtatem Presbyteris prædicandi Verbum Dei; prout etiam fecit Valerius Epiſcopus, tribuens talem facultatem D. P. Auguſtino tunc ſuo Presbytero, quia Valerius erat Græcus, & non poterat commodè id latinè exequi, vt refert Poſſidonius in vita S. Auguſtini cap. 5. Diaconorum officium eſt; aſſiſtere Sacerdotibus; & miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis, ſcilicet, in Baptiſmo, in Chryſmate, in Patena, & Calice; atq; adeò etiam oblationes inferre, & diſponere in altari, & componere menſam Domini, & legere Euangelium publicè in Eccleſia. Olim Diaconi poterant etiam baptizare in abſentia Epiſcopi, & Presbyteri, vt fecit Philippus Diacon. Act. 4. baptizando Eunuchum. Poterant etiam prædicare de licentia Epiſcopi exemplo Stephani, & Philippi Diaconorum Actor. 7. & 8. & D. Vincentius martyr etiam Diaconus concionabatur, vt refert P. Auguſt. ſer. 2. de eodem Sancto. Poterāt etiam adminiſtrare Euchariſtiam in abſentia Presbyteri, vt habetur in Concil. Niceno can. 14. & poterant ad abſentes dictam Euchariſtiam ferre; vt ait Iuſtinus in Apologia 2. ſub finem. In præſenti autem proprium, & ſubſtantiale officium Diaconorum eſt, aſſiſtere, & miniſtrare Epiſcopis, & Presbyteris in ſacrificio Altaris; cætera autē, vt ſupra, poſſent etiā facere, vel in neceſſitate, vel ex Epiſcopi commiſſione. Subdiaconorum officium eſt, proximè aſſiſtere Diaconis in ſacrificijs miniſtrādo, ideò in eorum ordinatione accipiunt ab Epiſcopo calicem vacuum cum patena; vt dicitur in Concil. Carthagin. 4. can. 5. & Tolet. 4. can. 27. Eſt etiam eorum officium legere Epiſtolam in ſacrificio Miſſæ, vt habetur in Concil. Remen. can. 4.

8. Officium Acolytorum eſt, luminaria ad ſacrificium præparare, & portare Cereum accenſum ad Altare; itemq; vrceolos cum vino, & aqua Subdiacono dare; vt dicitur eis in eorum ordinatione; & omnia hæc pertinere ad eorum officium, ait, Concil. Carthag. 4. can. 6. officium Exorciſtarum eſt, manus ſuper energumenos imponere, & ad pellendos ex illis Dæmones Exorciſmos Eccleſiæ ſuper eos legere, atq; ea ratione, illos præparare, vt ſacris intereſſe, & participare poſſint; huiùs ordinis meminit Ignatius epiſt. 8. ad Antiochenos; & Concil. Laodicenſe can. 24. & 26. proprohibet, ne quis, niſi hoc ordine initiatus exorciſmis Eccleſiæ vtatur ad pellendos Dæmones; & Concil. Carthag. 4. can. 7. declarans modum, quo conferendum ſit hoc officium Exorciſtæ, ait. Exorciſtæ cum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: *Accipe, & commenda memoriæ, & habeas poteſtatē imponendi manus ſuper energumenum, ſiuè baptizatum, ſiuè cathecumenum.* Ad officium Lectoris ſpectat legere in Eccleſia Lectionē Prophetarum; ideò in ordinatione dicitur: *Accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus, ſi benè impleueris officium, partem cum ijs, qui benè verbum Dei miniſtrauerunt*, ex Cōcil. Carthag. 4. can. 8. Concil. Laodic. can. 24. Ad officiū Oſtiarij pertinet Templum claudere, & aperire, illudq; cuſtodire, & ad illud admittere eos, qui dignè ſacris intereſſe poſſunt, ac eos excludere, qui indigni ſunt. Modus dādi hoc officium eſt deſcriptū in Concil. Carthag. 4. can. 9. & huius officij meminit Ignatius Epiſt. ad Antiochenos; & Concil. Laodicenum can. 24. vide etiam D. Tho. in addit. q. 37. ar. 2. vbi affert congruentiā huius numeri ordinum.

5. Quoad materiam horum ordinū; Dico, materiam remotam eſſe, rem tradendam ordinando, materiam autem proximam eſſe traditionem dictæ rei factam ab Epiſcopo cum debita forma verborum; ita communiter omnes; vt Vaſq. diſp. 239. cap. 3. Filiuc. tract. 9. cap. 2. num. 29. & 30. & habetur in Cōcil. Florent. in inſtructione Armenorum, ſed dubium eſt circa Sacerdotium, quando nam conferatur, nempè, in traditione Calicis, & Patenæ cum pane, & vino; an in impoſitione manuum? Reſpondeo, Sacerdotium conferri in traditione Calicis cum Patena, &c. Quia etiā ſi poſt dicta ea verba Epiſcopus moriatur, Sacerdotium erit verè collatum; tam quoad conſecrandam Euchariſtiam, quam quoad abſoluendum à peccatis, ſi adfuerit,

rit, ſeu acceſſerit facultas iuriſdictionis; ita Sot. in 4 d. 24. q. 1. ar. 4. quē ſequitur Valēt. diſp. 9. q. 1. pun. 5. pag. 1968. Attamen contrariū puto probabilius, nempè, Sacerdotiū conferri tantum quoad poteſtatē ſacrificandi; ſed non abſoluendi; aliter fruſtra dicerentur in ordinatione illa verba: *Accipe poteſtatem remittendi peccata, &c.* & ita docet Suar. tom. 5. diſput. 42. ſect. 4. & 13. Bellarm. cap. 9. de ordine, Henriq. lib. 10. cap. 2. Bonac. diſp. 8. q. vnica pun. 3. num. 2. vbi citat Valent. ſed non benè; noſtram doctrinam tradit etiam Filiuc. tract. 9. cap. 2. num. 42. vbi ait, in tali caſu, Sacerdotem non eſſe perfectum; ſed adimplendam eſſe illam formam, quæ defuit in ordinatione, & nota, quod ſi Epiſcopus traderet tātum Calicem cum vino, vel Patenam cum Hoſtia, & proferret formam, licet, peccaret grauiter contra præceptum Eccleſiæ, validè tamen conferret ordinē; nec eſſet aliud neceſſarium, & validè poſſet talis Sacerdos in vtraq; materia conſecrare, vt Henriquez loco cit. cap. 6. num. 1. & Filiuc. eodem loco num. 43. & Bonac. num. 3.

10. Materia autem remota in ordine Diaconatus eſt liber Euāgeliorum, & materia proxima eſt ipſa libri traditio facta ab Epiſcopo cum debita forma verborum; ita ex communi opinione docet Henriq. cap. 8. vbi affert D. Thom. Bonau. Richar. & alios, ſequitur Bonac. diſp. 8. q. vnica pun. 3. num. 4. cum alijs; nec obijcies, tempore Apoſtolorum fuiſſe hunc ordinē traditum per ſolam manus impoſitionem. Nam reſpondetur, hoc fuiſſe conceſſum Apoſtolis ex peculiari facultate Chriſti; ſicut etiam, vt aliqui volunt, fuit illi conceſſum, vt baptizarent in nomine Chriſti; non tamen ex hoc ſequitur, quod forma ab Eccleſia in dictis Sacramentis tradita, non ſit eſſentialis, cū fuerit tradita ab Apoſtolis ex Chriſti inſtitutione; vt reſpondet Valent. diſput. 9. q. 1. pag. 1960. vel vt meliùs dicamus, Chriſtus non inſtituit vnicā omninò materiam ordinis; ſed Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus contuliſſe, credendum eſt, poteſtatem conferendi ordines per traditionem inſtrumentorum, quibus indicatur poteſtas, quæ traditur ordinatis; Vnde in traditione primæ materiæ imprimitur character, in traditione ſecundę extenditur idem character ad id; quod ordinato ſignificatur per formam verborum, Henriq. lib. 10. cap. 16. & 26. Suar. tom. 3. diſp. 11. ſect. 3. Filiuc. tract. 8. cap. 2. nu. 46. ex D. Thom. Sot. Durand. & alijs.

11. Materiam verò remotā Subdiaconatus, dico eſſe Calicem vacuum cum Patena, & materiam proximam eſſe traditionem eorumdem ab Epiſcopo factam cum debita forma verborum: ita D. Thom. in 4. diſt. 25. qu. 1. art. 1. ad 2. Richard. Palud. & alij diſt. 24. quos ſequitur Valentia diſ. 9. q. 1. pag. 1970. & patet ex Concilio Florent. in principio cit. Non tamen eſt neceſſe, vt Calix, & Patena ſint conſecrati, quia ſicut validè poteſt cōfici Sacramentū Euchariſtiæ in Calice nō conſecrato; multo magis Sacramentum ordinis, ita Henriq. lib. 10. cap. 5. in comment. litera F, & cap. 8. num. 3. Bonac. diſput. 8. quæſt. vnica punct. 3. nu. 5. ex Soto, Ledeſma, Emanuel Sà, Filiuc. & alijs. Addit tamen Filiuc. in loc. cit. nu. 45. materiam Subdiaconi conſiſtere etiam in traditione libri Epiſtolarū non primariò, ſed ſecundariò, & licet, de hoc Concilia nō loquantur; tamen reſpōdet, Concilia id omiſiſſe, quia egerunt tātum de materia neceſſaria, & idem dicit Bonac. loc. cit. quod puto verum ex communi vſu Eccleſiæ, character tamen imprimitur in prima traditione Calicis, & in traditione libri poſtea contenditur ad illud etiam officium legendi Epiſtolam iuxta dicta num. antecedenti.

12. Circa materiam aliorum ordinū, non eſt quæſtio; nam Acoliti ordinantur in traditione vrceolorū vacuorum; Exorciſtæ in traditione libri exorciſmorum; Lectores in traditione libri lectionum; Oſtiarij in traditione cymbali, clauium ad aperiendam, & claudendam Eccleſiam, ſub certis formis verborum; vt habetur in Concil. Florent. Valent. diſp. 9. q. 1. pag. 1971. neque obſtat, non conſtare his materijs Chriſtum inſtituiſſe hos ordines, nā neque Chriſtus inſtituit Diaconatum per traditionem libri Euangeliorum, quæ nō adhuc erant condita; & tamen per dictum librū Eccleſia tradit dictū ordinē ex poteſtate ſibi relicta à Chriſto; vt diximus n. 10.

Quan-

Digitized by Google

13. Quando autem conferatur ordo Epiſcopatus, vel quænam ſit materia ipſius? Reſpondeo, dictum ordinem conferri hoc modo; primò, tres Epiſcopi ordinando, manus imponunt, dicendo. *Accipe Spiritum Sanctum.* Secundò vngunt capud, & manus oleo benedicto, & chriſmate; tertiò traditur ei baculus, dicendo, *Accipe baculum paſtoralis officij*; quartò immittitur annulus, dicendo. *Accipe annulum fidei; ſcilicet ſignaculum*, &c. quintò traditur liber Euangeliorum; dicendo, *Accipe Euangelium, & vade prædica populo tibi commiſſo*, &c. Tamen per primam manuum impoſitionem, traditur poteſtas Epiſcopalis; & hæc dicitur materia huius ordinis; vt ſumitur ex 1. ad Tim. 4. & Act. 6. Aliæ autem cæremoniæ adduntur ad explicanda munera Epiſcopi; nam cum ad plura munera eligatur, per plures materias, & formas ſignificari debent; ita Bonac. diſp. 8. q. vnica punct. 3. num. 10. & Filiuc. tract. 9. cap. 2. num. 40. & 41. & probatur ex Concilio Tridentino ſeſs. 14. cap. 3. vbi declarans miniſtros Extremę vnctionis, ait. Proprios huius Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ Presbyteros, quo nomine eo loco, non ætate ſeniores, aut primiores in populo intelligendi veniunt; ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes, ab ipſis ritè ordinati, per impoſitionem manuum presbyteri, vide Filiuc. loc. cit.

14. Sed dubium eſt, vtrum quando dictæ ordinum materiæ porriguntur ab Epiſcopo, debeant phiſicè tangi ab ordinandis; an tantum moraliter, nempe, vt quis extendat manum, licet, verè non tãgat? phiſicè dictas materias eſſe tangendas ab ordinandis, docet Valentia to. 4. diſp. 9. q. 1. pag. 1972. & idem docet Caiet. to. 1. opuſcul. tr. 11. ſed in Summa ver. ordinandi, contrarium videtur ſentire idem cum Valentia ſentit D. Thom. in addit. q. 34. art. 5. ad 3. & hanc opinionem probabiliorem vocat Filiucc. tract. 9. cap. 2. nu. 35. cum alijs, & dictam ſententiã tanquam communem docet Bonac. diſp. 8. q. vnic. pun. 3. num. 11. & huic opinioni tanquam tutiori, & communiori adhæreo; & patet veritas huius doctrinæ ex vniuerſali vſu Eccleſiæ, contra quem agere, eſſet ſaltem mortale; poſito etiam quod eſſet validè facta collatio ordinis, patet etiam prima opinio ex omnibus Sacramentis habentibus materiam, quæ non ſuſcipiuntur niſi per contactum materiæ; vt in baptiſmo, confirmatione, extrema vnctione, &c. Sot. autem in 4. d. 24. q. 1. art. 2. putat non eſſe ità neceſſarium cõtactum materiæ, vt ſi omittatur, ordinatio nulla ſit, idem docet Henriq. lib. 10. cap. 10. & multi alij, vt referunt Doctores citati; quapropter non puto hãc opinionem eſſe improbabilem; non eſt autem ſcrupuloſè procedẽdum in tali tactu; nam ſufficit, vt tactus, & forma verborum, ſint ſimul moraliter, ideſt, vt ſaltem ſtatim poſt formam fiat tactus, vt docet Valentia loc. cit. ex Sot. eodem loc. imò poteſt Epiſcopus poſt ſemel pronunciatam formam, materiam tangendam tradere ordinatis, vt docet Fornarius de ordinatione cap. 2. nu. 5. & approbat Bonac. diſp. 8. q. vnic. pu. 3. num. 13. ex eo, quod ità fuiſſe deciſum in quadam Congregatione, referat dictus Fornarius; ſed à communi praxi, & Eccleſiæ vſu non puto poſſe aliquem recedere, ſine graui culpa ſaltem.

15. Vtrum autem tactus dictarum materiarum ſit eſſentialis ad ordines ex parte conferentis illos? Reſpondeo affirmatiuè reſpectu collationis ordinum maiorum; vt ſumitur ex cap. Subdiaconus diſt. 23. vbi licet, id tantum affirmetur de Subdiacono, à fortiori affirmari etiam debet de alijs; & ratio eſt, quia aliter forma non pronunciaretur cum veritate; nam dum Epiſcopus dicit, *Accipe* &c. aliquid ſignificat ſe daturum; & ideò eſt etiam neceſſarius tactus ordinantis, vt demonſtret acceptationem rei traditæ; & debet eſſe ſimul, vt forma cum veritate dicatur. Suarez tom. 5. diſp. 42. ſect. 3. num. 12. & idem docet D. Thom. in 4. d. 25. q. 1. nu. 1. ad 2. Reſpectu verò collationis Ordinum Minorum, olim non erat neceſſarius talis tactus Epiſcopi; ſed Archidiaconus dictorũ Ordinum materiam tangebat de mandato Epiſcopi, & ordinandis porrigebat; vt habetur in cap. Acolythos diſt. 23. Nunc autem id per ſe facit Epiſcopus; vt habetur in Pontificali Romano; & hic ritus tutior eſt; imò ſi aliter eſſẽt dicti ordines col-

lati,

Digitized by Google

lati, deberent ſub conditione reiterari, quia probabiliter præſumitur non fuiſſe benè collatos, ita Filiuc.tr.9.cap.2. num. 33.ex Hériq.& alijs; ratio autẽ huius probabilitatis eſt, quia Eccleſia (iuxta tradita ſupra num.10.& 12. circa finem) poſſet ſtatuere, vt ordines, non conferantur, niſi ſub tali ſigno ſenſibili, aliter non ſint collati. Nam Chriſtus pro materia ſingulorũ ordinum, nullã determinauit materiã particularem, ſed pro ordine in cõmuni determinauit tantum in genere, aliquod ſignum ſenſibile ſignificatiuum poteſtatis, quæ traditur, & per verba hoc ipſum exprimentia; vt patet ex cap. Presbyter de Sacram. non iterand. vbi Innoc. Pontifex hanc ſententiam ſupponit; & ita Bellarm. tom.2. lib. vnico de Sacram. Ordinis cap. 9.in fine; & ex P. Archudio de concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis in Sacramentorum adminiſtratione lib.6.ca.4. vbi aſſerit, eſſe ſententiam doctiſſimorum virorum, de quibus videndus eſt Ioan.de Lugo de Sacram. in genere diſp. 2. Et ex eo, quod Epiſcopi Græci etiam Catholici, & qui Romæ degunt, vt ipſe Io:de Lugo ſe vidiſſe teſtatur, per ſolam manus impoſitionem Sacerdotes ordinant, dicente Epiſcopo. *Diuina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet, creat ſeu promouet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum; oremus igitur pro eo.* Eccleſia tamen Latina eundem ordinem confert per exibitionem panis, & vini cum alijs verbis, quamuis olim per ſolam manus impoſitionem, collatum fuerit ſacerdotium: idem cõtingit in collatione Diaconatus per impoſitionem manus apud Græcos, & per traditionem libri Euangeliorum apud Latinos cum forma illis correſpondente, vt habetur ex decreto Eugenij VI.ad Armenos in Concilio Florentino; accedit Gregorius IX. qui in prædicto cap.Presbyter expreſsè dicit, manus impoſitionem, qua Sacerdotes ordinantur, eſſe ritum ab Apoſtolis introductum, nec eſſe reordinandũ Diaconum, nec Presbyterum, ſi manus impoſitionem non receperint; ſed tantum cautè ſupplendum, quod per errorem fuit prætermiſſum; ergo non fuit manus impoſitio inſtituta à Chriſto, nec pertinet ad validitatem Sacramenti, quia aliàs non ſufficeret poſt tres menſes, v.g. vel aliud tempus, abſq; formæ repetitione, illam adhibere. Ex quibus ſequitur, id, quod diximus, nempe, Eccleſiam potuiſſe, & poſſe determinare, vt ordines conferri validè non poſſint, niſi ſub tali ſigno ſenſibili, vide etiam, quæ diximus nu. 10.& 12.

16. Quoad formam neceſſariam in collatione ordinum; dico eſſe illam, quam profert Epiſcopus in traditione materiæ vniuſcuiuſque ordinis; & de forma ordinis Epiſcopatus iam diximus in num. 13. forma autem, qua ordinantur Sacerdotes; ſunt illa verba. *Accipe poteſtatem conſecrandi corpus, & ſanguinem*, &c. in alia verò forma, quæ ſimiliter dicitur in ordinatione; nempe *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. datur poteſtas abſoluendi à peccatis; licet, Chriſtus ordinauerit Apoſtolos illis verbis Luc.22. *Hoc facite in meam commemorationem*; Et poſteà tradidit illis poteſtatem abſoluendi à peccatis in illis verbis Io.20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. Vt colligitur ex Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. & can.2. & ſeſſ.14. cap. 1. & ſeſſ. 23. cap. 1. Forma Diaconatus eſt. *Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei*; Et in his verbis confertur ordo, & imprimitur character; ſed ante hanc formam dicitur etiam eis. *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus eius.* Forma Subdiaconatus; conſiſtit in verbis, quæ profert Epiſcopus in porrectione calicis vacui, & patenæ: ibi enim confertur ordo, vt diximus num. 11. Forma pro Acolytho eſt. *Accipite vrceolum ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti*, &c. Ad Exorciſtam dicitur. *Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue cathecumenos.* Ad Lectorem dicitur. *Accipite, & eſtote Verbi Dei Relatores*, &c. Ad Oſtiarium dicitur. *Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro ijs rebus, quæ his clauibus recluduntur.* Vt habetur in Pontificali Romano.

De eſ-

De effectibus Sacramenti Ordinis, ac de eius Miniſtro, & ſuſcipiente. Cap. LXVI.

1 *Effectus ordinis ſunt gratia, & character.*
2 *Solus Epiſcopus eſt miniſter Sacramenti Ordinis.*
3 *Reſpondetur ad quandam obiectionem hæreticorum.*
4 *Cardinales Presbyteri poſſunt conferre quatuor minores.*
5 *Epiſcopus ordinatur à tribus Epiſcopis, validè tamen ordinari poteſt etiam ab vno, vel duobus.*
6 *Preſbyteri poſſunt de auctoritate Pontificis, quatuor minores conferre, ſicut Abbates, &c. & Epiſcopi poſſunt ordinare ſuos familiares non ſubditos.*
7 *Epiſcopus proprius eſt ille, vbi ordinandus eſt natus, vel habet domicilium, aut beneficium.*
8 *Literæ dimiſſoriæ non extinguntur morte concedentis.*
9 *Omnis maſculus baptiZatus, licet, puer, eſt capax ordinis.*
10 *Fœmina, Hermaphroditus, & alij ordinari non poſſunt.*
11 *Iure humano multi ſunt inhabiles ad ordines.*
12 *Alij ſunt inhabiles ex defectu libertatis.*
13 *Alij ſunt inhabiles ex delicto; vt homicidæ, &c.*
14 *Multæ conditiones numerantur, quæ requiruntur in ordinando.*
15 *Pro diſpenſatione interſtitiorum in ordinibus ſacris requiritur aliqua cauſa.*
16 *Ordinandus debet eſſe confirmatus, debet habere decentem ætatem, &c.*
17 *Accipiens Ordines ab alieno Epiſcopo in multas incidit pœnas.*
18 *Tam ſuſcipiens, quam conferens ordines ficto patrimonio, in pœnam ſuſpenſionis incidunt.*
19 *Declaratur quodnam dicatur fictum patrimonium, & an ordinatus poſſit illud retrocedere.*

1 PRimus effectus Sacramẽti Ordinis, eſt gratia, prout datur in omnibus Sacramentis ex opere operato, præter gratiam ſacramentalem, quæ ſimiliter datur in vnoquoq; Sacramento, vt diximus de Sacramentis in genere, ſecundus effectus eſt character, qui datur in vnoquoq; ordine, cum vnumquodque ſit Sacramentum, & habeat ſpecialem poteſtatem, vt diximus, & quod dictus character detur in ordinibus maioribus, de fide eſt certum definitum in Concil. Trid. ſeſſ. 23. can. 4. his verbis. *Si quis dixerit, per ſacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere. Accipe Spiritum Sanctum, aut per eum non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, laicum rurſus fieri poſſe, anathema ſit.* De Diacono patet etiam ex Act. 6. & 1. Thimoth. 4. De Subdiacono ex can. 43. Apoſtolorum: & idem eſt dicendum de ordinibus minoribus D. Thom. in add. q. 35. artic. 1. ad 3. Henriq. cap. 14. in lit. S. Filiucc. tr. 9. cap. 3. nu. 53. Valẽt. diſ. 9. q. 2. & alij, & ratio eſt, quia character eſt ſpiritualis poteſtas indelebilis ad exercenda Eccleſiaſtica miniſteria ordinum; & in dictis omnibus ordinibus datur talis poteſtas, ergo & character, vt probat Valent. loc. cit. & alij communiter; Ex quo ſequitur, dictos ordines, tam ſacros, quam minores non poſſe iterari; quod ſi quis iteraret, mortaliter peccaret, non tamen eſſet irregularis; quia talis pœna non eſt in iure expreſſa, ſicut eſt in Baptiſmo vt Filiucc. num. 56. ex Henriq. vt ſupra lit. N. quando autem conferatur talis character? Reſpondeo, in prolatione formæ eſſentialis factæ ab Epiſcopo modo ſupradicto, cum debita rerum, ſeu inſtrumentorum porrectiooe, vt explicauimus.

2. Quis autem ſit miniſter Sacramenti Ordinis? Reſpondeo eſſe ſolum Epiſcopum, vt conſtat ex Concilio Trident. ſeſſ. 23. can. 7. contra Lutherum & Caluinum aſſerentes poteſtatem ordinandi propriè conſiſtere in voce, ſeu electione populi, populum autem ſolere remittere hoc miniſterium Epiſcopis ad tollendam confuſionem, & rumorem populi; quæ opinio, quàm ſit falſa, patet ex Actor. 6. 2. Timoth.

1. Tit.

Digitized by Google

1. Tit. 1. 1. Thimoth. 3. & 3. vbi Apoſtolus ait. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuũ Presbyterij*, quem locum Chryſoſtom. & alij Patres interpretando, dicunt, illud nomen Presbyterij ſignificare numerum quemdam Epiſcoporum, qui conuenerunt ad Timotheum ordinandum; & ſubdit Chryſoſtom. *Non de Presbyteris hic loquimur, nec enim profectò Presbyteri ipſum ordinarunt*; Et talis modus ordinandi patet etiam ex Veteri Teſtamento; nam Aaron, & Filij eius, qui fuerunt primi Sacerdotes, fuerunt ordinati à Moyſe, qui fuit Sacerdos, & Pontifex, vt patet ex Pſalm. 98. & ibi id affirmat Pater Auguſtinus, & Phylo lib. 3. de vita Moyſis in fine, & cæteri Patres. Patet etiam noſtra doctrina ex verbis Chriſti. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Tibi dabo claues Regni Cælorum, &c. Et paſce oues meas*. Et denique hoc patet ex antiquo vſu Eccleſiæ; nam Auguſtinus Monachus fuit deſignatus Anglorum Epiſcopus à Diuo Gregorio, abſque vllo Anglorum conſenſu, aut poſtulatione vt refert Beda li. 1. de hiſtor. gentis Anglorum; Diuus Paulinus Frater D. Hieronymi, à D. Epiphanio Presbyter creatus eſt, vt ait ipſe Epiphanius Epiſt. ad Io. Hieroſolymitanum, Frumentius fuit etiam creatus Epiſcopus Indorum à S. Anaſtaſio, vt refert Ruffinus lib. 10. hiſtor. c. 9. & alij paſſim. Imò in Concil. Laodiceno can. 13. fuit prohibitum ne miniſtri eligerentur à populis, his verbis. *Non eſt permittendum turbis electionem eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium promouendi*. & in 7. Synodo general. quæ eſt Nicena 2. can. 3. ſic dicitur. *Omnis Electio Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, quæ fit à Magiſtratibus, irrita maneat: Oportet enim eum, qui eſt promouendus, ab Epiſcopis elegi*: & in Synodo 8. quæ eſt. 4. Conſtantinopolitana ſic habetur. *Nullam poteſtatem in electione competere vllis ſecularibus*. Ex quibus omnibus conſtat, nullo modo poſſe hanc poteſtatem ordinandi; imò neque eligendi miniſtros, competere ſecularibus: Et, licet, aliquando fuerit talis Electio populis conceſſa; tamen quia multa incommoda, ſeditiones, & cædes ſæpè ſuccedebant, vt refert Pater Auguſtinus Epiſt. 110. & 225. & Ruuin. lib. 10. hiſtor. c. 10. & 11. fuit etiam talis electio ſublata ab Honorio III. in cap. Meſſana extra de elect.

3. Multa obijciunt hæretici contra hanc doctrinam, & præcipuè contrarium nituntur probare ex verbis Cyprian. lib. 1. Epiſt. 4. vbi ſic ait. *Quod ipſum videmus de diuina authoritate deſcendere, vt Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio, atque teſtimonio comprobetur*. Et Reſpondetur per hæc verba ſignificare Cyprianum, bonum, & conſentaneum eſſe, vt Sacerdotes non eligantur, niſi habeant certum, & publicum teſtimonium: Sed non ex hoc ſequitur, quod Sacerdotes per talem electionem, ſeu publicum teſtimoniũ erant ordinati; nam etiam in præſenti quodammodo populus habet hanc poteſtatem; & ad hunc finem Archidiaconus in ordinatione clamat, ſi quis habet aliquid contra ordinandos accedat, &c. Et neque vllus ad ordines admittitur ſine idonea informatione; & idem eſt, id quod dicit Cyprian. vt in dicta Epiſt. clarè videtur.

4. Eſt tamen notandum, ex quadam Pontificis conceſſione, poſſe Cardinales Presbyteros conferre quatuor ordines minores, vt patet ex conſuetudine, quæ eſt optima interpretatio, vt loquitur Sot. in 4. d. 25. q. 1. art. 1. & Valent. diſp. 9. quæſt. 3. punct. 3. idem poſſunt etiam Abbates, vt conſtat ex diſt. 69. can. quoniam; & extra de ætate, & qualit. Ordinand. cap. cum contingat; in quo cap. & Hoſtienſ. & Panorm. in cap. quanto extra de conſuetudinibus, putant etiam ſimplicem Sacerdotem poſſe conferre primam tonſurã, quod falſum eſſe oſtendit cõtraria conſuetudo; vt rectè aſſerit Sot. & Valent. loc. cit.

5. Eſt ſimiliter notandum, ordinem Epiſcopatus conferri, à tribus Epiſcopis, aliter non ritè dictus ordo eſſet collatus, vt patet ex Apoſtolica traditione, & habetur in can. 1. Apoſtolorum; Poteſt tamen Papa diſpenſare, & ſi abſq. Papę conſenſu, cõſecratio fieret ab vno, vel duobus, licet, valida eſſet; conſecratus autem non poſſet recipere iuriſdictionem, nec exercere ordinem, vt Filiucc. tract. 9. cap. 5. nu. 106.

de

de Sacram.Ordinis. Alios ordines confert Epiſcopus, qui vt dignè adminiſtret, debet eſſe abſque culpa graui; licet, validè conferret, etiam ſi eſſet excommunicatus, hæreticus, &c. vt docet Diuus Thom. 3. p.q.38.add.art.2.& Sot.loc.cit. Notant tamen ijdem Doctores, ordinatum ſcienter ab Epiſcopo aliqua cenſura notato; aut per ſimoniam, non ſolum mortaliter peccare, ſed etiam irregularitatem incurrere; quod docet etiam Nauarr.in Manuali. c. 27.num.241.& ſeqq.

6. Item eſt notandum, poſſe ſimplicē Sacerdotem conferre ordines minores, de ordine, & mandato Summi Pontificis; vt iam conceſſum eſt Abbatibus, vt ſupra; &docet D.Thom.loc.cit.art.1.Epiſcopum autem non Sacerdotem non poſſe ordines conferre, quia conferre ordines eſt actus ordinis, & ideò, qui caret ordine non poteſt ordines conferre Sylu.verb.ordo.2.n. 1.&ordo 3.q.1.nullo tamen modo poſſunt Epiſcopi facultatem concedere alijs non Epiſcopis conferendi ordines. Nam talis facultas eſt tantum pręſtanda ab Epiſcopo propriæ Diœceſis, etiam quod primā tonſuram, ſcilicet vt ordines poſſint conferri ab alijs Epiſcopis, vt docet Leſſ.lib.2. cap. 44.dub.19.num.92. & conſtat ex cap. eos, qui de temporibus ordinationum in 6. & ex Trid.ſeſſ.23.can.7. Poſſunt tamen Epiſcopi conferre ordines ſuis familiaribus non ſubditis, qui per triennium commorati ſint cū ipſis Epiſcopis, dummodo Epiſcopi ſtatim conferant etiam beneficium, vt conſtat ex Concil. Trident. ſeſſ.23.c.9. docet Suar.de cenſur. diſp.31. ſect.1. n.15. & alij communiter, quos refert Bonacc. de Sacramento Ordinis, diſp.8. qu. vnica pun.4. num.15. & ſeqq. vbi obſeruat hoc non habere locum in quocunq; familiari, ſed in eo, qui aſſiſtit circa obſequia ipſius Epiſcopi, nam illi, qui remotè in alio loco diſtanti inſeruit Epiſcopo, non poteſt Epiſcopus ordines conferre, quia ratio dicti priuilegij eſt ex eo, quod Epiſcopus in tali temporis ſpatio ritè poterit cognoſcere mores ſui familiaris; quod non poteſt verificari de familiari abſenti.

7. Quis autem dicatur Epiſcopus propriæ Diœceſis, vt quis poſſit ab illo ordines accipere? Reſpondeo eſſe illum, in cuius Diœceſi quis natus eſt, vel habet Domicilium, aut beneficium; ille tamen dicitur natus in aliqua Diœceſi reſpectu ordinis ſuſcipiendi, qui ibi habet parentes, ibi habentes domicilium, ſecùs de illo, qui ibi natus eſſet occaſione itineris, vel negotij, aut officij ad aliquod tempus duraturi; vt probat Vaſq.3.p.diſp.243.n.46. Ille autem dicitur ſubditus Domicilij, qui in aliqua Diœceſi ita habitat, vt habeat animum ibi ſemper manendi, quod in foro externo non præſumitur, niſi quis ibi per decennium manſerit li.2. C.de Incolis lib.10.vel niſi ibi domum ædificauerit, aut emit, vel maiorem partem bonorū aſportauerit: vt Menochius de Arbitrarijs l.2. centuria 1.caſu 86. Quaranta ver. ordo.§. circa tertium; & alij multi quos ſequitur Bonac.loc.cit.num.12. Ille ſimiliter dicitur eſſe alicuius Diœceſis, in qua habet beneficium, & maximè reſidentiale; licet ex diſpenſatione non reſideat, & licet, beneficium tenue ſit. Secùs ſi beneficium non fuerit reſidentiale, & tenue, ita vt beneficiario non ſufficiat ad victum; vt docet idem Bonac.n.14. ex Henriq. lib.10. c.24. n.1.in cōmentario, &Quaranta verb.ordo verſ.circa ſecund. & idem etiam eſt dicendum reſpectu conceſſionis literarū dimiſſorialium; nam vel proprius Epiſcop.vel eius Vicarius in eius abſentia, illas concedere poſſunt, vt patet ex Concil.Trid.ſeſſ. 23.cap.10. Et nota, quod ordinatus iam à proprio Epiſcopo, vt ſupra, non poſſit poſtea ab alio Epiſcopo ordinari ad alios ordines, etiam ſi alibi transferat domiciliū; quia iam factus eſt ſubditus primi Epiſcopi, ita Quaranta verbo Ordo: Riccius in praxi deciſ.306.Bonac.num.20. & alij nota etiam, habentes beneficia in pluribus Epiſcopatibus: poſſe ordines, vel dimiſſorias accipere à quolibet ex dictis Epiſcopis. Barboſ.alleg.4.num.5,& Gauant.ver. Ordo num. 11.

8. Vtrum autem literæ dimiſſoriæ extinguantur per mortem concedentis, & an illas concedere poſſit Capitulū ſede vacante? Reſpondeo validas eſſe dictas literas, etiam poſt mortem concedentis; quia conceduntur tanquam gratia, quæ non expi-

rat morte concedentis. Quoad ſecundum; in duobus caſibus eſt permiſſum capitulo ſede vacante, vt dictas literas concedere poſſit, primus eſt, quando per annum Epiſcopatus vacauit, ſecundus quando quis amitteret beneficium, niſi in tali tempore ordinaretur ex Triden. ſeſſ. 7. cap. 10. Suar. tom. 5. diſputat. 31. ſect. 1. num. 20. & alij communiter.

9. Quoad ſuſcipientem, Dico, omnẽ maſculum baptizatum eſse capacem ordinum, licet, puerum, vel carentem vſum rationis; ita D. Thom in add. q. 39. artic. 2. Sot. d. 25. q. 1. artic. 2. & omnes alij præter Durand. diſt. 25. q. 2. aſserentem, puero, ſi conferatur ordo; eſse nullũ ex eo, quod requiratur intentio ſuſcipientis; ad quam rationem optimè reſpondet Sot. in tali caſu adeſse intentionem Eccleſiæ, quæ reputatur intentio interpretatiua ſuſcipientis; vel vt melius dicamus cum D. Thoma; in Sacramento conſiſtente in actu aliquo requiri intentionem ſuſcipientis, vt eſt in matrimonio, quod conſiſtit in contractu, & ideò in eo requiritur omninò intentio contrahentis, at in Sacramento Ordinis datur potentia ad exercendos actus ordinis, ſicut in baptiſmo datur potentia ad ſuſcipienda alia Sacramenta, & ideò non requiritur voluntas ſuſcipientis; ſed ſufficiet, vt non ſit contraria. Dixi omnem maſculum; quia fœminæ ordinari nõ poſſunt; vt probat D. Thom. loc. cit. art. 1. & omnes alij contra errorem Cataphrigarũ, qui mulieres ſolent ordinare, vt refert Gloſs. in can. Diaconiſſam 27. q. 1. vide Sot. loc. cit. q. 2. Et quamuis olim dabantur dictæ Diaconiſſæ, nunquam tamen ordinabantur, vt iam in dicto can. prohibentur ordinari; ſed dicebantur Diaconiſſæ, quatenus quedã probatæ fœminæ peculiariter determinabantur ad inſtruendas fœminas catechumenas.

10. Vnde juxta communem opinionem, in primis fœminæ ordinari non poſſunt; Secundò nec ſimiliter Hermaphroditus ſi habeat ſexum fœmineum, & poſſit eſſe vxor; ſi autem ita incaleſcat in virum, vt poſſet eſſe maritus, licet, ſit habilis, tamen ordinari non debet, quia eſt monſtrum, vt Nauarr. c. 27. num. 203. ex cap. illiteratus d. 36. & cap. fin. d. 49. Tertiò, non baptizati nec poſſunt ordinari. Quartò Inuiti, nec ſimiliter ordinari poſſunt, ex cap. Presbyteros d. 50. c. Mulieres de baptiſmo; voluntas autem extorta per metum, ſufficiens eſt ad Sacramentum, & pro obſeruantia eorum, quæ iure diuino annexa ſunt Sacramento; ad votum autem caſtitatis non ſufficit, ſi metus ſit cadens in conſtantem virum; vt Sot. d. 25. q. 1. art. 2. Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 29. nu. 5. cum multis alijs apud ipſos; nam votum pendet ex voluntate non coacta; imò iuxta doctrinam Henriq. cap. 14. §. 3. lit. 2. Inuitus ordinatus ex timore cadente in conſtantem virum, poſſet contrahere matrimonium ſine diſpenſatione, vt Nauarr. c. 22. num. 51. & vti iam contracto, ſequitur Filiuc. tract. 9. c. 4. num. 74. in fin. Quod ſi hic obiter quæras, an Hermaphroditus ordinatus in Sacerdotem, eò quod in eo præualeret ſexus virilis, ſi poſtea erumpat in fœminam, poſſit nihilominus validè conſecrare? Reſpondeo videri non poſſe: & ratio eſt quod, quamuis retineat characterem indelebilem, hic tamen non dat poteſtatẽ in ordine ad corpus fœmineum, ſed virile; non ſecùs ac profeſſio facta ab hermaphrodito in religione virorum, non obligat profitentem caſu, quo mutetur in fœminam, & è contra ita Eminentiſſimus Cardin. de Lugo in terminis reſpondit P. Franciſco Pellizzario Societat. Ieſu mihi amiciſſimo per literas ab ipſo requiſitus.

11. Iure humano multi etiam ſunt inhabiles ad ordines; primò ſunt irregulares, quorũ aliqui dicuntur tales ſine peccato, & alio nomine ſolent vocari inhabiles; & ſunt bigami, illegitimi, deformes, carentes aliquo corporis membro, & non habentes legitimam ætatem; alij ſunt inhabiles reſpectu animi; vt ſunt illiterati. Nam ad primam tonſuram requiritur vt quis ſciat legere, & ſcribere, & prima fidei rudimenta. Ad minores requiritur bonum teſtimoniũ à Parocho, & à Magiſtro ſcholæ ex Trid. ſeſs. 23. cap. 4. & 11. vbi dicitur, eſſe neceſſarium, vt ſuſcipiens dictos ordines intelligat linguam latinam, & ſimiliter, qui ſuſcipit duos primos ordines maiores, vt benè intelligat, quæ legit, &

ſciat

ſciat ea, quæ pertinent ad officia dictorum ordinum. Ad Presbyteratũ requiritur etiã, vt ſciat docere populum ea, quæ ſunt neceſſaria ad vitam Chriſtianam; vt præcepta Decalogi, Symbolum, &c. & vt etiã ſciat neceſſaria pro adminiſtratione Sacramentorum; vt Concil. Trid. ſeſſ. 23. ca. 14. & ſi fuerit curatus, debet habere alias conditiones neceſſarias ad Confeſſarium, vt diximus ſupra de pœnit. Item Neophyti in fide, filij hæreticorum, & eorum fautorum, & ſimiles nec ordinari poſſunt, vide Nauarr. cap. 27. num. 205.

12. Alij ſunt inhabiles ex defectu libertatis; vt ſunt ſerui, ſeu mancipia, niſi Dominus illos manumittat, vel liberos faciat. Vxorati, niſi ſeparentur, & Vxor Religionem ingreſſa profeſſionem emiſerit. Item obligati ad ratiocinia c. vltim. de obligat. ad ratiocinia. Peregrini, niſi habeant literas dimiſſorias proprij Epiſcopi. Sunt etiam alij inhabiles ex defectu lenitatis; vt qui concurrunt ad necem alterius, vel ad abſciſſionem membri, licet iuſtè Nauarr. num. 206.

13. Sunt tamẽ alij irregulares ex delicto: vt ex homicidio voluntario, vel mutilatione; ad quod reducitur etiam homicidium culpabile, vide Nauarr. à nu. 219. Item infames ex delicto proprio, vel ratione publicæ pœnitentiæ; Item miniſtrantes in ordine, quem non habent; ſic etiam hæretici, vel eis credentes, ac eorum fautores: Item excommunicati, ſuſpenſi, &c. Vel ſuſcipientes ordines ab Epiſcopo excommunicato non tolerato; vel exercentes ordines cum cenſuris, fiunt irregulares: ſed de his omnibus dicemus fuſè ſuo loco, cum de irregularitate.

14. Sed quænam conditiones requirantur in ordinando? Reſpondeo, præter hoc, quod debeat eſſe maſculus, & baptizatus, vt diximus in num. 9. Septem aliæ conditiones requiri poſſunt; ſcilicet, literæ dimiſſoriæ à proprio Epiſcopo Originis, Domicilij, vel Beneficij, vel ab eius Vicario generali, vt ſupra diximus, & docet Henriq. lib. 10. c. 22. §. 3. vide n. ſupra in num. 8. Requiritur etiã examen coram Epiſcopo, ex cap. nullus, & c. final. d. 24. & ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 12. dicto examini ſubijciuntur omnes etiam regulares: niſi ſint notoriè digni ex Clem. 1. de iureiur. & iuxta dictum Concil. ſeſſ. 23. cap. 5. examinandi, triduo ante ſabbatum, ſunt præſentandi ante Epiſcopum, & debent examinari de vita, natalibus, moribus, & doctrina cap. 11. Tertiò requiritur titulus alicuius Eccleſiæ, vel beneficij, ex dicto Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. Requiritur etiam ſufficiens patrimoniũ, vel penſio ſufficiens ad victum. Regulares autem ordinantur ad titulum paupertatis, quã profeſſi ſunt; præter Patres Societatis Ieſu, qui etiam poſt vota ſimplicia, poſſunt ordinari ad titulum paupertatis ex priuilegio Gregorij XIII. Quartò requiritur, vt ordines ordinatim accipiantur, & licet, eſſent benè collati, ſi non ſeruaretur talis ordo, tamen peccatum mortale eſſet; præter Epiſcopatum, qui inualidè eſſet collatus non Sacerdoti. Quintò requiruntur temporum interſtitia; licet, Epiſcopus poſſit minores ſimul eodem die conferre; non tamen primam tonſuram, & minores ſimul, ſecluſa contraria conſuetudine; quæ iam viget in multis partibus. Nec poteſt conferre minores, vel aliquem ex illis cum Subdiaconatu, nec duos ordines ſacros ſimul abſq; Pontificis licentia ex cap. dilectus de temporibus ordinandorum, aliter ordinatus manet ſuſpenſus ab executione ordinum, donec per Pontificem abſoluatur, vt Suar. tom. 5. diſp. 31. ſect. 1. nu. 41. Sylueſt. verb. ordo 2. num. 7. ſuſcipiens autem minores non ſeruatis interſtitijs, nullã incurrit cenſuram, aut irregularitatem; vt idem Suar. num. 43. puto tamen mortaliter peccare contra præceptum Eccleſiæ, ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 11. Sextò ſunt ordines conferendi temporibus deſignatis; ſeptimò requiritur locus, ſcilicet, Eccleſia Cathedralis ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 8. vel alia Eccleſia prout Epiſcopus voluerit ex aliqua cauſa; & iuxta conſuetudinẽ; imò conferri poſſunt priuatim in domeſtica capella.

15. Et notandum circa conceſſionem interſtitiorum, poſſe Epiſcopum inter ordines minores pro ſuo libito diſpenſare; non autem eodem modo inter minores, & ſacrum ordinem Subdiaconatus; nam Cõcil.

cil. Trid. in hoc exigit neceſſitatem, aut Eccleſiæ vtilitatem; & ſimiliter inter Subdiaconatum, & Diaconatum; inter Diaconatum autem, & Presbyteratum exigit neceſſitatem, & vtilitatem ſimul; licet, nõ adeò ſtrictè puto eſſe accipiendam hanc neceſſitatem, & vtilitatem; ſed moraliter loquendo iuxta prudentiam Epiſcoporũ, attentis circumſtantijs temporis, loci, perſonæ, &c. vide Bonac. diſp. 8. q. vnica puncto 6. num. 2. vide etiam Concil. Trid. ſeſs. 23. cap. 11. 13. & 14. Tempore autem interdicti nullo modo ordines publicè conferri poſſunt, vt Nauar. cap. 27. num. 179. & Filiuc. tract. 9. cap. 5. in fine.

16. Vtrum autem ſuſcipiens ordines debeat eſſe etiam confirmatus? Reſpondeo affirmatiuè; ad ritè tamen illos ſuſcipiendum; nam validè quis ſuſcipit: quia character ordinis non neceſſariò ſupponit characterem cõfirmationis, ita Sot. d. 22. q. 2. art. 4. Conincho tom. 1. q. 72. art. 4. Imò aſſerũt dictum ſuſcipientem ordines, non peccare niſi venialiter: tamen ex altera parte videtur res grauis præcepta à Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 4. Requiritur etiam in ſuſcipiente legitima ætas: vt v. g. ad primam tonſuram, & minores requiritur ſaltem ætas ſeptem annorum; ad Subdiaconatum ætas annorum 22. inchoatorum, ad Diaconatum 23. & ad Sacerdotium vigintiquinque ſimiliter inchoatorũ, etiam ſi per medium tantum diem inchoati ſint iuxta bullam Pij II. quam refert Quaranta ver. Ordo in princ. & habetur in c. nullus de temporibus ordinandorum. Si quis autem mala fide ſuſciperet ordines ſacros ante dictam ætatẽ, remaneret ſuſpenſus ex prædicta bulla; Secùs ſi bona fide illos ſuſcepit; non poteſt tamen ordines exercere ante requiſitam ætatem, aliter mortaliter peccabit, ſed nullam cenſuram incurret, cum hæc non incurratur niſi ex ſuſpẽſione præcedente, quam quis non incurrit ſi bona fide procedit. Vide Bonac. diſt. 8. quæſt. vnic. pun. 5. num. 13. & quæ hic deſunt, nos infrà dicemus agendo de cenſuris.

17. Quæritur tamen, in quam pęnam incidat accipiens ordines ab alieno Epiſcopo? Reſpondeo, fieri incapacem beneficij, remanere ſuſpenſum; Carere priuilegio ordinis; & ordinationem eſſe irritam non quoad ſubſtantiam ordinis; Sed quoad exercitium eius, ex Trid. ſeſſ. 23. c. 8. de reform. vt autem fiat capax, & poſſit beneficium retinere; ſufficiet ratihabitio proprij Epiſcopi conſil. 24. & 25. de temporibus ordinationum; Leſſ. lib. 2. c. 24. dub. 19. nu. 94. ex ca. Salonitanæ diſt. 93. Suſpenſionem poteſt Epiſcopus auferre, ſi delictum fuerit occultum iuxta Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. Et quamuis Sixtus V. in quadam conſtitutione, quæ incipit Sanctum, & ſalutare ſibi hanc facultatem reſeruauerit; tamen poſtea Clemens VIII. in alia conſtitutione, quæ incipit, Romanum Pontificem decet, illam reduxit ad terminos Concilij Tridentini: vt Quaranta ver. Ordo verſ. Secundò limita; & verſ. Tertius caſus; Vtrum autem talis ſuſpenſio intelligatur etiam de conferente, & accipiente primam tonſuram? Et affirmatiuè reſpondet Leſſ. num. 91. & Azor. 2. p. lib. 3. c. 49. quæſt. 4. Tolet. verò lib. 1. c. 49. nu. 4. & alij putant non extendi ad primam tonſuram, quia in citatis iuribus eſt tantum ſermo de accipiente, & conferente ordines; quæ opinio non videtur improbabilis.

18. In quã autem pœnam incidat ſuſcipiẽs ordinem ſacrum ficto patrimonio? Sed prius ſciendum eſt, Epiſcopum ſcienter conferentem ordinem ſacrum ficto patrimonio, remanere ſuſpenſum per triennium ex Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. Vbi innouantur pœnæ iuris antiqui his verbis. *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innouando*: Qui canones ſunt in Decretis cap. neminem; & cap. Sanctorum diſt. 70. & in dictis Canon. imponitur dicta pœna, quoad ſuſcipientem autem, dico eſſe ſuſpenſum, vt conſtat ex d. c. Neminem his verbis. *Eos autem, qui abſolutè (id eſt ſine titulo) ordinantur, decreuit Sancta Synodus vacuam habere manus impoſitionem, & nullum tale factum valere ad iniuriam ipſius, qui eum ordinauit*. Vide Vaſq. 3. p. tom. 3. diſp. 146. n. 6. hanc pœnam Pius V. in bulla. Romanus Pontifex Sanctorum, ad Religioſos ante profeſſionem promotos abſque titulo: & exercentes ordines extendit, & irregulares efficit: & pœnam ſuſpenſionis vnius

anni

anni à collatione talium ordinum imponit Epiſcopis, Archiepiſcopis, aut Patriarchis dictos religioſos ante validam profeſſionem ordinantibus; Dico validam, quia dictæ pœnæ extenduntur etiam ad inualidè profeſſos iuxta declarationem ſacræ Congregationis, quas refert Garzia de beneficijs 2.p.c.5.num.10.& ſeqq. Nauarr.de regular.commen.4.num.72. verſ. non obſtat. Si autem ordinati fuerint Vltramontani; qui ſine debito titulo ordines ſuſciperent: ſunt perpetuo ſuſpenſi; vt dicitur in bulla Vrbani VIII. condita anno 1624. quæ incipit, ſecretis æternæ prouidentiæ. Vbi hæc verba notantur tã contra ordinatos, quam contra ordinantes. *Motu proprio, & ex certa ſciẽtia, ac matura deliberatione noſtris, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, venerabilibus Patribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, et Epiſcopis in Italia exiſtentibus, tenore præſentium prohibemus, nec quouis prætextu, & ex quacunq; cauſa Hiſpanos, Luſitanos, Gallos, vel Germanos, alioſq; quoſcunque vltramontanos, et ex quibuſuis locis extra Italiam oriundis non ſolum ad ſacros ordines; ſed neque etiam ad minores ordines, vel Clericalẽ characterem promouere audiant, ſeu præſumãt; niſi dimiſſoriales ſuorum ordinariorum literas à noſtris, & huius ſanctæ Sedis Nuncijs, ſeu Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & ſubſcriptas habeant eorundẽ Nunciorum, ſeu Collectorum ſubſcriptiones à dilecto filio noſtro in alma Vrbe Vicario in ſpiritualibus, Generali ſimiliter examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint; alias promouentes ad annum ab exercitio Pontificalium; promoti verò perpetuæ ſuſpẽſionis pænam abſq; ſpe diſpenſationis à Sede Apoſtolica, obtinenda incurrant eo ipſo. Inſuper promotos huiuſmodi, ac etiam eos, qui falſis, vel fictis, aut fiduciarijs patrimonij tituli ſcienter ſe ad Ordines huiuſmodi promoueri fecerint; non ſolum prædictis, verum etiam maioribus arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis infligendis pænis.*

19. Et nota ſuſcipientem Subdiaconatum abſq; vero titulo, & abſolutum à ſuſpenſione, quam incurrit ob dictam cauſam: ſi poſtea ſuſcipiat Diaconatũ, vel Presbyteratum abſque nouo titulo patrimonij, vel beneficij, iterum incidere in dictam ſuſpenſionem, quia Concilium Trident. dicta ſeſs.21.cap.1. prohibet, ne quis ad ſacros ordines promoueatur. Vnde non ex hoc, quod quis iam fuerit ordinatus ad Subdiaconatum, remanet abſolutus à procurãdo vero patrimonio pro alijs ordinibus; quod etiam declarauit S.Congregatio, vt ait Fornarius de ordine cap. 8. & alij plures, quos affert Bonac. de Sacram.ordin.diſp.8.q.vnic.punct.5. nu. 22. Et ſi quis ficto titulo obtineat literas dimiſſorias, vt recipiat ordines ab alio Epiſcopo, & cum effectu illos recipiat, incidet in duas ſuſpenſiones, vnam quia recipit ordines abſq; titulo, alteram, quia illos recipit abſq; literis dimiſſorijs; cum irritæ fuerint; vt Suar.tom.5.de cenſur. diſput.31.ſect.1. num. 36. & idem eſt dicendum probabiliter iuxta Bonac.loc.cit. nu. 23. ſi quis impetret licẽtiam à ſuo Epiſcopo recipiendi ab alio ordines ſacros ad titulum patrimonij ſibi donati, quod tamen ante ordinis ſuſceptionem renunciat donanti; nam primam incurrit ob licentiam, ſeu dimiſſorias inualidè, vtpote per dolũ obtentas, ſecundam, quia recipit ordines abſq; titulo, quia renunciatio facta ante ſuſceptione ordinis ſacri patrimonij ſibi donati, valida eſt, cum Concil.loc. citat. prohibeat tantum alienationem, vel renunciationem poſt ſuſceptos ordines ſacros; quod notat Suar. num. 37. & ſequitur Bonac.loc.cit.in fin. ſed vtrum valida ſit renunciatio patrimonij donati poſt ſuſceptos ordines, quamuis ordinatus non adhuc obtinuiſſet aliquod beneficium, vel patrimonium, quo viuere poſſet, vt loquitur dictum Concilium; & negatiuè reſpondet Nauarr. lib. 1. conſil. tit. 11. de tempor.ordinand.in 1.edit. conſil. 14. 16. & 41.& in 2.conſil.21.Molin.tom.1.de iuſtit.tr.2.diſp.238.in fin. Rodriq.2.to.sũmæ c.14.n.2.& 5.& alij, quos affert Sãch. li.6. de matrim.diſp.32.n.7. in fin. Ipſe autem in num.8.contrarium putat verius ſcilicet, non ſolum talem retrodonationem eſſe validam; ſed etiam ordinatum ad illam teneri, quia licet ſic donans iniquè egerit, & mereatur illa priuari, tamen cum hæc ſit pœna, requirit ſententia iudicis: & affert pro hac ſententia Cordub. ſumma quæſt. 32.§.reſpondeo, & Ludouic. Lop.1. p. inſtru.

Digitized by Google

ſtructorij c.240.& lib.2.de contr.c.45. tamen hæc opinio non placet, quia Concilium nullam mentionem facit de pena, in quam quis incurrere debeat ob talèm donationem;ſed tantum prohibet,& annullat omnem alienationem & ceſſionem faciendam per ordinatum abſque Epiſcopi licentia, vel antequam beneficium, vel patrimonium habeat, vnde ſibi ſic donans imputare debet, quod factus ſit impotens dictæ retroceſſionis, vel retrodonationis, vnde prima opinio videtur omninò vera, quam etiam ſequitur Bonac.loc. cit.num.25.cum multis alijs, & ex hac doctrina infert, talem ſic ordinatum non incurrere in ſuſpenſionẽ, quia iam eſt ordinatus cum vero patrimonio, quod retrocedere non poteſt,etiam ſi adfuerit pactũ illud reſtituendi, vel non fruendi fructibus, imò quamuis adeſſet iuramentum, eſſet enim reputandum tanquã quid turpè, vt Henriq.lib.13.cap.37.num.2.& Bonac.cum alijs num.26.

De quibuſdam annexis Sacramento Ordinis. Cap. LXVII.

1 *Vnctiones, quibus Eccleſia vtitur in Sacramento ordinis, ritè, & decenter ſiunt contra hæreticos.*

2 *Eccleſiaſtici rectè vocantur Clerici contra eoſdem hæreticos.*

3 *Clerici debent vti habitu, & tonſura.*

4 *Clerici ſunt exempti iure humano tã quoad perſonas, quam quoad bona,& controuerſias, & lites.*

5 *Probatur eadem doctrina multis Concilijs, & auctoritatibus.*

6 *Habentes ordines ſacros, tenentur ad obſeruandam legem cælibatus.*

7 *Prælati Regulares poſſunt concedere ſuis ſubditis dimiſſorias, vt à quocunq; Epiſcopo ordinari poſſint, dummodo Epiſcopus loci, ordinationes non faciat,alioquin in varias pœnas incident dicti Prælati.*

8 *Diſpẽſatio ſuper interſtitijs pertinet ad Epiſcopum, qui ordines confert, & annus cõputatur more Eccleſiaſtico, vt de vna quadrageſima in aliam.*

1 PRimò quæri poteſt, vtrum vnctiones, quibus Eccleſia vtitur in Sacramento ordinis, decenter, & ritè fiant? & negatiuè reſpondent hæretici; & ratio eſt, tum quia non ſunt iure diuino præceptæ, tum quia redolent modum Iudaicũ. Sed reſpondendum eſt, decenter, ritè, & magno cum myſterio Eccleſiam vti dictis vnctionibus, & de fide eſt iuxta Concil.Trident.ſeſſ.23.can.5. vbi ſic habetur. *Si quis dixerit, Sacram Vnctionem, qua Eccleſia in ſancta ordinatione vtitur, non tantum non requiri, ſed contemnendam,& pernicioſam eſſe, ſimiliter & alias ordinis Cæremonias, anathema ſit.* Et quamuis etiam in Veteri Teſtamento dictæ ordinationes erant in vſu, tamen tunc fiebant ad ſignificanda myſteria futura. At ad præſens ſignificant vbertatem gratiæ,quæ datur per Sacramenta. Vnde Cyprianus tract. de operibus Chriſti Cardinalibus ſerm. de Cœna Domini ſic ait. *Mortuus eſt Moyſes, & veteris literæ putruerunt ænigmata, à facie noui olei deſiccatæ ſunt Vnctiones antiquæ.* Et harum Vnctionum dignitatem cõmemorans P. Auguſtin. apud Iuonem 1.p.Decret. ca.151. ſic ait. *Oportet vos (Presbyteros) ſemper memores eſſe tantæ dignitatis,memores veſtræ conſecrationis ſacræ,quam in manibus ſuſcepiſtis, vt nec ab eadem dignitate degeneretis; nec veſtram conſecrationem irritam faciatis, nec manus ſacro Vnguine delibutas, peccando polluatis.* Et alia multa dicit S. Dionyſius lib. de Eccleſ.hierar.cap.4.p.2.

2. Secundò quæritur, vtrum Eccleſiaſtici rectè vocentur Clerici? Et negatiuè Reſpondent hæretici;ſcilicet Lutherus, & Caluinus: quod probat Lutherus ex verbis Apoſtoli ad Galat.4. *Non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus, neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina,* igitur (infert Lutherus,) *neque in populo Chriſtiano debet eſſe Clericus,& Laicus.* In dictam inſaniam inciderunt etiam dicti hæretici ob crudele odium, quod contra Eccleſiam conceperunt; & conati ſunt etiam nomen delere; ſed eis poſſibile non fuit; Vnde dicendum eſt, rectè Eccleſiaſtici appellari hoc nomine Clerici, quod prouenit à nomine Græco Clies, & ſignificat hæreditatem; quia verè Eccleſiaſtici ſunt de hæreditate Do-

mini;

Digitized by Google

mini; ſeu quia Dominus eſt illorum hæreditas, cum ſint diuino cultui peculiariter mancipati, nec obſtat argumentum Lutheri; nam vnitas populi Chriſtiani non conſiſtit, vt in eo non ſint diuerſi gradus,& conditiones; ſed vt omnes ſint tanquam plura membra in vno corpore, ſcilicet, in Chriſto Ieſu; vt idem Apoſtolus dixit ad Galat.3.vnde dicendum eſt, rectè Eccleſiaſticos appellari hoc nomine Clerici; & ita etiam miniſtros Veteris Eccleſiæ appellauit Hierem. 12. iuxta tranſlationem lxx. interpretum, qui ſic legunt, *Et Clericorum non proderunt eis*; ideſt ſi officium ſuum neglexerint, non ideò ſaluabuntur, quia ſunt Clerici; & hoc nomine vtuntur omnes Patres; & præcipuè Concil.Nicenum Can.1.2.3.8.17.18.& S.Clemens in Canon.Apoſtolorum Can.12.13. & 15. Tertullianus de lib.de Monogamia, & alij omnes.

3. Tertiò quæritur.Vtrum rectè Clerici vtantur tonſura, & habitu Clericali? Et negatiuè reſpondent hæretici:& præcipuè quidem Hortenſius Landus lib. de perſecutione barbarorum, quod probat ex Deuter.19. vbi dicitur. *Non attondebitis comam in rotundum*. & Hierem.9.*Diſperdam omnes circumtonſos in coma*, Leuit.25. vbi de Sacerdotibus dicitur. *Non radant caput,neque barbam*.Et in Ezech.44. Sacerdotes prohibentur caput radere. Tamen affirmatiuè eſt reſpondendũ;vt docet Cõcil.Trid.ſeſſ.23. cap.6. de reform. & ad dicta loca Sacræ Scripturæ reſpondetur, dicta prçcepta fuiſſe cæremonialia; quæ iam ceſſauerunt; & in dictis locis præcipuè prohibebantur Sacerdotes ne comam ornarent circumtondentes eam more gentium,vt maiori reuerentia Idola venerarentur,& ex eadem cauſa caput radebant, vt notat Iſidorus ad locum Leuit. cit. & Theodoretus quæſt.28.in Leuit.noſtra autem ſententia vera,& Catholica eſt; ac diuinis myſterijs plena, quod colligi poteſt ex antiquiſſimo vſu Eccleſiæ;qui antiquiſſimus eſt, & ab Apoſtolis fuiſſe inceptum refert. Iſidorus lib.2. de officijs Clericor. cap.4.& Beda lib.5.de hiſtoria Anglorum cap.22.dicit D.Petrum in memoriam ſpineæ coronæ Chriſti, coronam capillorum geſtaſſe toto reliquo capite detonſo, & ad alios Clericos fuiſſe imitatos. Huius tonſuræ etiam meminit Diuus Hieronymus in Epiſt.ad Patrem Auguſtinum; quæ eſt 26. inter Epiſtolas Auguſtini, vbi ait, *Euodium, vt meo nomine ſalutes, precor coronã tuam*. Et dictus P.Auguſtinus Epiſt. 147. ſic dicit. *Per coronam noſtram nos adiurant veſtri, per coronam veſtram vos adiurant noſtri*. Ideò Concil. Toletan.4.ca.40.iubet. *Vt omnes Clerici detonſo ſuperiùs capite toto,inferiùs ſolam circuli coronam relinquant*. Adhuc tamen Caluinus li.4.Inſtit.ca.19. ſect. 27. inſtat aſſerendo; dictum vſum cæpiſſe tempore P. Auguſtini à quibuſdam mollioribus, & effeminatioribus. Attamen hoc falſum eſt, cum talis vſus antiquior ſit P.Auguſtino; imò dicto tempore pœnitentes in ſignum doloris tondebantur, vt colligitur ex Concil.Agathenſ. can. 11. & tempore P.Auguſtini Clerici ſic tondebãtur, vt corona capillorum appareret. Ratio igitur dicti vſus eſt, illa, quam iam diximus ex Beda, vel, vt ait Dionyſ. cap. 6. Eccleſ. Hierar. per illam capitis nuditatẽ, ſignificatur vita,aperta, & pura, cui imcũbere debẽt Clerici. Tertiam rationem aſſignat Iſidor.lib.2.de offic.Clericor.cap.4. Rabanus de inſtit.Clericorum ca.1.& alij, nempe dictam capitis nuditatem ſignificare omnes Eccleſiaſticas perſonas debere renũciare omnibus vitæ ſuperfluitatibus; ac etiam ſignificare animum Eccleſiaſticorum debere eſſe apertum, & expeditum ad percipiendas diuinas illuſtrationes.

4. Quartò quæritur, vtrum Clerici licitè ſint exempti? Sed priùs ſciendũ eſt, dictam exemptionem intelligi tam quoad perſonas, quam quoad bona, ſeu res, quã etiam quoad controuerſias, ſeù lites.Et in his omnibus poteſtati ſeculari ſubditos debere eſſe Clericos ex iure diuino probant hæretici; imò aſſerunt Chriſtum Dominum neceſſariò ſoluiſſe illud tributum, Matth.17.ob quem errorem fuerunt condemnati Marſilius quidam de Padua, & Ioannes de Ianduno hæretici in Concil. Coſtantienſi, vt refert Turrecrem. lib. 4. ſummæ Eccleſiaſt.par.2.cap.37. quam doctrinã ſequuti ſunt Caluinus lib.4.inſtitut. cap.11.ſect.15.& alij hæretici. Dicendum tamen

tamen eſt cum Catholica, & vera doctrina, Clericos non eſſe exemptos directiuè à poteſtate ſeculari quoad perſonas, & in legibus ciuilibus conditis ad bonum ſtatum Reipublicæ; imò iure diuino eſſe dictis legibus ſubiectos; quatenus ſunt directiuæ iuris naturalis, quod obligat ex iure diuino, & ab hac aſſertione nullus diſcedit. Probatur ex 1. Petri 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſiuè Regi tanquam præcellenti &c.* Et ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; Quæ verba interpretatur D. Chryſoſt. & alij, & patet hæc veritas ex Nicolao 1. in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem; & ex quadam Epiſt. Valentiniani pijſſimi Imperatoris ad Epiſcopos Aſiæ; vt refert Theodoret. lib. 4. hiſtor. cap. 7. Coactiuè autem dicti Clerici, tam quoad eorũ bona; quam quoad controuerſias ſunt omninò exempti iure Eccleſiaſtico, & ciuili; vt etiam diximus in lib. 1. agendo de Gabellis, licet, multi etiam aſſerant id eſſe ex iure diuino; vt Gloſs. in cap. Tributum 23. q. 8. & in cap. quamuis de cenſibus lib. 6. & multi Canoniſtæ. Probatur tamen noſtra concluſio quoad exceptionem perſonarum à vi coactiua ex multis Concilijs, ſcilicet, Chalcedonenſi can. 9. Carthagin. 3. can. 9. Tolet. 3. can. 13. & ex alijs Concil. idem habetur ex Authent. ſeù in nouellis conſtit. 79. 83. & 123. vbi Iuſtinianus Imperator in ciuilibus omninò eximit Clericos à poteſtate ſeculari, in criminalibus autem tribuit cauſæ cognitionem iudici ſeculari, & ſtatuit ne Clericus puniri poſſet, niſi priùs ab Epiſcopo eſſet degradatus; tamen dictum ius ciuile fuit correctum per ius canonicum; cum præſtantius ſit; & fuerunt omninò Clerici facti exẽpti à poteſtate laica; conuenientiam autem, & decentiam huius exemptionis aſſignauit Cõſtantinus Imperator, apud quem fuerunt relatæ quædam controuerſiæ Epiſcoporũ, quibus ſic reſpondit. *Vos Dij eſtis à Deo conſtituti, & vobis Deus poteſtatem dedit de nobis quoque iudicandi, & quaſi Deos quoſdã conſtituit, conueniens non eſt, vt homo Deos iudicet.* Refert Ruffinus lib. 10. hiſtor. cap. 2. & D. Gregor. lib. 4. Regiſti Epiſt. 75. ad Mauritium Imperatorem.

5. Quoad alias exemptiones, ſcilicet, bonorum, & controuerſiarum, patet etiam ex Concil. Lateran. ſub Alexandro III. 1. par. cap. 19. & ſub Innocent. III. cap. 46. idẽ patet ex cap. Sanctæ Mariæ extra de conſtitut. ex cap. Quia nonnulli, & cap. Clerici de immunit. Eccleſiar. lib. 6. & ex alijs locis; & hoc ſemper conſentaneum fuit. Nã etiam in veteri lege Gen. 47. cum Ioſeph ſubijceret Pharaoni totam terram Aegypti, voluit Sacerdotes eſſe liberos. Præcipuè autem quoad exemptionem cauſarum, ſeu controuerſiarum Clericorum; habetur in Concil. Matiſconenſe 2. cap. 9. Mileuitano can. 19. vbi tanquam res peruerſiſſima damnatur contrarius vſus; & idẽ ſumitur ex P. Auguſtino Epiſt. 162. & Ambroſ. Epiſt. 78. quod autem dicta exemptio clericorum ſit de iure humano probatur ex D. Chryſoſt. & D. Thom. ad illa verba ad Rom. 13. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſit ſubdita*; (& ſubdit) *ideò tributa præſtatis. Non quidem,* (dicunt dicti Sancti) *quaſi etiam Clerici tributa ſoluere debuerint iure diuino, ſed quatenus dicto tempore ea ſoluere ſolerent*; Igitur, ſi tunc ſoluebant; non erãt exempti iure diuino, & per conſequens ad præſens ſunt exempti iure humano, vt probauimus in primo libro, agendo de Gabellis.

6. Quintò quæritur, vtrum habentes ſacros ordines teneãtur ad obſeruandam legem cælibatus? & affirmatiuè reſpondẽdum eſt. Sed notandum, tria includere dictam legem; primum eſt, vt nullus coniugatus ſacris ordinibus initiari poſſit. Secundum; vt nullus initiatus ſacris ordinibus poſſit vxorẽ ducere. Tertium; vt quilibet dictis ordinibus initiatus ſeruet perpetuam continentiam non ſolum ab actibus illicitis; ſed etiam ab omni vſu matrimonij; ſi iam ante ordines vxorem habuiſſet, & ad ordines fuiſſet admiſſus ex eo, quod vxor vouiſſet perpetuam caſtitatẽ. Sed vtrum talis lex cælibatus ſit ex iure Eccleſiaſtico; quod idem eſt ac quærere. Vtrum votum ſolemne caſtitatis ſit annexum in ordinibus ſacris ex iure humano, an etiam ex iure diuino? & ex iure humano dictam legem proceſſiſſe, docet D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 11. Magiſt. in 4. diſt. 34. & 37.

Ca-

Digitized by Google

Caiet.tom.1.opuſcul.tract.27.Sot.li.7. de iuſtit.q.5.art.3.& q.6.art.1. & 2. & alij cõmuniter. Contra Maior.in 4.d.24. q. 2. & Michaelem Medinam de Sacror.hom. cõtinentia cap.99.& 100. aſſerentes dictam legem eſſe ex iure diuino. Patet hæc veritas tum quia nullibi reperitur tale præceptum diuinum; tum quia multis iam ſeculis Eccleſia Romana conceſſit Græcis,vt vti poſſent matrimonio ante ordinationẽ contracto; vt patet ex cap. cum olim ext. de Clericis coniugatis.

7. Sextò quæritur. Vtrum Prælati Regularium poſſint concedere ſuis ſubditis literas dimiſſorias, vt poſſint ordinari à quocunq; Epiſcopo: & an poſſint etiam diſpenſare ſuper interſtitijs? Et quoad literas dimiſſorias affirmatiuè eſt reſpondendum; tunc tamen, quandò Epiſcopus loci non eſſet habiturus ordinationes, aliter in graues pœnas incidunt, vt conſtat ex decreto Sacræ Congregationis Concilij, auctoritate S.D.N. Clementis VIII. edicto cuius tenor eſt talis.

DE Mandato S.D.N.Clementis diuina prouidentia Papæ VIII tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quorumcunq; Regularium ſuperioribus, vt de cætero obſeruent, & obſeruari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilij Tridentini continentur, cuius tenor eſt Talis. Congregatio Concilij cenſuit, ſuperiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias, in cuius familia ab ijs, ad quos pertinet, is regularis poſitus fuerit, & ſi Diœceſanus adfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, quemcunque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui ordines contulerit examinetur quoad doctrinam; & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria, conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel adfuturus, vel nullus habiturus eſſet ordinationes. Verum cum a ſuperioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, literæ dimiſſoriæ dabuntur, in eis vtique huiuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe, quod qui non fecerint, officij, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ priuationis, ac aliàs arbitrio eiuſdem Sanctiſſimi D.N. Papæ reſeruatas pœnas incurrant. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 15. Menſis Martij. 1596.

8. Quoad ſecundam partem quæſiti de interſtitijs, Dico, Diſpenſationem ſuper interſtitijs pertinere ad Epiſcopum Ordinantem,etiam reſpectu non ſubditorum, quibus ordines confert de licentia proprij Epiſcopi; vt Quaranta ver. Ordo pagin.501.§.Additio. Idem etiam dicitur reſpectu regularium: licet, in Dimiſſorijs ſuorum Superiorum debeat fieri mentio dictorum interſtitiorum, petendo dicti ſuperiores regulariũ,vt ſuper illis Epiſcopus diſpenſare dignetur,attenta neceſſitate,vel vtilitate Eccleſiæ,vel Religionis. Vt idem Quaranta loc.cit. Sorbus in compend.priuileg.mendican.verſ.ordines Sacri. Vide etiam Rodriq. tom.3. q.44. art.3.4.6.& 7. Et notandum,quod etiam Abbates poſſint ordines minores conferre alijs regularibus dummodo habeant dimiſſorias ſuorũ ſuperiorum, & conſenſum Epiſcopi loci; & idem dicitur de ſubditis aliorum Epiſcoporum habentibus dimiſſorias; ſemper tamen requiritur conſenſus Epiſcopi loci, in quo ordines conferuntur, imò poſſunt etiam dicti Abbates ex priuilegio Apoſtolico;de conſenſu tamẽ Ordinarij, vt diximus; Sacramentum confirmationis conferre,ex declaratione eiuſdẽ Sac.Congregationis in ſeſſ.7. can.3. de Confirmatione. Ijdem Quaranta loc.cit.§.Poſſunt,qui ſimiliter notat pagin. 502. Annum interponendum ex vno ordine ſacro ad alium, eſſe computandum iuxta annum Eccleſiaſticum,non autem ſolarem; & addit. Hinc Sacra Congregatio declarauit,eos,qui ad Subdiaconatus ordinem, quatuor temporibus in Quadrageſima promoti fuerint, poſſe anno ſequenti eiſdem quatuor temporibus Quadrageſimæ ad Diaconatum promoueri, licet, annus naturalis integer tunc lapſus non fuerit.

DE ORATIONE VOCALI.

Quid ſit Oratio, quomodo fieri debeat, ac de eius neceſſitate. Cap. LXVIII.

AD plenam eorum, quæ diximus traditionẽ, neceſſarium putaui hic agere de Horis Canonicis: nam cùm ſuſcipientes ordines ſacros teneantur non ſolum ad legem cælibatus; Sed etiam ad recitandum Horas canonicas, poſt explicationem iam traditam dictorum ordinum, hic ſequitur tractandum de dictis Horis canonicis, tanquam de onere reſultante ex dictis ordinibus, ſeù officio pertinente ad dictos ordinatos; & quia ſimiliter dictæ Horæ canonicæ pertinent ad orationem Vocalem. Neceſſe eſt priùs declarare quid ſit, & quomodo fiat dicta oratio Vocalis; vt quiſque cognoſcere poſſit, quomodo recitandæ ſint Horæ canonicæ. Vnde.

1 *Oratio triplicem habet acceptionem, propryſſimam, propriam, & communem.*

2 *Oratio eſt Aſcenſio mentis in Deum, & duplici modo fit.*

3 *In Oratione decentia peti debent, aliter erit execratio, & non oratio.*

4 *Ad Orationem requiritur Actus intellectus, & Voluntatis.*

5 *Ad Orationem requiritur Intentio, & Attentio.*

6 *Ad Orationẽ non requiritur intentio Actualis, ſed virtualis.*

7 *Ad Orationem requiritur Attentio formalis, vel virtualis.*

8 *Tribus modis poteſt quis attendere ad orationem, ſcilicet, ſuperficialiter, literaliter & ſpiritualiter.*

9 *Oratio eſt Neceſſaria, neceſſitate medij.*

10 *Probatur eadẽ doctrina ex verbis Domini.*

11 *Oratio eſt neceſſaria ex præcepto naturali diuino, non autem expreſſo.*

12 *Oratio debet eſſe Continua quoad Deſiderium, & charitatem.*

13 *Præceptum orationis obligat, quando adeſt neceſſitas implorandi Diuinum auxilium.*

14 *Præceptum orationis eſt adimplendum, etiam ſi nunquam ſupradicta adeſſet neceſſitas.*

15 *Præceptum orationis non poteſt differri ad longum tempus.*

1 DIco, Orationem habere triplicem acceptionem, ſcilicet, proprijſſimam, propriam, & communem. Et oratio in proprijſſima ſignificatione accepta, dicitur illa, qua quis viuit ſemper benè operando; iuxta Apoſt. 1. ad Theſſal. 5. *Sine intermiſſione orate*; vbi Gloſſ. ordinaria. *Semper iuſtè viuite; nam iuſtus nunquam deſinit orare, niſi deſinat iuſtus eſſe; ſemper ergo orat, qui ſemper benè agit.* Et idem aſſerit ad illa verba Chriſti Luc. 18. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*; ita etiam notat Beda, & Richard. in 4. d. 15. art. 4. qu. 2. Oratio autem iuxta tertiam acceptionem, ſcilicet, communem, eſt quando quis non deſiſtit ab oratione horis, & temporibus congruis, quod aſſerit Diuus Thomas ad loc. Apoſt. ſupr. cit. & D. Bonau. ad loc. Luc. cit. cum Gloſſa interlineali, & alijs; nam illum, qui deditus eſt itineri, vel ſæpè comedit, ſemper deambulare, vel comedere dicimus; ſic illum, qui orat temporibus congruis, ſemper orare dicere poſſumus. Oratio propriè dicta, iuxta ſecundam acceptionem; eſt quælibet decens petitio facta Deo; & hæc eſt ordinaria Acceptio orationis in Sacra Scriptura, vt ait P. Auguſtinus Epiſt. 59. ad illa verba Pauli 1. ad Timoth. 2. *Obſecro, fieri obſecrationes, orationes, &c.* & ſer. 5. de verb. Domini ad verb. Luc. *Oportet ſemper orare.*

2. Hæc autem oratio dupliciter fit, ſcili-

ſcilicet, voce, & mente ex Pſal. 141. *Voce mea ad Dominum clamaui*, & ex 1. Reg. 1. de Anna dicitur. *Labia tantum illius mouebantur, & vox pænitus non audiebatur*; de mentali licet, hic non loquamur; tamen oratio prout abſtrahitur à mentali, & vocali; dicitur. *Aſcenſio mentis in Deum*, iuxta Damaſum lib. 3. de fide cap. 24. & P. Auguſtin. ſer. 230. de tempore, vbi ſic ait. *Quid autem eſt oratio, niſi aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium deſiderium*. Quæ deſcriptiones, licet, aptius videantur applicatæ orationi mentali, quam vocali; vt etiam aſſerit D. Thom. 2. 2. q. 83. ar. 13. tamen, quia in omni oratione tam mentali, quam vocali, duo requiruntur, ſcilicet, & aſcenſio mentis in Deum ad ipſius cultum, & honorem; & petitiones faciendæ propter ipſum Deum, ideò benè poſſunt dictæ deſcriptiones ad orationem vocalem applicari; vnde non omnis aſcenſio in Deum ſimpliciter ſumpta, dicitur oratio, niſi in ea laudetur, & honoretur ipſe Deus; & fiãt petitiones pro ſe, vel pro alijs, dirigendo illas ad ipſum Deum; ſic enim explicantur illa verba de Chriſto Luc. 6. *Erat pernoctans in oratione Dei*; nam licet, Chriſtus ſemper eſſet cum ipſo Deo; pernoctare tamẽ dicitur in oratione, quia in ea erat non ſolum vnitus cum Deo; ſed etiam petitiones pro nobis ad Deum fũdebat, quando igitur dicimus, orationem eſſe aſcenſionem mẽtis in Deũ; non id intelligendum eſt de quacunque aſcenſione, ſed de illa, qua, & Deus honoratur, & petitiones pro nobis, vel alijs fiunt vt ſupra. Et quia hæc omnia etiam requiruntur ad orationem vocalem; meritò deſcriptiones ſupra traditæ ad vtramque orationem applicari poſſunt; & in hoc tantum differt oratio mẽtalis à vocali, quod illa fit ore cordis, & mentis; & vocalis fit ore mentis, & corporis; vt communiter Sancti PP. apud Damaſ. P. Auguſt. D. Thom. Bonauent. Richard. & alios.

3. Vnde Gregorius Niſſen. lib. de orat. ait. *Oratio eſt conuerſatio, & ſermocinatio cum Deo, & malorum ſubuerſio, ac peccatorũ emendatio* (& infra) *Oratio eſt petitio bonorum, quæ Deo cum ſupplicatione offertur*. Et Chryſoſt. homil. 30. in Geneſ. vocat orationem; *Colloquium cum Deo*, ex Pſal. 130. *Iucundum ſit ei eloquium meum*. Ex quibus dictis colligitur, quod tunc tantum dicatur quis orare; quando bona decentia petit; vt etiam ex Damaſ. notauimus. Vnde non puto benè diſtinctam eſſe orationem à Nauarr. tr. de orat. cap. 1. num. 18. & 29. in bonam, & malam, quia oratio, in qua decentia non petuntur, ex conſequenti ſunt indecentia, & mala, quatenus non conformantur cum voluntate Dei, & dicta oratio, non eſt vocanda oratio; ſed execratio, vt optimè notat Caiet. 2. 2. q. 83. art. 4. his verbis. Orationem, qua aliquod malum à Deo petitur, non eſſe orationem; ſed execrationem; & idem docet P. Auguſtinus ad illa verba Pſal. 81. *Et omnibus inuocantibus eũ*, his verbis; *Quoſdã inuocantes Deum, non ipſum inuocare*, ſcilicet, qui mala volunt, & poſtulant; & Deum adiutorem ponũt ſuarum cupiditatum, & vanorum deſideriorum; vnde, qui in oratione Deum non colit, & eius voluntatem fieri non curat, non ſolum non orat, ſed etiam Deum contumelijs afficit.

4. Solet hic quæri, vtrum oratio cõſiſtat principaliter in intellectu, an in voluntate? & licet, pro vtraq; parte ſint graues Doctores, quod Cathedrantibus relinquo diſputandum, hoc tamen certum eſt apud omnes; ad orationem, & intellectum, & voluntatem requiri. Intellectus, quia cognoſcere debet orans ſuam indigẽtiam, ac Deum anctorem omnium bonorum; qua cognitione ſubminiſtrata volũtati, orans ex vera cognitione, & voluntate ſimul monetur ad petendum, deſiderandum, & inquirendum bona, quibus indiget; & hoc modo orans ſtatim exauditur iuxta D. Ambroſ. lib. 6. de Sacramen. cap. 4. vbi ait. *Orationem tuam ante Deus audit, quam tuo ore fundatur*, & Pſal. 26. *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea*.

5. Ex quibus dictis duo colliguntur, quæ ſunt omninò neceſſaria ad orationẽ, ſcilicet, intentio, & attentio; ſi quis autem vocaliter tantum recitet orationes, pſalmi, &c. ſine intentione orandi, ſeu petendi aliquid à Deo, non dicitur orare, ſicut non diceretur orare amens, dormiens, aut infans, qui diceret orationes, & pſalmos;

Digitized by Google

& ratio eſt, quia nulla in eo adeſt intentio orandi, vt optimè argumentatur Gabr. lect.62. in Canon. & confirmat Paludan. in 4.d.15.q.5.nu. 24.& 26. Nauar. in Enchir. cap.13.num.14.& alij, vnde infert Suarez tom.3.de Relig.lib. 3. cap.3. quod, ſi quis recreationis cauſa, vel ratione ſtudij legat totum officium, non ideò ſatisfaciet præcepto, quia differt legere ab orare.

6 Non tamen requiritur ad orationem Intentio Actualis, & expreſſa; ſed ſufficit virtualis, & implicita, vt ſatis probat Nauarr. loc. cit. nu.15.& explicans dictam intentionem virtualē ait, eſſe illam, quam quis habet, ſi interrogaretur, ad quid accipis breuiarium: vel quare pergis ad chorum; Reſponderet ad ſatisfaciendum officio, vel ad celebrandam Miſſam, &c.

7 Eſt etiam de ſubſtantia orationis, Attentio formalis, vel Virtualis, vt ſupra, quæ ſententia communis eſt omnium Doctorum in 4.d.15. vt D. Thom. Caiet. 2.2. q.83.ar.13. Nauar. in Enchir. c.13.& ſeqq. Cordub. lib.4.q.13. in fine, Medin. Cod. de orat. c.14. Suar. tom.2. de Relig. lib.3.c.4. num.3. & alij; vnde Bonau. lib. de perfect. vit. c.5. ſic aſſerit. *Valdè indecens eſt, vt quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur in corde* (& addit) *talis oratio nunquam exauditur à Deo*; & Gloſſ. ad illa verba. Pſalm.118. *Clamaui in toto corde meo.* ſic ait. *Diuiſum cor non impetrat, quod petit, dimidij autem cor, qui dimidium habet in Cœlo; & dimidium in terra*; idem affirmat Cyprian. lib. de oration. his verbis. *Segnitia eſt alienari, & capi ineptis, & profanis cogitationibus, dum Dominum deprecaris* (& infra) *hoc eſt, cum orans Dominum, maieſtatem eius offendiſti.* Si igitur non eſt ſine culpa habere diuiſum cor in oratione. Multò maior culpa erit, aperire os tantum ad Cœlum, & cor habere inuolutum in terra iuxta Iſai.29. *Populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me.* Concludendum eſt igitur, cum ſupradictis Doctoribus de eſſentia orationis vocalis eſſe attentionem ſaltem virtualem; ita, vt ſi quis abſque prædicta attentione recitet orationes vocales, ad quas tenetur ex præcepto, non ſolū, non oret, ſed etiam mortaliter peccabit; vt optimè concludit Suar. loc. cit. num.5. & ſeqq. cum ſupra cit. DD. quare P. Auguſtinus nos monet dicendo ad Pſalm.39. *Dicant labia, quod habet cor*, & cum Paulo 1. a Corinth. 14. dicamus. *Orabo ſpiritu, orabo, & mente, pſallam ſpiritu, pſallam, & mente.*

8. Tribus autem modis, poteſt quis attendere ad orationem vocalem, ſcilicet, ſuperficialiter, vel litteraliter, vel ſpiritualiter; vt D. Thom. 2.2.q.83.ar.3. Bonauent. opuſcul. de proceſs. Relig. li.7. & omnes alij. Superficialis attentio eſt tantum ad materialia verba; litteralis eſt attentio ad ſignificationem verborum, Spiritualis, eſt attentio ad ſpiritualem applicationem verborum ſecundum D. Bonau. & ſecundum D. Thom. eſt attentio ad rem pro qua oratur, & ita affirmat Nauarr. in Enchir. cap.13.nu.4. & 30. Alio modo poteſt etiam dici dicta attentio ſpiritualis, contemplatiua; vel miſtica, contemplatiua iuxta D. Bonau. & miſtica iuxta D. Thom. quia attenditur rei, quæ poſtulatur, & propriæ indigentiæ. Et quamlibet ex his attentionibus poteſt quis tenere in oratione vocali abſq; vlla culpa, licet, ex perfectione quis meliorem procurare debeat, & maximè cum non deſint, qui aſſerant eſſe veniale peccatum, quando quis poteſt habere perfectiorem attentionem; & vult tenere minus perfectam, & ita tenet Nauar. loc. cit. num.23.

9. Quoad neceſſitatē orationis, ſciendum eſt, in actibus virtutum, duplicem neceſſitatem diſtingui à Theologis, ſcilicet, medij, & præcepti, de neceſſitate præcepti dicemus infra. Nunc autem dicemus tantum de neceſſitate medij; & quærimus, vtrum ex neceſſitate medij ſit neceſſaria oratio? neq; ſermo erit de neceſſitate ſecundum quid, quia de hoc non dubitatur; ſed quæſtio eſt de neceſſitate ſimpliciter, & abſolutè dicta, ſine qua finis nullo modo haberi poteſt. Vnde dico primò, orationem, communiter ſumptam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem; dico, communiter ſumptam, quia non eſt neceſſe, vt ſit vocalis preciſè, neq; mentalis; ſed quocumq; modo fiat; ſumitur ex D. Thom. 2. 2.q.83. art.3. ad 2. vbi aſſerit, orationem eſſe ex præcepto iuris diuini, hoc autem ius diuinum non poteſt fundari niſi in neceſſitate

rate medij; Vnde omnes Theologi, vt infra, qui aſſerunt orationem eſſe ex iure diuino, ex conſequenti aſſerũt eſſe de neceſſitate medij. Probatur hoc ex P. Auguſtino de Eccleſiaſticis dogmatibus c. 56. vbi ait; *Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo inuitante venire, nullum inuitatum, ſalutem ſuam; niſi Deo auxiliante operari, nullum, niſi orantem auxilium promereri.* Et lib. de natura, & grat. cap. 43. *Deus* (inquit) *poſſibilia non iubet, ſed iubendo admonet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis.* Quibus verbis etiam vtitur Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. & ex dictis ſententijs, ſumitur neceſſarium eſſe ad ſalutem auxilium diuinum; quod etiam aſſerit idem Concil. & quia dictum auxilium non tribuitur, niſi petitur in oratione, ex conſequenti ſequitur, tam eſſe neceſſarium ad ſalutem diuinum auxilium, quam orationem, & confirmatur magis ex eodem P. Auguſtino lib. 2. de bono perſeuerantiæ cap. 16. vbi aſſerit. *Deum alia dare non orantibus, ſicut initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut vſque in finem perſeuerantiam.* Igitur ſicut perſeuerantia eſt de neceſſitate medij; ita etiam erit oratio, & quod perſeuerantia ſit de neceſſitate medij, patet ex verbis Chriſti; *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Et optimè concludit Chryſoſtom. Serm. de Moyſe tom. 1. his verbis. *Ipſe contra ſe tela miniſtrat, qui precum inſtantia non fatigat.*

10 Sumitur etiam hæc concluſio ex verbis Domini Luc. 18. *Oportet ſemper orare;* vbi Chryſoſtom. *Dum oportet dicit, neceſſitatem inducit;* & in hunc ſenſum ſimiliter accipienda ſunt verba Matth. 26. *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem,* & verba Pauli ad Coloſſ. 4. & ad Rom. 12. *Orationi inſtate, & contra non habentes diuinum auxilium iuſtè inſurgit eos redarguendo. S. Iacobus Apoſt. 4. Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis; ſi auxilium gratiæ negatur malè petentibus; multò magis negabitur nullo modo petentibus;* Hæc petitio non fit niſi in oratione; igitur concludendum eſt, omninò orationem eſſe neceſſarium neceſſitate medij.

11 Dico ſecundò, orationem eſſe neceſſariam ex pręcepto diuino naturali, non autem expreſſo. Eſt communis opinio D. Thom. loc. cit. Palud. in 4. d. 15. qu. 5. art. 1. Abulenſ. ſuper Matth. 6. q. 31. Sylueſt. ver. oratio. q. 8. Nauar. c. 13. nu. 18. & omnium Theologorum cum Suar. tom. 2. de Relig. lib. 1. de orat. in communi cap. 29. num. 2, & 3. Et ratio eſt, quia omnia, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſunt etiam ex præcepto diuino neceſſaria; Sed iam probauimus orationem eſſe omninò neceſſariam ad ſalutem; ergo eſt etiam ex præcepto diuino neceſſaria; maior huius argumenti eſt certa ex D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. & q. 3. art. 2. & 3. p. q. 68. art. 1. Et probatur ex inductione, quia omnia alia media neceſſaria ad ſalutem, ſunt ex pręcepto diuino, vt Actus fidei, ſpei, & charitatis; & Sacramenta; Igitur etiam oratio erit ex pręcepto diuino, licet, non expreſſo, ſed naturali, quia lumine naturali informato lumine fidei, quilibet cognoſcere poteſt orationem eſſe neceſſariam ad ſalutem; adimpletur autem hoc præceptum naturale, vel oratione mentali, vel vocali, vt communiter omnes aſserunt cum D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 12. & art. 14. ad. 3.

12 Eſt tamen hic notandum id, quod dicit D. Thom. dicto art. 14. in corpore, & ad 4. ſcilicet, orationem non oportere eſse continuam quoad actum ipſum; tamen quoad cauſam, id eſt, quoad deſiderium, & charitatem poſse, & debere eſse continuam iuxta verba D. Pauli ad Coloſs. 4. *Orationi inſtate,* (& ſubiungit) *vigilantes in ea, in gratiarum actione, orantes ſimul, & pro nobis.* Quod autem non oporteat eſse continuam quoad actum, probat idem Doctor eodem art. his verbis. *Vnde conueniens eſt, vt oratio tantum duret, quantum eſt vtile ad excitandum interioris deſiderij feruorem; Cum verò hanc menſuram excedit, ita, quod ſine tedio durare non poſſit, non eſt vltra protendenda.* Quod confirmat auctoritate P. Auguſtini Epiſt. 121. cap. 9. & 10. Vtrumque autem ſimul probat D. Ambroſ. Serm. 19. in Pſal. 118. *Præueni in maturitate, & clamaui.* Vbi ſic ait. *Qui rogat, ſemper roget, & ſi non ſemper precatur, paratum ſemper habeat precantis affectum.*

13. Dubitatur tamen; quonam tempore obliget hoc pręceptum? vbi reſpondet Sylueſt. verb. oratio cum alijs, quod obliget in primo inſtanti vſus rationis; & ratio

Digitized by Google

ratio eſt, quia iuxta D.Thom. 1.2.q.89.ar. 6. in tali inſtanti quis obligatur ſe conuertere ad Deum, & ad ſanctè, & honeſtè viuendum, quod fieri non poteſt ſine auxilio gratiæ, & tale auxilium non datur niſi per orationem, vt ſupra. Aptiùs tamen reſpondeo cum Suar.tom.2.de relig.lib.1.de orat.cap.30.nu.8. & 9. dictum præceptum orationis eſſe indeterminatum, obligare tamen tempore, quo quis tenetur ſpiritualia bona, & diuinum auxilium procurare; & ita aſſerit D.Thom.in 4.d.15. q. 4. art. 1. quæſtiunc. 3. cuius verba ſunt hæc. *Indeterminatè ad orationem quilibet tenetur ex hoc ipſo, quod tenetur ad bona ſpiritualia procuranda*. Deinde non conſtat diuinum præceptum conuerſionis ad Deum in primo inſtanti vſus rationis; vt idem Suar. nu. 9. ſed tantum ad volendum bonum honeſtũ, quod tunc primò occurrit; & poſito quod adeſſet tale præceptum conuerſionis ad Deum, non tamen ſequeretur adeſſe ſimul aliud præceptum orandi, cum ſint res diſparatæ, & oratio præſupponat fidem iuxta illud ad Rom. 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt*.

14. Obligat igitur hoc præceptum orationis, quando vrget neceſſitas aliqua, vel propria, vel alterius; nam ſi non poſſumus aliter proximo ſubuenire, orare debemus pro ipſo; & ita tenet D. Thom. ſupradicta quæſtiunc. 3. Palud. in 4.d.15.q.5. Nauarr. cap. 13.num. 14.& 15.& alij. Tamen in hoc placet etiam declaratio Suar. loc.cit.à num.14.& ſeq.vbi aſſerit, nullum eſſe tempus determinatum pro oratione, quod obliget ſub mortali; & confirmat auctoritate D.Thom.& Palud. aſſerentis, de tempore huius obligationis nihil eſſe certum ex iure naturali diuino;& D.Tho. ait; hoc præceptum religionis ad orandum,nõ pendere ex extraordinaria indigentia ipſiꝰ orantis,vel proximi; inueſtigarunt tamen DD. dictũ tempus neceſſitatis,quia hoc videtur opportunũ ad adimplendum dictum preceptum;&ita quilibet fidelis obſeruare debet; ratione autem charitatis, certum eſt, quod quilibet teneatur orare tam pro ſe, quam pro proximo in tali neceſſitate, quod aſſerit D.Thom.loc.cit. & confirmat idem Suar. eodem loco; & antea in cap. 13.num.2.ſed præceptum orationis eſt diſtinctum, ita vt ſi nunquam adeſſet dicta neceſſitas, adhuc eſſet implendum; licet, nullum adſit tempus determinatum.

15. Certũ tamen eſt ex ipſomet Suar. hoc præceptum orationis non poſſe differri ad longum tempus, vt diximus de præcepto confeſſionis, & Euchariſtiæ,in caſu, quo non adeſſet præceptum Eccleſiæ; ſed quia omnes Chriſti fideles ſemper ſolent præuenire dictum tempus potiùs quam differre; ideò non puto hinc eſſe immorãdum. Omittendum tamen non eſt aliquando, ideſt, tempore neceſſitatis, ſub mortali teneri miniſtros Eccleſiæ orare pro bono Reipublicæ in publicis orationibus, à quibus neminem excludere debent iuxta charitatis ordinem.

De Oratione Vocali Priuata, ac de eius circumſtantijs. Cap. LXIX.

1 *Nullum datur præceptum naturale diuinũ obligans ad orationem vocalem.*

2 *Nullum datur præceptum diuinum obligãs ad orationem vocalem.*

3 *Videtur eſſe de præcepto Eccleſiæ aliquam orationem vocalem recitare.*

4 *Nullum adeſt præceptum Eccleſiæ ad memoriter tenendum aliquam orationem vocalem.*

5 *Idem probatur reſpectu ſalutationis Angelicæ, Salue Regina &c.*

6 *Oratio vocalis non eſt neceſſe, vt ſit diuturna.*

7 *In omni loco poteſt fieri oratio.*

8 *Oratio poteſt fieri pluribus modis, dummodo omnes ſint honeſti.*

9 *Orare verſus Orientem ex aliqua pia conſideratione, non eſt malum.*

10 *Eadem doctrina probatur.*

11 *Diuinæ perſonæ orare non poſſunt.*

12 *Sancti, & animæ beatæ poſſunt orare non ſolum Deum laudando, ſed etiam impetrando.*

13 *Explicatur modus, quo Sancti orare poſsũt.*

14 *Idem explicatur, & probatur.*

15 *Sancti poſſunt pro ipſis orare reſpectu gloriæ accidentalis.*

16 *Ani-*

16 *Animæ Purgatorij poſſunt aliquo modo orare pro ſeipſis.*

17 *Animæ Purgatorij poſſunt orare impetrando pro ſeipſis.*

18 *Eadem doctrina oſtenditur probabilis etiam reſpectu ſuorum benefactorum.*

19 *Infideles orare non poſſunt, & declaratur, quomodo peccatores orare poſſint.*

20 *Tantum creaturæ rationali orare conuenit.*

1 Hic primò ſciendum eſt, duplicem eſſe orationem vocalem, ſcilicet, priuatam,& publicam,in præſenti dicemus tantum de priuata. Et quæritur vtrum de ea detur aliquod præceptum naturale,Diuinum,vel Eccleſiaſticum? Et dico primò; nullum adeſſe præceptum naturale, ſeù ex vi iuris naturalis obligans ad orationem vocalem; hæc concluſio communis eſt apud Theologos in 4. diſt. 15. & ratio eſt: quia præceptum naturale orationis, de quo agimus ſufficienter adimpletur per orationem mentalem. Nam oratio, vel fit ad cultum Dei, vel ad impetrandum aliquid à Deo,vtrumque abſque vlla oratione vocali; Sed per internum affectum & mentalē petitionem obtineri poteſt, vt iam probauimus ex oratione Annæ. 1. Reg.1. Igitur nullum datur præceptum naturale orationis vocalis.

2 Dico ſecundo,nullum datur præceptum diuinum obligans ad orationem vocalem, quia tale præceptum non reperitur in Scriptura, nec habetur ex traditione. Neque obſtat illud Matth.6.vbi Chriſtus nos orare docuit: dicens. *Sic ergo vos orabitis, Pater noſter, &c.* Et Concil. Toletanum 4.can.10.de dicta oratione loquēs: ait. *Quam Saluator noſter docuit,& præcepit;* Ex quibus locis videtur colligi,adeſſe præceptum diuinum dictæ orationis vocalis; Sed reſpondetur non poſſe colligi dictum præceptum diuinum, præſertim quoad omnes fideles, quia ibi Chriſtus tradidit tantum formam orationis, non autem dedit præceptum ad exercitium eius, quod latè oſtendit Medina tract. de oratione quæſt. 10.

3 Dubitatur tamen,vtrum fideles ſaltem ex præcepto Eccleſiæ, teneantur dictam orationem Dominicam recitare? Et affirmatiuè reſpondent aliqui, ſub culpa tamen veniali; vt Paludan.in 4.d.15.q.1. art.7.Nauar.in Enchirid. de orat.cap.3.n. 20.& ca.20.num.20. qui citat pro ſua ſententia cap. Vos autem, de conſecr. d.4. & Concil.Toletanum 4.cap.9.& 10.& Concil.Remenſe ca.2. ſequitur Durandus c.2. de ritibus cap. 46. qui affert Clementem lib.6.conſtit.cap.25.& P.Auguſtinum ſer. 215.de tempore, vbi ſic ait. *Symbolum,vel orationem Dominicam, & ipſi tenete,& filijs veſtris oſtendite,nam neſcio,qua fronte,ſe Chriſtianum dicat,qui paucos verſus ex ſymbolo, vel ex oratione Dominica parare diſſimulat,* & in ſerm. ſequenti ait. *Ille bonus Chriſtianus eſt, qui ſymbolum, & orationem Dominicam memoriter tenet, & filios, vel filias, vt ipſi teneant,fideliter docet.*

4. His tamen non obſtantibus,dicendum eſt,nullum adeſſe præceptum Eccleſiaſticum obligans fideles ad memoriter tenendum dictam orationem dominicam, vel ſymbolum; ita docet Medin. loc. cit. & præcipuè in reſponſionibus ad argumēta, & ratio eſt, quia ſatis eſt ſcire ſubſtantiam eorum, quæ continētur in dictis orationibus; ſumitur ex P.Auguſt. Epiſt. 89. ad Hilar.q.1.& in Enchirid.c.7. vbi æquiparat orationem dominicam, & ſymbolū, & aſſerit non teneri fideles ad formaliter ſciendum ſymbolum; ſed ſatis eſſe, vt veritates eius memoria teneant,& intelligāt; non tamen tenentur illud recitare. Vnde idem etiam dicendum erit de dicta oratione dominica; ita tenet etiam Sylueſter ver.ſcientia q.2.& alij communiter.

5. Et quod dixi de prædictis orationibus, à fortiori dicendum erit de Salutatione Angelica, & Salue Regina. Neque conſuetudo dicendi dictas orationes; vt quando pulſatur meridies, &c. inducit obligationem aliquā peccati; vt latè Suar. tom. 2. de relig. lib. 3. de oratione vocali nu. 10. & 11. Monent tamen communiter Sancti Patres, vt in principio cuiuſlibet actionis ſemper præmittatur oratio,& præcipuè Hier.Epiſt. 22. ad Euſtoch. vbi ait. *Nec cibi ſumantur, niſi oratione præmiſſa, nec recedatur à menſa, niſi referantur Creatori gratia. Egredientes de hoſpitio armet oratio,regredien-*

dientibus de platea, oratio occurrat, antequam ſeſſio, nec priùs corpuſculum requieſcat, quam anima paſcatur. Idem aſſerit Athanaſ. lib. de Virgin.

6. Quoad circumſtantias autem orationis vocalis; dico tres poſſe eſſe, ſcilicet, temporis, loci, & modi; præter alias, quæ ſunt quodammodo intrinſicę dictę orationi; vt v.g. conditio perſonæ orantis, conditio perſonæ pro qua oratur, & conditio materiæ, quæ poſtulari poteſt, de quibus ſequenti capite dicemus. Circa primam circumſtantiam temporis; Dico omne tēpus tam diurnum, quam nocturnum ex ſe eſſe aptiſſimum pro oratione vocali; quod colligitur ex Pſal. 35. *Benedicam Dominum in omni tempore*; & licet, hoc ſit certum. Dubitatur tamen. Vtrum oratio vocalis debeat eſſe diuturna; quod quærit D. Tho. 2.2.q.83.art.14. & reſpondet tantum durare debere, quantum eſt vtile ad excitandum deſiderij feruorem, & ſi abſque tedio durare non poſſit, non eſt vlterius protendenda, quæ ſententia eſt ex P. Auguſtino Epiſt. 121. cap. 10. idem etiam confirmat Caiet. dicta q.83.art.12. vbi admonet, neminem ſibi debere tantum onus orationū vocalium imponere, vt ab interna meditatione impediatur, & hæc verba profert. *Errant, qui numerum tot vocalium orationum propriorum explendum quotidie præponunt meditationibus, & mentalibus orationibus; relinquunt namq; finem propter ea, quæ ſunt ad finē*. Et maxime quando ob occupationē aliarum rerum, non poſſunt niſi velociter tot orationes expleri. Fundatur hæc ſententia in verbis Chriſti Domini Matth. 6. aſſerentis. *In oratione nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt: putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur, nolite ergo aſſimilari eis, ſcit enim pater veſter, quid opus ſit vobis*; quod etiam aſſeruit Salom. Eccleſ. 5. *Non temerè quid loquaris, neq; cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo; Deus enim in Cœlo, & tu ſupra terram, idcirco ſint pauci ſermones tui*. Vnde non multis verbis, ſed internæ deuotioni ſtudendum eſt; vel, vt ait P. Auguſtinus, quem refert D. Tho. loc. cit. ad primum. *Abſit ab oratione multa locutio, ſed non abſit multa precatio, ſi feruens perſeueret intentio*, & Epiſt. 121. ca. 10. in Ioan. 2. ait. *Plùs fletu, quam afflatu eſſe orandum*; Ethnici autem putant, eſſe neceſſariū multiloquium, vt exaudiri poſſint, quia exiſtimant, exauditionem prouenire ex eorū perſuaſionibus.

7. Secunda conditio eſt locus, de quo ſimiliter dico, omnem locū ex ſe eſſe aptū ad orationem vocalem; nam affectus petentis, ſeu orantis, & non locus requiritur ad orationem iuxta Io. 4. *Spiritus eſt Deus, et eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare*. Apertiùs tamen confirmatur ex Pſal. 102. *In omni loco dominationis eius, benedic anima mea Dominum*, & Paul. ad Timoth. 2. *Volo vos orare in omni loco*; vbi addit D. Ambroſ. *Sic tamen in omni loco orandū præcipit, vt competens locus intelligatur; non vtiq; importuno, aut ſordido loco (quippe cum prohibeat Dominus vulgo orare) ſed hoc monet, ne in ſola Eccleſia putarent orandum*. Locus autem importunus, & ſordidus intelligitur ille, in quo propter rumores, vel laſciuias nō poteſt quis ſe applicare ad orationem; ſed quando haberi poteſt debita attentio, ſiue oratio fiat voluntariè, ſiuè ex præcepto, ſemper fieri poteſt etiam in ſordidiſſimo loco; vt docet Nauarr. de oratione cap. 5. num. 8. Debet tamen quiſque aptiorem locum eligere pro ſuis orationibus, & maximè ſi ſint faciendæ ex præcepto; vt debita deuotione, & cum fructus perceptione ad eas incumbere poſſit, & quo ſecretior erit locus, eo opportunior erit, vt ait. Iſid. lib. 3. ſentent. ca. 7. his verbis. *Oratio priuatis locis opportuniùs funditur, maiuſq; obtentum impetrat, dum Deo tantum teſte depromitur*. Quando autem oratur in locis publicis abſtinendum eſt ab exterioribus ſignis deuotionis, & ſanctitatis, ne in laqueum ſuperbiæ, & vanagloriæ quis incidat, vt optimè monet D. Thom. in 1. ad Timoth. 2. vbi ait. *Exteriora ſigna orationis non debere fieri in omni loco, quia homo non debet apparere ſingularis in exterioribus, cum propter hoc haberi poſſet inanis gloria*.

8. Tertia conditio eſt modus; de quo etiam Dico, omni modo decenti, & honeſto poſſe quemlib. orare, ſcilicet, genuflexum, ſtantem, ſedentem, proſtratum &c. nam omnibus his modis legimus Sanctos Patres oraſſe; aduertendum tamen, quod

Digitized by Google

quod in orationibus publicis, quilibet tenetur vti conſuetudine loci, vnde ſi quis vellet audire Miſſam ſtando, vel ſedendo in tota Miſſa, peccaret ſaltem venialiter, niſi adſit cōtemptus, vel ſcandalū, tūc enim eſſet mortale peccatum, & maximè ſi adeò indecenti modo ibi aſſiſteret, vt malum odorem circa fidem de ſe daret.

9 Dubium autem, quod circa hanc tertiam conditionem occurrere poteſt, eſt. Vtrum oratio facienda ſit verſus Orientem? & dubitatio eſt circa orationem publicam, non priuatā; Nam de hac nulla eſt dubitatio, cum poſſit quomolibet fieri, vt ex dictis patet. Reſpondet igitur D.Thom. affirmatiuè. 2.2.q.84.art.3. vbi id probat tribus rationibus, quarum prima eſt; quia per Orientem, Maieſtas Domini ſignificatur ex P. Auguſtino lib.1. de ſerm. Domini in monte cap. 5. Secunda, quia in Oriente Deus Paradiſum creauit ex Niſſeno lib. de Domini orat. ad illa verba. *Dimitte nobis debita noſtra*. vbi ſic ait. *Ad Orientem conuertimur*, (& infra) *Recordamur quemadmodum ex lucidis, & Orientalibus locis eiecti ſumus*. Et idem aſſerit Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap.27. Tertia ratio eſt, quia Chriſtus Oriens, & Sol iuſtitię appellatur ex Athanaſio lib. var. quæſt. q.14. vbi alias rationes etiam adducit; Confirmat Tertullianus contra Valentinianos c.3. Quartam rationem addit Damaſcenus lib.4. de fide c.13. & eſt, quia Chriſtus Dominus in Oriente crucifixus eſt, facie ad occidentem verſa. Quare, & nos orando verſus Chriſti faciem reſpicere debemus; hoc idē affirmat Beda. Luc.23. & alij multi. Adeſt etiam quinta ratio apud Tertullian. cap.16. num.247. vbi dicitur. Eccleſiam introduxiſſe conſuetudinem orandi ad Orientem, vt Chriſtiani diſcernerentur à Iudæis, qui ad Occidentem orare ſolebāt, quia tabernaculum verſus Occidentem diſpoſitum, quam rationem affert etiam D.Thom. 2.2.q.102.art.4.ad 5.

10. Vnde ſi quis hanc cæremoniam obſeruauerit in ſuis orationibus priuatis, illo tamen fine, & deuotione, quo introducta eſt, benè faceret; Imò Epiphan. li.1. contra hæreſ. cap. in 19. damnat quemdam hæreticum appellatum Elxai; qui inter alia prohibebat, ne fideles orarēt verſus Orientem, cupiens introducere Iudaiſmum; Ad præſens autem hæc cæremonia non obſeruatur in orationibus priuatis, licet, quando Eccleſiæ ædificantur, obſeruari ſoleat, nempè vt altare maius ſit verſus Orientem, quando commodè fieri poteſt; Aliter abſque vlla cauſa id omittere, eſſet veniale, & ſi fieret in contemptum tantæ piæ traditionis, eſſet mortale iuxta Horoſium lib.4. de traditionibus, & Durantum lib.1. de Ritibus. c.3.

11 Remanent ad præſens explicandæ aliæ tres circumſtātiæ; quæ ſunt quodammodo intrinſicæ orationi, vt diximus n.6. quarum prima eſt, conditio perſonæ orātis, conditio perſonæ pro qua oratur, & conditio materiæ, quæ poſtulari poteſt. Quoad primam conditionem perſonæ orantis, quæri poteſt, vtrum omnes Spiritus beati, & iuſti orare poſſint, quid de animabus Purgatorij? & quid de Viatoribus? & de ſingulis ſigillatim dicemus. Sed priùs ſupponendum eſt, Diuinas perſonas non poſſe orare, quia orare eſt actus inferioris ad ſuperiorem, in diuinis autem datur omnimoda æqualitas, & vna ſimplex voluntas; Vnde non poteſt vna perſona orare ad aliam: Neque obſtat locus Diui Pauli ad Roman. 8. vbi dicitur. *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; neque locus Exod.32. *Dimitte me, quia aurora eſt*. Nam reſpondet Bellarm. lib.1. de bonis operibus cap.8. *Vtramque locutionem eſſe metaphoricam; quia in Exod. oſtenditur valor, & potentia orationis iuſtorum, & in Diuo Paulo oſtenditur virtus orandi eorum, in quibus eſt Spiritus Sanctus, vt ex ipſo contextu D.Pauli colligitur*: quo poſito.

12 Dico, certum eſſe ſanctos Angelos, & animas beatas orare ad Deum non ſolum laudando, & glorificando ipſum; ſed etiam intercedendo pro nobis tā in communi, quam in particulari, quod eſt de fide, vt probat Diuus Hieronymus contra Vigilantium; & ratio eſt, quia Vniuerſa Eccleſia ex hoc orat ad dictos Sanctos, non tanquam ad auctores gratiæ; ſed tanquam ad interceſſores apud Deum; & ſumitur ex mille locis Sacræ Scripturæ vt fusè probat P.Aug. li.21. de Ciu.Dei, c.18.

13 Sed dubium eſt, quonam modo poſſint orare ad Deum dicti Sancti? quia, vel ipſi vident eorum petitionem eſſe futuram, vel non vident? ſi vident; Ad quid petitio, ſeu oratio pro re certo futura? ſi non vident, hoc repugnat cum illo ſtatu beato. Reſpondetur non repugnare vtrũque ſtatum dictis Sanctis; nam ſi ponamus præcognoſcere Sanctos euentum, & petitionem eſſe futuram, maiori affectu, & libentius orant ad Deum cognoſcendo, diſpoſuiſſe ipſum Deum dictam petitionem velle largiri medijs talibus orationibus. Etſi vident dictam petitionem non eſſe futuram, non ideò non orant; ſed orant ſubijciendo ſe, & creaturam, pro qua orant, ipſi Deo, & ſic exercent actum charitatis in proximum & cultum diuinum in ipſum Deum; & de vtroque habemus exemplum in Chriſto Domino, qui iam videbat, & ſciebat omnia futura, & tamen orauit pro Petro, vt non deficeret fides eius, & pro prædeſtinatis; & vt mitteretur à Patre Spiritus Sanctus ad Apoſtolos, & tamen ſciebat, omnia hæc eſſe futura, & ab æterno prædeſtinata; & ſic etiam ſciebat ſuam Paſſionẽ eſſe omninò adimplendam, & tamen orauit, vt tranſiret ab eo Calix, per quam orationem oſtendit Chriſtus affectum, quem habebat erga ſuam naturam aſſumptam, & ſubiecit illam voluntati diuinæ in laudem, & cultum Dei.

14 Deinde, non repugnat illi ſtatui aliqua neſcire, vt patet in Daniel. 10. vbi Gabriel Angelus, & Daniel orabant pro liberatione Iudæorum, & Angelus Cuſtos Regni Perſarum reſtitit ne Iudæi liberarentur; Vnde non ſemper Sancti omnia ſciunt: niſi eis reuelatum fuerit à Deo, vt docet Diuus Thomas in 4.d.45.q.3.art.3. ad 3.& Caiet.2.2.q.83.art.4. & in 3.p.qu. 10.art.2. Sed Diuus Gregorius ait, dictos Angelos non contraria petijſſe; ſed tantum contraria merita ex diuerſis partibus ad diuinum examen retuliſſe, Dei ſententiã expectantes; & putat Sanctos nunquam petere, niſi, quando cognoſcunt eorum petitionem eſſe adimplendam, quod verum eſt de oratione efficaci, non autem repugnat, vt orent etiam alio modo, vt diximus de Chriſto Domino; & optimè probat Caiet. loc. citat.

15 Secundò dubitari poteſt, vtrum Angeli, & Sancti pro ipſis orare poſſint? Et Reſpondetur non poſſe orare pro ipſis reſpectu beatitudinis eſſentialis, quia id, quod habent, poſtulare non poſſunt, nec poſſunt petere augumentum ipſius gloriæ, cum cognoſcant repugnare diuinæ iuſtitiæ; poſſunt tamen pro ipſiſmet orare reſpectu gloriæ accidentalis, quia illam non habent totam ſimul, vt conſtat ex Apoc.6. vbi dicitur; vidiſſe Ioannem ſub Altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei clamantes ad Deum *Vſquequò Domine non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum*. Vbi ait Diuus Thomas.2.2. q.83.ar.11.ad 1.dictas animas Sanctorum ibi oraſſe, & poſtulaſſe à Deo gloriam ſuorum corporum; ſicut etiam orauit Chriſtus Dominus in nocte cœnæ, Io.17. *Pater clarifica Filium tuum*; In quibus verbis claritatem ſui nominis per notitiam credentium poſtulabat ad accidentalem gloriam ſui corporis, quatenus homo erat.

16. Quid autem dicendum ſit de animabus Purgatorij? Priùs ſupponendum, Dæmones, & animas in Inferno detentas, nullo modo poſſe orare nec pro ſe, nec pro alijs, poſſent tamen petere aliquid à Deo, vel ab aliquo Sancto, non tamen propter cultum Dei, & amore charitatis, vel Religionis, prout legimus, Dæmonem petijſſe à Deo, vt ſibi permitteret tentare Sanctum Iob, & ſimiliter legimus diuitẽ damnatũ petijſſe aliquid ab Abraham Luc.16. quæ petitiones, & aliæ ſimiles, quæ reperiuntur in ſacra Scriptura, vt fuit etiam illa inuadendi in porcos, non fuerunt amore virtutis, & charitatis, ſed odij, & iniquitatis. Ad quæſitum autem reſpondeo animas Purgatorij poſſe orare pro ſeipſis, vt docet Alenſ.4.par.q.62.art. 4. §. 4. vbi aſſerit, tres eſſe fructus orationis, & primus datur ad deguſtandum, ſecundus ad exoluendum, tertius ad impetrandum; ſecundum fructum, certum eſt non eſſe in Purgatorio, quia ille ſtatus, non eſt ſtatus ſatisfaciendi, primum nec etiam adeſſe ait Alenſis, quia animæ ſunt adeò intentæ pœnis, vt non poſſint diuinam gloriam deguſtare; tamen iuxta Suar. in 4.tom. tract. de Pur-

Digitized by Google

Purgatorio, perfectiſſimè animæ Purgatorij orare poſſunt, oratione latè ſumpta, quatenus dicit eleuationẽ mentis in Deũ, quia cum ibi habeant amorem Dei, habent etiam eius contemplationem, nec in illo ſtatu repugnat habere ſimul pœnam, & gaudium aliquod ſpei, & charitatis, vt idem Doctor probat. Si autem oratio ſtricto modo ſumatur, quatenus includit aliquam petitionem, certum eſt, illas non poſſe petere, niſi aliquam delectationem, & dulcedinem, in quam licet, directè intendere non poſſint, veriſimile tamen eſt, quod aliquando illam habeant ex amore Dei, quem in ſe habent.

17. Quoad tertium fructum impetrationis, dico dictam impetrationem poſſe eſſe vel pro ſeipſis, vel pro viuentibus. Pro ſeipſis, certum eſt poſſe impetrare, quia ſtatus non merendi, non impedit impetrationem, & maximè, quia impetratio fit ab animabus iuſtis, & Deo gratis; vt Alenſ. loc. cit. cum quo concordant multi Doctores infra citandi; duobus autem modis poſſunt dictæ animæ impetrare pro ſe, vel humiliter à Deo petendo, vt quam citiùs liberentur, & vt illis condonetur aliqua pars pœnæ propter merita Chriſti; vel quod faciliùs eſt, vt Deus excitet fideles, vt pro ipſis orent, & ſatisfaciant; & hoc probatur auctoritate D. Gregorij in lib. Dialog. vbi Sanctus refert multas animas apparuiſſe viuentibus, petendo ab illis ſuffragia; non eſt igitur deneganda impetratio dictis animabus, quod poteſt eſſe, & ex charitate, & amore, quem habent in Deũ; & ex effectu naturæ, quæ circa ſuum bonum, tanquam in ſuum obiectum naturaliter inclinat.

18. De impetratione autem reſpectu viuentium; quamuis fuerunt multi antiqui Theologi, qui negauerunt poſſe animas Purgatorij orare pro viuentibus; vt etiam docet D. Tho. 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3. Alenſ. loc. cit. & alij multi; tamen ex recentioribus adſunt etiam multi, qui contrariã ſententiam docent; vt Bellarm. lib. 2. de Purgatorio cap. 15. Gregor. de Valent. 3. tom. d. 6. q. 2. punct. 6. Medin. cap. de orat. q. 4. Gabr. lect. 58. in Canonem, & Suar. tom. 2. de religion. lib. 1. de orat. cap. 11. num. 16. & in 4. to. vbi agit de ſuffragijs, vt iam diximus ſupra in cap. 49. de Purgatorio nu. 16. & ratio eſt, quia (vt diximus) dictæ animæ ſunt Deo charæ, & quamuis ab ipſo affligantur, non tamen affliguntur tamquam ab inimico; ſed tamquam à iuſto iudice, & patre benigno. Et ipſæ animæ ſuſcipiunt dictas pœnas maxima voluntate tamquã filij, vnde nulla adeſt ratio, ob quam orare non poſſint pro ſuis amicis, & benefactoribus, quod confirmat Bellarm. quia legitur, animas Purgatorij feciſſe multa miracula apud D. Greg. lib. 4. Dialog. ca. 4. & idem aſſerit Petrus Damianus in Epiſt. de miraculis ſui temporis; vnde ſi Deus ita honorat animas Purgatorij permittendo, vt miracula faciant, multo magis credendum eſt, dictas animas poſſe impetrare pro ſuis benefactoribus, & Deum illas exaudire.

19. Quoad Viatores autem; Dico, reſpectu infidelium, nullũ adeſſe dubium, illos orare non poſſe, cum non habeant baptiſmum, qui eſt fundamentum orationis, & omnium operationum bonarum; vnde Paulus ad Roman. 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt*; Et ècontra reſpectu fidelium Viatorum iuſtorum: certum eſt poſſe orare, quia ſunt Dei amici, & per conſequens nullum impedimentum habent ad non orandum, in quorum numero poſſunt etiam intelligi Angeli, & primi parentes in illo inſtanti, vel tempore reſpectiuè, in quo fuerunt Viatores. Dubium tamen eſt reſpectu fidelium peccatorum; vtrum ipſi orare poſſint? & cum diſtinctione eſt procedendum; nam vel tales peccatores ſunt obſtinati, & nolunt ſe conuertere, & de his dicendum eſt, non oportere orare in tali peccato, vel ſunt peccatores, ſed non obſtinati, & tales, licet, orare non poſſint ad meritum gratiæ, vel gloriæ, non eſt tamen malum, illos orare; imò ex Nauarr. in Enchirid. cap. 10. 11. & 12. & Suar. lib. 1. de orat. cap. 12. n. 4. Tam iſtis peccatoribus æquam etiam obſtinatis ſemper conſulendum eſſe, aſſerunt, aliquam orationem, quia ſaltem, dum orant, non peccant, & fortaſsè Deus prouocabitur ad auferendum ab eis cor lapideum, & præbendum cor carneum. Quando ta-

men eſſent adeò abſtinenti, vt accederent ad orandum cum aliqua mala circumſtantia, modo, vel fine, tunc non ſolum orare non debent; ſed omninò prohiberi debẽt, ne ad ſic orandum accedant, quia tali modo offendunt, & deludunt de nouo ipſum Deum; & de his puto Medinam loqui Cod. de orat. qu. 5. dum aſſerit, prædictos obſtinatos non ſolum non exaudiri; Sed de nouo peccare, cum Deum orando deludant, vbi affert Chryſoſtom. ſuper Matt. aſſerentem, *qui orat, & peccat, non orat; ſed Deum deludit*, ac etiam affert Auguſtinum in quodam ſer. de tempore dicentem, *qua fronte petis, quod promiſit Deus, ſi non facis, quod iuſſit Deus*; Adducit etiam Pſalm. 49. *Quare tu enarras iuſtitias meas.* & illud Eccl. 15. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.*

20 Dubium tamen eſt, vtrum tantum cõueniat creaturæ rationali orare? Et affirmatiuè reſpondet D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 10. Eſt tamen illud verbum rationali, latè ſumendum prout comprehendit etiam angelos, quia licet, Angeli non habeant diſcurſum, habent tamen intellectum, qui eſt tantum neceſſarius cum voluntate ad orandum; Vnde per illam particulam, rationali, reijciuntur bruta animalia ex eodem D. Thom. in reſponſione ad 3. vbi etiam declarat aliquas locutiones Scripturæ, vt in Pſalm. 146. *Et pullis coruorum inuocantibus eum.* & in Pſalm. 103. *Catuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi*, & metaphoricè ait eſſe dictas locutiones intelligendas, quatenus naturali inſtinctu appetitus dictorum animalium expleri non poſſit, niſi ex prouidentia Dei.

De ijs pro quibus orare poſſumus, vel non poſſumus.

Cap. LXX.

1 *Cuilibet, licitum eſt orare, ſed non pro animabus exiſtentibus in Inferno.*

2 *Orare poſſumus pro Sanctis ad impetrãdas eis gloriam accidentalem.*

3 *Eadem doctrina confirmatur, & declaratur quædam difficultas.*

4 *Orare non poſſumus, pro eo, quem certò ſcimus eſſe damnatum.*

5 *Eadem doctrina confirmatur, & reſpondetur ad argumentum contrarium.*

6 *Orare debemus pro omnibus indifferenter.*

7 *Non debemus orare pro eo, qui mortuus eſt cum finali impœnitentia.*

8 *Orare debemus etiam pro inimicis, & aliquando ad id tenemur.*

9 *Explicantur imprecationes, quæ leguntur in ſacra Scriptura contra inimicos.*

10 *Quæ ſunt abſolutè bona, debent peti abſolutè in oratione, ſecus de alijs bonis.*

11 *Quæ ſunt neceſſaria ad vitam, non eſt malum abſolutè quærere in oratione.*

12 *Non debemus petere in oratione tribulationes, & mala.*

13 *In oratione, nihil aliud petere debemus, niſi id, quod Christus docuit in oratione Dominica.*

14 *Effectus orationis, ſunt, impetratio, & meritum.*

1 ALtera ex tribus vltimis conditionibus ad orationẽ ſpectantibus, eſt reſpectu perſonarum, pro quibus orari poteſt; & licet, hoc ſatis pateat ex ſupradictis, tamen etiam hic aliqua addere, vanum non erit. Dico igitur; cuilibet licitum eſt orare tam pro perſonis particularibus, quam pro omnibus in communi, & pro tota Eccleſia; & etiam pro ſeipſo tantum, de quibus exemplum habemus in ſacra Scriptura, vt apud Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre*, & cap. 23. *Pater dimitte illis*, & in Actib. Apoſtol. 12. cum Petrus eſſet in vinculis, *Oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo*, & D. Paulus multoties orat, vt oratio fiat pro ipſo, vt ad Epheſ. 6. Coloſſ. 4. 2. Teſſalon. 3. & apud Tobiam 8. dicitur. *Tobias, & Sara ſurgentes pariter inſtanter orabant ambo ſimul, vt ſanitas daretur eis*; & idem Apoſtolus præcipit orare pro omnibus Sanctis, ideſt, fidelibus ad Epheſ. 6. Pro animabus autem exiſtẽtibus in Inferno orare non poſſumus, ſicut è contra poſſumus, & debemus orare pro animabus Purgatorij, quia ſunt capaces, & non illæ, vt ſæpè iam probauimus; & probat P. Auguſt. in Enchir. cap. 110. & lib. de cura pro mortuis agenda; & Innoc. III. de

cele-

Digitized by Google

celebrat. miſſarum in cap. cum Marthæ.

12. Pro Sanctis autem, licet, orare nō poſſimus, cum iam habeant ſuam gloriam eſſentialem, nec illa poſſit augeri, vel minui iuxta P. Auguſt. ſer. 17. de verb. Apoſtoli, vbi ait, *Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre*; tamen bene poſſumus orare pro ipſis ad maiorem gloriam accidentalem, & ita docet Innoc. III. loc. cit. §. 3. dicens. Pleriq; reputant non indignam, ſanctorum gloriam vſq; ad iudiciū augumentari, & ideò Eccleſiam poſſe augumentum glorificationis eorum optare, vt proſit Sāctis ad gloriam, ſicut prodeſt nobis ad medelam; ita etiam affirmare videtur Bellar. lib. 2. de Purgat. ca. 18. & ratio eſt, quia Sancti ſunt capaces gloriæ accidentalis, ergo poſſumus illis dictam gloriam accidentalem, & deſiderare, & impetrare. Nā ſicut poſſumus agere gratias Deo pro gloria Sanctorum, vt aſſerunt P. Auguſt. & Innoc. loc. ſupra citatis, ſic etiam poſſumus pro illis dictam gloriam accidentalem impetrare, quod confirmat Suar. lib. 1. de orat. cap. 14. num. 4.

13. Ex dicta tamen doctrina difficultas quædam oritur, nam ſi dicamus nos poſſe orare pro Sanctis ex eo, quod ſint capaces gloriæ accidētalis; ſequitur, quod etiam poſſimus orare pro ipſo Deo, cum etiam ipſe ſit capax gloriæ accidentalis, quod probatur ex P. Auguſtino lib. 2. de ſer. Domini in monte ca. 10. ad illa verba, *Clarifica nomen tuum.* Et ex verbis Chriſti, *Clarifica me Pater.* Io. 17. vbi Maldonat. & alij dicunt, Chriſtū non tantum ſibi, vt homini, ſed etiam, vt Deo claritatem illam poſtulaſſe; vnde ſi Deus eſt capax gloriæ accidentalis, etiam pro ipſo orare poterimus; reſpondetur tamen, magnam eſſe differentiam inter gloriam accidentalem Sanctorum, & gloriam accidentalem Dei; nam licet, gloria accidentalis Sanctorum, ſit extrinſeca, eſt etiam quodammodo intrinſeca, quatenus ex tali gloria accidentali recipiunt aliquod gaudium accidentale intrinſecum; Deus autem ex gloria accidentali non recipit aliquod gaudium intrinſecum, quod poſſit dici bonum aliquod additum ipſi Deo, ſicut dici poteſt de Sanctis; & ideò totum illud bonum, quod prouenit ex glorificatione Dei, prouenit in vtilitatem, & bonum creaturæ glorificantis; vnde non datur eadem ratio de Sanctis, ac de Deo. Hoc tamen non eſt promulgandum ad omnes ob aliquod periculum; cum verè nos ſimus indigentes orationum Sanctorum, & illi non indigeant noſtris.

4. Deinde quæritur, vtrum licitum ſit orare pro reprobis Viatoribus, vel vt ſtrictiùs loquamur, vtrū licitum ſit orare pro aliquo, quem certò ſcimus ex reuelatione eſſe reprobum? & negatiuè reſpondet P. Auguſt. lib. de correptione, & gratia cap. 15. & D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 7. ad 3. & ratio eſt, quia ex eo nos non poſſumus alicui negare orationis beneficium, quia neſcimus diſtinguere reprobos à prædeſtinatis. Vnde ſi certò noſcerentur, vtiq; deberemus illos excludere; ſic enim orauit Chriſtus Dominus apud Io. 12. *Non pro Mūdo rogo; ſed pro his, quos dediſti mihi*; orauit etiam pro nobis, non tamen voluntate efficaci, quod intendit negare P. Auguſt. & D. Thom. ſed ſimplici voluntate ad oſtendendam ſuam charitatem, quæ ex ſe neminem excludit, & vult homines ſaluos fieri 1. ad Timoth. 2. ita ſimiliter orauit Chriſtus Dominus. *Pater ſi poſſibile eſt.* Quāuis certò ſciret decretum ſuæ paſſionis, ad oſtendendam tamen charitatem erga naturam aſſumptam, & ad ſubijciendam illā volūtati diuinæ, orauit, ſed non efficaciter, propterea addidit; *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Vnde ſi certò ſciatur aliquod decretum diuinum, non poterit quis contra dictum decretum orare; quod ſumitur ex Hierem. 7. & 11. *Tu noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te*; & dicto cap. 11. *Tu noli orare pro populo hoc.*

5. Neq; dicas, fuiſſe reuelatū à Chriſto Petro ſui negationem Matth. 26. *Ter me negabis*, ergo Petrus non tenebatur pro ſe orare, & petere auxilium diuinum ad non negandum? Nam reſpondetur prædictam reuelationē Petro factā, non fuiſſe ex preſciētia; ſed ex cōminatione, ſeu periculo, in quo proximè erat, & ſic ēt accipiēdę eſſent reuelationes à Deo factæ, ſi quæ eſſent, vt fuit illa Niniuitarum; nec alio modo conuenit

uenit diuinæ prouidentiæ reuelare; quia aliter Viatores poſſent deſperare de ſua ſalute; Difficultas autem poſita verſatur circa potentiam Dei abſolutam, & ideò negatiuè reſpondimus; Sed dictæ reuelationes nunquam ſunt accipiendæ tanquam certæ prophetiæ, & ex præſcientia, ſicut fuit illa Petro facta, vt diximus; vnde, & tenebatur ipſe diuinum auxilium implorare, & ad non negandum, euitando occaſiones, quæ ad hoc illum impellebant.

6 Notandum tamen eſt, quemlibet orare debere indifferenter pro omnibus ſiuè prædeſtinatis, ſiuè reprobis, cum nemo ſciat, quinam ſint prædeſtinati, & quinam reprobi, ſicut Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; & hoc obſeruat Diuus Paulus 1. ad Timoth.2. quod etiam affirmant, & docent P. Auguſtin. & D.Thom.loc.cit. Virtualiter tamen, ſeu etiam habitualiter debet quis intelligere efficaciter orare pro prædeſtinatis, & conditionatè pro reprobis.

7 Neque ſecundò dicas; Io. 1. can. cap.5. ſic aſſerere. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Ex quibus verbis videtur colligi, neminem poſſe orare pro peccatore peruerſo; Et conſequenter oratio non erit ſemper facienda pro omnibus? Vbi reſpondetur ex P. Auguſt. & D.Thom.loc.cit.art.7. quod peccatum ad mortem, ſi ſit cum finali impœnitentia, certum eſt nos non debere orare pro tali peccatore, cum iam ſit damnatus, & tunc verè dicitur peccatum ad mortē. Si autem intelligatur peccatum ad mortem pro obſtinatione quadam, quam peccatores habere ſolent dum viuunt, debemus omninò pro tali peccatore orare, & implorare ei auxilium diuinum, quo mediante certum eſt, dictum peccatorem poſſe reſurgere; Vnde quando Ioan. dicit, *non pro illo dico, vt roget quis*, vel dicta verba intelligenda ſunt de primo peccatore, vel dicendum ibi loqui de difficultate, quam habet peccator obſtinatus ad reſurgendum.

8 Vltimò tamen quæritur, vtrum orandum ſit pro inimicis? quod quærit D.Thom.2.2.qu.83. art.8. Et affirmatiuè reſpondet ex Matth.5. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos,* non tamen ſemper tenemur ex præcepto, niſi in extrema neceſſitate, quia ſicut tenemur illos diligere, ita tenemur pro illis orare; nam in inimicis tenemur diligere naturam, & non peccatum; & tenemur in generali inimicos diligere; In particulari autem tenemur tantum habere animum præparatum ad dictum inimicum diligendum, & iuuādum in neceſſitatis articulo, vel ſi veniam peteret, ei remittere; tunc autem dicitur quis habere animum præparatum, quando veniente occaſione eſt paratus oſtendere omnia ſigna proportionata pro recōciliatione amicitiæ, vt Suar.lib.1.de orat.cap.16.num. 1. de cætero autem perfectionis erit inimicos in particulari diligere, & iuuare. In orationibus autem communibus ex præcepto debemus etiam pro inimicis orare, ſcilicet, illos non excludere; Sed orationes communes intelliguntur non ſolum illæ, quæ fiunt ab Eccleſiaſticis ex præcepto Eccleſiæ; ſed etiam illæ, quas quiſque facit pro aliqua neceſſitate populi, vel Eccleſiæ, à quibus orationibus, nec debent, nec poſſunt ex præcepto excludi inimici, cum etiam illi ſint membra illius populi, vel Eccleſiæ, vt benè notat. Suar. loc. cit. num. 4. Perfectionis tamen erit etiam ſpecialiter pro inimicis orare, vt ait D.Thom.loc.cit.ſed notat idem Suar. loc. cit.num.3. Non ex hoc ſequi, vt quis non poſſit orare pro alijs, excludēdo inimicos, quia fructus orationis eſt voluntarius, & poteſt quis velle potiùs amicos, quam inimicos iuuare, ſicut poſſet quis orare pro prædeſtinatis, & non pro reprobis, ac pro ſuis parentibus, & amicis, & non pro alijs, quando non adeſt neceſſitas inimicorum, vt diximus.

9 Neque dicas, multoties reperiri in Sacra Scriptura, diuerſas imprecationes contra inimicos, vt in Apoc.6. *Vſquequò non vindicas ſanguinem noſtrum*, & Pſal.60. *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam.* Nam reſpondet D.Thom.in cit.ar.8.ad.1. dictas imprecationes quadrupliciter poſſe intelligi. Primò, quatenus Prophetæ in dictis imprecationibus ſoleant futura prædicere; vt ſumitur ex P.Auguſtino lib. de ſer. Domini in monte. Secundò, prout à Deo ali-

aliquando mittuntur peccatoribus aliqua mala ad correptionem; Tertiò, quatenus dictæ imprecationes diriguntur contra Regnum peccati, ſed non contra dictos homines imò, vt ipſi homines conuertantur, & deſtruatur peccatum; Quartò conformando voluntatem ſuam diuinæ iuſtitiæ circa damnationem, ſi perſeuerauerint in peccato. De vindicta autem martyrum dupliciter reſpondet P. Auguſtin. nam In loc. cit. ait. *Vindictam martyrum eſſe contra Regnum peccati, ob quod Regnum ipſi dicta mala perpeſſi ſunt*; Et lib. de quæſtionibus Veteris, & Noui Teſtamenti dicit, martyres poſtulare vindicationem non voce; Sed ratione, vt fuit vox ſanguinis Abel clamantis de Terra; & tandem lætantur iuſti, & Sancti, non propter vindictam, ſed propter diuinam iuſtitiam.

10 Vltima conditio orationis, de qua propoſuimus agendum, eſt materia, ſeù id, quod peti debet in oratione. Quare ſciendum eſt D. Thom. 2. 2. q. 83. ar. 5. Quod bona, quæ nos poſſumus petere, vel ſunt abſolutè bona: quia per illa, v. g. ſanctificamur, & efficimur Deo grati, vt ſunt petitiones auxilij diuini, & virtutum, & hæc bona determinatè, & abſolutè peti poſſunt iuxta Ioannem 4. *Veros adoratores oportet adorare in Spiritu, & Veritate*. Et Chriſtus Dominus Matth. 6. & Luc. 11. Docuit diſcipulos determinatè petere ea, quæ ſunt in oratione Dominica; quando autem ea, quæ petere volumus, non ſunt abſolutè bona; imò multoties cedunt in damnationem illa habentium; tunc non ſunt determinatè, & abſolutè petenda, vt ſunt honores, diuitiæ, Euentus proſperi, procreationes filiorum, &c. Nam prædicta licet, nobis videantur bona, multoties tamen ſunt in noſtrum exitium.

11 Non tamen eſt illicitũ, ea, quæ neceſſaria ſunt ad vitam corporalem, determinatè petere iuxta Prouerb. 30. *Tantum victui meo tribue neceſſaria*; Et Pater Auguſtinus Epiſt. 121. ad Probum ait. *Sufficientiam vitæ non indecenter vult quiſquis eam vult, & non ampliùs*. Nam prædicta appetere non eſt propter ſeipſum, ſed propter ſalutem corporis, & ſic poſſunt dici adminicula quædam, quæ nos adiuuant ad tendendum ad beatitudinem ex Genel. 28. *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum Patris mei, erit mihi Dominus in Deum*. Vnde concludit Diuus Thomas art. 6. *Iſta cum habentur, vt teneantur, cum non habentur, vt habeantur, orandum eſt*. Quod etiam Socrates philoſophus cognouit, dicens apud Valer. Maxim. *Nihil vltra petendum à Dijs immortalibus; quam, vt bona tribuerent*. Ex quibus verbis colligit Diuus Thom. loc. cit. art. 5. Dictum philoſophum voluiſſe, vt nihil determinatè à Dijs peteretur, niſi tantum illa bona, quæ ipſi Dij iudicabant eſſe bona, & largienda; quod, & nos reſpectiuè nobis applicare debemus, & maximè, cum certò ſciamus, rerum abũdantiam eſſe periculoſam, dicente Chriſto, eſſe impoſſibile, diuitem ſaluari, & D. Paul. 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationibus, & laqueum diaboli, & deſideria mala, & nociua, & inutilia*.

12 Deinde pro temporalibus malis, & Afflictionibus habendis, orare non debemus (regulariter loquendo;) & licet, id aliqui Sancti petierint, vt Dauid Pſ. 25. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum*; ac ſi diceret: vt ibi ait P. Auguſtinus. *Adhibe medicinale purgatorium, quaſi ignem delectationibus, & cogitationibus meis*. Et Hieron. *Proba me Domine in tentationibus, & tenta me, ne aliquid in me delicti remaneat*; Et P. Auguſtinus ſerm. 30. de Sanctis ad illa verba. *Vre renes meos, & cor meum*. Ait; *Ad comprobandam deuotionem ſuam geminum ſibi ignem poſtulat, ſcilicet, renum, & cordis, vt luctamine habito, oſtendat in ſe plùs, poſſe amorem Chriſti, quam pœnam Tyranni*. Nos tamen, qui non ſumus in gradu dictorum Sanctorum, prædicta petere non debemus; Sed pro eorum Spiritu obtinendo orare, & fatigare curemus, ne ſupra noſtras vires, ſuperbè appetendo in laqueum incidamus diaboli; Nam Paulus ter legitur rogaſſe Dominum, vt à ſe diſcederet ſtimulus carnis 2. ad Corinth. 12. & erat Paulus, nos, qui non ſumus Pauli, neſcio ſi maiorem fiduciam debeamus habe-

habere de nobis ipſis, quam Paulus non habebat de ſe.

13 Dicendum eſt igitur, in omnibus orationibus nihil aliud eſſe petendum, nec alio modo, niſi id, quod docuit Chriſtus in ſua oratione, & ita aſſerit P. Auguſtinus Epiſt. 121. cap. 12. *Si rectè, & congruenter oremus, nihil aliud dicere poſſumus, niſi, quod in hac oratione Dominica poſitum eſt*, & ſerm. 182. de tempore. ſic ait. *Hæc oratio compendioſis verbis ſeptem petitionibus, Omnes ſpecies orationis comprehendit.* Et maximè, cum prædictę petitiones reperiantur ſparſę per totum corpus pſalterij, vt ait Innocent. 1. Epiſt. 25. Quæ apud Patrem Auguſtinum eſt. 91. Et ſic orando ſemper lęti erimus, ſiuè id, quod petimus aſſequamur, ſiuè non, quia ſcit Pater noſter cœleſtis, quibus indigemus. Et ſiuè ipſe neget, quod petimus, ſiuè largiatur, ſemper miſericorditer pro noſtro bono operatur, quod confirmat P. Auguſtinus in lib. Sententiarum Proſperi apud D. Dhom. 2. 2. q. 83. art. 15. his verbis. *Fideliter ſupplicans Deo pro neceſſitatibus huius vitæ, & miſericorditer non auditur, quid enim infirmo ſit vtile, magis nouit medicus, quam ægrotus.* Aliquando tamen nõ obtinemus id, quod petimus, non quia malum petimus, ſed quia bonum malo modo petimus, vt notat Baſilius apud eundem Diuum Thomam. *Ideo* (inquit) *quandoque petis, & non accipis, quia perperam poſtulaſti, vel infideliter, vel leuiter, vt non conferentia tibi, vel deſtitiſti.*

14 Notandum etiam eſt, duplicem effectum habere orationem, ſcilicet impetrationem, & meritum, præter effectum ſpiritualis conſolationis, quam quis ex oratione percipit: ex D. Thom. loc. cit. habet effectum meriti, quia procedit à charitate, ſeu ex gratia gratum faciente; aliter nullum haberet meritum; habet etiam efficaciam ad impetrãdum ex gratia ipſius Dei, quem oramus, vt colligitur ex P. Auguſtino lib. de verb. Domini. *Non nos* (inquit) *hortaretur, vt peteremus, niſi dare vellet.* Et Chryſoſtom. apud Diuum Thomam. *Nunquam oranti beneficia denegat, qui, vt orantes non deficiant, ſua pietate inſtigat.* Et vtrumque effectum orationem habere, probat Gloſſ. ſuper Pſalm. *Oratio mea in ſinu meo conuertetur.* Vbi ſic ait. *Et ſi eis non profuit, ego tamen non ſum mea mercede fruſtratus.*

DE ORATIONE DOMINICA.

Quęnam ſint petitiones Orationis Dominicę, & quomodo faciendæ. Cap. LXXI.

1 *Dicendo Pater in oratione Dominica, intelligitur tota Sanctiſſima Trinitas.*
2 *Additur Noſter, & non Mi, quia hoc ſpectauit tantum ad Chriſtum.*
3 *Sequitur. Qui es in cœlis; vt anima noſtra obducatur à terrenis, &c.*
4 *Explicantur ſubſequentia verba. Sanctificetur nomen tuum.*
5 *Explicatur ſecunda petitio. Adueniat Regnum tuum.*
6 *Explicatur tertia petitio, fiat voluntas tua.*
7 *Explicatur quarta petitio, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*
8 *Explicantur etiam aliæ tres petitiones ſubſequentes.*
9 *Adoptantur ſeptem petitiones cum donis, & beatitudinibus.*
10 *Explicatur quare S. Lucas quinque tantum petitiones ponat.*

1 IAm notauimus in hac oratione Dominica eſſe verum modum petendi in oratione, & veram materiam; quã petere debemus; nam omnes res, quæ ſunt

ſunt in dicta oratione abſolutè deſiderare debemus; & ex conſequenti illas petere debemus; aliqua tamen circa verba dictæ orationis enucleare, neceſſarium putaui, ne aliquid deſit in hac materia. Vnde primò quæritur, quid intelligatur per primum verbum. *Pater*, ſcilicet vtrum intelligatur Pater æternus, vel tota Trinitas,& licet, non incongruè poſſet dirigi dictum verbum ad Patrem ęternũ;tamen ſecundũ communem Patrum ſenſum, intelligitur tota Sanctiſſima Trinitas; vt Ambroſ.lib. 5.de Sacramen.cap.4.P.Auguſt. ſerm.126. de tempore,Nyſſenus in expoſit.dictæ orationis, Cyprianus in expoſit.eiuſdem orationis,Venantius tom.2.Bibliothec.&Tertull.lib.de orat. c.2. & incipiendo ab Ambroſio, ſic ait. *Dic ergo tu per gratiam. Pater noſter, vt filius eſſe merearis*; Et Pater Auguſtinus. *Per illud verbum Pater, bonitatem, & gratiam profitemur* (deinde) *per ipſum hac fiducia præſtita eſt; quotquot enim receperunt eum, dedit illis poteſtatem filios Dei fieri*. Ex quibus verbis colligitur, hoc nomen Patris,eſſe commune toti Tinitati.

2 Deinde dicitur *Noſter*; & non Mi; quia dicere Pater mi. Chriſtus ſibi reſeruauit tanquam ſibi proprium ex Matt. 26. *Pater mi ſi poſſibile eſt*. Nos autem non vocamus Patrem noſtrum; niſi per gratiam ipſius Chriſti. At Chriſtus vocat Patrem per naturam; quod videtur exprimi per illud verbum *Mi*. Vnde Ambroſ. ad illa verba Ioan.20. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*. Sic ait. *Noli tibi ſpecialiter vendicare,ſolius Chriſti ſpecialis eſt Pater, nobis omnibus in communi eſt*. Et Cyprianus. *Vnitatis Magiſtrum non dixiſſe Pater meus; Sed Pater noſter,vt indicaret orationem debere eſſe ex communi charitate perfectam*. Nam cum omnes dicamus Pater noſter, omnes nos fratres eſſe fatemur, vt idem Chriſtus declarauit Matth. 23. *Omnes vos fratres eſtis,& Patrem nolite vocare vobis ſuper terram; Vnus eſt enim Pater veſter, qui in Cælis eſt*; Vnde Pater Auguſtinus Chryſoſt. Cyprian. Ambroſ. & alij docẽt locis ſupra cit.Neminem debere orare pro ſe tantum, ſed pro omnibus, & vniuerſa Eccleſia, quia omnes petitiones, quæ fiunt in dicta oratione, referũtur ad primum pronomen numeri pluralis, ſub quo intelliguntur omnes fideles iuxta Patrem Auguſtinum, quamuis non puto eſſe erroneum, intelligere omnes Viatores,& pro omnibus orare,dummodo non habeant obicem; quod poteſt ſumi ex Epiſt. ad Epheſ.4. vbi dicitur. *Vnus Deus Pater eſt omnium*; Et licet, ſpecialiter ſit Pater fidelium, eſt etiam Pater omnium, nam Chriſtus pro omnibus mortuus eſt.

3. Additur deinde. *Qui es in Cælis*. Vbi P.Auguſt. *Vt ſciamus proprius orationis munus eſſe, vt per eam noſtra conuerſatio in Cælis ſit*.Ser.182.de tempore, & Chryſoſt. homil.20.in Matth.*Vt à terrenis obducat orãtem*. Vnde Chriſtiani in primitiua Eccleſia orabant manibus extenſis ad Cœlum, & nudato capite, vt ait Tertull. in Apolog.cap. 30. Aliquando verò etiam metaphoricè interpretantur Patres illud verbũ (*in Cælis*)ſcilicet,*in anima iuſti*; vt P.Auguſtinus lib.2. de ſer. Dom. in monte cap. 9. Ambr.lib.5.de ſacr.cap.4.tamen expoſitio literalis non omittẽda eſt; ſed ſemper ſupponenda. Vnde ad orandum magna cum fiducia, & filiali amore accedere debemus, & ad impetrandum confidenter exiſtere ex eodem P.Auguſtino,ſic loquente. *Quid enim iam non Dei filijs petentibus Pater, qui iam hoc ipſum dedit,vt eſſent filij?* ad quod etiam nos animat Chriſtus Matth.7. *Si vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis Pater veſter cæleſtis dabit ſpiritũ bonum petentibus ſe*.Vide ipſum Sanctum loc. cit.

4. Proſequuntur deinde petitiones, & primò ponuntur illæ, quæ pertinent ad Deum, deinde illæ, quæ pertinent ad nos; vt diſcamus ſemper primò quærendum eſſe Regnum Dei ex Matth.9.Prima igitur petitio eſt. *Sanctificetur nomen tuum*, quæ pertinet ad dilectionem Dei, cum ipſum, in ſeipſo diligamus iuxta D.Thom. 2.2. q. 83.art. 9. in cor. & ratio eſſe poteſt,quia tunc ſanctificatur nomen Dei,quando petimus,vt glorificetur in nobis.Vnde P.Auguſt.loc.cit.cap.5. ait. *Petimus, vt nomen Dei ſanctum habeatur ab hominibus, & ita illis innoteſcat Deus, vt non exiſtiment aliquid Sanctius, quod magis offendere timeant*.Vnde D.Thom.ſuper Iſaia 56. *Nomen Dei magnũ*

Digitized by Google

eſt ad timendum. Sanctum ad venerandum, dulce ad meditandum, copioſum ad miſerendũ, efficax ad impetrandum, virtuoſum ad ſaluandum, occultum ad ſciendum. Sanctificatur igitur nomen Dei in nobis per cognitionem, amorem, & laudem ipſius Dei. Cyprianus autem ait; in dictis verbis poſtulari donum perſeuerantiæ; quod etiam affirmat Ambroſ.li.5.de Sacram. & P. Auguſt.lib.de bon.perſeueran.cap.2.& ſerm. 135. de tempore, & ratio eſt, quia dũ oramus, ſanctificati eſſe debemus tanquam filij, & ideò petimus vt eius ſanctitas in nobis perſeueret; quod licet, ſit verum, tamen pro dicta petitione magis conſona videtur prima expoſitio.

5. Secunda petitio eſt. *Adueniat Regnum tuum;* vbi D.Thom.loc.ſupra cit.ait; hanc petitionem pertinere ad dilectionẽ, qua diligimus nos in Deo, ſcilicet, nos petere peruenire ad gloriam Dei, & Regni eius; D.autem Ambroſ. Cyrill. Ieroſol.loc. cit.& Hieronym. ſuper Matth. 26. intelligunt dictam petitionem de Regno Dei in Eccleſia militante, ſcilicet, quod in ea petere debeamus, vt omnes viatores veniãt ſub Regno Eccleſiæ militantis per fidem. Alij etiam, vt Cyprian. Chryſoſt. & Tertull. ſupra intelligunt dictam petitionem pro Regno æternæ beatitudinis; ideſt, quod nos petamus ibi adimpleri in nobis Regnum ſuum; vt etiam dixit D.Tho. Rupertus verò intelligit pro complemento Regni filij Dei, ſcilicet, vt omnia illi ſubijciantur, quod Pſalmiſta dixit; *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.* Vnde nos non ſolum hæc omnia deuoto affectu intelligere; ſed etiam quidquid Eccleſia vult, & intelligit; petere debemus.

6. Tertia petitio eſt. *Fiat voluntas tua.* Vbi ſimiliter aſſerit D.Thom.loc.cit.quod dupliciter poſſit dici aliquid neceſſarium ad vltimum finem, quem intendere debemus in oratione; primò directè, & principaliter ſecundum meritum, quo beatitudinem meremur Deo obediendo; & ideò ponitur, *Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in terra.* Secundò inſtrumentaliter, & quaſi coadiuuans nos ad merendum; & per hoc ponitur. *Panem noſtrum quotidianum,* &c. Vnde iuxta mentem D. Tho. in his verbis petimus aſſimilari Angelis, & Sanctis Cæli, obediendo ipſi Deo. P. autem Auguſtinus ſæpè exponit, nos petere debere in illis verbis, obſeruantiam præceptorum Dei. ſer. 135. de tempore; & lib. 2. de ſer. Domini in monte cap.6.& Epiſt. 121. cap. 11. Ambroſ. verò intelligit nos debere petere pacem pro hominibus in terra, ſicut eſt in Cœlis. Et Tertullian. ait, nos petere conformitatem cum diuina voluntate in omnibus, quæ nobis eueniunt; & Caſſian.collat.9.cap.20. exponit de voluntate antecedente, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Sed dicendum omninò eſt, nos non ſolum debere orare pro illis rebus, quas Deus vult voluntate antecedenti; ſed etiam pro illis, quas vult voluntate abſoluta, vt colligitur ex doctrina ſupra tradita; quia Chriſtus licet cognouerit voluntatem abſolutam Dei, ſeu Patris circa ſuam paſſionem, adhuc tamen orauit, ſicut etiam orauit pro ſuis crucifixoribus, quamuis ſciret illos ab æterno fuiſſe electos ad gloriam voluntate antecedẽti, non tamen eadẽ voluntate efficaci pro omnibus orare debemus; ſed cum ſubiectione noſtræ voluntatis voluntati diuinę, vt iam notauimus.

7. Quarta petitio eſt. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,* in qua petione conſiſtit ſecundum medium neceſſariũ ad ſalutem iuxta D.Thom.2.2.q.83. art. 9. & hoc ſiuè intelligatur de pane Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, ſiuè de pane materiali neceſſario ad corpus ſubſtentandum; licet, vtrũque debeamus hìc intelligere, vt communiter omnes Patres intelligunt, & probat D.Thom. quia Euchariſtia eſt præcipuum Sacramentum, & panis eſt præcipuus cibus, qui quamuis non directè ordinetur ad vltimum finem, ſicut Euchariſtia, dirigitur tamen inſtrumentaliter, quatenus adiuuat nos ad merendum, quod etiam ſumitur ex P. Auguſtino Epiſt. 121. ca. 11. licet, alibi, tantum pro ſufficientia victus dictam petitionem declaret, vt ſcribendo ad probum, pro vt refert D. Tho. In libro autem ſecundo de ſer. Domini in monte cap. 7. alterum ſenſum non excludit. Sed Cyprianus expreſſiùs vtrumque ſenſum intelligit his verbis. *Poteſt ſpiritualiter, & ſimpliciter intel-*

Digitized by Google

intelligi, & vterque intellectus vtilitati diuinæ proficiunt ad ſalutem; ita etiā Niſſenus, Tertullian.& alij. Chryſoſtomus autem pro pane materiali, dictam petitionem exponit; & Hieronymus in Matth. exponit pro ſanctiſſima Euchariſtia, tāquam præcipuo pane ſubſtantiali; alterum tamen ſenſum dicti Sancti non excludunt; notandum tamen, quod pro pane materiali, intelligantur omnia neceſſaria ad vitam ſubſtentandam, cum pro nobis creata ſint, & ad nos pertineant, ideò additur, *noſtrum*, in dicta petitione; additur etiam, *hodie*; vt reſpectu ſanctiſſimæ Euchariſtiç, quotidie ſit in nobis eius effectus, vt virtus; & reſpectu panis materialis, ne ſimus ſolliciti pro craſtino; vt admonet nos Chriſtus Dominus Matth. 6. quia, *ſcit Pater veſter Cæleſtis, quibus indigetis*, contra miſeros cupidos, & harum rerum mūdanarum ſollicitos, quorum cor nunquam dicit ſufficit.

8. Tres autē aliæ petitiones diriguntur cōtra tria, quæ nos impediunt ad beatitudinem conſequendam, quorū primum eſt peccatum, quod directè excludit nos à Regno Dei iuxta Paulum ad Corinth. 6. *Neque fornicarij, nec Idolis ſeruientes &c. Regnum Dei poſſidebunt*; vnde dicitur in dicta oratione; *Dimitte nobis debita noſtra*; & quia ad dictam petitionem conſequendam, eſt etiam neceſſe, vt, & nos dimittamus debitoribus noſtris, vt docet Chriſtus Luc. 10. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis Pater veſter delicta veſtra*; ideò additum eſt. *Sicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Secundum impedimentum eſt tentatio, quæ non impedit ab obſeruantia diuinæ voluntatis; vnde dicitur. *Et ne nos inducas in tentationem*. Tertium impedimentum eſt pœnalitas præſens; & ideò additur; *Sed libera nos à malo*, ex D. Tho. loc. ſupra cit. Sunt igitur ſeptem petitiones, quarum primæ tres implebuntur in vita futura, & aliç quatuor pertinent ad neceſſitatem vitæ pręſentis iuxta P. Auguſtinum in Enchir. vt refert D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 9. ad 1.

9. Eſt etiam hic notandum id, quod affert D. Thom. eodem loc. ad 3. ex P. Auguſt. in li. de ſer. Domini in monte, vbi dictus Sanctus adaptat dictas ſeptem petitiones, donis, & beatitudinis, his verbis. *Si timor Dei eſt, quo beati ſiunt pauperes ſpiritu; petamus, vt ſanctificetur nomen Dei in timore caſto; ſi pietas eſt, qua beati ſiunt mites, petamus, vt veniat Regnum eius, & miteſcamus, nec ei reſiſtamus; ſi ſcientia eſt, qua beati ſunt, Qui lugent, oremus, vt fiat voluntas eius, & ſic non lugebimus, ſi fortitudo eſt, qua beati ſunt, qui eſuriunt, oremus, vt Panis noſter quotidianus detur nobis. Si conſilium eſt, quo beati ſunt miſericordes; debita dimittamus, vt nobis noſtra dimittantur. Si intellectus eſt, quo beati ſunt mundo corde, oremus ne habeamus duplex cor, temporalia ſectando, ex quibus tentationes ſiunt in nobis. Si ſapientia eſt; qua beati ſunt pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, oremus, vt liberemur à malo; quæ liberatio liberos nos faciat filios Dei.*

10. Deniq; eſt notandum cum eodem P. Auguſt. in Enchir. vt refert idem S. Tho. in reſponſione ad 4. quod S. Lucas non ſeptem, ſed quinque tantum petitiones cōplexus ſit, relinquendo tertiam, & ſeptimam; & ratio eſt, quia tertia iam continetur in duabus præcedentibus, & vt detur intelligi, quod in hoc voluntas Dei tēdat, vt eius ſanctitatem cognoſcamus, & cum ipſo regnemus. Septimam verò dimiſit, vt vnuſquiſque ſciat in eo ſe liberari à malo, quod non inferatur in tentationem.

DE DIVINO OFFICIO, SEV HORIS CANONICIS.

Quid ſit Diuinum officium, ſeu horæ Canonicæ: quot ſint, quo iure inſtitutæ; & de obligatis ad ipſum. Cap. LXXII.

VSque modo dictum eſt de oratione in communi, ad quam quiſq; tenetur ex iure naturali, & diuino; nunc autem dicendum eſt de oratione vocali in particulari, ad quam Eccleſiaſtici tenentur, ſcilicet, de horis Canonicis; & primò quærendum eſt quid ſint; quot ſint, quomodo inſtitutę &c.

1 *Officium diuinum fuit ab Eccleſia inſtitutum ad adorandum & ore laudandum Deum.*

2 *Declarãtur particula definitionis officij diuini.*

3 *Septem tantum ſunt horæ Canonicæ.*

4 *Probatur horas Canonicas eſſe inſtitutas iure Eccleſiaſtico.*

5 *Declaratur quare officium diuinum ſit dicendum in Eccleſia alta voce.*

6 *Ad Miniſtros Eccleſiæ tantum ſpectat recitare officium diuinum in Choro.*

7 *Eccleſiæ Cathedrales, Collegiatæ, & Regulares iuxta eorum ſtatutum, tenentur habere Chorum.*

8 *Epiſcopus, & Prælati non tenentur Choro aſſiſtere; & regulares omnes in communi tenentur Choro ſatisfacere.*

9 *Habentes ordines ſacros, beneficia Eccleſiaſtica, & profeſſi religionum tenentur ſatisfacere officio.*

10 *Habentes beneficia, ſed non fructus, non tenentur ad officium.*

11 *Conſuetudo, vt beneficiarius non percipiat fructus primi, & ſecundi anni, non excuſat ab officio.*

12 *Habentes tenue beneficium adhuc tenentur ad officium.*

12 *Quando cum tenuo beneficio adeſt etiã ſeruitium, eſt etiam recitandum officium, ſi talis fuerint conſuetudo.*

14 *Penſionarij tenentur ad officium B. Virginis; & ſimiliter habentes præſtimonium.*

15 *Ratione Eccleſiæ commendatæ cum totali adminiſtratione, quis tenetur ad officiũ.*

16 *Religioſi ad Chorum deputati, tenentur ad officium ratione conſuetudinis.*

17 *Religioſi fugitiui, & eiecti tenentur ad officium diuinum.*

18 *Prælati Religionum non poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis circa recitationem officij.*

19 *Præponuntur duæ opiniones, ſi poſſit peruerti ordo officij diuini.*

20 *Non poteſt peruerti ordo recitandi officium ad libitum recitantis illud; licet, aliquando non eſſet mortale.*

1 DIco primò, Officium Diuinum; ſeu Horæ Canonicæ nihil aliud ſunt, niſi quædam Laudes, & preces ab Eccleſia inſtitutæ ad adorandum, & ore laudandum Deum ſingulis diebus, ac certis, & definitis horis. Dicitur Officium Diuinum, & ſic nominatur per antonomaſiam in cap. Dolentes de celebr. Miſſar. & in Concil. Aquiſgranenſi 1. tempore Ludouici cap. 131. quia totum pro cultu Dei eſt inſtitutum. Dicitur etiam Officium Eccleſiaſticum, ſeu Horæ Canonicæ prout habetur in Clem. 1. de celebr. Miſſar. vt in perſona Eccleſiæ recitari poſſit, vt conſtat ex cap. in die de conſecr. d. 5. quod eſt Gregorij cum Concil. General. & habetur in duobus alijs concilijs præcedentibus, ſcilicet, Agatenſi cap. 30. & Gerundenſi cap. 10. ac etiam in Concil. Tolet. 4. cap. 2. vbi dicitur. *Vnus ordo orandi, ac pſallendi à nobis per omnem Hiſpaniam, atque Galliam conſeruetur.* Et in Concil. Mileuitano

tano cap. 12. Prohibetur dici in Eccleſia orationes, quæ per Concilium approbatæ non fuerint, quod etiam habetur in Conc. Bracharenſi 1. cap. 19. c. placuit d. 12. Vnde meritò Horæ canonicæ nominātur, cū ex lege canonica compactæ, & ordinatæ ſint.

2. Dicuntur deinde. Laudes, & preces, quia ad duo diriguntur dictæ Horæ canonicæ, ſcilicet, ad gratias agendas Deo pro beneficijs acceptis; & ad preces fundendas pro alijs accipiendis. Additur. Ore laudandum Deum ad differentiam orationis mentalis; vltimò dicitur ſingulis diebus, quia Eccleſiaſtici tenentur illud recitare ſingulis diebus, ac certis horis, vt infra fuſiùs explicabitur.

3. Dico ſecundò, ſeptem tantum eſſe Horas canonicas, vt latè probat Suar. tom. 2. de Religione lib. 4. ca. 6. per totum, Filiuc. tom. 2. tract. 23. cap. 3. nu. 107. Sot. 10. de iuſtit. q. 5. art. 4. & communiter recentiores contra Nauarr. cap. 3. de Horis canon. num. 27. & alios aſſerentes eſſe octo, quia matutinum, & Laudes vocant duas horas; noſtra tamen ſententia eſt conformis concil. Cabilonenſi 2. cap. 59. vbi ſex horas incipiendo à prima, numerat, & addit matutinum; Sumitur etiam ex c. Dolentes, de quo fusè Bellarm. cap. 11. vnde infraſcripti verſus ſolent afferri à Doctoribus ad ſignificandum hunc numerum ſeptem horarum.

Hæ ſunt ſeptenis, propter quæ pſallimus Horis.
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.
Prima replet ſputis, cauſam dat tertia mortis.
Sexta Cruci nectit, latus eius nona bipertit.
Veſpera deponit, tumulo Completa reponit.

4. Tertiò dico. Horæ canonicæ non ſunt inſtitutæ iure diuino; Sed iure Eccleſiaſtico, vt communiter aſſerunt Doctores, ſcilicet, Filiuc. tom. 2. tract. 23. cap. 3. num. 90. Suar. de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 1. Azor. 1. p. lib. 10. cap. 1. qu. 7. & cap. 4. q. 3. Syluest. verb. horæ q. 8. num. 9. contra Abbat. & alios in cap. Dolentes; probatur ex ipſamet etymologia nominis: Nam ideò dicuntur Horæ canonicæ, quia ab Eccleſia per legem canonicam inſtitutæ ſunt. Neque dicas, dici etiam Officium Diuinum, ergo eſt etiam ex inſtitutione diuina. Nam dicitur Officium Diuinum propter cultum diuinum, vt diximus; Neq; conſtat tale præceptum diuinum, ſicut conſtat præceptum Eccleſiaſticum, igitur nullo iure poteſt dici fuiſſe inſtitutum dictum Officium ex iure diuino; Quidquid etiam dicat Panorm. in c. 1. de celebr. Miſſarum. Eſt tamen antiquiſſimum dictum Officium in Eccleſia, ſcilicet à tempore Apoſtolorum; vt latè probat Valent. diſp. 6. q. 2. p. 10. §. de vtilitate horar. canon. & Suar. loc. ſupra cit. c. 1. quod ſumitur ex Act. Apoſt. 3. *Petrus, & Ioannes aſcendebant in templum ad Horam orationis Nonam*; & ex Clemen. Rom. lib. 8. conſtit. cap. 34. vbi ſic dicitur. *Precationes facite mane, Tertia hora, & Sexta, & Nona, & Veſperi vſque ad galli cantum.* Cum igitur ſit hoc Officium inſtitutum ab Eccleſia; Poſſet Pontifex diſpenſare cum Beneficiato, vel Clerico in ſacris, ne Officium dicat, vt ait Suar. tom. 2. de Relig. c. 23. num. 16. Valentia tom. 4. diſp. 6. qu. 2. punct. 10. §. circa 7. Sylu. verb. horæ qu. 8. & alij communiter; Et nullus Papa inferior hoc agere poteſt, imò neque collegium Cardinalium ſede Vacante vt Bonac. diſp. 1. q. 1. pun. 2. §. tertiò.

5. Diuiditur autem Diuinū Officium in Nocturnum, & Diurnum, vt ſumitur ex Pſalm. 54. *Veſpere, mane, & meridie*, & ex Paralypom. 9. vbi conſtituti erant Leuitæ: *Vt canerent in domo Domini die, ac nocte iugiter*. Sumitur etiam ex vſu Eccleſię, de quo latè Suar. loc. cit. cap. 3. & Bellarm. lib. 1. dę bonis operib. cap. 13. Imò olim dicebantur nocturna diuiſim ſecundum tres Vigilias noctis, vt ait D. Thom. apud Filiucc. tract. 23. cap. 3. num. 101. in fin. Ad pręſens autem dicitur totum Diuinum Officium in Eccleſia alta voce: Vt omnes ſciant matrem Eccleſiam inceſſanter pro omnibus orare, & vt magis excitetur interior deuotio orantis, ſicut ait P. Auguſt. ad Probum: nempe, *Verbis, & alijs ſignis ad augēdum deſideriū ſanctum nos ipſos acrius excitamus*. Vnde Dauid. in Pſal. 76. *Voce mea*

mea ad Dominum clamaui. Sic etiam, vt Deo ſeruiamus ſecundum id totum, quod ab ipſo Deo habemus, ſcilicet, mente, & corpore iuxta Oſeam c. vlt. *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum*. Et tandem dicitur alta voce, vt affectus cordis redundet etiam in corpus iuxta Pſalm. 15. *Lętatum eſt cor, & exultauit lingua mea*; Quod etiam quiſque procurare debet in ſuis priuatis orationibus vocalibus ex D. Thom. 2.2.q.83.ar.12.

6. Quoad perſonas obligatas ad diuinum Officium; Priùs notandum, poſſe eſſe dictas perſonas obligatas ad cantandum Officium in choro; vel ad illud recitandum extra chorum: Vnde primò dicemus de obligatis reſpectu chori; deinde de alijs: vnde dico primò. Ad Eccleſiaſticas perſonas, & particulares Eccleſiæ miniſtros ſpectare recitare in choro Horas canonicas: vt Suar. lib. 4. cap. 9. nu. 2. tom. 2. de relig. contra hæreticos, qui omnes introducunt ad vociferandum, & canendum. Sumitur hæc concluſio ex Concil. Tolet. 4. cap. 18. vbi præcipitur, vt Sacerdos, & Leuita ante altare communicet, Clerus in choro, populus extra chorum, & in cap. de vita, & honeſt. Cler. dicitur. *Pars illa, quæ cancellis ab alteri diuiditur, tantum pſallentibus pateat Clericis*, quæ verba ſunt etiam apud Concil. Magunt. cap. 13. & concil. Turonicum ſecundum cap. 4. tẽpore Pelagij 1. vbi ſic dicitur. *Vt laici ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur, inter Clericos tam ad vigilias, quã ad miſſas penitùs non præſumant; ſed pars illa, quæ à cancellis verſus altare diuiditur, choris tantum pſallentium pateat clericorum*; quod etiam ordinauit Clemens lib. 2. conſtit. cap. 57. & habetur in cap. Sacerdotum de conſecrat. d. 2. Non tamen ex hoc ſequitur, quod in choro non poſſint admitti aliqui cantores, ſeu pſalmiſtæ, vt iam eſt in vſu Eccleſiæ, & habetur in concil. Carthagin. 4. cap. 10. & cap. pſalmiſta d. 23. vbi dicitur. *Pſalmiſta poteſt abſque ſcientia Epiſcopi ſola iuſſione presbyteri officium cantandi ſuſcipere, dicente ſibi presbytero, vide, vt quod ore cantas, corde credens, operibus comprobes*. Prædicto tamen officio cantorũ nullatenus fungi debent Sacerdotes, neq; Diaconi, vt monet D. Tho. 2.2.q.91.art.2.ad 3. vbi ſic ait. *Nobilior modus eſt prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prædicationem, quam per cantum, & ideò Diaconi, & Prælati, quibus competit per prædicationem, & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus inſiſtere, ne per hoc à maioribus retrahantur*. Et ſumitur ex D. Gregorio ca. in ſancta Romana d. 92. & lib. 4. Regiſt. cap. 88. vbi ſic habetur. *Conſuetudo valde reprahenſibiles exorta eſt, vt quidam ad ſacri Altaris miniſterium cantores eligantur, & in Diaconatus ordine cõſtituti modulationi voces inſeruiant*.

7. Ad dictum autem officium in choro perſoluendum; tenentur omnes Eccleſiæ Cathedrales; ac etiam tenentur habere chorum; ſicut Eccleſiæ Collegiatæ, ac etiam Eccleſiæ Regularium iuxta eorum ſtatutum, vt colligitur ex Clem. 1. de celebrat. miſſarum. Dixi, iuxta eorum ſtatutum reſpectu regularium, quia ad id non tenentur regulares ratione beneficij, vel quia viuunt ex eleemoſynis, & bonis Eccleſiaſticis, cum hæc non dentur illis cum tali conditione, neque adſit ius canonicum ad id obligans religioſos; ſed hoc pendet ex peculiari inſtituto, & conſuetudine vniuſcuiuſq; ſtatuti, vt benè notat Filiuc. tract. 23. cap. 4. num. 133. & in numero ſequenti addit; quod licet, ratione ſcandali non poſſit omitti officium è choro, vbi talis conſuetudo viget; tamen cum aliqua iuſta cauſa, & ſecluſo ſcandalo poſſet diſpenſari.

8. Ad ſatisfaciendum, ſeu recitandum officium in choro non tenentur Epiſcopi, & Prælati, niſi in diebus feſtiuis ratione publicæ ædificationis, vt docet Suar. lib. 4. cap. 10. & D. Thom. 2.2.q.91.art. 2. ad 3. & ſumitur ex cap. vlt. d. 92. vbi nulla fit mentio Epiſcoporum; ſed tantum presbyterorum, & aliorum clericorum. Regulares autem, licet, non obligentur ad chorum in particulari, niſi iuxta eorum ſtatutum; tamen in communi tenẽtur omnes ad ſatisfaciendum choro; quæ obligatio propriè ſtringit ſuperiorem, cui cura debet eſſe, vt Religioſi dicant dictum officium in choro; verum, quando Prælatus eſt negligens, vel in alijs occupatus; tale præceptum ſtringit, &

Digitized by Google

git, & obligat omnes ita vt quilibet in particulari curare debet, vt officium dicatur in choro. Canonici verò, qui non interſunt choro, nullo modo diſtributiones accipere poſſunt, etiam ſi alij canonici ſponté dare vellent, vt habetur ex cap. vnic. de cleric. non reſident. in 6. & ex concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. vbi dicitur. *Qui aſſiſtunt diſtributiones accipiant, quibus priuantur abſentes, quauis colluſione, aut remiſſione excluſa.*

9. Dico ſecundò. Tres ſunt perſonæ obligatæ ad recitandum officium diuinum priuatim, nempe, ordinati in ſacris, fruentes beneficijs Eccleſiaſticis, & profeſſi Religionis approbatæ; circa ordinatos in ſacris patet ex cõmuni vſu Eccleſiæ, & quoad Presbyteros præcipuè ſumitur ex cap. Presbyter d. 91. & ca. 1. de celebr. miſſarũ. Nam licet, Gratianus dicat hæc verba. *Presbyter mane matutinali officio expleto, penſum ſeruitutis ſuæ canendo primam, tertiam, ſextam, & nonam perſoluat*, tamen in dicto cap. additur etiã, *veſpera*, quod intelligitur vt Presbyter recitet, vel in choro, vel priuatim & talis eſt communis ſenſus, & vſus, docet Suar. lib. 4. cap. 16. num. 9. Azor. par. 2. lib. 1. cap. 5. & alij, quæ obligatio extenditur etiam ad clericos in ſacris conſtitutos ex Concil. Baſilienſ. ſeſſ. 21. ſub titulo, qualiter extra chorum, vbi dicitur. *Quoſcũq; alibi beneficiatos, ſeu in ſacris conſtitutos cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc ſancta Synodus*, &c. Re tamen vera dicta extenſio ad Diaconos, & Subdiaconos fuit facta ex conſuetudine, nõ autem ex aliquo iure particulari, vt cõmuniter omnes notant; vnde alij clerici in minoribus ordinibus ordinati non tenentur ad dictum officium recitandum, tum quia nullum ius extat id præcipiens, tum quia nulla adeſt cõſuetudo ad hoc obligans.

10. Quoad perſonas fruentes beneficijs Eccleſiaſticis. Dico, omnes dictas perſonas teneri ad diuinum officium recitandum prout communiter omnes Doctores docent cum Suar. loc. cit. cap. 18. num. 1. & probatur tum ex cit. cap. Presbyter d. 92. tum ex concil. Later. ſub Leone X. ſeſſ. 9. verb. Reformationes curiæ §. ſtatuimus, vbi imponitur pœna priuationis fructuum illis, qui diuinum officium non perſoluerint vltra peccatum mortale ſecundum omnes. Nota tamen; quod dixi fruentes beneficijs Eccleſiaſticis, quia tantum titulum beneficij ſine fructibus, non inducit obligationem iuxta Sot. lib. 10. de iuſtit. q. 5. art. 3. Caiet. verb. horæ canonicæ, & alij; tenebuntur autem ſi tantũ habuerunt poſſeſſionem cum morali ſpe recipiendi fructus ex eiſdem Doctoribus cum Suar. dicto lib. 4. cap. 20. num. 1. Secùs erit ſi poſſeſſio dicti beneficij erit litigioſa, vel ob potentiã alterius, vel coactionem, vel iniuſtitiã beneficiarij fructus percipere non poſſint abſq; vlla ſpe, vt notat Suar. nu. 15. quamuis poſſideant beneficium, quod non eſſet dicendum, ſi ſaltem haberent moralẽ ſpẽ illos habẽdi intra aliquod breue tempus; & licet, poſt litem illis competant omnes fructus a die conteſtationis litis, non ideò tamen ſub hoc dubio, quis tenetur ad talẽ obligationem, & ita communiter omnes, vt videri poteſt apud dictos Doctores; quod ſimiliter accidit, quando quis recipit ſolum nudum titulum abſque adminiſtratione, vt fit in renunciationibus Prelatorum ex licentia Pontificis, quæ renunciatio fit tantum quoad titulum; nam nec tunc talis renunciatio inducit obligationẽ in beneficiarium, cum iam remaneat apud ipſum renunciantem, ſeu penſionarium tam obligatio recitandi officium, quam facultas adminiſtrandi ex Suar. dicto ca. 20. num. 5. & Nauar. cap. 25. num. 104. & ratio eſt, quia beneficiarius non poteſt deſeruire beneficio, neq; emolumentum aliquod accipit, igitur in nullo poteſt obligari; ſed tantum dicta renunciatio fit ad ſucceſſionem. Idem autem eſſet, ſi aliquis renunciaret alteri fructus, & ipſe teneret titulũ, & adminiſtrationem; in tali enim caſu teneretur ipſe diuinum officium recitare, quia per ipſum ſtat, ne fructus recipiat ex eodem Nauar. loc. cit.

11. Dubitatur tamen, vtrum poſſidẽs beneficium, ſi ex eo quod ex aliqua conſuetudine priuetur fructibus primi, & ſecundi anni, teneatur officium recitare in dictis annis? ſed priùs notandum eſt cum Suar. loc. cit. nu. 6. & ſeqq. quatuor modis poſſe hoc accidere, primò, quia dicti fructus dantur Epiſcopo, vel alio Prælato, ſe-

cun-

cundò, quia diſtribuuntur inter alios capitulares, tertiò quia reſeruantur ipſi beneficiario poſt eius mortem, vel, vt poſſit de illis teſtari, aut funeri, vel animæ, ac etiam ſuis hæredibus deſeruire. Ex eodem Doctore dico, quod reſpectu primi, & ſecundi modi, eſt prohibita dicta conſuetudo ex Extraua. Pij V. Dudum, quæ eſt centeſima ſexta conſtitutio Pij V. idem etiam ſumi poteſt ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 14. Attamen in aliquibus locis adhuc extat dicta conſuetudo, & quia ſuffertur ab Eccleſia, & ſuperioribus; ideò tenendum cenſeo, quod dictus beneficiarius teneatur recitare dictum officium, quia ex ſua voluntate tale onus ſuſcipit. Imò ipſemet beneficiarius reportat commodum ex tali priuatione, quia quando ſubintrant alij canonici, vel beneficiarij, ipſe etiã participat ex eorum fructibus: reſpectu verò tertij, & quarti modi; Dicta priuatio fructuum non eſt prohibita; vt latè probat Suar. nu. 9. & 10. & Filiuc. tract. 23. c. 5. n. 170.

12. Ex dictis, ſequitur quærendum. Vtrum habens tenue beneficium teneatur ad Horas canonicas? Vbi variæ ſunt opiniones; nam Sot. lib. 10. de iuſtit. q. 5. ar. 3. Reſpondet negatiuè, ſi beneficium fuerit minus decem aureorum. Aragon. autem ait. 2. 2. q. 83. ar. 12. non teneri, quando beneficium non eſt ſufficiens iuxta arbitrium boni viri iudicandum, ad ſuſtentandũ ſaltem in aliqua bona parte beneficiarium; & idem docet Rodriq. in ſumma cap. 140. nu. 3. Dicendum tamen eſt cum communi ſententia, per quodlibet beneficium licet, tenue, oriri obligationem recitandi Diuinum Officium, quod affirmant omnes Canoniſtæ cum Gloſſ. in c. Clericus d. 91. vt Hoſtien. Io. Andr. Panorm. & alij in c. 1. de celebrat. Miſſarum, & alij in Clemen. 1. eodem tit. & in dicto cap. Clericus, quos ſequitur Turrecremata in principio d. 91. q. 6. Nauarr. Couarr. Azor. Medina, D. Anton. & alij multi, quos ſequitur Suar. lib. 4. de Horis Canonicis ca. 21. num. 3. & idem docet Filiuc. tract. 23. c. 5. num. 181. & ratio eſt, quia præcipuè hoc onus recitandi Officium datur propter Officium, ſeu adminiſtrationem. Quæ adminiſtratio non durat per omnes horas diei, ita vt beneficiarius non poſſit alio modo ſibi victum quærere, aliter enim quilibet poſſet ſe excuſare dicendo, nõ habere totũ victum; & ideò non teneri ad dictum Officium; & illuderetur mens Eccleſiæ, quæ abſque tali diſtinctione obligat omnes beneficiarios ad recitandum dictum Officium Diuinum; vt docent citati Doctores, & ſumitur ex ca. Clericus d. 91. vbi loquitur de Clerico paupere; & monetur vt: *Artificiolo, vel Agricultura victum, & veſtitum ſibi paret abſque officij ſui detrimento.* Vnde clarè colligitur, dictum Clericum teneri ad Diuinum Officium.

13. Quando autem cũ beneficio adeſt etiam ſeruitium, & tamen beneficium eſt adeò tenue, vt nõ ſufficiat ſaltem ad quartam partem victus beneficiarij, tunc dicendum erit, veram eſſe opinionem Arag. vt ſupra, non obligãtem beneficiarium ad Horas canonicas, & cenſendum eſt dictũ beneficium fuiſſe traditum in recompenſam ſeruitij, vel ſi ex vna parte ſeruitium non videatur tale, vt ſit dignum tali beneficio, & ex altera videatur beneficiũ adeò tenue, vt reſpectu ſeruitij, & obligationis officij, ſit onus nimis graue, tunc tenebitur, vel ad dicendum partem tantum officij, vel tantum in aliquibus diebus feſtiuis, vt ſumitur ex Suar. loc. cit. num. 12. & Filiuc. num. 183. Tamen in hoc puto ſtandum eſſe conſuetudini, & ſi pro tali beneficio adſit cõſuetudo, vt dicatur Officium; teneri etiam nouum beneficiarium illud recitare, quia nulli inuito traditur beneficium; Vnde, ſi quis putat in eo eſſe graue onus, illud recipere non debet, vel ſi recepit, poteſt renunciare; aliter in acceptatione beneficij, cum adſit virtuale pactum recitandi Officium, ſemper beneficiarius tenebitur ex iuſtitia.

14. E contra verò quærendum eſt, vtrum habens fructus ab Eccleſia ſine beneficio, teneatur recitare Diuinũ Officium? vbi notandũ eſt, id cõtingere poſſe ex varijs cauſis; nam quando dãtur fructus Eccleſiæ per modum ſtipendij, ſicut dantur Sacriſtæ, Lectori, &c. Non afferunt ſecum aliud onus, quod etiam intelligitur ſi dentur propter eleemoſynam ex declaratione Pij V. quia prædicti fructus non dantur

vti

vti beneficium,& vti Clerico tantum conuenientes,quia poſſunt conuenire etiam Laicis. Alio modo poſſunt dari dicti fructus per applicationem alicuius penſionis, quæ datur titulo Clericali; & in tali caſu nec illa penſio obligat ad Diuinũ Officium; licet poſt motum Pij V. teneatur penſionarius ad Officium Beatæ Virginis; Sed ſi dixerit Officium Diuinum, non tenebitur ad Officium Beatæ Virgin. vt notat Suar. cap. 22. num. 6. Alio modo poſſunt dari dicti fructus tanquam præſtimoniũ, quod præſtimonium eſt quædam pars fructuum beneficiorum, quæ applicatur iuuenibus cauſa ſtudiorum; & hoc præſtimonium, licet, ſecundum aliquos, non habeat vim, niſi ad inducendam obligationem recitãdi Horas Beatæ Virginis, quia dicunt non eſſe beneficium, ſed quaſi penſionem; tamen ſecurior, & communior opinio eſt, quod dictum præſtimonium debeat connumerari inter beneficia, quia dantur in titulum, ſicut dantur ipſa beneficia; & ita probat Suar. lib. 4. cap. 22. num. 8. & Filiuc. tract. 23. c. 5. n. 174. quod etiam docet Sot. lib. 10. de iuſtit. & iure. q. 5. art. 3. & Nauar. cap. 21. de oratione num. 9. Poſſunt etiam dari dicti fructus Eccleſiaſti ratione Cappellaniæ, quæ ſi erit collatiua per Epiſcopum, licet, fuerit erecta à ſecularibus, afferret ſecum obligationem officij diuini, quia eſt verum beneficium Eccleſiaſticũ; ſecùs autem erit, ſi dicta capellania à ſecularibus concederetur; vt Suar. num. 11. & 12. Si autem, qui habuit capellaniam collatiuam ab Epiſcopo non poſſit per ſe miſſas celebrare, tenebitur tamen ad diuinum officium, & miſſis poterit per alios ſatisfacere ex Clem. 1. de celebr. miſſar. Medina q. 7. de oratione, Nauar. ca. 20. de orat. nu. 17. & Ledeſm. in 4. par. 2. q. 16. art. 4. dub. 5. & Summiſtæ omnes ver. hor. & Suar. loc. citat.

15. Dantur etiam dicti fructus ratione beneficij commendati, quæ commendatio ſi erit circa totum beneficium, ſcilicet, circa totalem eius adminiſtrationem, adeſſet etiam cum dicta adminiſtratione obligatio diuini officij; vt docet Medina, Ledeſma, & Nauar. loc. cit. nu. 16. quos ſequitur Suar. num. 14. Secùs autem eſſet dicendum, ſi commendatio eſſet tantum circa exteriora ſeruitia, quia in prima commendatione ſicut quis tenetur adminiſtrare Sacramenta, & alia facienda, ſit etiam tenetur ad officium perſoluendũ, cum obligatio dicti officij præcipuè oriatur ex externa beneficij adminiſtratione, quod non eſt in commendatione circa ſeruitia tantũ. Vnde ſi beneficiarius eſſet puer, cui fuiſſet commendata aliqua Eccleſia ex diſpenſatione; tunc Vicarius, qui conſtitueretur loco pueri, teneretur ad officium diuinum ratione adminiſtrationis; quod etiam intelligitur, quando vacante aliqua Parochia, Epiſcopus Vicarium ſubſtituit. Idem eſt dicendum de accipientibus beneficia manualia, in quibus datur tota adminiſtratio, ſiue illa ſit perpetua, ſiue ad nutum ſuperioris; ſed in his non intelliguntur coadiutores, qui dari ſolent Parocho, & beneficiario; vt docet Medina d. q. 7. cum Suar. loc. cit. num. 15. 16. & 17. Secùs erit, ſi coadiutor habuerit aliquam penſionem ſuper beneficium, quia tunc tanquam penſionarius teneretur ad officium B. Virginis, pro vt tenentur omnes alij penſionarij, vt ſupra diximus, ex eodem Suar. num. 23.

16. Aliæ perſonæ ad officium diuinũ obligatæ, ſunt profeſſi Religionum, de quibus dico, Religiones alias eſſe choro deputatas, alias non, vt ſunt militares, & Religiones, quæ inſeruiunt hoſpitalibus; & reſpectu profeſſorum Religionum, quę sũt choro deputatæ omninò tenentur ad officium diuinum vel in choro, vel priuatim recitandum non ex vi alicuius iuris; ſed ex conſuetudine; vt probat Suar. lib. 4. ca. 17. num. 2. & 6. Filiuc. tract. 23. ca. 5. num. 150. & 151. Nauar. de orat. cap. 7. cum Canoniſtis in cap. licet, de voto, Bonac. de horis canon. diſp. 1. q. 2. punct. 2. num. 2. quamuis Alfonſus de Caſtro neget, fratres Prædicatores in ſacris non conſtitutos, peccare relinquendo officium diuinum lib. 1. de lege pœnal. cap. 8. & Vega in ſumma tom. 1. ca. 128. caſ. 7. non improbabilem cenſet dictã opinionem. Medina autem quoad omnes profeſſos, negat peccare mortaliter relinquendo officium diuinum, Caiet. verò reſpondet. *Nihil ſcio*, & Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 24. dub. 9. nu. 8. non putat di-

ctam conſuetudinem introductam eſſe cũ tanto rigore,tamen dicit,primam noſtram opinionem eſſe ſequendam tanquam magis tutam, & communiter approbatam ; & hæc quæſtio de profeſſis, intelligitur etiam de monialibus choro deputatis,vt probat etiam Diana tract. 12.reſ.17.in fin.par.2.

17. Vnde infert Suar.loc.cit. num. 9. Religioſum fugitiuum,vel eiectum per ſẽtentiam teneri ad diuinum officium , quia ſẽper eſt Religioſus , nec debet de ſua iniquitate commodum reportare, & ita communiter tenent DD. vt Layman. in theol. moral.lib.4.tract.1.cap.4.num. 2. Villalobos in ſumma tom.1.tract.24.dub.9. licet , contrarium doceat Bonac.diſp.1.q.2.pun. 2.num.6.qui pro ſe citat Sot. & Angelum , & ſequitur Diana loc.cit.reſol. 18. & ratio eſt,quia dictus Religioſus reuertitur,ad locum, & ſtatum vbi non adeſt talis conſuetudo; vt fuſiùs probat Sot.lib.5.de iuſtitia, & iure q.5. art. 3. quæ opinio non multum placet , cum magis conſona videatur rationi ratio allata à Suar, quæ , & communior eſt; imò addit Suar. etiam ſi Religioſus ſit condemnatus ad triremes , & commodè poſſet officium recitare, vtique teneri ad illud; ſed in hoc contrarium docet Sanchez de matr.lib.8.diſp.8. nu. 11. Sot. de iuſtit.lib.10.q.5.art.3.Leſs.lib.2. ca.37. dub.9.num.45.& alij.

18. Vtrum autem ſuperior regulariũ poſſit diſpenſare cum ſuis Religioſis profeſſis non initiatis ordinibus ſacris ne recitent dictum officium diuinum? negatiuè reſpondet Suar.lib.4.cap.28.num. 41. Reginald.tom.2.lib. 18.cap. 12. num. 141. & 186.Filiuc.tract.23. cap. 9. & alij communiter ; ex recentioribus autem adſunt multi, qui contrarium docent ; ſcilicet , Superiorẽ poſſe diſpenſare ex cauſa ſtudiorum, vel negotiorũ , & ratio eſt, quia dicti profeſſi non tenentur , niſi ratione conſuetudinis,quæ habet vim legis; ſed in Religionibus dantur aliqui ſuperiores,qui poſsũt diſpenſare in legibus Religionis , ergo tales ſuperiores poterunt etiam diſpenſare in iſta lege & ita tenet Bonac, diſp. 1. q. 2. punct.2.nu.9.Gauantus in comment.Rub. Miſſal.tom.2.ſect.1. cap. 5.tit.1.nu. 6. Villalobos in ſumma tom.2.tract. 24. dub. 9. num.12.& Diana tract.12.reſol.19.non tamen puto eſſe diſcedendum à prima opinione; quia tale præceptum reſultat ratione ſtatus; & non ratione talis religionis; & ſicut conſuetudo vnius religionis tantum, non poſſet inducere hoc generale præceptum ad omnes religiones , ita non poteſt vnus ſuperior in ipſa, diſpenſare ; nam in lege generali non poteſt diſpenſare, niſi habens auctoritatem generalem ; vnde cũ hæc obligatio ſit orta ex generali vſu omnium religionũ, non poterit in illa diſpenſare, niſi Pontifex,qui habet hanc auctoritatem generalem .

19. Quibus omnibus notatis, dubitatur primò . Vtrum licitum ſit ſupradictis perſonis obligatis ad officium diuinum , peruertere ordinem dicti officij? & reſpõdeo,triplicem poſſe eſſe dictam peruerſionem; vel quoad tempus, nõ recitando horas debito tempore , vel quoad ordinem , non dicendo horas ordinatim , vel quoad totum officium , vt ſi quis dicat in die feriali,officiũ de aliquo Sancto , vel alterius feriæ . Et circa primam,& ſecundam non immoror , quia , licet, certum ſit non eſſe licitas ; tamen excedere non poſſunt peccatum veniale , ſecluſo contemptu ; & ſi fiant abſque aliqua legitima cauſa . Circa tertiam tantum tota difficultas eſt, vbi duæ ſunt opiniones , vna affirmat eſſe peccatum mortale, & altera omninò negat , primam opinionem ſequitur Suar. lib.4.cap.22.tom.2.de relig.num.11.idem aſſerit Nauarr.de orat. cap.19. num. 211. Vaſq.opuſcul.de benefic.cap.4.§.1.dub.2. num. 60. Bellarm. tom.3. lib.1. cap.18.Ledeſm.in ſumma p.2.tr.9.cap.4.concluſ.12. Reginald.tom.2.lib.18. cap.16. num.172. Et alij multi, quorum fundamentum eſt bulla Pij V. in qua præcipitur , vt Officium dicatur iuxta formã in Breuiario præſcriptam: Vnde D.Thom.ait in quolib. 1.a.13. *Parum refert quoad Deum dicere. Dixit Dominus, vel Laudate pueri , dummodo dicatur id, quod ſtatutum eſt.* Ex quibus verbis colligitur quẽlibet teneri ad recitandũ id, quod ſtatutum eſt, ſcilicet iuxta formã præſcriptam in breuiario : quod non videtur obſeruari, ſi in die feriæ quis vellet dicere Officiũ Paſchatis, quia eadẽ militat ratio.

20. Se-

Digitized by Google

20. Secundam tamen opinionem, & contrariam defendũt etiam multi graues Doctores vt Azor.p.1.lib.20.cap.10.q.2. Rodriq.in ſumma tom.3.cap.195.num.3. Medina in ſumma lib.1.cap.14.§.11.Sot. lib.10.q.5.num.4. Alter Medina de orat. q.10.difficult.10.Sylu.verb.hora num.15. Leſſius de iuſtit.lib.2.cap.37.dub.12.n.77. Valentia tom.3.diſp.6.q.2.punct.10.&alij, Et ratio eſt, quia præceptum Pij V. dirigitur tantum, vt Diuinum Officium, quatenus ſeptem Horæ canonicę ſunt,perſoluatur; mutationem verò circa recitationem Officij de Feria, vel de Sancto, putant eſſe accidentalem, & non poſſe excedere peccatum veniale, ſi fiat ex negligentia, vel quia aliud Officium eſſet breuius. Dico tamen ambas opiniones eſſe probabiles ſi cum aliqua moderatione intelligantur. Nam ſi reſpectu primæ opinionis negantis fieri poſſe dictam mutationem; Ita intelligatur, vt ſemper toties quoties quis mutet Officium,peccet mortaliter, hoc nõ eſt admittendum, cum præceptum Pij V.non in tali rigore ſit acceptum; Vnde ſi quis ex indiſcreta deuotione, vel ex negligentia craſſa, aut ex obliuione dicat vnum Officium pro alio, nõ tenetur redire officium. Quod etiam ſentit Suar.loc. cit. Deinde eſſet nimis graue onus imponere peccatum mortale in qualibet mutatione Officij; cum ex hoc ſequeretur, quod vnuſquiſq; teneretur ita perfectè ſcire rubricas, vt nullo modo in eis errare poſſet; Et tamen quotidiè videmus non ſolum non adeò doctos, ſed etiam doctiſſimos viros in dictis rubricis errare, nec ſi errant, iterum Officium redicunt; & ratio eſt, quia principalis finis Pij V. eſt, vt dicatur diuinum Officium ſub forma breuiarij Romani, ad excludendas formas aliarum Eccleſiarum; Nec mutatur dicta forma, ſi hodie ſit dicendum Officium de Feria, & dicatur de Sancto, quia iam ſub forma, & modo Breuiarij Romani recitatur; & ſic non puto poſſe eſſe in hoc peccatum aliquod mortale, benè tamen veniale, ſi ex negligentia mutetur,& ſecluſo contemptu; Et ideò nullo modo eſt facienda,nec permittenda talis mutatio,quia ſemper eſt mala. Reſpectu ſecundæ opinionis aſſerentis non eſſe mortale mutare Officium; ſi intelligatur, vt cuilibet licitum ſit recitare Officium prout voluerit; v.g.quis vellet ſemper dicere Officium Paſchatis, quia eſt breuius alijs, vel ſemper dicere Officium Feriæ Tertiæ, vel ſemper de aliquo Sancto, & nunquam de Feria; in his caſibus non puto veram ſecundam opinionem; quia hoc eſſet iludere conſuetudini Eccleſiæ,& velle alium ritum introducere; & maximè cum in multis alijs locis Eccleſia pręcipiat conformitatem recitandi Officium; vt in cap.de ijs,&c. & cap.vlt.d.12.&c. conuenit de conſecr.d.5.vbi ſic habetur. Conuenit Eccleſiæ ordinem ab omnibus cuſtodiri. Vnde non puto cuilibet conuenire ſemper ſatiſfacere officio prout ei libuerit, & iuxta exempla poſita ſupra, quæ præcipuè impugnat Suar. loc.cit.num.13. & 14.& in num.15. Non putat eſſe mortale, quando ex negligentia craſſa, alterum Officium non currens quis diceret, niſi fiat ex contemptu, vel niſi Officium eſſet notabiliter maius, vt Officium Dominicæ; in quo caſu licet non putet eſſe redicendum Officium Dominicæ,putat tamen eſſe faciendam aliquam compenſationem v.g. dicendo nouem Pſalmos primos Dominicæ, vt non relinquatur tanta pars Officij, quas moderationes, licet, non approbentur à Doctoribus ſecundæ opinionis,& præcipuè à Vega in ſumma p.1.c.128.caſ. 12.Tamen à timoratis viris non ſunt reijciendæ; ſed omninò ſeruandæ. Et quod ſit mortale ad eius libitum mutare Officium,tenet D.Antonius,quem refert Suar. n.12.loc.cit. ſupra in n.19.

De Ritu Recitandi Horas Canonicas in Choro, & de modo in ipſa recitatione tenendo. Cap. LXXIII.

1 *Omnes Eccleſiæ tenentur vti Breuiario Romano præter aliquas.*

2 *Horæ Canonicæ ordinatim ſunt dicendæ in Choro.*

3 *In recitatione horarum Canonicarum requi-*

requiritur Intentia, & Attentio.

4 *Habentes beneficium tenentur etiam ad reſtitutionem, ſi non recitent horas cum attentione.*

5 *Habentes beneficium, non recipiunt totam partem diſtributionum, ſi choro non ſatisfaciant.*

6 *Habentes beneficium tenentur perſonaliter choro ſatisfacere.*

7 *In choro debet ſeruari magnum ſilentium.*

8 *Horæ Canonicæ ſunt canendæ abſque interpolatione.*

9 *In choro aliqua ſunt recitanda, alia audienda.*

10 *Horæ Canonicæ ſi dicantur cum nimia celeritate, culpam mortalem inducunt.*

11 *Officium B. Virginis, Defunctorum, Septem Pſalmi, &c. non ſunt de præcepto.*

12 *Preces, ſeu Litaniæ in diebus Rogationum, &c. ſunt de præcepto.*

13 *In Horis Canonicis nihil eſt addendum, vel minuendum.*

12 *Horæ Canonicæ ſunt recitandæ in choro ſtatutis temporibus.*

1 Certum eſt, omnes Eccleſias teneri vti Breuiario Pij V. vt conſtat ex Bulla dicti Pontificis in principio Breuiarij poſita eſt, vbi hæc verba notantur. *Illis tamen exceptis, quæ ab ipſa prima inſtitutione à Sede Apoſtolica approbata, vel conſuetudine, quæ vel ipſa inſtitutio ducētos annos antecedit, alijs certis breuiarijs vſa fuiſſe cōſtiterit: quibus vt inueteratū illud ius dicendi, & pſallendi ſuū officiū nō adimimus. Sic eiſdē, ſi fortè hoc noſtrū quod modo peruulgatū eſt, magis placeat, dummodo Epiſcopus, & vniuerſum Capitulum in eo cōſentiāt, vt id in choro dicere, & pſallere poſſint permittimus.* His igitur exceptis omnes ſub præcepto tenentur officium diuinum recitare iuxta dictum Breuiarium Romanum; nam infra idem Pontifex declarat dicens, quocunq; alio modo recitetur, non ſatisfieri huic obligationi; illæ autem Eccleſiæ, in quibus viget alia conſuetudo vltra annos ducentos, poſſunt accipere dictū Breuiarium ex conſenſu Epiſcopi, & Capituli, nec requiritur conſenſus omnium, ſed maioris partis, vt notat Suar. lib. 4. cap. 11. num. 4. in fine, & ſemel acceptato, non poteſt ampliùs immutari abſq; conſenſu Pōtificis; hoc tamen præceptum eſt prope finem capitis antecedentis, ſcil. cap. de ijs, & cap. vlt. diſt. 12. & cap. conuenit de conſecr. d. 5. propter vniformitatem, quæ debet eſſe in Eccleſia, neq; in hoc poteſt aliquis diſpēſare, licet, ex aliqua iuſta cauſa, poſſet Epiſcopus diſpenſare; vt v. g. in aliquo die, ratione feſtiuitatis, vel deuotionis populi, recitetur officium alicuius ſancti; vt Nauarr. de orat. cap. 27. num. 217. D. Antonin. 4. par. tit. 13. cap. 4. §. 2. & ſumitur ex Bonac. de horis can. d. 1. q. 3. punct. 1. num. 19. in fin.

2. Ex hoc præcepto oritur etiā obligatio recitandi ordinatim in choro dictū officium, ſcilicet, vt matutinum dicatur, ante primam, & prima ante tertiam, &c. quod putat ſub mortali Suar. eſſe ſeruandū tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 11. num. 7. & Filiuc. cap. 6. num. 188. tract. 23. ſed quia præcipuum fundamentum horum Doctorum eſt, ne ſequatur ſcandalum in populo, ideo, ſecluſo ſcandalo, non puto ex ſe eſſe mortale; vt ait Bonac. diſp. 1. q. 3. punct. 4. num. 5. in fin.

3. Requiritur etiam ad diuinum officium, ſiuè recitetur in choro, ſiue extra, intentio, & attentio, vt ſupra latè diximus ca. 68. à num. 5. & ſeqq. & eſt adeò neceſſaria dicta attentio, & intentio, vt non ſolū quis peccet mortaliter illas omittendo voluntariè; ſed etiam teneatur ad reſtitutionem fructuum, ſi erit beneficiarius; habita proportione parti officij, cui non ſatis fecit, nō attendendo iuxta Nauarr. de orat. cap. 20. Vaſq. opuſcul. de beneficijs ca. 4. §. 1. dub. 4. num. 104. Suar. 3. par. tom. 5. d. 4. ſect. 2. num. 26. & tom. 2. de religion. lib. 4. c. 26. Rodriq. tom. 1. cap. 143. num. 1. Attamen circa reſtitutionem etiam probabiliter cōtrarium docet Henriq. lib. 9. cap. 25. nu. 5. Azor. par. 1. lib. 10. cap. 13. q. 8. Leſs. lib. 2. cap. 37. dub. 11. num. 68. Medina cap. de orat. q. 16. & alij multi; & ratio eſt, quia iā quis ſatisfacit materialiter dicto officio, licet, quoad Deum peccet, quod peccatū non eſt contra iuſtitiam; ſed tantum ratione indebiti modi orandi, qui modus ſpecialiter præcipitur in cap. dolentes, & ideò non obligatur quis ad reſtitutionem; licet, peccet contra præceptum in dicto cap. poſitum

ſitum his verbis. *Diſtrictè præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, vt diuinum officium, &c. ſtudiosè celebrent, ac deuotè*; ex quibus verbis apertè colligitur neceſſitas attentionis habendæ in officio diuino.

4. Non tamen deſunt, qui aſſerant, nō ſolum dictos beneficiarios non teneri ad reſtitutionem; ſed nec etiam peccare mortaliter, quamuis voluntariè quis recitet officium, ſiuè in choro, ſiuè extra mente extracta, licet, quoad actus externos non poſſit vagare per alia negotia, vel incumbere ad confabulationem, riſum, &c. quia talis nullo modo poſſet dici exercere actū religionis præceptum ab Eccleſia; & hanc ſententiam vltimò ſequutus eſt Diana 2. par. tract. 12. reſol. 2. & ad præceptum in cap. dolentes reſpondet, illud obligare tātum quoad actum ſtudioſum externum; antea verò hanc opinionē docuit Durand. in 4. diſt. 15. q. 12. Sylueſt. verb. horæ num. 13. Medina ca. de orat. q. 14. Angelus ver. horæ num. 13. Palud. in 4. d. 25. q. 5. art. 2. concluſ. 4. & alij quamplurimi, quos citat Dian. & tota ratio eſt, quia Eccleſia non poteſt præcipere, niſi actum externum cū externa attentione factum, vtputa ſine confabulatione, riſu, &c. & idem putant eſſe dicendum circa auditionem Miſſæ; quā opinionem, cum amplexi ſint tot Doctores, omninò improbabilem non iudico; attamen primam puto eſſe amplectendam, tanquam veriorem, & habentem firmiora fundamenta; vt iam ſupra probauimus in dicto cap. 68.

5. Debet etiam dici officium in choro alternatim; quod habuit originem à B. Ignatio martyre; & talis modus fuit poſtea in vſu Antiochenæ Eccleſiæ, & propagatus à S. Ambroſio Eccleſiæ Mediolanenſi; Deinde fuit dictus modus approbatus à S. Damaſo, & toti vniuerſali Eccleſiæ traditus, & fundatur in viſione Iſaiæ 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum*, & ſic etiam, quia varietas canentium prouocat ad maiorē attentionem. Quilibet tamen tenetur recitare, & canere ſuam partem iuxta vſum communem Eccleſiæ; vnde, qui ſummiſſa voce caneret, ſeu diceret ſuam partem, licet, ſatisfaceret officio, non tamen ſatisfaceret choro, quare non poſſet, niſi dimidiam partem diſtributionum accipere iuxta Suar. tom. 2. lib. 4. cap. 12. nu. 10. præter peccatum mortale, quod talis ad chorum obligatus committeret; quod docet etiam Bonac. diſp. 1. q. 3. punct. 2 nu. 4. Filiuc. tract. 23. cap. 6. num. 196. & alij, & ratio eſt, quia dictæ diſtributiones non dātur, niſi choro inſeruientibus; quod non facit, qui ſummiſſa voce recitat; poteſt tamen dimidiam partem diſtributionū accipere, quia ſaltem adfuit præſentia corporali; quod ſi nullo modo adfuiſſet, nullam partem accipere poſſet, vt in Concil. Trident. præcipitur, nam in dicto Concil. ſeſſ. 24. cap. 2. dicitur. *Diſtributiones verò, qui ſtatutis horis interfuerint, recipiant*, & ſeſſ. 21. cap. 3. *Vt diſtributiones inter dignitates obtinentes, & ceteris diuinis officijs intereſſentes diuidantur*; ac tandem in ſeſſ. 22. ca. 3. dicitur. *Vt vnuſquiſq; perſonaliter competens ibi ſeruitium iuxta formam ab Epiſcopis præſcribēdam, quolibet die ſtatuto impleat*. Et nota, canentes in choro, teneri alta voce dictum officium diuinum canere, ita vt aſtantes in Eccleſia percipere poſſint voces canentiū. Saltem ſi attenderint, vt Emanuel Sà ver. horæ canonicæ num. 8. quod puto verum reſpectu Eccleſiarum Presbyterorum, & habentium præceptum canendi in choro, ſecùs autem reſpectu Regularium canentium tantum ex conſuetudine, ſecluſo tamen ſcandalo, quia vt diximus cap. antec. num. 7. licet in tali choro non poſſit omitti officium ratione ſcandali, ex aliqua tamen iuſta cauſa poteſt diſpenſari; ergo multo magis poteſt diſpēſari, vt dicatur ſummiſſa voce, ſecluſo ſcandalo.

6. Ex quibus locis colligitur, præter iam dicta, quemlibet teneri ad perſonaliter inſeruiendum choro, quādo ex beneficijs, vel dignitatibus, præbendis, vel portionibus ſūt choro addicti; & hac de cauſa peccant mortaliter non ſatisfaciendo choro, ſummiſsè canendo, vel per notabilem partem colloquendo, &c. quia ad hoc ſpecialiter tenentur, & ad hoc dantur fructus Eccleſiaſtici, beneficia, dignitates, &c. quod colligitur ex cap. vlt. d. 92. vbi dicitur. Vt ad quotidianum pſallendi officium in Eccleſiam conueniant Clerici, qui tali Eccleſiæ deputati ſunt. Et in Concil. Trid. ſeſſ.

Digitized by Google

ſeſs. 24. cap. 12. Sic dicitur. Omnes diuina per ſe, & non per ſubſtitutos compellãtur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia pontificalia exarcenti aſſiſtere, & inſeruire, atque in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuoteq; laudare. Neque omittam opinionem Azor. lib. 10. cap. 11. aſſerentem ſupradictos obligatos ad chorum non canentes, etiam ſi choro aſſiſtant, priuari omnibus fructibus diſtributionum, quod probat ex Concil. Later. ſub Pio V. vbi dicitur, *Vt Canonicus, qui non pſallit in choro, licet præſens adſit, fructus amittat, quos lucrifeciſſet, ſi cantaſſet*; Sed quia dicta verba aliter referuntur, & defendũtur à Suar. loc. ſupra cit. Ideò ſuæ opinioni ſtandum eſſe cenſeo, quem ſequitur etiam Filiucc. vt ſupra.

7. Debet denique eſſe in choro magnum ſilentium, primò, vt ſatisfacere quis poſſit; ſecundò, vt habeatur finis, ad quem cantus in Eccleſia fuit inſtitutus; de quo loquendo Caſſian. lib. 3. de inſtit. cap. 8. ait. *Ideoque eas* (ſcilicet Horas canonicas) *Tripartitis diſtingunt officijs, vt labor hac diuerſitate diuiſus delectatione quadam defectionem corporis reuelet*. Et Baſil. Epiſt. 63. *Alternis canunt, atque ex eo ſimul eloquiorum Dei exercitationem, & meditationem corroborant*. Et idem Caſſian. lib. 2. cap. 10. de ſilentio ait. *Cum celebraturi conueniunt, tantum à cunctis ſilentium præbeatur, vt cum in vnum tam innumeroſa fratrum multitudo conueniat, præter illum, qui conſurgens pſalmum decantat in medio; nullus hominum penitus adeſſe credatur.* Vnde Ioan. 22. *Docta ſanctorum Patrum decreuit auctoritas, vt in diuinæ laudis officijs, quæ debitæ ſeruitutis obſequio exhibentur, cunctorum mens vigilat, ſermo non ceſſicet, & modeſta pſallentium grauitas placida modulatione decantet*. Ex quibus colligit Nauarr. de orat. cap. 15. num. 5. Peccatum eſſe recitare in choro, dum alij canunt, ratione perturbationis.

8 Eſt tamen notandum, Officium in choro eſſe canendum ſine interpolatione in horis, excepta interpolatione ex inſtitutione facta: v. g. Non poteſt dici in choro pars vnius horæ, & poſtea interpolatione facta, alteri parti ſatisfacere, niſi interpolatio breuiſſima eſſet, aliter poſſet eſſe mortale, ratione ſcandali, quia eſt contra vnitatem, & conſuetudinem Eccleſiæ; ratione autem bonæ fidei, & cum aliqua cauſa, ac ſecluſo ſcandalo, poſſet omnis culpa excuſari, vt Suar. lib. 4. cap. 11. num. 9. & Filiuc. tract. 23. cap. 6. num. 202. Sed interpolatio facta ex inſtitutione, nempe inter horam, & horam, inter matutinum, & laudes, ac etiam inter nocturnos, non eſt peccaminoſa ex eiſdem Doctoribus, vide etiam Bonac. diſp. 1. q. 3. punct. 2. num. 28.

9. Secundò notandum eſt, Clericos vnius chori, non teneri recitare ſummiſſa voce verſus alterius chori, neq; ea, quæ dicuntur ab vno, vel pluribus in choro, vt ſunt lectiones, reſponſoria, initia pſalmorum, vel antifonarum, orationes, collectæ, &c. in quibus rebus ſufficit dicentem, ſeu canentem audire; verſus autem, qui canuntur in organo, non ſatisfaciunt choro, & ideò in dicto choro ſẽper debet aliquis adeſſe, qui aliquantulum voce alta dicat dictos verſus, vt iam obſeruatur in omnibus Eccleſijs; vbi autem talis cõſuetudo non adeſſet, nullus teneretur dictos verſus organi redicere, ſed tãtum audire ex Bonac. diſp. 1. q. 3. punct. 2. num. 12.

10. Tertiò eſt etiam ſciendum, mutilationem factam in choro ob nimiam celeritatem; ob quam non ſit ſatisfactũ parti notabili officij, inducere culpam mortalẽ; neq; Prælatus Eccleſiæ poteſt diſpenſare, vt officium, vel aliqua hora, aut pars notabilis illius non dicatur in choro; imò ad ipſũ ſub mortali incũbit inuigilare, vt totum officium in choro debitè perſoluatur ex cap. 1. de celebr. miſſar. & Suar. cap. 23. num. 1. & 2. pars autem notabilis officij, licet, ordinariè (vt meliùs infra dicemus) ſit tertia pars cuiuslibet horæ, tamẽ reſpectu chori, non tantum quantitas relicta cõſideranda eſt; ſed etiam dignitas talis partis, tum ratione ſcandali, tum ratione dicti officij; vt v. g. ſi chorus inciperet officiũ à pſalmis, relicto Deus in adiutorium, &c. licet, dicta pars ſit parua, eſſet tamen peccaminoſa ratione deformitatis, & ſcandali, ſic etiam, ſi non diceretur Magnificat in Veſperis, eſſet maxima deformitas, & ſcãdalum auditoribus, & ideò ſæpè pars, quã

quis

Digitized by Google

quis poſſet relinquere ſine peccato extra chorum,erit culpa grauis, ſi relinquatur à toto choro; ordinariè tamen loquendo, pſalmus in choro ommiſſus, cenſetur materia grauis iuxta Suar.num. 3. Et in dictã culpam incidunt etiam illi, qui ob nimiã celeritatem mutilant notabiliter officium reaſſumendo verſus ſuos, antequam altera pars chori terminet ſuam partem, in quo caſu ſæpè dupliciter,ac etiã tripliciter peccatur; ſcilicet, ratione non ſatisfactionis choro debitæ, non ſatisfactionis propriæ, & ratione ſcandali; Vnde etiã ſi quis poſtea ſatisfaciat extra chorum, nõ tamen liber eſt à culpa, ſi ratione beneficij, vel alterius muneris teneatur etiam choro ſatisfacere; imò, qui officium omittit in choro, & non ſatisfacit, deponi debet ex cap. Clericus d.91. & ex cap.Si quis Preſbyter d.92.Neque ibi admittitur ratio,an poſtea dicat priuatim, vel non? Et idem ſumitur ex cap.Dolentes de celebrat.Miſſarum,& ex Clem.1.eodem tit.

8. Vtrum autem in choro poſſit omitti Officium B.Virginis, Defunctorum, Septem Pſalmi, & Graduales? Affirmatiuè eſt reſpondendum poſt Bullam Pij V.quia hęc omnia relinquuntur in dicta Bulla ſub conſilio,præter Officium B.Virginis reſpectu illarum Eccleſiarum,in quibus erat cõſuetudo habẽs vim legis. Vnde illę Eccleſiæ tenentur dicere dictum Officium ſub mortali, ac etiam aliæ Eccleſiæ, quæ non vtuntur Breuiario Romano, in quibus ſimiliter erat dicta cõſuetudo;vt Filiuc.cap. 6.num.213.Extra chorum,nullus dicta officia,&c. tenetur recitare;exceptuatur autẽ dies omnium Defunctorum,in quo omnes tenẽtur tam in choro quam extra illud recitare,iuxta Nauar.de orat.cap.10.num.3. & communiter,pro qua exceptione defendenda,multi DD. afferunt Bullam Pij V. & Clem.VIII. & alij afferunt ordinationem in ipſo Breuiario poſitam, & communem vſum Eccleſiæ; & ad primas rationes faciliter poteſt reſponderi, nempè,prædictam exceptionem nullum modum eſſe in dictis Bullis; ſed ibi totaliter peccati periculum amoueri, neque rubricæ eiuſdem Breuiarij aliter intelligi poſſunt,cum fuerint conditæ ab iiſdem Pontificibus; nec rubricæ poſſunt eſſe contrariæ dictis Bullis; igitur dictum peccatum tantum poterit prouenire ratione communis conſuetudinis;cui conſuetudini omninò ſtandum eſt, vide Suar.lib.4.cap.25.num.9. & Bonac.diſp.1. q.3.pun.1.num.12.

12. Eadẽ quæſtio fit de Precibus, ſeu Litanijs, quæ dicuntur in diebus Rogationũ,& citati Doctores aſſerunt,in illis adeſſe præceptum non ſolum in choro; ſed extra,Vaſq.autem opuſcul.de beneficijs cap. 4.§.1.art.2,dub.1.num.58. ait,non eſſe ſub præcepto dictas Litanias priuatim recitare;& quod nullum adſit preceptum,neq; in choro, neque extra chorum,oſtendit Diana p.2.tract.12. reſol.42. cum multis alijs; Sed non puto eſſe recedendum à prima opinione,quam etiam ſequitur Bonac.loc. cit.n.14.§. Ego verò. Illi autem Clerici, qui interſunt proceſſionibus non ſunt priuandi parte diſtributionis, ſi in dictis proceſſionibus non recitent dictas preces, tenentur tamen illas poſtea dicere ad euitandum peccatum.

13. Deinde, ſicut non poſſumus aliquid mutilare ab officio, ita nec illi addere quidquam poſſumus ex eadem Bulla Pij V. in qua ſic habetur. *Statuentes Breuiarium ipſum nullo vnquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omninò detrahendum eſſe.* Id autem, quod additur, vel additur ratione ſolemnitatis, vel additur ex indiſcreta deuotione; id quod additur primo modo, poteſt fieri ſine vllo peccato, vt ſunt mottetta, quæ addi ſolent in ſolemnitatibus, dummodo tamen canantur abſque modulis theatralibus, & profanis, quia mortale eſſet ex prohibitione in cap.cantantes diſt. 92. vbi dicitur. *Ne audientes ad laſciuiam potiùs,quam ad deuotionem excitentur, quod eſt contra finem orationis.* Ex quo Palud.4.d.15. q.5.art.2. Abſolutè dictum vſum improbauit, ex Caiet.2.2.q.91. & Suar,cap.13. num. 16. Quod autem additur ſecundo modo, ſemper eſt cum aliquo peccato iuxta qualitatem materiæ, pertinaciæ, vel ſcandali,

14. Quoad tempus recitandi Horas canonicas. Dico, cum Filiuc.tract.23. nu. 215. Si loquamur de iure, Matutinum eſt

dicen-

Digitized by Google

dicendum poſt mediam noctem, ſcilicet, in tertia Vigilia; Laudes debent dici vna hora, vel circa, ante Solis ortum; prima circa ortum Solis, Tertia in tertia hora à Solis ortu, Sexta in meridie, Nona hora tertia poſt meridiem. Veſperæ hora vltima occaſus Solis, Completorium poſt occaſum Solis per horam, vel in crepuſculo; Sed quia ex conſuetudine alia tempora ſunt introducta, illa ſeruari debent iuxta ritum cuiuſque Eccleſiæ, nec in hoc puto eſſe immorandum, cum illi, ad quos ſpectat, non poſſint in hoc, niſi venialiter peccare, differendo horas, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, quia tunc eſſet mortale, cum tempora ordinata ſint in fauorem publicæ vtilitatis. Vide Filiucc. tractat. 23. num. 217.

Quodnam Officium priuatim recitandum ſit, ac de cauſis excuſantibus à recitatione Officij. Cap. LXXIIII.

1 *Omnes Eccleſiæ tenentur vti Breuiario Romano Pij V.*

2 *Eccleſiaſtici tenentur ordinatim, & debitis horis recitare Officium Diuinum.*

3 *Officium Diuinum poteſt dici cum vno, vel pluribus ſocijs.*

4 *Qualibet pars notabilis officij inducit culpam mortalem, ſi non recitetur.*

5 *Qui non recitat Officium vnius diei, vnum peccatum committit.*

6 *Explicatur, quidnam ſit recitandum alternatim, & quid ſit tantum audiēdum in Officio.*

7 *Explicatur in qua hora poſſit dici matutinum ſequentis diei.*

8 *Infirmitas eſt cauſa excuſans à recitatione Officij.*

9 *Infirmus, ſi non poteſt recitare, niſi cum ſocio, non tenetur ad Officium.*

10 *Infirmus non valens recitare ſaltem dimidium Officium diei, non tenetur ad illud.*

11 *Recitans cum habente priuilegium recitandi in Breuiario breui, non ſatisfacit.*

12 *Recitantes cum nimia corruptione verborum, non ſatisfaciunt.*

13 *Ratione ignorantiæ poteſt aliquando quis excuſari à culpa.*

14 *Carentia Breuiarij poteſt aliquando excuſare à culpa.*

15 *Non habens Breuiarium tenetur dicere illam partem Officij notabilem, cuius recordatur.*

16 *Habens ordines ſacros, & beneficium, ſi non recitet, dupliciter peccat.*

17 *Beneficiarius non recitans, tenetur ad reſtitutionem, nec poteſt ſatisfacere in alio die, licet contrarium videatur etiam verum.*

18 *Omiſſio vnius horæ canonicæ, & non aliæ pars minor obligat ad reſtitutionem.*

19 *Reſtitutio eſt facienda ab habente beneficium, fabricæ Eccleſiæ vel pauperibus.*

20 *Timor mortis apud infideles eſt cauſa excuſans à recitatione Officij.*

21 *Incompatibile exercitium poteſt excuſare ab Officio.*

22 *Explicatur quomodo cenſuræ excuſent à recitatione Officij.*

23 *Diſpenſatio Pontificis excuſat à recitatione Officij.*

1 EX Nouo iure Pij V. certum eſt, omnes Eccleſiaſticos teneri ad recitādum Officium iuxta Breuiariū Romanum à dicto Pontifice condito, vt iam diximus in principio antecedentis capitis; Solum poteſt eſſe dubium, vtrum reſpectu illarum Eccleſiarū, in quibus recitatur aliud Officium ratione conſuetudinis antiquæ per annos biſcentum ante dictam Bullam; poſſint Eccleſiaſtici priuatim recitare Officium Pij V. & ſatisfacere. Et licet, affirmatiuè reſpondeat Caiet. verb. horæ. §. 2. Tamen negatiuè eſt reſpondendum: & ratio eſt, quia dicta Bulla Pij V. nihil intendit innouare circa dictas Eccleſias ratione conſuetudinis ſupra annos biſcentum, niſi de conſenſu capituli, & Epiſcopi, aliter remanent dictæ Eccleſiæ in dicta conſuetudine, & iure communi; Sed ſic eſt, quod de iure communi nullus poteſt recitare aliud Officium, niſi illud propriæ Diœceſis, ergo ſimiliter, cum poſt prædictam Bullam, etiam remanſerint dictæ Eccleſiæ in iu-

Digitized by Google

In iure communi, nullus poterit nec priuatim dictum Officium Pij V. recitare; vt Suar.tom.2.de relig.lib.4. cap.23. num.9. Si autem alicubi non eſſet receptũ dictum Breuiarium ex negligentia Prælatorum, vtique omnes poſſent priuatim illud recitare, quia talis conſuetudo non eſt legitima, & per dictam Bullam omnia alia Breuiaria irritantur. Vide Suar.n.10.& Filiuc. tom.2.tr.23.c.7.n.222.

2. Deinde, quilibet tenetur recitare Officium ordinatim, & debitis horis ſaltem ſub veniali, (ſecluſo contemptu) vnde nullus poteſt dicere Primam ante Matutinum, vel Veſperas ante Nonam; & idem intelligitur de ordine reſpectu Officij alterius diei, non enim quis poteſt dicere Matutinum alterius diei, niſi priùs terminet Officium currentis diei; qui ordo præcipuè ſeruandus eſt in choro; vbi de facili poſſet eſſe mortale ratione ſcandali; Excuſant autem Doctores ab hoc ordine ſeruando in recitatione priuata; quando ob reuerentiam perſonę, cum qua recitatur Officium, quis omitteret dictum ordinem; vel ex alia cauſa inculpabili; licet in nullo caſu erit mortale; & idem dicitur de ordine ſeruãdo circa partes eiuſdem horæ; ſcilicet, vt pſalmi dicantur ordinatim iuxta diſpoſitionẽ cuiuslibet horæ, aliter enim veniale eſſet, niſi fiat ob contemptum, vel quia quis vellet nouum ritum inſtituere. Suar.cap.24. num. 3. & ſeqq. & Filiuc. tract.23.cap.7.num.230.& ſeqq. Interruptio etiam inter partes horæ, ſi fuerit notabilis, & abſque vlla rationabili cauſa, erit veniale tantum ex eiſdem Doctoribus, & docet etiam Leſſ.lib.2.c.37. dub.10.num.57.

3. Tenetur etiam quilibet integrum Officium perſoluere, licet, poſſit cum ſocio, vel pluribus ad modum chori illud recitare; nec eſt neceſſe, vt ſocius ſit obligatus. Sed ſufficit, vt recitet modo intelligibili, vt ipſe, qui tenetur ad officium omnia percipere poſſit, nec eſt neceſſe, vt alter, qui non tenetur percipiat ea, quæ dicuntur ab illo, qui tenetur. Non eſt tamen recitandum officium inter dentes, etiam ſi ſolus quis recitet, vel mouendo tantum linguam; quia vox eſſentialiter ſonus eſt; & cum officium vocaliter dicendum ſit, neceſſe eſt, vt vox intercedat, aliter non dicetur quis recitare, & ex cõſequenti nec officio ſatisfaceret, ſi nullo modo vox formetur ita, vt ſaltem ab ipſomet intelligi poſſit; vt ſumitur ex Concil.Baſilienſ.ſeſs. 21.§. 4. vbi ſic habetur. *Quomodo horæ canonicæ extra chorum dicendæ ſint admonet, vt non in gutture, neq; inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopando, ſed ſiuè ſoli ſiuè aſſociati, diurnum, nocturnumq; officium reuerenter, verbiſq; diſtinctis peragant*; quando autem quis recitat cum alio, non eſt neceſſe alta voce recitare, vt non obligatus poſſit audire, ſicut è contra, vt diximus. Azorius autem par.1.lib.10.cap.11.q.4.ſic ait. *Satis eſt, ſi ſic recitet, & proferat, vt verè dici queat ore, & voce preces fundere ſiuè ab alio, ſiuè à ſeipſo audiri poſſit ſiuè non*(& infra)*ſatis igitur eſt, ſi dũ recitat preces, verba ita proferat, linguam, & labia mouendo, vt ſeipſum percipiat, & intelligat, & non ſolam in gutture pronuntiet*. Et id etiam probabile iudicatur à Filiucc. tr. 13.ca.3.propter ſcrupulos, ſed verè à prima ſententia non eſt diſcedendum, quam docet Suar.lib.4.cap.7.num.6.

4. Vtrum autem omiſſio cuiuslibet horæ, vel partis notabilis, ſit peccatum mortale? & affirmatiuè reſpondetur; variant tamen Doctores in aſſignando dictã partem notabilem; & licet, ordinariè loquendo tertia pars cuiuslibet horæ cenſeatur pars notabilis, vt aſſerit Nauar.cap. 10.num.43. de oratione, tamen probabilior videtur ſententia Suarij cap.25. num. 16.& aliorum aſſerentium, partem notabilem non deſumendam eſſe ex tertia, vel quarta parte; ſed ex eo, quod in ſe conſiderata ſit notabilis; vnde vnum nocturnum cenſenda eſt pars notabilis ex eo, quod in ſe conſiderata notabilis ſit, licet, non ſit tertia pars reſpectu totius matutini, & ratio eſt, quia magnam deformitatem afferret officio, è contra verò in hora ſexta, & nona, licet, vnus pſalmus cum primo himno ſit tertia pars horæ, non tamen cenſenda eſt pars grauis, & notabilis peccati mortalis; ſed illa cenſenda eſt pars notabilis, quæ æquiualet vni horæ minimæ, vel dimidiæ parti eius, aliter non erit pars notabilis; nec peccatum mortale. idem docet

Filiuccius loc. citat. numero 246.

5. Hac occaſione quæritur quotnam peccata committeret, qui officio vnius diei non ſatisfaceret? Reſpondeo, vnum tantum, licet, grauiùs quam ſi quis omitteret partem illius, ſcilicet, vnã, vel duas horas; & ratio eſt, quia de toto officio, vnũ tantum datur præceptum tanquã de quodam toto morali cõpacto ex pluribus partibus, circa quas ſigillatim extenditur dictum præceptum, & ideò quilibet tenetur etiã confiteri, an reliquerit vnã, vel duas, aut tres horas ex eodem Filiuc.num. 248. vide etiam Nauar.cap.7. manual, num. 6. Suar.dicto c.25.n.18. & Syluest. ver.horæ q.12.contra Tabbien.verb.hora q. 18. aſſerentem tot eſſe præcepta; quot ſunt horæ. Nota tamen, quod circa confeſſionem, licet, Suar.num.19. & Filiucc. aſſerant eſſe circumſtantiam notabilite raggrauantẽ, & neceſſariò explicãdã in confeſſione, nempe, ſi quis omiſerit duas, vel tres horas, aut totum officium; tamen hoc eſt verum in eorum opinione, qui tenent circumſtãtias aggrauantes eſſe neceſſariò aperiẽdas in confeſſione; ſed in opinione contraria, nempe dictas circumſtantias non eſſe neceſſariò aperiendas, ſufficeret dicere non ſatisfeci officio vnius diei; vt nos etiã docuimus in capitibus de confeſſione; & docet etiam Diana tract. 12. de horis canon. reſol. 5. in fin. & reſol. 23.

6. Eſt etiam notandum. Quando duo recitant officium; non eſt neceſſe, vt antiphonæ, & lectiones alternatim dicantur; ſed ſufficiet, vt vnus legat, & alter audiat; licet, in choro aliter fiat; vt idem Diana ex Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 24. dub. 11. num. 4. & idem puto eſſe dicendum de alijs rebus, quibus quilibet ſatisfacit audiendo tantum, pro vt fit in choro; vt ſunt lectiones, reſpõſoria, capitula, &c. notat etiam Filiuc.loc.cit.nu.247. quod quoties quis ex praua voluntate determinat non recitare officium, vel aliquam horã, toties peccet mortaliter, dummodo intercedat aliquod tempus inter vnam, & aliã determinationem; & aſſerit hãc eſſe communem opinionem.

7. Quæritur deinde, in quanam hora poſſit quis recitare matutinum ſequentis diei? & reſpondet Filiuc. tract. 23. cap. 8. num. 275. quemlibet poſſe recitare ab hora quarta poſt meridiem in quolibet tempore, quæ in vere, ſcilicet in menſe Martij, & Aprilis, & in Autunno, in menſe Septembris, & Octobris, erit vigeſima prima horologij ſolaris, vel artificialis. In Æſtate autem, ſcilicet, Maio, Iunio, Iulio, & Auguſto erit hora vigeſima cum dimidia in circa. In hieme, ſcilicet, Nouembri, Decembri, Ianuario, & Februario erit vigeſima prima cum dimidia in circa; & probatur auctoritate D.Tho. quolib. 5. art. 28. vbi aſſerit, poſſe recitari matutinum ſequẽtis diei de ſero antecedentis diei, & per ſerum declarat intelligi tempus, quod proximè ſequitur poſt veſperas, & completorium, quod ſolet dici circa tertiã, & quartam horam poſt meridiem; & ita ſeruatur ex conſuetudine Romana, & hoc expreſsè docet Suar. cap. 26. num. 14. Alij tamen aſſerunt, poſſe quemlibet recitare dictum matutinum poſt vigeſimã horam antecedentis diei, quod licet, non ſit improbabile, tamen ſecurior, & communior eſt opinio iam dicta.

8. Quoad cauſas excuſantes à recitatione officij; dico, primam cauſam eſſe infirmitatem corporis, quando ex tali recitatione, magnum incommodum infirmus pateretur, in quo eſt ſtandum iudicio medicorum, & peritorum; ita Vaſq; de beneficijs cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 12. & Suar. cap. 28. num. 11. & ſi medicus fuerit dubius, nõ debet infirmus ſe periculo exponere, niſi illi videatur periculũ graue, ſecùs autẽ ſi fuerit leue, quia tunc tenetur recitare, ſicut etiam tenentur omnes alij infirmi ex infirmitate leui, & ex qua non timetur aliquod damnum notabile, ſaltem moraliter loquẽdo, vt eſt in febre terzana, quartana, vel in aliquibus imbecillitatibus, & doloribus, ex quibus non poteſt oriri notabile damnum ratione recitationis officij; aliquando tamen poteſt quis excuſari à recitatione in choro; & non à recitatione priuata, cum hæc non afferat tantum incommodum; vt notat Bonac. diſp. 1. q. 4. punct. 1. num. 3. Infirmus autem, qui non poteſt per ſeipſum officium recitare, non tenetur ſupplere per alium, cũ onus officij ſit onus per-

perſonale; nec tenetur alias orationes loco officij dicere, aut alium officium recitantem audire; vt Suar.c.28.n.12.&Filiu. cap.9.n.288.

9. Dubium tamen occurrit, vtrum infirmus, qui poteſt ſatisfacere officio, ſi recitet cum ſocio; teneatur illud dicere, ſi commodè ſocium habeat? Et affirmatiuè reſpondet Suar.loc.cit.n.13. & Filiucc. loc.cit.num.289. Contrarium tamen docet Sancius in ſelect.diſp.15.n.2. vbi tria aſſerit, primum eſt, non habentem Breuiarium, ſed tantum diurnum, vel ſcientem pſalmos, non autem lectiones, & reſponſoria, non teneri dicere dictos pſalmos, cũ non poſſit complere officium. Secundum eſt, cæcum non teneri admittere ſocium ad recitandum officium, quia recitare cum ſocio eſt priuilegium, & nullus obligatur vti priuilegio, & idem aſſerit de infirmo non valente recitare, niſi cum ſocio. Tertium eſt, infirmum valentem confabulari cum amicis ipſum viſitantibus, non ideò adſtringi ad officium; quia confabulatio eſt quædam animi recreatio, nec ibi requiritur peculiaris attentio; quæ omnia, licet, aliquam probabilitatem ſpeculatiuam habeant; practicè tamen contraria opinio eſt probabilior, & ſequenda; & in confirmationem dictæ opinionis; ait Suar. num. 15. adeſſe quandam declarationem congregationis obligatem dictos cæcos ad aſſiſtendum in choro, & ad audiendum alios, recitando tamen quantum poteſt, & recordatur. Cæcus autem, & Sacerdos ſimul tenetur tantum ad id, quod poteſt, quia cum ſocio non poteſt, cum non audiat, & idem dicitur de Surdaſtro, ſi non poteſt ſolus, non tenetur cum ſocio recitare ob magnum incommodum ſocij ad clamandum, vt dictus ſurdus audire poſſet; Nam præcepta humana non obligant cum tanto rigore, idem Suar. n.17.

10. Eſt tamen notandum, ſupradictos infirmos tunc tantũ teneri ad recitandum partem officij, quando reſpectu totius officij talis diei, dicti infirmi poſſent ſaltem dimidium officium recitare. Nam quilibet infirmus licet, grauis adhuc poſſet recitare vnam horam minorem, non tamen tenetur, quia maior pars trahit ſibi minorem vel æqualem, è contra verò minor non poteſt ſibi trahere maiorem. Ita Nauarr. de orat.cap.11.n.6. Azor.lib.10. c.13.q.4. & Filiuc.tr.23.c.9.n.294.

11. Quæritur deinde, vtrum diſpenſatus à Pontifice ad recitandum Horas canonicas in Breuiario breui ob infirmitatẽ, vel atiam cauſam, poſſit ſocius recitare cum eo, & ſatisfacere? Et affirmatiuè reſpondet Henriq.lib.7. cap.30. num.4. Et Portella in dubijs regularium verb. horæ canon.num.8. quos ſequitur Dian.p.2.tr. 12.reſol.35. Et ratio eſt, quia id, quod priuilegium diſponit in vno ex correlatiuis, extenditur ad alium correlatiuum; ibique etiam aſſerit, quod Epiſcopus Religioſus poſſit recitare cum ſocio ſecum recitante cum Breuiario Eccleſiæ dicti Epiſcopi, & citat Rodriquez in ſumm.to. 4.ca.68.num.10. & Portellam vt ſupra nu. 24. Quæ doctrina quoad primam partem, cum videatur totaliter contraria communi doctrinæ à nobis vſque modo traditæ, non eſt amplectenda; quia in Bulla Pij V. ſtrictè præcipitur vſus Breuiarij Romani, nec debet fieri extenſio ex vna perſona ad aliam, nec valet ratio correlatiuorum, cum ſimus in caſu diuerſo, valeret autem quando officium omninò dicendum eſſet cum ſocio; tunc cenſetur etiam ſocius diſpenſatus, ſed nos non ſumus in tali caſu. Secundam partem, nempe Epiſcopũ poſſe recitare officium ſuæ propriæ Eccleſiæ, &c. Puto verum, quia ex eo, quod quis præficitur Epiſcopus alicuius Eccleſię, debet ſequi ritum dictæ Eccleſiæ; aliter eſſet magna deformitas; niſi tamen contrarium conſtaret ex conſuetudine.

12. Sunt etiam alij, qui patiuntur vitium linguæ vel ex natura, vel ex celeri recitatione acquiſitum; & quæritur vtrum tam prædicti, quam etiam alij non patientes dictum vitium ſatisfaciant officio, recitando illud ſyncopando, vel corrumpendo verba per abſciſſionem vltimarum ſyllabarum? quod poteſt accidere tam in recitatione priuata, quam publica in choro, vel cum ſocio. vbi reſpondet Filiucc.c.7. num. 242. quod prædicti peccabunt tantum venialiter, & per conſequens ſatisfacient officio; Et ratio eſt, quia iam ſecun-

Digitized by Google

dum ſubſtantiam, & ſignificationem, oratio eſt integra, & vltimæ ſyllabæ, potius pertinent ad ſubſtãtiam grammaticalem, quam ad integritatem orationis; ita etiam docet Azor. 1. p. lib. 10. cap. 4. q. 11. Et ad hunc defectum reducitur nimia celeritas in choro, ob quam multæ abſciſſiones ſyllabarum fiunt; tamen eſt aduertendum, ne ita fiat, vt verba corrumpantur cum nimia deformitate, quia tunc eſſet peccatũ mortale, nec aliquis ſatisfaceret officio; & poſſet etiam eſſe mortale ratione ſcandali, & ratione contemptus ex eiſdem Doctoribus.

13. Deinde poteſt aliquando quis excuſari ratione ignorantiæ, quæ tripliciter eſſe poteſt, vel iuris, vel facti, vel ipſius recitationis; prima ignorantia iuris nullo modo excuſat; quia Clerici ordinati in ſacris tenentur ſcire eſſe obligatos ad officium diuinum, & iam in ipſa ordinatione eis notificatur, & idem eſt dicendum de habentibus beneficium; reſpectu autem nouorum profeſſorum, poſſet dari aliqua ignorantia, vt de facto multos inueni, qui aſſerebant, non eſſe obligatos, & maximè, quia verè aliqui ita tenent. Sic etiam quãdo beneficium datur pueris, qui neſciunt talem obligationem. De obligatione autem ad tempus, facilius poterit quis excuſari ratione ignorantiæ, vt v. g. ſi aliquis neſciret an ſtatim poſt obtemptum beneficium teneatur ad officium, vel poſt ſex menſes. Et ſimiliter an ſit obligatus non recipiens fructus, &c. In his enim caſibus poteſt dari ignorãtia iuris excuſans. Ignorantia autem facti poteſt contingere in aliqua hora, ſed non in toto officio; vnde ſi quis obliuiſcatur alicuius horæ, non peccat, niſi talis obliuio eſſet culpabilis ex negligentia craſſa, vt ſi quis commodè ſuo tempore dicere potuit, & voluit trãsferre cum periculo obliuionis, peccabit mortaliter, ideò tales, & alij transferentes horas, debent ſaltem ſibi aliquod ſignum facere, maximè, quando iam experti ſunt eſſe immemores. Ignorantia verò circa recitationem, licet, excuſet, ſi habens beneficium neſciat legere, vel ſi nullo modo poſſet per ſe ſolum; nam ſaltem pro aliquo tempore excuſaretur, & interim diligentiam debet adhibere, vt addiſcere poſſit; peccat tamen talis ignorans ſuſcipiendo ordinem ſacrum, vel beneficium; & ideò tenetur poſtea moralem diligentiam facere, aliter ſemper eſſet in culpa, & interim non poteſt percipere fructus beneficij; & ſi fuerit incapax, vel non poſſit debitam diligentiam agere, nullo modo poteſt beneficium retinere. vide Suar. c. 27. num. 6. & Nauar. c. 11. de orat. n. 21.

14. Ad hanc ignorantiam reduci poteſt carentia Breuiarij, quæ etiam excuſat, quando eſt ſine culpa, licet, qui ordinatur, vel ſuſcipit beneficium, debeat habere breuiarium, vel ſaltem debet habere certam ſpem illud habendi congruò tempore, ſcilicet, poſt ordinationem, quia ordinatus, tenetur ad recitandum illas horas, quę correſpondent tempori ſuſcepti ordinis, ſcilicet, ad Sextam Nonam, &c. Quod docet Suar. loc. cit. num. 7. & 8. Si autem fuerit carentia culpabilis, & directa, vt ſi quis voluntariè proijceret Breuiariũ, dum eſt in mari, vel combureret, &c. In dictis caſibus grauiſſimè peccaſet, & licet, non committat quotidie nouam culpam non recitando propter impotentiam, tamen ſi habeat beneficium, omnes fructus tenetur reſtituere. Si autem fuiſſet aliquo modo culpabilis, ſed indirectè, vt ſi quis relinquat domi breuiarium putans aliud faciliter reperire, talis carentia poſſet excuſari à culpa mortali ex eodem Suar. num. 9.

15. Sed dubium eſt, vtrum in tali caſu quis teneretur recitare officium, vel horas, quas in memoria habet? & affirmatiuè reſpondet Suar. eodem loc. num. 10. & & Filiuc. cap. 9. num. 287. dummodo quis ſciat totum officium, vel aliquam notabilẽ partem, vel aliquas horas; reſpectu verò matutini, ſi quis ſciret tantummodo pſalmos purè ſumptos abſq; antiphonis, lectionibus, reſponſorijs, capitulis &c. non teneretur illos recitare, quia pſalmi in ſe cõſiderati non ſunt horæ canonicæ; vt docet etiam Nauar. de orat. cap. 11. num. 15. at ſi ſciat ſaltem pſalmos, & antiphonas, tenetur illos recitare iuxta dicta ſupra in num. 9. reſpectu verò aliarum horarum minorum, ſi quis neſciat proprias antiphonas, capitula, &c. poterit alias antiphonas recitare

tare

tare vna cum pſalm.& meliori modo quo poteſt debet ſatisfacere,vt probauimus in dicto num. 9. & hæc opinio mihi videtur tuta, & omninò ſeruanda.

16. Dubitatur etiam, vtrum habens ſacros ordines, & beneficium Eccleſiaſticum, ſi non ſatisfaciat officio, dupliciter peccet, & teneatur confiteri dictam circũſtantiam? & negatiuè reſpondet Henriq. li. 12.c.12.n.3. & alij, quos ſequitur Diana par.2.tract. 12. reſol. 22. & ratio eſt, quia dictus Clericus vnum peccatum tantum committit contra virtutem religionis, & non contra iuſtitiam;ſed contraria opinio verior, & tanquam magis rationi conſona eſt omninò ſequenda; quia dictus Clericus non ſolum in tali caſu peccat contra religionem; ſed etiam contra iuſtitiam directè; nam in receptione beneficij adeſt pactum recitandi officium, ad hoc enim Eccleſia dat, vt alius det, ſcilicet, vt oret recitando officium; & confirmatur, quia ex hoc habens beneficium tenetur ad reſtitutionem, iuxta communem opinionẽ, quia non ſatisfecit officio, ad quod de iuſtitia tenetur, vnde eſt circumſtantia omninò aperienda in confeſſione; vt docet Suar.tom.2.de relig.lib.4.cap.18. num. 3. & ſeqq. Azor. 1.par.lib.10.cap.14.q.7.Sãchez de matr.lib.9.diſp.15.num.6.

17. Sed notandum,habentem beneficium, ſi vellet ſupplere in alia die officium iam ommiſſum, non liberari ab onere reſtitutionis, vt patet ex bulla Pij V. vbi ſic habetur. *Eum, qui non recitat ſuo tempore, non facere fructus ſuos*, ita Henriq. lib.13.ca. 13.num.2.Bonac.diſp.1.q.5.punct.2. num. 5.& citat pro ſe. P.Nauar.lib.1.de reſt. ca. 2.num.180.& Aragon.2.2.q.83, num. 13. Suar.autem lib.4.cap.29.nu. 11. & Filiuc. tract.23.cap. 7. num. 267. contrarium docẽt, quod etiam probabile iudicat Bonac. & ratio eſt,quia ſi Capellanus, qui tenetur ter in hebdomada vel quotidie celebrare; ommittat vno die miſſam, & poſtea illam ſuppleat alio die, non tenetur ad reſtitutionem; ita ſimiliter erit dicendum in officio; nec obſtant verba Pij Quinti quia ibi non ſupponitur ſatisfactio alio die facta; re tamen vera, dictus Suarez, & Filiuccius loquuntur de reſtitutione facienda ab habente beneficium, ob ommiſſionem officij in primis ſex menſibus,& Suar. dicto loco num.12. docet dictum habentem beneficium teneri tantum ad aliquã reſtitutionem ſpiritualem æquiualentem; ſed non ad reſtitutionem fructuum, quod etiam docet Valent.tom.4. d.6.qu.2. pun. 10.& alij, tamen circa hunc caſum, communior opinio eſt, habentem beneficium, nullo modo teneri ad reſtitutionem fructuum reſpectu primorum ſex menſium, ita Filiuc.loc.cit.num.309.Leſſ.lib.2. c.34. dub.32.num.170.Gauanc. in rubr. Miſſal. tom.2.ſect.1.cap.5.tit.1.num.5.licet,mortaliter peccet, vt Azor.1.p. cap.14.q.4. & alij communiter,& ratio eſt, quia ex Conſil. Lateranenſi, & Bulla Pij V. dictus habens beneficium obligatur tantum ad fructuum reſtitutionem poſt ſex menſes; nec obſtat ratio iuſtitiæ commutatiuæ allata à Suar. quia Eccleſia eſt Domina fructuũ, & poteſt de facto maximè in tali caſu condonare, prout iam condonat, & non obligat ad reſtitutionem, aliter eſſet dicendũ Eccleſiam erraſſe non obligando dictum beneficiarium ad reſtitutionem. Deinde, attento iure communi antiquo,& naturali, beneficiarius non tenebatur ad reſtitutionem fructuum; Igitur dicta reſtitutio fundatur in iure Eccleſiaſtico tantum, & non in iure naturali, & ex conſequenti colligitur benè potuiſſe Eccleſiam eximere dictos beneficiarios à reſtitutione reſpectu primorum ſex menſium. Filiuc.aũt ait dictum beneficiarium reſpectu primorum ſex menſium non teneri, quia non ex iuſtitia commutatiua; ſed ex obedientia Eccleſiæ, vel ex religione tenetur ad officium diuinum; ſed nos contrarium,& meritò quidem ſupra docuimus cũ Suar. &c. quia ſi non teneretur ex iuſtitia commutatiua, nec poſt ſex mẽſes eſſet obligatus ad reſtitutionem ſaltem in foro conſcientiæ.

18. Quæ autem pars officij ommiſſa obliget habentem beneficium ad reſtitutionem? reſpondet Filiuc.tract.23.ca.10. num. 319. reſtitutionem faciendam eſſe tantummodo pro ommiſſione vnius horæ integræ, quia ſic obligat lex Eccleſiæ, definitè taxando pro ommiſſione ſingularum horarum, vt videtur in bulla Pij V. infra cap.ſeqq.

Digitized by Google

ſcap.ſeqq. num. 1. non igitur amplius dicta lex reſtringenda eſt, reſpectu verò matutini, ſi quis ommittat ſextam partem, quia æquiualet horæ minimæ, etiam tenetur ad reſtitutionem; vnde poteſt quis peccare mortaliter omittendo partem notabilem officij, & non teneri ad reſtitutionem; nec etiam quis tenetur, quando id, quod eſſet reſtituendam, non eſſet materia peccati mortalis ex eodem loc. cit.

19. Cui autem eſſet facienda talis reſtitutio? Reſpondeo, eſſe faciendam fabricæ Eccleſiæ, in qua adeſt beneficium, vel pauperibus, vt habetur in bulla Pij V. ſub nomine autem fabricæ non ſolum intelligitur propria Eccleſia beneficij, ſed etiam domus beneficij, in qua habitat ipſe beneficiarius, ac etiam meliorationes alterius domus, aut poſſeſſionis ipſius beneficij, vt fructus magis augeãtur, &c. ex Suario cap. 30. num. 19. ſub nomine verò pauperum, intelliguntur omnes pauperes, etiã extra locum beneficij; & poteſt etiam intelligi ipſe beneficiarius, ſi verè pauper eſſet, ac etiam eius parẽtes, ſi eſſent tales, vel ſaltem non haberent neceſſaria pro eorũ ſtatu, & conditione; & iuxta Filiucc. tract. 23. cap. 10. num. 325. intelliguntur etiam animæ fidelium defunctorum, quæ verè egentes ſunt; vnde bona eſſet reſtitutio, ſi beneficiarius in caſu reſtitutionis, daret pro miſſis defunctorum, & præcipuè debẽt applicari dictæ miſſæ pro benefactoribus beneficij; & idem dicitur de penſionarijs non recitantibus officium.

20. Sed, vt ad noſtrum propoſitum redeamus. Adeſt alia cauſa excuſans à recitatione officij, & eſt timor mortis; vt ſi quis eſſet inter infideles, vel hæreticos, & dubitaret de eorũ crudelitate, ad illam obuiandam, poſſet quis non recitare, quia vt ſupra diximus, præcepta humana non obligant cum magno incommodo; nec dicta omiſſio eſt contra confeſſionem fidei, quod intelligitur, niſi ſequatur ſcandalum, aut contemptus religionis, cum quilibet teneatur ex iure diuino ad confeſſionem fidei; vt Suar. lib. 4. c. 28. n. 31. & Filiuc. tr. 23. n. 296. & 297.

21 Datur etiam alia cauſa excuſans ab Officio diuino, & eſt incompatibile exercitium, quod quis habet, & poteſt prouenire, vel ex obligatione, ad quam quis tenetur ex iuſtitia, vel ex charitate; exercitium incompatibile ad quod quis tenetur ex iuſtitia, non excuſat à recitatione officij, quia nullus debet ſe ita obligare, vt non poſſit ſatisfacere principali obligationi officij diuini, & ſi iam acceptauit, tenetur renunciare, vt ſi quis ita ſe obligauerit ſeruitio alterius, vel ad docendum alios, vel ad audiendas confeſſiones, vel ad concionandum vt non poſſit officio ſatisfacere: non excuſabitur ab officio. Secùs autem eſſet, ſi tale impedimentum raro, & aliquando tantum accideret, vt Suar. c. 28. num. 33. Quando autem impedimentum prouenit ex charitate; tunc currit Regula D. Bernardi li. de præcepto, & diſpenſatione; vbi dicitur: *quod propter charitatem introductum eſt, non obligat cum eiuſdem charitatis diſpendio*. Vnde nemo tenetur omittere concionem cum ſcandalo populi, vel cum infamia Religionis, aut propriæ perſonæ, vt officio poſſit ſatisfacere; Nam in huiuſmodi caſibus quis eſſet excuſatus à dicta recitatione officij; Sic etiam nemo tenetur relinquere infirmũ auxilio egentem, vt recitet Officium. Neque eſt neceſſe, vt talis obligatio charitatis tanta ſit, vt obliget ad peccatum mortale, prout volebat Henricus quolib. 5. q. 12. & Sylu. verb. horæ num. 18. Et ratio eorum erat, quia cum præceptum officij obliget ſub mortali, non poteſt propter aliam actionem omitti, niſi adſit aliud præceptum grauius, & obligans ſub maiori culpa; Nam tunc ex concurſu duorum præceptorum, debet quis eligere minus malum relinquendo officium. Iuxta regulam Concilij Toletani 8. cap. 2. & habetur in cap. 1. d. 13. & apud Gregor. ibidem ca. 2. ex lib. 32. moral. c. 18. Tamen eſt dicendum, non ſemper neceſſarium eſſe, vt adſit talis neceſſitas; Sed ſufficiet magnum incommodum proprium, vel proximi; vt ſi ſcholaris vellet habere publicam diſputationem, vel ſi Doctor in cõcurſu Cathedræ publicã prælectionẽ eſſet habiturus, & nõ poſſet recitare officiũ, eſſet excuſatus, nec teneretur omittere dictam diſputationem, vel prælectionem, vt Suar. n. 34. & 35. & Filiuc. tr. 23. c. 9. n. 300. & 301.

Maior.

Digitized by Google

Maior.in 4.d.12.q.6.art.5.in fine;Quando autem quis poſſet præuenire, vtique teneretur,aliter non eſſet excuſatus;vt Henriq. & Syluest.loc.cit,

22. Alia cauſa,quæ excuſat à recitatione officij eſt Cenſura Eccleſiæ, quæ excuſat tantum à recitatione publica, ſed nõ à priuata, vt eſt in excommunicato. Suſpenſus autem non reijcitur à recitatione publica; licet, non poſſit dicere *Dominus vobiſcum*. Sed debet aſſiſtere, & recitare ſicut, & alij non habentes ordines ſacros. In loco interdicto poſſunt etiam recitari Horæ Canonicæ cum aliqua tamen moderatione, ex cap. Alma Mater. Vt ſuo loco dicatur.

23. Vltima cauſa, quæ excuſat à recitatione officij,eſt diſpenſatio Summi Pontificis, vt communiter omnes Canoniſtæ, & Theologi aſſerunt apud Suar.c.28,n.38. Quamuis nõ deſint aliqui,& etiam Iuriſtæ, quicontrariũ aſſerunt, ſcilicet Pontificem non poſſe diſpenſare maximè;cum beneficiario,quia ex iure naturali tenetur,in quo Pontifex diſpenſare non poteſt, ita Panor. in cap.1.de celebr.Miſſarum. Maior.in 4. d.12.q.6.ad 1.Turrecrem.in cap. Eleutherius diſt.91.q.5.Angelus verb. hora nu.6. & Roſella num.13. Dicendum tamen eſt, Officium diuinum eſſe ex iure Eccleſiaſtico, vt ſupra probauimus, & ex conſequenti, poſſe Summum Pontificem diſpenſare, ſicut poteſt in omnibus,quæ ſunt iuris humani. Ita Suar.vt ſupra,& ante ipſum Io. de Lignano in Clem.1.de celeb.Miſſarum, Sylu.verb.hora q.8.Tabb.num.15,Armill. num.11.Nauar.c.11.num.31,Aragon.2.2. q.83.art.12. Tolet.lib.2. c.14. Epiſcopus autem non poteſt propriè loquendo, quia in illis caſibus tantum poteſt, qui ſunt ei conceſſi à iure communi, vel ex conſuetudine, in quibus non adeſt dicta diſpenſatio officij, non tamen negatur, quod in aliquo caſu poſſit non per modum diſpenſationis, ſed interpretationis; Et idem dicitur de Prælatis religioſorum reſpectu ſuorum ſubditorum. Vide Suar. num. 40.& 41.

De Pœnis contra non Recitantes Horas Canonicas. Cap. LXXV.

1 *Pœna non recitantium Officium Diuinum, conſiſtit in reſtitutione fructuum beneficij.*

2 *In dicta pœna reſtitutionis, non requiritur ſententia iudicis.*

3 *Reſtitutio non eſt facienda, ſi diuinum officium omittatur ex legitima cauſa.*

4 *Occupatus ad ſeruitium chori, ſi non recitet, tenetur poſtea recitare.*

5 *Reſtitutio eſt facienda ab habente beneficium iuxta ratam, etiam ſi habeat titulum oneroſum.*

6 *Canonicus, & beneficiarius non poſſunt ſupplere per alium, ordinariè loquendo.*

1 EX dictis colligitur,in vnam tantum pœnam incurrere non recitantes Horas Canonicas, ſcilicet, in pœnam reſtitutionis fructuum, ſi fuerint beneficiarij, vel non faciendi fructus,ſi fuerint choro addicti, præter peccatum mortale. Eſt autem dicta pœna reſtitutionis impoſita ex iure Eccleſiaſtico,ſcilicet,à Concil.Lateran.ſub Leone X.ſeſſ.9.§. ſtatuimus, & à Pio V.Bulla 135. quæ incipit. *Ex proximo* vbi priùs Pontifex refert verba dicti Concilij, & poſtea ſuam declarationem addit, his verbis. *Pius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex proximo Lateranenſi Concilio ſalubris ſanctio emanauit, vt quicunq; habens beneficium Eccleſiaſticum cum cura,& ſine cura; ſi poſt ſex Menſes,quam illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis officij,& temporis, ſuos non faciat; ſed eos tanquam iniuſtè perceptos in fabricam ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneantur. Verumtamen multorum animi ſuſpenſione tenentur, cuiuſmodi rata prædicta ratio ſit habenda. Nos huic rei euidentiùs, atque expreſſiùs prouidere volentes, ſtatuimus, vt qui Horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij, ſeù beneficiorum ſuorum*

fructus

fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidiè diuiderentur; qui verò matutinum, tantum dimidiam, qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum ſingulas ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittat. Tametſi choro addictus non recitans, omnibus Horis Canonicis cum alijs præſens adſit, fructuſq; & diſtributiones fortè aliter aſſignatas, ſola præſentia iuxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendatis; etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem. Ex quibus verbis non ſolum colligitur, dictam pœnam eſſe ex iure Eccleſiaſtico; ſed etiam omnia ante dicta magis clarificantur.

2. Prædicta autem pœna reſtitutionis, ſeu non faciendi fructus, non incurritur præuia ſententia iudicis, cum iam lata ſit ſententia, & taxata pœna; & ita eſt receptum in tota Eccleſia; & Suar. cap. 30. num. 2. & 3. Nauar. de orat. cap. 7. num. 32. & alij communiter, & hæc pœna eſt omninò obſeruanda iuxta verba bullæ, neque ſunt audiendi aliqui aſſerentes, quod pro omiſſione vnius vel duorum dierum, non facienda ſit reſtitutio; nam hoc eſt expreſsè contra dictã bullam, in qua nõ ſolum taxatur pœna pro vno, vel pluribus diebus; ſed etiam pro vna hora; & contrarium aſſerere, non erit legis interpretatio; ſed cõtradictio, quia iam lex apertè declarat id, quod vertitur in quæſtionem.

3. Dicta autem reſtitutio non eſt facienda ob legitimum impedimentũ, quod quis habuit ad omittendum officium; vt conſtat ex dicta bulla; & idem eſt dicendũ de naturali obliuione, ob quam quis ommitteret officium; nam vbi non datur culpa, nec etiam pœna debetur. Idem eſt dicendum de recitante officium in peccato mortali, quia talis recitatio eſt ſatisfactoria, & impetratoria, cum fiat ex perſona Eccleſiæ; & eſt conſequenti eſt Deo grata, licet illi diſpliciat particularis perſona in peccato manente; non tamen tenetur ad reſtitutionem ob tale peccatum, ſiuè ſit publicum, ſiuè ſecretum; vt Suar. cap. 30. n. 15. & 16. quidquid in contrarium aſſerat Angelus ver. Clericus 8. num. 5.

4. Deinde dubitatur, vtrum ſatisfaciet choro, & officio, qui ob occupationem circa ſeruitium ipſius chori, non recitat partem notabilem officij; vt aſportando libros, pulſando organa, vel exeundo à choro ad accipiendum ignem, & ſimilia? Et negatiuè reſpondet Layman. lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 7. Molfeſius in ſumma tom. 1. tract. 5. cap. 1. num. 21. Azor. p. 1. lib. 10. cap. 13. & alij multi, quos ſequitur Diana 2. p. tract. 12. de horis canon. reſol. 13. vbi etiam aſſerit, idem eſſe dicendum de eo, qui, vt benè pronunciet lectionem in choro iniunctam, occupatur in ea perlegenda, dum chorus canit; pro contraria autem ſentẽtia citatur à Diana Suar. de relig. tom. 2. lib. 4. cap. 14. num. 13. Sed verè ibi Suar. non loquitur de dicto caſu; ſed de actionibus, quas quis faceret in choro impediendo, & perturbando dictum chorum, quas aſſerit eſſe peccaminoſas, vt alibi diximus; Puto tamen dictam opinionem eſſe veram reſpectu illorum, qui obligantur ad chorum tantum ratione ſtipendij, vt cantores, &c. Vel reſpectu Clericorum non habentium ordines ſacros, nec beneficium; qui tantum admittuntur ad iuuandum chorum; prædicti enim cum ſint ſtipendiarij, non tenentur ad attentionem officij, nec ad intentionem orandi; Sed tantum ad externum ſeruitium chori, vt aſſerit Suar. loc. cit. ideò per quodlibet ſeruitium ad chorum pertinens, ſatisfaciunt; Sed reſpectu illorum, qui obligati ſunt ratione ordinis, vel beneficij, duplici ratione tenentur ad officium, & ideò, licet; ſatisfaciant choro, & non amittant diſtributiones in caſibus prædictis, non tamen ſatisfaciunt obligationi ordinis, vel beneficij, & hi tenentur attentionem habere in choro, quia ibi admittuntur tanquam miniſtri repræſentantes Eccleſiam in orando, & ideò ſi non habent attentionem, nec choro, nec ordini, vel beneficio ſatisfaciunt, & ad reſtitutionem tenentur, nec fructus diſtributionum faciunt; Quidquid in contrarium aſſerat Bartholomæus Medina in inſtr. c. 14. §. 11. quoad diſtributiones; quod licet, probabile videatur, probabilius tamen eſt, id quod diximus.

5. Quæritur etiam, vtrum habentes titulum oneroſum ſimul cum beneficio, teneantur omnes fructus reſtituere pro omiſ-

ſione

Digitized by

ſione officij; Et affirmatiuè reſpondet Suar. lib.4.cap.30.num.4. Vaſq.1.2.tom.2.diſp. 168.num.34.& 35. Azor.1.p.lib.10.c.14. q.5. Valentia tom.3. diſp.6. q.2. punct.10. P. Nauarr.lib.2.de reſtit.cap.2. num.217. & alij; Et ratio eſt, quia in citato Concil. Lateranenſi, & Bulla Pij V.abſque vlla diſtinctione præcipitur; *Vt quicunque habens beneficium Eccleſiaſticum cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes, &c. Fructus ſuos non faciat*; Vnde Epiſcopus, Parochus, Canonicus, aut beneficiarius habens curam ſeu alia onera, tenentur pro rata ad reſtitutionem, vt ſupra diximus; tamen non deſunt multi, & graues Doctores, qui contrarium aſſerant; Nam Henriq.lib.13.cap.13.n.2. ait; Qui habet beneficium curatum, non teneri reſtituere, niſi partem correſpondentem obligationi recitandi officium, vt v.g. Parochus, & Epiſcopus quintam partem pro rata reſtituere tenentur, reliquas quatuor retinent ratione tituli, & oneris. Canonicus quartam partem, & alij beneficiarij tertiam partem pro rata reſtituere tenentur, & reliquas retinent ratione oneris; pro qua ſententia Henriq. multos Doctores citat, & ſecutus eſt Leſſ.lib.2. ca.34. num.77. licet, ille videatur talis moderatio laxa reſpectu Canonicorum, & aliorum non habentium aliud onus, quã ipſum officium, & ideò reſpectu iſtorum eſt tantum habenda ratio omiſſionis officij, ſeu horarum omiſſarum. Toletus autem lib.2.cap. 12.num.9.ait, reſtituendam eſſe tertiam partem fructuum tali diei correſpondentem; Et ita confirmat, Fernandez in exam. Theol.part.3.cap.13.§.8. num.2. & quod non teneantur prædicti ad omnes fructus, docet etiam Sot.lib.10.q.5. art.6. Ledeſm. Molfeſius, & alij multi, quos affert Diana 2.par.tract.12.reſol. 8. & hanc opinionem probabilem putat; his tamen non obſtantibus non puto eſſe recedendum à prima ſententia Suar. Azor. & aliorũ, quia lex apertè loquitur, & hanc difficultatem ſoluit illis verbis. *Quemcunq; habens beneficium Eccleſiaſticum cum cura, vel ſine cura*, quod exiſtimandum eſt, Eccleſiam determinaſſe in pœnam, vt clarè colligitur ex dicta bulla.

6. Vtrum autem Canonicus, & beneficiarius poſſint ſubſtituere alium loco ſui ad lucrandum diſtributiones? Negatiuè reſpondetur ex cap. vnico de Clerico non reſidente; & ex Concil. Trid. ſeſſ.24.ca.12. vbi reprobatur quælibet conſuetudo inſeruiendi per alios. Ex conſuetudine autem immemorabili potuit introduci dictus vſus, & eſſet validus, quia in dicto Concilio non reprobatur immemorabilis conſuetudo inſeruiendi per alium; ita P. Nauar.lib.2.de reſtit.cap.2.num.217. Leſſ. lib.2.cap.34.dub.33.num.185. Bonacina cum alijs multis in diſp.2. quæſt. 1. punct. 5.& q.5. punct. 6. non autem poſſet quis in tali caſu per extraneum inſeruire; ſed per miniſtros eiuſdem Eccleſiæ; vt idem Bonac. dicto punct. 5. num. 2. quæ ſufficere poſſunt pro horis canonicis.

DE DEVOTIONE.

Quid ſit Deuotio; quæ eius Cauſa, & Effectus. Cap. LXXVI.

1 *Deuotio eſt promptitudo ad diuinum famulatum.*
2 *Deuotio eſt actus voluntatis, & tres alios actus ſupponit.*
3 *Deuotio eſt actus Religionis.*
4 *Deuotio aliquando ſumitur pro quadam ſuauitate ſpirituali.*
5 *Quomodo differat promptitudo ad diuina, ab affectu colendi Deum.*
6 *Deuotio conſiſtit in fide, in ſtudio veritatis, & in operatione.*
7 *Cauſa deuotionis eſt meditatio, & contemplatio.*
8 *Fructus deuotionis eſt ſpiritualis mentis lætitia.*

1 QVia ſupra probauimus, officium diuinum, attentè, & deuotè eſſe recitandum, & cum iam aliqua dixerimus de attentione; neceſſarium putaui aliqua etiam dicere de deuotione. Eſt igitur Deuotio iuxta D. Thom. 2. 2. q. 82. art. 1. Voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum, ex illo Exod. 35. vbi dicitur, quod *multitudo filiorum Iſrael obtulit mente promptiſſima, atq; deuota primitias domino*. Ex quo colligitur deuotionem conſiſtere in actu volũtatis, ſcilicet, vt voluntas promptè moueatur ad ea, quæ pertinent ad cultũ Dei; vnde illi dicuntur Deuoti, ex eodem Sancto, qui ſeipſos quodammodo Deo deuouent, & ei ſe totaliter ſubdunt; quod nomen fuit etiam apud gentiles, apud quos illi tantum Deuoti appellabantur, qui ſeipſos idolis deuorabant in mortem; ſignificat etiam multoties dictum nomen animi propenſionem; vnde ſeruus dicitur deuotus domino ſuo; ſic etiã diſcipulus magiſtro, & amicus amico &c. ordinariè tamen apud Theologos, & Patres ſumitur pro quadam peculiari propenſione animi in Deum, & eius cultum, quod ſumunt ex P. Auguſtino lib. de ſpiritu, & anima ca. 50. vbi ait. *Deuotio eſt pius, & humilis affectus in Deum, humilis ex conſcientia infirmitatis propriæ, pius ex conſideratione diuinæ clementiæ* (& ſubiungit) *affectus eſt ſpontanea quædam, ac dulcis ipſius animi in Deum inclinatio.*

2. Qui actus cum procedat à voluntate reſpectu finis, tres actus includit iuxta Caiet. in eodem art. D. Thom. nempe, velle, frui, & intendere; Vnde deuotio importat primò promptè velle diuinum honorem in noſtra exercitatione diuini cultus; & inde prouenit prompta electio opportunorum ad hoc, & prompta executio conuenientium; Cuius ſignum eſt, quod perſonæ verè deuotæ; cum cognoſcunt aliquid eſſe pro diuino cultu agendum, promptæ ſunt, & gaudent ſe aliquid huiuſmodi operaturas, & operari.

3. Eſt autem dicta Deuotio, ſeu promptus actus voluntatis circa diuina; Actus religionis, vt probat D. Thomas in cit. q. art. 2. Quia velle aliquid facere, & promptam voluntatem habere ad illud faciendum, pertinet ad eandem virtutem, & reſpicit idem obiectum; vnde cum velle aliquid facere, vel famulatum præſtare diuino cultui, pertineat ad Religionem; pertinebit etiam ad ipſam virtutem Deuotio.

4. Aliquando à ſanctis ſumitur Deuotio pro quadam ſuauitate, & guſtu ſpirituali, ex quo prouenit promptitudo ad diuina iuxta Pſalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, & Pſalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*; Et hoc modo fuit etiam ſumpta à Diuo Bernardo ſerm. 1. de Natiu. Domini. *Res cordis eſt gratia Deuotionis, quam quærimus* (infra) *hilaritatem mentis, & dulcedinem ſpiritualis gratiæ, qua bona opera condiuntur;* Et in ſerm. 3. de circumciſione ait. *Iam vero*

Digitized by Google

verò cum his diù fuerit exercitatus, roga dari tibi deuotionis lumen, diem ſereniſſimam, & & Sabbatum mentis, in quo tanquam emeritus miles in laborib. vniuerſis viuas abſq; labore dilatato nimirũ corde, currens viam mandatorum Dei, vt quod priùs cum amaritudine, & coactione tui ſpiritus faciebas, de cætero iam cum ſumma dulcedine peragas, & delectatione: (& infra) *qui exercitus habens ſenſus, deuotionis huius fruuntur iucunditate.* Eodem modo ſumitur à D. Bonau. tom. 2. opuſcul. de proceſſ. relig. lib. 7. cap. 16. vbi, poſtquã dixit, varias radices deuotionis, ſubiungit. *Cum deuotio ſit piæ affectionis pinguedo, & magis ſe habeat ad affectum, quam ad intellectum, perfecta tamen non eſt deuotio ſine lumine intellectus.*

5. Sed reuera promptitudo ex ſuauitate eſt quid diſtinctum ab affectu colendi Deum quia poteſt dari in nobis talis affectus abſque ſuauitate, & guſtu, ac etiam affectus eſt in noſtra poteſtate, & à nobis fit; & procedit à gratia, ac eſt eius effectus; Vnde non debet, ſtrictè loquendo, vocari actus deuotionis; Sed effectus gratiæ, vel dicamus, primum effectum eſſe veram deuotionem ſubſtantialem, dictam autem ſuauitatem, eſſe quandam deuotionem accidentalem; quia hoc nomẽ Deuotio continet in ſe æquiuocationem; & ideò largo modo loquendo, poteſt etiam accipi pro ipſa dulcedine gratiæ; Sed realiter eſt ſpiritualis lætitia; & ita vocatur à D. Thom. in dicta q. art. 4. Alius autem effectus, ſeu promptitudo, vocatur Deuotio, & ſic iſtam etiam appellauit D. Gregor. lib. 4. cap. 4. ad illa verba 1. Reg. 9. *Sacrificium eſt populo in Excelſis*. vbi ait. *Hoſtia mentis eius, Deuotio eſt, tunc enim carnalia noſtra deſtruimus, cum ardenti Deuotione ad cæleſtia ſubleuamur.*

6. Conſiſtit autem dicta Deuotio, vt ait Sanctus Ambroſius lib. 1. de Abel. cap. 6. In tribus, ſcilicet, in fide, in ſtudio virtutis, & in operatione; Aliquando ſumitur etiam Deuotio, pro actu charitatis, vel pro actu pœnitentiæ, & in primo ſenſu locutus eſt Bernard. Epiſt. 11. *Implet charitas legem ſerui, cum infundit deuotionem; porrò timori adiuncta Deuotio, ipſum non annullat, ſed caſtificat.* Et in alio ſerm. ſuper illud Sapien. 7. *Sapientiam non vincit malitia.* ait. *Temporis præteriti fructus eſt compunctio, æui futuri flos eſt Deuotio.* In ſecundo ſenſu locutus eſt Hugo, vt refert Alenſ. quæſt. 26. memb. 1. art. 1. dicens. *Orationem eſſe deuotionem ex compunctione procedentem.* Et Eccleſia in quadam colleta ferię 5. hebdomadę primæ quadrageſimæ, ait, *Deuotionem populi tui quæſumus domine benignus intende, vt qui per abſtinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis, reficiantur in mente.* Aliquando etiam ſumitur pro oratione, vt loquutus eſt P. Auguſtinus lib. de ſpiritu, & anima cap. 5. dicens. *Oratio eſt mentis Deuotio*; & Hugo in dictis verbis citatis ait, *Orationem eſſe deuotionem*; Ambroſ. etiam lib. de Cain, & Abel. Deuotionem vocat omnem affectum erga cultum Dei, ſiuè orandi, ſiuè ſacrificandi, ſiuè gratias agendi; veratamen acceptio huius nominis eſt illa iam dicta in principio cum D. Thom. aliæ autẽ prædictæ acceptiones dicuntur tales ob connexionem, quam habent cum prima acceptione.

7. Cauſa verò deuotionis eſt meditatio, ſeù contemplatio; & vocatur à D. Tho. art. 3. cauſa intrinſeca deuotionis, ad differentiam cauſæ extrinſecæ, quæ eſt ipſe Deus, ſeu Spiritus Sanctus, vt ait Ambr. li. 6. in cap. 9. Luc. his verbis. *Deus, quos vult ex in deuotis deuotos facit*; & iterum, *Deus, quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit, & ſi voluiſſet Samaritanos, ex in deuotis, deuotos feciſſet.* Et D. Bernar. ſer. 21. in can. ait, *Diuini conſolatio deuotos facit.* Et quod meditatio ſit cauſa Deuotionis, probatur, quia omnis actus voluntatis ex aliqua cõſideratione procedit; & iuxta P. Auguſt. li. de Trinit. *Voluntas oritur ex intelligentia.* Igitur meditatio, ſeu contemplatio erit cauſa Deuotionis, quatenus per ipſam homo cognoſcit, & ſe tradit diuino obſequio, ad quod poteſt inducere duplex conſideratio, vna ex parte diuinæ bonitatis, & beneficiorũ ipſius iuxta Pſal. *Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpẽ meam*; & Pſal. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum*; & Pſal. 118. *Memor fui nominis tui Domine, et cuſtodiui legem tuam.* Deinde. *Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo Domine, & conſolatus ſum*, ſuper quæ verba Ambr. ait. *Hæc, qui*

Digitized by Google

nouit retexere, habet vnde gratiam ſuæ conſolationis acquirat; & Bonauent.to. 2. opuſcul. de proceſs.religioſorum lib.7.cap. 16. dicit. *Non eſſe veram Deuotionem, quæ de radice amoris non pullulat*. Altera conſideratio eſt ex parte hominis cōſiderātis ſuos proprios defectus, ob quos indiget, vt Deo innitatur iuxta Pſal. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*. Quæ omnia aſſerit tam D.Thom.d.art. 3. quam D. Ambr.lib. 1. de Abraham cap. 2. & lib. de Cain, & Abel cap.8.reſpectu primæ conſiderationis; & de dicta ſecunda conſideratione loquitur etiam Caiet.dicto ar.3.vbi ſic ait, *In ſecunda ſunt defectus culpæ, & pœnæ tam in præterito, quam in præſenti, labilitas ad peccandum. Diſſipatio propriæ ſubſtantiæ aſſuefaciendo cogitatus, & voluntates, & inclinationes aliarum ſuarū virium ad malum, habitatio in Regione longinqua ab amicitia, & conuerſatione diuina, peruerſitas affectus, magis temporalia, quam ſpiritualia commoda, vel incommoda ſentiens, nuditas à virtutibus, vulnera ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, & concupiſcētiæ. Vincula manuum, & pedum operum, ſcilicet, affectuum, in tenebris, in fœtoribus, in amaritudinibus eſſe, nec horrere, vocem paſtoris interiùs, non agnoſcere; & quod omnibus, peius eſt; Deum pro inimico, & hoſte toties elegiſſe mortaliter peccando, & propterea tantam eidem iniuriam feciſſe, vt pro Deo refutatus ſit, factuſq; noſter Deus ſit venter, aut pecunia, aut delectatio, &c.* & ſubdit, *Ex huiuſmodi namque meditationibus, quæ quotidianæ eſſe debent religioſis, & ſpiritualibus perſonis, omiſſo vocalium orationum multiloquia volūtario, Deuotia, aliaq; conſequenter gignūtur virentes, nec religioſæ, aut religioſe; ſeu ſpiritualis etiā nomine vocari poteſt, qui ſaltē ſemel in die ad huiuſmodi ſe non transfert. Quomodo namq; effectus abſq; cauſa, finis abſq; medio, inſularis portus abſq; nauigatione haberi nequit; ſic nec religio in actu abſq; frequentatis actibus ſuarum cauſarum, mediorum, ac vehiculorum*. Hæc Caiet. & D. Bernar.lib.ſentent.circa med. ſic ait. *Quatuor eſſe dicūtur, quæ gratiam noſtræ Deuotionis augent. Memoria peccatorum, quæ hominem reddit humilem apud ſe. Recordatio pœnarum, quæ illum ſollicitat ad benè agendum. Conſideratio peregrinationis, quæ illum hortatur, viſibilia debere contemni, deſiderium vitæ perennis, quæ hominem incitat ad profectum, cogat eum à terrenis affectibus voluntatis mutatione ſuſpendi*.

8. Fructus deinde dictæ Deuotionis iuxta D.Thom.art.4.eſt ſpiritualis mentis lętitia ex cit.Pſal.76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum*. Quando autem Deuotio cauſatur ex conſideratione propriorum defectuum, eius fructus indirectè, & per accidens, eſt triſtitia ex Pſal.41. *Sitiuit anima mea ad Deum viuum*. Deinde. *Fuerunt lachrimæ meæ panes die, ac nocte*. Dicta triſtitia dicitur indirectus effectus deuotionis ratione principij, à quo procedit; ſed finis Deuotionis non eſt, vt Deuotus ibi ſiſtat; ſed vt per ipſam ad Deum tranſeat, & delectationē ſumat ex obſequio Dei, & cognitione beneficiorum eius; vnde Dauid Pſalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*; & D.Ambroſ.lib. 5. de Abraham cap. 5. cogitans amœnitatem fructuum Deuotionis dixit. *Habet vberes fructus celerata Deuotio*.

DE

DE BENEFICIIS.

Quid ſit Beneficium, quo Iure inſtitutum ſit, quinam ſint incapaces Beneficij. Cap. LXXVII.

CVm Beneficia Eccleſiaſtica perſonis Eccleſiaſticis ſint annexa, & cum iam vſq; modo de dictis perſonis egerimus, ac de annexis ad ipſas; hinc etiam neceſſarium iudicaui, agendum eſſe de Beneficijs, tanquam etiam de annexis ad dictas perſonas Eccleſiaſticas; vt tota materia harum perſonarum completa habeatur.

1 *Beneficium Eccleſiaſticum eſt ius percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis.*

2 *Duplex eſt Beneficium Eccleſiaſticum ſimplex, & compoſitum, ſiuè ſit beneficium Seculare, ſiuè Regulare.*

3 *Beneficium compoſitum habet annexam adminiſtrationem; alia beneficia dicuntur etiam dignitates, vel perſonatus; & alia dicuntur beneficia manualia, & alia non manualia.*

4 *Beneficium eſt inſtitutum iure Eccleſiaſtico.*

5 *Fœminæ, perpetuò amentes, & alij ſunt incapaces beneficij.*

6 *Illegitimi per profeſſionem ſunt capaces ordinis, non autem beneficij regularis.*

7 *Epiſcopus non poteſt promouere illegitimos ad ordines minores, & beneficium ſimplex.*

8 *Epiſcopus non poteſt conferre Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis illegitimo, nec duo beneficia ſimplicia, &c.*

9 *Declaratur quomodo poſſit Epiſcopus conferre beneficium ſimplex habens aliud beneficium annexum cum cura animarum illegitimo.*

10 *Ad obtinendam diſpenſationem illegitimitatis, neceſſe eſt explicare, qualitates dicti defectus.*

11 *Legitimatus per ſubſequens matrimonium, ſi antea obtinuit ordines, & beneficia ſubreptitie; indiget diſpenſatione.*

12 *Illegitimi non poſſunt habere beneficium, vbi eorum pater aliud beneficium habuit.*

13 *Non cenſetur illegitimus, qui natus eſt ex matrimonio habente ſecretum impedimentum.*

14 *Illegitimus bona fide ordinatus, & ſuſcipiens ordines, non fit regularis per exercitium ordinis.*

15 *Filij Hæreticorum, ac eorum fautorum, &c. reijciuntur à beneficijs.*

1 QVamuis variæ definitiones beneficij aſſignentur à Doctoribus: Tamen dico. Beneficium eſt ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter aliquod officium ſpirituale auctoritate Eccleſiæ conſtitutum. Vnde tria ſunt in beneficio, nempe, ipſum officium, ſeu obligatio beneficiarij, vt, legendi horas Canonicas, vt ſupra, adminiſtrandi Sacramenta, vel quid aliud ſpirituale. Secundum eſt ius percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis, quod ius eſt quid ſpirituale, cum oriatur ex cauſa ſpirituali, Tertiũ, ſunt fructus: Qui licet, in ſe ſint quid temporale, tamẽ proueniunt ex bonis Deo dicatis; & exiguntur ex ſpirituali iure, quod ius debet eſſe perpetuum, aliter non erit beneficium; ideò temporale officium Vicarij nõ eſt beneficium, de quo loquuntur canones; vt docet Nauar. lib. 3. Conc. 6. de præbend. Secùs autem de officio Vicarij perpetui, & ſimiliter Capellania perpetua. Nec obſtat; quod Prioratus temporalis, vel etiam Abbatia, & aliæ Prælaturæ apud Regulares ſint beneficia; & tamen nõ ſunt perpetua; Nam hoc non prouenit ex natura dictæ prælaturæ, cum ex ſe benè poſſent eſſe perpetuæ iuxta eorum naturam; ſed prouenit ex accidenti, quod non ſint perpetuæ, nempe; ex regimine religionis; & ſubiectione ad ſuperiores maiores; qui nolunt iuſtis de cauſis dictas prælaturas eſſe perpetuas; non tamen ex

hoc

Digitized by Google

hoc ſequitur, quod non ſint beneficia Eccleſiaſtica. Item neceſſe eſt, vt dictum ius percipiendi fructus Eccleſiaſticos ſit erectum, vel confirmatum auctoritate Eccleſiaſtica, aliter non erit beneficium Eccleſiaſticum, vt communiter omnes Doctores aſſerunt in cap. Nemo 7. de conſecratione diſt. 1.

2. Duplex autem eſt beneficium, Seculare, & Regulare; & vtrumque aut eſt ſimplex, aut compoſitum. Beneficium ſeculare eſt illud, quod nullo modo poteſt competere Regulari ex generali regula; Beneficia ſecularia ſecularibus, Regularia Regularibus; Excipitur Beneficium curatum, ſeu Parochiale, quod poteſt tribui etiam Regularibus; vt habetur in c. quod Dei timorem de ſtatu Monachorum: his verbis. *Per Antiquos canones etiam monachi poſſunt ad Eccleſiarum parochialium regimen in Preſbyteros ordinari.* Beneficium Regulare eſt illud, quod tantum pro Regularibus eſt inſtitutum: vt Abbatia, Prioratus, Canonicatus regularis, &c. Omne autem beneficium eſt reputãdum ſeculare, niſi probetur eſſe regulare, & tunc probatur eſſe regulare; quando per quadraginta annos fuit apud Regulares cum pacifica poſſeſſione; Et ſic è contra poterit probari beneficium eſſe ſeculare Ratione præſcriptionis. vt Gloſs. in cap. cum de beneficio de præbem. in 6. & patet ex cap. De quarta de præſcript. vbi habetur tanto tempore compleri legitimam præſcriptionem contra Eccleſiam, & monaſterium.

3. Beneficium compoſitum eſt illud, quod habet annexam adminiſtrationem; & maximum eſt Papatus, cui nomen beneficij tribuitur in cap. 1. de maledicis. Deinde Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & Cardinalatus ex ca. 2. Cleros d. 21. & cap. Fœlicis 5. de pœnis in 6. Sunt etiam alia beneficia, quæ dicuntur Dignitates, vt Præpoſitura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia ſecularis ad inſtar Diaconatus, Abbatia Regularis, Prioratus. Aliquando autem aliqua ex dictis beneficijs vocantur perſonatus, vel dignitates; Vnde beneficia ſimplicia diſtinguntur à beneficijs compoſitis, ſeu duplicibus, quatenus ſimplicia ſunt inſtituta tantum ad preces fundendas; Et compoſita habent etiam aliquam adminiſtrationem annexam: vide Nauarr. lib. 3. conſil. 45. de præbendis. Leſs. lib. 2. cap. 34. dub. 2. & Azor. tom. 2. lib. 3. cap. 1. q. 1. & ſeqq. Diuiditur etiam beneficium in manuale; & non manuale; Manuale eſt illud, quod datur ad nutum eius, qui confert; non manuale dicitur illud, quod non niſi ex quibuſdam ex iuſtis cauſis in iure permiſſis adimi nequit. vt Gloſs. in Clement. quia Regulares de ſupplend. neglig. prelat. Deinde alia beneficia dicuntur electiua, & alia collatiua; Illa dicuntur electiua, quæ conferuntur ab habente auctoritatem; ſed præuia electione à Canonicis, & Clericis facta; & illa dicuntur electiua, quæ conferuntur ex libera voluntate ſuperioris. vide Azor. loc. cit. §. quintò diuiditur, & infra.

4. Sed quonam iure ſint beneficia inſtituta? Reſpondeo, eſſe inſtituta iure Eccleſiaſtico: & colligitur ex cap. 1. & 2. d. 22. vbi dicitur. *Romanum Pontificem inſtituiſſe Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alias dignitates.* Idem colligitur ex cap. licet in princ. de præbend. in 6. & ex Clemen. 1. ad fin. Vt lite pendente; vbi habetur. *Romanum Pontificem plenam, & liberam poteſtatem habere ſuper beneficia*; Vnde poteſt beneficia coniungere, diuidere, extinguere, augere, minuere, noua erigere; & ad nutum, ad tempus, vel in perpetuum conferre; poteſt etiam illa mutare, reſeruare, & dare antequam vacent; & onera, & pẽſiones in illis imponere, non tamen poteſt aliquem penſione iure naturali, & diuino ſibi debita, priuare, vt ſi eſſet collata ratione ſtipendij, ex eo quòd laborauerit, vel laboret pro Eccleſia: Nec obſtaret ſi beneficiarius haberet pingue patrimonium; dummodo penſio fuerit collata tanquam ſtipendium iure naturali debitum vt Azor. lib. 6. 2. p. quæſt. 1.

5. Verum autem aliqui repellantur à beneficijs? Reſpondeo, in primis, iure naturali, & diuino repelli fœminas; & ratio eſt, quia beneficium datur propter officium, vt habetur in cap. vlt. de reſcript. in 6. & cum fœminæ aliquo officio ſeu miniſterio Eccleſiaſtico fungi nõ poſſint, nec ad aliquem gradum, & ordinem Clericorum

rum

rum aſcendere; Sequitur, quod neque beneficia Eccleſiaſtica obtinere poſſint. vt Gloſſ. & Abbas in cap. Dilecta. de maiorit. & obedient. Et licet fęmina ſit capax iuriſdictionis temporalis, ciuilis, & prophanæ; Nullo tamen modo. eſt capax poteſtatis ordinis. Reijciuntur etiam à beneficijs non baptizati, quia ſunt etiam incapaces ordinis, & poteſtatis ſpiritualis. Vtrum autem idem dicendum ſit de Neophytis? Affirmatiuè reſponderunt aliqui, ex Apoſtol. ad Timotheum. Oportet Epiſcopum non eſſe Neophytum. Sed dicendum eſt Neophytum, iure Canonico tantum eſſe ineptum ad ordines; & ex conſequenti ad beneficium. ex cap. Neophytus d. 61. cap. quoniam, &c. ſicut Neophytus d. 48. Nam Apoſtolus dixit, non debere Neophytum eſſe Epiſcopum, tanquam Doctor Eccleſiæ; ſed non ex præcepto diuino. Idem etiā dicitur de Hermaphrodita; Sed prius videndum eſt an ſit iudicandus mas, vel fœmina; Et vt habetur in l. quæritur ff. de ſtatu hominis. *Quæritur Hermaphroditũ, cui cõparemus? & magis puto eius ſexũ æſtimandũ, qui in eo prævalet.* Sic ibi. Vnde ſi prævaleat in ſexu fœmineo, iure diuino erit excluſus; ſi autẽ æqualis ſit in vtroq; ſexu, vel magis vigeat in ſexu virili; tunc iure canonico erit ad ordines, & beneficia inhabilis; & quoad hoc tanquam infamis habetur, vt dicitur in ca. ſi teſtes 4. q. 4. §. Hermaphroditus inter eos cenſetur, qui à teſtimonio in publicis actis ferendo, iure cõmuni repelluntur. Item perpetuò amentes; & pueri ante vſum rationis repelluntur iure naturali, & diuino à beneficijs ſicut repellũtur ab vſu ordinis, & ratio eſt; quia neque electioni poſſunt conſentire, neque aliquo officio fungi, ob quod datur beneficium, vt ſupra. Item non habens primam tonſuram, eſt iure canonico excluſus à beneficio; vt habetur ex ca. cũ adeò de reſcript. Imò etiam ſi quis ſuſceperit primam tonſurã ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprij Epiſcopj, adhuc erit incapax beneficij; nam paria ſunt tonſuram non habere, & illam vitioſam, & inutilem habere ex l. quoties ff. qui ſatis dar. cogant. vbi habetur, quod *qui vitioſè cantus ſit, pro non canto habeatur*; Item excluduntur à beneficijs illegitimè nati; ſcilicet, non ex legitimo matrimonio, ex iure canonico, quia priuantur, ſeu expelluntur etiam ab ordinibus ex cap. vt filij de filijs Presbyteror. cap. 1. & 2. de fil. Presb. in 6. & ex alijs loc. & idem dicitur de Spurijs, ſcilicet, natis ex adulterio, inceſtu, vel ſacrilegio; vt Gloſſ. in cap. 1. de fil. Presb. in 6.

6. Sed quæritur, vtrum illegitimè natus per ingreſſum Religionis, & per profeſſionem emiſſam, fiat aptus ad omnes ordines etiam ſacros? & affirmatiuè reſpondetur de iure communi ex cap. Presbyteros diſt. 56. vbi habetur. *Filios Presbyterorum à ſacris miniſterijs remouemus, niſi aut in cœnobijs, aut in canonibus religioſè probati fuerint conuerſati.* Quod habet locum etiam in Spurijs; & quamuis Sixtus V. in bulla cum de omnibus, contra illegitimos, eos prohibuerit admitti in religionem, aut admiſſos promoueri ad ordines, & dignitates; tãmen Gregor. XIV. poſtea in bulla, quæ incipit Circumſpecta Romani, dictam bullã Sixti V. reduxit ad terminos iuris communis; iuxta quod benè poſſunt ad ordines promoueri; non tamen poſſunt habere ex hoc capite beneficia, ſeu munera, & officia honorifica in Religione, neq; præfecturas, aut prælaturas; nam tãtum in dictis iuribus eis conceditur, vt ad ordines promoueri poſſint, dixi ex hoc capite, quia, vigore priuilegiorum poſſunt Religiones cum dictis diſpenſare; vt poſſunt aſcendere ad dignitates, officia, &c.

7. Epiſcopus autem poteſt tantum dictos illegitimos, & ſpurios promuere ad primam tonſuram, ad minores ordines, & ad beneficia ſimplicia, ſed nullo modo ad ordines ſacros, nec ad beneficia maiora, vel habentia curam animarum; vel dignitatem, aut adminiſtrationem, vel perſonatũ, ex c. 1. de filijs Presb. in 6. vt Gloſ. ibi; & communiter omnes, eſt tamen notandum, quod ſi Epiſcopus diſpenſet ad ordines minores tantum, non ex hoc intelligitur diſpenſaſſe etiam ad beneficia ſimplicia: quia relaxatio legis, cũ ſit odioſa, ſtrictè eſt interpretanda, quidquid aliqui dicant, & ita docet Nauar. conſil. 3. q. 5. de filijs Presbyteror. Francus in cap. 1. de filijs Presbyt. in 6. Abbas de filijs Presbyt.

byt.

byter. num. 3. Rebuffus, & alij, quos ſequitur Azor. p.2. lib.6. cap. 3. quæſt. 4. Imò etiã ſi prædicti eſſent diſpenſati à Põtifice ad ordines ſacros, non ex hoc eſſent apti ad beneficia habenda, ſiuè ſimplicia, ſiuè maiora; vt ijdem Doctores, Abb. in cap. litteras de filijs Presbyt. num. 6. ſequẽs Ioan. Andreas, nec ſi abſolutè eſſent diſpenſati etiam à Pontifice ad ordines; cenſerentur diſpẽſati ad ordines maiores; ſed tantum ad minores; niſi aliud ex conceſſione colligatur, & hæc eſt verior, & communior opinio. Nec ſimiliter, ſi Pontifex diſpenſaret, vt poſſint eligi ad beneficia, erunt apti ad dignitates, vel beneficia maiora, vt ſupra, vt Panorm. in cap. litteras de filijs Presbyt. Item nec ſi Pontifex diſpenſauerit ad dignitates, erunt ſimiliter diſpenſati ad dignitates principales, & maiores. Principalis dignitas eſt illa, quę in Eccleſia Collegiata eſt omnium maxima; principalis verò eſt illa, quæ in Eccleſia Cathedrali eſt poſt Epiſcopalem, & cęteris maior, & multo minùs intelliguntur diſpenſati ad Epiſcopatum, &c. ex Io: Andreas Franco, Rebuffo, & alijs in cap. 1. de filijs Presbyter. in 6. & apud Rebuff. nu. 86. in praxi de diſpenſat. ſuper defect. natal. nec etiam intelliguntur diſpenſati ad dignitates cum cura animarum; & è contra, ſi fuerint diſpenſati ad beneficia cum cura animarum, non ex hoc intelliguntur diſpẽſati ad dignitates, vt ſupra; vt Angel. ver. beneficium num. 25. Sylueſt. eodem ver. 3. num. 12. Tabien. dicto ver. 2. num. 23. & alij.

8. Vtrum autem Epiſcopus diſpẽſans cum ſpurio ad habẽdum beneficia ſimplicia, poſſit etiam illi conferre Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis? & affirmatiuè reſpondet Rebuff. in prax. de diſpenſat. ſuper defect. natal. num. 11. alij autem apud dictum Rebuff. reſpondẽt negatiue, & ſic aſſerunt eſſe vſum curiæ Romanæ; & quamuis prima opinio communis olim erat, quam tenet etiam Sylueſt. verb. beneficium 3. q. 7. Angelus nu. 19. Tabien. verb. beneficium. 2. nu. 16. Gloſſ. Archidiacon. Io. Andreas, Dominicus, Francus in cap. 15. qui de filijs Presbyt. in 6. & alij, vt refert 2. p. lib. 6. cap. 3. q. 11. Tamen poſt Concilium Tridentinum contrarium eſt tenendum, prout eſt vſus in curia Romana, qui eſt omninò ſequendus. Ratio eſt, quia talis Canonicus cæteros omnes beneficiarios honore antecedit; & eſt tanquam membrum Epiſcopi, cum multa agat cum ipſo Epiſcopo; quo honore, & dignitate ſunt incapaces filij illegitimi. Sequitur Leſſ. lib. 2. c. 34. dub. 18. & Azor. dummodo verè talis ſit vſus Romanæ Curiæ, ſecùs, putat primam opinionem eſſe ſequendam tanquam communem, & veram. Item neque Epiſcopus poteſt conferre duo beneficia ſimplicia neque ſpurijs, vel illegitimis, neque alijs Clericis vt cõſtat ex c. 1. de filijs presbyt. in 6. Poteſt tamen Epiſcopus duo beneficia ſimplicia conferre vni Clerico non illegitimo, quando vnum beneficium non ſufficit Clerico ad commodè, & honeſtè ſe ſuſtentandum; vt dicitur in Concil. Trid. ſeſſ. 24. ca. 7. de reform. Et vtrum id etiam poſſit Epiſcopus cum illegitimo? & negatiuè videtur probabilius reſpondendũ; quia duæ ſunt leges, vna prohibet, ne illegitimus poſſit obtinere beneficium; altera, ne poſſit habere plura beneficia, quæ vltima lex eſt communis omnibus Clericis; Igitur non ex hoc, quod Epiſcopus diſpenſat in prima lege. Poterit etiam diſpenſare in ſecunda; nam quando Concilium concedit Epiſcopo, vt poſſit conferre duo beneficia Clerico, non valente ſe ſuſtentare cum vno tantum beneficio, præſupponit Clericum aptum ad beneficia. Vnde, ſi illegitimus habuerit vnum tantum beneficium, licet, tenue, & inſufficiens, non poterit aliud obtinere. Ex altera tamen parte non videtur incongruum, quod Epiſcopus poſſit id etiam agere cum illegitimo, quia Concilium abſolutè loquitur, & talem facultatem abſque vlla diſtinctione tribuit Epiſcopo: Ideò, (ſaluo contrario vſu) non damnarẽ illum, qui hanc opinionem ſequeretur. Vbi autem adeſſet iuramentum, vel conſuetudo à Summo Pontifice confirmata non conferendi beneficia illegitimis: eſſet omninò ſeruanda.

9. Sed dubium eſt, vtrum beneficium ſimplex habens aliud beneficiũ annexum cum cura animarum, poſſit conferri ab Epiſcopo Clerico illegitimo? Et reſpondeo,

Digitized by Google

deo, vel dictum beneficium ſimplex. Eſt tanquam quid principale, quod datur, vel non; Si primo modo, certum eſt, quod dictum beneficiū trahit ad ſe minus principale, & ex conſequenti poterit Epiſcopus illud illegitimo conferre; & in hoc ſenſu id affirmat Geminian. in cap. Is, qui de filijs Presbyt. in 6. & Archidiaconus, quod etiā limitat Syluest. ver. beneficium 3. quæſt. 8. nempè, quando dictum officium cum cura animarum exercetur per Vicariū ex Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 18. num. 87. Item neque Epiſcopus poteſt conferre beneficium. Illegitimo; quod, ex Priuilegio Summi Pontificis, vel conſuetudine à Summo Pontifice confirmata, Eſt conferendum habenti ordinem ſacrum; Secùs autem ſi conſuetudo fuerit tantum ab ipſo, vel alijs Epiſcopis anteceſſoribus confirmata; vel lege ſtatutum, quia in his poſſet Epiſcopus diſpenſare: & in hoc ſenſu ſunt intelligendi Archidiaconus. Geminianus cum Gloſſ. & alijs in c. 1. de filijs presbyterorum in 6. Item nota, quod licet ſpurius, ex diſpenſatione Summi Pontificis obtinuerit beneficium cum cura animarum; non ex eo ſequitur, quod poſſit aliud beneficium habere cum cura animarum nulla facta mentione illegitimitatis, vel ſi primum beneficium dimittat, aliud impetrare abſque dicta mentione; vt patet ex cap. Is qui de filijs Presbyt. vt ſup. Et quoad primam partem, patet ex cap. vlt. eiuſdem tit. Sic etiā, ſi dictus Spurius obtinuiſſet à Pontifice diſpenſationem pro aliquo beneficio particulari habente curam animarū; non ideò cenſetur diſpenſatus ad aliud ſimile beneficium, ſi illud primum non obtinuerit ex ſua culpa; ita Geminian. & alij communiter in cap. 1. de filijs Presbyt. in 6.

10. Aliud dubium eſt, vtrum ad obtinendam diſpenſationem ob ordines, vel beneficium obtinendum, neceſſarium ſit exprimere eſſe Spurium: an tantum ſufficiat aſſerere nō eſſe ex legitimo matrimonio natum? Sed priùs eſt notandum, eſſe quatuor genera eorum, qui non ſunt ex legitimo matrimonio nati, vt ait Gloſſa; & communiter omnes Doctores in cap. His cum pridem de renuntiat. Et primi vocantur Naturales, & ſunt illi, qui nati ſunt ex patre, & matre, inter quos poterat eſſe matrimonium; Secundò vocantur Manzeres, & ſunt illi, qui orti ſunt ex viro ſoluto, & ex meretrice, ſeù fœmina ſoluta, quæ ob quæſtum corpus ſuum præſtituerat. Tertij vocantur Nothi, & ſunt illi, qui nati ſunt ex viro habente vxorem, & muliere concubina, vel non habente, nec cognoſcente alium virum. Quarti vocantur Spurij, & ſunt illi, qui nati ſunt ex patre, & matre, inter quos ex parte vtriuſque, non poterit eſſe matrimonium; & ita ſimiliter vocantur illi, qui nati ſunt ex inceſtu, ſacrilegio; Raptu, & ſtupro; & omnes iſti excluduntur ab ordine, & beneficijs iure Canonico, vt etiam dixi ſupra num. 5. in fin. Cauſæ autem, ob quas ius Canonicum hos expellerit, multæ ſunt, & numeranrur à Rebuff. in praxi benef. p. 2. de diſpenſat. ſuper defect. natal. num. 3. & ſeqq. ex Hoſtienſ. in ſumma tit. de filijs presbyt. §. quę eſt cauſa. Ad dubium autem reſpondet Felynus in c. poſtulaſti de reſcript. nu. 2. cum Baldo Io. Andrea, Oldrad. Abbate, & alijs, apud ipsū: eſſe explicandum nō ſolum circumſtantiā Spurij, ſed etiā qualitates ipſius, nempe, an natus ſit ex adulteris ex parte vtriuſque. An ex inceſtu, vel inceſtu, & ſacrilegio, vel an ex ſacrilegio ex parte vtriuſque, vt ſi fuerit filius Sacerdotis; & mulieris habentis votum caſtitatis ſolemne; vel an natus ſit ex patre, & matre, inter quos erat aliquod ligamen cognationis ſpiritualis; non tamen eſt neceſſe, vt quis dicat eſſe natum ex patre Sacerdote, & matre, cui talis Sacerdos Sacramenta miniſtrabat, vel confeſſionem audiebat; quia ex prædictis non contrahitur affinitas ſpiritualis; eſt tamen neceſſe, vt explicet ſacrilegium ex parte patris, & adulterium ex parte matris, ſi habebat maritum. Item neque ſufficit, ſi quis dicat eſſe natum ex Adulterio, ſi fuerit natus ex patre nobili habente vxorem, & fœmina illuſtri matrimonij vinculo ſoluta; Sed neceſſe eſt, vt fiat mentio de nobilitate matris, aliter nō valet gratia obtempta; quia Spurius non ſuccedit matri illuſtri, extantibus legitimis. Iuxta Authent. ſi qua illuſtris C. ad S.C. Orfician. Nobilitas autem patris non eſt neceſſariò explicanda, licet, fuerit Princeps, Rex, &c. Ita Io. Andr.

& alij multi, quos refert Fœlinus loc. cit. Et tandem, vt valida cenſeatur gratiæ impetratio eſt explicandũ totum id, per quod Princeps, vel alius habens auctoritatem poſſet gratiam denegare, aut difficilius illam concedere; & hæc eſt generalis regula ſeruanda ad ritè obtinendam gratiam, vt habetur in cap. propoſuiſti de reſcript. quod docet Abbas, & omnes alij ſupra citati.

11. Sed quæritur, vtrum illegitimus, qui obtinuit beneficium tacito defectu illegitimitatis, ſi poſtea fiat legitimus per ſubſequens matrimonium, poſſit abſque alia diſpenſatione iuſtè, & ritè tenere beneficium, & ordines exercere? Nam ſciendum eſt, filios illegitimos, ſeu ortos ex parentibus, inter quos poterat eſſe matrimonium; fieri legitimos per ſubſequens matrimonium inter dictos parentes, Vt habetur in cap. conquæſtus: & cap. Tanta, qui filij ſint legitimi. Authent, quibus modis naturales efficiantur legitimi. Coll. 6. Et hi filij ſic legitimati, benè poſſunt abſque alia diſpenſatione aſcendere ad ordines, & eligi ad beneficia, & ad omnes, etiam maiores dignitates, vt docet Sylueſt. verb. illegitimus q. 3. Abbas in cap. ad Extirpandas; & ibi D. Anton. Hoſtienſ, & alij. Ad quæſitum autem reſpondeo negatiuè; quidquid aliqui afferant: Et ratio eſt, quia actus à principio nullus, ſemper erit talis; Vnde cum talis beneficiarius obtinuerit ordines, & beneficium inualidè; Semper indigebit Pontificis diſpenſatione; aliter nec ordines exercere, nec beneficio iuſtè frui poterit, ita Mandoſius in praxi ſignaturæ gratiæ. Gigas de penſionibus q. 22. n. 16. & ſeqq. quos ſequitur Azor. tom. 2. lib. 6. c. 3. q. 21. §. ſecundò.

12. Quædam autem ſunt hic notanda pro filijs Presbyterorum; primum eſt ex iure communi, nempe, illegitimos non poſſe habere aliquod beneficium; vbi pater eorum eſt Epiſcopus, Præpoſitus, Decanus, Parochus, vel Canonicus, vt habetur in cap. Ad præſentiam 2. ca. cum decorem 15, cap. ad abolendam 16. de filijs Presbyterorum, & Concilium Tridentinũ ſeſſ. 25. cap. 15. de reform. addidit, vt dicti illegitimi non ſolum habere nequeant beneficium, licet, minimum, vel penſionem aliquam in Eccleſijs, vbi parentes beneficium actu habent; ſed neq; vbi aliquando habuerunt, neq; cum his poteſt Epiſcopus diſpenſare. Filij autem legitimi Presbyterorum poſſunt habere beneficiũ in Eccleſijs, vbi eorum parentes Præfecti erunt; non tamen illud ipſum beneficium, quod proximè parentes habuerunt; vt patet ex cap. Ad hæc 12. de filijs Presbyter. quoad primam partem; & quoad ſecundam patet ex cap. tranſmiſſa 7. & cap. conquerente 4. eodem tit. & ratio, quam aſſignat Concil. Trid. dicta ſeſſ. 25. cap. 7. eſt. *Ne beneficia ſucceſſione hæreditaria tranſmitti videantur; quam ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis, Canones ſemper in beneficijs valdè exoſam habuerũt.* Vnde neceſſe eſt, vt poſt patrem, ſaltẽ vnus ſuccedat; & poteſt deinde ſuccedere filius ex cap. tranſmiſſa 7. de filijs Presbyt. è cõtra verò, pater poteſt ſuccedere beneficio filij, quia perit illa imaginaria ſucceſſio; & ſimiliter nepos poteſt ſuccedere beneficio Aui, patre tamen viuente, quia tunc nepos non poteſt ſuccedere Auo; & ex conſequẽti, tollitur etiam imago hæreditariæ ſucceſſionis. Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 18. nu. 88. & ſeqq. & fuſiùs totam dictam doctrinam tradit Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 4. q. 16.

13. Secundò eſt notandum, non cenſeri illegitimum filiũ, qui natus eſt ex matrimonio, quod habebat occultum impedimentum, quando tamen bona fide parẽtes contraxerunt; imò etiam ſi vnus tantum ex illis habuit bonã fidem; filius non eſt cẽſendus illegitimus. Azor. tom. 2. lib. 6. ca. 3. q. 12. Si autem vitium originis fuerit occultum, non ex eo quis non erit irregularis, & ineptus tam quoad ordines, quam quoad beneficia; vt volebat Caſt. lib. 2. de lege pœnali cap. vlt. concluſ. 3. cuius opinionem meritò repellit Nauar. cap. 27. nu. 194. & communiter omnes alij, vt Sylueſt. verb. illegitimus num. 1. Angelus verb. irregularitas num. 53, &c. Et ſi vitium fuerit ita occultum, vt illegitimus ab omnibus habeatur pro legitimo; & dictus illegitimus id tantum ſciat ex matre ſibi dicente; non eſſe legitimum; tũc dictus illegitimus, vel credit matri, vel non credit; ſi credit, eſt excluſus ab ordine, & beneficijs, ſecùs

ſi non

Digitized by Google

ſi non credit, imò neq; credere tenetur; vt omnes docent ex l. 1. ff. de Carbon. edicto, & ibi Bart. & alij, & Gloſſ. in l. ſi vicinis C. de nupt. & in l. ſi poſthumus ff. de liber. & poſthum. Abb. in cap. 1. de filijs Presbyt. & alij paſſim, vt Azor. dicto cap. 3. q. 24.

14. Tertiò eſt notandum, illegitimũ, vel ſpurium ſuſcipientem ordinem, & beneficium bona fide, ſcilicet, non cognoſcẽdo illegitimitatẽ; nec peccare nec fieri irregularem; ex eo quod ſuſceperit ordines, vel exercuerit; ſed ſi malitioſè illos ſuſciperit, mortaliter quidem peccauit. At aliam irregularitatem ex ordinum ſuſceptione non contraxit; quidquid in contrarium doceat Sot. in 4. d. 25. q. 1. art. 3. concluſ. 1. & aliqui recentiores, nam nullus canon extat id aſſerens; vnde tenetur tantum dictus illegitimus, vel ſpurius diſpenſationem petere de illegitimitate explicãdo, quod, non obſtante illa, ſuſceperit ordines, & beneficia; nec erit neceſſarium explicare an exercuerit actus ordinis; quia per illos, licet, peccauerit mortaliter, non tamen contraxit aliam irregularitatem, ita Rebuff. in praxi benefic. de diſpenſat. ſuper defect. natalium num. 13. Couar. in Clem. ſi furioſus de homic. par. 1. §. 1. num. 3. Nauar. in cap. ſi quando de reſcript. except. 2. Abbas, Innocent. Archidiac. & alij multi, quos ſequitur Azor. loc. cit. q. 25.

15. Reijciuntur etiam à beneficijs filij Hæreticorum, vel credentium hæreticis, fautorum, receptorum, & defenſorũ eorum, vt habetur in ca. quicunq; §. Hæretici, & cap. ſtatutum 2. de hæret. in 6. quæ lex extenditur vſq; ad ſecundum gradum reſpectu patris, nempe, vſq; ad nepotem incluſiuè; & vſq: ad primum gradum reſpectu matris, nempe, quando filij ortum tantum habent ex matre hæretica, ex dicto cap. ſtatutum; & idem dicitur de filijs fautorum, defenſorum, &c. hæreticorum, vt Gloſſ. in d. cap. ſtatutum; id autem non intelligitur de filijs deſcendentibus à parentibus hæreticis, ſed poſtea ſaltem in fine vitæ reconciliatis cum Eccleſia; vt fusè oſtendit Azor. tom. 2. cap. 4. q. 3. ſed vtrum hæc lex debeat intelligi etiam de filijs natis ante crimen patris; an tantum de natis poſt crimen Patris? pro vtraq; parte ſunt graues, & multi Doctores; attamen probabilior videtur opinio Couar. lib. 2. var. reſol. cap. 8. nu. 5. aſſerentes, omnes filios hæreticorum tam ante crimen, quam poſt crimen patris eſſe obſtrictos tali lege; & ita etiam multi alij docẽt apud ipſum Couar. qui ad omnia argumenta contrariæ opinionis ſimiliter reſpondet. Item reijciuntur à beneficijs, qui obtinuerunt beneficium hæreticorum precibus, ſcienter cap quicunq; §. Ad hæc de hæret. in 6. Itẽ reijciuntur bigami, & alij ordinum incapaces.

De Conditionibus Requiſitis in ſuſcipientibus Beneficia. Cap. LXXVIII.

1 *Prima conditio, quæ requiritur in beneficiarijs eſt Aetas.*

2 *Pro Canonicatu, & portionibus eſt neceſſaria illa ætas, quæ eſt neceſſaria ad ordines.*

3 *Secunda conditio, quæ requiritur in beneficiarijs, eſt ſcientia.*

4 *Archidiaconi, & alij habentes curam animarum debent eſſe Doctores, vel Licentiati.*

5 *Illiterati ſunt omninò incapaces beneficiorum.*

6 *Excommunicatis, ſuſpenſis, &c. non poteſt conferri beneficium.*

7 *Quarta conditio eſt, vt quis habeat animũ ſuſcipiendi intra annum, ordinem neceſſarium ad tale beneficium.*

8 *Suſcipiens beneficium Parochiale animo non reſidendi, & faciendi fructus, tenetur ad reſtitutionem.*

9 *Ad pœnam reſtitutionis fructuũ ob dictam cauſam, non obligantur alij beneficiarij.*

10 *Eccleſia Parochialis poteſt conferri non Presbytero, ſed non commendari non Presbytero.*

11 *Accipiens beneficium Parochiale, vt ſupra tenetur ad reſtitutionem, ante iudicis ſententiam.*

12 *Habens vnum beneficium, non poteſt aliud obtinere.*

13 *Beneficia compatibilia poteſt quis plura habere.*

Digitized by Google

14 *Beneficiarius non poteſt ſecundum beneficium obtinere, niſi primum explicet.*

15 *Habens beneficium ſufficiens, non excuſatur à culpa, quamuis à Pontifice obtineat ſecundum beneficium.*

16 *Obtinens ſecundum beneficium, non explicans primum, licet per ignorantiam, adhuc eſt nullum beneficium; ſecùs ſi motu proprio Pontifex ſecundum tribuat.*

17 *Explicatur quando beneficium cenſeatur ſufficiens.*

18 *Explicatur pœna, in quam incidunt accipientes ſecundum beneficium incompatiens, tacendo primum beneficium.*

19 *Obtinentes duo beneficia habentia perpetuàm reſidentiam, vel incompatibilia, ſtatim primo, vel primis priuatur.*

1 PRima conditio, quæ requiritur in ſingulis beneficiarijs eſt ætas. Et in primis pro Epiſcopo, neceſſaria eſt ætas triginta annorum ex cap. Epiſcopus diſt. 77. ex Concil. Agathen. & cap. cum in cũctis de elect. in Abbatibus verò, Decanis, Præpoſitis, Archipresbyteris; & alijs beneficiarijs dignitate præditis, & habentibus curam animarum, requiritur annus vigeſimus quintus inceptus ex dicto cap. cum in cunctis §. Inferiore, & in Concilio Trid. ſeſs. 24. cap. 12. vbi ſic habetur. *Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcunq; quibus animarum cura ſubeſt, promoueatur, niſi, qui ſaltem vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum attigerit.* Ad cæteras verò dignitates, & perſonatus, quibus non eſt annexa cura animarum, requiritur annus vigeſimus ſecundus inceptus ex eodem Trid. ſeſſ. 24. ca. 12, de reform. his verbis. *Ad cæteras autem dignitates, vel perſonatus, quibus animarũ cura nulla ſubeſt, Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores admittantur.* In Parocho, & alijs habentibus curam animarum, licet, dignitate non præditis, requiritur etiam ætas viginti quinque annorum, vt ſupra, ex eodem cap. cum in cunctis §. inferiora de elect. Et eadem ætas requiritur in Vicario perpetuo Parochialis Eccleſiæ; vt habetur in Clement. 1. de off. Vicarij, & in cap. Nemo de elect. in 6. Gregorius X. ſic ait. *Nemo Parochialem Eccleſiam alicui non conſtituto in ætate legitima, & ſacerdotio comendare præſumat.*

2. Sed quænam ætas requiratur ad Canonicatum, vel portionem habendam in Eccleſijs Cathedralibus; vel non Cathedralibus? Reſpõdeo, relicto iure cõmuni antiquo. De iure Conc. Tridentini ſeſſ. 24. cap. 12. de reform. ita præcipitur. *Neminem etiam deinceps ad dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiant, niſi qui eo ordine ſacro, aut ſit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit; aut in tali ætate, aut intra tempus à iure, & ab hac ſancta ſynodo ſtatutum initiari valeat;* Vnde in dictis Canonicis, quorum præbendæ Sacerdotium requirunt, eſt neceſſaria ætas vigintiquinque annorum; ſi autem requirant Diaconatũ; eſt neceſſaria ætas viginti trium annorum; ſi Subdiaconatũ; ætas viginti duo annorum, ſcilicet inceptorum, etiam in Diacono, & Sacerdotio: vt ait Concil. Trid. ſeſs. 23. ca. 12. de reform. Itaq; ſi Canonicus, vel alius voluerit eſse admiſsus ad portionem in Eccleſijs collegiatis, vel eſt neceſsarius talis ordo Sacer; vel ſaltem ętas requiſita ad talem ordinem, in Eccleſijs autem Cathedralibus, eſt omninò neceſsarius ordo Sacer, prout expreſsè dicitur etiã in dicto Concil. Trid. dicta ſeſs. 24. cap. 12. his verbis. *In omnibus verò Eccleſiis Cathedralibus, omnes Canonicatus, & portiones habeant annexum ordinem Presbyterij, Diaconatus, vel Subdiaconatus;* quod etiam intelligitur de volentibus habere portiones in dictis Eccleſiis Cathedralibus. In Eccleſiis autem collegiatis videtur requiri ætas quatuordecim annorum, licet, nihil expreſsum de hoc ſit in iure. Attamen, quia Concil. Triden. ſeſs. 23. cap. 6. ſic ait. *Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ante decimum quartum annum poſſit beneficium obtinere:* Vnde ſequitur ſaltẽ ad dictum Canonicatum requiri dictam ætatem; quæ ætas requiritur etiam in omnibus aliis beneficiariis ſimplicibus, & inferioribus iuxta verba Concilii Tridentini iam citata. In Cardinalibus autem requiritur eadem ætas, quæ requiritur in Epiſcopo, ſcilicet, ætas triginta annorum; vt ſumitur ex Concil. Trid. ſeſs. 24. cap. 1. de reform. vbi ſic habetur. *Ea verò omnia, & ſingula, quæ de*

Epi-

Epiſcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus aliàs in eadem ſynodo conſtituta ſunt, decernit eadem, etiam in creatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinaliũ, etiam ſi Diaconi ſint, exigenda. Ad Papatũ verò nulla requiritur in iure Ætas determinata; & nihil poſſet opponi contra electionem Pontificis, niſi id, quod ius naturale, & diuinum prohibet; vt ſi eſſet electus mutus, ſurdus, Hermaphroditus, vel fœmina: aut infans, vel amens.

3. Secunda conditio, quæ requiritur in beneficiariis eſt ſcientia; & quoad Epiſcopos, & eius maiores, tenentur habere notitiam veteris, & noui Teſtamenti explicitè; vt colligitur ex c. qui Eccleſiaſtici §. Ecce d. 36. & cap. omnes pſallentes d. 38. quæ notitia debet eſſe talis, vt omnibus poſcentibus poſſint rationẽ reddere chriſtianæ fidei, & Religionis; vt habetur in c. qui Epiſcopus d. 33. Item tenentur etiam ſcire ius canonicum, vt rectum iudicium ferre poſſint in cauſis ex cap. cum in cunctis de elect. vt Panorm. Io: Andr. & alii. Et Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. de reform. cõſtituit, ne vllus in Epiſcopatum promoueatur, niſi qui *in Vniuerſitate ſtudiorum magiſter, ſiuè Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel iure Canonico meritò ſit creatus, aut publico alicuius Accademiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur, quod ſi Regularis fuerit, à Superioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat, & addit. Prædicti autem omnes, vnde inſtructio, ſeu teſtificatio erit ſumẽda hæc fideliter, & gratis referre teneantur, alioquin eorum conſcientias grauiter oneratas eſſe ſciant, ac Deum, & Superiores ſuos habebunt vltores.* Vnde colligitur, grauiter peccare etiam illos, qui falſis literis, & teſtimoniis, aut mendaciis ad dignitates eligi procurant; & ſi abſq; debita idoneitate fuerint promoti, tenentur habere Vicarium idoneum, qui ritè, & iuſtè poſſit in Eccleſiæ neceſſitatibus prouidere, cõſulere, iudicare, &c. Alii autem beneficiarii, cum non poſſint beneficiũ habere, niſi habeant primam tonſuram, vel minores, aut ſacros ordines, ideò illa ſcientia in ipſis requiritur, quæ neceſſaria eſt ad primam tonſurã, vel ad dictos ordines habendos, vt diximus ſupra de ordine.

4. Archidiaconi autem, Archipresbyteri, Præpoſiti, Decani, & alij habentes curam animarum debent eſſe Doctores, vel Licentiati &c. vt ſumitur ex Concilio Trid. ſeſs. 23. cap. 18. vbi ſic habetur, *De cætero verò officia, & dignitates illæ, quæ ſcholariæ dicuntur, non niſi Doctoribus, vel magiſtris, aut Licentiatis in ſacra pagina, aut in iure Canonico, & alijs perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explere poſſint, conferantur, & aliter facta prouiſio nulla ſit, & inualida.* Item Pœnitentiarius in Eccleſiis Cathedralibus debet eſſe Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel iure Canonico, vt ait Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. de refor. & idem dicitur de Archidiacono Eccleſiæ Cathedralis ex eodem Concil. ſeſſ. 24. cap. 12. licet, ibi addatur. *Hortatur ſancta Synodus, vt in Prouincijs vbi id commodè fieri poteſt, dignitates omnes, aut ſaltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Eccleſijs, & Collegiatis, inſignibus conferantur tantum magiſtris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in ſacra Theologia, vel in iure Pontificio.*

5. Vtrum autem omninò illiteratus ſit incapax beneficij? reſpondetur affirmatiuè ex cap. illiteratos d. 36. & cap. vlt. de temporibus ordinationum in 6. ille tamen dicitur illiteratus, qui neſcit latinè legere, coſtruere, & cantare; ſcilicet, explicare, vt ait Gloſſ. & Cardinalis in Clemen. 1. de conceſſion. præben. & quia requiritur in beneficiarijs etiam ſcientia; ideò notandũ eſt, triplici modo accipi ſcientiam, iuxta communem Doctorum conſenſum ex Innoc. in cap. cum in cunctis de elect. Alia enim dicitur ſcientia eminens, alia ſcientia mediocris, & alia ſcientia ſufficiens. Scientia eminens eſt illa, qua quis cognoſcit omnia dubia obſcuriſſima, & difficillima ſui muneris; ſcientia mediocris eſt, illa, qua quis poteſt explicare illa dubia, quæ frequenter occurrunt in ſuo officio; non autem omnia dubia obſcura, & difficillia. Scientia ſufficiens eſt illa, qua quis ſcit ſuo officio fungi, licet, ei aliquando neceſſarium ſit legere auctores, conſulere Doctores, & in perplexis dubitare, & interrogare. Et in ſingulis beneficiariis hæc vltima tantum ſcientia eſt neceſſaria; ita com-

communiter omnes. Imò talis ſcientia requiritur de iure diuino, vt docet Turrecremat. in cap. illiteratos d. 26. & in cap. ſi in laicis d. 48. Felynus in cap. inquiſitioni de ſententia excommun. & probatur ex Oſea 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*. Vnde ſi fuerit collatum beneficium illiterato, collatio erit nulla; nec in hoc poteſt Epiſcopus diſpēſare etiam quoad beneficium ſimplex; parum autē illiterato benè poteſt Epiſcopus beneficium conferre, dummodo adſit ſpes de profectu in litteris, vt Panorm. Innocent. Io: Andreas, & alii in cap. vlt. de tempor. ordinat. in 6. quod ſi talis ſpes poſtea euaneſcat, Vicarius eſt adhibendus, vel adiutor eſt ei dandus, vt ex pluribus docet Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 6. q. 7. Pontifex autem, licet ex iure diuino nec etiam poſſit omninò illiterato beneficium conferre, tamen ſi conferat, collatio non ſtatim erit irrita, quamuis mala iuxta dictum Azor. q. 4. ſed eſt irritanda, vel ſubleuari poteſt per Vicarium, aut adiutorem, quādo ſcienter Pontifex id facit; quod ſi ignoranter id agat, nempe, neſciens dictum beneficiarium eſſe omninò illiteratum; tunc collatio eſt omninò nulla; ratio primæ partis huius aſſertionis eſt, quia licet ex iure diuino non poſſit beneficium illiterato cōferri, tamen non ex iure diuino, eſt ipſo facto irrita; iuxta dictum Azor. ſed alii, quod videtur probabiliùs, abſolutè loquuntur; vt Fælinus, & alii vt ſupra, & iuxta eorum doctrinam dicta collatio eſſet nulla.

6. Tertia conditio, quæ in beneficiariis requiritur eſt probitas vitæ; ſcilicet, vt non ſint excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, & irregulares; nam huiuſmodi hominibus non poteſt conferri beneficium, patet ex cap. poſtulaſtis de Clericis excommunicat. & idem dicitur de ſuſpenſo, & interdicto ab officio, vel beneficio, cum beneficium tribuatur propter officium c. cum ſecundū de præben. & c. vlt. de reſcri. in 6. Et ſi v. g. excōmunicato fuerit collatū beneficium, nō poterit illud retinere, niſi fuerit ei diſpenſatū ab Epiſcopo qui dedit beneficium; ita Couarr. in cap. Alma mater p. 1. §. 7. num. 8. cum Abbat. Ioan. Andr. & alijs; Imò, vt ait Abbas Epiſcopus poteſt diſpenſare, etiam ſi ad alium ſpectet conferre beneficium, licet hoc non approbet Couarr. Qui etiam ſint ſuſpenſi, interdicti, & incapaces tam ordinis, quam beneficijs? Dico, eſſe omnes criminoſos, habētes cum crimine aliquam cenſuram, vel irregularitatem annexam, vt Nauarr. c. 27. n. 151. & in c. quando except. 16. & 17.

7. Quarta conditio eſt, vt habeat animum inter annum ſuſcipiēdi ordinem neceſſarium ad tale beneficium; vt v. g. qui adeptus eſt Epiſcopatum, ſi conſecrationem non ſuſceperit intra tres menſes, tenebitur ad reſtitutionem fructuum perceptorum: & ſi poſt alios tres menſes idem neglexerit, remanet Epiſcopatu priuatus ipſo iure iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 2. de reform. & qui aſſumendus eſt ad parochialem curam, tenetur Presbyter fieri intra annum iuxta Concil. Ludenenſ. ex Greg. X. in cap. licet, canon. de elect. in 6. vbi ſic dicitur; *Qui ad Parochialem Eccleſiam promouetur, debeat intra annum à die ſibi commiſſi regiminis, ad Sacerdotium aſcendere; quod ſi intra illud tempus non aſcenderit, Eccleſia ſibi commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione, priuatus exiſtat.* Annus autem incipit à die pacificæ poſſeſſionis dictæ Eccleſiæ parochialis, vel ab eo tempore, quo per ipſum ſtat, quò minus illam obtineat; vt declaratur in cap. commiſſa de elect. in 6. vbi ſic adiungitur. *Niſi legitimo impedimento detentus, ad Sacerdotium peruenire nequiuerit.* Vnde hoc legitimo impedimento ſecluſo; annus intelligitur cæpiſſe, & currere; Eſt autem legitimum impedimentum totius anni, infirmitas, vel Abſentia Antiſtitis, ob quam promoueri non potuit, vel ſi Antiſtes noluiſſet eum promouere, &c. Vide Rebuff. in praxi benefic. p. 2. tit. De non promotis intra annum num. 28. Et notandum, quòd qui beneficium parochiale acceperit abſque animo aſcendendi ad Sacerdotium, tenetur fructus non facere, & ſi fecit, reſtituere; vt patet ex c. commiſſa §. cæterum de elect. in 6. his verbis. *Qui parochiale beneficium obtinet ſine voluntate intra annum Sacerdotium ſuſcipiendi, debere omnes fructus perceptos reſtituere.* Sed ſi intra dictum annum mutauerit voluntatē, tunc non tenetur reſtituere; vt docet Nauar. in manual.

cap.

Digitized by Google

cap. 25. num. 118. & idem antea tradidit Gloſſ. communiter recepta in dicto c. commiſſ. verb. mutata; quamuis Sot. lib. 10. de iuſtit. q. 5. art. 6. concluſ. 1. contrarium ſentiat reſpectu fructuum perceptorũ, & correſpondentium tempori, quo beneficiarius non habuit intentionem ſuſcipiendi Sacerdotium; Sed prima opinio tuta, & vera eſt. E contra verò, ſi quis habuit animum ſuſcipiendi Sacerdotium, & poſtea mutauit animum, non tenetur reſtituere omnes fructus perceptos etiam reſpectu temporis, quo habebat animum ſuſcipiẽdi Sacerdotium; vt volebat Nauarr. loc. cit. quia pœnæ ſunt reſtringendæ; & in dicto cap. commiſſa; præcipitur, vt tantum illi fructus reſtituantur, quos quis percepit ſine animo aſcendẽdi ad Sacerdotium; Vnde reſpectu temporis, quo adfuit talis animus, non ſunt reſtituendi fructus, vt docet Sotus eodem loc. cit. Et ſi quis dubio animo aſcendendi ad Sacerdotium accipiat parochiam; tenetur omnes fructus reſtituere; ſi verè poſtea non ſuſceperit dictum Sacerdotium, quia dubius non dicitur habere voluntatem, quæ requiritur in d. cap. commiſſa, vt docet Sot. Quidquid dicat Nauarr. Si autem poſtea accipiat Sacerdotium, poterit omnes fructus tenere, quia iam purgauit ſuo facto animum, & ambiguitatem.

8. Sed quid, ſi quis habeat animum accipiendi parochiam, & poſtea dimittendi, vel in ea non reſidendi, nec commorandi, & fructus interim percipiendi? Reſpondeo mortaliter peccare tanquam falſum ſponſum, qui malo animo cum ſua Sponſa Eccleſia coniungitur; vt Abb. & Hoſtien. in cap. Relatum de cler. non reſid. & tenetur omnes fructus reſtituere, vt Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 9. q. 4. Niſi facto ſuo Sacerdotium ſumpſerit; quo facto purget ſuum animum, vt ſupra. Si autem quis habeat animum ſuſcipiendi parochiam, & inſeruiendi vſquequò habeat commodius patrimonium, vel ſucceſſionem fratris, vel parentis, non videtur habere malum animum, quia iam habet intentionem interim inſeruiendi Eccleſiæ, &c. vt Sylueſt. verb. beneficium 3. q. 3. Gabr. 4. d. 13. q. 8. art. 3. dub. 1. quidquid dicat Panorm. vt ſupra.

9. Vtrum autem dicta pœna non faciendi fructus ob defectũ animi non aſcendendi ad Sacerdotium reſpectu parochi extendatur etiam ad Decanos, Præpoſitos, Abbates, Archipresbyteros, &c. Habentes curam animarum; licet, non parochialem? Et reſpondetur negatiuè, quia pœnæ ſunt reſtringendæ, & in cap. licet, vt notauimus ſupra num. 7. Dicta pœna datur tantum illis, qui parochialem Eccleſiam accipiunt abſq; animo aſcendendi ad Sacerdotium, imò neque extenditur dicta pœna ad Eccleſias collegiatas, quamuis parochiales ſint; vt iam declaratum eſt in c. ſtatutum de elect. in 6. Et meritò quidem, quia in Eccleſia collegiata plures curam habent dictæ Eccleſiæ: & ideò non eſt ſimilis ratio de eo, cui tantum eſt cura Eccleſiæ: Et idẽ etiam dicitur de Epiſcopis, Archiepiſcopis, & alijs ſuperioribus; vt Rebuff. de benefic. p. 2. tit. de non promotis intra annum num. 21. quod etiam docet Gloſſ. in cap. 2. de præben. in 6. Et ratio eſt, quia in dicto cap. Licet, ſit tantum mentio de Eccleſijs parochialibus; quidquid in contrarium aſſerat Sot. lib. 10. de iuſtit. qu. 5. art. 6. concluſ. 1. Nec ſimiliter extenditur dicta pœna ad alios beneficiarios inferiores ob dictã rationem, quod etiam docet Sot. & Nauar. loc. cit. & Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 9. q. 5. Vicarius autem perpetuus alicuius parochię in tali pœna includitur, niſi Sacerdotium accipiat intra annum vt habetur in Clem. 1. de officio Vicarij. Item extenditur hæc pœna ad priores conuentuales, ſeu quocunque alio nomine vocentur; tenentur enim intra annum ad Sacerdotium aſcendere; vt habetur in Clem. ne in Agro §. Cęterum de ſtatu monachor. vbi habetur. *Qui prioratus conuentuales, hoc eſt in Eccleſiis Conuentualibus & Religioſis habuerint, intra annum computandum à tempore, collationis, ſeu commiſſionis ſibi factæ de eis, & poſſeſſionis eorum adepta, vel intra vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum, ſi ante ipſum annum non Conuentuales Prioratus eis commiſſi fuerint; aut collati intra annum, ſe faciant ad Sacerdotium promoueri; quod ſi ceſſante rationabili cauſa ſecerint, eo ipſo nulla etiam monitione præmiſſa prædictis Prioratibus ſint priuati, qui ipſis iterum ea vice nullatenus conferantur.*

Quæ

Digitized by Google

Quæ Clementina non comprehendit Abbatem, ſed tantum priores Conuentuales, ſiue titulares, ſiue Commendatos; vide Rebuff. loc. cit. n. 22.

10. Eſt etiam notandum, Eccleſiam parochialem non poſſe commendari non presbytero, vt habetur in cap. Nemo de elect. in his verbis. *Nemo deinceps parochialem Eccleſiam alicui non conſtituto in ætate legitima, & Sacerdotio, commendare præſumat;* Vnde licet, Eccleſia parochialis poſſit conferri non presbytero ex cap. licet, vt ſupra, non tamen poteſt commendari non presbytero. Sed quid ſi talis Eccleſia ſit cõiuncta cum alia Eccleſia non parochiali? Reſpondeo, tunc vel dicta Eccleſia parochialis vnitur alteri tanquam principali, & capiti; & tunc ſit eiuſdem conditionis, ac eſt eius caput; & in hoc caſu non tenetur beneficiarius accipere ſacerdotium intra annum, vt ſupra, vel vnitur alteri Eccleſiæ tanquam ſibi ſubditæ, vel ſaltẽ æquali, & in tali caſu tenetur quis aſcẽdere ad ſacerdotium ratione dictæ Eccleſiæ Parochialis; vt ex Ancharano in cap. licet de elect. in 6. docet Rebuff. loc. cit. num. 31. & Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 8. q. 8.

11. Sed quæritur, vtrum dicta pœna reſtituendi fructus in dicto cap. commiſſa impoſita contra accipientes beneficiũ Parochiale abſq; animo aſcendendi ad ſacerdotium intra annum, ſit ſoluenda ante iudicis ſententiam? & affirmatiuè reſpondẽt omnes Doctores, ſicut etiam tenentur omnes alij beneficiarij reſtituere fructus correſpondentes diei, in quo officium non recitauerint, nam huiuſmodi reſtitutio non eſt abſolutè pœna: ſed oritur ex virtuali pacto, quod ſit inter Eccleſiam, & beneficiarium tempore traditionis beneficij; nempe, tradit Eccleſia dictos fructus cum hoc pacto, &c. vnde de rigore iuſtitiæ tenetur beneficiarius adimplere voluntatẽ Eccleſiæ; aliter fructus ſuos non faciet. Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 9. q. 6. Et idem puto dicendum de accipiente beneficium ſimplex cum animo viuendi more laicorum, nempe, abſq; habitu, & tonſura, & ſine horarum recitatione, nam talis beneficiarius eſt falſus promiſſor, & ſponſus Eccleſiæ, & ideò non ſolum mortaliter peccat; ſed etiã ad reſtitutione fructuum tenetur vt Azor. & alij relati in ſimili caſu ſupra num. 8. Sotus, autem, & Nauar. loc. citatis ſupra nu. 9. aſſerunt talem beneficiarium peccare quidem mortaliter; ſed non teneri ad reſtitutionem; probabilior tamen videtur prima opinio. Et nota, quod licitè etiam poſſunt antiſtites Eccleſiæ exigere iuramentum à beneficiarijs tempore traditionis beneficij; ne beneficium abſq; eorum conſenſu deponant, permutent, aut dimittant; ſed vt ibi adſiſtant, inſeruiant, &c. & dicti beneficiarij tenentur tale iuramentum obſeruare, quando tamen non aduenirent generales conditiones, quæ tacitè ſemper continentur in iuramento; vt ſi res eundem ſtatum habeat, ſi ſaluti, & vitæ res non obſit; ſi maioris alicuius bonis ratio quid diuerſum, aut etiam contrarium non poſtulet; vide Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 9. in fine. Item aliquando Epiſcopus poteſt compellere beneficiarium ad ſuſcipiendũ ordinem ſacrum, quando Eccleſiæ neceſſitas, vel vtilitas id poſtulat; vt idem Azor. q. 8. ex Nauar.

12. Quinta conditio eſt, vt beneficiarius habens vnum beneficium, non poſſit aliud habere; nam eo ipſo eſt inhabilis ad aliud, vt habetur ex cap. cum adeò de reſcript. &c. ſuper inordinata de præbend. vbi Gloſſ. & communiter omnes id docẽt, & licet hoc non ſit expreſsè ex iure diuino, tamen loquendo tantum de iure naturali, quod nulla humana lege abrogari poteſt; habere plura beneficia, vel plures prebendas iuxta D. Thom. quolib. 9. q. 7. non eſt actio per ſe mala, vt eſt odire Deum; nec per ſe bona, vt eſt amare Deum, nec per ſe indifferens, vt eſt leuare feſtucam, ſed eſt actio, quæ cõtinetur inter actiones, quæ abſolutè conſideratæ, important deordinationem quandam; ſed poſſunt honeſtari ex quibuſdam circumſtantijs aduenientibus; vt v. g. occiſio eſt actio per ſe mala; at ſi fiat à iudice ob bonum publicũ. actio erit bona; ſic etiam habere plures præbendas, vel plura beneficia, eſt Actio per ſe mala; quia ex illa ſequitur diuini cultus diminutio, cum loco plurium, inſtituatur vnus in ſeruitium Eccleſiarum; & ſequitur defraudatio voluntatis teſtatoris,

qui

Digitized by Google

qui teſtauerunt ſua bona, vt in tali Eccleſia eſſet talis numerus miniſtrorum; ſequitur etiam inæqualitas, ſeu partialitas, dum vnus abundat beneficijs, & alius nec vnum habere poteſt; & alia multa inconuenientia, tamen omnia poſſunt honeſtari, ſi id fiat ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel vtilitatẽ; & addit idem Sanctus. *Si quis hac intentione, plura habeat beneficia, vt ſit ditior, vel lautiùs viuat, vel faciliùs perueniat ad Epiſcopatum, non tolluntur illæ deformitates, ſed augentur.* Et iuxta Goffr. & Sylueſt. verb. beneficium 4. num. 1. in fine, triplex poteſt eſſe neceſſitas habendi plura beneficia, vel præbendas; prima, ſi plures non inueniantur idonei; Secunda eſt vtilitas Eccleſiarum, & eorum, quibus beneficiarius prçeſt; Tertia eſt prærogatiua meritorum, qua plus quis valet abſens, quam alius præſens.

13. Sed ſciendum eſt, Beneficia alia eſſe incompatibilia, alia compatibilia; illa dicuntur beneficia incompatibilia, quæ reſidentiã habent vel ex iure communi, aut ex conſuetudine, vel ſtatuto, aut fundatione; vt ſunt omnes Eccleſiæ parochiales, & omnia beneficia, quæ curam animarum habent in foro contentioſo; ſic etiam omnia beneficia, quæ officia perſonatus, & dignitates vocantur cap. quia nonnulli de Cleric. non reſid. Item Canonicatus, & Portiones in Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis Secularibus, vel Regularibus, ex dicto cap. quia nonnulli; Vnde nemo poteſt habere duas Eccleſias Metropolitanas, Patriarchales, Parochiales, Dignitates, Officia, Perſonatus, Archidiaconatos, Archipresbyteratos, & alia omnia beneficia, quæ dignitatem, & curam animarum habent; nec quis Vicarius perpetuus poteſt eſſe in duabus Eccleſijs ex Clem. 1. de offic. Vicarij. Item neque quis habere poteſt duos Canonicatus, vel duas portiones in Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis. Cætera autem beneficia ſimplicia cẽſentur compatibilia; Et ideò poteſt quis duo ex illis habere, vel ſi habuerit vnum beneficium cum cura animarum, vel incompatibile, vt ſupra, poterit etiam habere aliud ſimplex, quod intellige, quando dicta beneficia ſimplicia non ſunt incompatibilia, vt ſupra vel incompatibilia eo quod ſint in eadem Eccleſia; Nam nullus in eadem Eccleſia duo quamuis tenua beneficia ſimplicia habere poteſt, ex cap. litteras. de conceſſ. præben. & ex Clem. Gratiæ de reſcript. Quod ſi quis illa obtinuerit, ſtatim primum vacabit; Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 13. q. 6. Item duo beneficia ſimplicia ſunt incompatibilia Monacho, & viro Religioſo ex c. cum ſingula de præbend. in 6. vide Azor. loc. cit. cap. 10. q. 1. Docet tamen Diuus Thomas dicto quolib. 9. Neminem poſſe habere duo beneficia ſimplicia abſque mortali, vt docet etiam Gloſſ. in cap. Dudum de elect. & refert, & ſequitur Panorm. in cap. Cum iam dudum. de præbend. Niſi tamen dicta beneficia fuerint collata non ratione beneficiarij; Sed propter vtilitatem beneficiorum, vt quia eſt homo induſtrioſus, & conſcientiatus, & hanc ſententiam putat Sylu. verb. beneficium 4. p. 2. circa finem, eſſe ſequendam cum ſit de mente D. Thom. & ſecura; Attamen, quia Concil. Trident. ſeſſ. 7. cap. 4. de reform. videtur tantum prohibere *duo beneficia curata, aut aliàs incompatibilia*; vt ibi habetur; Ideò prima opinio etiam tuta eſt; niſi alicubi adeſſet contraria conſuetudo, & vigerent iura antiqua id prohibentia; vt ait idem Sylu. q. 1. & Azor. loc. cit. in princ. quæſt. 2.

14. Dubium tamen eſt, vtrum beneficiarius poſſit duo beneficia ſimplicia habere abſq; vlla diſpẽſatione Pontificis, vel Epiſcopi? quod duplici modo poteſt intelligi; nempe vtrum beneficiarius in aliquo caſu poſſit obtinere ſecundum beneficium, vel præbendam, tacito primo? & in hoc ſenſu negatiuè eſt reſpondendum, cum in cap. proponente de reſcript. apertè id ſtatuatur his verbis. *Si impetrans reſcriptum Pontificium ad beneficium, ad quod obtinendum, propoſuerit ſe nullum beneficium adeptum, cum tamen haberet vnum quamuis exiguum, creditur reſcriptum per fraudem obtinuiſſe, & proinde nullius eſſe momenti*; & clariùs id præcipitur in cap. ſi motu proprio de præbend. in 6. his verbis. *Qualecumque beneficium habeat impetrans à Romano Pontifice reſcriptum ad beneficium aliud aſſequendũ, niſi de illo, quod habet, quamuis minimo mentionem fecerit, ſubreptitias litteras obtinuiſſe eo*

Digitized by Google

ipſo videtur; & idem habetur in cap. Non poteſt de præben.in 6. Secundo modo poteſt intelligi quæſitum abſolutè, nẽpe vtrũ quis poſſit habere duo beneficia abſq; vlla diſpenſatione, eo quod id ſit lege prohibitum? & in hoc ſenſu negatiuè reſpondet Syluest.verb.beneficium 4.num. 3. & aſſerit, in quinque caſibus poſſe quis obtinere plura beneficia, & præbendas; primus eſt, quando fructus Eccleſiæ ſunt tenui, & non ſufficiunt ad ſubſtentationem; & id etiam docet, Azor.tom.2.lib.6.cap. 10.q.3.§.his poſitis. Secundus caſus eſt, ſi vnum beneficium, vel penſio pendet ex alio. Tertius, ſi adſit raritas clericorum. Quartus, ſi Eccleſia eſt annexa præbendæ, vel dignitati, in quo caſu ipſe beneficiarius tenetur perſonaliter deſeruire;& in altera per idoneum, & perpetuum Vicarium. Quintus, quando quis vnam Eccleſiam habet in titulum, & aliam commendatam; quod iuxta Archidiaconũ, intelligitur de Eccleſijs non habentibus curam, & de præbendis in diuerſis Eccleſijs; quando autem duæ Eccleſiæ habentes curam, vnirentur per Epiſcopum; tunc vtiq; poſſent vni conferri; vt idem Syluest.loc.cit.quæ doctrina videtur conformis Concil.Trid.ſeſſ.24.ca.17. vbi ſic habetur. *Statuit, vt in poſterum vnum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem ſi ad vitam eius, cui cõfertur, honeſtè ſubſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo vtrumq; perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri.*

15. Sed difficultas eſt, vtrum habens beneficium ſufficiens, ſi aliud obtineat à Pontifice per diſpenſationem; excuſetur à peccato? & negatiuè reſpõdetur iuxta mẽtem D.Tho.in cit.quolib.9. q.7. niſi in caſibus dictis ſupra in num. 13. prope fin. & hoc certum, & indubitatum eſſe, ait Panorm.in cap. Dudum de elect. quando diſpenſatio fit tantum ad vtilitatem beneficiarij, vt dicto nu. 13.diximus; & ratio eſt, quia in hoc caſu non ſolum alteratur iuris poſitiui diſpoſitio; ſed etiam Patrimonium Chriſti diſpergitur; nam neq; Papa poteſt abſq; mortali peccato alienare bona Eccleſiæ ſine cauſa; vt Arch.22. q. 2. & communiter omnes; ergo neq; in bonum beneficiari tantum poteſt diſpenſare, vt duo beneficia habeat, eãdem doctrinã docet Io:Andr. Hoſt.& ſequitur Syluest. ver. beneficium 4.num. 4.q. 2. vide etiam Caiet.in ſumma verbo beneficium, qui etiam dictam doctrinam tradit.

16. Et quid, ſi quis obtineat aliud beneficium tacendo per obliuionẽ, vel ignorantiam primum beneficium? Reſpondeo collationem eſſe irritam, & nullius momẽti, vt ſumitur ex iuribus citatis ſupra in num. 14. in quibus non requiritur, vt quis malitioſè deſinat explicare primum beneficium; vt probat Azor.tom.2.lib.6.ca.10. q.3.§.quartum quæreat quis; ſecùs erit dicendum ſi Pontifex motu proprio tribuat beneficium, vel plura, tunc enim non requiritur aliqua explicatio antecedentis beneficij; vt iam deciſum eſt in Clement. ſi Romanus, de præb. vbi ſic habetur. *Si Romanus Pontifex de beneficio alicui motu proprio prouideat, de beneficijs, quæ obtinet, non habita mentione; prouiſionem, ſiù gratiam huiuſmodi fore validam declaramus, qualiacunq; fuerint beneficia, dignitates, aut perſonatus cum cura, vel ſine cura, & in numero quantumcunque is habebat, cum ſibi prouiſio facta fuit.* In quibus verbis notat Gloſſa, dictum motũ proprium eſſe explicandum in huiuſmodi conceſſionibus. Item ſi quis obtineat aliud beneficium ab Archiepiſcopo, Epiſcopo, Abbate, vel alio habente talem facultatẽ; & taceat primum beneficium tenue, & inſufficiens, quod habet, collatio etiam erit nulla iuxta Archidiac. in cap. vlt. de offic. legati in 6.& ita etiam tenet Syluest.verb. beneficium num. 5. ſed Azorius contrarium videtur aſſerere ex vltimis verbis Clemen. Et ſi ad Apoſtolicæ de officio iudicis ordinarij. Sed ſi quis impetraret tale beneficium à Cardinali legato, tacito primo, licet, minimo, vtique eſſet irrita collatio; vt conſtat ex cap. vlt. de offic. Legati in 6. vbi ſic habetur. *Collatio beneficij per Legatum Sedis Apoſtolicæ tibi facta, nullius momenti exiſtit, ſi in ea non fuerit habita mentio de alio beneficio, quod primitus obtinebas*; vide Archidiaconum in dicto cap. Si autem Legatus motu proprio expreſſo in litteris conceſſionis factæ per dictum Legatum, conferat beneficium alteri, qui aliud habet,

Digitized by Google

bet, nulla mentione facta primi beneficij; valida etiam erit collatio; vt vult. Io: Andræas, Imola, Ancharanus, & alij ex cap. vlt. de offic. legati in 6. nam ibi redditur irrita impetratio facta à beneficiario abſque expreſſione primi beneficij; ſed non ſi fiat collatio à Legato motu proprio, quidquid in contrarium alij aſſerant.

17. Quando autem beneficium cenſeatur ſufficiens? Reſpondeo illud eſſe ſufficiens ex cuius fructibus, ſuſtentari poteſt beneficiarius, ſui, & hoſpites, & peregrini; ac etiam omnia iura Epiſcopalia; ſeu habentis beneficium, eſt etiam habenda ratio nobilitatis, quia diuites non ſunt cogendi vti cibis pauperum; ex cap. non coguntur diſt. 41. eſt etiam habenda ratio litteraturæ; ex cap. de multa de præbend. vbi dicitur; *Sublimes, & litteratos homines eſſe honorandos.* Item eſt habenda ratio dignitatis l. 1. §. in honorarijs ff. de varijs, & extraordinarijs cognitionibus. Vnde Conciliũ Trid. ſeſſ. 21. cap. 11. ſtatuit. *Ne quis ad ſacrum ordinem promoueatur vigore beneficij, niſi ſufficiens ſit ad honeſtum victum*; & ſeſſ. 24. cap. 13. ſimiliter ſtatuit. *Ne Cathedrales Eccleſiæ, quarum redditus ſummam mille aureorũ, & Parochiales, quarum prouentus ſummam centum aureorum non ſuperant, penſionibus onerentur.* Nauar. autem tract. de orat. miſcell. 16. taxans ſufficiens beneficium, ait; beneficium ſufficiens erit beneficiario infimæ ſortis; ſi ex ipſius fructibus poſſit viuere ipſe, vnus famulus, coquus, & æquus, vna cum domo, & alijs neceſſarijs ad victũ, &c. ſi beneficiarius fuerit bonæ litteraturæ; vt Doctor, vel Licentiatus; ſufficiens beneficium erit, ſi poſſit alere duos famulos, & cetera vt ſupra, & ſi fuerit nobilior; ſufficiens beneficium erit, ſi poſſit alere quatuor famulos; ſed hæc omnia intelligenda ſunt, quando talis eſſet vſus patriæ. Sic etiam Maior in quarta diſtinctio 24. q. 18. ait. *Epiſcopo ſufficere ſi poſſit alere duodecim, aut quatuordecim famulos præter equos, & familiam.* In qua veniunt famuli, parentes, fratres, & ſorores; & multò magis filij tam legitimi, quam illegitimi; Nepotes, & alij conſanguinei indigentes; Idem etiam dicitur de Cardinalib. ſed omnia menſuranda ſunt iuxta vſum Patriæ. Nam certa taxa dari non poteſt. Molin. to. 1. de iuſtit. tr. 2. diſp. 146. Filiuc. tract. 43. cap. 4. q. 19. n. 36. & Azor. 2. p. lib. 7. c. 10. q. 10.

18. Sed quæritur quamnam pœnam incurrat, qui adipiſcitur ſecundũ beneficiũ incõpatibile vel cõpatibile; Sed abſq; vlla notificatione primi beneficij habiti? Et reſpondeo primò quoad dignitates, quod Alexand. III. in cap. præterea, & cap. Referente de præbend. voluit, vt in tali caſu optionem haberet vnam dignitatem eligendi, quam mallet; Deinde Innoc. III. in cap. quia nonnulli de Cler. non reſid. decreuit, vt auctoritate iudicis, talis beneficiarius dicta dignitate priuaretur. Poſtea Concilium Lateranenſe ſub Innoc. III. decreuit, vt eo ipſo beneficiarius prima dignitate priuaretur, & ſi in ea perſiſtebat, ſecunda quoque dignitate ſpoliaretur ca. de multa de præben. Poſtea verò Ioan. 22. in Extrauag. Execrabilis de præben. voluit, vt primam dignitatem amitteret, & niſi ſtatim eam dimitteret ſub publico teſtimonio, hoc eſt præſente publica perſona; ipſo iure eſſet vtraque priuatus, & ineptus ad ſacros ordines, & ad quæcunque alia beneficia obtinenda; & hoc iure in præſens vtitur Eccleſia, & eadem pœna eſt contra illos, qui poſt vnum perſonatum, vel officium, vel beneficium, cui ineſt animarum cura, adipiſcuntur ſecundum ſimile; Item contra eos, qui poſt vnam dignitatem, aſſequuntur perſonatum, officium, vel beneficium cum cura animarum; & è contrario; & deniq; idem dicitur de quolibet beneficio incompatibili; Nam eo ipſo quis amittit primum. Concilium verò Tridentinum multa etiam decreuit circa præditos plura beneficia obtinentes; nam in ſeſſ. 7. cap. 2. de reform. ſic ait. *Nemo quacunq; etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgẽs, plures Metropolitanas, ſeu Cathedrales Eccleſias, in titulum, ſeù commendam, aut alio quouis nomine, contrà ſacrorum Canonum inſtituta recipere, & ſimul retinere præſumat, cum valdè fœlix ſit ille cenſendus, cui vnam Eccleſiam benè, ac fructuosè, & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit. Qui autem plures Eccleſias contra præſentes decreti tenorem nunc detinent vna, quam maluerint, retenta, reliquas infra ſex menſes, ſi ad libera*

bera Sedis Apoſtolicæ diſpenſationẽ pertineant. Alias infra annum dimittere teneãtur, alioquin Eccleſia ipſa, Vltimò obtenta dumtaxat excepta, eo ipſo vacare cenſeantur. Et in cap.4. ſic habetur. *Quicunque de cætero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica, ſiuè per viam vnionis ad vitam, ſeù commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine, & titulo contra formam ſacrorum canonum, & præſertim conſtitutionis Innocentij III. quæ incipit de multa recipere, ac ſimul retinere præſumpſerit, beneficijs ipſis, iuxta ipſius conſtitutionis diſpẽſationem, ipſo iure, etiam præſentis Canonis vigore, priuatus exiſtat;* Vide etiam multa alia in ſeſſ.24.c.17.de reform.

19. Vnde infertur, quod obtinentes duo beneficia ſimplicia habentia perpetuam reſidentiam, vt duos Canonicatus, vel duas portiones, eo ipſo ſint priuati priori beneficio; & ſi retinere præſumpſerint, illis priuantur, vt habetur in dictis capitibus Concil. Trid. & eadem pœna extẽditur ad eos, qui beneficia Eccleſiaſtica incompatibilia, ſiuè per viam vnionis ad vitam, ſiuè commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine, & titulo contra formulam ſacrorum Canonum, receperint, & ſimul retinere præſumpſerint; vt habetur in cit. ſeſſ.7.cap.4. nec contraria conſuetudo aliquid valet poſt dictum Concilium. Infertur etiam neminem poſſe habere vnã Eccleſiam Cathedralem, vel collegiatam in titulum, & aliam in commendationem perpetuam; Nec vtramque in titulum, vel commendationem, quia ambæ requirunt perpetuam præſentiam; Item, ſi quis habens vnum beneficium ſimplex ſufficiens ad victum, aliud beneficium obtineat; licet non ſit ipſo iure primo priuatus; cum hoc non ſit expreſſum neque in Concilio Tridentino, neque in iure antiquo; Tamen certum eſt, quod vnum teneatur dimittere, quod maluerit: vt docet Azor. tom.2. lib.6.cap.13.q.4. Colligitur etiam beneficium conſiſtens in quotidianis diſtributionibus, incompatiẽs eſſe cum quolibet alio beneficio habente aſſiduam reſidentiam, ſeu præſentiam; quia diſtributiones quotidianæ non dantur, niſi aſſiſtentibus ex c. conſuetudinem de Cleric. non reſid. in 6. Vnde ſi quis obtineret hæc beneficia, vel alia incompatibilia: Statim adepto ſecundo vacaret primum, iuxta Concilium Tridentinum ſeſs.7.cap.4. de reform. in fin. vt ſupra num. antec. & ſi acquireret tertium, vacarent duo prima, & ſi quartũ, vacarent prima tria, &c. Prout iam diximus num. antec. ex verbis citatis Conc. Trid. & ſi retineret, illis omnibus priuatus exiſteret, vt iam diximus ex dicto Concil. ſeſſ.7. cap.4. de reform. in fine.

De Modis quibus Beneficia acquirantur. Cap. LXXIX.

1 *Quatuor modis beneficia acquiruntur, & duobus amittuntur.*

2 *Tribus modis acquiritur ius patronatus.*

3 *Patronus iuris patronatus quatuor iuribus fruitur in Eccleſia propria, & quatuor modis poteſt in alios transferre ius patronatus.*

4 *Ius patronatus vendi non poteſt, vt res ſpiritualis, ſicut nec permutari cum re temporali, vt ſupra: & idem dicitur, ſi detur in Emphyteuſim, &c.*

5 *Patronus Laicus intra quatuor menſes tenetur præſentare, & intra ſex Patronus Eccleſiaſticus.*

6 *Patronus tenetur præſentare idoneum, aliter priuabitur præſentatione.*

7 *Patronus Laicus ſi plures præſentauerit, inſtitutio erit ad Arbitrium prælati.*

8 *Dignior debet præſentari à Patrono Eccleſiaſtico, ſecùs à Laico.*

9 *Patronus poteſt præſentare abſentem; ſed non poteſt ius patronatus in non Chriſtianum transferre.*

10 *Beneficiarius non tenetur reſtituere, nec eſt beneficio priuandus ſi fuerit nominatus à Patrono bonæ fidei, licet, poſtea alius Dominus reperiatur.*

11 *Pontifex poteſt derogare iuri patronatus, & alio non præſentato beneficium conferre: & idem dicitur de ligato à latere.*

12 *Inſtitutio pertinet ad Epiſcopum, ad alios autem pertinet ex priuilegio.*

13 *Epiſcopus poterit inſtituere, ſi Patronus negligens fuerit in præſentando, vel inferior Prælatus in inſtituendo.*

1. Qua-

Digitized by Google

1 QVatuor modis beneficia acquiruntur, & duobus modis amittuntur, licet ab alio acquirantur. Primo modo requirũtur præſentatione Patroni præuia, & inſtitutione ſequuta. Secundo modo, Electione, & Confirmatione; Tertio modo, Poſtulatione, & Confirmatione; Quarto modo, Collatione libera. Deinde amittuntur permutatione; ac etiam Reſignatione in fauorem alterius, ſequuta collatione; Et de ſingulis modis ſigillatim agemus; & quoad præſentationem. Dico eſſe alicuius perſonæ exhibitionem per patronum factam Epiſcopo, vel alteri, ad quem pertinet inſtitutio; ita Panorm. ex cap. Noſcitur de his, quæ fiunt à prælatis. Inſtitutio autem eſt Collatio, & Attributio beneficij, & iuris in re, ſcilicet, in beneficio. Suppoſita præſentatione ad differentiam collationis liberæ. Quæ inſtitutio pertinet ad Eccleſiaſticos tantum; ſed Præſentatio poteſt fieri etiam per Laicum habentem ius patronatus. Definitur etiam ius patronatus, poteſtas præſentandi inſtituendum ad beneficium Eccleſiaſticum vacãs; quia ſi non eſt vacans, præſentatio erit nulla, cum ſit contra bonos mores, & daretur occaſio deſiderandi mortem. Ex cap. Nulla de conceſſione præbendę. Eſt autem duplex ius patronatus, nempe, Laicum, & Eccleſiaſticum; Laicum eſt quando quis ex bonis patrimonialibus, ſeu ſecularibus Eccleſiam conſtruit, vel dotat, aut in ea aliquod beneficium erigit. Eccleſiaſticum eſt, ſi quis fundet Eccleſiam, vel tribuat fundum ad eam ædificandam; aut eam dotet, vel beneficium fundet ex bonis Eccleſiaſticis: vel ſi habeat ius præſentandi quatenus perſona Eccleſiaſtica eſt, vt poſſunt habere Decani, Præpoſiti, Abbates, Epiſcopi, &c. Item ſi ius patronatus laicum per teſtamentum, vel donationẽ ad Eccleſiam peruenerit; erit poſtea ius patronatus Eccleſiaſticum, & non laicum. Ius autem præſentandi, quod habent quædam cõfraternitates dicitur etiã ius patronatus laicum; quia eſt fundatum à laicis, & de bonis laicis; vt fuſiùs Couar. in qq. pract. cap. 36. Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 4. Hoſtien. in ſumma de iure patronatus, & alij. Eſt tamen notandum ius patronatus non eſſe ſimpliciter quid ſpirituale; ſed ſpirituali annexum. Nam ius eligendi, conſtituendi, & confirmandi eſt ſimpliciter quid ſpirituale, at ius nominandi, & præſentandi eſt quid annexum rei ſpirituali; quia patronus nullam tribuit poteſtatem ſuper beneficium; ſed tantum tribuit, vt nominatus, vel præſentatus poſſit eligi, ita Panorm. in cap. quanto de Iudic. & cap. de iure patronatus Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 19. quæſt. 2.

2. Quibus autem modis acquiratur ius patronatus? Reſpondeo tribus modis, primò per fundationum Eccleſiæ ex cap. Piæ mentis 16. q. 7. Secundò per ædificationem cap. Nobis de iure patron. tertiò per dotationem factam Eccleſiæ cap. filijs 17. q. 2. & ca. Nemo de conſecr. d. 1. poteſt etiã acquiri ius patronatus per alios actus æquipollentes; vt augendo dotem Eccleſiæ, vel illam reædificando, vel reparando ſi collapſa, vel diruta fuerit; aut ita reficiendo, vt illam reſtituat ad priſtinam dignitatem; communiter ita omnes colligũt ex citatis, & alijs canonibus, & ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 9. de reform. vbi etiam habetur, quod ius patronatus intelligatur adeptus per multiplicatas præſentationes factas per tempus, quod hominum memoriam excedat, vel etiam ex conceſſione Pontificis; vt olim præcipuè fiebat; & ideò multi Principes fruuntur dicto iure; ſed nõ ex eo, quod ipſi Eccleſias, vel beneficia fundauerint, vt notat Leſſ. li. 2. ca. 34. dub. 5. Vnde Concil. Trid. ſeſſ. 14. ca. 12. ſtatuit, *Vt nemo cuiuſuis dignitatis, Eccleſiaſtica, vel ſacularis, quacunq; ratione, niſi Eccleſiam, beneficium, aut Capellam de nouo fundauerit, & conſtruxerit, ſeu iam erectam (qua tamen ſine ſufficienti dote fuerit) de ſuis proprijs, & patrimonialibus bonis competenter dotauerit; ius patronatus impetrare; aut obtinere poſſit, & vt inſtitutio reſeruetur Epiſcopo.* Et multa alia ſunt determinata in ſeſſ. 25. ca. 9. de refor. quando autem plures dotauerint Eccleſiã, vel fundauerint, &c. tũc omnes ſimul erũt Patroni, & omnes ſimul præſentationem facere debent, vt idem Leſſ. loc. cit. nu. 25. vide etiam Azor. 2. par. lib. 6. cap. 19. q. 3. & ſeqq. & q. 11. §. ſi quæras.

3. Et notandum, quatruplex ius habere

bere Patronum in Eccleſia, nempe, ius nominandi, & offerendi Clericum ad beneficium habendum. Secundò habet præcipuum locum in Eccleſia in qua habet ius patronatus, & ſimiliter habet primum locum in concionibus, vel orationibus publicis; & ei primò omnium pacis oſculum datur. Tertiò, ipſius eſt Eccleſiam protegere; & dotem, ac eius bona tueri. Quartò, ſi tam ipſe, quam eius filij ad ſummam inopiam deuenerint, bonis dictæ Eccleſiæ ſubleuari debent, ex cap.quicunq; 16.q.7. & cap.Nobis de iure patron.Poteſt autem trãsferri ius patronatus in alium quatuor modis, ſcilicet, donatione, permutatione, venditione, & teſtamento, ſiuè iure hæreditariæ ſucceſſionis, vt Gloſſ. in cap. Piæ mentis 16.q.7.Attamen ſciendum, talem iuris patronatus donationem non valere, niſi accedat conſenſus Epiſcopi, ſiuè fiat Clerico, ſiuè laico;quando tamen donatio fit ob gratiam ipſius Clerici,vel Laici;& hoc ne ius patronatus tranſeat ad hominem ſuſpectum, & minus gratum; vt ait Panorm. in cap. illud de iure patronatus, vbi citat, Io: Ánd. Hoſtienſ.& Archidiac. licet, Innocentius, & alij apud ipſummet Panorm. contrarium ſentiant. Si autem donatio fiat Eccleſiæ, vel Clerico, nomine, & iure Eccleſiæ, non requiritur dictus Epiſcopi conſenſus, qui ſufficit, vt ſit expreſſus, vel tacitus, ſeu per ratihabitionẽ; vide ca.1. de iure patronatus in 6. & in ca. illud de iure patronatus dicitur, Patronũ liberam habere poteſtatem conferendi loco pio ius patronatus.Item neq; talis conſenſus requiritur, ſi duo fuerint patroni, & aliter eorum alteri donet ſuum ius;quia in hoc caſu tollitur finis habendi dictum cõſenſum,quamuis contrariũ doceat Panor. Io: Andr. & alij in cap. ex inſinuatione de iure patron.ſed quod diximus docet Gloſ. Abbas,Lambertin.Cardin.& alij. Requiritur etiam dictus Epiſcopi cõſenſus, ſi ius patronatus permutetur, ſeu transferatur in Laicum, vel Clericum nomine ſuo, ſecùs ſi transferatur ad Eccleſiam, aut Clericum nomine Eccleſiæ; & eſt notandum, quod dictum ius patronatus non poſſit cõmutari cum re,vel iure temporali tantum, quia (vt diximus) ius patronatus eſt quid ſpirituali annexum,& ideò permutatio nõ poteſt fieri,niſi in æquale; vt conſtat ex ca. vlt. & ca. ad quæſtiones de rerum permut.

4. Deinde, transfertur ius patronatus venditione; ſcilicet, non vendendo dictum ius, neq; fundum ſuper quem eſt fundatum dictum ius, quatenus eſt quid ſpirituale; ſed poteſt tantum vẽdi fundus, licet,cum fundo tranſeat etiam ius patronatus; nec poteſt vendi maiori pretio,eo quod ibi ſit ius patronatus; ſicut calix vẽdi poteſt, ſed non maiori pretio, eo quod ſit conſecratus; nam in vtroq; caſu eſſet ſimonia. Item transfertur ius patronatus ſucceſſione, vel teſtamento; & poſſunt in eo ſuccedere omnes tam conſanguinei, quam extranei, vt ait Gloſſ. in c.filijs. Poteſt etiam legari, vt ait Panorm.in c.Cum ſæculum de iure patr.Sed ſi legetur Laico, requiritur conſenſus Epiſcopi, ſecus, ſi Eccleſiæ, vel Clerico ſub iure tamen Eccleſiæ, vt ſupra. Item locari non poteſt, quatenus ius patronatus eſt; ſed tanquam res fructifera; & eodem modo poteſt in feudum,vel Emphyteuſim dari; nam ſicut vendi poteſt, ita etiam in feudum, vel Emphyteuſim dari. Ita Gloſſ.in ca.vlt.de conceſſ.præbend. & communiter Doctores in cap.Cum ſæculum de iure patron.& idem etiam dicere poſſumus de pignoratione; Nam poteſt ius patronatus pignori dari vna cũ re, in qua eſt ius patronatus quoad fructus, qui fructus ſunt computandi in ſortem, & requiritur conſenſus Epiſcopi. Neque ex hac pignoratione ſequitur damnum Eccleſiæ; quia nõ impeditur proprius Patronus, ne poſſit nominare inſtituẽdum ad beneficiũ; vt putabat Innoc.&Hoſtien. in cap.vlt.de conceſſ.præbend.vide Azor. 2.p.lib.6.c.20.q.13. Vtrum autem ob crimen patroni, publicatis, & addictis bonis fiſco; Intelligatur etiam ius patronatus, ſeu bona,in quibus eſt fundatum ius patronatus? Affirmatiuè reſpondent aliqui etiã; reſpectu fiſci ſæcularis; Sed puto negatiuè eſſe reſpondendum cum Archidiac.in ca. filijs 16.q.7.& alijs. Nam ius patronatus eſt quid rei ſpirituali annexum,&non niſi ex canonum inſtitutione, & reputatur tanquam quid Deo dicatum; Igitur non poteſt fiſcus ſæcularis in illo ſuccedere ob deli-

Digitized by Google

delictum; ſeu non poteſt Princeps ſæcularis directè,& per ſe priuare patronum iure patronatus ob delictum, vt idem Azorius loc.cit.q.14.

5. Sed quæritur intra quod tempus patronus teneatur præſētare beneficio vacante,inſtituendum ad beneficium? Reſpōdeo intra quatuor menſes, ſi ius patronatus fuerit laicum, ſeù ſi patronus fuerit laicus; ſi autē patronus fuerit Eccleſiaſticus, intra ſex menſes; vt habetur in cap.vnico de iure patronat. in 6. Et ſi ius patronatus fuerit partim laicum,& partim Eccleſiaſticum,vt in caſu,quo electio eſſet facienda à laico,& ab Eccleſiaſtico, quatenus Eccleſiaſticus eſt, vt ab Epiſcopo, Decano, vel alia perſona Eccleſiaſtica; tunc præſentatio poterit etiam fieri intra ſex menſes, ob ſocietatem perſonæ Eccleſiaſticæ;vt docet Io:Andr.& Archid.in d.ca.vnic.nam etiā, qui habet rem communem cum pupillo, fruitur priuilegio pupilli, l. ſi communem ff. quemadmodum ſeruit. quod ſi dicti patroni intra dictum tempus non præſentauerint; Epiſcopus poterit beneficium conferre,cui voluerit, ex cap. quoniam de iure patron.vt in caſu,quo contenderint patroni,tunc ne Eccleſia careat miniſtris,fuit ordinatum, vt Epiſcopus tranſacto dicto tempore ſuppleret; vt ibi notat Panormit. ſecùs, quando præſentatio non fieret ob contentionem, ſeù litem ſuper ius eligendi; vt Sylueſt.verb.ius patronatus,& idem eſt dicendum, ſi patronus neſciret vacationem beneficij; nam tempus incepit currere à tempore ſcientiæ, ex cap. quia de conceſſ.præben.Leſſ. lib.2. cap. 34. dub. 6. & Azor.2.tom.lib.6.cap.21.q.11.Non poteſt tamen patronus præſentare ſeipſum, licet, ſit Clericus ex cap.per noſtras de iure patron. vbi dicitur. *Nullus ſe poteſt ad perſonatum alicuius Eccleſiæ præſentare, quantumcunq; ſit Clericus idoneus, & quibuſcunq; ſtudijs, & meritis adiuuetur; ſicut etiam is, ad quem ſpectat collatio dignitatum,ſeipſum præfectum creare non poteſt* cap.vlt.de inſtit. & ita ſimiliter l. prætor ff. de tutor. ſicut nec pedaneus iudex, nec compromiſſarius ſua ſententia fieri poteſt. Sic ibi,poſſet tamen Epiſcopus motu proprio dicto patrono beneficium conferre; ac etiam poſſet patronus præſentare filium aliàs idoneum;vt Abbas cap.conſuluit de iure patron.& alij ab eo citatis, nam licet, pater, & filius pro eadem perſona accipiatur in iure 35. q. 3.& l.vlt.cap.Impub.tamen hoc fit ex iuris fictione, ſed non ex eo,quod pater,& filius ſit vna perſona; vt reſpondet Abbas.

6. Tenetur etiam patronus præſentare idoneum, quod ſi præſentauerit ineptum,& patronus fuerit laicus; iubēdū eſt ei alium præſentare beneficio dignum. Si fuerit Eccleſiaſticus, vt Monaſterium,Capitulum, vel alia perſona Eccleſiaſtica,eſt ea vice priuatus iuxta Gloſſ.in cap. cū vos ver.minùs idoneæ de officio ordin.& citat cap.cum in cunctis 7.de elect.ſed ibi tantū loquitur de electoribus Epiſcopis, & non debet fieri extenſio ad patronum; vnde dictus patronus Eccleſiaſticus non eſt ipſo iure priuatus, ſed eſt priuandus; vt docet Leſſ.lib.2.cap.34.dub.7.Præſentato tamen digno, Epiſcopus tenetur conferre beneficium, & ad id compelli poteſt, cap. Paſtoralis 29. de iure patron. & ſi patronus indignum præſentauerit, mortaliter peccabit; & Epiſcopus tenetur eum excludere.Vtrum autem ſi eſſent duo patroni Clerici, vel vnus Clericus, & alter ſecularis, poſſent vnum ex ipſis nominare? & reſpōdetur affirmatiuè cum Gloſſ.in cap. conſuluit de iure patr. & communiter omnes; imò Abbas in dicto cap. conſuluit docet, quando plures aliquo officio funguntur cū facultate eligendi &c. poſſe vnū, vel duos ex ſeipſis creare; niſi id à lege prohibeatur, ſequitur Azor. tom. 2. lib. 6. cap. 21. quæſt. 3.

7. Et notandum;ſi plures fuerint præſentati; v.g. patronus præſentat Petrum,& poſtea pręſentat Franciſcum;tunc ſi patronus fuerit laicus; collationem beneficij cadere in arbitrium Prælati, & poterit inſtituere vnum ex illis,quem maluerit ca.cum autem 24. de iure patron. ſi autem patronus fuerit Eccleſiaſticus; tunc primo præſentato eſt conferendum beneficium; quia qui prior eſt tempore, potior eſt in iure, vt dicitur in dicto cap. cit. Deinde ſi vnus fuerit præſentatus à patronis laico,& Clerico; non poteſt alter eorum, poſtea præſentari ſecundum in præiudicium alterius;

nec

nec obſtat ſi ſecundus eſſet magis idoneus, nam non ex hoc ſequitur, quod poſſit patronus priuari iure ſuo; vt Panorm. in d. ca. cum autem: quidquid in contrarium aſſerat Io: Andr. & ſi duo patroni præſentent duos, ſcilicet, vnus præſentet Petrum, & alius Franciſcum; tunc poſſet Epiſcopus alteri tertio beneficium conferre; quia dũ patroni non conueniũt, ius non cogit Epiſcoþum vt cõferat vni ex præſentatis. Sylueſt. verb. ius patronatus q. 8. Si autem fuerint plures patroni, & inter ſe non conſenſerint, tunc ille eſt inſtituendus, in quem plures conſentiunt, ſiuè per modum vnius, ſiuè ſeorſim. Sed notandum, quod quando quis eſt præſentandus à pluribus per modum vnius, vt à Collegio, vel Capitulo, tunc debent omnes conuocari, qui cõmodè conuocari poſſunt, aliter poſſet nõ vocatus inſtare pro irritatione præſentationis coram iudice, quamuis omnes ex Capitulo conſenſerint in dictam prſentationem, argumento, ca. cum in Eccleſijs 32. de præbend. in 6. vide Sylueſt. q. 11. & 12. & Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 8. num. 34.

8. Vtrum autem patronus teneatur digniorem præſentare? Reſpondeo varias eſſe opiniones; ſed quia Concilium Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. de refor. apertè, & clarè loquitur, ideò eius verba pro reſponſione referam. *Si verò ius patronatus Eccleſiaſtici erit, ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probos ab examinatoribus iudicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, vt ab eo inſtituatur. Cum verò inſtitutio ab alio, quam ab Epiſcopo, erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorẽ, quem patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat, quod ſi ius patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis, vt ſupra examinari, & non niſi idoneus repertus fuerit, admitti.* In quo loco loquitur Concilium de beneficijs, in quibus adeſt cura animarum; & ſi ius patronatus fuerit laicorum, ſufficiet, vt præſentatus ſit idoneus tantum; ſecùs de iure patronatus Clericorum; vnde Lambertinus lib. 2. de iure patronatus par. 2. q. 10. ar. 3. cum alijs Theologis apud ipsũ, tenet, fas eſſe patrono, minus dignum, digniore præterito, nominare ad beneficia tamen ſimplicia; ſecùs quando beneficia cura animarũ ſunt prædita, vel dignitate, & perſonatu. Hanc opinionem ſequitur etiam Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 13. & idem etiam affirmat de beneficijs cum cura animarum, quando ratione fundationis eſſet eligendus vnus ex familia, tunc ommiſſis dignioribus, poteſt eligi dignus, vt Couar. regula peccatum par. 2. §. 7. Azor. autem tom. 2. lib. 6. ca. 21. q. 5. docet, digniorem ſemper eſſe eligendum etiam ad beneficia ſimplicia; & hanc opinionem communem eſſe aſſerit etiam Lambertinus, licet contrariam ipſe teneat vt diximus. Pro qua multos citat; & Azor alios addit, nempe, Nauar. Couarr. Sot. & alios, quæ opinio licet, tutior ſit, primam tamen etiam probabilem puto. Vbi etiam Leſſ. notat, beneficium, ſi dandum ſit alicui ex certa familia, vel oppido; vt ſunt beneficia Patrimonialia; vel ſi eligẽdus ſit Clericus eiuſdem Eccleſiæ, tunc nõ niſi aptiſſimo dãdum eſſe, relictis aptioribus ex ca. nullus 13. & cap. 16. Obitum d. 6. & ca. 19. Metropolitano d. 63. Et ſi plures ſint electores; & pauci inclinant in digniſſimum, tunc poſſet quis in dignum, vel digniorem inclinare, ſi ſuo ſuffragio nõ poſſet prodeſſe digniſſimo. Nam eligere dignum nõ eſt ex ſe malum, niſi quando adeſſet ſpes obtinendi digniorem, vel digniſſimum. Item ſi quis reſignet beneficium in fauorem alterius; non eſt neceſſe, vt digniſſimum quærat, tum ratione conſuetudinis, tum quia non incumbit ad ipſum ex officio præficere miniſtrum Eccleſiæ; vt docet etiam Caiet. verb. beneficium, & alij, quos ſequitur Leſſ. loc. cit. in fine.

9. Sed notandum. patronũ poſſe præſentare abſentem, vt iam Reges, & Principes ſolent Pontifici præſentare, ſeu nominare aliquem pro Epiſcopatu; licet, abſens ſit à Romana curia. Deinde ius patronatus non poſſe transferri in Iudæum, vel Paganum, vt Gloſſ. in cap. Fulgentius; cap. Piæ mentis 16. q. 7. habetur Piæ mentis cõſtat, pios, ſeu Chriſtianos homines, ſi Eccleſias fundauerint, vel dotauerint, ius patronatus acquirere, & idem eſt dicendũ de hæreticis; vt Abbas in cap. Nobis de iure patronat. nam bonorum dominium propter hæreſim amittitur; excommunicatus autẽ

ius

ius patronatus acquirere poteſt,ſed priuatur vſu;idē Abb. & Io: Andr.in d.c.Nobis. Fœmina verò poteſt ius patronatus acquirere ex eiſdem Doctoribus dicto loco,nam etiam fœmina poteſt Eccleſiam fundare, vel dotare, &c. Pupillus eſt etiam capax iuris patronatus, ſicut etiam eſt capax hæreditatis,legati,&c.vt Archidiac.in ca.decernimus 16.q.2. & Io.Andr.ca.cum ex eo de elect.in 6. Sed dum eſt infans minor ſeptem annis,nominare nō poteſt, ſed nominat tutor pro ipſo; at poſt ſeptem annos ipſe nominat, quia ſicut in dicta ætate poteſt contrahere ſponſalia, ita etiam poteſt nominare. Nec requiritur tutoris auctoritas,vt Rochus tract.de iure patr. q.2. Secutus Io.Andr.Anchar. & alios. Item Spurius, & quilibet alius illegitimus eſt capax iuris patronatus: vt probat idem Rochus loc.cit. ver.Competens; Et ratio eſt, quia canones, vt ſupra,abſolutè loquuntur,quicunque Chriſtianus,&c.16.q.7. Quidquid alij in contrarium ſentiant, nam ius patronatus tranſit cum rerum vniuerſitate; & ſicut Spurius capax eſt hæreditatis,&legati, ita etiā poteſt eſſe capax iuris patronatus; Et maximè, quia nullum ius reperitur id prohibens; & benè poteſt etiam Spurius Eccleſiam fundare, dotare, &c. Item ius patronatus manet in muliere; quamuis mulier aſſignet pro dote marito villam,ſeu caſtrum,in quo eſt ius patronatus, nam licet, ad maritum pertineat fructus, & commodum dotis.Ex ca.per veſtras,de donat. inter virum, & vxorem. & cap.Salubriter de vſur. Tamen apud mulierem remanet dominium; & ex conſequenti ius patronatus.Io.Andr.& Panor. loc.cit.

10. Item poſſeſſor bonæ fidei benè poteſt frui iure patronatus præſentando, &c. Et quamuis poſtea reperiatur non eſſe verum dominum; non ex hoc nominatus, ſeu præſentatus eſt priuandus beneficio, quod iam poſſidet; Sic enim habetur in cap. Conſultationibus de iure patron. vbi ſic legitur. *Si aliquis Clericus ab ordinario iudice in Eccleſia fuerit inſtitutus, ad præſentationem illius qui eiuſdē Eccleſiæ videbatur eſſe patronus; & poſt ius patronatus alius euicerit in iudicio; non debet ab ipſo propter hoc remoueri, ſi tempore præſentationis ſuæ; ille qui eum præſentauit ius patronatus Eccleſiæ poſſidebat* (& infra) *ſi verò non poſſidebat, ſed tantum credebatur eſſe patronus, cum non eſſet, poterit ab eadem Eccleſia remoueri.* Et ratio huius legis eſt, quia nominare eſt fructus iuris patronatus; & ſicut poſſeſſor bonæ fidei nō tenetur reſtituere fructus conſumptos bona fide; Ita neque nominatus eſt beneficio priuandus; quia reputatur tanquam fructus à patrono bonæ fidei conſumptus. Vide Abbat.in cap. Conſultationibus de iure patronatus;nec obſtat. Poſſeſſorem non facere fructus naturales ſuos ex l. fructus ff.de vſuris. Nam dicta lex intelligitur de fructibus non conſumptis; at in caſu noſtro præſentatio habetur tanquam fructus conſumptus; neque ex tali præſentatione patronus ditior factus eſt, vt reſtituere teneatur. Secùs eſt dicendum de poſſeſſore malæ fidei, nam tunc nominatus,eſt repellendus ab Eccleſia; vt Abb. Innocent. & alij in d.c. Conſultationibus; & ſequitur Azor.tom.2.lib.6.c.21.q.17.

11. Sed vtrum Pontifex poſſit derogare iuri patronatus, & alteri non præſentato beneficium conferre? Et affirmatiuè communiter omnes reſpondent in c.Cum dilectus 28. de iure patr. Sed notandum, dictam derogationem eſſe exprimendam in litteris collationis beneficij, quando tamen beneficium eſt Laicorum; vt ſimiliter omnes docent in cap.2.de præben.in 6. nec ſufficit aſſerere: Conferimus hoc beneficium quomodocunq; præſentationem ad alium pertineat; Sed neceſſe eſt dicere: Derogamus iuri patronatus Laici, vt habetur in Rotæ deciſ.331.& ſimiliter ſi præſentatio pertineat ad Regem, Ducem, vel Marchionem,debet etiam exprimi, vt habetur in regul. Cancellariæ 43. Si autem patronus fuerit Eccleſiaſticus,poterit Pōtifex ei derogare per ſimplicē beneficij collationem; nulla facta mentione derogationis. Ijdem DD.in cap.2.de præbendis ex Couarr.in pract.qq.cap.34.n.1.& 2. Vnde quando à Pontifice fiunt reſeruationes beneficiorum, vel ad ipſum ſpectet ratione delicti, vel ex alia iuris diſpoſitione: tunc nunquam intelliguntur Laici priuati iure præſentandi; Sed tantū intelliguntur Prælati prohibiti ne inſtituere poſſint; Sed eſt

 inſti-

Digitized by Google

inſtitutio petenda à Pontifice; vt docet Gloſs.in regul.40.Cancellariæ; quod Couar.vt ſupra num.5. Intelligit tantum de Epiſcopatibus,Abbatijs, Prioratibus, Decanatibus,& alijs Dignitatibus,quæ per 2. & 3. regulam Cancellariæ Pontifici reſeruantur. Secùs de minoribus beneficijs Laicorum: quia iſta ſunt omnibus reſeruationibus exempta. Item Legatus à latere; & Nuncius Apoſtolicus de poteſtate dicti Legati poſſunt derogare patronatui Eccleſiaſticorum, non autem Laicorum, communi ſententia in cap. Cum dilectus 6.de officio delegat.& c.Cum dilectus 28. de iure patron.Leſs.vt infra nu.38. quamuis Azor.tom.2.lib.6.c.22.q.9.id reſpectu omnium patronorum neget abſq; conſenſu Pontificis. ex Abb.in c. Dilectus de iure patron.ſed prima ſententia communis eſt. Epiſcopus autem nec iuri patr oni Eccleſiaſtici, nec Laici prærogare poteſt. Vnde, ſi Epiſcopus præueniendo conferat beneficium; rata erit collatio, vſquequo Patronus intra debitum terminum præſentationem faciat, tūc enim annullatur dicta collatio vt patet ex ca.Decernimus 32. Cauſ. 16.q.7. Et ſi intra dictum tempus patronus non præſentauerit, manet rata collatio facta per Epiſcopum; quia iam collatio reuoluta eſt ad ipſum; & nullo modo fit irrita prima collatio, niſi per præſentationem factam à patrono intra debitum tempus, Ita Leſſ.lib.2.cap.34.dub.9.nu.39. licet contrarium doceat Abb.in c.illud de iur.patron.& Io.Andr.c.2.de offic.Vicarij in 6. quod probabilius putat Azor. tom.2. lib.6.ca.22.q.4.nam in cit.c. Decernimus habetur. Si Epiſcopi ſine patronis inſtituerint, nouerint eſſe irritam inſtitutionem. Et notandum, quod quando ius patronatus eſt partim Laici, & partim Eccleſiaſtici: tunc etiam in derogatione, vt ſupra facienda, eſt exprimenda derogatio, eodem modo, ne ſi eſſet patronatus Laici; quia non tenetur damnum ſubire Laicus eo quod ſit aſſociatus cum Clerico; licet, in fauorabilibus fruantur priuilegijs Eccleſiaſtici; ſcilicet, quoad tempus præſentationis ſex menſium; vt communiter omnes aſſerunt, & ſequitur Couarr. in pract. 99.ca.36.num.4. Item ſi duo patroni fuerint Laici, & duo Eccleſiaſtici, patronatus cenſebitur Laicus quoad derogationem: & Eccleſiaſticus, quoad præſentationem; Secùs ſi eſſent tres Eccleſiaſtici, & duo Laici, tunc maior pars trahit ad ſe patronatum. Item poteſt etiam Pontifex, & Legatus, vt ſupra derogare etiam patronatui Laicorum, & conferre beneficium nulla præſentatione expectata, & abſque vlla expreſſione derogationis vt ſupra, quando tamen ius patronatus eſt acquiſitum ex priuilegio, vel præſcriptione. Couarr.loc.cit.n.5.vbi plures aſſert: & ſequitur Leſs.lib.2.c.34.dub.9.in fine.

12. Ad complementum primi modi acquirēdi beneficium, vt in principio propoſuimus, quærendum eſt, ad quem pertineat Inſtitutio? nam quid illa ſit, iam diximus in num.1. Reſpondeo de iure communi pertinere ad Epiſcopum intra ſuam iuriſdictionem; vt docet Abbas cap.1. de inſtit. Vbi repellit opinionem Io. Andr. in cap. Cum in cunctis de elect.& c. Quamquam eod. tit. aſſerentem inſtitutionem non eſſe proprium iuris Epiſcoporū: quia multi alij habent hoc ius conferendi beneficia. Sed Reſpondetur; hoc eſſe ex peculiari iure,& priuilegio; ſed de iure communi hoc pertinere ad Epiſcopum, vt ſumitur ex cap. Ex frequentibus, & c. Cum ex iniuncto de hæret.& ex cap. Omnes Baſilicæ 16.q.7. Imò Epiſcopus ſtatim ac eſt electus,& confirmatus, quamuis non conſecratus habet talem iuriſdictionem conferendi beneficia; cum hoc nō ſit actus ordinis; ſed iuriſdictionis. Vnde etiam Vicarius Generalis Epiſcopi habet dictam facultatem inſtituendi, quatenus tali Vicario tribuitur tota auctoritas iuriſdictionis Epiſcopi, niſi aliquid excipiatur, vt ait Gloſſ. communiter recepta in cap. ex frequentibus de inſtit. in quo loco ſimiliter notat, etiam Io: Andr. dictum Vicarium poſſe quidem inſtituere; non autem conferre beneficium, quia inſtituere eſt actus neceſſitatis, ſuppoſito, quod patronus dignum præſentet; & conferre eſt actus voluntatis Epiſcopi. Item Collegium Canonicorum habet etiam hanc facultatem inſtituendi Sede vacante ex cap. 1. de inſtit. in 6. vt tradit Abbas in cap. cum olim.

de

Digitized by Google

de maior. & obed. quamuis nequeat dicta Sede vacante conferre illa beneficia, quorum collatio pertinet ad Epiſcopum, cap. 1. Ne Sede vacante in 6.& cap. 1. de inſtit. ibidem; cæteri verò Epiſcopo inferiores nec inſtituere, nec conferre beneficia ex iure communi poſſunt, niſi ex priuilegio, præſcriptione, conſuetudine, ſtatuto, donatione, & ſimilibus modis. Summus autem Pontifex omnia poteſt tanquam Generalis, & vniuerſalis ordinarius ordinariorum totius Orbis, vt ait Gloſſ. in Fœlicis §.fin.de pœnis in 6.& cap.vlt.per principalem 9.q.3.

13. Et nota quod, ſi patronus negligens fuerit in nominando Clerico intra debitum tempus vt ſupra, poterit Epiſcopus ſine dicta nominatione inſtituere, vt habetur in cap. 1. de ſupplenda neglig ētia Prælator. quia ex tunc reuoluitur facultas nominādi ad Epiſcopum, vt etiam diximus ſupra num. 11. parum à fine; & idem eſt dicendum, ſi ad inferiorem Epiſcopo pertinebit inſtitutio, & negligens fuerit, ad inſtituendum; nam ad Epiſcopum pertinebit illum admonere, vt Clericum inſtituat, quod ſi neglexerit, ad ipſum Epiſcopū inſtitutio reuoluetur. Et ſi patronus Eccleſiaſticus indignum nominauerit ſcienter, ipſo facto priuatur iure nominandi pro illa vice, ſi autem ignoranter, tunc tantum alium nominare ſeu præſentare poterit, quando prima præſentatio fuerit repudiata. Et ſi patronus fuerit laicus, tunc poterit intra quatuor menſes alium præſentare, quia ſicut poteſt in dicto tempore mutare præſentationem, vt ſupra, multo magis, poterit id agere, ſi prima vice, indignum præſentauerit; dummodo tamen id agat intra dictum tempus, aliter, eo elapſo, inſtitutio poterit fieri ab Epiſcopo abſq; eius conſenſu, ex cap. 1. de iure patronat. in 6. ita Panorm. in cap. cum vos de officio iudic. ordinar. ſequens Io: Andr. & alios, quidquid in contrarium aſſerāt Hoſtienſ. & Innoc. apud dictum Panorm.

Qui poſſint Beneficia conferre, & quibus conferenda ſint, ac de eorum reſidentia. Cap. LXXX.

1 *Ad Romanum Pontificem, & ad Epiſcopos de iure pertinet conferre beneficia.*

2 *Dignitates, & Abbatiæ infra Epiſcopatū, ſunt conferendæ poſt ſex menſes, & ſi ſint tribuendæ ſuppoſita electione, eſt dicta electio facienda intra tres menſes.*

3 *Epiſcopus conferens beneficium per epiſtolam, non poteſt illud alteri conferre, niſi priùs primus renunciet.*

4 *Beneficium eſt conferendum liberè, palam, ſine diminutione, vacans, & in perpetuū.*

5 *In omni beneficio ſemper eſt eligendus dignior, nec debet conferri niſi digniori.*

6 *Prælatus tenetur ſcire dignitatem illius, cui conferendum eſt beneficium: & dignus nō tenetur ad reſtitutionem ſi ipſe fuerit electus, relicto digniore.*

7 *Collatio facta indigno eſt irrita, & deuoluitur ad ſuperiorem.*

8 *Nullus eſt capax beneficij, niſi ſaltem habeat primam tonſuram.*

9 *Si quis accipiat primam tonſuram, ſine debitis litteris dimiſſorijs, redditur incapax beneficij.*

10 *In ſuſcipiente beneficium requiritur cælibatus.*

11 *Suſcipiens beneficium non tenetur habere animum perſeuerandi in Clericatu.*

12 *Beneficiarij habentes curam animarum, tenentur de iure diuino ad reſidentiam.*

13 *Curati, & alij habentes curam animarum, non poſſunt abeſſe à ſuis Eccleſijs.*

14 *Canonici, & alij in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis non poſſunt abeſſe ſingulis annis vltra tres menſes à ſuis Eccleſijs.*

15 *Notantur aliquæ cauſæ excuſantes à reſidentia.*

1 Beneficia in iure ſunt in triplici genere, nempe electiua, quæ per electionem dantur, collatiua, quæ dantur ex libera voluntate conferentis; & non libe-

Digitized by Google

ra, & ſunt illa, in quibus adeſt ius patronatus; & de his iam diximus cap. antecedenti; vnde hic primò quærendum eſt, ad quem ſpectet beneficia conferre? & reſpõdeo in tota Eccleſia pertinere ad ſummũ Pontificẽ; vt diximus in cap. 77. nu. 4. ipſe enim habet plenum ius beneficia conferẽdi cuiuſcunq; generis ſint, etiam iuri patronatus ſubiecta; vt ſumitur ex cap. 2. de præb. 6. in 6. & ipſe eſt Ordinarius Ordinariorum, vt etiam ſupra diximus, vide Abb. in cap. quia diuerſitatem de conceſſ. præbendæ. In qualib. autem Diœceſi, collator beneficiorum eſt Epiſcopus; cum ipſe ibi ſit Princeps, & moderator ſacrorũ; & ideò ad ipſum ſpectat de miniſtris prouidere, & eis beneficia conferre; vt fuſiùs Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 10. vide etiam Azor. 2. par. lib. 6. ca. 25. q. 1. Poteſt etiam beneficia cõferre Generale Conciliũ auctoritate Pontificis congregatum, aliter non erit legitimum Concilium; nam Concilium, in quo non præeſt auctoritas Pontificis, legitimũ non eſt cap. multis d. 17. ca. Dudum 3. q. 9. & ex cap. ſignificaſti de elect. poteſt tamen dictum Concilium beneficia conferre; ſed nõ niſi neceſſitate vrgente, nec aliter poſſet Eccleſiæ prouideri, aut commodè differri, vt docet Selua par. 2. de Benefic. q. 2. apud Collegium autem Cardinalium Sede vacante, non adeſt talis poteſtas, vt patet ex Clẽ. Ne Romani §. 1. de elect. & ratio eſt, quia poteſtas conferendi beneficia, eſt poteſtas iuriſdictionis; & quæ pertinẽt ad talem poteſtatem, non tranſeunt ad Collegium Cardinalium, viduata Eccleſia Pontifice; & idem eſt dicendum de Capitulo Sede Epiſcopali vacante, vt ſupra etiã notauimus; & patet ex cap. illa 2. ne Sede vacante; & docet Io: Andr. in cap. vnicum Ne Sede vacante in 6. poteſt tantum Capitulum inſtituere præſentatos à patronis, quorum inſtitutio ad Epiſcopum pertinet ex cap. 1. de inſtit. in 6. Poteſt etiam cõferre ea beneficia, quæ communia erant Epiſcopo, & Capitulo ex cap. Si ad Epiſcopũ. Ne Sede vacante in 6. ſecùs autem ſi collatio pertinebat tantum ad Epiſcopum, licet, ex conſilio Capituli, vt Rebuff. in ſua praxi de deuolutionibus num. 70. & ſeqq. qua occaſione eſt etiam notandum ex Couarr. lib. 3. var. cap. 20. num. 9. Epiſcopos exiſtentes in Romana curia, conſuetudine receptum eſſe, non poſſe conferre beneficia, etiam ſi vacent in propria Diœceſi, ſed neceſſe eſt, vt curiam exeant, & licet, ſit in aliena Diœceſi, tamen poteſt dicta beneficia conferre. Beneficia autem eorum, qui ſunt de curia Romana, vel Romæ moriuntur, aut propè per 40. milliaria Italica, ac etiam eorum, qui ibi reſignant, aut permutant; pertinent ad Pontificem vt patet ex regulis Cancellariæ, & docet Leſſ. lib. 2. ca. 34. dub. 10. num. 46.

2. Eſt etiam notandum, Dignitates, Abbatias, & alia beneficia infra Epiſcopatum, eſſe conferenda intra ſex menſes, regulariter loquendo, alioquin deuoluũtur ad Superiorem ex cap. Nulla 2. de conceſſ. præben. & ſimiliter ſi patronus Laicus intra quatuor menſes, & Eccleſiaſticus intra ſex non præſentauerint, vt ſupra diximus. Item, quoad Epiſcopatum, & Abbatiam, ſi electores per tres menſes, abſq; legitimo impedimento, non præſentauerint; electio deuoluitur ad proximum Superiorẽ; quidem conſilio ſui Capituli prouidebit; & ſi hic Superior etiã per totidẽ menſes negligẽs fuerit, & nõ prouidebit, caſtigari debet ſecundum canones, & tunc ad Pontificem pertinebit prouidere ex cap. Ne pro defectu 41. de elect. In inferioribus autem beneficijs ſi coniunctim, vel diuiſim ſpectent ad Epiſcopum, vel Capitulum, tunc negligente Epiſcopo, per ſex menſes, deuoluitur beneficium ad Capitulum, & è contra, & demũ ad proximum ſuperiorem gradatim pro illa tantum vice iure; vt fuſiùs Rebuff. §. de deuolutionibus, Sylueſt. ver. beneficium 2. q. 6. & alij. Vnde ex Epiſcopo deuoluitur beneficium ad Metropolitanum, & ſi Epiſcopus fuerit exemptus, & tantum Pontifici ſubditus; beneficium deuoluetnr ad Pontificem; & ſic etiam, ſi Metropolitanus per alios ſex menſes nõ conferat. Et nota iuxta Panorm. in cap. nullæ de conceſſ. præbendæ, quod licet, aliquando, vt ſupra beneficium ex Epiſcopo deuoluatur ad capitulum, temen id intelligitur de beneficio pertinente ad Epiſcopum, ſecus de beneficio, quod deuoluitur ad Epiſcopum ex negligentia inferioris prælati;

Digitized by Google

lati; tunc enim poſt ſex menſes, ſi Epiſcopus non prouideret; pertinebit beneficium ad alium ſuperiorem gradatim, vt diximus.

3. Vtrum autem Epiſcopus, ſi conferat beneficium per litteras, vel nuncium, poſſit alteri idem beneficium conferre, antequam primus renuntiet, aut acceptet? Et Reſpondetur negatiuè, aliter collatio erit nulla; niſi fiat poſtquam primus renũtiauerit, vel niſi Epiſcopus aſſignet terminum ad conſentiendum; tunc eo elapſo, poterit beneficium alteri conferre. ex cap. Si tibi abſenti 17. de præbend. in 6. Sylu. verb. beneficium 2. num. 3. Leſſ. lib. 2. c. 34. dub. 11. & Couarr. lib. 3. var. c. 16. num. 4. Item Epiſcopus, vel alius, cui commiſſum fuerat clerico pauperi de beneficio prouidere; ſi dictus Clericus aliud beneficium interim obtinuit, non tenetur aliud beneficium conferre. ex cap. Si pauper, de præben. in 6. Sylu. loc. cit. num. 4. Item Epiſcopus non poteſt reuocare beneficium, quod contulit ei, quem putabat doctum; & poſtea inuenit idiotam, vel putabat vaſallum, & poſtea inuenit alienigenam; ita Panor. in cap. quamuis de ætat. & qualit. dummodo beneficiarius ſciat officium: idem docet Ioan. Andreas, & ſequitur Sylu. loc. cit. n. 8. Et ratio eſt, quia cõditio mente concepta, non vitiat contractum: Idem eſt etiam dicendum. Si Papa, vel alius mandet, vt beneficium conferatur Petro; Si is, ad quem ſpectat, conferat Paulo. Valida erit collatio; licet, punietur collatur. Ioan. Andr. ex cap. Dilectus de preben. quod intelligitur, niſi in litteris appoſita fuerit clauſula irritans collationem in caſu, quo contrarium fieret. ex c. inter cætera eod. tit.

4. Quonam autem modo beneficium conferri debeat? Reſpondeo de iure communi, eſſe conferẽdum purè, liberè, palàm, ſine diminutione, vacans, & in perpetuum; non autem ad certum tempus. Purè, ſcilicet, ſine pacto, conditione, aut modo, alioquin collatio beneficij erit ſimoniæ labe polluta c. Quam pio 1. q. 2. cap. Cum pridem, & c. vlt. de pactis. cap. 2. de elect. in 6. Et nota, quod conditiones continentes ſimoniam, ad quatuor contractus innominatos reducuntur: nempe ſi beneficium conferatur cum pacto. Do, vt des, facio, vt facias, Facio, vt des cõmodum aliquod temporale. Deinde dicitur liberè, nam collatio facta per vim non valet, ſicut nec donatio ex cap. 2. de ijs, quæ vi metuſuè cauſa fiunt. Palam; ideſt præſentibus teſtibus fide dignis, ſic enim eſt beneficium conferendum ad euitandas lites. cap. poſt ceſſionem de probat. Sine diminutione; Vnde non poteſt Epiſcopus, vel Archiepiſcopus reſeruare ſibi, vel nepoti, aut famulo, vel amico penſionem ex collatione beneficij. cap. 1. Vt Eccleſiaſtica beneficia. cap. maioribus de monachis, & cap. Amicitiæ de præben. & ex alijs locis. Vacans; Nam beneficium viuente beneficiario, alteri conferri non poteſt. cap. 1. de conceſſ. præben. & cap. Eos. 7. q. 1. Imò nec alicui promitti poteſt cap. Nulla de conceſſ. præben. & ca. Relatum, & c. Ex tenore eod. tit. Poteſt tamẽ Epiſcopus aliquod onus beneficio vacanti imponere; ita vt ad quemcumque beneficium cõferatur, tranſeat cum dicto onere. In perpetuum; quia beneficium ad certum tempus dari non poteſt; Sed dandum eſt ad totam vitam beneficiarij. cap. per cepta diſt. 55. & c. Satis peruerſum d. 56. Et nota, quod licet, collatio beneficij de nocte, & clàm facta valeat, vt Gloſſ. in cap. 1. vt Eccleſiaſtica beneficia; ſicut etiã donatio l. 1. C. de dilationibus lib. 10. tamẽ dicta collatio pro ſuſpecta haberi ſolet ca. 1. de offic. delegat. ſicut etiam adeſt ſuſpicio contra clàm dantes, vel benefacientes, aut iudicantes l. ita fidei ff. de iure fiſci, & l. Non exiſtimo ff. de adminiſtrat. tutelæ. Electiones autem Clandeſtinæ non ſubſiſtunt cap. quia propter de election. Ideò vſu Romanæ curiæ receptum eſt, vt beneficia non conferantur, niſi coram teſtibus. vide Io: Seluam de beneficijs par. 3. q. 17. num. 4. vbi plures affert, qui etiam docet q. 22. nec eſſe neceſſariam ſcripturam in collatione beneficij, licet, neceſſaria ſit pro foro iudiciali, vt docet etiam Abbas, & alij paſſim, & ſumitur ex cap. Inſtitutionibus 35. q. 2. At quando quis beneficium, vel aliquam dignitatem obtinet à Romano Pontifice; tũc neceſſariæ ſunt litteræ Apoſtolicæ, aliter collatio eſt irrita, & inanis, & qui admittunt ad poſſeſſionem, in pœnas

nas

Digitized by Google

nas incidunt; vt conſtat ex Extrau. Bonifacij VIII. quæ incipit Iniunctæ: & habetur inter Extrauag. communes. Item neque vnum beneficium poteſt duobus diuiſim, aut coniunctim conferri, nam eſſet collatio irrita, vt Gloſſ. in cap. 2. de elect. in 6. & nec duo elegi poſſunt ad idem beneficium ex c. Tua, & c. Dilectus de præben.

5. Sed vtrum beneficium poſſit conferri digno, relicto digniore? At priùs ſciendum eſt, irritam eſſe collationem factam indigno, ſcilicet, non habenti legitimam ætatem, legitimum originem, debitam litteraturam, & vitæ morumque probitatem abſq; vllo canonico impedimento, ſeu cenſura, de quibus iam in principio diximus. Et ad dubium reſpondeo negatiuè; eſſet enim culpa mortalis iuxta Angel. verb. electio. num. 21. Gabr. 4. d. 15. q. 7. art. 3. du. 1. propoſ. 2. & Alex. p. 2. q. 119. n. 2. art. 3. Qui licet, loquantur de electione; idem autem dicerent de collatione; Sed id putant verum, quando beneficium eſt parochiale, vel quomodocunque habens curam animarum coniunctam. Attamen contrarium puto probabiliùs, & verum, nempe in omni beneficio, ſemper eligendum eſſe meliorem, & ei conferendum eſſe beneficium, quod expreſsè docet Diuus Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. his verbis. *Vt electio non poſſit impugnari in foro iudiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam. Sed ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.* Et ibidem ad 1. docet. *Prælatum poſſe eligere conſanguineos ſuos, ſi æque digni ſint, non autem ſi alij ſint digniores.* Et idem docet, infra q. 185. art. 3. idem docet Azor. 2. p. lib. 6. cap. 26. q. 12. Leſs. lib. 2. ca. 34. dub. 14. Sylu. verb. electio 1. q. 16. Couarr. ad Regul. peccatum p. 2. §. 7. nu. 4. vbi quamplures affert Sot. lib. 3. de iuſtit. qu. 6. a. 2. & alij paſſim: quod eſt verum tam pro Conferentibus beneficia, quam pro Eligētibus ad illud; vel præſentantibus. Putat tamē Leſ. loc. cit. n. 66. Semel vel bis omittere digniorem, & eligere dignum in beneficijs ſimplicibus, vt in Canonicatu, Capellis, &c. Non eſſe mortale, quia non videtur grauis iniuria facta Eccleſiæ, pro qua opinione plures affert; Vt Alexan. Alenſ. Sot. Gabr. Angelum, Petrũ Nauar. Emanuel Sà, & Arragon. verum etiam in tali caſu, ſi adſit dignior, & ſe offerat ad beneficium, eſt ei conferendum, aliter mortale eſſet ob iniuriam, quæ ei fieret, vt Caiet. 2. 2. q. 63. art. 2. Salonius ibidem; & alij, quod videtur probabiliùs; & ſecuriùs.

6. Vnde colligitur, quam graue peccatum ſit cōferre beneficium indignis, vel illos eligere ad beneficium; ad quod euitādum, ſciēdum eſt, collatorem teneri ex officio poſitiuè ſcire illum, cui conferre vult beneficium, eſſe dignum, non per certam ſcientiam, ſed ſaltem per probabile iudicium, vt docet Adrian. in 4. tract. de reſtit. 9. de diſpenſat. beneficior. & paſſim alij, & idem dicitur de habente ius præſentandi, vel eligendi. Imò tenetur eligens habere plenam notitiam per ſe, vel per eos, qui cũ eligendo conuerſati ſunt; & id omittere non eſt ſine culpa mortali, vt Syluest. verb. electio 1. q. 16. ex Panorm. cap. bonæ memoriæ de poſtul. Prælat. Sed vtrum aliqua reſtitutio ſit facienda digniori à Collatore, Electore, &c. Si beneficium tribuāt minus digno, & an etiam ipſe minùs dignus ad dictam reſtitutionem teneatur, ſi procurauerit beneficium ſibi dari, & non digniori? Et affirmatiuè reſpondet Caiet. q. 62. art. 2. dub. 3. & Palud. in 4. d. 15. q. 2. a. 2. Et ratio eſt, quia ſi diſtributor bonorum communium mihi debeat centum, & tribuat tantum quinquaginta, tenebitur ad reſtitutionem ex iniuſtitia contra me patrata; ita etiam, cum beneficia ſint bona communia, ſi non diſtribuantur ſecundum iuſtitiam, inducent obligationem reſtitutionis. Sed huic rationi reſpondendum eſt, beneficia non eſſe bona communia cōgregata, ſeu data Eccleſiæ tanquam præmia vniuſcuiuſque perſonæ; Sed ſunt ſtipendia miniſtrorum Eccleſiæ; qui cum debeant eſſe perfectiſſimi; ideò peccant illi qui minùs dignos eligunt, relictis dignioribus, eo quod agant contra reuerentiam Eccleſiæ, non tamen ex hoc oritur aliqua obligatio reſtitutionis, & maximè, quia non præſupponitur talis voluntas benefactorum Eccleſiæ; nec ipſius Eccleſiæ: Ita Sot. lib. 4. q. 6. a. 3. ad 6. & Couar. ad regul. pec-

peccatum p.2.§.7.n.7. Vnde dicendum eſt, iuxta dictos Doctores, & alios citandos, beneficiarium dignum, qui ſibi procurauit beneficium, prætermiſſo digniori, non teneri ad reſtitutionem, niſi beneficium erat conferendum per oppoſitionem. Dico, *dignum*, quia ſi beneficiarius fuerit indignus, tam ipſe ſi procurauerit, quam alij qui id procurauerunt, vel elegerunt, ad reſtitutionem tenentur, non digno, vel digniori faciendum; Sed Eccleſiæ, quæ patitur detrimentum indigni miniſtri, vt Couarr. num.2. & Sot. loc. cit. vel etiam poteſt fieri pauperibus, vt ſumitur ex Concil. Triden. ſeſſ. 23. cap.1. & Concil. Lateran. ſeſſ. 9. Sed primo loco tenetur beneficiarius, vt ipſo deficiente à reſtitutione, tenentur alij, qui id procurauerunt. Quando tamẽ verè Eccleſia aliquod damnum paſſa eſſet ob carentiã digni miniſtri. Dixi etiam, *modo beneficium non fuerit datum per oppoſitionem*. Nam tunc dignior, habet ſtrictum ius; vt rectè docet Nauarr. c.17. n.17. Et ſi non admittitur ad examen, vel admiſſus, & manifeſtè dignior non habeat beneficium, fit ei vera iniuria, & aufertur ab eo id, quod ex iure debetur; & ideò vltra peccatum, quod ſemper præſupponitur, adeſt etiam obligatio reſtitutionis. Sed nota, quod dignus, ſeu dignum ſe cognoſcens, non tenetur reſignare beneficiũ, eo quod iudicet alterũ magis idoneum; nõ poteſt tamẽ collatorẽ inducere ad ſibi cõferendum beneficiũ, relicto digniori, quia mortaliter peccabit, licet, nõ tenebitur ad reſtitutionem; Leſſ. li.2. c.34. dub.15. in fin.

7. Eſt etiam notandum, collatorem beneficij ſi ſciens, conferat beneficium indigno nihil operari, & irritum eſſe beneficium, & collationẽ ad ſuperiorem deuolui vt Abbas in c. cum in cunctis §. clerici ſanè num. 5. & idem etiam dicitur de eligẽtibus, Azor. 2. par. lib.6. cap.26. q. 13. qui autem ſint indigni, ſeu incapaces, iam ſupra diximus cap.77. num.5. & ſeq. & ca.78.

8. Quibus autem beneficia ſint conferenda? Reſpondeo iam ſupra in cap.77. à num.5. & ſeq. nos dixiſſe, quinam ſint incapaces ordinum, & beneficij, & in ca. 78. quænam cõditiones ſint neceſſariæ ad obtinenda beneficia. Attamen aliqua deſunt, quæ hic ſunt notanda. Vnde dico beneficium conferri non poſſe niſi Clericis, vel ſaltem prima tonſura initiatis, ſine qua quiſque inhabilis eſt ad beneficium vt patet ex cap. cum adeo 17. de reſer. & c. ex litteris 6. de trãſact. Item tenetur quiſque illud obtinere inſtitutione canonica; ſcilicet ab illo, qui hoc ius habet, id eſt à proprio Prælato, nam ſi quis acciperet beneficium de manu Domini temporalis, fieret inhabilis, & ineligibilis ipſo facto, vt Innoc. in cap. quiſquis de Cler. poſſet tamẽ cum illo Epiſcopus diſpenſare; vt idem Doctor docet arg. cap. nuper de ſentent. excom. tenetur etiam quiſque illud obtinere iuridicè, non autem per ſimoniam, & debet eſſe habilis ad tale beneficium, ſcilicet non irregularis, nec cenſuris irretitus, in debita ætate conſtitutus, &c. vt in cap. 78. dictum eſt. Si autem quis accipiat primam tonſuram, vel alios minores ordines cum excommunicatione, vel alia cenſura non ideò fit incapax beneficij; ſed poſt abſolutionem poteſt illud obtinere, nam accipiendo dictam tonſuram, vel ordines minores cum aliqua cenſura, non incurritur alia cenſura, irregularitas, vel inhabilitas; ſecùs ſi quis accipiat ordinem ſacrũ, eſſet enim ſuſpenſus ex cap. cum illorum 32. de ſentent. excom. Vide Nauarr. lib. 5. conſil.28. num.14. quem ſequitur Leſſ. lib. 2. cap.34. dub.19. nu. 95. quæ doctrina eſt tantum reſpectu beneficiorum, quæ conferuntur poteſtate humana, ideò excluditur Papatus, qui à Chriſto confertur, licet electio fiat à Cardinalibus. Vnde Papa erit legitimè electus, licet eſſet cenſuris obſtrictus vt idem Leſſ. dub.22.

9. Item ſi quis accipiat primam tonſuram, vel ipſam, & ordines minores ſimul ſine litteris dimiſſorijs, vel diſpenſatione Pontificis redditur incapax beneficij, vt docet Rebuff. §. formula dimiſſoriarum, & colligitur ex ca. illud 1. & ca.3. ſi quis auſus diſt.71. vbi ſic habetur. *Vt ſi quis alienum, ſine conſenſu proprij Epiſcopi ordinauerit, irrita ſit ordinatio*. Scilicet quoad vſum, & priuilegium, vt omnes interpretantur. Proprius autem Epiſcopus triplex eſt, ſcilicet originis, domicilij, & beneficij, vt iam diximus ſupra de ordine. Poteſt etiã po-

ſtea

Digitized by Google

ſtea dictus ordinatus fieri capax ex diſpenſatione proprij Epiſcopi, quia dicta pœna nulli eſt reſeruata, quod probat Gloſſ. ex cap. 24. Salonitanæ d. 63. vbi Gregorius I. cum Epiſcopus Salonitanus eſſet ordinatus ipſo inſcio, ei ſcribit his verbis. *Se id ei, ita ex animo relaxare, ac ſi ipſo auctore ordinatus fuiſſet*. Vbi Gloſſa concludit. Epiſcopum poſſe remittere, quę ad ipſum ſpectāt; diſpenſatio autem ſuſpenſionis, quam etiā incurrit dictus ordinatus, pertinet ad Epiſcopum, ſi delictum fuerit occultum, vt oſtendimus ſupra cap. 66. num. 17.

10. Requiritur etiā in ſuſcipiente beneficium Cælibatus. Vnde collatio facta habenti vxorem, eſt irrita, vt patet ex Cōcil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 4. & ex ca. 1. 2. & 8. de Clericis coniugatis; & licet, habentes minores ordines poſſint contrahere matrimonium, tamen ſi habuerint beneficium, ſtatim illud amittunt; vt docet Nauar. cap. 25. num. 120. & communiter omnes in ca. 1. de Clericis coniugatis. Ille autem, qui duxit virginem, erit capax beneficij; ſi ipſa conſentiente, caſtitatem nouerit; ſed tunc vxor, ſi eſſet iuuenis, teneretur ingredi monaſterium, vel ſi prouectior, poſſet manere in ſæculo vouendo caſtitatem; vt Gloſſ. ca. 2. de Cler. coniug. & cap. ad Apoſtolicam 13. de conuerſione coniugat. de quibus fuſiùs infra de matri. Et nota iuxta Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 21. num. 113. Clericum in minoribus ordinibus contrahentem matrimonium inualidè, ſcilicet, habens impedimentum dirimens matrimonium, nō fieri incapacem beneficij; nam iura ſupra allata, ex eo reddunt inhabilem ad beneficiū habentem vxorem, quia non, poteſt quis vxori, & beneficio, vel ordini vacare; at ſi matrimonium erit nullum, ceſſat talis finis, & non eſt cur talis Clericus non poſſit eſſe capax beneficij, quidquid in contrarium aſſerat Panorm. cum alijs, & conſtat ex regula 52. de regulis iuris. *Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum*. Si verò Clericus tantum contrahat ſponſalia, licet, non ipſo facto amittat beneficium, debet tamen illo priuari ob decorem ſtatus Eccleſiaſtici. Et ſi vxor ante conſummatū matrimonium intret Religionem, adhuc maritus eſt incapax beneficij: vt communiter omnes aſſerunt. ex cap. 1. de Cleric. coniungat. Si autem Clericus habēs ordines ſacros, vxorem ducat, non amittit ipſo facto beneficium, quia matrimonium eſt nullum, & debet conſtringi ad obſeruandum cælibatum; eſt tamen beneficio priuandus; vt colligitur ex citato capite 1. Et ibi confirmat Gloſſ. quæ tota doctrina intelligitur de beneficio propriè dicto, quod datur alicui ratione tituli ſpiritualis; Secùs autem dicitur de aliquibus præbendis temporalibus, quos etiam Laici habere poſſunt iuxta vſum aliquarum Eccleſiarum. Vt Leſſ. in du. cit. & Sylu. verb. beneficium num. 8. ex Panorm. in c. maiorib. de præben. & alijs, quam totam doctrinam etiam fusè tradit Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 42. 43. & 44. & Filiuc. tract. 10. de imped. matrim. cap. 4. à n. 153. vſque ad nu. 161. & nos infra c. 104. à num. 26. vſque ad finem capitis.

11. Vtrum autem ſuſcipiens beneficium teneatur habere animum perſeuerādi in ſtatu Clericali? Reſpondeo aliqua iam dixiſſe ſupra in cap. 78. num. 11. Ad præſens autem dubium ita reſpondendum puto. Ad omne beneficium, neceſſariam eſſe in beneficiario intentionem ſtatus Eccleſiaſtici, & ſatisfaciendi muneri ſuo, ſaltem dum eſt in tali ſtatu, & dum vult beneficium retinere, non tamen eſt neceſſe, vt quis habeat animū ſemper permanendi in ſtatu Eccleſiaſtico, niſi fuerit in ſacris; Imò etiam ſi quis habeat animum permanendi in ſtatu Clericali dum manet in ſtudijs; vel dum ei aliquod matrimonium pingue oblatum fuerit, vel aliqua hæreditas, &c. Et interim accipiat beneficium, non peccat ſaltem mortaliter, dummodo habeat animum, interim ſatisfaciendi muneri ſuo; Nam nullibi reperitur præceptū, vt beneficiarius teneatur habere intentionem obſeruandi perpetuum cælibatum, & manendi in ſtatu Eccleſiaſtico; dum eſt in minoribus ordinibus; Imò iura relinquunt eum liberum, & liberè poteſt tranſire ad nuptias ex cap. Diuerſis 5. & ca. Ioannes 7. de Cleric. coniugat. Ita Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 45. n. 19.

12. Sed quæritur vtrum beneficiarij obligentur ad reſidentiam, & ad reſtitutionem

nem

Digitized by Google

nem fructuum, ſi non reſideant? Et Reſpondeo, omnes beneficiarios, quibus incumbit cura animarum, iure diuino teneri ad reſidendum; vt ſumitur ex verbis Chriſti. *Paſce oues meas*. Quæ verba diriguntur ad omnes Paſtores, imò tenentur etiam ex iure naturali; Nam ſuſcipientes aliquod officium, iure naturali tenentur exequi omnia pertinentia ad dictum officium; ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. vbi ſic ait. *Cum præcepto diuino mandatũ ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbiſque Dei prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorũ operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera omnia paſtoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab ijs præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, & aſſiſtunt; ſed mercenariorum more deſeruiunt*. Ex quibus verbis colligitur, dictos paſtores non poſſe per alios; ſed per ſeipſos iam dicta, præſtare. Tenētur etiam dicti Paſtores ad reſidentiam ex iure Eccleſiaſtico; vt patet ex cap. Extirpandæ de præben. ex ca. Sicut 7. q. 1. cap. Sciſcitatis 7. q. 1. & ex cap. Ad hæc. cit. tit. Poſſunt tamen Epiſcopi ex iuſta cauſa iuxta Concil. Trid. loc. cit. Abeſſe à ſuis Eccleſijs per tres menſes vniuſcuiuſque anni, & hoc ſiuè interruptè, ſiuè continuè; Et ſi ob aliquam vrgentem neceſſitatem maiori dilatione indigerent, cauſa eſſet approbanda à Summo Pontifice, vel à Metropolitano, & eo abſente, ab antiquiore ſuffraganeo; qui debet etiam approbare Metropolitani abſentiam; quæ approbationes ſunt in ſcriptis faciendæ, excipitur tamen in dicto Concilio, caſus, in quo Epiſcopus deberet abeſſe ob aliquod munus Epiſcopatui adiunctum, quod ſi vltra dictos tres menſes Epiſcopi abſuerint ſine tali approbatione, fructus ſuos non faciunt, & tenētur in conſcientia illos reſtituere in vtilitatem fabricæ Eccleſiæ, vel pauperum, & eſt in dicto Concilio prohibita quæcunque conuentio, vel compoſitio, qui pro fructibus malè perceptis fieri ſolet. Imò, ſi Epiſcopus abſuerit vltra annum continuè ſine dicta approbatione, tenetur Metropolitanus intra tres menſes dictum Epiſcopum Pontifici denuntiare ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ; vt habetur in dicto Concil. ſeſſ. 6. cap. 1. de reform. & licet, in dicto capite aſſignetur amiſſio quartæ partis fructũm pro abſentia ſex menſium. Attamen poſtea in cit. ſeſſ. 25. cap. 1. Fuit contrarium ſtatutum, nempe, vt reſtitutio fiat iuxta ratam abſentiæ, & nota, quod licet dictæ approbationes debeant eſſe in ſcriptis, tamen ſi non ita fiant, & cauſa vera fuerit, & approbata à quibus debet approbari, non ex hoc obligabitur Epiſcopus in foro conſcientiæ ad reſtitutionem; Sed in foro exteriori poteſt condemnari, vt reſtituat; vt Nauarr. lib. 3. Concil. de præben. Concil. 13. num. 11.

13. Curati autem, & alij inferiores habentes curam animarum non poſſunt abeſſe à ſuis Eccleſijs, niſi per bimeſtre cauſa cognita per Epiſcopum, & de eius licentia in ſcriptis obtinenda: & interim tenentur præfigere Vicarium ab ipſo Epiſcopó approbatum; vt habetur in dicto Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. his verbis. *Eadem omninò, etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & alijs quibuſcunque, qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent, Sacroſancta ſynodus declarat, & decernit; ita tamen, vt quandocunque eos, cauſa priùs per Epiſcopum cognita, & approbata, abeſſe contigerit. Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquat: diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam vltra bimeſtre tempus, niſi ex graui cauſa, non obtineant*. Et idem etiam dicitur de perpetuis coadiutoribus, vel Vicarijs perpetuis; Nam etiam iſti dicuntur beneficiarij habentes curam; Sed vtrum idem ſit dicendum de Abbatibus, Prioribus, & alijs Prælatis Religioſorum? Reſpondetur negatiuè; cum de his non loquatur Concilium; Sed debent regulari iuxta eorum ſtatuta; ſeruatis tamen illis rebus, quæ ſunt de iure diuino: vt eſt reſidentia; quoad hos igitur licentias concedendas, Concilium loquitur de habentibus curam Secularium: Non tamen puto probabile id, quod docet Nauarr. c. 25. num. 121. in fine; Nempè dictos Parochos

poſſe abeſſe per duos menſes abſq; licentia ſcripta; cum cauſa ſibi tantum iuſta viſa: ex eo quod id licitum erat ante Conciliũ & per dictum Concilium id non fuerit abrogatum expreſsè; quod erat neceſſarium ex l. Præcipimus C. de appellat. Nam reſpondeo omnia, quæ expreſsè continentur in Concilio Tridentino eſſe abſolutè ſeruanda, quia omnia alia iura, intelliguntur redacta ad dictum nouum ius, & ſic videtur communis praxis, & intellectus Eccleſiæ. Et ita intelligit Leſſ. lib. 2. c. 34. dub. 29. num. 159. in fine; ſed infra cap. ſequenti num. 3. id meliùs examinabitur.

14. Item Canonici, & alij habentes dignitatem, vel præbendam, aut portionem in Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis non poſſunt quolibet anno abeſſe vltra tres menſes, alioquin ſunt priuandi primo anno dimidia parte fructuum, & in ſecundo anno omnibus illis; vt patet ex Conc. Trid. ſeſs. 24. c. 12. de refor. his verb. *Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, & Collegiatis dignitates, Canonicatus præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis vltra tres menſes, ab eiſdem Eccleſijs quolibet anno abeſſe: ſaluis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſeruitij tempus requirunt, alioquin primo anno priuetur vnuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac reſidentiæ fecit ſuos, quod ſi iterum eadẽ fuerit vſus negligentia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit, creſcente verò contumacia contra eos iuxta ſacrorum Canonum conſtitutiones procedatur. Diſtributiones verò, qui ſtatutis horis interfuerunt, recipiant, reliqui, quauis collatione, aut remiſſione excluſa, his careant.* Sed nota dictam pœnam eſse tantum comminatoriam: & reuocari omnia ſtatuta, & conſuetudines: non tamen intelliguntur reuocata priuilegia, ſi quæ erant conceſsa à Sede Apoſtolica.

15. Et præter dicta priuilegia, ſũt etiã aliæ cauſæ excuſantes à reſidentia, vt eſt docere Theologiam, vel illam audire cum hac differentia, quod Lector Theologiæ excuſatur pro quouis longo tempore; Auditor autem excuſatur tantum per quinquennium, vt patet ex cap. ſuper ſpecula. de Magiſt. quod caput extendunt communiter DD. ad ius Canonicum, vt Panor. in d. cap. Archid. in cap. 2. de priuil. in 6. Ad alias autem ſcientias requiritur licentia Epiſcopi, niſi alicubi contraria vigeret conſuetudo, vt Nauar. in Manuali cap. 25. num. 121. & Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 29. nu. 163. Secunda cauſa eſt obſequium Epiſcopi quoad duos canonicos, ac etiam alios ſi ab illo occupentur in vtilitatem Eccleſiæ ſuæ, vel Cathedralis, non autem pro ſuo ſeruitio perſonali, niſi vrgente neceſſitate, & dummodo Eccleſia ſeruitio nõ indigeat ex cap. ad audientiam de Clericis non reſident. quod Nauar. lib. 3. conſil. 11. de pręb. extendit ad obſequium Cardinalis, non Epiſcopi, quem affirmat poſſe habere ſaltem vnum Canonicum ſui titulis in obſequium, tertia cauſa eſt obſequium Papæ cap. cum dilectus, de Cleric. non reſident. quarta cauſa eſt licentia legitima in ſcriptis obtenta, vt ſupra, quinta cauſa eſt honeſta conſuetudo; ſed poſt Concil. Triden. quælibet conſuetudo eſt corruptela æſtimanda; vt loquitur dictum Concil. vt ſupra, & tam dictæ cauſæ, quã aliæ ad quatuor capita reducuntur à Doctoribus ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. & primum caput eſt Chriſtiana Charitas; ſecundum euidens communis neceſſitas, tertio obedientia ſuperioribus debita, quartum euidens Eccleſiæ neceſſitas vel vtilitas.

De modo, quo beneficiarij reſidere teneantur, ac de eorum obligationibus. Cap. LXXXI.

1 *Reſidentia eſt facienda in loco vbi adeſt beneficium, & qui non exercet officium beneficij, non dicitur reſidere, & ad reſtitutionem tenetur.*

2 *Beneficiarius non reſidendo, tenetur omnes fructus reſtituere, illos tamen, qui correſpondent tempori abſentiæ.*

3 *Beneficiarius non reſidendo per decem, vel quindecim dies, nõ tenetur ad reſtitutionẽ; ſed tantum quando mora eſt per bimeſtre, vel vltra abſque Epiſcopi licentia: tunc obli-*

Digitized by Google

obligatur ad reſtitutionem.

4 *Abſentia, quæ fit ex ſubita neceſſitate, quæ non patitur dilationem, non obligat ad reſtitutionem, quamuis fiat abſque licentia requiſita.*

5 *Beneficiarij tenentur recitare officium diuinum, aliter non poſſunt fructus ſuos facere.*

6 *Beneficiarij ſunt domini fructuum beneficiorum.*

7 *Beneficiarij tenentur expendere fructus beneficiorum pro ſui, & ſuorum congrua ſuſtentatione, ſuperfluos autem in pios vſus.*

8 *Beneficiarij de fructibus beneficiorum neceſſarijs ad ſuſtentationem, poſſunt alere conſanguineos, & parentes pauperes, & filios, licet illegitimos &c.*

9 *Penſionarij tenentur, ac beneficiarij fructus ſuperfluos in pios vſus expendere, non autem fructus, quos ſibi ſubtraxerint ex decenti ſuſtentatione.*

10 *Beneficiarij poſſunt diſponere de fructibus diſtributionum, prout voluerint.*

11 *Bona empta à beneficiarijs ſumptibus ſuperfluis, non poſſunt niſi in pios vſus applicari eodem modo, ac ſumptus ſuperflui.*

12 *Equites S. Iacobi, Io: Baptiſtæ &c. teneantur ſuperfluos fructus commendarum in pios vſus expendere.*

1 RESidentia eſt facienda à beneficiarijs habentibus curam animarum in loco, in quo habent beneficium, & præcipuè Parochi ita debent habitare prope Parochiã, vt faciliter Parochianis Sacramentis indigentibus, ſubuenire poſſint, & quando ratione negotij, vel etiam recreationis extra limites Parochiæ pergere oporteat, procurare debent, vt id nullo modo ſit in præiudicium ſubditorum; nam ad tale munus tenentur de iure diuino, & humano, & ideò omnibus negotijs, & occupationibus ſe ſpoliare debent, & ex iuſtitia tenentur: vt poſſint dicto muneri vacare; & ſi quis habuerit duas Parochias vnitas, poterit in principaliori ſæpiùs aſſiſtere, vel in qualibet ipſarum, ſi æquales fuerint; vt Barboſa de poteſt. Epiſcopi, allegat. 43. nu. 8. nec dicta reſidentia poteſt fieri per alium, ſed ipſimet beneficiarij, qui onus beneficij exercere debent, ad illam perſonaliter tenentur; è contra verò, qui reſidet in Parochia, & non exercet officiũ ſuum, non dicitur reſidere, & tenetur ad reſtitutionem fructuum dicto tẽpori correſpondentium; nam qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet; & quod datur ob cauſam, cauſa non ſequuta retineri non poteſt, vt Sylueſt. ver. reſidentia, Sot. lib. 10. de iuſtitia q. 3. art. 1. Layman li. 4. tract. 2. cap. 6. nu. 6. nec ſatisfacit, ſi exerceat per alium, quando ipſe commodè poteſt, quia reſidentia, & adminiſtratio Sacramentorum, eſt onus perſonale; & licet, ſubſtitutus eſſet magis idoneus, nõ ex hoc excuſaretur; vt idem Sot. Leſſ. lib. 2. ca. 34. dub. 28. num. 153. Nauar. ca. 25. num. 121. Barboſa de poteſt. Epiſcopi 3. par. allegat. 43. num. 2. & alij communiter; vide etiam Garziam 3. par. cap. 2. num. 178. vbi notat, ſacram Congregationem declaraſſe; Parochum reſidere debere in loco, vbi ſita eſt Eccleſia Parochialis, etiam ſi ei eſſet datus coadiutor ratione infirmitatis; & nota etiã, dictũ Parochũ exercentẽ per aliũ, abſq; cauſa nõ teneri ad reſtitutionẽ, licet, non excuſetur à culpa; quando tamen nullum damnum ſubditis adueniret, nec reclamarent, tunc enim etiam ad reſtitutionem teneretur, idem Garzia num. 53. & Layman. lib. 4. tract. 2. cap. 6. num. 6. & alij, ſed hi Doctores loquuntur ſecluſo decreto Concilij Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. nam iuxta illud, omninò reſtituere tenetur.

2. Sed vtrum verè tam Parochus, quã Epiſcopus, & alij habentes curam animarum teneantur reſtituere omnes fructus correſpondentes tempori abſentiæ illegitimè habitæ? & reſpondendum eſt affirmatiuè iuxta mentem Concilij Trid. ſeſs. 23. cap. 1. de reform. pro vt ſupra diximus cap. antec. num. 12. & ſeqq. & ita intelligit Azor. 2. par. lib. 7. cap. 6. q. 1. 2. & 3. præter alios Doctores cit. Attamen Barboſa loc. cit. num. 101. putat non omnes fructus eſſe ſimpliciter reſtituendos; ſed illos tantum, qui correſpondent reſidentiæ, cum beneficiarius ratione beneficij teneatur etiam ad officium diuinum; vnde aliquos fructus recipere debet ratione dicti officij. Hæc tamen ratio mihi non probatur, quia eſt

Digitized by Google

directè contra mentem, & verba Concilij; vt ſupra retulimus; & bene poterat Concilium hanc pœnam taxare contra nõ reſidentes; imò, & iuſtè fuit taxata; quia iam dicti beneficiarij habentes curam animarum, tenentur ad officium diuinum ratione ordinis, ſecluſo beneficio; vnde cum recipiant fructus ratione beneficij, debent illis priuari, ſi onus beneficij nõ ſubierint, hanc ſententiam tenet etiam Leſſ.lib.2.ca.34.dub.29.nec pro hac reſtitutione faciẽda eſt expectanda aliqua iudicis ſententia criminis declaratoria, pro vt requiritur in alijs pœnis; quia ſic ſtatuit dictum Concilium Trid.in illis verbis, *Nec trita conſciẽtia, alia etiam declaratione non ſecuta, illis ſibi retinere poſſe; ſed teneri illas fabricæ Eccleſiarũ, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacunq; conuentione, vel compoſitione; quæ pro fructibus male acceptis appellatur*. Azor.2.par.lib.7. cap.6.vt ſupra, & q. 6. Leſſ. loc.cit. Garzia 3.par.cap.2.num.136.& alij multi.

3. Verum autem reſidentia ita ſit facienda, vt ſi quis illam omittat per decem, vel quindecim dies, fructus dicti temporis ſuos non faciat? & quamuis affirmatiuè reſpondet Garz. loc.cit.num.23.& 28. Tamen contraria videtur omninò verum, vt ſumitur ex eodem Concil. ſæpè citato; ex quo non tenetur Parochus ad reſtitutionem, niſi per morã poſt bimeſtrẽ; tale enim tempus iudicat Concilium eſſe notabile, & neceſſarium pro reſtitutione; ita loquitur Azor.& Leſſ.loc. cit. & alij multi cum Moneta de diſtributionibus q.12.num.54. Sed an ſi Parochus non reſideat per duos tantum menſes ex cauſa legitima, ſed non probata ab Epiſcopo, teneatur reſtituere in foro conſcientiæ; & affirmatiuè reſpondendum eſt; vt iam diximus cap. anteced. num. 13. ex verbis Concil. ibi citatis contra Nauar.ca.25.nu. 121. & quamuis opinio Nauarr. probabilis etiã videatur Azorio 2.par.lib.7.cap.4.q.10. Layman lib. 4. tract.2.ca.6.num.7. & alijs, qui omnes putant nec eſſe neceſſariam licentiam ſuperioris per bimeſtre tantum tamen id non videtur conforme verbis Concilij ſeſſ.23. cap.1.de reform. ibi enim dicitur, *Ita tamen, vt quandocunque eos, cauſa prius per Epiſcopum cognita, & probata abeſſe contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo ordinario approbatum cum debita mercedis aſſignatione, relinquent. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam vltra bimeſtre tempus, niſi ex graui cauſa, non obtineant.* Ex quibus verbis colligitur, omnem abſentiam, probandam eſſe ab Epiſcopo, ſi eſſe debent per duos menſes; & ſi vltra duos menſes, tũc requiritur non ſolum licentia Epiſcopi; ſed etiã neceſſe eſt, vt ſit in ſcriptis, & ex cauſa graui, & ita tenet Gloſſ.in cap.ſi quis in Clero 7. q. 1. vbi docet poſſe Clericum abeſſe à ſua Eccleſia per tres hebdomadas, vel duos menſes, dummodo adſit licentia ſuperioris; & ita dicta verba Concilij intelligit Garz.num.22. Vaſq.cap.4.de benefic. §. 2. art.1.dub.3.num.149.& art.2.dub.3.num. 188.Sanch.lib.3.de matrim.diſ.3.num.11. & alij quam plures; & Leſſ.lib.2.c.34. dub. 29.num.159.licet, putet non eſſe id vſu receptum; quod ſi ita eſt, illud eſt ſequendũ, quod eſt in vſu; cum vſus ſit maxima legis interpretatio.

4. Sed eſt notandum, quando ſubita neceſſitas occurrit; & nec Parochus faciliter poteſt adire Epiſcopũ, nec Epiſcopus Papam, aut Metropolitanum; poſſe abeſſe abſq; alio conſenſu; quia præcepta humana non ſunt intelligenda cum graui incommodo; ita Selua de beneficijs par.4.quæſt. 6.num.13.ex Hoſtienſ. Io. Andr. & Abbas. & ſequitur Azor.loc.cit.in fine.

5. Quoad obligationes, quas habent beneficiarij, prima eſt; recitatio horarum canonicarum, vt patet ex Concil. Lateran. ſub Leone X.ſeſs.9.§. ſtatuimus, vbi priuãtur fructibus beneficiarij omittentes dictas horas canonicas; & ratio eſt, quia beneficium datur propter officium, quod in ſe continet, cui annexæ ſunt horæ canonicæ; ſed quænam pars fructuum amittatur ob omiſſionem alicuius partis officij, vel totius, iam ſupra diximus in cap. de hor.can. ſunt tamen aliqua beneficia quæ non obligant ex eorum inſtitutione ad horas canonicas; vt ſunt quædam Præpoſituræ, Aliqui perſonatus, & quædam Præſtimonia quæ requirunt tantum quotidie officium B. Virginis; vel 5. Pater, & Aue, vel Pſalmũ Miſerere, vt Leſſ.lib.2.cap. 34. dub. 30. ex Nauar. de orat.cap.7.num.27. & 28. & in-

ma-

manual. cap.25.nu. 103. incipit autem dicta obligatio ab eo tempore, quo per collationem, & acceptionem, vel per inſtitutionem, aut confirmationem beneficiarij incipiunt habere ius in re; idem Nauarr. num.29. Alia multa, quæ dici poſsunt circa hanc obligationem recitandi horas canonicas; iam ſupra diximus in cap.72.

6. Secunda obligatio beneficiorum eſt circa vſum fructuum beneficiorum; & quæri poſſet, vtrum beneficiarij habeant dominium dictorum fructuum; ſed quia de hac materia iam dixi in ſecũdo libro agẽdo de alienatione rerum Eccleſiaſticarũ; ideò id omitto. Et quærendum tantum hinc eſt, an beneficiarij poſſint expendere fructus beneficiorum iuxta eorum libitũ; vel tantum in eleemoſynas, & pios vſus; & licet, de hoc etiam multa dixerimus in lib. primo de reſtitutione; tamen etiam hęc tãquã in proprio loco aliqua dicemus. Suppono igitur primò cum cõmuniori, & vera ſententia, beneficiarios eſse dominos fructus beneficiorum; vt docet D.Thom.2.2.q.185.art.7. Sanchez in ſumma lib.2.ca. 20.num.24. Leſs.lib.2.cap.4.dub.6.nu. 43. Layman lib.4.tract.2.cap.3.num.3. Bannes 2.2.q.32.art.6.dub.vlt. Valent.tom. 3. diſput.10.q.7.punct.7. Filliuc.tract. 41. ca.6. q.8.& quam plures alij; & ſumitur apertè ex cap.vnico de Cler. non reſiden. vbi dicitur. *Clericos, qui non interſunt diuinis officijs, non eſſe dominos diſtributionum*; ergo idẽ erit etiam dicendum de fructibus beneficiorum, cum etiam ſint prouentus Eccleſiaſtici; & patet etiã ex pluribus locis Cõcilij Tridentini, & Lateranenſis vlt.ſeſs. 9. can. 9. vbi decernitur contra non recitantes officium diuinum non facere fructus ſuos; & ita etiam loquitur Concil. Trid. contra non reſidentes ſeſs.2.cap. 1. de reform. & ſeſs.24.cap.12. & bulla Pij V. alibi relata; igitur quando beneficiarij faciunt fructus ſuos, habent in eos verum dominium, aliter non poſsent dici ſui; quo ſuppoſito.

7. Ad quæſitum reſpondetur. Beneficiarius poſse iuxta eorum libitum expẽdere fructus beneficiorum, & prouentuum Eccleſiaſticorum ad congruam ſui, & ſuorum ſubſtitutionem; ſuperfluam autẽ partẽ, licet, teneantur expendere in pios vſus; aliter mortaliter peccarent; non tamen tenentur ad reſtitutionem; hæc doctrina cõmunis eſt inter Doctores; pro qua videri poteſt, Leſſ. lib.2. cap.4.dub.6. num.43.& ſeqq. Sot.lib.10.de iuſtit.q.4.art.3. & 4. & ita teſtatur ſentire D.Thom. in 2.2.q.185. art.7. Azor.2.p.lib.7.cap.10.qu.2. Couar. cap. Cum in officijs. de teſtam. Layman.li. 4.tract.2.cap.3.nu.3. Molin. tom.1. de iuſt. & iure tract.2.diſp.147.& alij multi. Vnde ſi beneficiarij in vſus prophanos, vel ad ditandos parentes dictos fructus ſuperfluos expenderint, peccabunt quidem contra præceptum Concil. Trid.ſeſs.25.ca.1. de reform. Sed non tenebuntur ad reſtitutionem; Secùs autem ſi ſibi aliquid ſubtraxerint à tali decenti ſubſtentatione ob aliquos licitos vſus; nam tunc neque peccabunt. Tenetur igitur beneficiarij ſuperfluos prouentus in pios vſus expendere, nempe in neceſſitates pauperum, & in vtilitatem Eccleſiæ; nec intelliguntur pauperes proprij loci, in quo adeſt beneficium; nec Eccleſiæ propriæ, cum nulla lęge id cautum ſit ſecùs ſi id eſſet præceptũ a fundatore, ſeu patrono beneficij per teſtamentum, vel alio modo. Vt Azor.loc.cit. Molin. dicto tom.1. diſp. 146. Nauarr. de reddit. Eccleſ.q.1. monit.27. n.2. qui Doctores, & alij communiter ſimiliter aſſerunt ſub nomine pauperum venire omnes, qui iuxta eorum ſtatum viuere non poſſunt; Item poſſunt etiam dicti beneficiarij, prædictos fructus ſuperfluos in officium hoſpitalitatis expendere non ſolum peregrinorum, & aduenire, ſed etiam amicorum, & notorum, licet, non indigentium, id enim pertinet ad officium charitatis, & vrbanitatis Chriſtianæ; non tamen poſſunt aliqua liberaliter, & magnificè donare, & in ludos impendere; vt Azor.loc.cit.& alij cõmuniter; Illi verò, qui expendere ſolent à beneficiarijs in honeſtas, recreationes, & ludos gratia relaxandi animum, pertinent ad congruè vitæ ſubſtentationem; vt Molina loc.cit.diſp.145. Layman.lib.4. tr.2.ca. 3. Garz.2.p.c 1.n.19. vbi plures affert, qui etiam veniant ſub hoc nomine; Ad ſui, & ſuorum ſubſtentationem; vide ea quę diximus ſupra.c.78.n.17.

8. Item

Digitized by Google

8. Item poterunt beneficiarij ex fructibus tam ſuperfluis, quam neceſſariis ad ſui ſuſtentationem conferre parentibus, & conſanguineis indigentibus; & ex illis fratrem, ſororem, vel nepotem dotare; vel alere etiam cognatos,& maximè pro mora in ſtudiis, vel aliqua arte addiſcenda, vt Layman. loc.cit.n.3.c.15. Azor.2.p.lib.6. cap.10.q.9.& alii communiter; & ſumitur ex Concil. Trid.ſeſſ.25.cap.1. de reform. dummodo tamen dicti beneficiarii nō habeant alios ſumptos,quibus illis ſubuenire poſſint;&eodem modo poſſunt alere filios tam naturales, quam ſpurios, dummodo non habeant vnde viuant;vt Azor.2.p.lib. 7.cap.10.q.10.ex Panorm. in ca.peruenit. de arbitr. Sylueſt.verb.Clericus 4. qu.15. Layman.loc.cit.num.4. Molin.diſp.146.& alij, qui omnes docent,filium illegitimum tota conſcientia poſse accipere ſibi neceſſaria ex fructibus beneficiorum patris; imò, & Cameram Apoſtolicam teneri ei conſulere de bonis patris in ſpolio habitis; & poſsunt ſimiliter dicti beneficiarij dare ex dictis fructibus congruam dotem filiæ ſpuriæ; ſorori, &c. Nam dos ſubrogatur loco alimentorum.Molin.loc.cit. Reginal. lib.30.tract.3.num.101.& ſeqq.vbi plures affert,nec obſtat Bulla Pij V. quæ incipit. Quæ ordini Eccleſiaſtico vt optimè notat Azor.q.11.& Nauarr.de ſpolijs. Cleric.§. 19.num.9.& ſeq.

9. Vtrum autem penſionarij teneantur eodē modo, ac beneficiarij ſuperfluos ſumptus beneficij in pios vſus expendere? Et affirmatiuè reſpondet Molina tom.1.de iuſtitia,&iurè tract.2.diſp.145.Illos autem fructus, quos ſibi ſubtraxerint ex propria, & debita ſuſtentatione poſsunt expendere vt voluerint;cum hac diſtinctione,quod beneficiarij non poſsint nec hos, nec alios fructus,licet,ſuperfluos in prophanos vſus expendere ob præceptum Concil. Trid. ſeſs.21.cap.1.de reform.Penſionarij autem non peccabūt ex hac actione præcisè,quia Concilium loquitur tantum de beneficiarijs; & hac de cauſa vſu Cameræ Apoſtolicæ receptum eſt, vt penſiones decurſæ,& non ſolutæ, tranſeat ad hæredes penſionarij;Secùs autem eſt dicendum de fructibus ſuperfluis, & de penſione excedente triginta aureos, nam hi omnes ſubijciuntur ſpolio, vnde ſignū eſt, quod de his penſionarij, non poſſint ad eorum libitum diſponere; & debent expendi eodem modo, ac fructus beneficiariorum. Ita Molin. loc. cit.Garzia de benefic.1.p.cap.5.num.161. Filiuc.tract.43.cap.4.q.12.Sed Azor.2.p. lib.7.cap.9.q.12.docet penſionarium poſſe diſponere de fructibus pēſionis prout voluerit,& de illis teſtari eodem modo, ac de proprio patrimonio; Et ratio eſt,quia penſio non eſt beneficium, cum nō detur propter officium, & miniſterium; ſed conſiſtit tantum in mera temporalitate;& ita etiam docet Couarr.de teſtam. cap. cum in offic. num.6. Gigas de penſionib. q.52. & ita teſtatur fuiſſe iudicatum per Rotæ auditores ita etiam docet Menochius de arbitris caſu 172. num.12. Rodoanus q.3. de ſpolijs Eccleſ.§.quid dicendum n.12.& alij multi Doctores; & concludit Azor. penſionem, quacunque ex cauſa detur,dummodo non data ſit tanquam beneficium, non ſortiri beneficij naturam, & conditionem, cum detur ad vitæ ſubſidium; Ac perinde Clericus, ſi non ſit Religionis profeſſione adſtrictus, de fructibus ex penſione Eccleſiaſtica comparatis, poteſt ſtatuere quidquid ipſi libuerit, ſuo arbitratu: dummodo tamen alicubi non adſit alius vſus.

10. Sed vtrum beneficiarij poſſint de fructibus diſtributionum diſponere,prout voluerit? Et negatiuè reſpondet Nauarr. de redditib.Eccleſ.q.1. monit.3.& ante illum docuit Oldrad. conſil. 118. Putant enim hi Doctores, beneficiarios eodem modo teneri diſponere de fructibus beneficij, ac de fructibus diſtributionum; Sed contrarium communiter alij ſentiunt: Et ratio eſt, quia diſtributiones ſoluuntur tanquam merces laboris,& operis, & ſicut quis poteſt diſponere de ſua mercede prout voluerit, ita etiam poterit beneficiarius; ita habetur, in cap.1.de Cler.non reſid.in 6.& docet Azor.2.p.lib.7.cap.9.q. 10.Syl.verb.Clericus 4.q.4.Abb.Francus, Ioan.Andr.& alij multi,quos affert. Azor. Couarr. de teſtam. cap. cum in offic.nu.4. Filiuc.tract.43. cap.3.q.10. Moneta de diſtribut.3. p.q.1. num. 18. vbi quamplures affert, & alii plures; & præcipuè Leſſ.lib.2.

cap.

cap.4.dub.6.num.40. Et idem eſt dicendum de alijs acquiſitis ex celebratione Miſſarum, ratione confeſſionum, concionum,& aliarum functionum; Secùs autem de fructibus Capellaniæ titularis auctoritate Epiſcopi fundatæ: hæc enim datur, & eſt beneficium Eccleſiaſticum,ex eiſdem Doctoribus.

11. Et notandum; id, quod diximus de beneficiariis quoad diſpoſitionem fructuum beneficiorum,intelligendum etiam eſſe de rebus emptis à dictis beneficiariis dictis fructibus; Vnde ſicut non poſſunt de dictis fructibus teſtari,licet, ſuperfluis,nec ad proprium libitum diſponere; Ita etiam res emptę dictis fructibus non poſſunt alijs donari,nec ad prophana alienari; Sed omnes ſubduntur ſpolio poſt mortem beneficiorum; Et ſicut beneficiarij, ſi expenderent fructus beneficiorum ſuperfluos non in pios vſus vt ſupra, peccabunt tantum mortaliter abſq; vlla obligatione reſtitutionis; ſic ſi conſumpſerint res emptas pecunijs beneficiorum, ſed non in pios vſus peccabunt tantum quidem abſq; vlla obligatione reſtitutionis: Azor.2.p.lib.7.cap. 10.q.1.§.Cæterum; Vaſq.de reddit.c. 1.§. 3.dub.1.num.58.Nauarr.de redditib. q.1. monit.42.& de ſpolijs §.2.num.1. & ſeqq. Et quod dictum eſt de beneficiarijs,dicendum eſt etiam de habentibus beneficium in commendam perpetuam,quia etiam talis commenda eſt tanquam beneficium Eccleſiaſticum, quod conceditur à Pontifice. Secùs de commenda ad tempus; tunc enim datur fructus tanquam merces laboris.

12. Sed quæritur vtrum Equites S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & Florentiæ, & ſimiles poſſint inſumere fructus cõmendarum iuxta eorum libitum? Et duæ ſunt opiniones ambæ quidem probabiles: & prima aſſerit,eos peccare mortaliter dictos fructus expendendo, vel diſtrahendo ad prophana,& non in vſus pios;quia ſunt etiam bona Eccleſiaſtica; nam nullus Eccleſiaſticus, & præcipuè religioſi adſtricti vocis religionis,vt ſunt de equitis,poſſunt ex bonis Eccleſiaſticis, vel Religionis ditare parentes, conſanguineos, vel amicos; nec illa ad prophana diſtrahere, ita Azor. 1.p.lib.13.cap.4. qu.8.& ſeqq. Nauarr.de reddit.q.3.monit.12.Reginal.lib.30. tract. 3.nu. 98. & alij plures apud hos Doctores. Secunda opinio docet dictos Equites,non peccare mortaliter; ſed tantum venialiter, ſi prophanè fructus commendarum expenderint, ſecluſo peccato, ad quod illos conſumerent. Et ratio eſt, quia dicti commendatarij ſunt domini prouentuum,& illis non applicantur tanquam bona Eccleſiaſtica,nec ſub titulo aliquo ſpirituali, ſed applicantur eis tanquam merces ſub titulo ſæculari, & militari, nec ſunt Religioſi habentes perfectum votum paupertatis, imò Gregor. XIII. reuocando motũ Pij V. eis teſtandi facultatem conceſſit, ſicut etiã habebant ante dictum motum Pij V. vt Molin.to.1.tract.2.diſp.141.& citat alium Molinam Iuriſconſultum lib.2.de primog. cap.9.num.59.Sanchez de præcept. Decalogi tom.3.lib.7.cap.8.nu.28.&29.vbi plures citat,& ſequitur Bonac.tom.1.tract.10 diſp.4.pun.2. num. 24. & citat Rodriquez tom.2.de regular.qu.57.art.5. ſed contrarium ibi tenet cum Ayla,tenet tamen cum Molina in tom.3. qu.29. art.7. & ſequitur Sanchez loc.cit.

Sed vtrũ idẽ ſit dicendũ de Equitibus Sãcti Ioannis Baptiſtæ? Reſpondeo negatiuè: Nam prædicti ſtrictiùs vota emittunt, & obſeruant; & commendæ, quæ eis conceduntur, dantur ſub titulo ſpirituali cum obligatione recitandi officium; Vnde id quod dictum eſt de beneficiarijs, dicendũ eſt etiam de dictis Equitibus; & ex conſequenti non poſſunt fructus dictarum commendarum pro libito expendere, ſed ad pios vſus, nec de illis ditare parentes, amicos,&c. de alijs autem bonis prædicti poſſunt liberè pro ſuo arbitratu diſponere inter viuos; quia non ſtrictam Religioſorum Clauſtralium paupertatem profitentur: ſed illam paupertatem vouent, quæ inter ipſos ſeruatur,& iam ex vſu, & experientia conſtat de prædictis bonis ipſos diſponere,prout eis libet. Dixi inter viuos, quia eis eſt prohibitum teſtari iuxta eorũ conſtitutionẽ;niſi tamen adeſſet ſuperioris licentia; vt ait Sanchez lib.7.c.8. num.36. Molin. diſp.141. Bonac.loc. cit. num.25.& alij.

De Electione Ad Eccleſiaſtica Beneficia. Cap. LXXXII.

1 *Electio non fit, niſi Eccleſia viduata: & differt Electio à collatione, & præſentatione.*

2 *Electio pertinet tantum ad Collegium; nec poteſt ius eligendi in extraneum transferri, niſi omnes de Collegio conſentiant.*

3 *Elector debet eſſe ſaltem Subdiaconus de iure communi; Laici autem, & conuerſi Religionum nullo modo eligere poſſunt, nec eſſe de capitulo.*

4 *Electores non tenentur expectare abſentem nec proximum ad pubertatem, &c.*

5 *Omnes Electores vocandi ſunt, aliter Electio eſt nulla, & abſens poteſt alium, vel alios ſubſtituere pro ſe, dummodo ſint de Collegio.*

6 *Excommunicatus, etiam minori excommunicatione, Interdictus, &c. ac exiſtens in peccato mortali eligi non poteſt.*

7 *Qui eligi poſſint?*

8 *Electio eſt facienda intra tres menſes poſt mortem habentis beneficium, & non de nocte.*

9 *Electio non poteſt fieri clandeſtinè, ſed in loco decenti, nec refert ſi locus fuerit interdictus.*

10 *Electio tripliciter fit per inſpirationem, per ſcrutinium; & per compromiſſum.*

11 *Ex aliquibus cauſis Electio ad proximum ſuperiorem, vel ad Papam deuoluitur.*

12 *Electus non ſemper tenetur ſui electioni conſentire, nec ſemper meliùs eſt conſentire, quam non conſentire.*

1. RElictis variis modis, quibus olim fiebat Electio Clericorum ad beneficia Eccleſiaſtica, de quibus optimè agit Azor. 2. p. lib. 6. cap. 14. q. 1. & Selua de beneficiis 3. p. q. 1. Quatuor nobis remanent explicanda. Primò quinam eligere poſſint: quinam eligi, quænam ſolemnitas, & ritus requiratur, & quo tempore, & loco ſit electio facienda. Sed ante omnia dicendũ eſt, quid ſit electio, & quod ius acquirat Clericus per electionem? Et Reſpondeo, Electionem eſſe optionem ritè, & legitimè factam ſeruata iuris forma idoneæ perſonæ ad Eccleſiam ſuo Præpoſito viduatam ex Hoſtienſ. ſumm. tit. de electione; vel, vt meliùs dicamus cum aliis. Electio eſt alicuius hominis ad Eccleſiam paſtore deſtitutam, Canonicè facta vocatio. Nam Electio fieri non poteſt, niſi Eccleſia vacante Paſtore, ex cap. quia propter de elect. vnde in vanum feruntur ſuffragia ad Canonicatum, dignitatem, vel aliud beneficium inferius, quod datur per electionem; niſi Eccleſia tali beneficio, vel dignitate vacet. Differt autem Electio à collatione, & præſentatione. Nam electio fit à Capitulo, vel Collegio, & poſtea confirmatur à Pontifice, vel alio habente auctoritatem. Quæ confirmatio dat ius in re cum electio non tribuat, niſi ius ad rem; vnde Electio poteſt reuocari auctoritate ſuperioris, nec ſi quis eſt electus tantum, & poſtea moriatur; dicitur beneficium vacare morte dicti electi: ſed morte præcedentis beneficiarii, collatio autem de iure communi pertinet ad Epiſcopum, vel Pontificem, vt ſupra diximus, nec requiritur aliqua confirmatio. Præſentatio verò fit à patrono, & dictam confirmationem requirit; vt iam ſimiliter diximus. Ex quibus colligitur tantum collationem tribuere ius in re, nõ autem electionem, nec præſentationẽ ex cap. Noſti, &c. qualiter de elect. & cap. Dudum de præbendis: Sylu. verb. electio 1. in prin. & Azor. 2. p. lib. 6. c. 14. q. 4.

2. Qui autem habeant ius eligendi? Reſpondeo Canonicos tantum, cum ipſi cõſtituant Collegiũ, & non alii Beneficiarii ex cap. Nouit. de iis, quæ fiunt à Prælatis, Abbas in cap. 1. de elect. & cæteri Doctores in cap. 2. de Inſtitutione; Pertinet etiam dictum ius ad eos, qui ex aliquo priuilegio, pacto, vel præſcriptione quadraginta annorum ad electionem concurrere debent. Sed eſt neceſſe, vt aliqua ſaltem electio intra dictum tempus quadraginta annorum fuerit à ſuperiore confirmata; vt Innoc. in c. Cum veniſſent de reſtit. integr.

Pacto

Pacto traditur etiam dictum ius ex c. ſcriptum de elect.& nota,quod electores poſſunt cum extraneis ius eligendi communicare,dummodo nullus contradicat,nam vno contradicente, ius non transfertur in extraneum,vt Abbat.in dicto ca.ſcriptum. Sic etiam Electores poſſunt compromiſſo facto ius eligendi, in Arbitros transferre; omnibus tamen conſentientibus; & vnus tantum ſufficit, vt contradicat, ad hoc, vt ius transferri non poſſit. Poteſt etiam Laicus ex priuilegio electioni aſſiſtere, quamuis nulla conuentione, præſcriptione,aut pacto ſuffragium ferre poſſit, vt Abbas in cap. Meſſana de Elect. Princeps autem abſolutus, ſi ſuſpectum habeat electum, quod ſit Patriam proditurus; vel ſecreta Principis detecturus, poteſt de electione opponere; & illa diſſolui debet; vt idem Abb.in cap. Super his,de accuſat. Et idem docet ibi Innocent. & Gloſſ.in c.1. diſt.62.

3. Nullus autem, niſi ſit in ordine Subdiaconatus conſtitutus ſuffragium ferre poteſt, tam in Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis, quam Regularibus. Ex Clem.vt ij qui de ætat.& qualit. Quamuis Clerici profeſſi Regulares; vt ait Armill. vt infra iure communi non ſint incapaces iure eligendi. Conuerſi autem, ſeu Laici profeſſi ſuffragium ferre non poſſunt cum Clericis in electione Prælati. cap. Ex eo quod de elect. in 6. Secluſo tamen priuilegio, vel ſtatuto Religionis, vt Gloſſ. in dicto cap.Innoc.cap.2.de inſtit.& Federic. conſil. 107. cum alijs citandis. Non profeſſi ſaltem tacitè, nullo modo ſuffragium ferre poſſunt,ex cit.cap.Eo quod de elect. in 6. §. In Eccleſijs. Nec ſimiliter omnes alij, qui iure regulæ, vel conſtitutionum à Pontifice approbatarum tali iure prohibentur. Nec ſimiliter dicti Laici, vel conuerſi Religionum poſſunt eſſe de capitulo, licet,in eo tractetur de alijs rebus temporalibus; vt idem Federic.conſil.107. & ſequitur Sylu.verb. electio qu.2. Armilla eodem verb.n.12.& Azor.2.p.lib.6.c.14. q.8.in fin. Vbi docet etiam impuberes ante annum decimum quartum expletum,& fœminas ante duodecimum expletum iure etiam communi, repelli ab electione; ex cit.ca.ex eo quod de elect.in 6.& idem docet de Excommunicatis excommunicatione maiori, non autem minori. Ex cap. conſtitutis de appellat. & cap. illa de elect. ac etiam de interdictis, & ſuſpenſis ab officio, nec non de celebrantibus in loco interdicto ſecluſo priuilegio ac de eligentibus indignum ſcienter vide Syluest. loc.cit.q.4.

4. Et nota cum Gloſſ.in cap. vt ij, qui de ætat.& qualit.Electores non teneri expectare abſentem,qui vocatus venire non poteſt, vel non vult, nec impuberem, quãuis pubertas proxima eſſet,nec excommunicatum, quamuis diceret eſſe proximè abſoluendum; nec nouitium, quamuis proximè eſſet miſſurus profeſſionem: Et idem eſt etiam dicendum de abſente, ſi debito tempore non comparuerit,etiam ſi de proximo venturus ſit. vide Azor.2.p. lib.6.c.14.q.6.in fine totius quæſiti.

5. Eſt etiam notandum aliqua eſſe determinata in iure circa abſentẽ, quoad ius eligendi. Et primò ſciendum eſt, in Electione facienda, vniuerſos, qui ius eligendi habent, eſſe legitimè vocandos, & citandos vt electioni interſint. Gloſſ.in c. quod ſicut de elect.ver.vocatos; & ſi vnus fuerit omiſſus, electio redditur nulla; vt communiter omnes c.In Geneſi,& c.quod ſicut, & cap. cum inter vniuerſas de elect. ſi autem, qui citatus non fuit voluerit electionem ratam habere, tunc erit tantum confirmanda, vt Abbas, & cæteri in cap. quod ſicut de elect. Poſſet tamen conſuetudine introduci, vt abſentes non vocentur; & tamen adhuc electio valeat: vt Abbas in cap.coram,& cap.Cumana de elect. Sunt autem vocandi omnes verbo, aut ſcripto, vel ſono campanulæ iuxta receptam conſuetudinem;vt idem Abbas cap. in cauſa de elect. Et ſi aliquis fuerit impeditus,poterit ius ſuum vni, vel pluribus delegare.ca. Quia propter de elect.&cap. Si quis iuſto eod.tit.in 6. Vnus tamen eſt deſignandus,vt ſuffragiũ ferat,vel ſi plures inſtituerit inſolidũ, primus,qui locum occupauerit ſuffragiũ feret; & ſi omnes ſimul aderunt, ille ſuffragium feret, quem Collegium, vel Capitulum elegerit per maiorem partem ſuffragiorum, ca. Si quis iuſto de elect.in 6.& c.Cum inter Canonicos de

elect. ibidem. Vel ſi Canonici non concordauerint, ille ſuffragium feret, qui prius ſuas litteras procurationis oſtenderit: Et ſi quis plures procuratores conſtituerit, ſed non inſolidum, nullus intelligitur legitimè cõſtitutus, & ſibi imputet, ſi non cõcurrat ad electionem. Nec quis poteſt eligere extraneum inuito capitulo ex cap. Si quis iuſto §. Abſens de elect. in 6. Sed tenetur eligere aliquē ex Capitulo, ſeu Collegio, ex cap. Quia propter de elect. Et ſi nullus voluerit acceptare dictam delegationem, ſeu procuram, non ex hoc poterit quis per litteras ſuffragiũ ferre. Ita Io. An. & cæteri in ca. Si quis iuſto, de elect. in 6. Inſtitutus autem ad eligendum, debet eſſe ſaltem Subdiaconus. Clem. I I. de ætat. & qualit. Et ſi, qui habet ius eligendi, fuerit præſens: Sed ægrotauerit in lecto: tunc cenſendus eſt preſens: Vnde vel debet aliū ſubſtituere ex eodem capitulo, vel electores debent aliquos ad eum mittere, vt ſuffragium ferat. vt Angelus verb. electio n. 17. ex Innoc. & Hoſtienſ. Poteſt etiam quis cuiliure eligendi ſe abdicare de iure communi; cum quilibet poſſit iuri ſuo cedere l. ſi quis in conſcribēdo C. de pactis. Quod ſi quis legitimè impeditus non fuerit, non poteſt procuratorem conſtituere iuxta Panorm. in c. Quia propter de elect. Quod eſt ſpeciale in electione; niſi tamen ad id conſentire vellent electores; Imò neque quis poteſt extraneum conſtituere procuratorem in explicandis tantum difficultatibus in collegio, quia ſecreta collegij non debent extraneis propalari. Io. Andr. in regula quod alicui de regulis iuris in 6. vide Sylu. verb. electio 1. q. 3. & 5. Azor. 2. p. lib. 6. cap. 14. q. 7. & Armillam verb. electio num. 13.

6. Qui autem eligi non poſſint? Reſpondeo; ſi electus fuerit excommunicatus maiori excommunicatione, vel ſuſpēſus, aut ſacris interdictus, vel violator interdicti, Irregularis, Spurius, vel non legitimè natus, non debitæ ætatis, & litteraturæ; Criminoſus, Infamis, aut alio Canonico impedimento ligatus, eſt nulla, & irrita electio. Vt iam diximus ſupra c. 77. n. 5. & cap. 78. Sed vtrum excommunicatus excõmunicatione minori eligi poſſit? Negatiuè reſpondet Armilla verb. electio n. 23. ex cap. fin. de Cler. Excomm. miniſt. & idem docet Azor. 2. p. lib. 6. cap. 7. quæſt. 7. ex Gloſſ. Innoc. & Hoſtienſ. Io. Andr. Cardinal. Panorm. in cap. Si celebrat. de Cler. excommun. miniſtrante iam citato. Sylu. autem ait verb. electio 1. q. 14. *Si eligatur Excommunicatus excommunicatione minori ſcienter; electio eſt irritanda.* Et citat dictum caput ſi celebrat: Nam ibi dicitur. *Si eligatur, electio eius eſt irritanda.* Sed iuxta Gloſ. cum alijs Doctoribus citatis; dicta verba interpretatur; dictam electionem eſſe declarandam irritā & ſequitur Azor. loc. cit. Et quamuis videatur dura interpretatio, tamen quia communis eſt inter Canoniſtas, non puto ab ea eſſe recedendum. Item exiſtens in peccato mortali ſecreto elegi non poteſt, & tam ipſe conſentiens in electionem, quam electores conſcij peccati, mortaliter peccant eligendo. Nam iuxta Diuum Thomam 5. quolibet q. 4. art. 1. exiſtens in mortali, eſt indignus omni beneficio, & officio, Et ſequitur Sylu. verb. electio 1. num. 16. Armilla eodem verb. n. 21. & 23. Sed electio non ex hoc capite eſt nulla, vt notat Armilla ex Panorm. in cap. Innotuit, & Felin. in cap. Dilecta de Exceſ. col. 2. Azorius autem putat non omne peccatum mortale occultum obligare ad non conſentiendum in beneficium, vel ad non eligendum: dummodo quis dignior ſit; quia non ſemper quis eſt permanſurus in peccato; Secùs ſi quis diū fuerit in peccato, vel ſit peccator ex inueterata conſuetudine. Et ſi peccatum ſit notorium, & ex his, quę merentur depoſitionem iuxta Canonum diſpoſitionē, eligi nequaquam poteſt. Vide plura apud cit. Doctores qui aduertunt horum electionem eſſe irritam, & inanem.

7. Sed qui eligi poſſint? Reſpondeo, legitimè natus, in debita ætate conſtitutus, ſufficiente doctrina imbutus, &c. vt iam diximus vt ſupra cap. 78. per totum.

8. Circa tempus, in quo facienda eſt electio. Dico in primis electionem non eſſe faciendam ante ſepulturam prædeceſſoris: vt habetur in cap. bonæ memoriæ; licet, ſi fieret, valeret iuxta Gloſſ. in dicto cap. 20. In Eccleſijs Cathedralibus, & Regula-

gularibus ceſſante impedimento legitimo. Electores tenentur intra tres menſes eligere, alioquin electio deuoluitur ad ſuperiorem proximum;& ſi talis ſuperior intra alios tres menſes non elegerit,electio pertinebit ad alium ſuperiorem, vt ſic vſque ad Pontificem; vt habetur in cap. Ne pro defectu de elect. Deinde Electores tenentur electionem electo præſentare, & eius conſensũ petere intra octo dies poſtquam commodè poterunt; aliter Electores ſunt ſuſpenſi per tres annos à beneficijs dictæ Eccleſiæ,cap. Cupientes,§.cæterum de elect.in 6. In alijs vero Eccleſijs fieri debet electio intra ſex menſes ca. De multa de præben.& cap. Nulla de conceſſ. præben. Electus autem tenetur conſentire, intra menſem à die, quo fuerit certior factus à dictis Electoribus: aliter electio eſt nulla ipſo iure; niſi requireretur etiam aſſenſus ſuperioris cap. quam ſit de elect.in 6. Et ſi fuerit Religioſus electus,debet tam ipſe, quam Electores quamprimum ſuperioris aſſenſum petere. Ita Syl.verb.Electio q.6.Azor. 2. par.lib.6.cap.14.q.15. & multa plura addit. Tabbien. verb. Electio 1.§.7.Et Armilla addit,Electionem factam de nocte non eſſe validam ex Panorm. & Felin.& fuſiùs hanc doctrinam tradit Peyr: tom.1.de ſubdit.q.1.cap.31.§.Sextus verſ. Dico ſeptimo.

9. Quoad locum, in quo facienda eſt electio. Dico poſſe fieri in omni lo co commodo, & decenti iuxta conſuetudinem ex cap.Cum terra de elect.Non autem poteſt fieri in loco clandeſtino, quia huiuſmodi Electiones vocantur conuenticula ex cap. Si tranſitus d.79.Electiones Epiſcoporum fieri ſolent in Eccleſijs ex cap. Quod ſicut de elect.Sed an Electio facta in loco interdicto teneat? Et negatiuè reſpondet Archidiacon.cap. In nomine d.23. Sed contrarium tenet Vgo Vercell. Io. Andr. Panorm. & communiter alij, vt referunt Armilla verb. Electio num. 17.& 18. Azor. loc.cit.quæſt.17. Et Angelus verb.electio num. 12.

10. Tribus autem modis fieri poteſt Electio: ſcilicet, per inſpirationem; vt quando omnes ſimul Electores ex diuina inſpiratione,nulla diſcuſſione facta, aliquẽ eligerent. Per ſcrutinium, ſcilicet per ſecreta ſuffragia, & à tribus fide dignis, & à Collegio aſſumptis in ſcripturam redacta; & poſtea publicata per eoſdem, poſtquam publicationem nequeunt Electores variare. ex c. Publicato de Elect. Fit etiam per compromiſſum, vt quando aliquibus tantum committitur electio. Ex cap. Quia propter de elect. Ex aliquibus tamen cauſis, poſſunt Electores iterum eligere, vt ſi electus recuſet præſtare aſſenſum in electione, vel ſi poſt aſſenſum iuri ſuo ceſſerit; vel moriatur, aut ſi ob aliquod impedimẽtum; vel vitium electio irrita ſit. Ex cap. Si electio de elect. in 6. Azor. 2. par. lib. 6. ca.14.quæſt. 11.& 12.& Sylu. verb.electio quæſt. 12.

11. Sed quæritur quænam ſint cauſæ, ob quas electio ad alios deuoluatur? Reſpondeo, quando id accidat ratione temporis iam diximus ſupra num.8. Si autem Electores ſciẽter indignum elegerint, electio ſtatim deuoluitur proximè ad Romanum Pontificem ex cap. Quamquam de elect.in 6.vt Azor. loc. cit.q.13. Quando tamen omnes peccauerunt: Si autem aliqui tantum ex illis, tunc electio pertinebit ad illos, qui non peccauerunt, & non deuoluetur electio ad alium ſuperiorem, vt notat idem Azor.ca.27.q.2. Abb.& alij in cap.Bonæ 1.de elect. Item quando Epiſcopus non habens ius inſtituendi, & confirmandi, indignum inſtituerit, vel confirmauerit; inſtitutio, vel confirmatio pertinebit ad ſuperiorem: vt Abb.cap. Cum in cunctis de elect. Et ſequitur Azor. loc. cit.quæſt.3. Vbi alia multa ſubiungit circa hanc deuolutionem beneficiorum; Sed iam ſupra à nobis dicta ſufficere poſſunt; & videri etiam poteſt Syluest. verb. electio quæſt. 12.

12. Vtrum autem Electus ſub mortali teneatur conſentire? Et affirmatiuè reſpondet Archidiaconus, vt refert Gem.in cap. Si electio de elect.in 6. Et conſentit Ioan.Andr.Quando Electus putat non eſſe alium æquè idoneum pro tali beneficio, prælatura,&c.Sed Richard.quolib.3.q.21. In tribus caſibus putat, electum eſſe obligatum conſentire ſub mortali; Primò ſi fuerit coactus à ſuperiore per obediẽtiam.

Secundò, ſi iuxta iudicium ſuæ conſcientię non adſit alius æquè idoneus, hoc enim eſſet in graue detrimentum animarum, & Eccleſiæ. Tertiò ſi per viam illicitam refugit, ſe abſcondendo, &c. Niſi id faciat ex inſtinctu Spiritus Sancti; Si autem non cogitur ab obedientia, vel fugit per viam licitam, vt propter pigritiam, peccat tantum venialiter; Secùs ſi id agat, & refugiat reputans ſe indignum, imò tunc meretur. Quod etiam docet Diuus Thomas quolib. 5. art. 22. & ſequitur Syluest. verb. Electio num. 22. Sed vtrum in caſu, quo electus non tenetur conſetire, meliùs faciet aſſentiendo, quam diſſentiendo, dummodo canonicè electus ſit? Vbi D. Thom. dicto quolibet 5. art. 23. docet, ſi electus intendat aliquid temporale, vt honores, diuitias, &c. Meliùs eſſe non conſentire, quia adeſt praua intentio; Si autem intendat profectum animarum, & bonum Eccleſiæ; meliùs eſſe conſentire. Vnde Pater Auguſtinus lib. 19. de ciuit. Dei. In Actione non amandus eſt honor in hac vita, ſiue potentia; Sed opus ipſum, ſi rectè, atque vtiliter fit, ideſt, vt valeat ad ſalutem ſubditorum; & adducit illud Pauli 1. ad Tim. Si qui Epiſcopatum deſiderat, &c. Sed notandum id, quod dicit Diuus Gregorius in Paſtor. nempè. *Tantum actionem populi debet Actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita paſtoris*. Vnde poteſt quis conſiderans propriam vilitatem, laudabiliter diſſentire, vt fecit Hier. dicens. *Neſcio loqui*; Et poteſt ex charitate fraterna & ad bonum Eccleſiæ laudabiliter conſentire; vt fecit. Iſai. dicens. *Ecce ego mitto me*; Sed in vtroque exemplo eſt ſubtiliter intuendum, vt ait Diuus Gregorius loco citato: Quia, & is, qui recuſauit, plenè non reſiſtit; Et is, qui mitti voluit, ante ſe per altaris calculum purgatum vidit: Igitur nemo non purgatus Sacra myſteria adire audeat; & nemo, quem ſuperna gratia eligit ſub humilitatis ſpeciebus ſupernæ diſpoſitioni contradicat, quod docet etiam D. Thom. vt ſupra.

De Permutatione, & Reſignatione beneficiorum, & de alijs modis, quibus beneficia amittantur. Cap. LXXXIII.

1 *Permutatio fit de arborum beneficiorum conſenſu, reſignando beneficia in manu ſuperioris.*

2 *Permutatio debet eſſe libera, & ſi fiat à beneficiarijs diuerſæ Diœceſis, quilibet tenetur reſignare ſuum beneficium in manu proprij Epiſcopi.*

3 *Beneficium permutandum non debet eſſe litigioſum, vel ſaltem eſt id manifeſtandum.*

4 *Acceptata permutatione, Collatio eſt facienda permutantibus, alioquin erit nulla.*

5 *Ad Permutationem requiritur conſenſus Patroni, vel eligentium, ſi beneficium fuerit tale.*

6 *Permutatio non valet, ſi fictè fiat, ſcilicet, ſi vnus tantum habeat beneficium, & alter fingat ſe illud habere.*

7 *Vnum beneficium poteſt cum pluribus beneficijs commutari, ſi non ſint incompatibilia.*

8 *Beneficia Summo Pontifici reſeruata non poſſunt, niſi auctoritate ipſius permutari; poſſunt tamen beneficiarij illa reſignare in manu Ordinarij, vel Legati.*

9 *Reſignatio eſt voluntaria beneficij dimiſſio, quæ duplex eſt tacita, vel expreſſa.*

10 *Reſignatio expreſſa, alia eſt ſimplex, alia conditionata, & multa ſunt cauſæ, ob quas poteſt fieri dicta reſignatio.*

11 *Reſignatio debet eſſe libera, & debet fieri in manibus illius, qui poteſt illam acceptare.*

12 *Beneficium reſignatum debet illi conferri, in cuius fauorem fuit facta reſignatio.*

13 *In Reſignatione requiritur conſenſus Patroni, uel electorum, ſi beneficium ad ipſos pertineat.*

14 *Ponitur conſtitutio Pij V. de forma obſeruanda in Reſignatione facienda.*

15 *Exponuntur cauſæ, ob quas debeant Epiſcopi*

Digitized by Google

ſcopi Reſignationes approbare.

16 *Beneficia reſignata non poſſunt conferri conſanguineis, vel amicis beneficiarij reſignantis, nec Epiſcopi approbantis reſignationem.*

17 *Reſignationis cauſa eſt approbanda ab Epiſcopo, alioquin beneficiarius non poteſt beneficium dimittere, & poteſt, aſtringi per cenſuras, vt illud retineat.*

18 *Sunt multa crimina, ob quæ beneficiarius amittit beneficia etiam ipſo facto.*

1 Permutatio de qua hic agimus, eſt quando duo habentes beneficia Eccleſiaſtica, dicta beneficia dimittũt, ſeu reſignant in manu ſuperioris; vt viciſſim alter eorum ſuccedat in beneficio alterius; neque hic agimus de permutatione, quæ iuxta Diuum Thomam 2.2.q.100. fieri poteſt à ſuperiore ob cauſam vtilem, vel neceſſariam; Sed loquimur de permutatione, quæ fit de voluntate duorum beneficiariorum; mediante reſignatione; & aſſenſu ſuperioris. Nam nullus priuata auctoritate poteſt talem permutationem facere ex iure diuino, vt vult. Azor.2.p. lib.7.cap.29.q.3.ex Matth.16. *Quod gratis accepiſtis, gratis date.* Et aſſerit eſſe ſimoniam; vel ad minus, vt vult Sot. lib. 9. de iuſtit.q.1.art.2. Maior.q.4. diſt. 25.q.5. & 6. & alij; id eſt prohibitum ex iure Canonico, ex cap.Maiorib.de præben.cap.Quęſitum, cap. Cum olim, de rerum permut. Et ratio eſt: quia hic datur, res ſpiritualis pro commodo, aut alia re temporali; quod requiritur ad ſimoniam, vt clarè patet ex cap.fin.de rerum permut. Vt autem legitimè fiat dicta permutatio; in primis neceſſe eſt; vt ambo beneficiarij ſint domini ſuorum beneficiorum, cum nullus poſſit, niſi rem propriam cum alio permutare; Secùs ſi quis fuerit eo priuatus ad tempus; & ſi poſt permutationem cognoſcatur beneficium eſſe liti ſubiectum, tenetur, qui illud reſignauit, litẽ proſequi; Et ſi euictum fuerit, beneficium alteri reſtituere. cap. Si beneficia 20. de præben. in 6. vide Ioan.Andr. in cap. Vnicum de rerum permut.in 6.

2. Secundò, Permutatio debet eſſe libera, ſcilicet non fraude, vel metu extorta, alioquin erit inualida; quia fraus, vel metus dans cauſam contractui, illum irritat, ſaltem ad arbitrium eius, qui paſſus eſt iniuriam; vt diximus in lib.ſecundo.De contractib. ex.l.1. ff. quod metus cauſa geſtu. Tertiò, Permutantes debent ambo ſuum beneficium in manibus Ordinarij, cui ſubſunt reſignare; & ſi fuerint diuerſæ Diœceſis, tenebitur quilibet illorum ſuum beneficium reſignare proprio Epiſcopo; & de Amborum Epiſcoporum conſenſu poterit fieri permutatio; Azorius quæſt. 8. & Leſſi.infrà citand. Et habetur in cap. Quæſitum 3.de rerum permut. vbi ſic habetur. *Si autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam, licitè poterit de vno loco ad alium transferre perſonas.* Et in cap. Admonet 4. de renunt.dicitur. *Vniuerſis perſonis tui Epiſcopatus ſub diſtinctione prohibeas, ne Eccleſias tuæ Diœceſis ad Ordinationem tuam pertinentes, abſque aſſenſu tuo intrare audeant, aut detinere; aut te dimittere inconſulto.* Legati etiam poſſunt in propria iuriſdictione talem permutationem facere, ſicut poſſunt Epiſcopi eiuſdem legationis, vt idẽ Azor. infrà. Nullus autem poteſt Epiſcopo inferior quamuis habeat ius conferendi beneficia, poteſt dictam permutationem facere. Secluſa contraria conſuetudine alicubi recepta; vt Gloſſ.& Doctores omnes in Clem.1.de reb. Eccleſiæ non alienand. Panorm.in cit.cap. Quæſitum, & in c.Cum ex iniuncto; Sequitur Azor.2.p.lib.7.c.29. q.4.& Leſſ.lib.2.cap.34.dub.36. num.196. Neque Vicarij Epiſcoporum poſſunt permutationem beneficiorum facere, nec illam ratam habere, niſi ex ſpeciali mandato Epiſcopi. Nam Vicarius non poteſt aliquem à beneficio amouere, ex ca.1. de officio Vicarij in 6. & iuxta Gloſſ. communiter receptam in Clement. 1. de renuntiat. Ille tantum poteſt, renunciationem recipere, & approbare, qui poteſt Clericum è beneficio deijcere. Item neque Collegium Canonicorum ſede vacante, poteſt dictam permutationem facere; quia ſicut nec Vicarius, nec Collegium poſſunt beneficia conferre; Sic neque poſſunt beneficia permutare. Panorm. in cap. Cum olim.de Maior. & obedient. Gloſſ. in Clement. 1. de rerum permut. Nec obſtat;

quod

Digitized by Google

quod Collegium ſede vacante poſſit confirmare electos ad beneficium, & inſtituere nominatũ, vel oblatum à patrono; nam hi actus ſunt neceſſitatis; at permutatio eſt voluntatis. Poteſt tamen dictum Collegium Canonicorum illas beneficiorum permutationes admittere, quorum beneficiorum collatio ad ipſos Canonicos pertinet, vel ad ipſos, & Epiſcopum ſimul; vt Gloſſ. in Clem. 1. de rer. permut. Et multò magis ſi collatio pertineat ad dictum Collegium, & ad aliquem alium Prælatum Epiſcopo inferiorem.

3. Quartò requiritur, vt beneficium permutandum non ſit litigioſum; Nam lite pendente, res nequit alienari, neque pignori dari; vt Rota deciſ. 6. Si lite pendente, in nouiſ. & deciſ. 400. in antiquiſ. & confirmat Rebuff. in prax. benef. p. 2. tit. de permutat. num. 33. Licet, fateatur contrarium vidiſſe in iudicio ſecluſa fraude, & quando ſubrogatus non ſit potentior, & ita fateor me etiam vidiſſe in iudicio, quod puto verum, quando lis propalatur; tunc enim nulla fit iniuria, ſicut ſi quis vẽdat rem intrinſecè vitioſam, non dicitur facere iniuriã emptori, dummodo vitium intrinſecum abſque vlla fraude manifeſtet; Et ſic puto eſſe intelligendam propoſitionem dictam, lite pendente, rem non poſſe alienari, nec pignori dari.

4. Quintò requiritur, vt collatio fiat in permutãtes; alioquin ſi alteri fuerit facta erit nulla; Quia ordinarius admittens permutationem aſtringitur ad conferendum ipſiſmet permutantibus; vt habetur in Clem. vnica de rer. permut. Neque eſt neceſse, vt reſignationes, vel collationes fiãt eodem tempore; Et maximè quando beneficia ſunt in diuerſis Diœceſibus; Vnde ſi Titius, & Caius permutent beneficia, & Titius priùs reſignet, & fiat collatio Caio, & poſtea ſtatim moriatur Titius antequam Caius ſuum reſignet beneficium, remanet dictus Caius dominus vtriuſque beneficij; vt docet Leſs. lib. 2. cap. 34. dub. 36. n. 197. ex Rebuff. §. de permutatione. Tamen durum hoc videtur, quonã iure poſſit Caius eſſe dominus tam proprij beneficij, quod reſignare debebat, quam beneficij Titij; Vnde puto dicendum eſſe compellendum Caium, vt reſignet ſuum beneficium, ſi ita promiſerat Titio reſignanti; & dictum beneficium dicetur vocare per mortem Titij, cui erat conferendum; & ita videtur loqui Azor. 2. p. lib. 7. c. 30. q. 14.

5. Sextò requiritur ad permutationem conſenſus illorum, ad quos ſpectat electio, vel præſentatio; Nam iſti non ſunt ſua iuriſdictione priuandi; vnde abſque eorum conſenſu non valebit permutatio; Verum, ſi, patronus requiſitus noluerit conſentire, & Epiſcopus iudicauerit permutationem eſſe expedientem Eccleſiæ, poterit dictum conſenſum supplere, & valida erit permutatio, vt Rebuff. num. 22. dicens ita iudicatum fuiſſe per Senatum Parienſem, Leſſ. loc. cit. nu. 198. ſed Azor. cap. 29. q. 6. ait. Permutationem factam contradicentibus his, quorum eſt præſentare, conferre, vel eligere, non eſſe ipſo iure nullam, ſed annullandam; licet, ſufficiat eorum conſenſus tacitus. Et ſi moniti, non conſenſerint; Poteſt fieri permutatio auctoritate Epiſcopi; ſi vtilis fuerit Eccleſiæ. Panorm. cap. Quæſitum de rerum permut. & alij apud dictum Azor. §. hinc etiam.

6. Septimò, Permutatio debet fieri ex vtraque parte verè, & non fictè. v. g. Si Titius voluerit reſignare beneficium in fauorem Caij; Et ex eo, quod Epiſcopus nollet dictam reſignationem admittere, Caius fingeret habere aliud beneficium, & illud reſignaret in fauorem Titij; tunc quamuis nullum damnum pateretur Titius, quia voluntariè deciperetur. Tamen collatio in tali caſu diceretur extorta per fraudem, & ex conſequenti inualida; vt probat Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 36. nu. 200. in fin. contra Rebuff.

7. Vtrum autem vnum beneficium poſſit cum pluribus commutari: Et affirmatiuè reſpondet ca. Cum venerabilis de except. Io. Andr. & alij communiter, quando tamẽ plura beneficia ſimul haberi poſſunt; Secùs autem quando quis haberet plura beneficia incompatibilia ex diſpoſitione Sũmi Pontificis, tunc enim eſt electa habilitas perſonæ; nec vna perſona poteſt tranſire in aliam; & ex conſequenti neque talia beneficia.

8. Et

Digitized by Google

8. Et nota beneficia Summo Pontifici reſeruata non poſſe permutari auctoritate Ordinarij, vel Legati dicti Pontificis; quia ſicut nō poſſunt conferri, niſi per Sūmum Pontificem, ita nec poſſunt permutari,niſi per ipſum: vt Rebuff.in praxi,p.1. in forma ſignatura, n. 11. & 12. Federicus q.3.& 4.& alij. Secùs autem dicitur de reſignatione: nam beneficiarij poſſunt dicta beneficia reſignare in manibus Ordinarij, vel Legati, licet, beneficia ſint Pontifici reſeruata, quia quilibet poteſt ſe ſpoliare iure ſuo; dummodo tamen dicti beneficiarij, ſciant dicta beneficia eſſe reſeruata; quod ſi neſcierint, poſſunt ad dicta beneficia reuerti. Vide plura apud Azor.2.p.li.7. cap.29.q.10.

9. Quoad Reſignationem beneficij, ſeù Renunciationem. Dico eſſe Voluntariam beneficij dimiſſionem, vel repudiationem legitimè factam. Quo fit, vt beneficium alteri licitè conferri poſſit. Dupliciter autem fit hæc reſignatio tacitè, vel expreſsè, vt communiter omnes aſſerunt cum Rebuff.3.p.tit.de reſignat. Tacitè fit, quando reſignatio ſequitur ex ipſo iure, ſeù quando beneficium redit ſub poteſtate Epiſcopi ex iuris diſpoſitione abſque vllis verbis beneficiarij;vt ſi ipſe matrimonium contrahat,vel liti motæ cedat, aut per tres annos illam non proſequatur;ſi militiæ adſcribatur; ſi Religionem profiteatur: Si poſt habitam Eccleſiam Parochialem, intra annum Sacerdos non fiat; &c. Vt fuſiùs Rebuff. §.de tacita reſignat. Azor.2.p. lib.7.cap.19.quæſt.2.& Leſſ.lib.2. cap.34. dub.35.

10. Reſignatio autem expreſſa, duplex eſt; vna vocatur ſimplex; & alia conditionata; ſimplex,eſt quando quis expreſſis verbis abſolutè depónit beneficium coram Ordinario; Conditionata, eſt quando quis deponit beneficium cum conditione, vt alteri particulari conferatur ab ipſo beneficiario nominato; vel reſeruando ſibi fructus in totum, vel in parte transferendo tantum ius, & titulum beneficij; vel quando quis reſignat cum conditione, vt poſſit ad illud redire, & poſſeſſionem nanciſci; vel cum conditione, vt alius etiam reſignet ad finem permutandi, &c. Sed vtrum aliquando dicta reſignatio cōditionalis vel cū aliquo pacto ut ſimonia, iam diximus in lib.2. vbi egimus de ſimonia. Cauſæ vero ob quas poteſt fieri dicta reſignatio ſunt ſex, vel ſeptem, prout numerantur ab Hoſtienſ. in ſumm. tit. de renunt. quem poſtea ſecuti ſunt Ioan. Andr. Abb.& alij in cap. Niſi cum pridem de renunt. Prima eſt ob conſcientiam alicuius criminis, quo tenetur, vel ob imperitiam & ignorantiam litterarum, vel ob infirmitatem corporis, vt ſi lepra laboret, ſi cœcus, ſurdus, vel mutus factus, & ſit Parochus, vel Epiſcopus, ob malitiam plebis, vel ob grauem aliorum offenſionem, vel ob irregularitatem contractam, à qua faciliter liberari non poteſt; Solet etiam reſignatio fieri ratione ſenectutis; ob aeris intemperiem, ob violentiam inimicorum, ob grauem inimicitiam, ob tyrannidem, ob ingreſſum futurum, ſed proximè,in Religionem, ob nuptias contrahendas, &c. Azor.quæſt.4. & alij; Sed meliùs dicetur infra num.15.

11. Debet tamen reſignatio eſſe libera, non vi, aut dolo extorta, vt diximus num.2. Et debet fieri in manibus eius,qui poteſt ipſam reſignationem admittere: vt in manibus Summi Pontificis reſpectu omnium beneficiorum, vel in manibus Ordinarij reſpectu eorum, qui ipſi ſubſunt; Poteſt etiam fieri in manibus Collatoris, vel inſtitutoris; & maximè ſi habeant iuriſdictionem tali beneficio priuandi; vt Innoc. cap.quod in dubijs 8. in fin. de renunt. Et nota, quod ſi reſignatio fiat in manus Ordinarij, & beneficium pertineat ad inferiorem prælatum conferre; vt ad Decanum, Præpoſitum, Canonicum, vel alium; tunc non poſſe Epiſcopum ex tali reſignatione dictum beneficium alteri conferre abſque conſenſu illius, ad quem ſpectat, cum ex reſignatione, non debeat collator ſua iuriſdictione priuari; & ſi fiat reſignatio in manu Laici; valebit quidem reſignatio in præiudicium reſignantis, non tamen dicetur beneficium vacare, niſi accedat conſenſus ſuperioris; licet, poſſit beneficiarius ad libitum ſuperioris illo ſpoliari, vt colligitur ex cap. Quod in dubijs cit. Et idem dicitur ſi reſignatio non fiat in manibus

dicti

dicti ſuperioris, ſed coram notario, vel alio inferiore. Rebuff. de reſignat. num. 11. Imò reſignatio debet acceptari à dicto ſuperiore Prælato, in cuius manibus debet ipſa reſignatio fieri; alioquin reſignans non amittit ius ſuum ex cap. fin. de renunt. & c. inter. 17. de præbend.

12. Item beneficium reſignatum debet conferri ei, in cuius fauorem fuit reſignatum, alioquin collatio erit nulla etiam ſi fiat à Papa; vt docet Rebuff. §. de reſign. conditional. num. 19. & communiter Doctores ex cap. vnico de rer. permut. in 6. Nullus enim inuitus poteſt iure ſuo priuari, niſi in pœnam; & requiritur, vt is, cui cõfertur beneficium vi reſignationis, illud acceptet, alioquin nec reſignans amittit ius ſuum; vbi nota reſignantem ſẽper permanere in adminiſtratione beneficij, quoad vſque alter acceptet, & acquirat dicti beneficij poſſeſſionem; ſicut Proconſul; & alij ſimiles ſuperiores non admittunt adminiſtrationem, donec ſucceſſor adueniat, & Prouinciæ, vel Ciuitatis, &c. Poſſeſſionem accipiat. l. meminiſſe 10. ff. de offic. Proconſul. Hæc tamen doctrina non currit poſt Bullam Pij V. Cum nullus poſſit reſignare in fauorem alterius, vt infrà num. 14. vide Azor. 2. p. lib. 7. ca. 21. de reſignatione in gratiã alterius q. 2. & Leſſ. li. 2 cap. 35. dub. 14. num. 87. Et poſſunt dictæ reſignationes in gratiam alterius, fieri coram Summo Pontifice tantum iuxta ſtylum Curiæ Romanæ.

13. Requiritur etiam conſenſus Patroni, quando reſignandum eſt beneficium iuris patronatus; & conſenſus eligentium, ſi beneficium fuerit electiuum; alioquin reſignatio nulla erit; ſicut nec permutatio, vt ſuprà; Rochus de iure patron. ver. honorificum q. 3. Gigas de penſionibus q. 23. & 24. Si autem dicta reſignatio eſſet vtilis Eccleſiæ, poſſet à Superiore approbari abſque conſenſu patroni, vt diximus de permutatione, ſed hoc debet exprimi in litteris collationis beneficij derogando iuri patroni, quando tamen patronus eſt Laicus; Et idem dicitur de permutatione; vt Gigas d. q. 24. num. 5. & Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 35. num. 193. Item ſi reſignans fuerit infirmus debet ſuperuiuere per viginti dies poſt reſignationem; aliter beneficium dicetur vacare per obitum reſignantis; & omnis collatio vi talis reſignationis facta antea eſt nulla, vt docet Rebuff. ex expreſſa Regula Cancellariæ §. Regula de infirmis; Item ſi beneficium ſit reſignandum in Curia Romana, debet intra ſex menſes à die ſupplicationis oblatæ computandos, publicari dicta reſignatio in loco beneficij; & ſi fiat extra Curiam, per menſem; alioqnin ſi reſignans moriatur, antequam alius accipiat poſſeſſionem beneficij cenſebitur vacare beneficium per obitum, & collatio facta erit nulla ex Regula Cancellariæ; vt idem Rebuff. §. Regula de publicandis, & ſequitur Leſſ. loc. cit.

14. Vt autem dictæ reſignationes ritè, & abſque vlla fraude fieri poſſent. Pius V. condidit quandam Conſtitutionem anno tertio ſui Pontificatus; quæ incipitur; Quanta Eccleſiæ Dei; vbi prohibet Pontifex ne deinceps pro cuiuſque arbitrio, nulliſque, vel leuibus cauſis paſſim, & temerè admittantur. Deinde ſubdit. *Vt poſthac Epiſcopi, & alij facultatem habentes eorum dumtaxat reſignationes recipere, & admittere poſſint, qui aut ſenio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti, vel vitiati aut criminis obnoxij, cenſuriſque eccleſiaſticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Eccleſiæ, vel beneficio inſeruire, ſeu qui vnum aliud vel plura beneficia obtinuerit, vel quos ad aliud contigerit promoueri, Religionem quoque ingreſſuri; vel matrimonium contracturi: ſi ſtatim poſtea id re ipſa exequantur. Denique cum quis ex alijs cauſis acciderit, qui in conſtitutione fel. rec. Innoc. Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Eccleſijs edita continentur, qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficij reſidere ſecuri; ſed nec horum vllus ſacro ordine mancipatus, niſi religionem ingreſſurus valeat vllo modo beneficium, vel officium Eccleſiaſticum reſignare; niſi aliunde id ſit, quo in vita poſſit commodè ſuſtentari. Ad hæc beneficiorum, vel officiorum permutationes; quæ Canonicis ſanctionibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus permittuntur. Caueant autem Epiſcopi, & alij prædicti, itemque omnes Electores, Præſentatores, & Patroni tam Eccleſiaſtici, quã Laici, quicunque ſint, ne verbo quidem aut nutu, vel ſigno futuri in huiuſmodi beneficijs, &*

officijs ſucceſſores ab ipſis reſignantibus aut alijs eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumēdis promiſſio inter eos, vel etiā intentio qualiſcunque intercedat, cæterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipſi Epiſcopi, aut alij collatores de beneficijs, & officijs reſignandis, aut ſuis, aut admittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant prouidere. Quod ſi ſecùs, ac etiam quidquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quocunque temerè attentatum id totum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere, qui verò cōtrafecerint, vt in eo, quod deliquerint puniātur à beneficiorū & officiorū collatione, nec non electione præſentatione, confirmatione, & inſtitutione pro vt cuique conuenerit, tamdiu ſuſpenſi maneant, donec remiſſionem à Romano Pontifice meruerint obtinere, & qui alia beneficia, & officia receperint, eos prædictis pœnis volumus ſubiacere. Et nihilominus eos, qui ſic ſuſpenſi, conferre, eligere, præſentare, confirmare, vel inſtituere auſi fuerint excōmunicationes quoad perſonas, quoad capitula verò, & conuentus à diuinis ſuſpenſionis ſententias ipſo facto promulgamus, quibus etiam nullus alius quam ipſe Romanus Pontifex abſolutionis, ſiuè relaxationis gratiam excepto mortis articulo valeat impetrare. Hæc ibi.

15. Cauſæ igitur, ob quas poſſunt ordinarij reſignationes beneficiorum approbare. Sunt primò quando beneficiarius eſt ſenio confectus, quod arbitrio iudicis relinquitur. Secundò, ſi patiatur incommodam valetudinem, quod etiam eodem arbitrio diſcerni debet. Tertiò, ſi beneficiarius ſit corpore impeditus; vt ſi habeat lepram, paralyſim, morbum Gallicum, vel aliud malum contagioſum, vel periculoſum. Quartò, ſi beneficiarius ſit corpore vitiatus; vt cœcus, claudus, ſurdus, mutus, deformis, vel carens aliquo membro. Quintò; ſi fuerit obſtrictus aliquo crimine, ſcilicet, homicidij, ſimoniæ, adulterij, ſodomiæ, concubinatus, periurij, maledicti in Deum, vel Sanctos. Sextò, ſi fuerit cenſuris ligatus. Septimò, ſi nequeat, aut nō debeat Eccleſiæ, vel beneficio ſeruire; vt ſi ſit publicè relegatus, aut arreptitius, vel irregularis, aut ſi turpiter, & cum aliorum ſcandalo viuat; Octauò, ſi dolo obtineat beneficia; quorum vnum dimittere debeat ſiuè ipſo iure, ſiuè auctoritate iudicis. Nonò, ſi fuerit promotus ex aliqua neceſſitate ad ſecundum beneficium. Decimò, ſi, debeat ingredi religionem. Vndecimò, ſi debeat contrahere matrimonium. Duodecimò, cum adeſt aliqua ex ijs cauſis, ob quas Innoc. III. in cap. Niſi cum pridem de renunt. conſtituit, Epiſcopum poſſe dimittere Eccleſiam. Decimo tertiò, ſi beneficiarius ob capitales inimicitias nequeat in loco beneficij commorari. Et duas conditiones debent obſeruare ordinarij. Quando ex huiuſmodi cauſis beneficiorum reſignationes approbant. Prima eſt, vt ſi beneficiarius reſignaturus beneficium, fuerit ſacris ordinibus initiatus; debeat habere vnde viuat, alioquin non debet admitti ad reſignandū beneficium. Secunda eſt, ne dicti Ordinarij dicta beneficia reſignata conferant ſuis, aut cōſanguineis, vel affinibus, aut familiaribus reſignantium, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum.

16. Colligitur etiam ex dicta Bulla Pij V. Ordinarios conferentes beneficia reſignata cōſanguineis, affinibus, vel familiaribus tam ſuis, quā dimittentis, ſeù reſignantis, incidere in ſuſpenſionem à collatione, electione, inſtitutione, prçſentatione & confirmatione in beneficiū; donec à Sūmo Pontifice abſolutionē obtineant; & ſi id adhuc facere tentauerint, erunt ipſo facto excommunicati; & ſi fuerint Collegia, vel Conuentus, erunt ſuſpenſi à diuinis; quod intelligè, ſi tam dicti Ordinarij, quā Collegia, &c. Sciēter id egerint; ſecùs ſi ex ignorantia iuris; quæ iuris ignorantia, licet, non excuſet in foro exteriori: excuſat tamen in foro interiori; conſanguinei autē, & alij, vt ſupra. Qui dicta beneficia reſignata reciperent, eſſent etiam ſuſpenſi eodem modo, ac ordinarij. At dubium eſt; vtrum dictā pçnā debeāt ſubire Epiſcopi, & Ordinarij, nō ſolum, ſi dicta beneficia cōſanguineis, &c. cōferāt; ſed etiā, ſi reſignationē beneficiorum approbēt. Sed non ex cauſis iā dictis? Et reſpōdetur negatiuè; nam dicta pœna ſuſpēſionis eſt tantū impoſita in caſu, quo confe-

Fff rant

rant beneficia cõſanguineis. At ſi approbauerint reſignationẽ, ſed nõ ex cauſis in Bulla dictis: Erũt tantũ collationes beneficiorum nullę, & irritæ, vt conſtat ex illis verb. *quidquid præter, aut contra formã fuerit à quoquã temerè attentatũ, effectum decernimus non habere.* Quod locũ habet etiam ſi per ignorantiã reſignatio fuerit approbata; nã hoc nõ eſt pœna, ad quam requiritur culpa; ſed eſt lex irritans factũ. Vtrum autem Cardinales admittẽtes reſignationes ex alijs cauſis, & conferentes dicta beneficia reſignata ſuis cõſanguineis dignis; incidãt in dictam pœnã ſuſpenſionis? &c. Et reſpondendũ eſt negatiuè. Nam ſicut nomine beneficiariorũ, non comprehenduntur Epiſcopi, Abbates, & aliæ dignitates Eccleſiaſticæ; ſic nec nomine Epiſcoporũ, vel ordinariorũ, veniunt, ſeu intelligũtur Cardinales; quamuis ſint Epiſcopi, cum ſint in Excellentiori honore, & dignitate; & ex conſequenti indigent peculiari explicatione.

17. Itẽ colligitur ex dicta Bulla, neminẽ poſſe pro ſuo arbitrio officiũ dimittere, vel reſignare; Sed neceſſe eſt, vt id agat corã Ordinario, & cauſa ab ipſo approbetur; alioquin beneficiarius poterit adſtringi etiã per cenſuras ad tenendum beneficiũ; vt ait Gloſ. in c. Admonet de renunt. Superior autẽ cuius auctoritate poteſt beneficiarius beneficio ſe abdicare; eſt ille tantũ, qui poteſt ad beneficiũ promouere, & ab illo amouere; ac beneficiariũ à beneficio eijcere; vt eſt Põtifex in tota Eccleſia, Legatus à latere in loco iuriſdictionis, c. Si Abbat. §. vlt. de elect. in 6. Epiſcopus in propria Diæceſi c. Cum ex iniuncto. § vlt. de hæret. & c. Nullus. 17. q. 7. Poteſt etiã Collegiũ Canonicorũ Sede vacãte approbare reſignationẽ beneficiorum; quamuis conferre illa nõ poſſit, niſi ſolus Epiſcopus; quia actus acceptandi reſignationẽ, ſeu renunciationem, eſt actus iuriſdictionis, & non actus ordinis; vt alibi diximus, & docet Panor. in ca. Cum olim de maior. & obed. & ſequitur Azor. 2. p. lib. 7. c. 19. in fine.

18. Alij modi, quibus amitti poſſunt beneficia, ſunt crimina cõmiſſa, quibus ex iuris diſpoſitione eſt impoſita pœna amiſſionis beneficij ipſo facto: vt eſt crimẽ hæreſis ex c. Ad abolendã 9. de hær. Crimen ſchiſmatis. c. Nos conſuetudinẽ. d. 12. & c. Quia diligentia 5. de elect. Sodomia. ex cit. Bulla Pij V. Percuſſio Cardinalis, vel Epiſcopi, c. Fœlicis de pœnis. in 6. Homicidiũ per ſicarium, ſeu aſſaſſinum, ſcilicet, pretio perpetratum, c. 1. de homic. in 6. vide Alexan. conſil. 166. Falſificatio litterarũ Apoſtolicarum, ca. Ad falſariorũ 7. de crimine falſi. Si quis occidat Rectorem vel alium Clericũ Eccleſiæ, in qua ipſe habet beneficium, ſiuè per ſe, ſiuè per alium dictam occiſionem faciat. Si examinatores aliquid acceperint ex examine ad Parochiale beneficiũ, vide Leſſ. lib. 2. c. 34. dub. 16. Simonia confidentiæ ex Bulla Pij IIII. & Pij V. vt ſuo loc. in lib. 2. diximus. vide Nauar. c. 23. nu. 100. Si intra ſex menſes, à pacifica poſſeſſione, qui obtinuit Epiſcopatum, non accepit conſecrationem, vt ſupra diximus. Si qui obtinuit Parochiam, intra annũ non ſumpſerit Sacerdotium, vt ſupra notauimus; ſi quis alienet bona Eccleſię abſq; debita ſolemnitate; vt iã diximus lib. 2. Si quis duo incompatibilia beneficia abſque diſpenſatione retinere præſumpſerit, vt ſupra. Si quis beneficij poſſeſſionẽ vi ingreſſus ſit, ex c. Eum qui. 18. de præb. in 6. vel propria auctoritate beneficiũ habeat, ſeu occupet. Eſt tamen pro his criminibus expectãda ſententia iudicis criminis declaratoria: præter caſum de obtinente beneficium Parochiale; Si intra annũ non fiat Sacerdos; & fortè etiam de obtinẽte Epiſcopatũ, ſi intra ſex menſes non accipiat conſecrationem. Sunt alia crimina, ob quæ beneficiarius eſt beneficio priuandus; vt eſt homicidium ex cap. Clericis 5. Ne Clerici, vel Monachi, ſacrilegium, periurium, adulterium, & ſimilia grauia delicta; vt communiter Doctores in cap. Et ſi Clerici 4. & ca. Cum non ab homine 10. de iudicijs. & nota, quod in primis criminibus, poteſt quis impetrare beneficium delinquentis, tanquam vacans; licet, ſit crimen probandum; Sed in ſecundis criminibus, id non licet, niſi poſt iudicis ſententiam. Leſſ. li. 2. cap. 34. du. 34. in fin. vide fuſiùs Azor. 2. p. lib. 7. cap. 17. & 18. vbi declarat, in quibus criminibus ſit expectanda, vel non expectanda ſententia iudicis ad amittendum beneficium.

DE

Digitized by Google

DE PENSIONE.

Quid ſit Penſio , & quid requiratur ad obtinendam Penſionem Eccleſiaſticam. Cap. LXXXIV.

1 *Penſio eſt ius exigendi fructus ex alieno beneficio.*

2 *Penſio datur ratione ſubſidij , vel oneris, aut ob aliquod temporale miniſterium Eccleſiæ neceſſarium.*

3 *Penſio eſt quid temporale ſpirituali annexum;& in multis conuenit cum beneficio.*

4 *Penſio non debet dari ſine iuſta cauſa,& ſi obtineatur ex aliqua cauſa falſa,erit nulla.*

5 *In fructibus beneficij , nullus , niſi ſummus Pontifex poteſt penſionem imponere .*

6 *Penſio datur tantum Clerico ſaltem habenti primam tonſuram , & ætatem ſeptem annorum .*

7 *Spurij ſunt incapaces penſionis ; ſed ſi diſpenſentur ad primam tonſuram , intelliguntur etiam diſpenſati ad penſionem , & è contra vide plura .*

8 *Excommunicatus eſt incapax penſionis .*

9 *Penſionem nullus tenere poteſt abſque iuſta cauſa , quamuis ſit diſpenſatus à ſummo Pontifice .*

10 *Penſio non poteſt transferri ad filium illegitimum , benè autem ad filium legitimum .*

11 *Penſio poteſt imponi in fructibus beneficij iuris patronatus abſq; conſenſu patroni .*

12 *Penſio poteſt aſſignari in Parochia , ſi habeat ſumptus vltra centum ducatos , non tamen poteſt aſſignari abſque conſenſu Parochi .*

13 *Penſio poteſt imponi Epiſcopatui , ſi habeat ſumptus vltra mille aureos , & poteſt etiã aſſignari penſio in fructibus diſtributionum .*

1 QVatuor ſub hoc titulo nobis explicãda ſunt, primũ, quid ſit penſio,&an ſit quid ſpirituale,vel temporale. Secũdum . Quis penſionem imponere poſſit ; Tertium,quis ſit capax penſionis. Et quartum , in quibus beneficijs penſio imponi poſſit? Et quoad primum . Dico . Penſio eſt ius percipiendi fructus ex alieno beneficio . Dico ex alieno, quia nullus dicitur habere penſionem ex ſuo proprio beneficio , ſicut nullus dicitur habere vſumfructum in rem propriam, quia dominium eſt diſtinctum ab vſu fructu ; & eodem modo ſe habet penſio reſpectu beneficij . Alij autem definiunt penſionem hoc modo. Eſt certa portio ex aliquo beneficio Eccleſiaſtico iuſta de cauſa ad tempus detracta , & ſeparata . Ita Gigas tract. de penſionibus q. 1 . vbi plures refert, Cardinalis, & Imola in Clement. 1 .de ſupplend. negligent: prælat. Felin.cap. Ad audientiam , in 2 . de reſcript. dicitur. Certa portio , quia eſt pars ex redditibus beneficijs detracta ; & a beneficij iure , & titulo ſeparata , ſicut vſus fructus eſt diſtinctus à proprietate rei , vt diximus ; dicitur . Iuſta de cauſa, quia beneficia , vt ſuo loco diximus ex iure communi ſũt conferenda abſq; vlla diminutione, niſi tameu abſit aliqua iuſta cauſa, vt infra n. 5 .& 9 . additur . Ad tempus, ad differentiam beneficij ; quod eſt perpetuum, & non extinguitur per mortem beneficiarij, ſed dicitur vacare ; At penſio eſt ad tempus , & extinguitur per mortem penſionarij , ſicut etiam vſus fructus per mortem vſufructuarij §. finitur. Inſtit. de vſufruct.

2. Duobus autem modis ſolet dari penſio , vel ratione commodi , & ſubſidij, vel ratione oneris ; Primò modo eſt , quando datur, vt quis commodè , & honeſtè viuat ratione paupertatis , ſenectutis, &c. Secundò modo, quando datur, vt quis liti motæ ſuper beneficium cedat , vel vt reſignet, aut permutet, retenta ſibi aliqua penſione , ne magnum incommodum patiatur , vel quia eſt quis benemeritus , & vtilis Eccleſiæ , vel Chriſtianæ Reipublicæ . Nullo tamen modo penſio eſt beneficium, vt ſæpè diximus ; Poteſt tamen eſſe

beneficium; quando portio fructuum ex aliquo beneficio pingui ita detrahitur, vt fiat aliud perpetuum beneficium, vt Panorm. in cap. Conquærente de Cler. non reſid. Datur etiam penſio ratione oneris, quando tribuitur ob aliquod temporale miniſterium neceſſarium Clericis, vel Eccleſijs.

3. Vtrum autem penſio ſit quid ſpirituale, vel temporale? Cum diſtinctione reſpondet Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 37. Penſionem triplicem eſſe, ſcilicet, ſpiritualem, temporalem, & mediam. Spiritualis eſt illa, quæ fundatur in titulo merè ſpirituali, vt eſt illa, quæ aſſignatur concionatori, auditori, Epiſcopi, &c. Temporalis eſt illa, quæ datur ob aliquod miniſterium téporale præſtandum: Media eſt illa, quæ tribuitur alicui Clerico pauperi, vel Parocho ſeni, & ſimili. Communiter tamen Doctores non admittunt penſionem eſſe rem purè ſpiritualem, imò omnes Canoniſtæ aſſerunt, penſionem eſſe quid temporale, quia, non eſt beneficium, & conſiſtit in quodam ſubſidio temporali, ita Ancharanus, Imola, Cardin. & alij in Clement. 1. de ſupplend. neglig. prælat. & ita aſſerunt multæ deciſiones Rotæ, quas refert Flamit. de reſignat. benefic. lib. 6. q. 4. num. 54. Attamen, quia penſio habet multa, in quibus conuenit cum beneficio; Dicendum eſt, quod ſit quid ſpirituali annexum. Nam non poteſt dari niſi Clerico, & per matrimoniũ extinguitur ſicut, & beneficium: poteſt etiã in ea committi ſimonia; nec poteſt transferri in alium, aut emi, vel redimi, &c. Deinde, ſicut ius patronatus eſt quid ſpirituali annexum, vt docet Diuus Thomas 2. 2. q. 100. art. 4. Quamuis ſit antecedenter annexum beneficio; multò magis erit quid ſpirituali annexum penſio, & conſequẽter poſt beneficium: vt optimè probat Nauar. tom. 1. conſil. 52. num. 3. & ſeqq. & hoc putat hodie eſſe verum, Azor. 2. p. lib. 8. ca. 5. quæſt 6.

4. Et nota, quod penſio non poſſit dari ſine iuſta cauſa, aliter nullius valoris erit, vt meliùs infrà num. 9. Si autem fuerit conſtituta à Papa abſq; dicta iuſta cauſa, valebit quidem, vt docet Felin. cap. Ad audientiam in 2. de reſcript. Attamen non erit ſine culpa Pontificis, vt ait Azor. 2. p. lib. 8. c. 5. q. 8. licet, Multi Canoniſtæ contrarium teneant; vt dictus Felin. & Gigas q. 6. de penſionib. num. 6. 7. & 17. vbi plures affert, & alij; Et ratio eſt, quia Pontifex eſt Dominus beneficiorum, vel ſaltem habet plenum ius circa eorũ adminiſtrationem; quod eſt verum, ſed non puto hos Doctores excludere aliquam labem culpæ, ſi imprudenter Dominus expendat bona ſua; & eo magis, quia bona Eccleſiæ nõ ſunt, niſi ad pios vſus inſumenda; & ſi darentur alijs abſque iuſta cauſa, non poſſet iudicari abſque culpa; Vnde opinionem Azorij, puto veram. Et ſi Pontifex ex falſa cauſa penſionem conceſſerit, vt quia quis ſe finxit pauperem, vel infirmum, Clericum, vel Benemeritum, &c. Penſionis conceſſio erit nulla; quia tam quando obtinetur beneficium, quam penſio, debẽt omnia fideliter Pontifici exponi, & maximè ea, quæ ſi Pontifex ſciret, gratiam non concederet; vt Gigas q. 22. & ſequitur Azor. loc. cit. in fin.

5. Quis autem poſſit penſionem in beneficiorum fructibus imponere? Reſpondeo, de Pontifice, nullam eſſe difficultatem: Quæritur tantum, vtrum id poſſit Epiſcopus; & alij locorum Ordinarij, vt Archiepiſcopi, Patriarchæ, Primates, &c. Et abſque vlla controuerſia, Negatiuè eſt reſpondendum; Sed ſciendum eſt, aliud eſſe penſionem in beneficiario ponere, & aliud eſſe, illam in beneficio ponere; & pẽſionem ponere primo modo, ſcilicet, in beneficiario, vtique hoc poſſunt Ordinarij ex aliqua iuſta cauſa, vt ſupra, & in hoc nullus diſcrepat, & ſumitur ex cap. Niſi eſſent de præben. vbi ſic habetur. *Vt ad præſtationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, ſed perſona Prioris maneat onerata, vt ſi forte circa prouentus aliqua videatur facta ſectio Prioratus; ita quod ipſo Priore defuncto, Succeſſor ipſius ad præſtationem quadraginta librarum minimè teneatur.* Ex quibus verbis colligitur penſionem imponi poſſe ſuper beneficiarium; & durat tantum viuente beneficiario, quo mortuo eſt integrum beneficium alteri conferendum abſque dicta penſione, quia de iure communi non poſſunt conferri beneficia cum

dimi-

diminutione, vt ſupra probauimus, & patet ex c.4. Si quis præben. 1. q. 3. c. maioribus. cap. vacante & cap. prohibemus de cenſibus, & ideò dicendum eſt, Pontificem ſolum, & nullo ipſo inferiorem poſſe penſionem in beneficio ponere modo explicato; quia tantum Pontifex eſt ſupra ius commune; Epiſcopus autem, & alij ordinarij nullo modo poſſunt, vt iam diximus, & ita intelligendus eſt Gigas, de Penſionib. q. 6. vbi plures affert, aſſerentes Epiſcopum poſſe alicui penſionem tribuere de Eccleſia benemerito; idem docet Imola, Anchar. & Cardin. in cit. c. Niſi; ſequitur Azor 2. par. lib. 8. cap. 6. q. prima, & Leſs. lib. 2. cap. 38. dub. 38. n. 205. & ſeqq.

6. Sed quiſnam ſit capax Penſionis? Reſpondeo Clericum habentem ſaltem primã tonſuram eſſe capacem Penſionis, ſi tribuatur ei, tanquam Clerico, ſecus ſi tribuatur ſub titulo militari, & requiritur, vt talis Clericus habeat ætatem ſeptem annorum, vt diximus requiri ad primam tonſuram, refert tamen Gigas de penſionib. q. 13. num. 4. Bononiæ vidiſſe litteras Pontificias, quibus Clemens VII. reſeruabat penſionẽ annuum vigintiquatuor ducatorum Cameralium cuidã puero quartum ætatis annum agenti, poſtquam clericali charactere inſignitus eſſet, & indultum eſt illi, vt in tam tenera ætate ad primam tonſuram promoueretur, & Flaminius lib. 4. de reſignat. benef. q. 9. num. 12. teſtatur in Rota iudicatum eſſe, pueros iure communi capaces eſſe penſionum; ſed neceſſarium eſſe exprimere infantis ętatem, quando penſio impetratur à Summo Pontifice pro tali infanti. Vnde Prælati infra Summum Pontificem non poſſunt alicui conferre penſionem, niſi Clerico, vt ſeruat ſtylus Curiæ Romanæ, & niſi habeat ætatem neceſſariam ad primam tonſuram, vt docet idem Gigas q. 13. Summus autem Pontifex poteſt etiam Laico pẽſionem reſeruare, videlicet alicui bene de Eccleſia merito, vel graui neceſſitate oppreſſo &c. vt Azor. loc. cit. q. 3. Sed ſi quid ſi Pontifex concederet penſionem alicui, tanquã Clerico, & re tamen eſſet Laicus? Reſpondeo vel Summus Pontifex aſſignauit dictã penſionem ad preces ſibi factas pro tali putato Clerico, & in hoc caſu, dicta aſſignatio nulla eſt, quamuis poſtea fuerit Clericus: quia actus eſt omninò nullus. Vel Summus Pontifex id fecit motu proprio, & quãuis motus proprius vitium ſubreptionis excludat cap. ſi motu proprio de præbend. in 6. tamen nec ſimiliter eſſet valida talis cõceſſio; quia motus proprius non operatur vltra voluntatem Pontificis, vt docet Felin. cap. conſtitutus de reſcript. in 6. & Pontifex non intendebat niſi Clerico penſionem concedere; & quamuis ſtatim fieret Clericus, conceſſio adhuc eſt nulla, nam actus à principio nullus, decurſu temporis non firmatur de regulis iuris in 6. Gigas quæſt. 22.

7. Requiritur etiam, vt Penſionarius ſit legitimus; nam ſicut illegitimus eſt incapax beneficij eſt etiam incapax penſionis, vt probat Gigas q. 16. nec poteſt Epiſcopus diſpenſare, niſi ad penſionem, quã ipſe poſſet ſibi reſeruare; imò vt ait Gambarus lib. 6. de officio, & poteſt. legati num. 284. litteræ Pontificiæ, quibus concederetur penſio ſpurio, tacito vitio natalium; eſſent reputandæ ſubreptitiæ, ſi autem iam Summus Pontifex diſpenſaſſet cum ſpurio ad beneficium, & poſtea dictus ſpurius dictum beneficium reſignaret, reſeruando ſibi penſionem abſque vlla expreſſione vitij natalium, valida eſſet conceſſio penſionis, quia iam fuit diſpenſatus ad beneficiũ, quod eſt maius, & continet in ſe hoc minus. Et nota quod ſi Summus Pontifex faciat ſpurium habilem ad primam tonſurã; eo ipſo facit illum habilem ad penſionem, & è contra ſecluſo ſtylo Curiæ Romanæ, quæ cum legis rationem habeat, ille ſeruandus eſt, ſecus dicitur de habilitato ab Epiſcopo ad primam tonſuram, & beneficium ſimplex; nam hic ſi impetrat penſionem à Summo Pontifice, tenetur defectum nataliũ aperire, ſecus de penſionibus pertinentibus ex aliquo priuilegio ad Epiſcopum, dummodo iam habilem fecerit dictũ ſpurium ad primam tonſuram, & minores ordines, ac ad beneficium ſimplex, Gigas q. 16. & 18. & Azor. 2. par. lib. 8. cap. 7. q. 6. & ſimiliter ſi quis fuerit diſpenſatus à Summo Pontifice ad beneficium, cenſetur etiã diſpenſatus ad penſionẽ, vt idẽ Azor. q. 8.

8. De-

8. Deinde requiritur, vt penſionarius non ſit excommunicatus; Nam excommunicatio eſt impedimentum ad omnia priuilegia, Et idem eſt dicendum de alijs cenſuris, & irregularitate: & ideò iuxta ſtylum Curiæ Romanæ, in litteris conceſſionis penſionis, ſemper apponitur clauſula abſolutionis à quibuſuis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti pęna, & à pęnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa litis, ſi quibus quomolibet innodatus quis exiſtat, ad effectum duntaxat præſentium conſequendum, horum ſeriè abſoluentes: & abſolutum forè cenſentes, &c. Gigas q. 14. nu. 9. ſequitur Azor. loc. cit. q. 2. & Leſſ. lib. 2. cap. 38. dub. 38. n. 203. in fin.

9. Eſt etiam neceſſaria ad penſionem habendam, iuſta cauſa, ſine qua, nullus quamuis diſpenſatus à Summo Pontifice, tuta conſcientia poteſt illam habere, vt docet Toletus ex communi ſentẽtia theologorum lib. 5. cap. 73. & ſequitur Leſſ. loc. cit. num. 204. Debet etiam eſſe moderata: nempe, vt ſaltem relinquatur pro beneficiario, quod ſatis ſit pro honeſta ſubſtentatione. vide Gigas q. 6. & 9. Et nota, quod quamuis beneficium ſit iuris patronatus, adhuc poteſt ſuper illud penſio imponi abſque vllo conſenſu patroni; quia nulla ei fit iniuria, cum ad ipſum tantum pertineat præſentare inſtituendum, niſi ratione ſuæ paupertatis ad ipſum eſſent applicandi fructus beneficij, vt infra num. 11. Secùs autem dicitur de permutatione, reſignatione, vel vnione beneficiorum, nam in his caſibus adeſſet prẹiudicium dicti patroni, & ideò requiritur eius conſenſus, vt diximus cap. antec. Nota etiam, penſionarium eſſe obligatum ſaltem ad officium B. Virginis, ſi ex alio capite non teneatur ad officium diuinum; & omittens dictas horas, non facit fructus ſuos, vt patet ex Bulla Pij V. quam refert Nauarr. c. 25. n. 122. Et tandem ſciendum, penſionem non eſſe perpetuam; ſed extingui per mortem penſionarij, vt ſæpè diximus.

10. Sed quæri poteſt, vtrum habens facultatem transferendi penſionem ad quemcumque voluerit, poſſit illam concedere proprio filio legitimè nato, vel illegitimè? Et reſpondeo quoad illegitimum nullam eſſe quæſtionem poſt Bullam Pij V. quæ incipit. Quæ ordini Eccleſiaſtico, nam ibi Pontifex decernit, vt nullus, ſiuè teſtamento, ſiuè donatione, ſiuè legato, ſiuè eleemóſyna, ſiuè alio quocunque titulo, & pio opere ex bonis Eccleſiæ aliquid ad ſpurios filios tranſmittat. Quoad filium autem legitimum; Affirmatiuè eſt reſpondendum, vt docet Gigas q. 86. nu. 5. Et ſequitur Flaminius de reſignat. beneficior. lib. 6. q. 4. num. 21. Nec obſtat, quod Clemens VII. in conſtitutione, quæ incipit ad Canonum; prohibeat, ne filius Presbyteri poſſit ſuccedere in beneficio, quod Pater obtinuit; Nam ſub nomine beneficij non venit penſio, maximè in pœnis, quę ſunt reſtringendæ. Nec obſtat decretum Concilij Tridentini ſeſſ. 25. cap. 15. de reform. in quo ſtatuitur, ne filius poſſit habere beneficium in Eccleſia, in qua Pater illud habuerit, vel habet, nec etiam diſſimile, imò nec penſionem ſuper fructibus illius beneficij, nam hoc tantum prohibet, ne filius poſſit habere penſionem in beneficio patris, nec illam penſionem, quam Pater haberet ex reſignatione beneficij. At ſi Pater habuit penſionem alicuius beneficii, quod nunquam obtinuit, non eſt, cur filius non poſſit illam habere.

11. In quibus autem beneficijs penſio imponi poſſit? Reſpondeo in primis hoc quæſitum poſſe fieri de beneficio habente ius patronatus, an in eo poſſit aſſignari penſio abſque patroni conſenſu? & iam affirmatiuè ſup. num. 9. reſpondimus, & docet etiam Gambarus lib. 6. de off. & poteſt. Legati nu. 94. ſed notandum, quod in caſu, quod patronus verè pauper eſſet, & alimentis indigeret; & fructus beneficij non ſufficerent pro dicto beneficiario, & patrono; nullo modo poſſet aſſignari penſio in tali beneficio; nam vt alibi etiam diximus ex cap. piæ mentis, & cap. filijs 16. q. 7. patrono indigenti, tenetur Eccleſia ſeù beneficiarius habens beneficium iuris patronatus alimenta præbere, & potior eſt reputanda cauſa patroni, quam penſionarij; & ſi de facto poſt aſſignatam alicui penſionem, patronus indigeret; eſſet ipſe præferendus quia habet anteriorem hypote-

Digitized by Google

poteſtatem in beneficio; & qui eſt antiquior in re, eſt etiam antiquior in iure l. Potior, & l. qui potiores in pignore habentur. Imò poteſt patronus inſtare, & petere vt in beneficio minuatur penſio, vel extinguatur in caſu, quò magna eſſet, & noceret Eccleſiæ; ſicut etiam poteſt inſtare, ne bona ſui beneficij pluſquam par eſt, alienentur, Gigas q. 24. num. 12.

12. Secundò quæri poteſt, an in beneficio parochiali poſſit imponi penſio? & reſpondetur affirmatiuè, quando tamen tale beneficium excedat ſummam centum ducatorum; nam iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 13. de refor. vetitum eſt; ne Parochi penſionibus grauentur, niſi vltra dictam ſummam centum ducatorum ex beneficio habeant; & ita eſt communis vſus; & nota, quod in penſionibus imponendis, requiritur conſenſus Rectoris beneficij, quãdo penſio imponitur ab Epiſcopo, vel Legato &c. in caſibus illis permiſſis; quando autem penſio imponitur a Summo Pontifice, id poſſet agere abſque dicto conſenſu; ſed facere non ſolet ex regula Cancellariæ 41. in regulis Adriani; & in regulis Leonis X. eſt 43. vbi aperte dicitur, *Etiã motu proprio litteras reſeruationis annuæ penſionis ſuper alicuius beneficij fructibus expediri non poſſe, niſi ex conſenſu illius, qui penſionem ſoluere debebit, qui ſi præſens in curia ſit personaliter; alioquin per procuratorem ſuum ad hoc ſpecialiter conſtitutum cum ſolito iuramento conſenſũ præſtet; aliàs litteræ nullatenus expediantur*. Vnde vt benè infert Gigas q. 10. niſi Pontifex deroget prædictæ regulæ Cancellariæ, non cenſetur benè aſſignata penſio, quamuis fuerit conceſſa per motum proprium. Et ſi penſio eſſet aſſignanda tempore quo vacaret beneficium, tunc eſſet dandus legitimus defenſor ad conſentiendum in penſionem, vt idem Gigas ex Innoc. Roman. & Anchar. nota etiam ex dicta regula, quod quando quis eſt præſens non poteſt per procuratorem id agere, vt idem Doctor docet q. 11. & patet ex Abb. cap. cum parati de appellat. vbi ait. *Quando in ſtatuto requiritur præſentia propinquorũ, non ſufficit, ſi per procuratorem adſint, nec ſufficit ratihabitio. Item quando lex, vel ſtatutum requirit proprium ius iurandum, non ſatis eſt procuratoris iuramentum; etiam ſi fuerit ad id ſpecialiter conſtitutus.*

13. Tertiò quæritur, vtrum in Epiſcopatu poſſit imponi penſio? & reſpondetur affirmatiuè, quando fructus Epiſcopatus excedunt ſummam mille aureorum, vt dicitur in Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 13. de reform. nec Concilio vnquam derogatur, niſi de eo fuerit facta expreſſa mentio, nec ſufficeret clauſula non obſtantibus cõſtitutionibus quibuſcunque, nam clauſula tantum comprehendit conſtitutiones Põtificias, vt docet Archidiac. cap. 1. de cõſtit. in 6. Decius cap. 1. in prima lectura nu. 2. de iudicijs, Io: Selua de beneficijs par. 3. q. 11. nu. 31. quos ſequitur Azor. 2. par. lib. 8. cap. 8. q. 7. Item poteſt etiam penſio aſſignari in fructibus beneficij commendati, quia hodie beneficium commendatum eſt idem iuris, ac beneficium collatum, vt Gambarus de offic. legati lib. 6. num. 154. Anania in cap. non ſatis de Simonia, & alij. vtrum autẽ in diſtributionibus quotidianis imponi poſſit penſio? & negatiuè multi reſpondent, quia dicti fructus dantur tãquam merces operis, & miniſterij, ex ca. 1. de Cleric. non reſid. & ita tenet Io: Andr. in rubric. de conceſſ. præben. Felin. cap. ad aures de reſcript. Oldradus conſil. 117. & alij, & idem eſse dicendum de quibuſdam fructibus communibus, qui in certis anni temporibus diuidi ſolent. Teſtatur Gambar. deciſum fuiſſe in Rota de offic. & poteſt. legati lib. 6. nu. 24. Attamen vt ait Mẽdoz. lib. de ſignatura iuſtitiæ, & gratiæ, pẽſio aliquando ponitur etiam ſuper fructibus diſtributionum, & apponi ſolet clauſula; etiam ſi in ſolis diſtributionibus, & non niſi præſentibus, & diuinis officijs intereſſentibus dari, & per eos lucrari conſuetis &c.

Quo

Quonam modo Penſiones extinguantur, & in alium transferantur, ac de obligatione Penſionarij. Cap. LXXXV.

1 *Penſio extinguitur per mortem penſionarij, vel per matrimonium, ſed exceptuantur Religiones militares, in quibus non obſtante matrimonio, poſſunt milites penſionem retinere.*

2 *Amittitur etiam penſio per promotionem penſionarij ad Cathedralem, vel Metropolitanam Eccleſiam.*

3 *Extinguitur etiam penſio per profeſſionem emiſſam in Religione approbata.*

4 *Penſio poteſt remitti à penſionario abſque vllo conſenſu Pontificis.*

5 *Penſionarius, ſi acquirat beneficium, in cuius fructibus habebat penſionem; non cenſetur amiſiſſe penſionem, ſi ex aliquo caſu debeat beneficium alteri cedere coactè.*

6 *Penſio redimi non poteſt anticipata ſolutione abſque conſenſu Pontificis, niſi id eſſet prohibitum ex vſu Curiæ Romanæ.*

7 *Penſionarius, licet poſſet locare, & vendere fructus penſionis, non tamen illos poſſet redimere beneficiarius.*

8 *Penſio nō poteſt transferri ex vno ad alium abſque auctoritate Summi Pontificis.*

9 *Habentes priuilegium transferendi penſionem, non poſſunt illam transferre ad incapaces, & debent id agere in manu Ordinarij, vel alterius perſonæ Eccleſiaſticæ.*

10 *Penſionarius tenetur recitare Officium B. Virginis, & non poteſt exigere penſionē, niſi prius obtineat litteras Apoſtolicas concedentes talem penſionem.*

11 *Beneficiarius excommunicatus non faciens fructus beneficij, adhuc tenetur ad penſionem.*

12 *Beneficiarius non tenetur ad penſionem ſoluendam; ſi fructus beneficij perierint in totum, vel in partem.*

1 EX ſuprà dictis patet penſiones extingui per mortem penſionarij; & per matrimonium; quod probat Gigas de penſionib. q. 54. ex vſu Curiæ Romanæ. Sed dubium eſt, vtrum ſi penſionarius cōtraxerit matrimonium inualidè, amittat penſionem? Et reſpondetur affirmatiuè, vt ſuprà diximus de beneficiario, ex cap. 1. de Cler. coniugat. Et idem eſt dicendum, ſi poſt contractum matrimonium, & ante cōſumationem, ſponſa monaſterium intrauerit; quia iam in contractu matrimonij fuit extincta penſio, & ius ſemel extinctum nō poteſt reuiuiſcere, ca. Quam periculoſum. 7. q. 1. Quando tamen penſio conceſſa eſſet cum clauſula, vt eam penſionarius retineat, quamuis vxorem ducat; dummodo ingrediatur, & profiteatur aliquam religionem militarem; tunc penſio non amittitur, nec obſtat, ſi profeſſio non emittatur iuxta præcepta Concilij Tridentini. ſeſſ. 25. c. 15. de regularibus vbi ſtatuitur; Ne qui in qualib. Religione, tam virorum, quam mulierum, minori tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur poſſit pēſionem exigere. Nam in tali decreto non comprehenduntur ordines militares, in quibus milites tantum votum caſtitatis coniugalis emittunt; quia iſti non ſunt veri Religioſi, vt definitum fuit in Rota, teſte Flaminio lib. 6. de reſignat. beneficior. Imò in ordine militari S. Stephani à Magno Duce Florentiæ inſtitutus, eodem die, quo quis ſuſcipit habitum, profeſſionem emittit; vt habetur in eius ſtatutis lib. 1. folio 2. Vnde iſti milites poſſunt penſionem tenere. Dummodo profeſſionem emittant iuxta præcepta ſui ordinis. Si quis autem matrimonium contraheret abſque conſenſu Magiſtri totius Ordinis & in ſtatutis adeſſet pœna priuationis omnium priuilegiorum, vtique non poſſet talis miles penſionem retinere; Secùs autem ſi alia pœna eſſet ibi impoſita.

2. Amittitur etiam penſio per promotionem ad Metropolitanam, vel Cathedralem Eccleſiam, vt probat Gigas q. 56. Niſi ex priuilegio Pontificis aliud ei conceſſum fuerit; quamuis Cardinalis, Caccialupus; Antonius Butrius, & alij, apud ipſum Gigas

gas,contrarium ſentiant, & ratio eſt,quia penſio non eſt beneficium, & ideò benè ſtare poteſt cum alio beneficio; quod non ſolum probabile, ſed etiam verum videtur; niſi vſus Romanæ Curiæ contrarius ſit; & quod dictum eſt de Epiſcopo; dicitur etiam de Abbat. vt ait ipſe Gigas.

3. Extinguitur etiam penſio per profeſſionem in Religione approbata: non autem per ingreſſum tantum religionis; nam ſicut beneficium non vacat ante profeſſionem, ex c.1. de regular. in 6. Sic penſio non extinguitur, niſi per profeſſionem Gigas q.57. Item extinguitur penſio, ſi penſionarius miles fiat, & monitus militiam non relinquat, ſicut etiam dicitur de beneficiario. Gigas q.55.

4. Vtrum autem penſio remitti poſſit à penſionario abſque vllo conſenſu Pontificis? Et affirmatiuè reſpondet Nauar. in manual. cap.23. num.3. Gigas q.45. num.5. in regul. de infirmis reſignantibus, & alij communiter, quidquid dicat Gambar. lib. 6. de offic. Legati num.623. Et multò magis poterit penſio minui abſque aliquo conſenſu ſuperioris. Nec obſtat, quod beneficium non poſſit dimitti, vt ſuprà oſtẽdimus; quia ſi dimittatur beneficium, Eccleſia vacat ſuo paſtore, quod poſſet eſſe in dictæ Eccleſiæ damnum; at per dimiſſionem penſionis, Eccleſia redditur magis libera, nec aliquid pati poteſt; Sicut ſi dominus habens ius patronatus, poſſet illo ſe abdicare abſque alicuius ſuperioris conſenſu, quia hoc eſſet in maiorem libertatem Eccleſiæ. Sed notandum, quod iuxta Concilium Tridentinum, ſeſſ.21. cap. 12. de reform. Ordinatus ad titulum penſionis non poteſt abſque conſenſu Epiſcopi dictam penſionem alienare, extinguere, aut remittere, donec habeat aliquod beneficium ſufficiens.

5. Sed quæſtio eſt, vtrum penſionarius, ſi acquirat idem beneficium, in cuius fructibus habet aſſignatam penſionem; dicatur penſionem amiſiſſe; Seù penſio ipſius eſſe extincta? Quam quæſtionem pulcram vocat Gigas de penſionib. q.49. Et cum diſtinctione reſpondet; aut penſionarius, qui adeptus eſt dictum beneficium illud amittere debet ex cauſa neceſſaria, vtputa, quia alius in illo potiùs ius habet, & mota ei lite, illud obtinuit; & in hoc caſu non amittit ſuam penſionem; ſed tantum beneficium; & idem diceretur de vſufructuario l. ſi maritus, Cod. de inoffic. teſtam. & l. Dominus ff. de vſufructu cuius verba infra referam. Aut penſionarius ſua ſponte beneficium dimittit, & tunc apud ipſum penſio non remanet; ſed reputatur extincta: Sicut etiam diceretur de vſufructu, nam in ſimili caſu diceretur extinctus, & non conſolidatus cum proprietate; vt habetur in l. Cum filius §. Dominus ff. de legatis 2. vbi ſic habetur. Si Dominus fundi, cuius vſusfructus alterius erat, illum vſufructuarium ſuum vniuerſalem heredem inſtituat, & illum fundum, puta Titio leget, hæres vſufructu non retento, legatario conſignare debet. Et in l. ſi tibi fundi vſusfructus ff. quibus modis vſusfructus amittatur, ſtatuitur. Si teſtator vni vſumfructum purè, alteri verò proprietatem ſub conditione leget, vt puta, ſi nauis ex Aſia venerit, & vſufructuarius conditione pendente, proprietatis dominium acquiſiuerit, deinde extiterit conditio: tunc pleno iure fundus illius erit, cui legatus fuit, neque intereſt, quod detracto vſufructu proprietas legata ſit, quia vſufructuarius factus dominus proprietatis, omne ius legati vſusfructus amiſit. Sic ibi. Secùs autem eſt dicendum, quando vſufructuarius coactè debet reſtituere fundum ſibi legatum. Nam in cit. l. Dominus ff. de vſufructu. Sic habetur. *Si vſufructuario fundi proprietas per Dominum legata fuerit, & demum vſufructuarius illam fuit coactus reſtituere tanquam ad alium pertinentem, videlicet, ad eum, qui egit quarela inofficioſi teſtamenti, & obtinuit; tunc vſusfructus manet apud reſtituentem proprietatem, apud quem priùs fuerat.* Hæc ibi.

6. Deinde quæritur, vtrum beneficiarius poſſit auctoritate Pontificis redimere penſionem alteri aſſignatã ex fructibus ſui beneficij, ſolutione anticipata abſque labe vſuræ? Et affirmatiuè reſpondet Gigas de penſionib. q.87. & Gambarus lib.6. de officio Legati; num.123. Et hoc probari poteſt ex vſu Romanæ Curiæ; de quo teſtatur Platina Paulum II. talem vſum approbaſſe; Cæterum Romanos Pontifices non

ſolere reſeruare penſiones dimittentibus beneficia; & hanc ſimul facultatem concedere, vt ipſis penſiones ex toto ſoluantur anticipatis ſolutionibus; ſed penſionem ſimpliciter reſeruant, & poſtea ſeorſum, ac diuiſim faciunt liberam poteſtatem, & optionem; vt qui annuam penſionem debet, eam redimat anticipatis ſolutionibus; & vt teſtatur Gigas; ſolet penſio redimi anticipatis quinq; ſolutionibus, vel ſex, ſeptemnè ad Summum, conſiderata penſionarij ætate. Sed vtrum abſq; vllo cōſenſu Pontificis penſio redimi poſſit anticipatis ſolutionibus? & affirmatiuè reſpondet Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 31. in reſpōſione 10. & ratio eſt, quia, vt ipſe ait; penſio eſt quid temporale, profanum, videlicet, fructus, qui quotannis ex beneficio debentur, & ſoluuntur; deinde, fructus beneficij, & penſionis fas eſt locare, & vendere, niſi lex aliud prohibeat, nam dantur per modum alimentorum; & benè poſſunt alimenta redimi anticipatis ſolutionibus, ergo, & fructus penſionis. Sotus verò lib. 9. de iuſtit. q. 7. art. 2. ſic diſtinguit, Aut penſio datur Laico tanquam laboris merces, & miniſterij, & operis ſtipendiū, & hæc penſio redimi poteſt abſq; Romani Pontificis conſenſu, quoniam totum hoc jus eſt profanum, & temporale. Aut penſio datur loco beneficij, vtputa, cum quis ſuum dimittit beneficium, vel liti de eo cedit, vel vt habeat, quia Clericus eſt, vnde, commodè ſuſtentetur, vel cum alicui beneficiario datur adiutor, & hæc penſio cum in locum beneficij ſubrogetur, eſt ſpiritualis; ac proinde pecunia redimi nequit. Quæ opiniones vt verè, vel ſaltem probabiles, defendi poſſunt, niſi obſtet contrarius vſus Curiæ Romanæ; nam vt teſtatur Gigas de penſionib. q. 87. num. 5. & 6. Gambar. & alij apud ipſum, vſus Curiæ Romanæ obſeruat, vt penſio non redimatur abſq; conſenſu Summi Pontificis ad euitandam omnem Simoniæ labem; vnde, vt dicti Doctores aſſerunt, qui contrarium ageret, mortaliter quidem peccaret, & puniri poſſet; quamuis non incideret in pœnas Simoniæ. Sed iuxta Maior in 4. d. 25. q. 5. qui abſolutè negat, penſionem redimi poſſe, eo quod penſio non ſit annua portio; ſed ius exigendi annuam portionem, quod ius eſt quid ſpirituale; dicendum eſſet, talem redemptionem eſſe Simoniam, & ex conſequenti redimentem, & penſionarium incidere in pœnas latas contra Simoniacos. Attamen, quia hoc maximè pendet ex communi intelligentia Curiæ Romanæ, illi omninò ſtandum eſt.

7. Et notandum, quod quamuis iuxta ius commune, & ſecluſo contrario vſu Curiæ Romanæ, poſſent fructus penſionis locari, & vendi ad tempus, vel per totum vitæ curſum; tamen beneficiarius, qui penſionem debet, non ex hoc poſſet dictos fructus redimere anticipatis ſolutionibus; quia redimeret ius ipſum penſionis; quod vetat vſus Curiæ Romanæ ad euitandam ſpeciē Simoniæ; imò in foro iudiciali locatio, vel vēditio alteri facta adhuc ſuſpecta iudicaretur, niſi contrarium euidēter appareret.

8. Quoad tranſlationem penſionis ex vno ad alium; quæritur, vtrum dicta tranſlatio fieri poſſit abſq; auctoritate Romani Pontificis? nam primò ſuppono, tranſlationem non eſſe, niſi mutationem ex vno in alium, & ad quæſitum negatiuè reſpondetur; & ratio eſt, quia penſio eſt onus, & ſeruitus beneficij, quæ non poteſt durare, niſi prout Pontifex voluerit, cuius ſimiliter eſt illam imponere; & ſi poſſet transferri in alium, duraret penſio ad libitum pēſionarij, & non ad libitum Pontificis; igitur nullo modo transferri poteſt abſq; Sūmi Pontificis auctoritate; & iuxta vſum Curiæ Romanæ talis facultas conceditur tantum ex reſignatione beneficij; quæ quādo fit ab aliquo Eminentiſs. Se abdicante Epiſcopatu, de more reſeruatur pēſio mille aureorum cū poteſtate transferendi dimidiam partem, ſcilicet, quingentorum aureorum in alium; nunquam enim conceditur, vt tota penſio transferri poſſit; ſed tantum dimidia, vel tertia pars; vt Flamin. ex Mendoſio li. 6. de reſignat. beneficij nu. 24. vide etiam Gigantem q. 12. n. 2. & refert idem Flam, n. 7. Priuilegijs Summorū Pontificū multis eſſe conceſsā facultatem trāsferendi penſionem vſq; ad certam aureorum ſummam; nam milites S. Petri, quorū Collegium fuit inſtitutum à Leone X. habent facultatem transferendi penſionem

vſq;

vſq; ad ſummam centum ducatorum Cameralium. Milites S. Pauli à Paulo III. ſimiliter iuſtituti, poſſunt transferre penſionem ducatorum ducentorum Cameraliũ. Milites Pij creati à Pio IV. poſſunt transferre penſionem vſq; ad ſummam centũ, & quinquaginta ducatorum Cameraliũ; & Milites Lauretani inſtituti à Sixto V. poſſunt transferre penſionem vſq; ad ſummã ducatorum ducentorum Cameralium.

9. Sed notandum, habentes priuilegium transferendi in alium pẽſionem; non poſſe illam transferre ad Laicos, Hæreticos, Spurios, & alios incapaces; nec poteſt transferri penſio ad plures; ſed ad vnum tantum iuxta vſum; vt docet idem Flaminius nu. 16. & Gigas de penſionibus q. 86. n. 1. vtrum autẽ poſſit transferri ad filiũ legitimũ, vel illegitimũ, iam diximus c. ante. nu. 10. poteſt etiam concedi talis facultas transferendi penſionem abſq; cõſenſu beneficiari; de auctoritate tamen Sũmi Pontificis, pro vt conceſſum fuit ſupradictis militibus; nam ſicut Pontifex abſq; conſenſu beneficiarij poſſet imponere nouam penſionem, vt ait Gigas q. 83. num. 9. multò magis poterit dictam facultatem concedere. Licet de facto Pontifex quando reſeruat penſiones reſignantibus beneficia, cum facultate transferendi illa, id non agat ſine reſignatarij conſenſu, vide Flaminium loc. cit. num. 26. Mendoſium de ſignatur. gratiæ tit. translationes verſ. quærebatur, & Caſſodorum deciſ. 1. de renun. quos ſequitur Azor. 2. par. li. 8. ca. 11. q. 8. Fit autem dicta translatio præcedentibus litteris Apoſtolicis id expreſsè concedentibus; in quibus litteris apponi ſolet clauſula, vt penſio transferri queat coram Ordinario, aut alio quocunq; in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto, vel Canonico cuiuſcunque Eccleſiæ Metropolitanæ, vel Cathedralis; aut alio modo. Et de tali translatione debet moneri intra tres mẽſes beneficiarius, vt docet Gigas de penſionibus q. 12. num. 2. & nota, quod penſionarius non poſſit aliquid accipere ab eo, qui penſionem transfert; vt probat Azor. loc. cit. q. 14. quidquid in contrarium videatur docere Gigas q. 99.

10. Circa obligatione penſionarij iã ſæpè diximus eſſe obligatum ad recitandũ officium Beatæ Virginis dũmodo non dicat officium diuinum, nam in Bulla Pij V. ſupra à nobis allata, ſic dicitur. *Quicunq; penſionem, fructus, vel alias res Eccleſiaſticas, vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionis fructuum, rerumq; ipſarum omiſſioni obnoxium.* Item penſionarius in conſcientia nõ poteſt exigere penſionem, niſi priùs obtineat litteras Apoſtolicas dictam penſionem concedentes; nec ſufficit tantum impetratio, vt probat Gigas de penſionibus q. 34. Vtrum autẽ poſſit penſionarius diſponere de fructibus penſionis ad ſuum libitum, & non in pios vſus, iam diximus ſupra cap. 81. nu. 9. Et vtrum poſſit quis plures penſiones habere? Reſpondetur, id ex iure communi non eſſe prohibitum, ſicut eſt de beneficijs; attamen ſpectato iure naturali, habẽs vnã penſionem ſufficientem ad honeſtam vitã, non poteſt aliam habere, ne vnus eſuriat, & alius ebrius ſit; poſſunt tamen alicui ob merita, ob nobilitatum, ob litteraturam, ob vitæ probitaem, &c. plures penſiones concedi.

11. Sed dubium eſt, vtrum beneficiarius excommunicatus, & ex conſequenti priuatus fructibus beneficij; vt habetur in cap. Paſtoralis, & ibi docet Innoc. & Archidiac. in cap. Ad hæc, nec non Hoſtien. in ſum. tit. de ſentent. excommunic. §. quis ſit effectus, teneatur ſoluere penſionem? in quo dubio reſpondet Bartol. allatus à Gigante de penſionib. q. 64. num. 4. Sacerdotes, qui excommunicati, fructus beneficiorum non percipiunt, debent cenſum ſoluere, quia onera ſuſtinere coguntur, tametſi cõmoda nõ percipiunt. Sicut, qui ſua culpa ſunt eiecti ab Vrbe, quãuis ſuorum bonorũ fructus non capiãt, debẽt nihilominus onera ſoluere; & idem docet Bald. ab eodem Gigante citatus.

12. Dubitatur etiam, vtrum beneficiarius, in cuius fructibus fuit taxata penſio, teneatur ſoluere penſionem, ſi fructus ex aliquo caſu perierint in totum, vel ex parte? & affirmatiuè reſpondet Paulus Caſtrẽſis conſil. 338. volum. 1. quando in fructibus aſſignatur penſio per modum taxa-

tionis, vt eſt in caſu propoſito; nam talis taxatio penſionis in fructibus talis beneficij, intelligitur, dummodo fructus adfuerint, vel naſcantur l. interdum ff. de verb. obligat. & l. 1. ff. de cōdit. & demonſt. idem docet Felinus in cap. Ad Audientiam ſecundo de reſcript. ex Abbat. in cap. Niſi eſſent, & alij multi; pro vt hæc, & alia plura videri poterunt apud Gigantem de penſionib. q. 62. & in alijs quæſtionibus; nec nō apud Azor. 2. par. lib. 8. ca. 12. & 13. & hæc ſufficere poſſunt pro hoc tractatu.

DE SPOLIO BONORVM BENEFICIARIORVM.

Quid ſit Spolium, Ad quem pertineat, & ex quibus bonis fieri debeat. Cap. LXXXVI.

1 *Spolium comprehendit bona beneficiariorum prouenientia ex redditibus Eccleſiaſticis, vel ex negotiatione, aut alio modo contra Canones.*

2 *Dictum Spolium pertinet ad Fiſcum Apoſtolicum ex iure Pontificio, quod fuit antiquum in Eccleſia.*

3 *Spolium debetur ante vllam iudicis ſententiam, alioquin detentores bonorum ſpolij, in excommunicationem incidunt.*

4 *Omnes, qui fruuntur priuilegio fori ſubduntur dicto ſpolio, vt Clerici, Religioſi, Monaci, & aliæ perſonæ, quæ in iure vocantur Eccleſiaſticæ.*

5 *Tria genera perſonarum non ſubijciuntur ſpolio, ſcilicet, Cardinales, Sectatores Curiæ Romanæ, & habentes priuilegium.*

6 *Ex quatuor bonorum generibus eſt faciendum ſpolium, vt ex acquiſitis ex negotiatione, ex beneficijs Eccleſiaſticis, &c.*

7 *Ponitur Bulla Pij IV. in qua præcipitur, vt bona acquiſita x negotiatione, & contra Canones, ſubijciantur ſpolio.*

8 *Bona Apoſtatarum, & eiectorum à Religione, pertinent ad Cameram Apoſtolicam, ſi moriantur extra Religionem.*

9 *Facultas teſtandi, vel compoſitio cum Camera Apoſtolica, non extenditur ad bona acquiſita ex negotiatione, & contra Canones.*

10 *Vt dicta bona ex negotiatione acquiſita ſubdantur ſpolio Apoſtolico, non requiritur ſententia iudicis.*

11 *Illa bona dicuntur acquiſita ex negotiatione, quæ fuerunt empta & poſtea vendita abſque vlla mutatione ipſarum rerum.*

12 *Bona acquiſita ex iniuſta beneficiorum poſſeſſione vel exercitio Chirurgiæ, & ſimilium Clericis prohibitorum, ſubduntur ſpolio, alia autem bona licet turpiter acquiſita à Clericis, vel ſi fuerint iam alienata inter viuos non veniunt ſub ſpolio.*

13 *Bona proximè dicta ſubijciuntur ſpolio, quamuis fuerint acquiſita ab habentibus tantum ordines minores abſque beneficio.*

14 *Bona patrimonialia, vel quaſi patrimonialia non ſubduntur ſpolio, ſed tantum bona beneficiaria, vt ſupra.*

15 *Bona Clericorum habentium beneficium non excedens valorem 30. ducatorum, non veniunt ſub ſpolio, quamuis fructus ſuperſint.*

16 *Succeſſores Clericorum ab inteſtato non poſſunt propria auctoritate aliquam compenſationem non certam facere ex bonis ſpolijs.*

17 *Fructus malè percepti ex omiſſione officij, ratione ſimoniæ, &c. non veniunt ſub ſpolio, cum ſint reſtituendi.*

18 *Omnia bona tam mobilia, quam immobilia empta pecunijs beneficiorum, veniunt ſub nomine ſpolij.*

19 *Tam fructus beneficiorum, quam penſionum veniunt ſub ſpolio, cum dicantur bona Eccleſiaſtica.*

20 *Inſtrumenta paramenta, & alia ſuppellectilia non veniunt ſub ſpolio, ſed pertinent ad Eccleſiam beneficiariorum.*

21 *Ponitur per extenſum Bulla Pij V. in qua proxima doctrina continetur, & declaratur.*

22 *Dicta inſtrumenta, paramenta, &c. fiunt propriæ Eccleſiæ, etiam ſi empta fuiſſent pecunijs patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus.*

23 *Diſtributiones, & alia bona patrimonialia, &c. non veniunt ſub ſpolio, & ſi beneficiarius decedat abſque legitimis ſucceſſoribus intra decimum gradum, fiunt Cameræ Apoſtolicæ.*

24 *Fructus Eccleſiarum, & beneficiorum vacantium pertinent ad Cameram Apoſtolicam.*

25 *Fructus beneficiorum vacantium ratione reſignationis, in Regno Neapolis, non videntur pertinere ad Cameram Apoſtolicam.*

26 *Cardinales, & alij, vt diximus in num. 5. non ſubduntur ſpolio, & ponuntur Bullæ Pontificiæ id præcipientes.*

27 *Equites S. Ioannis non ſubduntur ſpolio, ſed eorum bona applicantur Religioni iuxta eius ſtatutum.*

28 *Bona Religioſorum degentium extra clauſtra, ſpectant ad Cameram Apoſtolicam, etiam Apoſtatarum, vt in n. 8. diximus.*

29 *Inſtrumenta, & paramenta ſacra ſemper remanent ad Eccleſiam beneficiarij, quãuis habeat priuilegium teſtandi, &c.*

30 *Fructus beneficij reſignati ſimpliciter ſpectant ad Cameram Apoſtolicam, reſignati verò in beneficium alterius, ſpectant ad ipſum reſignantem.*

31 *Conſuetudo excuſat à ſpolio non faciendo, vt in Germania, Gallia, Luſitania, &c.*

32 *Donatio inter viuos excuſat etiam à ſpolio, & ſi beneficiarius poſtea non viuat per 30. dies, irrita eſt donatio in foro externo.*

1 SPolium, de quo hic agimus, intelliguntur ea omnia bona, quæ fiſcus apoſtolicus accipit poſt mortem Clericorum, ne ad eorum hæredes, vel futuros in beneficio ſucceſſores admittantur; quæ ſpolia potiùs deſcribi, quam definiri poſſunt; vnde Redoan. q. 1. de ſpolijs Eccl. n. 7. Sic illa deſcribit, nempe; Sunt ea bona à Clericis quibuslibet, etiam Religioſis ratione, & iure Eccleſiæ acquiſita, vel ex negotiatione contra Canones comparata, & poſt obitum relicta. Dicitur bona tanquam genus, quia non omnia bona Clericorum ſunt ſpolia, comprehenduntur autem ſub tali nomine tam mobilia, vel ſe mouentia, quam immobilia, iura, actiones, &c. Cum omnia veniant ſub nomine bonorum. l. Bonorum ff. de verborum ſignificat. Alia autem bona ex patrimonio, vel hæreditate, arte, induſtria, labore, opere, &c. Nullo modo pertinent ad ſpolium, nec donata, vel legata, aut alio modo acquiſita; dummodo non fuerint acquiſita ex negotiatione contra Canones. vide Azor. 2. p. lib. 8. de ſpolijs, cap. 1. q. 2. Filiuc. tract. 43. cap. 1. q. 1. & cap. 3. q. 1. & ſeqq. & alios; vt infra.

2. Debetur autem dictum ſpolium Fiſco Apoſtolico ex iure Pontificio, & meritò quidem, cum apud Romanum Pontificem ſi plenum dominium, & adminiſtratio bonorum Eccleſiaſticorum; Vnde benè potuit dicta bona beneficiariorum Cameræ Apoſtolicæ, ſeù eius Fiſco applicare; quod ſẽper fuit in Eccleſia, vt probat Paulus III. in ſua conſtitutione, quæ incipit: Itaque ſicut accepimus, de ſpolijs Clericorum, in qua Pontifex reprehendit quoſdã, qui aſſerebant, dictum ſpolium iure antiquo ad Summum Pontificẽ non pertinere; ibique contrarium probat, & tradit ab antiquo tempore ſpolia Clericorum ſemper fuiſſe Sedi Apoſtolicæ reſeruata, nõ ſolum beneficiariorum in Italia morientium, ſed etiã in quibuſuis prouincijs, & Regnis Citra, & vltra montes; & quamuis aliquibus temporibus dicta ſpolia ſeruabantur ſucceſſoribus, vel ponebantur in vſus Eccleſiæ eiuſdem mortui beneficiarij, vt habetur in cap. Cum vos de offic. ordin. Et cap. Præſenti eodem tit. in 6. Poſtea tamen fuerũt per dictum Paulum III. Cameræ Apoſtolicæ applicata ex plena, & libera poteſtate, & adminiſtratione, quæ reſidet in Summo Pontifice, vt habetur in cap. licet de præb. in 6. & in Clem. I. vt lite pendente in fin.

Digitized by Google

3. Vnde dictum ſpolium pertinet ad dictum Fiſcum Apoſtolicum ante vllam iudicis ſententiam, cum iam dicta bona ex diſpoſitione Summi Pōtificis ſint applicata,& incorporata Cameræ Apoſtolicæ, nō per modum pœnæ, ſed per modum dominij, & liberæ adminiſtrationis, & ex conſequenti abſque vlla rei traditione. Dicta bona beneficiariorum tranſeūt in plenum dominium dictæ Cameræ Apoſtolicæ; vt fuſiùs probat Azor.2.p.lib.8.c.1.q.5.& 6. Detinentes autem clam, vel per vim directè, vel indirectè dicta ſpolia Clericorum ad Cameram Apoſtolicam pertinentia, incidunt ipſo facto in Excommunicationem, quæ ſtatim publicari ſolet contra prædictos; licet, etiam ſecluſa dicta excommunicatione, adhuc in illam inciderent dicti detentores ex Bulla Pauli IV. vt aſſerit Filiuc.tom.2.tract.43.c.4.in fin. ex Redoan. q.17.num.32. quæ Bulla incipit; Incumbentia nobis: Eſtque excommunicatio Pontifici reſeruata,vt videtur in dicta Bulla §.11,licet,directè in dicta Bulla non agatur de detinentibus dicta ſpolia beneficiariorum: Sed in communi loquitur de omnibus detentoribus bona pertinentia ex quacunque cauſa ad Cameram Apoſtolicam, in quibus etiam iſti continentur. Sumitur etiam ex dictis, dicta ſpolia pertinere ad Fiſcum Apoſtolicum antequam petantur: Nam res domino eſt reſtituenda antequam petatur,quod intellige,niſi contrarium ex conſuetudine habeatur; vt Bonac.tom.2.de contract.diſp.3.q.vlt.pun.4. n.2.& fuſiùs Azor.loc.cit.q.5.

4. Beneficiarij autem, ſeu perſonæ, quæ huic ſpolio ſubijciuntur, ſunt omnes illi, qui fruuntur priuilegio fori Eccleſiaſtici tam quoad perſonas, quā quoad bona; vt ſunt tam Clerici beneficiarij, quam Monachi,Religioſi etiam conuerſi,vel Donati,& omnes aliæ perſonæ, quæ Eccleſiaſticæ nominantur in iure Canonico,etiam ſi Clerici non ſint; vt Azor.2. p.lib.8. c.1. q.2.ex Gloſ.in c.Duo ſunt. 12.q.1.Redoan. de ſpolijs.q.7.Nauar.§.1. nu.2.ca.3.Filiuc. tom.2.tr.43.c.2.n.4.& fuſiùs Bonac.tom.2. de contract.diſp.3. q.vlt. pun.1.num.2.

5. Excipiuntur tamen ab hoc ſpolio tria genera perſonarum; ſcilicet Cardinales,habitantes in vrbe, vel Curiam Romanam ſectantes,& in ea morientes;ac illi qui ex priuilegio ſpeciali, vel generali teſtari poſſunt,vt ſumitur ex Bulla Pij V.in qua ſic ait. *Literas noſtras prædictas ad S. R. E. Cardinales, etiam ſi vbiuis locorū decedentes, ac eorū bona vbiq; exiſtentia nullo pacto, ac Vrbem, & Curiam præfatos,nec non prælatos, Officiales, & alios Seculares cuiuſuis ordinis Regulares, Clericos,cæteroſq; & Curia præfatos.pro tēpore exiſtentes,&in ea,ſeu eius diſtrictu decedentes,quā aliàs,alibi, vbiuis locorum, etiam vltra montes, & maria exiſtentes,teſtandi tamen codicillandi, & aliàs de bonis ſuis quibuſcūq; quomodolib.diſponendi facultatē;ſeu etiā,quod eis ab inteſtato decedētibus,eorū bona ad ipſorū proximiores, & qui niſi beneficiati eſsēt ſuccedere deberēt,deuoluātur,& debeāt,&c.* vt fuſiùs Azor.2.p.li.8.c. 2.q.10.& ſequitur Filiuc.loc.cit.num.5.

6. Ex quibus autē bonis ſpoliū Eccleſiaſticū fieri debeat? Reſpōdeo ex quatuor bonorū generib.dictū ſpoliū eſſe faciendū; Et primò eſt faciendū de bonis acquiſitis ex negotiatione Clericis prohibita. Secundò ex bonis reddituū beneficiorū Eccleſiaſticorū,de quib.beneficiari nullā habēt facultatē diſponēdi;Tertiò ex inſtrumētis ſacris,vel veſtib.ſacris neceſſarijs ad cultum diuinū;Quartò ex bonis Religioſorū degētiū extra Religionē;& de ſingulis ſigillatim dicemus.Et quoad primū,prius ſciendū eſt quod ex iure antiquo ſpoliū Clericorū tantū fiebat, de bonis ex beneficijs acquiſitis, quæ ſuperarēt poſt obitū dictorū Clericorū; & reſpectu Monachorū,& Religioſorū, omnia,quę dicti acquirebāt ex negotiatione,vel alio modo,Monaſterio acquirebāt, vt cōſtat ex c. olim 2.de priuil.& Auth.Ingreſſi,de ſacros Eccl.& ex c.Ne dicatis 12. q.1.Attamē poſt nouū ius, & conſtitutionē Pij IV.quæ incipit. Decens eſſe cenſētes,& habetur in Bullar. to.2. pag. Mihi 22.Spoliū fieri debet etiā de acquiſitis ex negotiatione,vel alio modo cōtra Canon.Et quidquid lucratur Monachus, vel Religioſus abſq; legitima licentia egreſſus è monaſterio,totum eſt omninò Cameræ Apoſtolicę reſtituendum,vt conſtat ex dicta bulla,quā per extenſum ponere, neceſſarium iudicaui, vt faciliter dubia diſſoluantur.

Pius

Pius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

7 *DEcens eſſe cenſentes, & æquum, vt nos, qui alios in ſua iuſtitia confouemus Cameræ Apoſt. Iura non negligamus, quinimò ne prætextu incertitudinis illa ab aliquibus vſurpari, aut ſuper eis dubia aliqua oriri contingat, ita noſtræ declarationis remedio prouideamus, quod à nemine deſuper dubium aliquod deduci poſſit.*

§. 1. *Cum itaque ſicut accepimus à nonnullis vertatur in dubium, an res, & bona per Clericos etiã in ſacris ordinibus conſtitutos ex negotiatione illicita, aut alias contra ſacros Canones acquiſita, vbi ſpolia, vel alias ad Cameram præfatam iure legitimo ſpectare, & pertinere debeant; Nos omnes deſuper hæſitationis materiam ſubmouere, ac cauillationibus, & altercationibus, ac litibus viam præcludere, & denique malitijs eorum, qui iura dictæ Cameræ vſurpare ſatagunt, obuiare aliaſque in præmiſſis opportunè prouidere volentes.*

§. 2 *Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decernimus, & declaramus, omnia, & ſingula, res & bona cuiuſcunque qualitatis, & quantitatis exiſtentia, ac in quibuſuis Regionibus, et Regnis, ac Dominijs tam citrà, quam vltra montes, et maria conſiſtentia per quoſuis Clericos tam ſeculares quam quorumuis etiam mendicantium Ordinũ, ac Militiarum regulares, etiam in ſacris Ordinibus conſtitutos cuiuſcunque ſtatus, ordinis, et conditionis fuerint, ac Archiepiſcopali, Epiſcopali, vel alia maiori dignitate præfulgeat ex negotiatione illicita aut alias contra Sacros Canones quomodolibet acquiſita, quæ pro tempore poſt obitum eorum, qui etiam ex facultate quam habuerint teſtandi condito teſtamento, vbi vis locorum deceſſerint, & decedent, aut quibus illos etiam eis viuentibus priuari, & eis deſtrui contigerit, & præſertim quondam Andreæ Iapiro de S. Ioan. Rotundo Præsbyteri, ſeù Religioſi extra Romanam Curiam ad illam forſan veniendo hactenus remanſerunt, remanent, & remanebunt ad eandem Cameram, & non alias etiam in quibuſuis Cathedralibus, etiam Metropolit. & Collegiatis, ac alijs Eccleſijs cum cura ſæcularibus, et quorumuis ordinum regularibus qualitercunque qualificati ſucceſſores illa in titulum, Commendam, Adminiſtrationem Commiſſionem, ac alias quomodolibet pro tempore obtinentes etiam ſi ad illa vigore prioris tituli ius regrediendi, ſeù accedendi aliquibus conceſſum fuerit ſpectaſſe, et ſpectare, ac ſub nomine ſpoliorum venire, illaq; vti ſpolia ad Cameram ipſam pertinentia perpetuò colligi, & recuperari potuiſſe poſſe, & debere.*

§. 3. *Et ità per quoſcunque iudices quauis auctoritate fungentes in quacunque inſtantia ſublata eis, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere; Nec non irritum, et inane, quidquid ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 4. *Mandantes dilecto filio noſtro Guidoni Aſcanio S. M. in via Lata Diac. Card. de S. Flora nuncupato Camerario noſtro, & eius in Camerariatus officio ſucceſſoribus, quatenus ſpolia ipſa prout alia ipſius Cameræ iura exigi, & recuperari, ac præſentes inuiolabiliter obſeruari faciat, nec permittat Cameram ipſam, vel pro ea agentes deſuper modo aliquo moleſtari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & appellatione poſtpoſita compeſcendo, nec non legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij Secularis.*

§. 5. *Non obſtan. fel. rec. Bonifacij PP. VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duab. dictis, & alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Eccleſiarum, Monaſteriorum, Ordinum, Militiarum, & beneficiorum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis, illis, & dilectis filijs illorum Capitulis, Conuentibus, Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcunq; tenoribus, et formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam motu, & ſcientia ſimilibus, conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus tenores præſentibus pro ſufficien-*

ſicienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ac ſpecialiter, & expreſsè derogamus, Contrarijs quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum; quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1560. Nonis Nouembr. Pontificatus Noſtri. Anno primo.

8. Eſt etiam hic notandum; bona acquiſita ab Apoſtatis, vel Eiectis à Religione, ſiuè ex induſtria, ſiuè quocunque alio modo, pertinere ad Cameram Apoſtolicam, ſi prædicti moriantur extra Religionem; Secùs autem, ſi intra Religioné, vt ſtatuit Gregorius XIII. in ſuo motu proprio, qui incipit. Officij noſtri partes, & eſt conſtit. 43. in ordine apud Bullarium pagin. Mihi 310.

9. Ex quibus dictis iam conſtat, ſpolium eſſe faciendum ex omnibus bonis acquiſitis tam à Clericis, quam à Religioſis decedentibus extra Religionem? Ex negotiatione vel alijs modis contra Canones; & nota quod quamuis concedatur à Pontifice facultas teſtandi ſupradictis Clericis, vel Religioſis beneficiarijs, nō ex hoc intelligitur conceſſa licentia teſtandi de dictis bonis acquiſitis contra Canones; niſi id exprimatur in priuilegio prout patet ex verbis dictæ Bullæ in §. 2. poſitis, & notant Azor. 2. p. lib. 8. cap. 2. q. 1. Redoan. de ſpolijs q. 2. nu. 111. Filiuc. tom. 2. tr. 43. cap. 4. num. 34. & alij; imò quamuis ſupradicti beneficiarij antea compoſitionem feciſſet cum Camera Apoſtolica, adhuc dicta bona ſubijcerentur ſpolio, vt aſſerit Bonac. tom. 2. de contract. diſp. 3. q. vlt. pun. 2. §. 2. num. 3. Alia autem bona prouenientia ex fructibus beneficiorum non ſubduntur ſpolio ob negotiationem, vel alium modum illegitimum contra Canones, ſi adfuerit dictum priuilegium teſtandi, vel tranſactio cum Camera Apoſtolica; niſi Pontifex in pœnam negotiationis id præciperet, nec ſimiliter in pœnam negotiationis, bona patrimonialia ſubduntur ſpolio, cum hoc nullibi reperiatur.

10. Vtrum autem ad hoc, vt dicta bona acquiſita ex negotiatione, vel alio modo, vt ſupra ſubdantur ſpolio, neceſſaria ſit ſententia iudicis prout requiritur in lege pœnali? Et reſpondetur negatiuè, quia non per modum pœnæ, ſed per modum rectæ diſpoſitionis Pontifex annumerat dicta bona inter bona Cameræ Apoſtolicæ pertinentia, vt clarè patet ex dicta bulla, & ita tenet Azor. loc. cit. q. 3. Filiuc. tom. 2. tract. 34. cap. 4. num. 38. Bonac. vt ſupra nu. 6. & alij, quamuis, teſte Azor. & Bonac. non deſint, qui aſſerant, requiri ſententiam iudicis.

11. Quænam autem veniant ſub nomine negotiationis illicitæ? Reſpondeo, illa dici acquiſita ex negotiatione Clericis interdicta, quæ fuerūt acquiſita ex emptione, & venditione earum rerum, quæ abſq; vlla mutatione fuerunt priùs empta, & poſtea vendita ad lucrum reportandum; nā hęc tantum negotiatio eſt Clericis interdicta, vt conſtat ex cauſa 14. q. 4. ex cap. Canoni, & cap. Nunquam de conſecr. diſt. 6. Quando autem aliquid emitur, & poſtea arte, vel induſtria mutetur, vt vendatur non dicetur negotiatio, ſed induſtria, & ex conſequēti acquiſita per talem induſtriam non erunt ſubdita ſpolio. Et nota, quod quamuis in iure non dicatur negotiori ille, qui ſemel tantum vnum negotium agit; tamen acquiſita à Clerico, etiam in vno negotio tantum, adhuc ſubijciuntur ſpolio, cum ſpolia vocentur à Pontifice, vt docet Redoanus de ſpolijs Eccl. q. 2. n. 65. & ſequitur Azor. 2. part. lib. 8. cap. 2. qu. 5. Bonac. num. 11. Filiuc. num. 30. & alij communiter.

12. Sic etiam per illa verba in §. 2. Bulla poſita. Nempè; *Vel aliàs contra Canones quomodolibet acquiſita:* Intelliguntur omnia bona acquiſita a Clericis ex iniuſta poſſeſſione beneficiorum; ex exercitatione officiorum ipſis prohibitorum, vt ſunt officium medicinæ, Chirurgiæ, & aliarum artium ad curam corporis pertinentium, & illarum, quæ abſque effuſione ſanguinis,

vel

vel aduſtione exerceri non poſſunt; vt habetur in c. Sententiam, ne Clerici, vel Monachi, vbi dicitur. Nec vlla Chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ aduſtionem, vel inciſionem inducit. Item intelliguntur etiam acquiſita ex officijs Aduocati, & Procuratoris apud iudices Seculares, ex cap. Clerici de vita, & honeſtat. Cleric. Eſt etiam illis interdicta venatio, vel aucupium canum miniſterio, vel armorum præſidio fieri ſolita, & in cap. Secundum, de vita, & honeſt. Cleric. Prohibentur multa officia, & contractus prohibentur, ex quibus omnibus omne lucrum proueniens ſubijcitur ſpolio Cameræ Apoſtolicæ, vt fuſius probat Azor. 2. par. lib. 8. cap. 2. q. 6. & Bonac. 2. tom. de contract. diſp. 3. q. vlt. p 2. §. 2. n. 22. Nullo tamen modo intelliguntur ea, quæ turpiter, vel malè fuerunt acquiſita à dictis Clericis, ſcilicet, ea, quæ ſunt obnoxia reſtitutioni, cum hæc non fuerunt translata in dominium Clericorum, ſed ſemper ſuper ea habent dominium domini, à quibus fuerunt malè ablata, Eccleſia enim nō ſuccedit, niſi in bonis Clericorum, ſcilicet, in illis, quæ iam fuerunt translata in eorum dominium; vt docet Bonac. tom. 2. de contract. diſp. 3. q. vlt. pun. 2. §. 2. num. 7. Azor. loc. cit. q. 7. Nauar. de ſpol. §. 8. num. 8. Filiuc. tom. 2. tract. 43. cap. 4. q. 13. num. 14. & alij multi. Item bona acquiſita ex ludo Clericis prohibito, vt eſt vſus aleæ, etiam ſubijciuntur ſpolio, & ſimiliter acquiſita à Monachis, & Religioſis cōtra voluntatem ſuorum ſuperiorum; Nam hæc etiam dicuntur acquiſita contra Canones. Azor. loc. cit. q. 8. Vbi etiam notat, quod acquiſita à Clericis contra edictum Epiſcopi vel conſtitutiones Synodales, non ſubijciantur ſpolio, cum non dicantur acquiſita contra Canones, quæ omnia vt ſupra acquiſita, tunc tantum ſubijciuntur ſpolio, quando tempore mortis adhuc extant, & pertineant ad ipſos Clericos, ſecùs autem, ſi illa iam diſſipauerint, vel diſtraxerint inter viuos, dummodo antea per ſententiam iudicis non fuiſſent illis priuati; nam tunc nulla eſſet diſtractio, & omninò pertinerent ad Cameram Apoſtolicam, vt expreſsè habetur in dicta Bulla §. 2. & notat Bonac. loc. cit. num. 8. Nauarrus, & alij.

13. Sed vtrum ſub nomine Clericorum, quorum bona ſubijciuntur ſpolio ratione negotiationis, &c. Vt diximus, intelligantur omnes Clerici in minoribus exiſtentes, & carentes beneficio Eccleſiaſtico? Nam de habentibus beneficium, vel penſionem non eſt dubium, cum his ſit prohibita negotiatio. Et affirmatiuè reſpondet Redoan. de ſpol. Eccleſ. q. 2. num. 107. Et ratio eſt, quia in ſupra poſita bulla Pij IV. generaliter loquitur. *Per quoſuis Clericos, &c.* Et cum lex non diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus: & confirmatur; quia adeſt conſuetudo faciendi compoſitionem cum huiuſmodi Clericis, vt refert Cigalotus in inſtruct. ad Nuncium Summi Pontificis Neapoli commorantem, & in hanc opinionem videtur inclinare. Bonac. loc. cit. num. 9. ſed Azor. 2. p. lib. 8. cap. 2. q. 9. Contrarium putat verum; Et ratio eius eſt, quia multa in iure prohibentur Clericis in ſacris exiſtentibus, vel habentibus beneficia Eccleſiaſtica; quæ non prohibētur Clericis in minoribus exiſtentibus, & carentibus dictis beneficijs. Attamen prima opinio videtur conformior verbis citatæ Bullæ, vt ibi videri poteſt; Sed vſui ſtandum eſt.

14. Eſt ſecundò faciendum ſpolium ex fructibus beneficiorum poſt mortem relictis à beneficiarijs. Sed priùs eſt ſciendum, bona Clericorum eſſe in triplici differentia. Nam quædam vocantur patrimonialia, quædam quaſi patrimonialia, & quædam beneficiaria, ſeu prouenientia ex beneficijs; bona patrimonialia ſunt illa, quę acquirunt ex hæreditaria ſucceſsione; quaſi patrimonialia ſunt illa, quæ licet non proueniant ex hæreditate, cadūt ſub dominiū, & poteſtatem acquirentis, vt ſunt bona, quæ acquiruntur arte, officio, vel induſtria & de his omnibus bonis tam patrimonialibus, quam quaſi patrimonialibus, certum eſt, quod non poſsit fieri ſpolium poſt obitum Clericorum. Fit igitur ſpolium ex bonis prouenientibus ex beneficijs, vel præbendis Eccleſiaſticis, de illis tamen, quæ reperiuntur, ſeu erūt ſub dominio, & diſpoſitione beneficiariorum, dum viuebant; fructus verò, qui reperiuntur ex eo,

quod beneficiarius habebat pingue patrimonium, vel magnum lucrum ob eius induſtriam, vel doctrinam, &c. Non cenſentur bona ex beneficijs relicta, & ex conſequenti non ſubduntur ſpolio; niſi in caſu, quo omnia bona Clericorum cederent Cameræ Apoſtolicæ, vt in caſu, quo Clericus decederet inteſtatus, nullis relictis cõſanguineis, vel cognatis ſucceſſuris ab inteſtato; intra decimum gradum, vt infra num. 23. Nam in hoc caſu licet ſuccedat Eccleſia, vt habetur in l. Si quis Presbyter C. de Epiſcop. & Cler. & cap. 1. de ſucceſſ. ab inteſtato; Tamen in his caſibus Camera Apoſtolica ſubrogata eſt in locum Eccleſiæ, vt ex communi tradit Bonac. tom. 2. de contract. diſp. 3. q. vlt. pun. 2. §. 1. num. 3. verſ. Excipiendus vide etiam num. 1 & 2. Azor. 2. p. lib. 8. cap. 3. q. 1. & alios; Idem etiam eſt dicendum de bonis acquiſitis à Capellano amouibili ex celebratione Miſſarum, cum non dicantur bona ex beneficijs; ſed merces, & ſtipendium laboris, nec ſimiliter alia bona acquiſita ex eo, quod quis ſit Capellanus Regis, vel Principis, quando tamen huiuſmodi Capellaniæ nõ dantur, nec ſunt beneficia Eccleſiaſtica, vt Azor. loc. cit. q. 10. Item neque diſtributiones, quamuis ingentes eſſent, cadunt ſub ſpolio, vt fusè idem Azor. q. 9. Couar. 3. var. c. 13. Redoan. de ſpolijs q. 23. §. ſtantibus num. 18. & alij multi cum Bonac. loc. cit. verſ. ſecundò.

15. Eſt tamen primò notandum, beneficiarium habentem beneficium non excedens valorem congruæ ſubſtentationis, non eſſe ſpoliandum, quamuis ſuperſint fructus poſt eius obitũ, eo quod parcè vixerit, & illos ſibi ſubtraxit à debita ſubſtẽtatione, vt Nauar. quem ſequitur Azor. in cit. cap. 3. q. 2. Bonac. n. 5. verſ. quartò. Ex communi opinione. Imò Pius V. in quadam conſtit. quæ eſt 42. in ordine, & incipit. Romani Pontificis prouidentia in anno 1567. ad tollendas lites, præcepit, vt ſub ſpolio non veniant ornamenta, & paramenta Eccleſiarum, nec ſuppellectilia domeſtica, neq; bona Clericorum non habentium beneficium, aut penſionẽ excedẽtem ſummam ducatorum 30. Attamen in dubio non cenſeretur tenue, niſi probetur, vt fuſiùs Bonac. verſ. Obſerua ex Rota, Redoano, & alijs. Et idem eſt dicendum, quando adeſt dubium, an bona beneficiarij poſt obitum ſint ex beneficio an ex patrimonio, vel induſtria, ſunt enim cenſenda eſſe ex beneficijs, niſi contrarium probetur, vt Redoanus de ſpol. Eccleſ. q. 3. §. quid dicendum, n. 1. & ſeqq. quem ſequitur Azor. 2. p. lib. 8. c. 3. q. 4.

16. Secundò eſt notandum, cognatos beneficiarij ſuccedentes ab inteſtato, non poſſe iuxta ſecuriorem, & meliorem opinionẽ, propria auctoritate tantundẽ de fructibus beneficij capere, quantum beneficiarius inſumpſerat ex bonis patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus, quia poteſt eſſe, vt dictus beneficiarius id inſumpſerit abſque animo faciendi vllam compenſationem; ſed tantum intuitu pietatis; ideò beneficiarij debent ante obitum id omninò declarare; quia in dubijs ſemper eſt tenendum in fauorem Eccleſiæ, Filiucc. tom. 2. tract. 43. cap. 8. num. 17. ex Vaſq. de redditib. cap. 1. §. 3. Nauar. de peculio Clericor. conſil. 4. num. 5. Bonac. de contract. tom. 2. diſp. 3. quæſt. vlt. pun. 2. §. 1. num. 5. & alij.

17. Tertiò eſt notandum, fructus malè perceptos à beneficiarijs, vt ratione omiſſionis recitationis officij diuini, ratione ſimoniæ, &c. Non comprehendi ſub ſpolio, cum tales fructus nunquam tranſierint in dominium beneficiariorum, & ſpolium debet fieri tantum de fructibus remanentibus tempore mortis, ſuppoſito vero dominio in beneficiarijs, ac etiam de illis, quibus beneficiarij fuerunt priuati per ſententiam iudicis, vel poterant priuari ratione iniuſtæ negotiationis, vt iam diximus in num. 12. & ſequitur Filiuc. num. 12.

18. Vtrum autem empta pecunijs ex redditibus beneficiorum, vel penſionum, veniant ſub nomine ſpolij? Affirmatiuè eſt reſpondendum, cum tam mobilia, quã immobilia, & ſe mouentia veniant ſub nomine bonorum, vt diximus in num. 1. & iam patet ex Bulla Pij IV. relata in num. 7. & Pij V. citata in num. 15. ac etiam ex Bulla Pauli V. quæ incipit. In Eminenti, & eſt 18. in ordine, quod omnia bona dictorum beneficiariorum ſubſint ſpolio poſt obitũ

eorum

eorum; & licet, olim in conſtitutionibus Iulij III. Pauli III. & IV. dicebatur, immobilia empta à beneficiarijs proprio nomine ex fructibus beneficiorū, non fieri ipſo iure Eccleſiæ, vt refert Azor. 2. p. lib. 8. c. 3. q. 5. Tamen id poſtea fuit correctum per aliud ius nouum, vt loquitur Filiuc. tom. 2. tract. 43. cap. 8. num. 20. ex Nauar. de redditib. q. 1. monit. 42. Empta autem à dictis beneficiarijs pecunijs Eccleſiæ, certum eſt, quod tranſeant in dominium dictæ Eccleſiæ, vt Azor. loc. cit. in fin. quæ doctrina tradita de bonis tam mobilibus, quam immobilibus intelligas; dummodo ſuperſint poſt obitum beneficiariorū; ſecùs, ſi illi inter viuos diſtraxerint, vel diſſipauerint, aut alio modo alienauerint, quia ſpolium, vt ſæpè notauimus, eſt faciendum de bonis remanentibus tempore mortis dictorum beneficiariorum. vide Azor. loc. cit. verſ. Quæſtio quidem eſt, circa fin. Nauarr. de ſpolijs §. 8. Bonac. in cit. nu. 5. verſ. quintò: & num. 6.

19. Et quia iam ſupponimus ſpolium faciendum eſſe non ſolum de bonis beneficiorum remanentibus; ſed etiam de bonis penſionum, vt iam diximus in num. 15. ex Bulla Pij V. & docet Filiuc. tom. 2. tr. 43. cap. 4. num. 18. & Bonac. dicto num. 6. cum alijs communiter; Modò quæritur, vtrum penſiones non adhuc conſumptæ tempore mortis beneficiarij, cadant ſub ſpolio? Et affirmatiuè reſpondet Azor. 2. p. lib. 8. c. 3. q. 8. Saltem poſt Bullam Pauli III. Iulij III. Pij V. & iuxta vſum Cameræ Apoſtolicæ; Nam etiam penſiones ſunt fructus prouenientes ex beneficijs, vnde eodem modo ſubduntur ſpolio, ac fructus beneficiorum; eadem etiam doctrina currit reſpectu fructuum debitorum ante obitum, ſed non adhuc perceptorum, vt Azor. dicto loc. q. 13. & Redoano, & alijs.

20. Tertiò eſt faciendum ſpolium, ſeu videndum eſt an ſpolium poſſit fieri ex inſtrumentis, & veſtibus ſacris neceſſarijs ad diuinum cultum? Et breuiter reſpondeo, omnia prædicta inſtrumenta ſpectare ad Eccleſiam, in qua beneficiarius mortuus habuit beneficium, vt patet ex Bulla Pij V. in qua Pontifex præcipit, vt bona habentium beneficium, aut penſionem non excedentem valorē ducatorum 30. nullo modo cadent ſub ſpolio. Neque ſimiliter ſupellectilia domeſtica, neque paramenta, & ornamenta Eccleſiarum; quam bullā pro totali deciſione huius tertij quæſiti per extenſum ponere neceſſarium cenſui ad faciliter dubia diſſoluenda.

Pius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

21 *Romani Pontificis prouidentia circumſpecta ad ea, ſollicitudines ſuæ partes potiſſimum conuertit per quæ ſingulis Eccleſijs debita obſequia, & opportuna ſubuentionis auxilia minimè ſubtrahantur, cum itaque ſicut accepimus, nonnulli Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, ſeu Commendatarij, ac alij beneficia Eccleſiaſtica obtinentes proprij honoris, & ſalutis immemores etiam prætextu facultatum teſtandi eis per Sedem Apoſtolicam conceſſarum, in eorum vltimis voluntatibus res ſacras, ac vaſa, ornamenta, & paramenta Eccleſiaſtica, aliaque cultui diuino dicata, quandoque ex fructibus Eccleſiaſticis, & monaſterijs, ac beneficijs, quibus præfuerunt, ſeu à quibus prouentus Eccleſiaſticos, ea ſtipendia acceperunt prout ratione, & honeſtate conſentaneum foret, ſed alijs locis, etiam aliquando non pijs, ac interdum eorum conſanguineis, & affinibus relinquere, ac Cameræ Apoſtolicæ Collectores prætextu, quod illa ſub appellatione ſpoliorum veniant tanquam eiuſdem Cameræ ſpolia exigere, & percipere non erubeſcunt, in maximum Religionis dedecus, ac Eccleſiarum Monaſteriorum, & beneficiorum eorundem detrimentum, ac relinquentium animarum periculum ſcandalumque plurimorum.*

§. 1. *Nos ab vſibus ſcandaliſque huiuſmodi prouidere, ac ſingularum Eccleſiarum, monaſteriorum, ac beneficiorum indemnitati, animarumque quarumlib. ſaluti conſulere volentes motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, quod de cætero, omnia, & ſingu-*

la ornamenta, & paramenta, ac vaſa, nec non miſſalia, & gradualia, ac cantusfirmi, muſica aliquæ quomodolibet nuncipati libri, & aliæ res ſacræ etiam auri, & argenti ac quæcunque alia bona per quoſcunque Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, ſeù Commendatarios, et alios quoſcunque, quæcunque, et qualiacunque beneficia Eccleſiaſtica cum cura, et ſine cura ſæcularia, & quorumuis ordinum regularia in titulum, vel Commendam, aut alias quomodolibet obtinẽtes quocunque nomine, vel titulo cenſeantur etiam de illis, & eorum qualitatibus ſpecialis, et expreſſa mentio habenda foret ad vſum, et cultum diuinum, etiam in eorum priuatis ædibus, et capellis vel oratorijs deſtinata tempore eorum obitus ex teſtamento, vel ab inteſtato relicta ſub quibuſuis facultatibus teſtandi, & alios diſponendi de bonis per eos ex altari, vel alios quomodolibet acquiſitis per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores, et ſucceſſores noſtros, ac nos ſub quibuſuis tenoribus, et formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, et alias quomodolibet conceſſis, et concedendis minimè comprahenduntur, nec ſub appellatione ſpoliorum veniant, ſed ſingulas Eccleſias monaſteria etiam conuentu carentia, et beneficia huiuſmodi cum quibus reſiderint, aut quibus præfuerint, ſeù quæ aliàs abtinuerint omnino ſpectent, et pertineant, ac ſpectare, & pertinere.

§. 2. *Illaque poſt eorum obitum eiſdem Eccleſijs, monaſterijs, et beneficijs etiam ſi in Romana curia, et procul ab illis deceſſerint, vel ad illa nunquam acceſſerint, etiam ſi antea Eccleſiarũ, et monaſteriorum regimini ceſſarent, vel beneficia huiuſmodi renunciauerint eo ipſo applicata, & incorporata ſint, et cenſeantur. Ita quod liceat illis defunctis in ijsdem Eccleſijs, monaſterijs, & beneficijs ſucceſſoribus Eccleſiarum, et monaſteriorum huiuſmodi capitulis, & conuentibus reſpectiuè, illa propria auctoritate libere apprehendere, ac eorum Eccleſijs, & ſacriſtijs applicare, & incorporare.*

§. 3. *Ac quæcunque donationes, ac relicta, & legata teſtamenta et codicilli, et aliæ vltimæ voluntates, ſeù ſpolia deſuper contra præſentes conſtitutionis noſtræ tenorem quomodolibet pro tempore facta, quoad præmiſſa nulla, et inualida, nulliuſque roboris, et momenti exiſtat ac perſonis etiã Eccleſiaſticis, ſeu locis etiam pijs, aut Eccleſiaſticis quibuſcunque in quarum, ſeù quorum fauorem pro tempore facta fuerant, minimè ſuffragentur, nec per ea eiſdem perſonis, ſeu locis, vel alijs Eccleſijs huiuſmodi aliquod ius rebus prædictis, vel ad illas requiri poſſe.*

§. 4. *Quinimò res ſacras, ac alia bona prædicta, quocunque nomine, vel titulo pro tempore detinentes ad illa Eccleſijs, et monaſterijs, ac beneficijs per defunctos quomodolibet acquiſitis, vt præfertur iuxta præſentium tenorem realiter, & cum effectu reſtituendum, et conſignandum quibuſuis diſpoſitionibus de illis in contrarium quomodolibet factos minimè attentis omnino teneantur, et ad id per cenſuras, et pœnas etiam furti, et ſacrilegij, ac alia iuris, et facti remedia opportuna cogi, et compelli poſſint, et debeant.*

§. 5. *Inſuper ne deinceps contingat inſolentia ſpoliorum Cameræ Apoſtolicæ collectorum, vel ſubcollectorum aliquas Eccleſias, nec hominum quemque damno, et iniuria affici nec cuiquam de cætero vertatur in dubium, quæ res habendæ ſint nomine ſpolij. Simili modo ſtatuimus, decernimus, et declaramus, quod quæcunq; ſcanda, cathedra, arcæ, et lignæ, vel lapidæ etiam marmoreæ, menſæ, et tabulæ, ac quæcunq; dolia, ſeù vaſa vinaria vacua, et alia ſimilia ſpellectilia domeſtica per quoſuis Præsbyteros; ſeù Clericos ab humanis pro tempore decedentes tempore eorum obitus in Eccleſijs ſeù eorum domibus Eccleſiarum eorundem, vel alibi vbi vs locorum relicta, ſi ex fructibus, et prouentibus beneficiorum, quæ dum viuerent obtinebant, ac quæſita fuerint ſub ſpoliorum appellatione minimè veniant, nec pro ſpolijs nullo modo reperiri poſſant.*

§. 6. *Præterea quod nullum ſpolium Cameræ præfatæ fieri, nec quidquam à quibuſuis ſpoliorũ Cameræ huiuſmodi collectoribus, vel ſubcollectoribus exigi poſſit per obitum illius, qui dum viueret vnum, vel plura beneficia Eccleſiaſtica obtinuerit, cuius, vel quorum inſimul fructus redditus, & prouentus triginta ducatorum auri de Camera ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non exceſſerint, aut qui penſiones annuas ſuper quibus fructibus Eccleſiaſticis vſq; ad dictum valorem annuatim perceperit, dummodo tamen is ſe ab omni illicita negotiatione, & à ſacris Canonibus prohibita obtinuerit; ita quod ſi quis dictorum collectorum aliquid ex bonis quorumuis defunctorum, qui ſimilia beneficia obtinuerint, ſeù ſimiles penſiones perceperint prætextu*

ſpoliorum

ſpoliorum einſdem Cameræ percipere, aut alias contra præſentes noſtras litteras attentare præſumpſerint ad totalem bonorum per eum perceptorum reſtitutionem teneatur, ac ad viam iuris etiam per ſimiles cenſuras, & pœnas cogi, & compelli poſſit, & debeat.

§. 7. *Diſtrictius inhibentes quibuſuis Cameræ præfatæ ſpoliorum collectoribus nunc, & pro tempore exiſtentibus ſub indignationis noſtræ, & priuationis eorum officiorum pœna ne in ornamentis, & paramentis, ac vſibus, & libris præfato cultui diuino dicatis, ac alijs in rebus ſacris, nec non ſupellectilibus præfatis quomodolibet ſe intromittant nec in eorum inuentarijs tanquam ſpolia redigant, ſeu deſcribant, ſed ornamenta, & paramenta, nec non vaſa, & libros aliaque diuino cultui dicata huiuſmodi Eccleſijs, & monaſterijs, capellis; & alijs beneficijs huiuſmodi eorumque Rectoribus, & alijs præfatis liberè admittant, & conſignent, ac conſignari faciant cum effectu, ac ſupellectilia prædicta in locis vbi conſtiterint, relinquant.*

§. 8. *Ac decernentes ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque iudices, & commiſſarios, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquā quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 9. *Quocirca dilectis filijs Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & ſingulis locorum Ordinarijs, ac maiorem dignitatem poſt Pontificalem in vniuerſis Eccleſijs Cathedralibus, & Metropolitan. pro tempore obtinentibus per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum præſentes litteras, et in eis contenta quęcunque vbi, et quando opus fuerit, quoties pro parte quorumcunque in præmiſſis intereſſe habentium vt præfertur fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, et in eis contenta, quęcunque firmiter, obſeruari, ac ſingulos quos litteræ ipſæ concernunt illis pacificè gaudere non permittentes, eos deſuper quomodolibet indebitè moleſtari contradictores, auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo.*

§. 10. *Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in prouincialibus, et ſynodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus nec non Eccleſiarum, & monaſteriorum huiuſmodi iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus facultatibus teſtandi alijſque priuilegijs, indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis conceſſis, approbatis, & innouatis etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa mentio facienda eſſet illorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes illis in reliquis in ſuo robore permanentibus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.*

§. 11. *Volumus autem, quod ſi aliquis ex Patriarchis, Epiſcopis, Abbatibus, ſeu Commendatarijs, & alijs beneficiatis præfatis pluribus Eccleſijs, ſeu Monaſterijs pro tempore ſimul, vel ſucceſſioni præfuerit, ſeu plura beneficia obtinuerit ornamenta, et paramēta, ac res, et bona prędicta ad illa omnia habita ratione fructuum, et temporis, quo eadem beneficia poſſedit omninò pertineant, et proportionaliter interea diuidantur.*

§. 12. *Quodque præſentes litteræ in Cancellaria noſtra Apoſtolica, et acie Campi Floræ de more publicentur, et inter conſtitutiones perpetuò valituras deſcribantur.*

§. 13. *Et quia difficilè foret præſentes ad quęcunque loca differri volumus, et etiam declaramus eorum tranſumptis, etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, ex ſigillo alicuius Prælatis, vel alterius perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę ſigillatis eadem prorſus fides in iudicio, et extra adhibeantur, quę eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi foret exhibitę, vel oſtenſa.*

§. 14. *Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, ſtatuti decreti declarationis, inhibitionis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.*

Datum Romę apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicę 1567. 3. kalend. Septembris Pontificatus noſtri anno ſecundo.

22. Vnde

22. Vnde ſequitur, omnia inſtrumenta, & ornamenta ſacra vtilia, & neceſſaria ad cultum diuinum, non poſſe tranſire ad hæredes, vel legatarios, ſi antea alienata non fuerint, ſeu dummodo adſint tempore mortis beneficiarij, vel penſionem habentis; quod intellige etiam ſi per Pontificem fuerit conceſſa dicto beneficiario facultas teſtandi, &c. Et quamuis dicta inſtrumenta, & ornamenta fuiſſent empta pecunijs patrimonij, vel alijs propria induſtria acquiſitis; Nam in omni caſu vult Pontifex, vt prædicta omnia veniant ſub nomine ſpoliorum; In beneficium tamen Eccleſiæ, ſeu Monaſterij, &c. Ipſius beneficiarij mortui, non autem Cameræ Apoſtolicæ; vt dicitur in §. 1. citatæ Bullæ; & iam docuimus ſupra num. 20. vt etiam probat Azor. 2. p. lib. 8. cap. 3. q. 7. Nauar. de ſpol. §. 8. num. 3. Exceptuantur tantum inſtrumenta, & indumẽta ſacra relicta à Cardinalibus; quia hæc ſpectant ad Capellam Summi Pontificis, vt ait Bonac. tom. 2. de contr. diſp. 3. q. vlt. pun. 3. §. 3. n. 9. ex Bulla Iulij III. edita Anno 1550. die 26. Iulij, quam conſtitutionem infra alia occaſione ponemus.

23. Eſt breuiter hic notandum, diſtributiones quotidianas Canonicis dari ſolitas non venire ſub nomine ſpoliorũ, cum dentur tanquam merces, de qua beneficiarius licitè poteſt etiam teſtari, vel alio modo diſponere, vt Couarr. lib. 3. var. reſol. c. 13. Redoanus de ſpol. qu. 3. §. ſtantibus his num. 18. & q. 1. num. 17. & 18. & communiter alij, licet, ſi vellent Pontifices, poſſent illas ſibi reſeruare; In alijs autem bonis Clericorum ex patrimonio, vel induſtria, aut officio acquiſitis; ſi non adſint hæredes dictorum Clericorum intra decimum gradum; iure communi Eccleſia ſuccedit, cui talis Clericus erat adſcriptus, vel in qua habebat beneficium, quod colligitur ex c. 12. q. 5. de ſucceſſionibus ab inteſtato. cap. vlt. vbi ſic habetur. *Quicunque ex gradu Eccleſiaſtico, ſine teſtamento, & ſine cognatione deceſſerit, hæreditas eius ad Eccleſiã, vbi deſeruit, deuoluatur.* Et in Authen. de Eccleſ. tit. collatio 9. §. interdicimus, verſ. Si quis autem Epiſcopus. Imperator ſic ait. *Si quis autem Epiſcopus, aut Clericus, aut cuiuslibet Eccleſiaſtici gradus miniſter, aut Eccleſiæ Diaconiſſa moriantur ſine teſtamento, & legitimis ſucceſſoribus, horum ſucceſſio Eccleſiæ competat, in qua conſtituti fuerint*; idem colligitur ex multis alijs locis iuris Canonici. Et ſi Clericus nulli Eccleſiæ eſſet adſcriptus, tunc ſuccederet Epiſcopus, qui de dictis bonis poſſet ſtatuere, quod pium eſſe crederit coram Deo; & poſſet etiã ſuccedere Fiſcus Summi Pontificis, vt Azor. 2. p. lib. 8. ca. 3. q. 11. in fine; Et de facto iam ſuccedit Camera Apoſtolica, vt ſupra diximus in num. 14. Si autem dicti Clerici habuerint hæredes ſaltem intra decimum gradum, in dictis bonis ipſi ſuccedunt, vt patet ex cap. Sint manifeſtæ 12. quæſt. 1. de ſucceſſionibus ab inteſtato.

24. Vtrum autem fructus prouenientes tempore Eccleſiarum, & beneficiorum vacantium ſpectent ad Fiſcum Cameræ Apoſtolicæ? Et affirmatiuè reſpondetur ex Gregorio XIII. in ſua conſtit. quæ incipit. Cum ſicut accepimus, in qua omnes fructus dictarum Eccleſiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & Monaſteriorum vacantiũ Cameræ Apoſtolicæ applicat. Imò omnia bona non reſidentium Pius IV. ſimiliter reſeruat Cameræ Apoſtolicæ non obſtante facultate teſtandi conceſſa à Summo Pontifice, incipit dicta conſtitutio. In ſupremę militantis Eccleſiæ. Fructus autem Eccleſiarum, vel beneficiorum vacantium in toto Regno Neapolitano aliter quam per reſignationem, ſpectant ad Fiſcum Cameræ Apoſtolicæ, ſecus autem de beneficijs vacantibus per reſignationem, vt Pius IV. in quodam mandato, quod dedit die 7. Decemb. Anno 1560. his verbis. *Motu proprio, & ex certa ſcientia, omnes, & ſingulos fructus, reditus, & prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta quæcunq; quomodolibet & qualitercunq; nuncupata. Omnium, & ſingulorum beneficiorũ Eccleſiaſticorum cum cura & ſine cura, ſecularium, & quorumuis Ordinum, Regularium, & Monaſteriorum, & Conſiſtorialium. Sed. Apoſtol. tam per conſtitutiones Apoſtolicas, quam Cancellariæ Apoſtolicæ Regulas editas & edendas, ſeu alias quomodolibet ex quauis cauſa, generaliter, vel ſpecialiter reſeruatorum, ſeu affectorum in Regno Neapolis, & quibuſuis Prouincijs, Ciuita-*

uita-

nitatibus, Terris, Oppidis, & locis conſiſtentium per obitum, & alias quouis modo præterquam per ceſſum illa obtinentium pro tempore vacantium, à die ipſorum beneficiariorum; & Monaſteriorum vacationis pro rata temporis vſque ad diem, quo prouiſi per nos de ijſdem beneficijs, & Monaſterijs, vigore literarum noſtrarum ſub plumbo illorum poſſeſſionem de manu dilecti filij Magiſtri Pauli Odeſcalchi Notarij, & in dicto Regno Nuntij, & Collectoris noſtri, vel per alias noſtras literas ad Commiſſarium, quem ad capiendam poſſeſſionem beneficiorum, & Monaſteriorum huiuſmodi deputauimus, habuerint, & acceperint, & aliter apprehenſa poſſeſſio nullius ſit roboris, vel momenti, ac prouiſis his nullum ius per eam acquiri, neque eis nullatenus ſuffragari poſſit. Cameræ Apoſtolicæ, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium applicamus, incorporamus, & appropriamus, & ad prædictam Cameram ſpectare ſtatuimus; & ordinamus. Id etiam ſtatuit Sixtus V. conſtit, 90. in ordine quæ incipit. Sicut accepimus, nempè ſtatuit vt omnes fructus Eccleſiarum, & beneficiorum vacantiũ, & fructus ante mortem non collecta, ſpectent ad Cameram Apoſtolicam. In alijs autem Regnis, & Prouincijs non adeſt dictum priuilegium, ſcilicet, vt fructus beneficij reſignati non pertineant ad Cameram Apoſtolicam, vt infra melius dicetur in num. 30. Vt patet ex alia Bulla eiuſdem Pontificis antea facta nempe die 30. Iulij 1560. cuius verba refert Azor. 2. p. lib. 8. cap. 3. q. 10.

25. Et dubitari poſſet, vtrum dictum priuilegium in Regno Neapolis fuerit abrogatum per Bullam Vrbani VIII. nam in conſtit. 28. §. 12. dictus Pontifex ſic loquitur. *Nec non omnia priuilegia localia, ne ſcilicet in quibuſdam Ciuitatibus, locis, & Dominijs temporalibus, etiam Auenion. Bonon. Pariſienſ. Beneuent. ſeu alijs Prouincijs, Ciuitatibus, & locis etiam priuilegiatis, & ſpeciali nota dignis (non tamen in Vrbe prædicta, & eius diſtrictu, præter, & contra formam Conſtitutionis Pauli prædeceſſoris in fauorem Curialium, & Incolarum, dictæ Vrbis editæ, quam in ſuo robore, permanere, & omnino ſeruari volumus) Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum ſpolia fiant, & colliguntur, & Commiſſarij, & Collectores ſpoliorum, & iurium dictæ Cameræ debitorum in eis non retineantur, vel ad ea non tranſmittantur, ſeu in illicitæ negotiationis, diſpoſitionum contra Conſtitutiones piæ memor. Pij Papæ V. etiam prædeceſſoris noſtri in illegitimos factorum, Apoſtatarum, & Clericorum extra reſidentiam decedentium; Sed alijs cauſis non procedatur.* Reſpondeo, in dictis verbis non videtur abrogatum dictum priuilegium, ſcilicet, ne fructus ex beneficijs reſignatis, & vacantibus in dicto Regno habeãtur pro ſpolio Cameræ Apoſtolicæ debito: Niſi tamen conſtaret ex vſu, qui eſt vera legis interpretatio.

26. Qui autem ſint exempti à dicto ſpolio? Reſpondeo eſſe Curiales Curiæ Romanæ, Incolas, & Ciues Romanos, in ipſa tamen Vrbe, vel eius diſtrictu, ſcilicet intra decem milliaria, decedentes; dummodo decedant intra reſidentiam, vt conſtat ex multis Bullis Summorum Pontificorũ, Confirmatis, & innouatis à Paulo V. Bulla 18. quæ incipit. In Eminenti Apoſtolicæ dignitatis, in qua ſic in §. 2. ait. *Volenteſque nos, qui in eadem Vrbe nati ſumus, Curialium, & Incolarum prædictorum indemnitati, & tranquillitati conſulere, ac tam eos, quam Romanos Ciues Originarios pari fauoris, & gratiæ prærogatiua proſequi, eorumdem prædeceſſorum veſtigijs inhærendo, motu proprio, & ex certa ſcientia, matura deliberatione, & mera liberalitate noſtri. Deque Apoſtolica nobis attributæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, ſtatuimas, decernimus, & declaramus, quod poſthac perpetuis futuris temporibus, omnes, & ſinguli Romanam Curiam ſequentes, ſeu ipſam Vrbem incolentes, nec non ipſi Romani Ciues Originarij nunc, & pro tempore exiſtentes etiam Clericis, & in Sacris, etiam Presbyteratos ordinibus conſtituti, cæteraque omnes, & quæcunque alia perſona Eccleſiaſtica cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, etiam Abbatiali, Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, & etiam Maiori, & quauis alia Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate fulgentes, & quæcunque beneficia Eccleſiaſtica ſecularia, & quorumuis Ordinum regularia, aut alias quomodolibet qualificata, & ſpeciali nota digna obtinentes, nec non quaſcunque penſiones annuas ſuper quarumuis menſarum, Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Abbatialium, ac dignitatum, Canonicatuum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, vt præfertur, vel alias quomodo-*

modolibet qualificatorum fructibus redditibus, & prouentibus, aut ipſos fructus, redditus, & prouentus loco penſionum annuarum ſibi Apoſtolica auctoritate quomodolibet reſeruatas, & aſſignatas, ac reſeruatos, & aſſignatos habentes, & obtinentes, qui in dicta Vrbe, vel eius diſtrictu intra decem milliaria ab ipſa Vrbe (non tamen extra debitam reſidentiam) deceſſerint. De omnibus ſuis bonis mobilibus, et immobilibus, ac ſe mouentibus, iuribus, et actionibus quibuſcunque, nec non iocalibus, et pecunijs, ac rebus alijs in dicta Vrbe, et eius diſtrictu intra decem milliaria huiuſmodi conſiſtentibus, et ſeu exiſtentiſtentibus, ac etiam prouenientibus ex quibuſcunque fructibus, redditibus, et prouentibus, ac iuribus, obuentionibus, et emolumentis etiam decimalibus dictarum Eccleſiarum, et beneficiorũ, vt præfertur quomodolibet qualificatorum, quæ in titulum, vel Commendam, aut adminiſtrationem, vel alias quomodolibet, etiam ex quibuſuis conceſſionibus, et diſpenſationibus Apoſtolicis obtinent, et ſeu antea obtinuerunt, vel in poſterum obtinebunt; nec non etiam ex quibuſuis fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, et emolumentis Eccleſiaſticis, atque penſionibus annuis ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, et prouentibus, ac etiam diſtributionibus quotidianis ſibi reſeruatis, conceſſis, conſtitutis, et aſſignatis; nec non ex emolumentis quorumcunque Romanæ Curiæ officiorum, etiam adminiſtrationem habentium; et locorum Montium, vel cenſuum, ac alias prouenientẽ; quæ ipſi pro tempore habuerunt, et obtinuerunt, ac habẽt, et obtinent, habebuntque, et obtinebunt in futurum, cuiuſcunque qualitatis, quantitatis, & ſummæ, ac pretij, & valoris exiſtant per eos, & eorum quemlibet acquiſitis, & acquirendis, & in eadem Vrbe, & illius diſtrictu infra decem milliaria, vt ſupra conſiſtentibus, diſponere, & tam donatione inter viuos, vel cauſa mortis, ſeu teſtamento, legato, et fideicommiſſo, quam alia quauis diſpoſitione inter viuos, ſeu vltima voluntate in fauorem conſanguineorũ, et affinium ſuorum, Collegiorumque, Vniuerſitatum, et locorum piorum, ac quarumuis aliarum perſonarum etiam penitus extranearum, diſponere, et ordinare, ac in eiſdem rebus, et bonis conſanguineos, et affines, Collegia, et Vniuerſitates, ac loca, et perſonas præfatas, hæredes vniuerſales, vel particulares pro eorum libito voluntatis facere, de illiſque liberè, et licitè pro libito voluntatis diſponere poſſint, et valeant, plenam, et liberam eis, et cuilibet eorum licentiam, et facultatem omnimodam concedimus, et impartimur. §. 3. *Declarantes, quod ſi contingat dictos Clericos, et alias Eccleſiaſticas perſonas præfatas diſponere de ipſorum bonis in fauorem illegitimorum (non tamen ex eorum proprio corpore procreatorum) tunc, et eo caſu quoad bona, et iura, et alias res ipſorum diſponentium merè patrimonialia, et laicalia in dicta Vrbe, et illius diſtrictu, vt ſupra conſiſtentia, nec Camera, nec ipſi illegitimi in illis vllo modo ſuccedant, ſed aduenientes ab inteſtato iuxta iuris diſpoſitionem ſpectent, et pertineant, quauis alia conſtitutione forſan contrarium diſponente, non obſtante.*

§. 4. *Præterea motu, ſcientia, et poteſtate ſimilibus decernimus, et ordinamus, quod ſi dicti Curiales ſeu incolæ Vrbis Romanique Ciues originarij, alijque prædicti in Vrbe, et diſtrictu prædictis (non tamen extra eorum debitam reſidentiam) ab inteſtato deceſſerint, eorum bona, pecuniæ, iocalia, iura, actiones, et res huiuſmodi etiam ex bonis, et redditibus Eccleſiaſticis ſupradictis prouenientia per eos, vt ſupra acquiſita in dicta Vrbe, et eius diſtrictu intra decem milliaria, vt præfertur conſiſtentia ad eorum hæredes ab inteſtato venientes, liberè deueniant, nec illa ad Romanum Pontificem, aut Sedem, & Cameram Apoſtolicam ſpectare, & pertinere, dici, vel prætendi poſſit, minuſque miniſtri, vel agentes dictæ Cameræ, etiam ſub prætextu, quod dicti hæredes in Vrbe non reperiantur, dictorum bonorum poſſeſſionem apprehendere, vel ſequeſtrare; aut de illis inuentaria conficere, aut in illis quouis modo ſe intromittere valeant.*

27. Sunt etiam exempti à dicto ſpolio habentes facultatem teſtandi, ſeu diſponendi, & illi quorum bona ex priuilegio obueniunt ſucceſſoribus ab inteſtato, vt multi Pontifices à nobis relati declarauerunt, & videri poterit Azor. 2. par. li. 8. cap. 2. q. 10. & ante omnes à dicto ſpolio ſunt exempti Eminentiſſimi Cardinales vbi vis locorum decedentes, vt declarat Pius V. & alij multi Pontifices, vt fuſius refert dictus Azor. & ſequitur Bonac. tom. 2. de contract. diſp. 3. q. vlt. punct. 1. num. 3. v. 3. Excipiũtur etiã Equites S. Ioannis, ex quorum ſtatuto bona applicantur Religioni, & non Cameræ Apoſtolicæ, vt ijdem Doctores.

28. Quar-

Digitized by Google

28. Quartum, quod in num. 6. propoſuimus diſcutiendum, eſt, ſpolium eſſe etiã faciendum ex bonis religioſorum, de quibus breuiter dico, bona religioſorum degentium extra clauſtra ſpectare ad Cameram Apoſtolicam, non autem ad religionem, vt etiã infra dicemus, de bonis Apoſtatarum, & Eiectorum à religione, & licet de iure antiquo ſpectarent ad religionem, vt habetur in cap. Ne dicatis 12. q. 1. & ca. cum olim 2. de priuileg. tamen Gregorius XIII. in bulla, quæ incipit officij noſtri, & eſt 43. in ordine edita anno 1577. dicta bona applicauit Cameræ Apoſtolicę: his verbis §. 2. *Nec non præfata bona regularium extra Clauſtra, vt præfertur degentium, ſiue mendicantium, ſiue non mendicantium, aut militiarũ profeſſorum, etiam ſi loca, & Canonicales portiones, aut dignitates in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis, cuiuſuis ordinis Regularibus obtinuerint, ac Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, vel quauis alia præfulſerint dignitate poſt eorum obitum ad eandem Cameram Apoſtolicam, & iuxta Conſtitutionem felicis recordat. Pauli Papæ III. ſuper ſpolijs ſubdat. videlicet, tertio nonas Ianuarij pontificatus ſui anno tertio, promulgatam; legitimè ſpectent, & pertineant, idque per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos dum collector generalis ad recuperãdum ſpolia regularium ſpecificè deputatus fuit, apertè demonſtratum extiterit, ac in poſſeſſione illa exigendi, ac recuperandi eadem Camera merito ſemper fuerit, nihilominus nonnulli vano ſub dictæ conſtitutionis Pauli IV. prædeceſſoris præfati prætextu contrarium aliquando aſſerere non dubitarint. §. 3. Nos omnem circa prædicta dubitandi occaſionem dimouere, ſimulque æquitate, et iuſtitia ſuadentibus eiuſdem Cameræ indemnitati, ne in dies moleſtijs, et incommodis afficiatur, conſulere volentes, præſentium auctoritate declaramus, res, et bona quæcunque per dictos Regulares extra Clauſtra Eccleſiarum, Monaſteriorum, Domorum, et quorumcunque Regularium locorum degentes, quocunque iure, et actione, ſiue ex cauſa teſtati, ſiue inteſtati acquiſita, et in poſterum acquirenda, vel ad eos delata in quibuſuis Prouincijs, Dominijs, Regnis, et locis conſiſtant, niſi ijdem, ad quos illa ſpectauerint, ſufficienti fuerint teſtandi, aut de illis diſponendi facultate ſuffulti, eaque legitimè vſi fuerint, ad eamdem Cameram pleno iure pertinuiſſe, et ſpectare, ac bona quæcunque eorundem ſub ſpoliorum nomine comprehenſa per ipſam Cameram, eiuſque nomine à quibuſcunque illa quandoque occupantibus, et detinentibus recuperari, ac vindicari potuiſſe, et poſſe, ac iuxta Pauli III. et aliorum prædeceſſorum noſtrorum literas eadem Camera Apoſtolica in huiuſmodi bonis ſpolia nuncupatis verè vniuerſaliter ſuccedente, quod ipſa Camera præ cæteris hæredibus, et ſucceſſoribus ampliori eſt priuilegio munita, cuique meritò magis fauendum eſt, dum in eam rerum, et bonorum Dominium, ac poſſeſſio nulla traditione præcedente transeat, in quacunque bonorum, et ſpoliorũ, ſiue ad Regulares dum viuerent ſpectantium ſucceſſione, quibuſcunq; in rebus, ſiue pecunijs illa conſiſtant, etiam ſi nominatim, aut alia ſpeciali nota illa deſignanda eſſent, quæ ad eamdem Cameram iure ſpoliorum pertinuerunt, et pertinebunt in poſterum, omni prorſus fictione penitus ceſſata, ius, et nomen veri hæredis in eiſdem ſpolijs habere, illiuſque naturam ſortiri, ac veri hæredis priuilegijs, et iuribus in quibuſcunque bonis, pecunijs, iuribus, et actionibus vti antehac potuiſſe, et nunc poſſe, idque eorundem prædeceſſorum, ac noſtræ etiam intentionis ſemper fuiſſe, et eſſe auctoritate præſentium declaramus §. 4. Sicque per quoſcunque iudices, etc.

29. Sed vtrum in dicto priuilegio, ſeu exceptione, intelligantur etiam exempta vaſa, & indumenta ſacra, de quibus diximus ſupra in num. 22. ita vt prædicta pertineant ad hæredes dictorum exemptorũ, an ad Cameram Apoſtolicam, vel alios? & reſpondetur dicta vaſa, & alia ſpectantia ad diuinum cultum, non pertinere ad Cameram Apoſtolicam, ſed ad propriam Eccleſiam, vel monaſteriũ beneficiarij mortui, cum in dicta bulla prædicta omnia non eximantur, nec nominentur, & ex conſequenti remanent diſpoſitioni antea factæ, nempe, vt ſpectare debeant ad propriam Eccleſiam, aut monaſterium, vt in dicto num. 22. diximus, & docet Bonac. to. 2. de contract. diſput. 3. q. vlt. punct. 4. num. 4. & alij.

30. Eſt etiam hic declarandum ad quemnam ſpectent fructus beneficij reſignati? & reſpondeo aut beneficium fuit ſimpliciter reſignatum, & tũc fructus à die reſignationis vſque ad diem adeptæ poſ-

Digitized by Google

ſeſſionis ſucceſſoris ſpectant ad Cameram Apoſtolicam, aut non fuit ſimpliciter reſignatum, ſed in fauorem tertij, & tunc fructus intermedij temporis quouſque dictus tertius habeat dicti beneficij poſſeſſionem pertinent ad reſignantem dictum beneficium, quia nunquam reſignans amittit ius, niſi poſtquam ſucceſſor habeat poſſeſſionē beneficij reſignati, ita Bonac. de contract, vt ſupra pun. 3, num. 3. in fine. In Regno autem Neapolis videtur aliud dicendum nēpe, ſiue beneficiū vacauerit per ſimplicem, & abſolutam reſignationem, ſiue per reſignationem in fauorem alterius, nunquam fructus pertinere ad Cameram Apoſtolicam, vt colligitur ex verbis bullæ citatæ ſupra in nu. 24. & ponderat Azor. loc. ibi cit. nempe; & alias quouis modo præterquam per ceſſum illa obtinētium, &c. quod verbum per ceſſum, idē eſt ac per reſignationem, vt loquitur dictus Azor. vnde in dicto Regno etiam qui abſolutè reſignāt, poſſunt percipere fructus quoaduſque beneficium fuerit alteri collatum, ſi voluerint vel ſucceſſori, vel alteri cedere, quod non videtur improbabile, dummodo vſus non ſit contrarius, cui omninò ſtādum eſt. Nota tamen, iuxta doctrinam ſupradictam cap. 83. num. 14. non poſſe fieri reſignationes beneficiorum, vel officiorū in fauorem tertij, vt ſtatuit Pius V.

31. Sunt tamē aliquæ cauſæ, quæ excuſant à ſpolio, pro quarum prima poteſt numerari conſuetudo prout viget in tota Germania, Gallia, Luſitania, vt Nauar. de ſpolijs clericorum §. 14. & ſequitur Azor. 2. par. lib. 8. ca. 4. q. 1. ſicut etiam viget ibi conſuetudo, vt beneficiarij teſtētur vt idē Doctor ibi q. 4. & ſequitur Bonac. loc. cit. par. 5. num. 1. in vſus tamen pios, vel ad remunerandum illos, qui ipſis inſeruierunt teſtari non improbatur in cap. relatum 2. de teſtam. vbi talis fuerit conſuetudo. Vnde neque erit improbanda conſuetudo, vt dicti beneficiarij teſtentur de dictis fructibus ad eorum libitum, vt Couar. cap. cum in officijs de teſtam. num. 9. cum Panorm. Cardinal. Archidiac. Maior, & alijs.

32. Secūda cauſa, quæ excuſat à ſpolio eſt donatio fructuum inter viuos, nam vt ſæpè diximus, beneficiarij dum viuunt, poſſunt diſponere ad eorū libitum de fructibus beneficiorum, & ſpolium non eſt faciendum, niſi de fructibus, ſeù bonis remanentibus poſt mortem; donatio autem facta cauſa mortis, ita vt non ſortiatur effectum, niſi poſt mortem, eſt nulla, & in fraudem Cameræ Apoſtolicæ facta; imò idem putat Sopranus eſſe dicendum ſi beneficiarius ęgrotus intuitu mortis, donationem faciat, ſcilicet ex eo, quod cognoſcat eſſe in tali infirmitate moriturum tract. 43. ca. 8. nu. 9. quamuis contrarium probabilius videatur Bonac. loc. cit. dummodo beneficiarius habeat veram intentionem donādi, & non repetendi quamquam ſanitatem recuperet, attamen in foro externo diſpoſitio facta à beneficiario reputatur nulla, ſi poſt dictam diſpoſitionem non vixerit per viginti dies, vt colligitur ex Azor. 2. par. li. 8. cap. 4. q. 5. in fine, vbi numerat aliquas fraudes fieri ſolitas ab hæredibus beneficiariorum, vel penſionariorum Vaſq. in opuſc. de redditib. cap. 2. §. 1. & alij, quos ſequitur Bonac. loc. cit. vbi alias cauſas numerat, de quibus iam à nobis ſufficienter ſupradictum eſt, & hæc ſufficere poſſunt pro hac materia.

DE

Digitized by Google

DE SACRAMENTO MATRIMONII; ET PRIMO DE SPONSALIBVS.

Quid ſint Sponſalia, & de Conditionibus neceſſarijs. Caput LXXXVII.

1 *Sponſalia ſunt futurarum nuptiarum promiſſio, quæ tres conditiones habere debet, ſcilicet vt talis promiſſio ſit de futuro matrimonio, vt fiat inter habiles ad contrahendum, & vt manifeſtetur verbis, vel ſignis; & conſtituunt dicta Sponſalia circumſtantiam aperiendam in confeſſione.*

2 *Sponſalia, vt ſint valida, eſt neceſſaria promiſſio acceptata verbis, vel ſignis; ſi quis autem promiſerit Deo ducere aliquam, & poſtea voluerit obſeruare cælibatum, non obligatur ad promiſsionem.*

3 *Promiſsio, ſeu votum contrahendi matrimonium animo non conſumandi, eſt inutile; niſi ſpecialis motus Spiritus S. id dictaret.*

4 *Votum contrahendi matrimonium ad effugienda frequentia peccata, eſt validum.*

5 *Votum factum intuitu pietatis, vt ducendi pauperem, vel meretricem, eſt validum, dummodo vouēs voluerit matrimonium contrahere.*

6 *Promiſſio matrimonij debet procedere à libera voluntate, & requiritur ille conſenſus, qui eſt neceſſarius ad peccatum mortale: imò maior.*

7 *Promiſſio acceptata in qualibet re graui obligat ſub mortali, quāuis non adſit aliud damnum, quam priuatio rei promiſſæ; dummodo ſit quadruplo maior materia furti.*

8 *Promiſſio matrimonij facta præſenti, & tacenti, non cenſentur Sponſalia; ſed requiritur ſaltem aliquod ſignum.*

9 *Promiſſio facta præſenti pro abſente, nullam obligationem parit, niſi abſens illam acceptauerit.*

10 *Stipulatio facta alteri in beneficium abſentis, nullam obligationem parit, niſi abſens acceptet, vel alius habens auctoritatem.*

11 *Stipulatio, ſeu acceptatio matrimonij facta nomine abſentis, nullam parit obligationem, niſi acceptetur ab abſente. Et ſimiliter promiſſio reſpectiue matrimonij, antequam acceptetur, reuocari poterit.*

12 *Promiſſio matrimonij gratuita acceptata ab illis, qui illam acceptare poſſunt, nomine alterius, non poteſt reuocari, niſi dictus alter illam non acceptauerit.*

13 *Deliberatio neceſſaria ad validam promiſſionem matrimonij, debet eſſe mera, & libera, vt in num. 6.*

14 *Sponſalia, vt ſint valida, debent fieri inter perſonas habiles, ſcilicet, non habentes impedimentum, & habentes legitimam ætatem; quod intelligitur etiam de impedimento non dirimente; ſed prohibente matrimonium.*

15 *Surdus, & mutus poteſt Sponſalia contrahere, non autem, ſi fuerint ſimul cæcus etiam à caſu, & non à natura.*

16 *Inſani, & mente capti ſponſalia contrahere non poſſunt, niſi habeant mentem ſanam tempore ſponſalium.*

17 *Ad Sponſalia requiritur ætas ſeptem annorum; licet ſecundum aliquos non eſt neceſſe, vt id metaphiſicè intelligatur.*

18 *Si malitia ſuppleat ætatem tam in mare, quam in fœmina, Sponſalia contrahi poſſunt ante ſeptennium in foro interno, non autem pro foro iudiciali, cum adſit legis præſumptio.*

19 *Contrahere Sponſalid ante ſeptennium, non videtur culpa mortalis quidquid aliqui dicant.*

20 *Contrahentes Mareimonium ante pubertatem, non peccant mortaliter; debet tamen fieri cum cauſa, & de licentia Epiſcopi.*

SPonſalia iuxta communem opinionem ſunt futurarũ nuptiarũ promiſſio vt patet ex cap. noſtrates 30.q. 5.& ex l. 1.ff. de Sponſalibus. Requiruntur etiam ad dicta Sponſalia tres conditiones, quarum prima eſt, vt adſit promiſſio futuri matrimonij, ſecunda vt fiat inter perſonas habiles ad contrahendum; tertia vt talis promiſſio manifeſtetur verbis, aut ſignis, ſed antequam de dictis conditionibus agamus, prius notandum eſt, Sponſalia vocari à D.Thoma 4.diſt.27.q.2. ar.1. ad 6. Sacramentalia matrimonij, ſicut exorciſmum, baptiſmi, tamen non ex hoc ſequitur, quod dicta Sponſalia contineant in ſe aliquam ſanctitatem, ſicut continent exorciſmi; ſed dicuntur ſacramentalia, quatenus ſunt præuia ad matrimonium, vt notat Sanchez lib.1.diſp.1.nu.8.ex P. Ledeſm.de matrim.q.43.art. 1.§. vlt. ſupponendum eſt; Secundò notandum eſt, ſponſum, & ſponſam de futuro non committere adulterium ſi fornicati fuerint cũ alijs; nam Adulterium eſt violatio alieni tori, vt communiter omnes docent cum D. Tho. 2.2.q.154.art.8.& patet ex cap.lex illa 36. q. 1. ſecus autẽ dicitur de ſponſis per verba de præſenti; ſed vtrum ſaltem dictum peccatum ſpõſorum ſit confitendum cum dicta circumſtantia? & quamuis negatiuè reſpondeat Couar. in 4. decret. 1. par.ca. 1.num. 14.ex eo, quod tantum circunſtantiæ mutantes ſpeciem ſint neceſſariò aperiendæ, & cum dictum ſponſorum peccatũ non ſit adulterium, non erit circunſtantia neceſſariò aperienda in confeſſione, tamen dicendum puto, eſſe omninò dictam circunſtanciam aperiendam, quia licet nõ ſit adulterium, eſt tamen actio cõtra promiſſionem, & fidem præſtitam, & ex conſequẽti mutans ſpeciem, nam eo ipſo, quod ſpõſus, & ſponſa promittunt futurũ matrimonium, promittunt etiam non cognoſcere alium torum, Vnde ex parte vtriuſque eſt talis circunſtantia neceſſariò aperienda, vt Ledeſma de matrim.q.45. art. 1. dub. vlt. Lopez 1.par.inſtruct.ca.29.§.ad hæc liber, & alij, nec obſtat opinio Sanchez lib. 1. diſput.2.num.6, aſſerentis dictam circumſtãtiam eſſe aperiendã à ſponſa, & non à ſponſo, eo quod maior iniuria fiat à ſponſa peccante, quam à ſponſo; nam reſpondeo, per accidens eſſe, & non niſi ob hominum æſtimationem, quod maior iniuria ſit illa, quæ irrogetur à muliere peccante, quã ab homine, tamen non ex hoc ſequitur, quod homo ſimiliter non peccet grauiter contra fidem datam. Vnde ſi mulier tenetur, tenebitur etiam, & vir, niſi potius velimus dicere, etiam cum Henriq. lib.11. de matrim.cap.13.num.4.in tali peccato ſponſæ, & ſponſi, neque eſſe adulterium, neq; aliã peccati ſpeciem; ſed verè noſtra doctrina eſt vt tutior tenenda, tanquam magis rationi conſona; licet etiam opinio Henriq. tuta ſit, cum re vera, promiſſio futuri matrimonij differat à promiſſione nõ cognoſcendi alienum torum, quæ fit tantum in matrimonio, quibus notatis.

2. Prima conditio, quæ eſt neceſſaria ad ſponſalia, eſt promiſſio futuri matrimonij, quæ promiſſio, vt obligationem pariat inter ſponſos, debet eſſe libera, & acceptata prout etiam diximus in ſecundo libro de contractibus agendo de promiſſione, nam promiſſio interna facta homini nullo iure obligat, cum requiratur acceptatio, & ſimiliter neque propoſitum contrahendi, & ratio eſt, quia ſponſalia fiunt per cõtractum inter ſponſum, & ſponſam ex vtraq; parte obligationem afferentem ex mutua, & reciproca promiſſione; ità vt ſponſalia definiri poſſunt; eſt contractus vltro, citroque obligatorius, mutuamque, & reciprocam promiſſionem deſiderans; vnde dummodo promiſſio non fuerit verbis, vel actibus externis facta, & acceptata, nullo modo poterunt dici ſponſalia, nec obligationem parere, vt D.Thom.2.2.q.88.art.1.& in 4.d.38. q.1.art.1.quæſtiunc.1. Sanchez lib.1.diſp.3.num.5.cum multis alijs. Promiſſio autem, ſeu votum factum Deo du-

cendi

Digitized by Google

cendi aliquam in vxorem, præciſè conſiderata non obligat ad Matrimonium contrahendum, cũ cælibatus dignior ſit, quam Matrimonium, vt Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 10. Niſi tamen talis promiſſio eſſet fundata in maiori bono, vt ad pacem habendam inter Principes Chriſtianos, ad bellorum ſedationem, vel ad conuerſionem infidelium, tunc enim præſtantiùs eſt Matrimonium ad honorem Dei, quam cælibatus; Sic etiam ſi quis promitteret Deo ducere aliquam in vxorem, quam deflorauit cum promiſſione illam ducendi; Nam etiam in tali caſu prȩſtantius eſſet Matrimonium cum eſſet ſub præcepto, quam cælibatus; & promiſſio, ſeu votum non eſt faciendum, niſi de meliori bono, vt D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. Sanchez lib. 1. de ſponſ. diſp. 4. n. 1.

3. Si quis autem Deo promitteret, ſeu voueret Matrimonium contrahere, cum animo ingrediendi religionem ante conſummationem; ſed poſt contractum Matrimonium; tale votum eſſet irritum, niſi id expediret ex aliqua peculiari ratione ad Dei honorem, vt fuit in Matrimonio Beatæ Virginis; Et ratio primæ partis concluſionis eſt, quia votum eſſet de re inutili, & contra naturam Matrimonij, quod fit, & fieri debet ad ſobolem procreãdam; quidquid in contrarium doceat Sot. lib. 7. de iuſtit. qu. 1. art. 3. Nec valet ipſius ratio, quod per Sacramentũ Matrimonij recipiatur gratia, & ex conſequenti votum eſt de meliori bono; Nam reſpondetur, gratiam poſſe quemlibet recipere vberiorem per receptionem aliorum Sacramentorũ abſque eo, quod contrahatur Matrimonium in damnum alterius; Imò quamuis tam Sponſus, quam Sponſa haberent animum obſeruandi caſtitatem, adhuc tale votum eſſet irritum, tanquam de re inutili, cum ſit contra finem; ad quem fuit dictum Matrimonium inſtitutum; vide Aragon. 2. 2. q. 88. art. 2.

4. Sic etiam iuxta Sot. & Aragon. loc. cit. irritum eſſet votum contrahendi Matrimonium, licet tale votum eſſet emiſſum ad frenanda frequẽtia peccata, in quȩ quis incidit ob ſuam fragilitatem, & ratio horũ Doctorum eſt, quia per tale votum prȩcluderetur via ad perfectiorem ſtatum continentiæ; attamen probabilius in hoc caſu contrarium puto verum cum cõmuni opinione, nempè tale votum eſſe validum, & ratio eſt quia reſpectu talis vouentis, melius eſt ei Matrimonium, quam illo carere, nam maius bonum in voto non eſt vtcunque, & in communi conſiderandum, v. g. licet continentia perfectior ſit, quam Matrimonium, tamen ſi reſpectu vouentis non erit perfectior, ſed imperfectior, & nimis periculoſa, vt ſupponitur in caſu propoſito; vtique votum erit validum, quia reſpectu vouentis, eſt electio maioris boni, vt Rodriq. 2. tom. ſum. cap. 94. nu. 14. Nauar. cap. 12. num. 43. Caiet. 2. 2. q. 88. art. 2. Sanchez lib. 1. de ſponſ. diſp. 4. num. 7. Molin. tom. 1. de iuſtit. diſp. 149. tract. 2. & alij multi.

5. Sed dubium eſt, vtrum ſi quis intuitu pietatis voueret ducere in vxorẽ puellam pauperem, vel meretricem, aut concubinam validè voueret? & affirmatiuè communiter reſpõdetur, nõ quod vouẽs teneatur Matrimoniũ cõtrahere, cũ ex hac parte votũ eſſet irritum ex doctrina iam tradita, ſed quaten⁹, ſi voluerit cõtrahere, tenetur contrahere cum dicta paupere, vel meretrice &c. hæc doctrina licet communis ſit, tamen non placet Sanchez lib. 1. de ſponſ. diſp. 4. n. 12. & ratio eius eſt, quia votum in tali caſu fit per modũ vnius, & nõ ſub conditione, nempe ſi Matrimonium contrahã, contraham cum tali, & in hoc ſecundo modo validum eſſe votum, ait. Secus autem in primo modo, quia præcluditur via perfectiori vitæ cælibatus, hæc tamen ratio facilè reijcitur; nam licet votum ſimpliciter fiat, cõtinet tamen in ſe duas partes, ſcilicet Matrimonium, & cum tali &c. Et quamuis votum ſecundũ primam partem poſſit cenſeri nullum ob rationẽ allatam, non ex hoc ſequitur, quod votum ſit totaliter nullum etiam quoad ſecundam partem; imò in tali caſu ſupponitur volũtas contrahendi Matrimonium, ſed fit votum ſimpliciter ratione pietatis erga talẽ mulierem; igitur cum præcipuus finis, imò totalis finis ſit ipſa pietas, non eſt dicendũ, votum eſſe nullum, eo quod ſecundum aliquam partem minus intentam, poſſet cenſeri irritũ. Hanc doctrinam ſequitur Suarez

Digitized by Google

rez lib.4.de voto ca.9.num.5. Nauar.c.12. n.39.Valentia 2.2.diſp.6.q.6.pun.4. Sylu. ver.votum 2.q.1.Reginald. lib.18. cap.7. num.278.Bonac.tom.2.diſp.4.q.2. pun.7. num.6 & alij communiter.

6. Requiritur igitur ad ſponſalia promiſſio voluntaria, & acceptata; Dico voluntaria, quia eſt contractus obligatorius, qui nullo modo cenſetur eſſe ſine propria voluntate, & quia dictus contractus obligat ſub mortali, ideò requiritur ille conſenſus, qui ſaltem eſt neceſſarius ad peccatum mortale, vt communiter omnes docet. Filiuc.tom.1.tract.10.cap.7.q.3.Sanchez lib.1.diſp.8. Vaſq.de matr.diſp.5.ca.1.num.3. Dixi ſaltem, quia multi tenent, maiorem vſum rationis requiri in ſponſalibus, cum importent cognitionem futuri matrimonij, vt docet Bonac.de ſponſ.q.1. pun.4.num.4.ex D.Thom.3.p.q.43.art.2. Rebell.2.p.lib.4.q.5.num.1.& ex alijs. Debet eſſe acceptata; & hæc acceptatio dupliciter poteſt fieri; Nam vel poteſt quis acceptare bonum, & gratum animum, & oblationem promittentis erga ſe ipſum; vel poteſt acceptare cũ animo repromittendi; v.g. dicit Titius Bertæ, promitto contrahere tecum Matrimonium, & Berta taceat, vel dicat placet, vel ago tibi gratias, &c. Dicta verba poſſunt habere duplicem ſenſum; poteſt enim Berta dictis verbis, vel taciturnitate acceptare gratũ animum promittentis, & obligationem promiſſionis in ſui fauorem factam; vel poteſt etiam habere animum non ſolum acceptandi, ſed etiam repromittendi futurum Matrimonium; & ſi acceptatio fiat primo modo, certum eſt, quod non cenſerentur contracta ſponſalia; nec aliqua obligatio eſſet ex parte ſic acceptantis; Secundò autem modo, eſſent vera ſponſalia, & vera obligatio contrahendi ex parte vtriuſque, & hoc modo eſt intelligendus, Palud. in 4. d.27. q.1.art.1. num.4. D. Antoninus 3.p.tit.1. cap.18.in princ.Sylu.verb. Sponſalia in initio docentes, eſſe ſponſalia, ſi alter ſe acceptare oſtenderit' quod etiam docet Tab. dicto verb.Sponſalia q.3.num.4.in fine, & multi alij. Et quod dicta acceptatio ſi non fiat cum tali animo repromittendi, vt declarauimus, non ſint ſponſalia; docet Sot.4. d.27. quæſt. 2. art. 1. verſ. in contrarium tamen, P. Ledeſma de matrim.q.43.art.1. dub.1.§. in hac difficultate. Nec obſtat regula, de regul.iuris in 6. *Qui tacet conſentire videtur*. Nam qui tacet conſentire videtur in ſui fauorem; ſed non in ſui præiudicium; vt communiter Canoniſtæ docent in dicta regul. vt Gloſſ. & Innoc. cap.in Geneſi de elect.num.8.Panorm. cap. non ne, de præſumpt.num.1.& ibi Felin. num.19. Couar. quæſtiunc.pract.cap.15. num.15. Menoch. de præſumptionibus lib.3.præſumpt.42.n. 4. & alij omnes, quos ſequitur Sanchez li. 1.de ſponſal.diſp.5.nu.5. Sequitur etiam hanc noſtram totam doctrinam Bonac. to. 1.de ſponſalib.q.1. pun.1.num.7. Filiuc. de matrim.tom.1.tract.10. c.7.q.3.n. 235. & alij, qui omnes ſimiliter tradũt tam promittentem, quam acceptantem, ſi dubitent an promiſerint, vel an habuerint animum ſe obligãdi, vel ſi neſcierint obligationem promiſſionis, vel licet, ſcierint non habuerunt talem animum ſe obligandi, non teneri ad dicta ſponſalia; cum dubium ſtet pro libertate ſic contrahentium.

7. Vtrum autem tam dicta promiſſio futuri Matrimonij, quam quælibet etiam alia ſimplex promiſſio acceptata obliget ſub mortali; etiam ſi nullum aliud damnũ ſequatur, niſi priuatio rei promiſſæ? & affirmatiuè eſt reſpondendum cum communi opinione, vt iam docuimus in lib.2. de contract.in cap.de promiſs.nec ſunt audiẽdi Henriq.lib.11.de Matrim.cap.13.nu.2. & Ledeſma de Matrim.q.47.art.5.dub. 2. concluſ.1.aſſerentes mutuam promiſsionẽ Matrimonij obligare tantum ſub veniali, quod eſt contra communem doctrinam, & dicti Doctores tradunt dictam doctrinam, eo quod doceant promiſsionem acceptatã (de qua hic agimus) non inducere obligationem culpæ mortalis, quod tenet Caiet.2.2.q.113.art. 1. vbi tunc tãtum putat promiſsionem acceptatam obligare ſub mortali, quando ex defectu talis promiſſionis aliquod damnum graue ſequeretur, & idem docet Sot.4.d.20.q.2.art. 2. & alij Doctores, tamen id reſpectu promiſsionis futuri Matrimonij non aſſerunt; cum iam ſequeretur damnũ graue. Attamen communior, imò communiſsima opinio eſt vt

omnis

Digitized by Google

omnis promiſsio acceptata obliget ſub mortali, quamuis nō adſit aliud damnum, niſi priuatio rei promiſſæ dūmodo ſit materia adeò grauis, vt ſit quadruplo maior, quam materia grauis reſpectu furti, vt in citato cap. de promiſs. docuimus, & dummodo adfuerit voluntas ſe obligandi ad talem promiſsionem; nam ſi fuerit facta ex animi liberalitate, & ex quadam morali honeſtate, non videtur poſſe inducere culpam mortalem, & maximè cum non ſub tali obligatione accipiatur ab hominibus; licet Sanchez lib. 1. de ſponſ. diſp. 5. nu. 20. abſolutè doceat, promiſsionem acceptatā, ex iuſtitia obligare ſub mortali, quia dum promiſsio acceptatur tranſit in pactū, cum pactum ſit duorū conſenſus atq; conuentio l. 2. ff. de pact. & l. 3. ff. de polic. noſtra tamē opinio tuta, & vera eſt, vt fuſiùs videre poteris in li. 2. c. de promiſſ. vt diximus.

8. Sed reſpectu Matrimonij quæritur vtrum promittens alicui præſenti, & tacēti Matrimonium, teneatur ad promiſsionem? & quamuis affirmatiuè reſpondeat Sanchez lib. 1. de ſponſ. diſp. 6. num. 26. tamen negatiuè reſpondēdum eſt, quia promiſsio Matrimonij non ſemper eſt in fauorem illius, cui fit promiſsio; nec qui promittit intendit ſe obligare, niſi fuerit promiſsio acceptata. Vnde ex nullo capite videtur poſſe eſſe talis obligatio. Debet enim tam promiſsio, quam acceptatio fieri verbis, vel alio ſigno æquiualente, vt eſt immiſsio, & acceptatio annuli in digito, vel torques ad collum, aut quid ſimile, quando tamen prædicta fiunt ad ſponſalia contrahenda iuxta vſum patriæ; aliquando etiā ſufficit porrectio manus, vel aliud ſignum prout conſuetudo patriæ poſtulabit, vt eſt etiā miſsio, & acceptatio arrharum; vt Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 1. concluſ. 3. Filiucc. tom. 1. q. 1. tr. 10. cap. 7. num. 248. Sylu. verb. ſponſalia, & alij multi, quos ſequitur Bonac. tom. 1. q. 1. de ſponſ. punct. 1. num. 10. & 11.

9. Quæſtio tamen eſt, vtrum promiſſio facta præſenti, pro abſente aliquā obligationem pariat antequam ab abſente acceptetur? & quamuis ex dicta promiſsione nullam oriri obligationem ciuilem cōmuniter Doctores aſſerant, oriri tamē obligationem naturalem aliqui docent, imò communis opinio, vt videtur loqui Couar. loc. citando aſſerit oriri dictam obligationem naturalem, quando verba promiſsionis diriguntur in præſentem, licèt in beneficium abſentis, vt ſi quis diceret, promitto tibi me daturum hanc rem Titio; ſecus autem ſi quis diceret promitto Titio; quia in priori caſu videtur adeſſe mutuus conſenſus, qui eſt neceſſarius ad contractum, nempe conſenſus promittentis, & illius, cui facta fuit promiſsio; minimè tamen in ſecundo caſu, & hanc ſententiam tenet Panor. Felin. Mantic. Couar. de pact. 2. par. §. 3. num. 9. & valde probabilem hāc ſententiam putat Sanchez lib. 1. de ſponſ. diſp. 7. nu. 17. in fine tamen in nu. 18. probabiliorem putat contrariam opinionem, nempe nullam oriri obligationem, neque ciuilem, neque naturalem ex tali promiſſione, & ratio potiſsima eſt, quia ad perfectum contractum, requiritur perfectus cōſenſus duorum; in caſu prædicto non poteſt dari perfectus cōſenſus ex parte acceptātis promiſsionem pro abſenti, quia ad ipſum non ſpectat promiſsio, & omnino ad talem promiſsionem requiritur conſenſus abſentis, imò talis promiſsio facta præſenti ſemper præſupponit aſſenſum futurum præſtandum ab abſente, igitur imperfectus erit talis aſſenſus præſentis, & ex conſequenti nullam pariet obligationē, & huic ſententiæ fauet Couar. de pact. 2. par. §. 4. num. 10. vbi aſſerit, primam opinionem ab ipſo prius defenſam, eſſe valde dubiam, & inuitum illi accedere, eo quod ſit communis, tamen abſolutè illam docet Molin. to. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 263. §. operæ prætiū; Gomet. tom. 2. var. cap. 9. nu. 1. & alij multi, quos ſequitur Sanchez loc. cit. quod intellige, quando dictus præſens nullam haberet auctoritatem acceptandi pro abſente.

10. Eadem autem quæſtio fit de ſtipulatione alteri per alterum facta; Nam multi aſſerunt, dictam ſtipulationem obligationem parere, vt ſi Epiſcopus ſtipulatus an velit dare Beneficium Titio, & reſpondeat affirmatiuè, & de facto conferat; tunc, licet non ſtatim abſens acquirat beneficium, tamen Epiſcopus dictam collatio-

tio-

tionem reuocare non poteſt donec abſens id ſciat, & nolit acceptare prout habetur in cap. Si tibi abſenti de præben. in 6. & ita tenet Couar. de pactis 2. p. §. 4. nu. 9. Sylu. verb. lex. q. 10. dicto 12. & multi Canoniſtæ quamuis Gloſſa, et Panorm. in cap. Si cautio de fide inſtrumentorum num. 16. dicant id eſſe verum; dummodo verba dirigantur ad præſentem; ſcilicet, promitto tibi me daturum, &c. Alij autem abſolutè id negát, quia nullus alteri poteſt aliquid acquirere, niſi ſit perſona publica, vt diximus lib. 2. de contractib. in cap. de ſtipulat. v. g. Notarius, Sacerdos parochialis, &c. quod patet ex cap. Quamquam de vſuris in 6. & docet Homer. tom. 2. de variar. cap. 9. n. 1. Molin. tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 263. §. Operæ pretium; & alij quamplures ex Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſp. 7. nu. 21. Neq; obſtat, ſi in tali ſtipulatione adeſſet iuramentum; Nam tunc etiam curreret eadem doctrina, cum iuramentum intelligatur iuxta naturam contractus, vt alibi docuimus, & hic docet Sanchez nu. 4. Quidquid in contrarium aſſerat Molina tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 263.

11. Ex quibus notatis, aliqua colligenda ſunt; ſed prius notandum eſt, promiſſionem Matrimonij duplicem eſſe, nempe reſpectiuam, & gratuitam, reſpectiua eſt illa, quæ fit per modum contractus vltro, citroque obligatorij, gratuita eſt illa, in qua nulla expectatur repromiſſio. Vnde primò colligitur, ſtipulationem Matrimonij factam præſenti nomine abſentis, abſque tamen dicti abſentis ſpeciali mandato; reuocari poſſe antequam acceptetur ab abſente, quia nullus pro alio ſtipulari poteſt in contractibus vltro, citroq; obligatorijs. Secundò colligitur, promiſſionem reſpectiuam factam, etiam nuncio miſſo à ſponſa ad promiſſionem Matrimonij obtinendam, poſſe reuocari, antequam talis promiſſio ſciatur, & acceptetur; dummodò talis nuncius non habuerit ſpeciale mandatum ad repromittendum nomine ſponſæ, vt habetur in cap. fin. de procurator. in 6. Quando autem nuncius mitteretur à ſponſa, vel è contra non ſolum ad petendam promiſſionem matrimonij; ſed etiam ad intimandam eius repromiſſionem, & aſſenſum; tunc eſſet verus contractus ſponſalium, quia iam amborum contrahentium conſenſus ſimul concurrit, nec poſſet aliquis eorum abſque alterius conſenſu à tali contractu retrocedere.

12. Colligitur ſecundò promiſſionem gratuitam factam coram illis, qui eam acceptare poſſunt, vt eſt pater, tutor, curator. Notarius, mancipium, &c. vt diximus lib. 2. de contract. & fusè docet Sanch. de ſponſ. lib. 1. diſp. 7. à num. 61 & ſeqq. Non poſſe promittentem ab illa retrocedere, ſi iam fuerit nomine abſentis acceptata; ſecus ſi non fuerit acceptata; Nam non ſufficit, vt promiſſio fiat corá illis, qui eam acceptare poſſunt; ſed requiritur, vt de facto acceptetur; Verba autem promittentis dirigi debent in præſentem, vt v.g. Promitto tibi me ducturum Bertam, vel modo imperſonali, ſcilicet, promitto me ducturum Bertam; ſecùs autem ſi diceretur promitto Bertæ abſenti, me illam ducturum; & ſi talis promiſſio gratuita fuiſſet acceptata ab alio non habente facultatem acceptandi; vtique reuocari poſſet, vt diximus nu. 10. Si autem promiſſio gratuita eſſet cauſa pia, vt ſi quis diceret alteri, promitto tibi me ducturum Bertam pauperem, vel imperſonali modo, promitto me ducturum Bertam pauperem; tunc non poteſt talis promiſſio reuocari, quia quilibet habet poteſtatem acceptandi promiſſionem cauſæ piæ; imò etiam ſi quis promitteret per modum voti; ſeu animo ſe obligádi aliquod opus pium; nec talis promiſſio reuocari poſſet; quamuis à nullo acceptaretur, cum Deus ſit acceptator operum bonorum, niſi relaxaretur ab habente auctoritatem. Vide ea, quæ diximus num. 5.

13. Quænam autem deliberatio requiratur ad promiſsionem futuri Matrimonij, vt verè poſſent cenſeri contracta ſponſalia? Reſpondeo requiri illam deliberatione meram, & liberam, quæ neceſſaria eſt ad peccatum mortale in materia lethalis culpæ; quod etiam intelligitur in qualibet promiſsione, vt poſsit inducere vim obligandi, vt diximus in lib. 2. de promiſsione, & communiter Doctores docet. vide Caiet. 2. 2. q. 88. art. 1. Sot. lib. 7. de iuſtit. q. 1. art. 2. & alios, & ſecundum aliquos, etiam

Digitized by Google

etiam maior libertas requiritur; vt diximus num.6.

14. Secunda conditio neceſſaria ad ſponſalia eſt, vt fiăt inter perſonas habiles ad contrahendum; vt in principio diximus. Vnde dico; dictam habilitatem in duobus conſiſtere; Primò vt contrahentes nullum habeant impedimentum; Secundò, vt habeăt legitimam ætatem à iure præſcriptam. Quo poſito; dicendum eſt, illas tantum perſonas poſſe ſponſalia contrahere, inter quas poteſt conſiſtere Matrimonium; Nam ſponſalia, cum non ſint, niſi ad futurum Matrimonium, ſequitur, vt ſi Matrimonium contrahi non poſſit; nec ſimiliter contrahi poterunt ſponſalia; quod intellige non ſolum de impedimento dirimente Matrimonium; ſed etiam de impediente, & dummodo tale impedimentum ſit perpetuum; vt eſt votum ſimplex caſtitatis; ſecùs autem, ſi impedimentum non fuerit perpetuum; ſed ad tempus vt eſt impedimentum ætatis; & ideò, licet, impuberes non poſſint contrahere Matrimonium; poſſunt tamen contrahere ſponſalia; vt Nauar. lib.4. conſil. 3. nu.7. tit. de conſang. P. Sot. lect. 18. de matrim. Sanchez lib.1. de ſponſ. diſp. 15. num.2. & alij.

15. Vtrum autē ſurdus, & mutus ſint habiles ad ſponſalia contrahenda? & quidquid aliqui Canoniſtæ dicant, affirmatiuè reſpondendū eſt, cum faciliter poſſit edoceri quid ſit ſponſalia contrahere, & maximè in opere adeò homini naturali; & ſicut ſecundum communem opinionē ſurdi, & mutui poſſunt confiteri, & abſolui; multò magis poterunt ſponſalia contrahere; ita Angelus verb. Matrimonium 3. impedimento 18. Tabbien. eodē verb. 2. q. 6. num.3. Couarr. 4. decret. 2. par. ca. 2. in fin. Dubium tamen eſt, vtrum idem dicendum ſit in caſu quo, quis eſſet ſurdus, mutus, & cæcus? & licet dictus Angelus, Tabbien. Hoſtienſ. in cap. cum apud de ſponſ. & ibi Io: Andr. num. 15. Alexander de Neuo nu. 14. & 15. Panorm. & alij plures affirmatiuè reſpondeant, tamen re vera difficiliter videtur id fieri poſſe, cum cæcus non poſſit edoceri ſignis, ſicut poteſt ſurdus. Vnde abſolutè id negat Anchar. in dicto cap. cū apud num.5. & hoc etiam ſi quis fuerit ſurdus, mutus, & cæcus à caſu, & non à natura; imò id etiam negat Alex. Carr. lib.1. de ſponſal. cap.4. de ſurdo tantum, & cæco à natiuitate, cui opinioni adheret Sanchez lib.1. de ſponſ. diſp.8. num.13.

16. Requiritur etiam in contrahentibus ſponſalia, vt non ſint inſani, vel mente capti tempore, quo contrahunt tam dicta ſponſalia, quam Matrimonium, nec ſufficit antecedens voluntas, cum miniſtri ſponſalium, & Matrimonij ſint ipſi contrahentes; & cum actus miniſtri debeat eſſe humanus, ſcilicet cognitus, & intentus; ideò ſi, dicta ſponſalia, vel Matrimonium nō fuerit contractum ab habentibus vſum rationis, & plenam deliberationē, vt ſupra nu. 13. non erunt valida, & idem dicitur de ebrio tempore ebrietatis, vt Couarr. 4. decretal. 2. par. num.8. & 9. habentes autem lucida interualla licitè contrahere poſſunt tempore ſanæ mentis, vt D. Tho. in 4. d. 34. q. vnica art. 4. q. 1. & ibi Richard. art. 4. q. 1. Sotus q. vnica art. 4. concluſ. 1. & reliqui omnes.

17. Denique, quæritur, quænam ætas requiratur ad validè ſponſalia contrahenda? Reſpondeo requiri ætatem ſeptem annorum tam in mare, quā in fœmina, quia in dicta ætate adeſt ſufficiens vſus rationis, neceſſarius ad quemlibet contractum, vt docet D. Thom. & communiter omnes in 4. diſt. 27. q. 2. art. 2. & ita habetur in ca. litteras ibi de ſponſal. impuber. & in cap. ad diſſoluendum eodem titulo, ſufficit tamen, vt vltima dies ſeptennij ſit incepta fauore Matrimonij, ſicut etiam dicitur de teſtamento ex l. qua ætate ff. de teſtam. Couarr. 4. decretal. 1. par. cap. 1. num. 2. licet nō deſint multi, qui etiam doceant, ſponſalia contracta per duos, vel tres dies ante ſeptennium valida eſſe, quia quod parum diſtat, nihil diſtare videtur; quam doctrinam videtur tradere D. Thom. in 4. diſt. 27. q. 2. art. 2. ad 7. & ſequitur Sylueſt. verb. ſponſalia q. 2. D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 18. & alij plures; imò Sotus id extendit etiam ad 8. vel 10. dies etiam pro foro externo in 4. d. 27. q. 2. art. 2. & alij multi apud Gutier. de Matrim. ca. 2. num. 7. probabilius tamē videtur dictum ſeptenniū debere eſſe metaphyſicè completum; ſicut etiam requiri-

Kkk tur

tur ad teſtamentum condendum, nēpè etas annorum quatuordecim completorum, vel ſaltem vt ſit incepta vltima dies vltimi anni; & idem etiam patet in profeſſione emittenda; vnde eadem ratio debet etiam militare in ſponſalibus, vt Couarr. 4. decret. 1. p. ca. 1. n. 2. & alij multi, quos ſequitur Sanchez lib. 1. de ſponſalib. diſp. 16. n. 4. Ricciuſ in praxi deciſ. 656. n. 2. Reginal. Coninch. & alij, quos ſequitur Bonac. loc. ſtatim citand. nu. 3.

18. Verum, ſi malitia ſuppleat ætatem tam in mare, quam in fœmina, ita vt verè ſint rationis compotes, & ſciant, quid faciant; tunc in foro conſcientiæ valida erūt ſponſalia; vt D. Thom. 3. p. q. 42. art. 2. Sot. in 4. diſt. 27. q. 2. art. 2. Sanchez loc. proximè cit. n. 9. vbi quamplures affert, Reginal. lib. 31. nu. 248. & alij multi, quos ſequitur Bonac. tom. 1. de ſponſalib. q. 1. pun. 4. n. 2. Dixi tam in mare, quam in fœmina, quia ſi in vno eorum non adſit talis malitia ſupplens ætatem; Sponſalia erunt nulla, neq; dicas, idem iudicium eſt ferendum in foro conſcientiæ, quod eſt ferendum in foro externo, ſed in foro externo dicta ſponſalia eſſent iudicanda inualida. Ergo & in foro interno. Nam reſpondetur, verum eſſe id, quod aſſumitur in maiori, quādo iudicium externum, ſeu lex non nititur præſumptioni; vt eſt in caſu noſtro, præſupponit enim lex neminem habere ſufficientē rationem, niſi habeat ſeptennium; & hoc meritò, ad effugiendas deceptiones, quę fieri poſſent. At quando verè præſumptio eſt falſa; vt poteſt eſſe in habētibus vſum rationis neceſſarium ad ſponſalia ante ſeptennium; tunc falſa præſumptio legis, cedit veritati pro foro conſcientiæ; ſicut in multis alijs caſibus, vt dixi in ſecundo libro de contractibus. Verum ſi dubitetur an adfuerit talis malitia ſupplex ætatem, dubium ſtet pro lege præſupponente non poſſe eſſe, & ita eſt iudicandū; ſicut è contra, ſi in ſeptennio dubitetur, tunc dubium ſtat pro parte affirmatiua; quia ſic etiam lex ſupponit; niſi contrarium manifeſtè appareret. Vide Sanchez num. 10. loc. cit. & Bonac. eodem loc. num. 3.

19. Sed dubium eſt, vtrum contrahere ſponſalia ante dictam legitimam ætatē ſeptennij, ſit culpa mortalis? Vt Nauarr. cap. 22. num. 31. Syluest. verb. Matrimon. 5. num. 6. & peccare mortaliter, etiam conſulentes, & inducentes pueros ad contrahendum, docet P. de Ledeſma de Matrim. q. 43. art. 2. Bonac. de ſponſal. q. 1. punct. 4. num. 6. & alij tam apud hos Doctores, quā apud Doctores citandos, & ratio horum Doctorum eſt, quia in cap. 2. de diſpenſatione impuberum ſic habetur. *Diſtrictiùs inhibemus, ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem canonibus determinatum non peruenerint coniungantur; niſi fortè aliqua vrgentiſſima neceſſitate interueniente, vtpotè pro bono pacis talis coniunctio toleretur.* Quæ verba eſſe intelligenda de ſponſalibus, docet Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 2. ad 1. & obligare ſub mortali, aſſerunt etiam Tabbien. ver. Matrimonium 2. q. 6. num. 7. Angelus eodem verb. 3. impediment. 16. num. 7. Hoſtienſ. in cit. tex. Innocentius, & alij. Attamen contrariam opinionem puto etiam probabilē, ne dicam probabiliorem, quam tenet Sanchez lib. 1. de ſponſ. diſp. 17. num. 4. Nempe dicta verba eſſe intelligenda reſpectu Matrimonij, & non reſpectu ſponſalium; nam verba non coniungantur non poſſunt applicari ad ſponſalia, cum per ipſa nulla fiat coniunctio, ſed coniunctionis promiſſio; in Matrimonio autem verè fit coniunctio, & res pænalis, & prohibitoria non eſt extendenda vltra proprium ſignificatum; quod docet Panorm. in d. cap. 2. nu. 5. Vnde dicendum eſt, contrahentes ante dictā ætatem, non peccare mortaliter, nec veriſimile eſt, Eccleſiam voluiſſe ferre legem contra infantes ſic contrahentes, rationabile tamen eſt, voluiſſe Eccleſiam horum ſponſalia eſſe nulla, & irrita, quod etiam docet Filiuc. tom. 1. tract. 10. cap. 7. num. 259. Gutierez cap. 2. num. 14. & 15. Rodriquez 1. tom. ſum. cap. 244. nu. 2. in 2. edict. & alij plures apud hos Doctores.

20. Ex qua doctrina videtur deduci, quod ſaltem contrahentes matrimonium ante pubertatem, peccare mortaliter; niſi malitia ſuppleat ætatem, pro vt tenet Syluest. Nauar. Rodriq. Tabbien. locis citatis cum alijs, & ſequitur Rebell. lib. 3. q. 16. Filiuc. num. 259. & Bonac. num. 7. Syluest. autem, Palud. Nauar. Tabbien. & alij dictā opi-

opinionem modificant, ſcilicet id eſſe verum, niſi interueniat licentia Epiſcopi, & iuſta cauſa contrahendi matrimonium ante dictam ætatem. His tamen non obſtantibus contraria opinio non caret ſua probabilitate; nam Panorm. in d. cap. 2. de diſpenſat. impuber. nu. 5. ait tantum ibi prohiberi, ne impuberes, vel pubes cum impubere contrahant Matrimonium, ex quo ſtatim ſequenda ſit copula, ne poſtea de valore Matrimonij dubitari poſſit; vnde non ex hoc ſequitur, quod Matrimonium non poſſit contrahi ante dictam ætatẽ ſecluſa copula, cum de hoc nullus textus extet, vt fuſius, & doctè quidem probat Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſp. 17. num. 6. Vſus tamen eſt, ſaltem in aliquibus partibus, vt nullus contrahat ante dictam pubertatem, niſi de licentia Epiſcopi, & copula non eſt permittenda, niſi malitia ſuppleret ætatem, & niſi vrgens neceſſitas adſit ad dictum Matrimonium contrahendum; vt pro bono pacis, &c. vt idem textus loquitur, & vbi adeſt talis vſus omninò obſeruari debet.

De Verbis, quibus Sponſalia contrahantur. Cap. LXXXVIII.

1 *Ad Sponſalia requiruntur verba, vel ſigna, ita vt ambo contrahentes intelligant dictis verbis, vel ſignis contrahere ſtatim, quamuis verba in ſe eſſent de futuro.*

2 *Sponſalia, vel matrimonium quando contrahuntur per verba, tam quoad ſonum, quam quoad ſignificationem ſignificantia contractum de præſenti; erunt vera ſponſalia, & Matrimonium.*

3 *Si quis dicat contraho tecum in craſtinum, non erunt Sponſalia, nec Matrimonium; & è contra ſi quis dicat, ex nunc habebo te in Vxorem, erit Matrimonium.*

4 *Dicendo ducam te, vel promitto me te ducturum; ſiunt vera ſponſalia, dummodo adſit intentio contrahendi ex vtraque parte, & ſi verba ſint dubia, ſtandum eſt animo contrahentium.*

5 *Quibuſdam modis loquendi dubijs non poſſunt contrahi ſponſalia, niſi id intelligerent contrahentes.*

6 *Per verba, nullam ducam niſi te, vel non contraham niſi tecum, non ſiunt ſponſalia, ſecluſo animo contrahentium.*

7 *Per Matrimonium clandeſtinum non intelliguntur contracta ſponſalia iuxta Concilium Tridentinum.*

8 *Matrimonium clandeſtinum contractum inter impuberes, habet vigorem ſponſalium.*

9 *Parentes licitè contrahunt ſponſalia pro filijs, licet præſentibus, & tacentibus; cenſentur enim conſentire.*

10 *Sponſalia contracta ab alijs quam à parentibus pro filijs, ſunt nulla, niſi dicti filij illa confirment.*

11 *Nomine parentum intelliguntur etiam mater, quæ ſimiliter validè contrahit pro filijs tacentibus.*

12 *Si parentes contrahant pro filijs abſentibus, requiritur, vt poſtea dicti filij id ratificent per aliquem actum externum.*

13 *Promittens alienum Matrimonium, ſufficit, vt faciat quantum poteſt, etiam ſi iurauerit, vel aliam pœnam ſibi impoſuerit.*

14 *Promiſſio fictè facta, licet non obliget, tamen ſi fuit facta ad habendam copulam, vtique obligabit.*

15 *Notabiliter maior conditione, ſi fictè promittat ad habendam copulam, tenetur tantum reſarcire damnum illatum; alij autem docent ad nihil teneri, quia mulier cenſetur voluntariè decepta.*

16 *Mulier fictè promittens ad habendam copulam, non tenetur poſtea contrahere.*

17 *Fictè promittens in multis caſibus non tenetur contrahere, vt ſi ſit ſequuturum ſcandalum, &c.*

18 *Si mulier neſciebat diſparitatem promittentis, nec eius fictionem, promittens videtur omninò teneri ad contrahendum.*

19 *Fictè promittens, ſi voluerit contrahere, & parentes ſponſæ noluerint, ad nihil tenetur.*

20 *Si fictus promiſſor ſciebat puellam fuiſſe corruptam, & tamen promiſit ad habendam copulam, tenetur contrahere.*

21 *Fictus promiſſor ad nihil tenetur, ſi ſponſa nullũ paſſa ſit damnũ, licet grauiter pec-*

cet, decipiendo fœminam in re grauiſſima, quamuis contrarium, ſcilicet quod teneatur contrahere, etiam probabile, & ſecurius ſit.

22 *Fictè promittens, ſi iuridicè eſſet interrogatus an promiſerit poſſet negare etiam cum iuramento, cum ficta promiſſa, cenſeatur nulla promiſſio.*

23 *Verba ſponſalium debet dirigi in perſonam certam, & determinatam, ſicut fit in matrimonio, alioquin neque ſponſalia, neq; Matrimonium erunt valida.*

1 TErtia conditio, quam diximus eſſe neceſſariam ad ſponſalia, ſeu ad promiſſionem futuri Matrimonij eſt, vt dicta promiſſio fiat verbis, vel ſignis externis; Et ratio eſt, quia ſponſalia, & Matrimonium ſunt contractus humani; & in contractibus non ſufficit interna intentio; ſed neceſſe eſt, vt ambo contrahentes declarent eorum intentionem; vt poſsit amborum conſenſus ſimul eſſe in eadem re; & maximè in contractibus vltrò, citroq; ſeu ex vtraque parte obligatorijs, vt eſt in caſu noſtro; Eſtque communis doctrina; vt in lib. 2. de contractibus diximus; quod præcipuè docet Barthol. in l. Cum in plures 62. §. Locator horrei ff. locati vbi ait; *Propoſitum mentem retentum, nihil parti expreſſum, nihil relevare.* Debent autem eſſe in ſponſalibus verba, vel ſigna talia, vt contrahentes dictis verbis, vel ſignis intelligant verè contrahere; Nam ſi deſit intentio, & conſenſus, qualiacunque verba dicantur, vel ſigna fiant, nulla erunt ſponſalia; & è contra dummodo adſit intentio, & conſenſus, ita vt per dicta verba, vel ſigna intelligant contrahere; verè erunt ſponſalia, vel Matrimonium; & ita eſt intelligendus Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 1. aſſerés, quod, licet conſenſus contrahentium ſit de præſenti, ſi non ſibi mutuo per verba de præſenti explicent; ſed per verba de futuro, non erit Matrimonium; vnde non ſufficit tantum intentio, & conſenſus; ſed eſt neceſſe, vt explicetur modo tali, vt ambo intelligant contrahere de præſenti; quamuis verba eſſent de futuro, vt fit apud Indos, qui contrahunt Matrimonium per verba de futuro; ſed habent intentionem contrahendi de præſenti, & eſt validum Matrimonium; vt optimè Bartholomæus à Ledeſma de matrim. dub. 25. fol. 1376. & ſeqq. Quam doctrinam intelligas pro foro interno; nam in foro externo, ſtandum eſt communi intelligentiæ verborum iuxta vſum patriæ; vt habetur in cap. ex litteris de ſponſalibus. Si autem verba fuerint dubia; tunc in foro conſcientiæ ſtandum eſt animo contrahentium; quia verba habe it vi n obliga idi ex intentione ea proferentium ex regul. Contractus de regulis iuris in 6. vide Nauar. cap. 22. n. 79. §. Nono dicendum, Sylu. ver. Matrimonium 2. q. 10. Angel. eodem ver. 2. n 3. & alios.

2. Poſſunt autem verba tam ſponſalium, quam Matrimonij proferri triplici modo; Primò, vt verba tam quoad ſonnum, quam quoad ſignificationem importent Matrimonium, vel ſponſalia de præſenti, uel de futuro; ut ſi quis dicat accipio, uel accipiam te in uxorem, uel promitto, aut promittam te ducere; & in primis uerbis de præſenti; Certum eſt, quod contrahatur Matrimonium, uel ſponſalia reſpectiuè; quia important conſenſum de præſenti, vt Palud. in 4. d. 27. q. 2. ar. 4. n. 25. Imò ſi ſponſus dicat fœminæ accipio te in meam, & ipſa reſpondeat, placet, uel conſentio, & actualiter intelligat conſentire, erit uerum Matrimonium; ut Hoſtienſ. c. Si inter de ſponſalibus Ioan. Andr. ibi n. 3. Couar. 4. decret. 2. p. c. 4. §. 1. n. 1. Cum cæteris Canoniſtis. Sic etiam ſi quis quærenti uxorem diceret, uis hanc in uxorem, reſponderet uolo, uel placet, ſeu conſentio, & fœmina ſimiliter conſentio, uel uolo, &c. eſſet uerum Matrimoniũ, ut Angelus uerb. Matrimonium 2, n, 10. Sylu. eodem uerb. 2. q. 10. dicto 6. Item ſi quis dicat uolò te in uxorem, & fœmina dixerit uolo te in uirũ, uel è contra, erit uerum Matrimonium, dummodo adſit intentio tunc, ſeu actualiter contrahendi; ut idem Couarr. loc. cit. n. 4. cum alijs multis quos ſequitur Sanch. lib. 1, de ſponſ. diſp. 18. n. 10.

3. Secundò, verba poſſunt proferri ita vt habeant ſignificationem de præſenti; ſed propter aliquod adiunctum fiant de futuro, vt ſi quis dicat contraho tecum in craſtinum, vel menſe futuro, & per huiuſmodi

Digitized by Google

di verba non contrahuntur, niſi ſponſalia, & non Matrimonium, quia verè conſenſus eſt de futuro, vt P. Ledeſma de Matrimon. q.45.art.3.dub.1.& Sanchez num. 11. Alter autem Ledeſma, ſcilicet Bartholomeus 2.par.q.47.art.3. contrarium docet, nempe dicta verba conſtituere Matrimonium, quia conſenſus eſt de præſenti; & ſi re vera ex tunc habebant intentionem contrahẽdi, id puto verum, cum totum hoc pẽdeat tantum ex intentione contrahentium. Si autẽ verba fuerint de futuro, ſed propter aliquid additum fiant de præſenti; vt dicẽdo, ex nunc habebo te in vxorem, erit verum Matrimoniu n, ſi fœmina reſpondeat placet, ſeù conſentio, &c.

4. Tertio modo proferuntur verba tam quoad ſonu n, quam quoad ſignificationem de futuro, vt dicendo promitto me te ducturũ, vel me ducturum Bertam, vel ſimpliciter ducam te, vel accipiam te, vel accipiam Bertam; & per huiuſmodi verba contrahuntur ſponſalia iuxta communem vſu n, & ſenſum Eccleſiæ vide D.Thom.in 4.d.27.q.2.ar.1.Sot.ibidem q.2.ar.1. concluſ.3.Syluest.verb.ſponſalia, Tabbien.eodem verb.q.3.num.4.& alios omnes. quod intellige, dummodo contrahentes intẽdãt contrahere ſponſalia de facto. Nam ſi quis diceret te ſponſabo, vel ſponſabo Bertam, tunc idem eſſet ac dicere tecum ſponſalia contraham, vel contraham ſponſalia cum Berta; ita D.Anton.cap.ſi inter num. 8. de ſponſal.& alij plures, quos ſequitur Sãchez lib.1.de ſponſal.diſp.18.num.13. §. dicendum tamen. Puto tamen etiam veram doctrinam Syluest.verb.ſponſalia q. 6. dicto 4.aſſerentis, verba dubia ſi fuerint dicta animo contrahendi ſponſalia de præſenti; & ita fuerint intellecta, habere vim ſponſalium, & in dubio attendendam eſſe loci conſuetudinem; & ratio eſt, quia vt ſupra diximus, in huiuſmodi contractibus attendendus eſt animus contrahentium, ſi ſimul concurrat, potius quam verba. Vide dictum Doctorem, qui licet alijs verbis obſcurioribus vtatur, id tamen puto velle aſſerere.

5. Aſſignantur etiam alij modi loquẽdi; vt habebo, tenebo, tractabo te vt vxorem, vel prouidebo tibi, vt vxori, & huiuſmodi modi ſunt imperfecti, & inuſitati, & licet huiuſmodi verba importare tantum ſponſalia probet Sanchez loc. cit. nu. 18. Placet tamen doctrina Soti in 4.diſt.27.q.2.art.1.verſ.eſt tamen, aſſerentis, huiuſmodi eſſe verba dubia; & ſi ſignificent ex nũc, & adſit animus ſic contrahendi, eſſe Matrimonium, ſin minus, eſſe ſponſalia. Ego autem, vt verum fatear huiuſmodi, & ſimilia uerba in ſe conſiderata, non puto poſſe importare, neque Matrimonium, neq; ſponſalia, niſi animus contrahentium id intelligat, uel niſi patriæ conſuetudo in foro externo ita uoluerit.

6. Poſſunt autem proferri uerba modo negatiuo; ut v. g. nullam ducam niſi te, vel non contraham cum alia, niſi tecum &c. & per hæc verba non contrahuntur ſponſalia, cum non ſufficienter exprimatur conſenſus illa contrahẽdi, ſed potius oſtẽditur bonus animus cum aliquo ſenſu cõditionato, ac ſi quis diceret, ſi ſim ducturus, non ducam, niſi te, vel ſi contrahere debeam, non contraham, niſi tecum. Tuſcus autem tom.5. concluſ. 122. num. 20. Syluest.verb.ſponſalia, & alij putant dicta uerba continere ſenſum exceptiuum, ac ſi quis diceret, nullam aliam ducam; ſed te ducam, & quando uerè id intelligeret ſpõſus, & in hoc ſenſu fuiſſent dicta uerba acceptata à ſponſa, certum eſt, quod eſſent ſponſalia, ſed ſtando in ui uerborum, prima opinio communis eſt, quam fuſè docet Sãchez lib.1.de ſponſalib.diſp. 19. per totã, Rebell.lib.4.q.3.num. 7. Filiuc. tom.1.tr. 10.ca.7.n.245.Nauar.cap.22.nu.25.Reginald.lib.31.num.51. & alij multi, quos ſequitur Bonac.tom.1.de ſponſal.q.1. punct. 1.num.13.& affert exemplum, ſi quis diceret, non ero niſi Carthuſianus; per huiuſmodi uerba non fit abſolutè uotum ingrediendi dictam Religionem; ſed tantum in caſu, quo quis uellet eſſe Religioſus, talem religionem teneretur eligere, ſi uouerit. Si quis autem expreſsè diceret, nullam aliam, ſed te ducam, eſſent uera ſponſalia, uel ſi diceret, nullam aliam, ſed duco te, eſſet Matrimonium; ut Sot.in 4. d.29.q.2. art.3.Sanchez loc.cit.nu.2.& alij cõmuniter; quod intellige, dummodo adſit amborum contrahentium conſenſus ad ſponſalia,

ſalia, vel Matrimonium dictis verbis contrahendum.

7. Sed dubium eſt, vtrum ſponſalia intelligantur contracta per Matrimonium clandeſtinum. Nam certum eſt, quod tale Matrimonium ſit irritum vigore Concilij Tridentini ſeſſ.24.cap. 1. de Matr. & difficultas eſt, vtrum per dictum Matrimoniũ ſaltem intelligantur contracta ſponſalia? Et quamuis non deſint, qui affirmatiuè reſpondeant, vt Corduba in ſumma q. 52. Barthol.Ledeſm.de Matrim.dub.18.Vega lib.6.ſummæ caſu 122. & lib. 4. caſu 264. & alij. Tamen contrarium videtur dicendum iuxta mentem Concilij Trident. loc. citat.vbi ſic habetur. *Huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat:* Cum igitur ius reſiſtat cõtractui, nulla poteſt ex eo oriri obligatio neq; ciuilis, neq; naturalis; alioquin contractus ex aliqua parte eſſet validus,& non irritus; quod eſſet contra Concilium, ita Nauar.lib.4.cõſil.tit.de ſponſalib.conſil.1.num.3.P.de Ledeſm.q.45.art.5.pun. 2. & alij multi, quos ſequitur Sanchez lib.1. de ſponſalib. diſp. 20.num.4. licet primam opinionem putet probabilem; ſicut etiam illam putat Filiuc. tr.10.de Matrim.ca.7.num. 246. Si autem quis ad decipiendam fœminam. Sic contraxit,tunc, licet, ratione contractus, illam non teneatur ducere, tenetur tamen ratione damni illati contra iuſtitiam, vt Emanuel Rodriq.1.tom.ſummæ cap.220.nu.1. & alij, vt v.g. ſi quis defloraſſet virginem, vel rem habuiſſet cum fœmina; quæ doctrina videtur vera, ſi poſſet præſupponi inculpabilis ignorãtia in fœmina;quod non concedit Nauarr. lib. 4. conſil. tit. de ſponſalib.conſil.1.num.4.& ratio eſt, quia, quod Matrimonium debeat contrahi coram parocho, & teſtibus, eſt res nota apud omnes ex cõmuni vſu Eccleſiæ; vnde fœmina in ſimili caſu diceretur voluntariè decepta; & ex conſequenti non tenetur illam decipiens ducere; vt Sanchez num.6. cum alijs.

8. Si autem Matrimonium clandeſtinum, ſiue publicum fuerit contractum inter impuberes,vel inter puberem,& impuberem;tunc dictum Matrimonium, licet, ſit nullum iure Concilij Tridentini vt ſupra, habebit tamen vigorem ſponſalium; & ratio eſt, quia Concilium Tridentinum veris Matrimonijs clandeſtinis reſiſtit,illaque annullat; & Matrimonium inter impuberes non eſt verum Matrimonium; ſed ex iuris interpretatione, habet vigorem ſponſalium; vt docet Sanchez lib. 1. diſp. 21.num.5.& ita declaraſſe Sacram Cõgregationem refert P.Ledeſm.de Matr. q.45. art.5.fol.181.Nauar.cap.22.nu.57. Filiuc. tract.10.cap.7.num.247.& alij.

9. Sed quæritur, vtrum parentes poſſint contrahere ſponſalia pro filijs? & ratio dubitandi ſumitur ex cap. vnicum de deſponſ.impub.in 6.§.fin.vbi ſic habetur. *Ex ſponſalibus,quæ parentes pro filijs puberibus,vel impuberibus contrahunt, ſi filij expreſſè conſenſerint, vel tacitè, vt ſi præſentes fuerint, nec cõtradixerint, obligantur, & ex eis oritur iuſtitia publicæ honeſtatis, & eſt idem ſi filij tempore ſponſalium abſentes & etiam ignorantes, eadem ſponſalia poſt ea ſcientes ratificauerint tacitè, vel expreſſè.* Vnde dubitant Doctores,vtrũ taciturnitas filiorũ, qui vident eorum parentes contrahere ſponſalia pro ipſis filijs, ſufficiat ad ſponſalia, quamuis nullum ſignum externum emittant; ſed tantum tacitè conſentiant? Nam certum eſt, quod ſi deficiat eorum conſenſus internus, nihil fiat. Et cum diſtinctione reſpondet Angelus,aut dicti filij ſunt doli capaces,& in tali caſu parentes non poſſunt pro ipſis contrahere,niſi adſit eorum conſenſus per aliquod ſignum externum expreſſus, vel non adhuc ſunt doli capaces; & pro his vtique poſſunt parentes contrahere; idem aſſerit Gabriel 4.d.27.q.1.art.2.& alij. Tamen abſolutè reſpondendum eſt, dictam taciturnitatem filiorum ſufficientem eſſe ad ſponſalia, imò etiam ad Matrimonium, ſi illud parentes pro filijs contraherent præſentibus, & tacentibus, & patet ex verbis textus citatis, & ita communiter docent omnes,teſte Sanchez diſp.23.num. 3. Sot. 4.d.27.q.1.art.3.Nauarr.cap.22.num. 58. Filiuc.tract.10.cap.7.num.249.& alij cum D.Thom.4.diſt.27.q.1. art.2. quæſtiun. 2. ad 3.

10. Dicta autem doctrina non poteſt extendi ad alios,præter parentes, ita vt ſi alij,

alij quam parentes contraherent, dictis filijs tacentibus, eſſent valida ſpõſalia; nam ſunt omninò nulla, niſi adſit aliquod ſignũ externum dictorum filiorum, id explicans; in citato enim capite vnicum, id tantum conceditur parentibus, & non alijs; vt fuſè probat idem Sanchez num. 7. & Filiucc. loc. citat. cum alijs. Alij autem dicunt, & quidem probabiliter; dicta ſponſalia, vel Matrimonium factum ab alijs, quam à parentibus nomine dictorum filiorum, eſſe quidem inualidum in foro externo, cum non poſſit præſupponi conſenſus internus dictorum filiorum; ſed in foro interno poſſe eſſe validum; ſi verè adfuit internus cõſenſus; vt Sot. in 4. d. 27. q. 1. art. 3. Richar. ibidem art. 1. q. 3. ad 2. Vega lib. 3. ſumma caſu 152. & alij. Quo poſito maiori ratione dicendum eſt, eſſe etiam valida ſponſalia, quæ frater contrahit pro ſorore præſente, & tacente, dummodo ipſa intrinſecè etiam conſentiat; vt ſumitur ex ca. 1. de matrim. contract. contra interdictum Eccleſiæ, vbi dicta ſponſalia valida fuerunt iudicata; & docet Emanuel Rodriq. tom. 1. ſummæ. c. 234. num. 4. Gloſſ. in cap. vnic. de deſpõſat. impub. in 6. §. fin. ver. ſponſalia; & ibi Hoſtienſ. Anchar. & alij multi Theologi, quos refert Sanchez loc. cit. n. 6.

14. Eadem doctrina, quam diximus de patre, extenditur etiam ad matrem, vnde ſi mater contrahat ſponſalia vidente filia, vel filio, & tacente, cenſetur adeſſe cõſenſus etiam in foro externo, & erunt valida ſponſalia. Quod ſumitur ex cit. cap. vnicum, vt ibi num. 9. in quo talis poteſtas, ſub nomine (parentes) tam patri, quam matri tribuitur, & talis textus deciſio non innititur patriæ poteſtati, ſed amori, qui ardentior eſt in matre, & ideò filij cenſentur cõſentire actioni factæ cum tali amore, dum illam vident, & tacent; vt ex multis docet Sanchez lib. 1. de ſponſalib. diſp. 23. nu. 9. & in ſeqq. idem eſſe ait, licet filius eſſet emancipatus; vel natus ex damnato concubitu, cum in tali caſu, attendatur tantum amor naturalis, & reuerentia parentibus debita.

12. Quando autem parentes contrahunt pro filijs abſentibus, tunc requiritur, vt filij certiores fiant, & conſentiant tacitè vel expreſsè, ſcilicet, non per ſolam taciturnitatem; ſed ſaltem per aliquod ſignum externum, per quod virtualiter declaretur eorum cõſenſus vt ſumitur ex cit. cap. vnicum, & docet Vega lib. 6. ſummæ c. 31. Corduba q. 193. Sanchez loc. cit. n. 16. §. Verius, Filiucc. tract. 10. cap. 7. nu. 249. §. quod ſi, & alij.

13. Et nota, quod ſi tam parentes, quam alij promittant cum iuramento Matrimonium pro abſente; & poſtea dictus abſens noluerit conſentire; non ex eo erũt periuri; Nam licet etiam attento iure ciuili, promiſſio alieni Matrimonij, valeat; vt docet Gloſſ. in cap. vnico verb. Nihil. 30. q. 2. Molina tom. 2. de iuſtit. diſp. 268. §. Quoad ſecundum, & alii communiter. Tamen ſenſus dicti iuramenti eſt, dictum ſpõdentem, ſe facturum, & curatorum, vt alter contrahat; quia re vera promiſſio eſt circa factum alienum; licet iuramentum cadat ſuper factum proprium, quatenus iurans teneatur omnem ſuam diligentiam adhibere, vt promiſſioni, & iuramento ſatisfaciat; ita D. Tho. 4. d. 29. q. vnica art. 4. ad 3. Sot. ibidem q. 1, art. 4. ad 3. Bonauen. q. 3. Vega lib. 5. ſummæ caſu 558. Cordub. ſum. q. 171. pun. 1. & alii communiter cum Sanchez loc. cit. diſp. 24. num. 11. Et idem eſt dicendum, ſi in dicta promiſſione promittens addidiſſet aliquam pœnam ſoluendam, in caſu, quo non ſequeretur Matrimonium; Nam dicta pœna non deberetur, dummodo promittens faceret quantum poſſet, vt Matrimonium fieret; quod habetur expreſsè in l. finali §. idem iuris ff. ad legem Rhodiam de iactu his verbis. *Nec per eum ſtaret, quo minus id faceret, remiſſam ſibi pœnam ſperaret.* Idem iuris erit, ſi probatum fuerit, nautam morbo impeditum nauigare non potuiſſe. Idem dicamus, ſi nauis eius vitium fecerit ſine dolo; & culpa eius. Et idem habetur l. 2. ff. Si quis caution.

14. Sed quæritur vtrum verba promiſſionis Matrimonij fictè dicta, etiam cũ iuramento, animo tamen ſe non obligandi, ſint omninò adimplenda à promittẽte? & pro foro externo, certum eſt, quod obligetur, quia præſumitur ſic promittens habuiſſe animum promittendi, & ſe obligandi,

Digitized by Google

di. In foro autem conſcientiæ præciſè loquendo nō teneretur ſtare promiſſis, quia nec Deus acceptat iuramentum, niſi iuxta hominum intentionem ex ca. humanæ aures 22.q.15.dixi præciſè, quia ſi non adimplendo dictam promiſſionem, aliquod ſcādalum ſequeretur, teneretur illam adimplere, vel ſi aliquod damnum eſſet ſponſæ ſecuturum, vt quia illam defloraüit, vel rem habuit cum illa, & ſi Matrimonium non contraheretur, mulier remaneret infamata, quod intellige, ſi mulier ob talem promiſſionem Matrimonij conſenſit; promiſſio enim tranſiret in pactum, quod eſſet omninò ſeruandum, & iuxta communē doctrinam in contractibus do, vt des, facio, vt facias, quamuis adſit ficta promiſſio, ſēper adeſt obligatio ex iuſtitia adimplendi promiſſionem. Vnde promittens, licet ficte, Matrimonium ad habendam copulam, ſi illam obtineat, omninò tenetur contrahere, vt D Thom.4.d.28.q. vnica. art.2.ad 4. & alij Thomiſtæ, Vaſq.de reſtit. cap.3.§.1.dub.2.num.26. Rebell.1.par.lib. 3.q.8. Filiuc.tr.10.cap.7.num.239. Sāchez lib.1.diſp.10.P.Ledeſma q. 45. art. 4. Reginal.lib.31.num.255. & ſeqq. & alij communiter, licet Corduba, & alij apud Vaſq. loc. cit. dicant talem ſic promittentem teneri, vel ducere, vel pecunijs ſatisfacere, & idem ſenſit D. Anton.3.par.tit.1.ca. 19. in princ. Gabr.4.diſt.28.q.1.art.2. Bartho. Ledeſma de Matrimonio dub. 19. & alij, quos refert Sanchez in cit. diſp. 10. nu. 2. & hanc probabilem ſententiam vocat Bonac.de ſponſal.q.1.pun.2.n.4. in fin. quod puto etiam probabile, ſi reſtitutio poſſet integrè fieri, ſcilicet vt mulier non remaneat cum mala fama; & ſi ita collocetur cum alio, ac ſi virgo eſſet, vel nullam copulam cum alio habuiſſet, quod eſt difficile, ſi peccatum fuerit alijs notum; & ideò à prima opinione nō recederem, niſi mulier conſentiret in talem copulam.

15. Si autem promittens fuerit notabiliter conditione maior, & mulier id ſciebat, tunc non tenetur promittens contrahere, ſi ficta fuerit promiſſio; quia in hoc caſu dicetur mulier voluntariè decepta, cū hoc præcognoſcere poterat; teneretur tātum promittens ad damnum illatum, ſcilicet ad collocandam mulierem corruptam eodem modo, & conditione, ac ſi fuiſſet virgo, mediante dote &c. prout docet Sot. 4.d.27.q.1.art.3. Nauar.cap. 22. num. 76. P.Nauarr.lib.2.de reſtit.cap.3. Vterq. Ledeſma, & alij quam plures apud Sanchez lib.1.diſp.10.num.18. Alij tamen abſolutè docent ſic promittentem ad nullam reſtitutionem teneri tum propter dictam notabilem diſparitatem, tum etiam ſi adfuiſſent alia aperta ſigna fraudis, quibus mulier prudenter præuidere poterat deceptionē; & ratio horum Doctorum eſt, quia cōſenſus in ſimilibus caſibus cenſetur voluntariè præſtitus ita Sanchez nu. 19. ex D.Tho. & multis alijs apud ipſum, docet Leſſ.lib.2. cap.10.dub.3.num.25. Molin.tom. 4. diſp. 106. Vaſq. Azor. Sylueſt. & alij, quos ſequitur Bonac.de ſponſal. q.1.punct. 2. nu. 7. & ſi adfuit vera promiſſio, tunc tenetur promittens non ſolum vi promiſſionis, ſed etiā ratione damni illati; & ſi aliquod impedimentum ſuperueniat, vt quia promittens cum alia cōtrahat, vel fiat affinis cum ea, aut ingrediatur religionem, vel ſuſcipiant ordines ſacros, tunc tenetur reſarcire damnum modo iam dicto; vt Leſſ.loc. cit. Bonac. eodem loc. & alii multi.

16. E contra verò eſt notandum, fœminam ficte extorquendo copulam à viro cum promiſſione Matrimonii, non teneri cum illo contrahere, tum quia promiſsio nulla fuit, tum quia vir nullam paſſus eſt iniuriam ob copulam habitam, vt notat Bonac. num. 11.

17. Sunt etiam aliqua notanda pro fictè promittente, ſcilicet ad habendum tantum copulam, nempe ipſum non teneri ad contrahendum, licet adeſſet iuramentum fictum, vt iam diximus; Secundò nec teneri, ſi ex tali Matrimonio magnum ſcandalum eſſet ſequuturum; maximè inter parentes. In tali enim caſu ſufficeret, damnum illatum pecunijs reſarcire; Tertiò ſi promittens cognoſcat Matrimonium habiturum malum exitū, vt quia videt puellam eſſe notabiliter leuem; Quartò, ſi fœmina decipiat virū fingendo ſe virginem, vel diuitem, aut habentem bonam formam; in his enim caſibus, non tenetur vir fictam promiſſionem adimplere. Quintò, nec

Digitized by Google

nec tenetur promittens ducere fœminam, quæ poſt ſponſalia, etiam cum animo facta, cum alio fornicata fuerit, cum hæc ſit ſufficiens cauſa diuortij, nec promittés ad aliquid tenetur. vide fuſius Sanchez lib. 1. diſp. 10. num. 8. & ſeqq. & Bonac. loc. cit. n. 5. 6. & ſeqq.

18. Sed maius dubium eſt, vtrum promiſſor notabiliter dignioris conditionis teneatur contrahere cum illa, cui promiſit Matrimonium, licet fictè ad extorquẽdam copulam; ſi talis puella, vel fœmina neſciebat talem diſparitatẽ, & iuxta prudentẽ viri diſcurſum, non poterat cogitare fictam promiſsionem? Et affirmatiuè videtur eſſe reſpondendum, cum omnibus citatis Doctoribus, qui ex eo non obligant fictum promiſſorem ad contrahendum cum conſcia diſparitate, quia cenſetur voluntariè conſentiſſe; vnde ex conſequenti videtur dicendum, quod talis promiſſor teneatur, ne ſonſpa decepta, & iniuriata remaneat. Eſt tamen dicendum, teneri tantum ad inſtar vi, & fraude deflorantis, ita vt non teneatur ducere, ſed tantum reſarcire; nam non tenetur vi promiſsionis, quia ex ficta promiſsione, nulla oritur obligatio in foro conſcientiæ; nec ratione damni illati, quia ad hoc ſufficit, vt reſarciatur tale damnum quod intellige, quando verè dictum damnum poteſt reſarciri abſque matrimonio; Hanc doctrinam fusè probat Sanchez li. 1. diſp. 10. num. 21. P. Ledeſma de matrim. q. 45. art. 4. dub. 1. concl. 2. & alij, quos etiam ſequitur Bonac. q. 1. de ſponſalib. num 9. Re tamen vera etiam cõtraria opinio probabilis eſt, ne dicam probabilior; quam tenet Leſſ. lib. 2. ca. 10. dub. 3. num. 22. P. Nauarr. lib. 2. de reſtit. cap. 3. pun. 4. num. 427. Vaſq. diſp. 6. cap. 4. & de reſtit. c. 3. §. 1. dub. 3. nu. 21. Molin. tom. 4. diſp. 106. concluſ. 1. & alij multi apud dictum Bonac. & Sanch. Et ratio poteſt eſſe, quia fœmina, ſi nõ fiat Matrimonium, ſemper remanet iniuriata, & deluſa, quamuis ei fiat quæuis reſtitutio; & vigore contractus, & pacti videtur omninò obligatus promiſſor, maximè, quia ſi mulier id ſciuiſſet, nequaquam contraxiſſet, & à pacto recedere eſt omninò illicitũ, & contra iuſtitiam, ſi alter contrahens nollet aſſentire in aliã cõpenſam ſibi præſtitã.

19. Si autem fictus promiſſor voluerit contrahere, & poſtea ſponſa, vel eius parentes noluerint dictum Matrimonium contrahi; tunc ad aliud non tenetur promiſſor, ſufficit enim, vt ſit paratus ad promiſsionem adimplendam. Vt Leſſ. lib. 2. c. 10. dub. 3. num. 27. Bonac. loc. cit. num. 10. & alij; Quod puto verum etiam ſi promiſſor ex vero animo promiſiſſet; nam ſemper ſupponitur, dum adſit voluntas ſponſæ, ſeu puellæ, & eorum parentum.

20. Sed quid dicendum, ſi promiſſor ſciebat puellam fuiſſe corruptam, & tamen fictè promiſit matrimonium ob habendam copulam? & in tali caſu teneri promiſſorẽ ad contrahendum matrimonium multi aſſerũt, quia datur verus cõtractus, & æqualitas conditionis; nec adeſt fraus ex parte fœminæ, ita Corduba in ſumma q. 49. Palud. 4. d. 28. q. 1. art. 2. concl. 4. n. 14. Emanuel Rodriq. in ſumma cap. 208. num. 8. & alij, quos refert Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſp. 10. num. 22. & hanc opinionem ipſe probabilem vocat; ſed probabiliorem putat contrariam; ſcilicet, quod in tali caſu promiſſor teneatur tantum iniuriam compenſare, niſi in caſu, quo copula fuiſſet habita cum vidua bonæ famæ, & ſi redderetur ex hac cauſa infamis, & inhabilis ad Matrimonium, quod etiam docet Nauar. li. 4. conſil. tit. de ſponſalib. conſil. 48. P. Ledeſma de Matrim. q. 54. art. 4. dub. 1. ſed à prima opinione non puto eſſe diſcedendũ, cum non detur maior ratio de vidua, quã de puella ſecreto corrupta, & præter hoc, nunquam eſt recedendum à contractu, & pacto abſque conſenſu contrahentis, vide etiam ea, quæ diximus ſupra in num. 14.

21. Quando autem quis fictè promitteret, & nullum aliud damnum ſequeretur ſponſæ, quæ ſimiliter promiſit, niſi violatio fidei, tunc licet promiſſor grauiſſimè peccaret contra iuſtitiam, dum intendit decipere fæminam in re graui, imò grauiſſima, tamen contrahere non tenetur, nec tenetur aliquam reſtitutionẽ facere, quia tale peccatum fuit tantum in intentione; & nullum damnum ſponſa paſſa eſt, vt ſuppono, quod docet Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſp. 10. num. 26. Corduba in quæſtion. lib. 1. q. 13. Molin. tom. 2. de iuſtit. tract. 2.

diſp. 352. Contrarium tamen docet P. de Ledeſma de Matrim. q. 43, art. 1. dub. 4. & quidem probabiliter ob rationem ſæpè dictam.

22. Quid autem eſſet reſpondēdum, ſi talis fictè promittēs eſſet iuridicè interrogatus à iudice? Et reſpondeo breuiter, poſſe dictum promittentem reſpondere, non promiſiſſe, quia ficta promiſſio habetur pro nulla promiſſione, quod in proprijs terminis docet Manuel Rodriq. in ſumma 1. tom. cap. 245. num. 12. Sanchez loc. cit. num. 27. Nauar. in ca. humanæ aures 2. q. 5. in q. 1. & ſumitur ex doctrina, quam tradit Couar. 5. ver. cap. 2. num. 4. vbi ait, *Interrogatum à iudice, an receperit mutuo pecunias, quas in foro conſcientiæ non debet, poſſe reſpondere non recepiſſe, & hoc non obſtante iuramento;* Vt apertius docet etiam Syluest. verb. mendacium q. vlt. in caſu ſimili, Nauar. ca. 12. num. 19. & alij, quos ſequitur Sanchez loc. cit.

23. Vtrum autem verba promiſſionis debeant dirigi in perſonam certam, & determinatam? Et affirmatiuè reſpondetur. Et ſi pater promittat tantum vnam ex filiabus, licet non erunt ſponſalia, nec ex tali promiſſione oriatur publica honeſtas, tenetur tamen pater vnam, quam maluerit dare ad ipſum enim in tali caſu generalis promiſſionis pertinet electio; vt conſtat in regul. in alternatiuis de regulis iuris in 6. & §. præterea Inſtit. de actionib. & l. plerique ff. de iure dotium, ſi autem duas filias habeat, & vna moriatur, ſuperſtitem tenetur dare ex l. 11. tit. 1. par. 4. Syluest. verb. ſponſalia q. 6. Tabbien. q. 7. num. 8. Angelus num. 9. D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 18. ſi aut ſponſus copulam habeat cum aliqua ex dictis filiabus, pater non tenetur nec illam, nec aliam dare, vt Sanchez lib. 1. de ſponſ. lib. 1. diſp. 26. num. 4. vbi plura eruditè ponit.

De Obligatione, quæ conſurgit ex Sponſalibus. Cap. LXXXIX.

1 *Sponſi ſi in contractu ſponſalium non determinauerunt tempus, quo erat Matrimonium contrahendum; tunc tenebuntur, quando alter eorum ab altero fuerit requiſitus.*

2 *Sponſus nolens adimplere promiſſionem contrahendo Matrimonium, poteſt compelli per cenſuras, & carceres à iudice Eccleſiaſtico, vel etiam ſæculari in aliquo caſu.*

3 *In contractu ſponſalium nulla pœna imponi poteſt contra frangentem fidem, eſſet enim nulla, quamuis eſſet iurata, & hoc in fauorem libertatis Matrimonij.*

4 *In dicto contractu ſponſalium poſſunt adhiberi, & dari arrhæ amittendæ in damnum frangentis fidem; & poſſunt eſſe magnæ, & de rebus, tam mobilibus, quã immobilibus.*

5 *Recipiens arrhas, ſi per ipſum ſtet, vt Matrimonium non contrahatur, tenetur illas ſtatim reſtituere; nec tenetur ad aliã pœnam forſitan ibi appoſitã, niſi poſt ſententiam iudicis.*

6 *Poſſunt in dicto contractu ſponſalium adhiberi fideiuſſores, non tamen obligari ad pœnam; & poſſunt etiam dari pignora per modum arrhæ, & non per modum pœnæ.*

7 *Qui promiſit ingredi Religionem ſub tali pœna, non tenetur ad illam pœnam, licitæ tamen eſſent arrhæ, & alia vt diximus de ſponſalibus reſpectu futuri Matrimonij.*

8 *In contractu ſponſalium poteſt apponi pactum, vt ſponſus, poſt Matrimonium moram trahat in tali Ciuitate, ſub tali pœna; nec Vxor in tali caſu teneretur eum ſequi.*

9 *Vxor tenetur comitari ſuum virum dum poſſit abſque vllo detrimento corporis, & animæ, & dummodo maritus non ex cauſa turpi, & inhoneſta aliò ſe transferat.*

10 *Spon-*

Digitized by Google

10 *Sponſalia ad hoc vt obligent, & valida ſint, non eſt neceſſe, vt fiant coram Parocho, & teſtibus ſed etiam clam contracta valida erunt, & obligabunt.*

11 *Sponſalia ficte facta diſſoluuntur per ſecunda ſponſalia ex animo inita, ſic etiam Matrimonium, licet, qui ficte contrahit, mortaliter peccet.*

1 Obligatio ſponſalium vel poteſt oriri ex intrinſeco iure naturali, quo quiſq; tenetur ad obſeruandam fidem, vel poteſt oriri ex ſententia iudicis, & erit obligatio ab extrinſeco, ſicut etiam eſt obligatio pœnæ, ad quam quiſq; poſſet ſe obligare in caſu, quo nō contraheret, vel amiſsio arrhæ datæ, &c. & quoad primam obligationem intrinſecam prouenientem ex iure naturali; iam diximus ex ſponſalibus oriri inter ſponſos, obligationem contrahendi Matrimonium ſub mortali obligantem; vt communiter omnes aſſerunt cum D. Tho. in 4. diſt. 27. q. 2. art. 1. ad 2. Dubium tantū eſt, quando teneantur ſponſi implere promiſsionem, & Matrimonium contrahere, in caſu, quo nullus terminus ab ipſis fuerit determinatus? Et reſpondeo promittentem, tunc tantum teneri, quando fuerit requiſitus, ſi tunc commodè poſsit, quod eſt commune omni debito, cui non fuerit præfixus terminus, vt conſtat ex leg. debitores præſentes C. de pignoribus, vt docet Abbas in cap. fin. nu. 19. de præſcript. Angelus verb. mora nu. 1. Rodriq. to. 2. ſummæ cap. 43. num. 4. Nauar. cap. 17. num. 79. Summiſtæ omnes in verb. mora, & alij cōmuniter, licet contrarium ſit in debitis, in quibus eſt præfixus terminus; tunc enim dies interpellat pro creditore, vt docuimus lib. 1. de reſtit. cap. 4. num. 14. & ijdem Doctores aſſerunt; ſed nota, quod ſi in ſpōſalibus, nullus aſsignetur terminus, & præcipuè ſponſa non petat ob verecundiam, vel quia indecens id videatur mulieribus, ſponſus non erit tutus à culpa mortali, ſi commodè poſsit, & non contrahat, cum dicta dilatio ſponſæ, non ſit voluntaria, & ipſa cenſetur ſemper petere. Neque dicas votum emiſſum abſque vllo termino, eſt ſtatim adimplendum, dum vouens cōmodè poſsit abſque vlla requiſitione, ergo ſimiliter Matrimoniū eſt ſtatim adimplendum &c. Reſpondetur antecedens verum eſſe, vt communiter omnes docent, quia Deus, qui eſt acceptator voti, cenſetur ſemper petere ſatisfactionem dicti voti; at acceptator ſponſalium, vel alterius rei, poteſt eſſe, vt voluntariè ſufferat aliquam dilationem, & ideò tunc tantū obligabitur ſponſus, quando fuerit requiſitus. vide etiam Sanchez lib. 1. de ſponſalibus diſp. 28. & Filiuc. tract. 10. de Matrim. cap. 7. num. 260. & 261.

2 Vtrum autem ſi ſponſus noluerit contrahere abſque vlla legitima cauſa, poſsit compelli per iudicis ſententiā? Reſpondeo affirmatiuè, & multo magis ſi in ſponſalibus adfuerit iuramentum, & hoc tum per cenſuras, tum per carceres, licèt præcedere debeat monitio, nec coactio debet eſſe talis, vt poſtea deficiat intrinſecus conſenſus, dum contrahitur Matrimonium, quod intellige, dummodo iudex nō timeat ex tali Matrimonio ſcādala ſequutura, diſſenſiones, rumores, & alij mali exitus, qui ſolent aduenire ex Matrimonio non totali animo contracto. Pertinet autem hæc cauſa ad iudicem Eccleſiaſticum; & ſi ſponſalia certa fuerint, & lis non erit, an illa valida ſint, poterit etiam iudex ſæcularis in ipſa procedere, ſcilicet compellendo ſponſum vel ſponſam, vt Matrimonium contrahat, non obſtante, quod in dictis ſponſalibus adfuerit iuramentum, ſicut compellit ad obſeruandam fidem in alijs omnibus contractibus, vt fuſius Sanchez lib. 1. de ſponſalibus diſp. 29. per totam, Filiucc. loc. cit. num. 262. & alij quamplures apud hos Doctores.

3 Sed vtrum in contractu ſponſaliū poſsit apponi aliqua pœna contra frangētem fidem, ſcilicet contra illum, qui poſt ſponſalia, nollet contrahere matrimoniū? Et negatiuè reſpondetur; imò etiam ſi pœna imponeretur inter parentes ſponſorū, vel eorum ſtrictos amicos, adhuc pœna eſſet nulla, cum ſit contra libertatem Matrimonij; irritum enim eſt omne id, quod poteſt eſſe cauſa, vt conſenſus Matrimonij nō ſit omninò liber, & hoc tam in foro Poli, quam in foro fori. Secus ſi pœna ponatur inter extraneos, ſi autem quis reciperet

dictam pœnam, non teneretur illam reſtituere, donec iuridicè eſſet condemnatus; ita fusè Sanchez lib. 1. diſp. 30. & 31. Caiet. verb. ſponſalia, Sylueſt. dicto verb. q. 8. Angelus num. 14. Filiucc. tract. 10. de Matri. cap. 7. nu. 263. & alij omnes apud hos Doctores. Imò quamuis in dicta pœna fuiſſet adhibitum iuramentum, adhuc pœna eſt nulla, nec vllo modo debetur, & ſi fuerit ſoluta, repeti poterit abſque vlla petita iuramenti relaxatione, quia dictum iuramentum eſt irritum, cum ſit contra bonos mores, ſcilicet contra libertatem Matrimonij, & cum ſit à lege prohibitum in fauorem publicum, quamuis ob priuatā hominum vtilitatem ex ea, ſi diligenti de foro competent. ex cap. 2. de pactis in 6. & ex pluribus alijs locis vt Sanchez diſp. 32. nu. 8. & per totam dictam diſputationem; vide etiam diſputat. 33. & 34. vbi idem ſtatuit de varijs alijs pœnis, quæ in tali contractu apponi poſsent, & ſequitur Filiuc. loc. cit. num. 264.

4. Dubium tamen eſt, vtrum in tali contractu poſſint apponi arrhæ amittendæ in damnum frangentis fidem in ſponſalijs præſtitum? Et reſpondetur affirmatiuè, eſtque communis ſententia inter Doctores, & patet ex l. arrhis, & l. fin. C. de ſponſal. &c. Ratio autem quare pœna non cōcedatur, & arrhæ concedantur, multæ aſſignantur à Doctoribus, & præcipua poterit eſſe, quia arrha datur pro ſecuritate matrimonij, & ex conſequenti in eius fauorē, pœna autem conſtituitur, vt adſtringantur ſponſi ad contrahendum, quod eſt contra libertatem matrimonij. Eſt autem neceſſe, vt arrhæ actualiter tradantur, cum lex ita loquatur, nec ſufficiunt promiſſæ, vt aliqui Iuriſconſulti volebant, ita Abbas in c. gemma de ſponſal. num. 8. Ancharanus nu. 10. Couar. 4. in decretal. 1. p. cap. 3. num. 7. & 9. Sylu. verb. ſponſalia q. 9. Angelus nu. 13. Et nota, quod licet quis diceret do tibi centum in pœnam, ſi non contraxero tecum; & actualiter tribuat, valere quidem talem contractum, non vt pœna, ſed quia in re dicitur arrha, cum hæc ſit differentia inter arrham, & pœnam, nempe, quod arrha requirat actualem traditionem, pœna autem futuram. vide Sanchez diſp. 35. n. 2. & 4. Nec ſimiliter eſt neceſſe, vt ſint in parua quātitate, vel modicę, nec vt fiant de rebus immobilibus tantum; poſſunt enim eſſe magnæ, & fieri tam in rebus mobilibus, quam immobilibus, cum lex indiſtinctè loquatur, vt optimè probat Sanch. per totam citatam diſputationem, & ſequitur Filiuc. in cit. cap. 7. nu. 265. & 266. Ille tamen amittit arrhas, qui poſtea frangit fidem, ſeu per quem ſtat, ne matrimonium contrahatur, dummodo ſit in culpa; Nam ſi iuſta de cauſa non contrahat, nec debet amittere arrhas, cum vbi nō eſt culpa, nec debeat adeſſe pœna, l. arrhis, & l. fin. Cod. de ſponſalib. Si autem ſtet per illum, qui recepit arrhas, ne matrimonium contrahatur, tunc tenetur reſtituere, & dictas arrhas, & tantundem de proprijs bonis; niſi fuerit minor 25. annorum, & nullam impetrauerit veniam ætatis, ex cit. lege fin. Cod. de ſponſalib. Et ſi ambo arrhas acceperunt, ille, per quem ſtat tenetur reſtituere, & perdit ſuas datas. Si autem fiat Religioſus, qui dedit arrham, non debet illam amittere; cum iuſta ſit cauſa non contrahendi, vt ex communi doctrina docent Doctores citati.

5. Et quia diximus, recipientē arrhā, ſi per ipſum ſtet, ne Matrimonium contrahatur, teneri reſtituere duplum, nempe dictam arrham, & tantundem de bonis proprijs; quæritur vtrum dicta pœna dupli debeatur ante iudicis ſententiam? Et quid ſi ex conuentionē fuerit apposita pœna quadrupli, vel ſimilis? Et quo ad primam pœnam dupli, quæ dicitur pœna legalis, cum debeatur ex lege fin. Cod. de ſpouſal. certū eſt, quod debeatur poſt iudicis ſententiam arrhæ autem receptæ ſunt ſtatim reſtituendæ Sylueſt. verb. arrhæ q. 4. Palud. in 4. diſtinct. 27. q. 1. concluſ. 5. num. 13. Filiuc. tr. 10. de Matrim. cap. 7. num. 168. Sanchez li. 1. de ſponſal. diſp. 37. num. 1. & alij. Quoad ſecundam pœnam conuentionalem quadrupli, &c. Sunt qui aſſerant, illam deberi ante vllam iudicis ſententiam, ratione pacti abſque vlla exceptione initi, & ita Palud. loc. cit. dict. q. 1. art. 2. num. 13. P. Nauar. lib. 3. de reſtit. cap. 2. num. 274. & alij. Secunda autem ſententia ait, tunc eſſe ſoluendam dictam pœnam conuentionalem,

quan-

quando petitur ab illo, qui eam acquiſiuit, ita Molin, de iuſt. & iure tom. 1. tr. 2. diſput. 97. in fin. & alij plures, & licet ambæ hæ opiniones probabiles ſint, tamen ſaltem etiam probabile eſt dictam pænam indigere ſententia iudicis; cum ſit pæna à lege taxata, quod intellige, quando contrahentes contrarium non expreſſerint, ita Sanchez in cit. diſp. n. 4. ex quampluribus Iuriſconſultis, & Theologis, Nauar. cap. 23. nu. 67. Filiuc. num. 268. & alij.

6. Poſſunt autem adhiberi in contractu ſponſalium, fideiuſſores, non tamen poſſunt obligari ad pænam aliquam, quia cum id, principales contrahentes nō poſſint, vt diximus, nec poterunt eorum fideiuſſores inſtit. de fideiuſſorib. §. 1. Item poſſunt adhiberi pignora, quæ tamē ſi fuerint data mediante, ſeu antecedente ſtipulatione pænæ, erūt inualida, cum nulla pæna in hoc contractu ſpōſalium apponi poſſit, at ſi opponantur per modum arrhæ, valida erunt, ſicut arrhæ validæ ſunt. Et ſi nulla præceſſerit ſtipulatio pænæ, ſunt cenſenda arrhæ, vel ſi abſolutè dicatur, dabo tibi in pænam hoc pignus, ſi nōn contraxero tecū, tunc ſimiliter tale pignus eſt æſtimandum arrha; vt fuſius Sanchez per totā diſp. 38. & Filiuc. num. 269. Sunt tamē multi, qui abſolutè docent, & quidem probabiliter, ne dicam probabilius, quod dicta pignora dum actualiter traduntur, cenſendas eſſe arrhas, & ideò valida eſſe, & illa amittere frangentem fidem ita Hoſtienſ. in ſumma tit. de ſponſal. §. 1. & in cit. cap. Gēma, & ibi Innoc. num. vnic. Io: Andr. nu. 7. & alij plures apud Sanchez num. 9.

7. Eadem doctrina, quam diximus de matrimonio, ſeu ſponſalibus carnalibus, applicāda eſt matrimonio ſpirituali, vt eſt ingreſſus Religionis; vel ſuſceptio baptiſmi. Nam ſicut in cap. Gemma de ſponſalibus requiritur totalis libertas ad matrimonium, & ideò diximus pœnas appoſitas in contractu ſponſalium, eſſe nullas. Sic etiam ex Concilio Tridentino per totam ſeſſionem 25. requiritur ſumma libertas ad Religionis profeſſionem; vnde ſi intercedat aliqua pœna in caſu, quo, qui promiſit ingredi Religionem, non ingrediatur; erit nulla, & inualida; Erit tamen valida arrha, vt diximus de ſponſalibus ſupra num. 4. Nec ſimiliter erit ſimonia, ſi quis offerat munera ad captandā beneuolentiam, vt poſsit aliquem inducere ad ſuſcipiendum baptiſmum, vel ad ingrediendum Religionem, aut aliud opus bonum exequendum vt docet D. Tho. 2. 2. q. 189. art. 9. Imò qui accipit dicta munera conſcius intentionis dantis, poteſt illa acceptare, quia liberaliter cenſentur data, nec tenetur reſtituere ſiue annuat, ſiue non annuat votis dantis. vt Molin. tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 93. in fin. Sic etiam nec erit ſimonia, ſi quis pecunijs procuret auferre impedimenta à baptiſmi ſuſceptione, vel Religionis ingreſſu; vt ſi quis non poſſet ingredi Religionem, eo quod ſit grauatus ære alieno, non erit ſimonia, ſi quis ei offerat omnem pecuniam neceſſariam ad reſtitutionem, cum pacto vt ingrediatur Religione. Et ſimiliter ſi Iudæus nollet ſuſcipere baptiſmum ob timorem reſtitutionis vſurarum, quas non poteſt reſtituere, poterit quis ei offerre omnem pecuniam neceſſariam pro dicta reſtitutione, dummodo fidem ſuſcipiat. vt Angelus verb. Simonia 2. num. 13. Sylu. eodem verb. q. 8. Imò neq; erit ſimonia; ſed omninò licitum munera offerre ea lege, & pacto, vt quis ſuſcipiat baptiſmum, vel ingrediatur religionem, aut alia bona opera faciat; dummodo non detur tanquam pretium rerū ſpiritualium; ſed ad inducendum ad res ſpirituales, & probatur. Nam ſimonia iuxta D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 1. Eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi rem ſpiritualem; De ratione autem vēditionis eſt, vt emptor tradat pretium, & recipiat rem, & è contra, vt venditor tradat rem, & recipiat pretium; In caſu autem noſtro dans pecunias nihil recipit, & qui recipit pecunias, nihil dat; vnde nullo pacto poterit dici ſimonia. Probatur etiam, quia licitum eſt contrahere matrimonium cum infideli cum pacto, vt conuertatur. vt habetur in cap. Non oportet. 28. q. 1. Et ſimiliter ſolet promitti vita infidelibus damnatis ad mortem, dummodo conuertantur, vt Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſp. 39. n. 3. & ſeqq.

8. Sed quæritur; vtrum in contractu ſponſalium poſſit apponi pactum, & pæna; vt

Digitized by Google

vt ſponſus teneatur moram trahere in tali Ciuitate, vel Prouincia; & ſi fidem frangat, an teneatur illum Vxor ſequi, & ſponſus pœnam ſoluere? Breuiter reſpondeo, dictum pactum eſſe licitum; & Vxorem non teneri ſequi maritum fidem frangentem; & ſimiliter dictum ſponſum obligari ad pœnam ſoluẽdam poſt iudicis ſententiam vt ſupra probauimus, quod intellige, dummodo nihil noui accidat ſponſo, quod ſi præcognouiſſet, non promiſiſſet; v.g. ſi ſiat infirmus, & aer ei ſit nociuus, tunc non cẽſetur frangere fidem; Nec ſi ei ſuccedant graues inimicitiæ in dicta Ciuitate, vel ſi fames, aut peſtis, vel magnum bellum ibi fuerit non præcognitum; nec in hoc obſtaret iuramentum, cum ſemper iuramentum ſit intelligendum cum debita modificatione; nec ſe extendit ad caſus non præcognitos. vide Nauar. cap. 14. nu. 20. Sylu. verb. Vxor q. 8. Tabbien. q. 2. nu. 3. Armilla num. 6. Angelus nu. 9. Manuel Rodriquez tom. 1. ſumm. cap. 15. num. 2. Sanchez diſp. 40. Filiucc. tract. 10. c. 7. n. 270.

9. Secluſo tamen hoc pacto mulier tenetur ſequi ſuum virum vbicunque mutauerit domicilium, dummodo nõ illud mutet ad finem turpem, & inhoneſtum; & dũmodo id Vxor poſſit agere abſque detrimento animæ, vel corporis; eſt enim maritus caput, & ideò Vxor tenetur illum ſequi, vt patet ex cap. Vnaquæque 13. q. 2. Si autẽ maritus vagari vellet ex iuſta cauſa, & Vxor commodè poſſet eum ſequi, vtique teneretur illum comitari; ſed ſi id agere vellet abſque iuſta cauſa; & tempore cõtractus matrimonij id maxime faciebat, vel ſi faciebat, id Vxor ignorabat, non teneretur illũ ſequi, ſecus ſi id ſciebat; nempe tenetur aliquod maius incommodum ſufferre, quam ſi id non præcognouiſſet. Et ſi maritus voluerit alio ſe transferre ad aliquod tempus breue, vel fuerit ad dictum breue tempus miſſus in exilium; non teneretur eum Vxor comitari, niſi ibi transferat domicilium; vt Angelus verb. Vxor, num. 9. Syluest. ibidem q. 8. Tabbien. q. 2. nu. 3. & alij. Item ſi peregrinatio eſset longa non teneretur Vxor eum ſequi; ſi autẽ alio ſe transferat ad longum tempus; vtiq; tenetur. vide Sãch. diſp. 41. & Filiu. loc. cit.

10. Deinde quæritur, vtrum ſponſalia adhoc, vt obligent, neceſſarium ſit, vt fiãt coram parocho, & teſtibus? Et ratio dubitandi eſt, quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 1. de matrim. irritat matrimonium clandeſtinum: Igitur videntur etiam irritata ſponſalia clandeſtina? Sed reſpõdendum eſt, ſponſalia eſſe valida etiam ſi clam fiant abſque vlla præſentia alterius perſonæ, ſiue parochi, ſiue quorumuis perſonarum. Et ratio eſt, quia dictum Concilium tantum corrigit ius commune, quo matrimonium clandeſtinum fieri poterat; & contra tale matrimonium loquitur; non eſt igitur neceſſe, vt extendatur ad alium caſum a dicto Concilio non intentum, nec expreſſum, vt probat Sanch. lib. 1. de ſponſalib. diſp. 12.

11. Sed maius dubium eſt, an ſponſalia primo loco contracta cum Berta, irrita fiant per alia, ſecundo loco contracta cum Martia? Et reſpondeo ſi prima ſponſalia verè fuerunt contracta, non irritari per ſecunda; at ſi quis fictè contraxerit primo loco, certum eſt, ſecunda eſſe valida, ſic etiã dicitur de Matrimonio, nam ſecundum Matrimonium non dirimitur per prius fictum, peccat tamen mortaliter fictè contrahens tam ſponſalia, quam Matrimoniũ, & grauius in Matrimonio, quam in ſponſalibus, niſi aliqua vrgens cauſa adeſſet, vt eſſet magnum ſcandalum, periculum vitæ, & ſimilia, Filiucc. tract. 10. cap. 7. num. 251. Nauarr. cap. 22. num. 79. Syluest. verb. Matrimonium 4. q. 8. & alij, & nota, quod regulariter loquendo fictè contrahens maximè Matrimonium, teneatur conſentire, ob damnum, quod adueniret mulieri, ſi Matrimonium diceretur inualidum, tum etiam ratione tractatus, do vt des, &c. licet ſi nullum damnum eſſet ſecuturum mulieri, non eſſet neceſſario præſtandus dictus conſenſus iuxta Sanchez diſp. 11. num. 5. quem ſequitur Filiucc. loc. cit. num. 252. vide etiam ea, quæ diximus cap. anteced. num. 14.

De

De modis, quibus ſponſalia diſſoluantur. Cap. XC.

1 *Sponſalia dirimuntur per ingreſſum religionis alterius ſponſi, nec eſt neceſſaria profeſſio emiſſa.*

2 *Ingrediens religionem, ſi poſtea exeat, poterit cum quauis contrahere, cum prima ſponſalia ſint irrita.*

3 *Sponſalia quamuis iurata, non impediunt, quin ſpōſus poſſit ingredi religionem nullo contracto Matrimonio, dummodo ſponſus ſpe Matrimonij non extorſerit copulā à ſponſa, vel cum illa familiariter vixerit.*

4 *Habens votum Caſtitatis, vel religionis, ſi ſponſalia contrahat, & copulam habeat cum ſponſa, tenebitur Matrimonium contrahere, dummodo ſponſa neſciebat dictū votum, poſt tamen mortem vxoris, tenetur votum perficere.*

5 *Sponſus non poteſt emittere votum Caſtitatis, vel Religionis poſt copulam habitam cum ſponſa, licet fuiſſet habita ad inſtantiam dictæ ſponſæ; & ſi illud emiſerit, adhuc tenetur Matrimonium contrahere.*

6 *Sponſalia diſſoluuntur per votum ſimplex caſtitatis emiſſum ante dicta ſponſalia, & ſi fuerit emiſſum poſt ipſa, erunt diſſoluta tantum in fauorem alterius ſponſi.*

7 *Votum ſimplex caſtitatis emiſſum poſt ſponſalia, illa irritat etiam reſpectu voventis.*

8 *Contrahens matrimonium animo non conſumandi, ſed ingrediendi Religionem; mortaliter peccat.*

9 *Sponſus emittens votum caſtitatis poſt ſpōſalia, licet obtineat relaxationem voti, non tenetur ad ſponſalia.*

10 *Sponſalia dirimuntur per ſuſceptionem ordinis ſacri, vel per votum illum ſuſcipiendi.*

11 *Vouens ordines ſacros, non ſtatim tenetur vigore voti obſeruare caſtitatem.*

12 *Sponſalia dirimuntur ex parte amborum per matrimonium, quod alter ſponſus contrahit cum alia, vel alio.*

13 *Sponſalia contracta cum ſecunda, cum qua fuit etiam habita copula, cenſentur rata, & primæ annullata reſpectu, ſeu in fauorem primæ ſponſæ, non autem contrahentis cum dicta ſecunda.*

14 *Sponſalia ſecunda quamuis iurata, non dirimunt prima non iurata; imò ſi ex iuſta cauſa dirimerentur prima ſponſalia, nec teneretur ſponſus obſeruare ſecunda, cum fuerint nulla.*

15 *Sponſalia facta ante ſeptennium ſunt irrita, facta autem ab impuberibus, ſunt valida, ſed poſſūt dirimi per dictos cōtrahentes ſtatim ac fuerint in anno pubertatis.*

16 *Sponſalia inita inter impuberes cum iuramento, non poſſunt dirimi adueniente pubertate, niſi relaxetur iuramentum per habentem auctoritatem; licet contrarium etiam videatur probabile.*

17 *Sponſalia puberum diſſolui poſſunt per mutuum diſſenſum, etiā ſi fuerint iurata, vel facta ob charitatem; ſponſalia autem impuberum non poſſunt dirimi per dictum diſſenſum, niſi in pubertate.*

18 *Sponſalia diſſoluuntur etiam per diſceſſum ſponſi in longinquas partes abſque conſenſu alterius ſponſi, nec eſt expectandus per biennium, nec triennium, vt volebat ius ciuile.*

19 *Diſſoluuntur etiam ſponſalia per ſequentē fornicationem in fauorem tamen innocentis, & hoc quamuis ſponſa fuiſſet cognita per vim ab alio; Et ſi ambo ſponſi fornicati fuerint, dabitur compenſatio, ita vt nullus eorum à ſponſalibus reſilire poſſit. Dirimuntur etiā ſponſalia per crimen hæreſis commiſſum poſt dicta ſponſalia, vel Apoſtaſiam à fide.*

20 *Ob impedimentum dirimens matrimonium ſuperueniens dirimuntur ſponſalia, non autem ſi impedimentum non fuerit dirimens, præter votum caſtitatis ſimplex.*

1 MVlti ſunt modi, quibus videntur ſponſalia contracta diſſolui, & annullari; vt per ingreſſum Religionis, per votum ſimplex caſtitatis; per ſuſceptionē ordinum maiorum, &c. & de omnibus eſt ſigillatim dicendum. Vnde quæritur primò, vtrum per ingreſſum Religionis diſſoluantur ſtatim ſponſalia, an neceſſaria etiam ſit emiſſio profeſſionis? Et quamuis aliqui dixerunt eſſe neceſſariam dictam emiſſionem profeſſionis; Tamen abſolutè dicendum eſt, per dictum ingreſſum diſſolui

ui ſponſalia ex parte vtriuſq; contrahentium; Et ratio eſt, quia virtualiter dicta ſponſalia ſemper contrahuntur citra præiudicium electionis perfectioris ſtatus; dũ igitur quis ingreditur Religionem, eligit perfectiorem ſtatum; igitur ſponſalia erunt nulla, neque dicas in profeſſione tantum quis dicitur eligere perfectiorem ſtatum, & non in ingreſſu Religionis, &c. Reſpondetur ſponſalia diſſolui per quamlibet notabilem mutationem ſuperuenientem; quę ſi fuiſſet præcognita, nequaquam ſponſalia fuiſſent contracta. Cum igitur ingreſſus Religionis ſit notabilis mutatio ſuperueniẽs, erunt etiam ſponſalia diſſoluta. Si autem quis fraudulenter, ſcilicet ad diſſoluendum ſponſalia tantum ingrederetur Religionem; tunc licet alter ſponſus libe- eſſet à ſponſalibus, & poſset cum alio contrahere; tamen ſic ingrediens Religionẽ, non eſset liber; cum fraus nemini debeat patrocinari, cap. Ex tenore, de reſcriptis. Sanchez lib. 1. diſp. 42. num. 2. & 5. Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 5. Corduba q. 136. pun. 1. Bartholomæus Ledeſma de matrim. dub. 13. caſu 1. Bonac. de ſponſalib. q. 1. pun. 5. n. 2. Nauar. cap. 22. num. 62. Quamuis non deſint, qui etiam probabiliter aſserant, ex parte ingredientis Religionem non diſſolui ſponſalia; vt Filiucc. tract. 10. cap. 8. quæſt. 5. num. 280. & alij, quos citat Sanchez num. 4.

2. Ex qua noſtra doctrina ſequitur, quod ingrediens Religionem, ſi poſtea redeat ad ſęculum, licitè poſſit cum alia contrahere, cum iam prima ſponſalia fuerint extincta; dummodo non fictè, vt diximus, quis Religionem ingreſsus eſset. vide etiã Reginald. lib. 31. n. 258. & alios citatos.

3. Sed quid ſi ſponſalia fuerint cõtracta cum iuramento? Nempe an teneatur ſic contrahens prius contrahere Matrimonium, & poſtea ingredi Religionem? Et affirmatiuè reſpondet Scot. 4. diſt. 30. q. 2. ar. 2. Nauarr. in cap. non dicatis, Vega lib. 1. ſummæ caſu 389. Molin. 1. de iuſtit. diſput. 149. Rebell. 2. par. lib. 3. q. 8. ſect. 6. nu. 38. & alij plures, & ratio eſt, quia ſicut debitor non poteſt ingredi Religionem, niſi prius debita ſoluat, ita neque promittens, maximè cum iuramento; poſt ſponſalia, poterit religionẽ ingredi, niſi prius adimpleat promiſſionem, ad quam tenetur. Tamen contraria ſententia omninò tenenda eſt, nempe poſſe ingredi non cõtrahendo Matrimonium; nam vt ſupra diximus, ſemper ſponſalia contrahuntur citra præiudicium electionis perfectioris ſtatus; imò etiam Matrimonium contrahitur cum hac virtuali intentione, cum contrahentes habeãt duos menſes ante illius conſũmationem ad ſe deliberandum, an velint eligere ſtatum perfectiorem, vt infra dicemus; igitur multo magis contrahentes ſponſalia, poterunt religionem ingredi ante vllum cõtractum Matrimonij, nec obſtabit iuramẽtum, cum cenſeatur factum iuxta naturam talis promiſſionis, & cum dicta clauſula; ita Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſp. 43. num. 3. vbi quamplures affert, Reginal. li. 31. num. 258. Bonac. de ſponſal. q. 1. punct. 5. nu. 4. Filiuc. tract. 10. cap. 8. nu. 281. P. Ledeſma de Matrim. q. 43. ar. 3. dub. 1. difficul. 2. Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 5. Richard. d. 29. ar. 2. q. 4. Caiet. in ſumma verb. periurium promiſſorium cap. 2. circa fin. & alij plures, quam doctrinam intelligas dummodo aliquid non obſtet, ob quod eſſet omninò primum Matrimonium contrahendum, vt ſi quis poſt dicta ſponſalia, copulam habuit cum ſponſa, vel deflorauit viduã bonæ famæ, aut familiariter vixit cum ſponſa, ita vt ſi Matrimonium non contraheretur ſequeretur ſcandalum, & infamia ſponſæ, in his enim caſibus tenetur quis Matrimonium contrahere, cum hoc ſit de præcepto naturali, & diuino, & ingreſſus religionis, ſit tantum de conſilio, debet igitur viuere in Matrimonio, & Religionem non ingredi, vt idem Sanch. diſp. 44. nu. 3. Reginal. loc. cit. Bonac. num. 4. & alij apud ipſos.

4. At dubium eſt, vtrum ſi quis prius vouerit religionem, vel votum caſtitatis, & poſtea deflorauerit virginem fide data de Matrimonio contrahendo, debeat obſeruare votum, an contrahere Matrimonium? Et quamuis aliqui aſſerant, debere obſeruare votũ, quia prima obligatio non potuit violari per ſecundam. Tamen dicendum eſt, teneri contrahere Matrimonium, & ſi dictum votum fuerit abſolutè factum, teneri vouentẽ illud adimplere poſt

mortem vxoris. Et ratio eſt, quia votum non obligat, quando aduenit accidens notabiliter rem mutans, & vinculum iuſtitiæ fortius ſtringit, quam vinculum charitatis, vt eſt in caſu noſtro; igitur prius tenetur quis matrimonium contrahere, etſi poſtea ſuperuixerit poſt mortem vxoris, tenebitur votum obſeruare. Quod idem dicitur de qualibet fœmina honeſta, & bonæ famæ violata. vt Sanchez lib. 1. de ſponſalib. diſp. 45. Filiucc. nu. 284. & 285. Bonac. de ſponſalib. q. 1. pun. 5. num. 7. Leſſ. lib. 2. cap. 10. dub. 4. quamuis vt diximus contrarium aſſerat Nauar. lib. 4. conſil. tit. de ſponſalib. conſil. 21. & alij apud dictum Sanchez n. 2. Et nota, quod, ſi quis vouerit caſtitatem, non poterit petere, ſed tantum reddere; niſi obtineat diſpenſationem ab habente auctoritatem. Secundò eſt notandum, dictam doctrinam eſſe verã, dummodo mulier ignorabat votum, alioquin non diceretur decepta, & ex conſequenti ſponſus teneretur ingredi religionem.

5. Eſt etiam notandum, quod, licet ſponſa virtute ſponſalium extorſerit copulam à ſponſo, non poterit tamen ſponſus poſt dictam copulam vouere caſtitatẽ, vel religionem; nam ſi abſolutè vouerit, votum erit validum; Sed prius tenetur matrimonium contrahere, & conſummare, & ſi poſtea ſuperuixerit, tenebitur ad votum, vel ſi ſponſalia iuxta de cauſa diſſoluerentur, &c. Et ſi eſſet votum caſtitatis, teneretur petere diſpenſationem ad petẽdum, cum ex parte ſua votum ſit validum, vt Sanchez diſp. 44. num. 7. & 8. Leſſ. loc. cit. Bonac. num. 5. & 6. Et ratio eſt eadem, quam diximus nu. antecedenti. vide etiam Filiuc. n. 283. & 284.

6. Deinde quæritur, vtrum ſponſalia diſſoluantur per votum ſimplex caſtitatis emiſſum poſt dicta ſponſalia? Nam, quod tale votum emiſſum ante ſponſalia, illa dirimat, certum eſt, quia tunc ſecunda promiſſio reputatur illicita, & ſi votum fuerit ingrediendi religionem, certum etiam eſt, quod dicta ſponſalia diſſoluat, vt Corduba in ſumm. q. 136. P. Ledeſma de matrim. q. 43. art. 3. dub. 1. diffic. 2. Nauar. ca. 22. n. 27. caſu 10. Sylu. verb. Matrimonium 7. q. 5. & alij. Et quoad quæſtionem propoſitam; Certum etiam eſt, dictum votum caſtitatis ſimplex emiſſum poſt ſponſalia, illa diſſoluere quoad alterum ſponſum, nempe reddit illum liberum, vt poſſit cum alio, vel alia contrahere; vt Sylu. verb. Sponſalia. qu. 7. vbi ait. Hoc eſſe indubitatum, Corduba, & P. Ledeſma loc. cit. Propoſitum autem ſeruandi cælibatum in ſæculo, dicta ſponſalia non dirimit, niſi tale propoſitum voto firmetur, quia tunc tantum dicitur electio ſtatus; Nam ſtatus requirit ſtabilitatem vitæ, & obligationem; vt S. Thom. 2. 2. q. 183. art. 1. Molin. tom. 1. de iuſtit. tr. 2. diſp. 149. P. Ledeſma de matrim. q. 33. art. 3. du. 3. & alii, licet Caietanus videatur contrarium ſentire dum in ſumma verb. periurium promiſſorium c. 2. in fin. aſſerat, poſse iurantem ſponſalia manere in ſtatu cælibatus, quæ verba ſunt intelligenda, dummodo talis iurans voluerit manere in tali ſtatu mediante voto caſtitatis; vt vult. Sanch. lib. 1. de ſponſalib. diſp. 46. n. 4.

7. Difficultas tantum eſt, vtrum per dictum votum ſimplex caſtitatis, diſſoluãtur ſponſalia etiam ex parte vouentis? Et an licitè emitti, & ſeruari poſſit tale votũ? in qua quæſtione duæ celebres ſunt opiniones, & ambæ continent magnos patronos, nam prima aſſerit, ſponſalia omninò dirimi; & ratio præcipua videtur, quia in contractu ſponſalium ſemper præſupponitur tacita conditio, niſi eligam meliorem ſtatum, quam ſententiam expreſsè tenet D. Thom. in 4. q. 38. q. 1. ar. 3. quæſt. 2. ad 1. vbi ſic ait; *propter votum ſimplex ſunt ſponſalia dirimenda*; ſequitur Palud. 4. q. 38. q. 3. art. 3. concluſ. 4. num. 36. Richar. q. 27. ar. 3. q. 4. Sot. d. 27. q. 2. art. 5. Caiet. in ſum. ver. periuriũ promiſſorium c. 2. in fin. P. Ledeſ. de Matri. q. 43. ar. 3. du. 3. Gutier. c. 26. Rodriq. 1. tom. cap. 245. num. 2. Angelus ver. ſponſalia num. 5. Bonac. de ſponſalib. q. 1. punct. 5. num. 13. & alij plures apud Sãchez diſp. 46. num. 7. & apud alios citatos Doctores; ſecunda ſententia ait, ſponſalia non dirimi per ſubſequẽs votũ ſimplex caſtitatis, & ratio potiſſima huius ſentẽtię eſt, quia Deus nõ acceptat promiſſionem rei alteri debitæ ex promiſſione, cũ eſſet in præiudiciũ tertij; ergo neq; acceptat votũ ſimplex in præiudicium ſponſæ. Deinde nullo iure

ui ſponſalia ex parte vtriuſq; contrahentium; Et ratio eſt, quia virtualiter dicta ſponſalia ſemper contrahuntur citra præiudicium electionis perfectioris ſtatus; dũ igitur quis ingreditur Religionem, eligit perfectiorem ſtatum; igitur ſponſalia erunt nulla, neque dicas in profeſſione tantum quis dicitur eligere perfectiorem ſtatum, & non in ingreſſu Religionis, &c. Reſpondetur ſponſalia diſſolui per quamlibet notabilem mutationem ſuperuenientem; quę ſi fuiſſet præcognita, nequaquam ſponſalia fuiſſent contracta. Cum igitur ingreſſus Religionis ſit notabilis mutatio ſuperueniẽs, erunt etiam ſponſalia diſſoluta. Si autem quis fraudulenter, ſcilicet ad diſſoluendum ſponſalia tantum ingrederetur Religionem; tunc licet alter ſponſus liber eſſet à ſponſalibus, & poſset cum alio contrahere; tamen ſic ingrediens Religionẽ, non eſset liber; cum fraus nemini debeat patrocinari, cap. Ex tenore, de reſcriptis. Sanchez lib. 1. diſp. 42. num. 2. & 5. Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 5. Corduba q. 136. pun. 1. Bartholomæus Ledeſma de matrim. dub. 13. caſu 1. Bonac. de ſponſalib. q. 1. pun. 5. n. 2. Nauar. cap. 22. num. 62. Quamuis non deſint, qui etiam probabiliter aſserant, ex parte ingredientis Religionem non diſſolui ſponſalia; vt Filiucc. tract. 10. cap. 8. quæſt. 5. num. 280. & alij, quos citat Sanchez num. 4.

2. Ex qua noſtra doctrina ſequitur, quod ingrediens Religionem, ſi poſtea redeat ad ſęculum, licitè poſſit cum alia contrahere, cum iam prima ſponſalia fuerint extincta; dummodo non fictè, vt diximus, quis Religionem ingreſsus eſset. vide etiã Reginald. lib. 31. n. 258. & alios citatos.

3. Sed quid ſi ſponſalia fuerint cõtracta cum iuramento? Nempe an teneatur ſic contrahens prius contrahere Matrimonium, & poſtea ingredi Religionem? Et affirmatiuè reſpondet Scot. 4. diſt. 30. q. 2. ar. 2. Nauarr. in cap. non dicatis, Vega lib. 1. ſummæ caſu 389. Molin. 1. de iuſtit. diſput. 149. Rebell. 2. par. lib. 3. q. 8. ſect. 6. nu. 38. & alij plures, & ratio eſt, quia ſicut debitor non poteſt ingredi Religionem, niſi prius debita ſoluat, ita neque promittens, maximè cum iuramento; poſt ſponſalia, poterit religionẽ ingredi, niſi prius adimpleat promiſſionem, ad quam tenetur. Tamen contraria ſententia omninò tenenda eſt, nempe poſſe ingredi non cõtrahendo Matrimonium; nam vt ſupra diximus, ſemper ſponſalia contrahuntur citra præiudicium electionis perfectioris ſtatus; imò etiam Matrimonium contrahitur cum hac virtuali intentione, cum contrahentes habeãt duos menſes ante illius conſũmationem ad ſe deliberandum, an velint eligere ſtatum perfectiorem, vt infra dicemus; igitur multo magis contrahentes ſponſalia, poterunt religionem ingredi ante vllum cõtractum Matrimonij, nec obſtabit iuramẽtum, cum cenſeatur factum iuxta naturam talis promiſſionis, & cum dicta clauſula; ita Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſp. 43. num. 3. vbi quamplures affert, Reginal. li. 31. num. 258. Bonac. de ſponſal. q. 1. punct. 5. nu. 4. Filiuc. tract. 10. cap. 8. nu. 281. P. Ledeſma de Matrim. q. 43. ar. 3. dub. 1. difficul. 2. Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 5. Richard. d. 29. ar. 2. q. 4. Caiet. in ſumma verb. periurium promiſſorium cap. 2. circa fin. & alij plures, quam doctrinam intelligas dummodo aliquid non obſtet, ob quod eſſet omninò primum Matrimonium contrahendum, vt ſi quis poſt dicta ſponſalia, copulam habuit cum ſponſa, vel deflorauit viduã bonæ famæ, aut familiariter vixit cum ſponſa, ita vt ſi Matrimonium non contraheretur ſequeretur ſcandalum, & infamia ſponſæ, in his enim caſibus tenetur quis Matrimonium contrahere, cum hoc ſit de præcepto naturali, & diuino, & ingreſſus religionis, ſit tantum de conſilio, debet igitur viuere in Matrimonio, & Religionem non ingredi, vt idem Sanch. diſp. 44. nu. 3. Reginal. loc. cit. Bonac. num. 4. & alij apud ipſos.

4. At dubium eſt, vtrum ſi quis prius vouerit religionem, vel votum caſtitatis, & poſtea deflorauerit virginem fide data de Matrimonio contrahendo, debeat obſeruare votum, an contrahere Matrimonium? Et quamuis aliqui aſſerant, debere obſeruare votũ, quia prima obligatio non potuit violari per ſecundam. Tamen dicendum eſt, teneri contrahere Matrimonium, & ſi dictum votum fuerit abſolutè factum, teneri vouentẽ illud adimplere poſt

mortem

Digitized by Google

mortem vxoris. Et ratio eſt, quia votum non obligat, quando aduenit accidens notabiliter rem mutans, & vinculum iuſtitiæ fortius ſtringit, quam vinculum charitatis, vt eſt in caſu noſtro; igitur prius tenetur quis matrimonium contrahere, etſi poſtea ſuperuixerit poſt mortem vxoris, tenebitur votum obſeruare. Quod idem dicitur de qualibet fœmina honeſta, & bonæ famæ violata. vt Sanchez lib. 1. de ſponſalib. diſp. 45. Filiucc. nu. 284. & 285. Bonac. de ſponſalib. q. 1. pun. 5. num. 7. Leſſ. lib. 2. cap. 10. dub. 4. quamuis vt diximus contrarium aſſerat Nauar. lib. 4. conſil. tit. de ſponſalib. conſil. 21. & alij apud dictum Sanchez n. 2. Et nota, quod, ſi quis vouerit caſtitatem, non poterit petere, ſed tantum reddere; niſi obtineat diſpenſationem ab habente auctoritatem. Secundò eſt notandum, dictam doctrinam eſſe verã, dummodo mulier ignorabat votum, alioquin non diceretur decepta, & ex conſequenti ſponſus teneretur ingredi religionem.

5. Eſt etiam notandum, quod, licet ſponſa virtute ſponſalium extorſerit copulam à ſponſo, non poterit tamen ſponſus poſt dictam copulam vouere caſtitatẽ, vel religionem; nam ſi abſolutè vouerit, votum erit validum; Sed prius tenetur matrimonium contrahere, & conſummare, & ſi poſtea ſuperuixerit, tenebitur ad votum, vel ſi ſponſalia iuxta de cauſa diſſoluerentur, &c. Et ſi eſſet votum caſtitatis, teneretur petere diſpenſationem ad petẽdum, cum ex parte ſua votum ſit validum, vt Sanchez diſp. 44. num. 7. & 8. Leſſ. loc. cit. Bonac. num. 5. & 6. Et ratio eſt eadem, quam diximus nu. antecedenti. vide etiam Filiuc. n. 283. & 284.

6. Deinde quæritur, vtrum ſponſalia diſſoluantur per votum ſimplex caſtitatis emiſſum poſt dicta ſponſalia? Nam, quod tale votum emiſſum ante ſponſalia, illa dirimat, certum eſt, quia tunc ſecunda promiſſio reputatur illicita, & ſi votum fuerit ingrediendi religionem, certum etiam eſt, quod dicta ſponſalia diſſoluat, vt Corduba in ſumm. q. 136. P. Ledeſma de matrim. q. 43. art. 3. dub. 1. diffic. 2. Nauar. ca. 22. n. 27. caſu 10. Sylu. verb. Matrimonium 7. q. 5. & alij. Et quoad quæſtionem propoſitam; Certum etiam eſt, dictum votum caſtitatis ſimplex emiſſum poſt ſponſalia, illa diſſoluere quoad alterum ſponſum, nempe reddit illum liberum, vt poſſit cum alio, vel alia contrahere; vt Sylu. verb. Sponſalia. qu. 7. vbi ait. Hoc eſſe indubitatum, Corduba, & P. Ledeſma loc. cit. Propoſitum autem ſeruandi cælibatum in ſæculo, dicta ſponſalia non dirimit, niſi tale propoſitum voto firmetur, quia tunc tantum dicitur electio ſtatus; Nam ſtatus requirit ſtabilitatem vitæ, & obligationem; vt S. Thom. 2. 2. q. 183. art. 1. Molin. tom. 1. de iuſtit. tr. 2. diſp. 149. P. Ledeſma de matrim. q. 33. art. 3. du. 3. & alii, licet Caietanus videatur contrarium ſentire dum in ſumma verb. periurium promiſſorium c. 2. in fin. aſſerat, poſſe iurantem ſponſalia manere in ſtatu cælibatus, quæ verba ſunt intelligenda, dummodo talis iurans voluerit manere in tali ſtatu mediante voto caſtitatis; vt vult. Sanch. lib. 1. de ſponſalib. diſp. 46. n. 4.

7. Difficultas tantum eſt, vtrum per dictum votum ſimplex caſtitatis, diſſoluãtur ſponſalia etiam ex parte vouentis? Et an licitè emitti, & ſeruari poſſit tale votũ? in qua quæſtione duæ celebres ſunt opiniones, & ambæ continent magnos patronos; nam prima aſſerit, ſponſalia omninò dirimi; & ratio præcipua videtur, quia in contractu ſponſalium ſemper præſupponitur tacita conditio, niſi eligam meliorem ſtatum, quam ſententiam expreſsè tenet D. Thom. in 4. q. 38. q. 1. ar. 3. quæſt. 2. ad 1. vbi ſic ait; *propter votum ſimplex ſunt ſponſalia dirimenda*; ſequitur Palud. 4. q. 38. q. 3. art. 3. concluſ. 4. num. 36. Richar. q. 27. ar. 3. q. 4. Sot. d. 27. q. 2. art. 5. Caiet. in ſum. ver. periuriũ promiſſorium c. 2. in fin. P. Ledeſ. de Matri. q. 43. ar. 3. du. 3. Gutier. c. 26. Rodriq. 1. tom. cap. 245. num. 2. Angelus ver. ſponſalia num. 5. Bonac. de ſponſalib. q. 1. punct. 5. num. 13. & alij plures apud Sãchez diſp. 46. num. 7. & apud alios citatos Doctores; ſecunda ſententia ait, ſponſalia non dirimi per ſubſequẽs votũ ſimplex caſtitatis, & ratio potiſſima huius ſentẽtię eſt, quia Deus nõ acceptat promiſſionem rei alteri debitæ ex promiſſione, cũ eſſet in præiudiciũ tertij; ergo neq; acceptat votũ ſimplex in præiudicium ſponſæ. Deinde nullo iure

probatur, quod in ſponſalibus ſemper intelligatur conditio, niſi perfectiorem ſtatum eligam, quam opinionem probabiliorem putat Sanchez loc. cit. nu. 9. quod intelligit etiam de ſponſalibus non iuratis, vt loquitur etiam expreſsè Corduba in ſumma q. 136. Vega lib. 6. ſummæ cap. 41. punct. 4. opinio n. 5. & alij eandem doctrinã docet Syluest. verb. Matrimonium 7. q. 5. dicto 5. & verb. ſponſalia q. 7. Armilla nu. 12. Tabbien. in fine, Nauarr. cap. 22. nu. 27. Palud. 4. d. 27. q. 1. art. 3. caſu 5. num. 23. Rebell. de ſponſ. q. 8. ſect. 2. num. 47. Reginal. lib. 31. num. 259. Filiuc. tract. 10. cap. 8. nu. 286. & alij plures apud dictos Doctores, ſed verè probabilior videtur prima opinio, maximè cum ſit D. Thom. nam ſicut Matrimonium ratum dirimitur per emiſſam profeſſionem; non erit mirum, ſi per votum ſimplex dirimantur ſponſalia quãuis iurata, cum ſemper intelligantur iurata cum tali conditione, niſi perfectiorem ſtatum eligam, vt ſæpè diximus.

8. Vtrum autem habens votum caſtitatis poſſit abſque culpa graui contrahere Matrimonium animo ingrediẽdi Religionem ante illius conſũmationem? Et reſpõdeo ſiuè quis habeat votum caſtitatis, ſiuè non habeat; non poteſt contrahere cum animo ingrediendi religionẽ, & conſummandi Matrimonium, alioquin mortaliter peccabit ob grauem iniuriam, & damnũ, quod alteri infert, cum talis alter teneretur expectare profeſſionem, vel accipere in coniugem emiſſum à Religione; vt Bonac. de ſponſalib. q. 1. punct. 5. nu. 11. Sanchez diſp. 43. num. 7. Rodriq. tom. 1. ſummæ cap. 244. num. 5. Syluest. verb. Matrimonium 7. q. 5. Sotus 4. diſt. 38. q. 2. art. 1. P. Sot. lect. 14. de Matrim. in fin. Nauar. ca. 22. num. 73. & cap. 16. num. 30. Et quamplures alij contra Caiet. in ſum. verb. Matrimonium cap. 1. & alios. In aliquibus tamen caſibus habens votum caſtitatis, vel Religionis poſſet habere animum contrahendi; ſed poſtea ingrediendi Religionem ante conſummationem, & primus caſus eſt, ſi quis pateretur notabilem metum in fama, in bonis, vel in vita &c. quamuis non cadentem in conſtantem virum; vt Nauar. in cit. cap. 16. nu. 30. & Sanchez nu. 8. Secundus caſus eſt, ſi quis incluſus detineretur, nec poſſet exire, & ingredi religionem, niſi contrahat Matrimonium; in tali enim caſu etiam licitum eſſet. Tertiò idem eſſet dicendum, quando talis contractus matrimonij eſſet neceſſarius ad euitãdum magnum ſcandalum; vel vt loquitur Nauar. Semper quando adeſt vrgẽs cauſa.

9. Sed quæritur, vtrum teneatur contrahere matrimonium ille, qui contraxit ſponſalia, & poſtea emiſit votum caſtitatis, ſed obtinuit iam relaxationem dicti voti? Et quamuis affirmatiuè reſpondeat Rebell. 2. p. lib. 4. q. 8. ſect. 7. conclu. 4. n. 49. Tamen negatiuè eſt reſpondendum, quia ſponſalia iam fuerunt extincta per votum caſtitatis, & obligatio ſemel extincta, non reuiuiſcit, regula non firmatur de regulis iuris in 6. & regula, quod ab initio ff. eod. tit. Et idem eſt dicendum de illo qui poſt emiſſum votum, contraxit ſponſalia; nam dicta ſponſalia, vt ſupra diximus, ſunt omninò nulla, & illicita. ita Bonac. loc. cit. nu. 16. Sanch. diſp. 50. n. 6. & alij.

10. Tertiò, dirimuntur ſponſalia per ſuſceptionem ordinis ſacri, vel per votum illum ſuſcipiendi: & ratio eſt, quia dicta ſponſalia, vt diximus, ſemper contrahuntur ſub tacita conditione, niſi perfectiorem ſtatum eligam. ita Sot. lib. 7. de iuſtit. q. 1. art. 3. Corduba in ſumma qu. 136. pun. 4. opin. 5. & omnes alij, quos in num. 7. attulimus. Docentes per votum ſimplex, dirimi ſponſalia, idem docet Bonac. num. 20. Guotirex de Matrim. c. 26. n. 2. & alij. Contra Sanch. diſp. 47. Filiuc. tract. 10. c. 8. n. 287. & alios citatos in dicto num. 7. pro contraria ſententia.

11. Hic tamen obiter nota cum Bonac. loc. cit. num. 21. vouentem ordines ſacros, non teneri ſtatim obſeruare caſtitatem vigore dicti voti; quia caſtitas eſt quid annexum ordinibus ſacris, vnde vouens non tenetur, niſi poſt ſuſceptionem principalis, nempe ordinum ſacrorum, ex quibus poſtea oritur obligatio obſeruãdi caſtitatẽ.

12. Vtrum ſponſalia dirimantur etiã per Matrimonium cum alia contractum? Reſpondetur affirmatiuè, vt Sanchez diſp. 48. Filiucc. tract. 10. cap. 8. num. 271. Leſs. lib. 2. cap. 40. num. 74. Bonac. de ſponſalib.

q. 1.

q.1.punct.7.num.1.& habetur in cap. ſi inter virum cap. Adoleſcens, & cap. ex litteris de ſponſalibus,& alibi. Alij autem docent, dicta ſponſalia non extingui totaliter, ſed in caſu, quo alter ſponſus decederet, tunc primum ſponſum teneri ad contraheudum Matrimonium cum prima ſpōſa, niſi tot genuiſſet filios in primo Matrimonio, vt commodè alios educare non poſſet, vel ità ſenex eſſet, vt non eſſet aptus ad Matrimonium, prout docet P. Ledeſma de Matrim. q.43. art.3. dub.2.& q.46.ar.1. dub. 1. Et abſque dicta limitatione id docent Vega lib.6. ſummæ cap. 125. Coninchus diſp.23. dub.4. nu. 32. & alij apud ipſum, quam opinionem probabilem vocat Sanchez; cum illam doceant multi Neotherici; Sed primam opinionem puto omninò veram; quia quod eſt ſemel extinctū, non reuiuiſcit, cap. Quæris de conſecr. d.4. & l. qui res §. aream ff. de ſolutionibus; nec obſtat, ſi in dictis ſponſalibus adfuerit iuramentum, vt ait D. Bonauent. 3. d.39. art.2. q.2. in fin. his verbis. Iurantem ſponſalia, aliudque ineuntem Matrimonium, peccare mortaliter, & amplius non obligari; idem etiam tenet Palud. 4. d.28. q.1. art.1. concl. 4. num.8. & quamplures alij. Quidquid in contrarium aſſerat, Bonac. num.3. Quod poteſt confirmari ex intentione contrahentium; nam eorum intentio eſt obligare ſe ad primum matrimonium contrahēdum, & non ad ſecundum; & ſi tempore contractus de hoc fuiſſēt interrogati, vtiq; id confirmaſſent, & cum iuramentum non poſſit extendi vltra intentionem iurantis, ſequitur, quod talis ſponſus, non teneretur poſtea, extincto primo matrimonio, cum prima contrahere, quod limita, niſi ſpe ſponſalium, primam ſponſam virginem violaſſet, vel cum alia honeſtæ vitæ rem habuiſſet, nec ſatisfeciſſet; tunc enim, non ratione ſponſalium; ſed ad reſarciendum damnum illatum, teneretur cum illa contrahere; vel ſaltem ſatisfacere prout diximus cap.88. n.14. in fin.

13. Dubium tamen eſt, vtrum prima ſponſalia diſſoluantur per ſecunda contracta cum copula? Reſpondeo, reſpectu alterius ſponſi, dicta ſponſalia eſſe annullata, eo quod ſponſus primus renunciauerit dictis primis ſponſalibus, at reſpectu dicti contrahentis, ſponſalia, non cenſentur annullata poſt Concilium Tridentin. Nam ante Concilium ſecus erat dicendum, quia dicta ſponſalia cum copula affectu coniugali habita, tranſibat in matrimonium, vt patet ex cap. is, qui fidem de ſponſalibus, & docet Sot. 4. d.27. q.2. art.4. dub.3. Nauarr. cap.22. num.26. & alij, poſt autem dictum Concilium, cum Matrimonium non intelligatur contractum, niſi fiat iuxta præſcriptum in dicto Concilio ſeſſ. 24. cap. 1. de Matrimonio; ſequitur, quod prima ſpōſalia ſēper firma remaneāt ex parte ipſius cum ſecunda, vel ſecundo contrahentis. ſi dicta ſponſalia ſecunda fuerint contracta cum conſanguinea primæ ſponſæ, & cū ea fuerit habita copula; tunc Matrimonium nō poterit contrahi nec cum prima, nec cum ſecunda; non cum prima propter conſanguinitatem; nec cum ſecunda ob impedimentum publicæ honeſtatis; vt idē Nauarr. Sanchez diſp.49. n.3. & Filiuc. tr. 10. c.8. n.273.

14. Secundum dubium eſt, vtrum, qui contrahit prima ſponſalia abſque iuramēto, & ſecunda cum iuramento, teneatur adimplere ſecunda ratione iuramenti, an prima? Reſpondeo teneri ad prima, quamuis non iurata, quia iuramentum non tollit ius, quod prima ſponſa acquiſiuit, & tale iuramentum reputatur non ſolum de re vana, & inutili; ſed etiam de re officioſa, ob quod iuramentum eſt irritum, & nullum; quod intellige, dūmodo nō adſit aliqua iuſta cauſa dirimendi prima ſponſalia vt Sāch. diſp.50. Angel. verb. ſponſ. n.25. Syl. q.10. Tabb. q.6. Sot. 4. d.27. q.2. a.4. du.3. & alij. Sed quid ſi quis poſtqā cōtrahit ſpōſalia cū ſecūda, adueniat aliqua iuſta cauſa, & diſſoluat ſpōſalia cum prima, an teneatur omninò contrahere cum ſecunda; an dicta ſponſalia ſint reputanda omninò nulla, eo quod aderāt prima? Et quāuis Couar. 4. decret. 1. p. c.4. §. 1. n. 10. aſſerat teneri cōtrahere cū ſecūda nō ratione ſpōſaliū; ſed ratione promiſſionis; tamē cōtrariū eſt omnidò dicendū; nā dicta ſpōſalia cū fuerint nulla, ſtantibus primis; non poterunt decurſu temporis valida fieri ex regula non firmatur de regulis iuris in 6. & regula quod

ab initio ff. eodem titulo, & confirmatur, quia promiſsio facta ab inhabili nō fit valida adueniente tempore habilitatis promittentis, & qui vouit rem impoſsibilem, non obligatur re poſsibili facta, vt optimè Sanchez loc.cit.num.6.& Filiuc.tract. 10, cap.8.num.274.& alij.

15. Quæritur deinde vtrum ſponſalia diſſoluantur ob defectum ætatis? Et primò ſciendum eſt, ſponſalia facta inter infantes, ſcilicet ante ſeptennium, eſſe nulla, vt iam probauimus in ca.87.num. 17. Vnde quæſtio eſt, an ſponſalia facta inter impuberes, ſcilicet inter habentes ſeptenniū completum; ſed non decimumquartum, dirimi poſſint ex ea tantum cauſa, quia nō fuerunt contracta in ætate pubertatis, ſcilicet anni 14.completi? Reſpondeo, dicta ſponſalia poſſe diſſolui; ſed non niſi quando dicti infantes adepti fuerint pubertatē; & hoc permiſſum eſt à lege, ne dicti impuberes ob ætatis inconſtantiam ſæpè dirimerent ſponſalia; patet ex cap.1.de illis,& ca. à nobis de deſponſatione impuberum. Vnde licet impuberes poſſint in dicta ætate contrahere ſponſalia; illa tamen etiam de communi conſenſu, diſſoluere non poſſunt. Primus tamen pubes factus, poteſt ſtatim ab illis reſilire, nec tenetur expectare pubertatem alterius, vt apertè deducitur ex cap.de illis cit. Si autem pubes cum impubere contrahat ſponſalia, nunquam reſilire poteſt, licet poſſit impubes, cū pubes factus fuerit; ſicut ſi maior contractum ineat, cum minore abſque auctoritate tutoris; dicto maiori nulla competit reclamatio, ſed tantum minori, l.non eo minus C.de procur. Gloſs.in dicto c. de illis verſ. ſemel, Sylueſt.verb.ſponſalia q.10.caſu 12, Couar.4.decret.pr.par.cap.5. §.1. num. 1. Sic etiam ſi maior ſeptennio contrahat cū infanti, ſcilicet non habente ſeptennium, non poterit à contractu reſilire, donec infans ſeptennium habeat, & tunc eo volente, maior tenetur ſtare promiſsis. Vide Sāchez lib.1. de ſponſal. diſp. 51. per totam; Bonac. de ſponſalibus,q.1.punct.6.num.1, & ſeqq. Filiuc.tract.10.cap.8.num. 276. & eadem doctrina eſt,quando parentes validè contrahunt pro filijs impuberibus,nam non poſſunt ab illis reſilire, donec puberes fuerint; ſed nota, quod ſi dicti impuberes ſtatim, ſcilicet intra triduum ante,vel poſt adeptam pubertatem,ſponſalia non diſſoluant,cenſentur conſenſiſſe;nam quod intra triduum fit,dicitur incontinenti fieri in iure,l.final.C.de errore aduocatorum,& l.finali C.de iudicijs. Vnde eo ipſo, quod dicti impuberes facti puberes,non reclamēt, cenſentur ſponſalia confirmaſse, nec alia ſolemnitas requiritur pro dictorum ſponſalium confirmatione, vt ſumitur ex dicto cap.de illis vide plura apud Sanchez,& citatos Doctores.

16. Sed quid ſi dicta ſponſalia cōtracta ab impuberibus fuerint firmata iuramento? Reſpondeo tunc ſponſalia non poſſe dirimi, niſi prius obtineatur relaxatio iuramenti ab habente auctoritatem,nā licet contractus iure ciuili prohibiti, ſit diſsentio inter Doctores, an firmentur iuramento, tamen dicti contractus ſponſaliū initi inter impuberes,cum ſint validi, licet diſsolubiles, dicendum eſt,quod iuramentum firmum,& validum ſit,& quod reddat ſponſalia indiſsolubilia, niſi relaxetur ab habente auctoritatem, quæ relaxatio iuramenti dictis impuberibus faciliter concedenda eſt ob ętatis imbecillitatem Sāchez lib.1.de ſponſal.diſp.51. num. 27. & ſeqq. Filiucc.tract.10.cap.8.num.279.Bonac.de ſponſal.q.1.punct.6.num.4.Rebell. 2. par. lib.4.q.8.ſect.8.& alij. Tamen ab his Doctoribus non reputatur impoſsibilis contraria opinio,quæ aſserit, iuramentum additum contractui, ſortiri conditiones contractus; & cum ſponſalia impuberum habeant tacitam conditionem, niſi adepta pubertate reſileant? Sequitur quod quamuis addatur iuramentum, non ex hoc, non poterant reſilire à contractu,facti puberes; & ita tenet Palud.4.d.27.q.1.ar.3.caſu 10. num.28.Io: Andr.in cap.ex litteris de ſpōſal.& alij,quos citat Sanchez nu.21.

17. Quæritur etiam, vtrum ſponſalia dirimantur per mutuum diſſenſum? Et reſpondeo,ſponſalia impuberum non poſse diſsolui per mutuum diſsenſum, niſi poſt quam peruenerint ad ætatem pubertatis, vt iam diximus; ſponſalia verò puberum diſsolui per eorum diſsenſum,quamuis eſſent iurata, vel inita in fauorem partis,&

pro-

propter amorem Dei; vt ſi quis ob charitatem promitteret cum iuramento puellæ pauperi, illam ducere, tunc ſi ex communi diſsenſu voluerint ſponſalia diſsoluere, vtique diſsoluta manebunt; nam parte remittente, etiam Deus ob cuius amorem fuit facta promiſsio, remittit vt D. Thom. 2.2.q.89.art.9.ad 2. Vide etiam ipſum in 4.d.27.q.2.art.3.ad 5.Sot.li.7.de iuſt.q.1. art.9.ad 2.Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſp. 52.per totam, Filiuc.in cit.cap.8.n.275. & alij communiter apud hos Doctores.

18. Item ſponſalia quamuis iurata dirimuntur per diſceſſum alterius ſponſi in longinquas partes abſque conſenſu alterius nam, ſi aderit conſenſus, tunc eſt expectandus vſque ad tempus Conuentum inter ipſos; patet prima pars concluſionis ex ca.de illis de ſponſ. vbi ſic habetur. Si quis iurauit aliquam ducturum, & poſtea dimittit eam, ſe ad alias partes transferens, liberum erit mulieri cum alio contrahere. Et quamuis ius ciuile præſcribat, talem ſponſum expectãdum eſſe per triennium, ſi fuerit extra Prouinciam, vel per biennium intra Prouinciam, tamen, vel dictum ius habet vim tantum in foro externo, vel vt melius dicam, fuit correctum per ius Canonicum, vt patet ex verbis citatis ex cap. de illis. Si autem ſponſus fuerit in propinquas partes, eſt expectandus, vel requirendus, & ſi abſque iuſta cauſa noluerit Matrimonium cõtrahere, cenſendus eſt renunciaſſe, & ſponſa poterit cum alio contrahere; vt fuſius Sanchez diſp.54.Bonac. de ſponſalib.q.1.pun.6.num.8. Reginald.lib.31.n. 261.Filiucc.tract.10.c.8.nu.294. & quamplures apud hos Doctores.

19. Dirimuntur etiam ſponſalia per ſequentem fornicationem, quamuis eſſent iurata; diſſoluuntur tamen in fauorem innocentis, & nocens obligatus manet, cum non debeat reportare commodum ex delicto patrato. Palud.4. d.27.q.1.art.3. caſu 1.n.27.q.2.art.5.Filiucc.tract.10.c.8.num. 288.Sanchez diſp.55.Et idem eſt dicendũ de fornicatione ſpirituali, vt ſi ſponſus, vel ſpõſa incideret in hæreſim, vel fieret Apoſtata à fide, &c. Eſſet enim notabilis mutatio, ob quam licitum eſt reſilire à promiſſis, Et nota, quod quamuis ſponſa per vim cognita eſſet, adhuc ſponſus non teneretur ſtare ſponſalibus, & ſimiliter licet ſponſus per vim fornicatus eſſet, adhuc ſponſa poſſet reſilire à contractibus, vt docet Gloſſ. in cap.Sic quippe, 27.q.2. Nauarr.cap.22. num.27.licet in hoc caſu, dummodo verè inculpabiliter commiſerit ſponſus fornicationem; contrarium docet Sanchez loc. cit.num.8.§.At omninò, & ſequitur Filiuc. loc.cit.cum alijs. Si autem tam ſponſa, quã ſponſus fornicationem commiſerint; dabitur compenſatio inter eos ita vt neutri liceat à ſponſalibus reſilire ſecũdum Palud. 4.d.27.q.1.art.3. num.17. Quod quidem probabile puto, quia in cauſa Matrimonij ratione fidei datæ, ſponſus, & ſponſa æquales ſunt; licet, quoad homines peccatum fœminæ grauius ſit, & maiorem afferat infamiam; At his non obſtantibus, etiam mulieri permittitur diuortium ob fornicationem mariti, & hoc nonniſi, quia æquales ſunt. Probabilius tamen contrarium putat Sanchez, aſſeritque non poſſe fieri dictam compenſationem ob maiorem infamiam, quam recipit ſponſus ex peccato ſponſæ, & ſic videtur eſſe ad libitum ſponſi an velit contrahere cum tali ſponſa, & caſu quo vellet; non poſſe ſponſã reſilire; ſequitur Filiucc. dicto loc. Sed primam opinionem Paludani ſequitur Bonac.de ſponſalib.q.1. pun.8. num. 6. Quã verè tutam puto, ſcilicet neutrum ſponſum poſſe reſilire à ſponſalibus eo, quod pares fuerunt in delicto. Si autem ſponſa fornicata non ſit, ſed tantum permiſerit ab alio impudicè tangi; tũc ſponſus poterit etiam reſilire à ſpõſalibus; quod non cõceditur ſponſæ, ſi ſponſus permiſerit ab alia impudicè tangi, quia reſpectu viri non reputatur mutatio adeò notabilis, vt poſſint ſponſalia dirimi; quamuis etiam de hoc aliqui dubitent. vide Sanch. in cit.diſp.55.num.5.& per totam; Bonac. in cit.pun.8. à num.1.vſq; ad 8. Filiuc.loc. cit.Reginald.lib.31.n.262.& alios.

20. Vtrum autem ſponſalia dirimantur etiam quãdo ſuperuenit aliquod iuris impedimentum? Reſpondeo, ſi impedimẽtum fuerit dirimens, vt eſt affinitas ſuperueniẽs, vel error perſonæ. Tunc certum eſt, quod ſponſalia dirimantur, vt ſi ſpõſus peccet cum conſanguinea ſponſæ in primo,

mo, vel ſecundo gradu, quia contraheretur affinitas, quæ ex copula illicita oritur tantum in primo, & ſecundo gradu. Imò non ſolum impedimentum dirimens Matrimonium, ſed etiam fama publica, vel publicum ſcandalum de tali impedimento; ſponſalia dirimunt, vt Coninchus diſp. 23. dub. 11. num. 8. Sanchez diſp. 71. num. 13. Bonac. q. 1. punct. 7. num. 7. Si autem impedimentum fuerit tantum impediens, & non dirimens Matrimonium, tunc ſponſalia non dirimuntur excepto voto ſimplici caſtitatis, de quo iam ſupra diximus, ita Sanchez diſp. 56. Bonac. nu. 8. qui Doctores cum Filiucc. num. 291. & alijs ſimiliter notant ſponſum, qui poſt ſponſalia impedimentum dirimens contraxit, teneri impetrare diſpenſationem, dummodò cõmodè poſſit, & eo magis, ſi ſequeretur aliquod graue damnum ſponſæ, tenetur enim omninò ſponſam ab omni damno, & infamia liberare ne ex ſuo peccato, ipſe commodum, & ſponſa innocens incommodum reportet. Vide fuſius apud dictos Doctores.

De Alijs Cauſis, ob quas etiam diſſoluantur ſponſalia. Cap. XCI.

1 *Morbus contagioſus, fœditas notabilis oculorum, vel niſi amiſſio, deformitas in fama, & honore, & quælibet notabilis mutatio eſt ſufficiens cauſa diſſolutionis ſponſalium.*

2 *Nimia aſperitas, & ſæuitia, ac graues inimicitiæ inter ipſos ſponſos, eſt ſufficiens cauſa dirimendi ſponſalia.*

3 *Ob paupertatem ſuperuenientem, poſſunt dirimi ſponſalia ſi fuerit talis, quæ ſi fuiſſet præcognita, nequaquam ſponſalia fuiſſent contracta.*

4 *Iurans aliquam ducere, poteſt petere dotẽ ſi illa diues fuerit, alioquin Matrimonium poſſet non contrahere, & hoc etiam ſi violaſſet virginem cum tali promiſſione.*

5 *Iuſta cauſa diſſoluendi ſponſalia, ſiuè præcedat ſponſalia, & non cognoſcatur, ſiuè adueniat poſt dicta ſponſalia, ſemper erit ſufficiens ad illa diſſoluenda.*

6 *Sponſalia contracta per dolum dantem cauſam contractui, ſunt irrita, at ſi fuerit talis dolus factus à tertia perſona tantum, ſponſalia poterunt annullari à decepto.*

7 *Habens iuſtam cauſam dirimendi ſponſalia, ſi poſtea cognoſcat carnaliter ſponſam, cenſebitur remiſiſſe iniuriam, & ſponſalia firma manebunt.*

8 *Quando adeſt iuſta cauſa diſſoluendi ſponſalia, non eſt neceſſaria abſolutio iuramẽti, in caſu, quo fuiſſent contracta medio iuramento.*

9 *Qui habet vitium intrinſecum, quod ſi ſciretur ab alio ſponſo, poſſet iuſtè ſponſalia diſſoluere; poteſt aſtringere alterum ſponſum ad ſeruandam fidem ſibi datam.*

10 *In caſibus, ob quos iuſtè poſſunt ſponſalia diſſolui, non requiritur ſententia iudicis; dummodo cauſa ſit certa de iure, & de facto, ſecus ſi cauſa fuerit ſecreta, & ſponſalia publica; ratione enim ſcandali, eſſet neceſſaria ſententia iudicis.*

11 *Si cauſa diſſolutionis ſponſalium eſſet occulta, & afferens infamiam, vt eſſet fornicatio in fœmina, & tamen nollet ſponſalia dirimere, poſt debitam monitionem, poſſet cauſa iudici manifeſtari, vt ſponſalia remaneant diſſoluta.*

12 *Iudex in cauſa diſſolutionis ſponſalium eſt Epiſcopus, vel alius ab ipſo delegatus cum agatur de re ſpirituali.*

13 *Sponſalia vt diſſoluantur in foro conſcientiæ ſufficiet, vt cauſa talis diſſolutionis certa fiat ſaltem per vnum teſtem fide dignum vel per publicam famam.*

14 *Sponſalia celebrata per metum leuem in foro conſcientiæ, annullari poſſunt.*

1. PRimò quæritur, vtrum morbus contagioſus ſit ſufficiens cauſa dirimendi ſponſalia? Reſpondeo affirmatiuè; eſſet enim notabilis mutatio. Ita Diuus Thom. 4. d. 27. q. 2. art. 4. ad 3. Licet, ibi loquatur de graui infirmitate incurabili ſuperueniente, vt Epileſiæ, &c. Tamen id etiam eſſe verum de quolibet alio morbo contagioſo affirmat Nauar. c. 21. num. 27. & alij citandi. Idem dicas de qualibet fœditate notabili, vel oculorum, aut oculi, vel naſi amiſſione; vel ſi tam naſus, quam os malè

malè oleat, nec arte medicinæ ſubueniri poſſit. Item ſi ſponſa tempore ſponſalium erat pulchra nimis, & poſtea deuenerit nimis deformis, vt idem D.Thom.loc.cit.ar. 3.ad 3.& ibi Sot.q.2.art.5.caſu 9. Idem eſt etiam dicendum, ſi adueniat aliqua deformitas in fama, & honore; vt ſi furti, vel alterius criminis ſponſus damnatus ſit; & tandẽ quoties aduenit talis notabilis mutatio, quæ ſi fuiſſet præcognita; ſponſalia non fuiſſent contracta. Nec obſtaret, quamuis fuiſſent firmata iuramento, Sanchez li. 1.diſp.57.Filiucc. tract 10. cap.8. nu.289. Bonac.de ſponſ.q.1.pun.8.n.8.& ſeqq.Reginald.lib.31.nu.263. & alij apud hos Doctores.

2. Item erit ſufficiens cauſa dirimendi ſponſalia nimia aſperitas, & ſæuitia alterius ſponſi; quando de nouo agnoſcitur, ſic etiam graues inimicitię ortę inter ipſos ſponſos, ex quibus non poſſit ſperari, niſi infelix exitus Matrimonij. Sanch. diſp.58. Filiuc.n.290.Bonac.n.15.Reginal. nu.264. & alij.

3. Sed maior difficultas eſt, vtrum ſponſalia dirimantur ob paupertatem ſuperuenientem? Reſpondeo affirmatiuè, quando eſſet talis, quæ ſi præcognita eſſet, nequaquam ſponſalia fuiſſent contracta, quando autem paupertas aduenit ſponſæ, tunc vel dicta ſponſa promiſit dotem, vel non promiſit; ſi dotem promiſit, & ob paupertatem ſuperuenientem non poſſit illi eã ſoluere; dirimuntur ſponſalia, quia dos habetur tanquam conditio ſine qua non. Si dotem non promiſit, diſputant pro vtraq; parte Doctores; alij autem dicunt ſponſalia non dirimi; quia iam ſponſus nullum intereſſe patitur; alij autem contrariũ aſſerunt, & hoc videtur probabilius, quia licet ſponſa non promiſerit dotem, poteſt eſſe, vt ſponſus confiſus dictæ ſponſæ diuitijs, ſponſalia contraxerit; vt fuſius Sãchez diſp.59.Filiucc.num.292. Vide etiam Sot. 4.d.17.q.2.art.5.Nauarr.cap.22.num. 27. Bonac.de ſponſal.q.1.punct.8.num.10.Reginal.lib.31. num. 264. Secus autem eſſet dicendum, quando talis paupertas fuiſſet præcognita, nam tunc nulla daretur deceptio, & ex conſequenti nulla cauſa diſſolutionis ſponſalium, & nota, quod omnes ſupradictæ cauſæ diſſoluunt ſpõſalia ex parte illius, qui eſt illæſus, nam ſi ipſe non obſtantibus dictis accidentibus, voluerit ſpõſalia firma manere, non poterit alter ſpõſus ab illis reſilire, cum nulla cauſa detur in illo, reſiliendi, vt notat Sanchez diſput. 57.num.5.& alij citat. Item nota cum Bonac.loc.cit.num.14.& Rebell.lib.4.de ſpõſal.q.8.ſect.8.num. 70. Sponſalia non poſſe diſſolui quando paupertas accidit tam ex parte ſponſæ, quam ex parte ſpõſi, quia in tali caſu daretur compenſatio; ſed verè contrarium puto probabilius, quãdo paupertas eſt talis, quæ ſi fuiſset præcognita; nequaquam ſponſalia fuiſsent contracta, nam poteſt eſse, vt ſtante tali paupertate, non poſſint poſtea filij debito modo educari, vel aliud ſiniſtrum damnum aduenire, ob quod homines prudentes non ſolẽt tam faciliter Matrimonium contrahere, cum non ſperent bonum euentum Matrimonij; & ideò non ſunt aſtringendi ad illud contrahendum ob ſponſalia irrita.

4. Item quæritur vtrum, qui iurauit aliquam ducere abſque vlla præuia dotis promiſsione, teneatur ad Matrimonium contrahendum abſque dote, licet mulier diues eſſet? Et cum diſtinctione multi reſpondent, aut dictus promittens habet ſufficientia bona, quibus poſſit ſufferre onera Matrimonij, vel non habet; ſi primo modo, tenetur ad Matrimonium contrahendum quia dos non promiſſa, non debetur, & benè poteſt dari Matrimonium abſque dote. Nam dos eſt quaſi quædam conditio extrinſeca, quæ ſi non explicetur non ſubintelligitur; & hæc quidem opinio probabilis quidem eſt, quam docet Couar. 4. decret.1.par.cap.5.num.5.Rodriq.ſumma 1.tom.cap.97.num.8.& alij. Contrarium tamen nempe quod dicta ſponſa teneatur aſsignare dotem iuxta eius ſtatum, probabilius iudicatur à Sanchez diſp.60.num.2. quod docet Palud.4.d.28.q.1.art.2.cõcluſ. 4.num.14.& alij plures, & hoc etiam in caſu, quo aliquis virginem deflorauerit facta Matrimonij promiſsione, vt loquitur dictus Palud. Puto tamẽ hoc pendere ex intentione promittentis Matrimonium, nam ſi verè intellexit velle contrahere ſine dote, ſponſa ad illam non tenetur, nec ſponſus

ſus

Digitized by Google

ſus illam petere poteſt. At ſi nulla facta reflexione ad dotem, Matrimonium promiſerit, certum eſt, quod etiam ſubintelligatur dos in caſu poſsibili; ſcilicet ſi adfuerit poſsibilitas, & ratio eſt, quia dos nõ eſt omninò quid extrinſecũ; ſed potius quid concomitans Matrimonium ob eius onera, quæ ſecum affert.

5. Vtrum autem iuſta cauſa diſſoluendi ſponſalia, neceſſe ſit, vt adueniat poſt ſponſalia, an ſufficiat ſi tantum cognoſcatur poſt ſponſalia, quamuis antea extiterit, ſed non fuit cognita? Et reſpondetur, ſufficere ſi tantum cognoſcatur poſt ſponſalia. Nam vitium cognitum tempore contractus, certum eſt, quod non annullet contractum, quia nulla datur deceptio; at ſi adfuit tempore contractus, ſed ſi non fuit cognitus, tunc reputatur, ac ſi de nouo adueniret; quia aliquid ſuperuenire, vel præcedere ignoranter, paria ſunt cap. Paſtoralis de exception. Vnde ſicut vitium ſuperueniens poſt contractum illum annullat; ita etiam vitium præcedens, ſed non cognitũ illum annullabit ex cõmuni regula, quam ſæpè tradidimus, nempè promiſſionem nõ obligare rebus notabiliter mutatis; vnde omnes cauſæ iã dictæ, quã etiam aliæ, quæ contingi poſſunt, ſiue præcedant ipſa ſponſalia ignoranter, ſiue ſubſequantur, iuſtè dicta ſponſalia diriment. vide Sanch. diſp. 63. Molin. tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 272. Filiuc. tr. 10. c. 8. n. 296. Sot. diſp. 27. q. 2. ar. 5. caſu 9. & alios.

6. Deinde quæritur an ſponſalia diſſoluantur per dolum, & metum? Et quoad dolum, certum eſt, quod ſponſalia celebrata per dolũ dantẽ causã contractui, ſint nulla. Dupliciter enim poteſt eſſe dictus dolus, vel vt det cauſam contractui; aut vt incidat in contractum; primus dolus dans cauſam contractui, ſemper illum annullat, quia ſi fuiſſet præcognitus, nequaquam cõtractus fuiſſet celebratus; Secundus dolus tunc dicitur incidere in contractũ, & non dare illi cauſam, quando licet, fuiſſet præcognitus, tamen adhuc contractus fuiſſet initus, licet non cum tali conditione, vel non niſi cum tali pacto; & ideò ex tali meunon annullatur contractus, vide Molin. om. 2. tract. 2. de iuſtit. diſp. 352. Sylu. ver. Culpa quæſt. 5. & alios. Vnde dicendum eſt, ſponſalia contracta per dolum dantem cauſam contractui eſſe irrita, quando dolus fuit adhibitus ab altero ſponſo. At ſi fuerit adhibitus à tertia perſona dicto altero ſponſo ignorante, vel id acciderit ex ſua propria falſa æſtimatione, tunc non eſſe ipſo facto irrita, ſed poſſe irritari à perſona decepta, Sanchez diſp. 64. per totam, Molin. loc. cit. Filiucc. eodem loc. nu. 297. Bonac. de ſponſalib. q. 1. pun. 9. nu. 1. & alij. Sed vtrum, ſi deceptus voluerit ſtare contractui, teneatur decipiens non reſilire, & affirmatiuè multi reſpondent, ne inique agens reportet commodum de ſuo dolo, & iniquitate; dummodo adfuerit vera intentio promittendi ex parte dicti decipiẽtis; probabilius tamen putat Sanchez loc. cit. num. 3. Bonac. num. 2. & alij tam decipientem, quam deceptum liberum eſſe à contractu, poſſe tamen decipientem conſtringi per iudicem ad talem contractũ ratione damni illati, vel in pœnam deceptionis, volente tamen decepto.

7. Dubium tamen eſt, vtrum ſponſus habens ſufficientem cauſam diſſoluendi ſpouſalia, ſi poſtea cognoſcat carnaliter ſponſam, cenſeatur remittere. ita vt non poſſit amplius ob dictam cauſam dirimere ſponſalia? Et reſpondetur affirmatiuè; nam etiam in Matrimonio conſummato. Si ob fornicationem alter ſponſus non petit diuortium; ſed cum eo carnaliter maneat, cenſetur ſponſus offenſus condonare vt D. Thom. 4. d. 35. q. vnic. art. 1. in cor. alij omnes; Imò etiam facto diuortio, ſi poſtea ſponſi ſe carnaliter cognoſcant, cenſetur offenſio remiſſa, & ſponſi tenentur in Matrimonio perſeuerare, vt Sot. 4. d. 36. q. vnica art. 1. Amittitur etiam per dictam copulam ius accuſandi l. ſi vxor. 13. in fin. ff. ad leg. Iuliam de adulter. vbi ſic habetur. *Aboleuit enim prioris Matrimonij delicta, reducando eam.* Docet Clerus lib. 5. §. Adulterium num. 18. verſ. caueat etiam Gloſſ. cap. fin. de Adult. verb. fornicationis, & ibi Abbas num. 7. & alij communiter, quos ſequitur Sanchez diſp. 66.

8. Sed vtrum in dictis caſibus, in quibus licitum eſt ſponſalia diſſoluere ob cauſam præcedentem, ſed ignoratam, vel ob cau-

Digitized by Google

cauſam de nouo ſuperuenientem, neceſſarium ſit petere abſolutionem à iuramento caſu, quo fuiſſet præſtitum in dictis ſpõſalibus? & affirmatiuè reſpondet Sot. 4. d. 27.q.2.art.3.ad 1.& alij plures,& ratio eſt, quia iuramentum eſt rei licitæ,&c.contrarium tamen docet Sanchez diſp.77.& clarè patet ex cap.quemadmodum de iureiurand. vbi textus ait. *Fas eſſe abſque periurio à ſponſalibus iuratis reſilire, ob fornicationem ſubſequentem; quia ſubintelligitur conditio; nempe dummodo res ita ſint, & ita permaneant abſque notabili mutatione*. Ita docet Abbas in cit.cap.num.9.Io.Andr.num.13.Ancharanus num.3. & alij plures,vt ſupra etiam diximus cum Bonac.de ſponſalib.q.1.pun. 8.in princ.Filiuc.& alijs.

9. Quæritur etiam,vtrum ſponſus,qui habet intrinſecum vitium, ob quod alter ſponſus iuſtè poſſet ſponſalia diſſoluere, v.g. ſi habeat morbum gallicum,vel commiſerit fornicationem; An poſſit cogere dictum alterum ſponſum ad ſeruandam fidem in ſponſalibus præſtitam? Hæc quæſtio pendet ex altera, nempe an Adulter occultus amittat ius eligendi debitum ab altero coniuge innocẽte,& neſciente adulterium? Et nota, quod quæſtio ſit de exactione, quæ non fit niſi per quandam coactionem, & non de ſimplici, & humili petitione; de hoc enim nullus dubitat,& certum eſt,quod poſſit humiliter petere; ſed quoad exactionem, ſeu coactionem, duæ ſunt opiniones; prima aſſerit,talem Adulterum non poſſe exigere, ſeu petere tanquam ſibi debitum; Et ratio eſt, quia licet quis putet eſſet debitorem Petro, non tamen Petrus, ſi cognoſcat dictũ debitum non eſſe verum, poterit illud in cõſcientia exigere; & hanc opinionem tenet Nauar. cap.22.num.23.Angelus ver. Adulterium n.3.in fin. Sylu.n.8.P.Ledeſm.de matrim. q.62.art.1.dub.1. Secunda tamen ſententia aſſerit, talem Adulterum poſſe exigere; quia nullus tenetur ſuum occultum delictum iudici propalare,vt caſtigetur, ita ſimiliter non tenetur quis propalare ſuum Adulterium Vxori, à qua poſſet caſtigari, petendo diuotium. ita Sot.4. d.36.q.vnic. art.4. P.Sot. lect.16. de Matrim. §.penult. Sanchez diſp.68.num.4. & alij plures. Ex qua reſolutione ſequitur, quod ſponſus habens vitium ſecretum, ob quod ſponſalia poſſent dirimi ab altero ſponſo, poſſit exigere, vt ſeruet fidem in ſpõſalibus præſtitam; quod intellige, quando dictum vitium non poſſet afferre graue damnum ſponſo, v. g. Si quis haberet morbum gallicum, vel alium morbum peſtiferum, teneretur omninò monere ſponſum; alioquin operaretur contra iuſtitiam, & contra charitatem, nec Matrimonium haberet bonum exitum. Ad argumentum primæ opinionis faciliter reſpondetur, nam debitum certum eſt, quod non poſſit exigi nec peti, niſi ſit certum; At diuortium datur per modum pœnæ à iudice, vel à muliere poſt cognitum delictum; quo non cognito,dari nõ poteſt; & cũ pœna non ſit aſſumenda à ſeipſo, ſequitur, quod ſponſus ſemper maneat in ſuo iure petendi iuxta fidẽ ſibi pręſtitam,donec vitium fuerit manifeſtum,& donec mulier,vel iudex imponat tale diuortium, ſeu pœnam. Sequitur Filiuc,tract.10.cap.8.de Matrim.n.298.§. Dices tertiò; eamdem doctrinam ſequitur Bonac.de ſponſ.q.1.pun.10.num.12.

10. Sed quæſtio eſt an in huiuſmodi caſibus, in quibus poſſunt ſponſalia diſſolui, requiratur ſententia iudicis? Et in duobus caſibus non requiri dictam ſententiam ait D.Thom.in 4.d.27.q.2.art.3. ſcilicet in ingreſsu Religionis, & in contractu Matrimonij cum alio,vel alia, alij addunt,fornicationem notoriam, vel quando detegitur aliquod impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, nec non ſuſceptionem ordinis ſacri.Tamen dicendum eſt, omnem caſum habẽtem certam cauſam tam de iure, quam de facto,non indigere dicta iudicis ſententia, niſi eſset neceſsaria ratione ſcãdali; Et ratio eſt, quia ſponſalia habent tacitam conditionem,vt iam diximus, deficiente autem conditione, ex natura rei contractus erit nullus, & ſic nulla erit neceſsaria ſententia iudicis. Vnde ſi ſponſalia erunt publica, vel priuata, & cauſa erit etiam publica, & certa tam de iure, quam de facto, poterunt ſponſalia diſsolui propria auctoritate, quia iam cauſa publica eſt: Et ſi cauſa fuerit occulta, & ſponſalia ſimiliter occulta, eodem modo, & maiori ratio-

Digitized by Google

ratione poſſent ſponſalia diſſolui propria auctoritate; quando autem ſponſalia eſſent publica, & cauſa eſſet ſecreta, tunc ſi adeſſet periculum grauis ſcandali, eſſet neceſſaria ſententia iudicis, ſecus autem, ſi tale periculum non adeſſet. Et ſi cauſa ſit dubia de iure, ſcilicet, ſi dubitetur an ſit ſufficiens, vel de facto, ſcilicet, ſi dubitetur an verè exiſtat talis cauſa; nullo modo poſſent ſponſalia propria auctoritate dirimi, eſſet enim culpa lethalis ob periculum operandi contra iuſtitiam. vide Sanchez lib. 1. de ſponſalibus diſp. 69. per totam, Filiuc. tract. 10. cap. 8. num. 299. Rodriq. 1. tom. ſumm. cap. 243. num. 11. Nauar. ca. cap. 22. num. 28. Angel. verb. ſponſalia nu. 42. Sylueſt. ibidem quæſt. 11. Reginald. lib. 31. n. 268. Bonac. q. 1. pun. 10. n. 9. & alios.

11. Sed quid ſi cauſa diſſolutionis ſpõſalium ſit occulta, & afferens infamiam, an tunc detegenda ſit talis cauſa coram iudice, vt in caſu, quo ſponſa fornicata eſſet, & nollet recedere à ſponſalibus? Reſpondeo primò monendam eſſe dictam ſponſam, & ſi non audierit, id faciendum eſſe, vel per parentes, vel viros pios, & prudẽtes, aut per Prælatũ ſecreto modo, & ſi adhuc perſiſtat, eſt iudici denunciãda; & mediante eius ſẽtentia, ſponſalia erunt dirimenda. Nam ad iuſtam defenſionem licitum eſt aperire vitia occulta teſtium, quando neceſſarium fuerit; & eſt etiam licitum denunciare iudici furem occultum ad euitandum proximi damnum; ſi monitio ſecreta non iudicetur ſufficiens; igitur multo magis poterit ſponſus ad euitandum damnũ propriũ, vitium ſponſæ aperire; ſi monitio non ſufficiat Sanchez diſp. 70. ex Sot. Corduba, & alijs, & ſequitur Filiuc. loc. cit. num. 300.

12. Quis autem dicatur iudex de huiuſmodi cauſa diſſolutionis ſponſalium? Reſpondeo eſſe iudicem Eccleſiaſticum, ſcilicet Epiſcopum, vel ab ipſo delegatũ; & ratio eſt, quia ſumus in materia ſpirituali, vt Palud. in 4. d. 27. q. 1. num. 38. Sanchez loc. cit. num. 10. Reginal. lib. 31. num. 268. Bonac. loc. cit. num. 8. & alij.

13. Quænam probatio requiratur, vt quis licitè poſſit ſponſalia diſſoluere? Reſpondeo ſufficere, ſi vnus tantum fide dignus id aſſerat, ſcilicet cauſam dirimendi ſponſalia eſſe certam, vel ſi talis fama fuerit apud multos, nec requiritur iuramentũ in dictam cauſam atteſtante, quod intellige pro foro conſcientiæ, vt loquitur Filiuc. tract. 10. cap. 8. num. 301. Sanchez diſp. 173. & Bonac. loc. cit. de ſponſal. q. 1. punct. 10. num. 11. Quid autem dicendum ſit pro foro externo. Vide Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſp. 71. & 72.

14. Quoad ſpõſalia celebrata per metum? breuiter dico metum leuem incuſsũ ad hunc finem, ſcilicet ad contrahenda ſponſalia, eſſe ſufficientem cauſam ad illa dirimenda in foro conſcientiæ, & hoc meritò, ne iniquus portet commodum ex iniuria alteri illata. In foro autem externo, non datur actio ob metum leuem; alioquin daretur occaſio multis litibus; ob metum autem grauem ſponſalia ſunt ipſo iure nulla. Vide Bonac. de ſponſ. quæſt. 1. punct. 9. num. 6.

DE MATRIMONIO.

QVID SIT MATRIMONIVM, quando inſtitutum, & quæ ſint eius materia, forma, & Miniſtri. Cap. XCII.

1 *Matrimonium quatruplεiciter nominari ſoleat, & vnde deriuentur dicta nomina.*

2 *Matrimonium definitur. Coniunctio maris, & fœminæ, &c. cuius eſſentia cõſiſtit in vinculo illo, quo ſponſi dicuntur formaliter vniti.*

3 *Matrimonium triplex eſt, nempe legitimum, Ratum, & Conſummatum; legitimum eſt illud quod reperitur inter infideles, Ratum, eſt illud, quod reperitur inter Chriſtianos.*

4 *Matrimonium non eſt quid homini naturale; ſed quid proueniens ex naturali inclinationẽ.*

5 *Matrimonium fuit ſimul inſtitutum, & præceptum à Deo in illis verbis: Creſcite, & multiplicamini: & Matrimonium fuit contractũ inter primos parẽtes in illis verbis: hoc nũc os de oſſibus meis, & caro de carne mea. In lege gratiæ fuit poſtea inſtitutum à Chriſto Domino; ſed quando fuit inſtitutum, diſſident Doctores.*

6 *Præceptum Matrimonij durat etiam nunc in lege gratia, ſi neceſſitas id exigeret.*

7 *Caſu, quo omnes decederent, Religioſi tenerentur Matrimonium contrahere ob conſeruationem generis humani.*

8 *In aliquo caſu, vt ad euitandum magnum ſcandalum, eſſet quis obligatus contrahere Matrimonium.*

9 *Matrimonium inter fideles, eſt Sacramentum conferens gratiam, & eſt de fide poſt Concilium Trid.*

10 *Matrimonium inter fideles non poteſt dari, quin ſit Sacramentum.*

11 *Materia, & forma Sacramenti Matrimonij ſũt ipſamet verba, vel ſigna, quibus matrimonium contrahitur.*

12 *Miniſtri Sacramenti Matrimonij ſunt ipſimet contrahentes, non autem Parochus.*

13 *Matrimonium tantum legis gratiæ eſt Sacramentum, & ſi contrahatur cum infideli, erit tantum Sacramentum, & confert gratiam fideli.*

14 *Infidelium Matrimonium, ſtatim ac baptizantur fit Sacramentum.*

15 *Matrimonium poteſt contrahi per procuratorem, & erit verum Sacramentum conferens gratiam, ſed quatuor conditiones requiruntur in procuratore.*

16 *Mandans ſi reuocauerit mandatum per ſolum actum internum, matrimonium non erit validum.*

17 *Notatur forma, qua poteſt vti procurator in contractu Matrimonij. Et nota, quod mandatum, non ſit neceſſe, vt detur coram parocho, & teſtibus.*

18 *Matrimonium contractum, etiam per litteras, vel nuncium eſt Sacramentum; & mandans tenetur eſſe in gratia toto tempore, quo putat Matrimonium poſſe contrahi.*

19 *Matrimonium per nuncium, vel epiſtolam, aut procuratorem, neceſſe eſt, vt fiat coram parocho, & teſtibus, & notatur, modus obſeruandus.*

1 QVatuor nominibus ſinonymis appellatur Matrimonium, nempè Matrimoniũ, nuptiæ, connubium, & cóiugium. Dicitur Matrimonium, quia mulier nubet, & mater efficitur, vel quia ſit quaſi matris munimen, proles enim dicitur veluti munimen matris, vt S. Thom. in add. q. 44. ar. 2. Couar. 2. par. de Matrim. ca. 1. num. 1. vel iuxta Gregorium IX. ca. 2. de conuerſat. infidelium; Matrimonium inde deriuat, quia mulier in partu, & ante, & poſt partum varios labores ſuſtinet, vel tã-

dem, quia mater certa eſt, & pater incertus. Dicitur etiam Nuptiæ, & Connubiũ ab obnubendo, ſeu velando; olim enim virgo in Matrimonio quaſi nube obtegebatur quodam velamine ad oſtendendam ſe inferiorem, & ſubditam viro ſuo; iuxta illud Geneſ. 32. vbi videns Rebecca, Iſaac virum ſuum deambulantem, obuiam ei veniens, caput ſuum velauit. Poterat etiam fieri dicta cæremonia ad erubeſcentiã peccati commiſſi, dum à ſerpente decepta, virum ſuum fefellit. Dicitur etiam coniugium, quatenus Matrimonium duos coniungit in carne vna. Vide Couar. loc. cit. Sanchez in proemio de Matrimonio num. 4. Vaſq. de Matrim. diſput. 1. cap. 1. Filiucc. tract. 10. de Matrim. cap. 1. num. 1. & alios.

2. Definitur autem Matrimonium, hoc modo; eſt coniunctio maritalis viri, & fœminæ inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. Inſt. de patria poteſt §. 1. & l. 1. ff. de ritu nuptię, & alibi, quæ definitio conuenit Matrimonio, prout eſt officium naturæ ad liberos procreandos, & prout tale, videndum eſt in quo eſſentialiter conſiſtat Matrimoniũ. Sed prius notandum eſt, ſeptem res reperiri in Matrimonio; primò reperitur mutuus conſenſus, ſecundò externus contractus, tertiò mutua corporũ traditio; quartò vinculum quoddam ortum ex contractu, & corporum traditione; quintò mutua obligatio, quæ oritur ex tali vinculo, ſextò adeſt ius in vtroquoque ad alterum; ſeptimò vſus, & conſummatio Matrimonij; quibus notatis. Dico eſſentiam Matrimonij conſiſtere in vinculo illo, quo coniuges ſunt formaliter vniti, ita D. Thom. 4. d. 27. q. 1. art. 2. quęſt. 1. ad 2. Non enim conſiſtię eſſentia Matrimonij in conſummatione; quia B. Virgo contraxit verum Matrimonium, nec fuit cognita, nec conſenſus internus, aut externus, quia ſunt cauſa efficiens Matrimonium, & ſunt actus tranſeũtes; eſſentia autem debet ſemper permanere, dum manet Matrimonium. Vnde nec talis eſſentia conſiſtit in mutua corporum traditione, cum ſit actio tranſiens, neque in mutua obligatione ad reddendum debitum; quia hæc obligatio poteſt ceſſare per alterius ſponſi adulterium, vel per ingreſſum religionis ex mutuo conſenſu, igitur in illa formali coniunctione, ſeù vinculo, quo ſponſi dicuntur formaliter vniti, conſiſtit eſſentia Matrimonij.

3. Ex quibus notatis, patet declaratio definitionis traditæ; nam dicitur coniunctio, quia in ipſa conſiſtit eſſentia Matrimonij, dicitur maritalis; ideſt orta ex mutua corporum traditione, vt explicetur fundamentum dictæ coniunctionis. Additur viri, & fœminæ ad explicandum ſubiectum aptum pro Matrimonio. Dicitur indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens, ad explicandum finem Matrimonij, qui eſt mutua habitatio indiſſolubilis, vide Sanchez lib. 2. diſp. 1. Filiucc. tract. 10. cap. 1. num. 3. & alios cit. Nota etiam hic cum dicto Sanchez num. 9. Matrimonium diuidi in legitimum ratum, & conſummatum; Legitimum eſt illud, quod contrahitur inter infideles ex legitimo ſponſorum conſenſu. Ratum dicitur quando Matrimonium eſt Sacramentum, & nondum copula carnali conſummatum; & ideò Matrimonium infidelium dicitur legitimum, ſed non ratũ, vt habetur in cap. quanto de diuorț; Matrimonium conſummatum eſt, quando eſt iam copula carnali perfectum ex Couarr. 4. decret. 2. par. cap. 1. §. vnico num. 4.

4. Vtrum autẽ Matrimonium ſit naturale homini? Reſpondeo ſi per naturale intelligatur aliquid, ad quod homo, eſſet determinatus à principijs naturæ, vt eſt aſcenſus ſurſum igni, & deſcenſus lapidi, non erit naturale homini Matrimonium, cũ ad illud ſe determinet libero arbitrio, ſi autem pro naturali, intelligatur aliquid proueniens ex naturali inclinatione, tunc certum eſt, matrimonium eſſe homini naturale, naturaliter enim homo cupit ſui conſeruationem, quæ cum perpetua eſſe non poſſit, cupit illam per multiplicationẽ indiuiduorum, in quibus homo dicitur, quodammodo eſſe, & conſeruari, cupit etiam homo naturaliter perfectam ſui cõſeruationem in indiuiduis; ſcilicet cupit non ſolum generationem, ſed etiam prolẽ ipſam ad perfectionem perducere, & ad perfectum ſtatum hominis; ideò Ariſtot. 18. Ethnic. cap. 12. ait; filios habere à parentibus eſſe, nutrimentum, & inſtructionem;

nem; Hinc eſt, quod Matrimonium neceſſariò debet eſſe indiſſolubile, & quod alij concubitus ſint peccaminoſi, quia proles eſſet incerta, vnde D.Thom.3. Contra gentes, cap.12. Docet fornicationem, quæ eſt vagus concubitus, eſſe contra naturæ jus, & peccatum lethale, quia contrariatur debitæ propagationi naturæ humanæ. vide etiam D.Thom.2.2.q.154. art.3. Caiet. & alios ibidem. Sequitur Filiucc. tract. 10. de Matrim. cap.1.n.5.& 6.& Sanchez lib.2. diſp.2.

5. Quando autem Matrimonium fuerit inſtitutum in lege naturæ, & Euangelicæ? Reſpondeo, quoad legem naturæ, Vaſq. docet Matrimonium eſse inſtitutum ſolo iure naturæ abſque vlla voluntate diuina id declarante, ſeu inſtituente, quam opinionem non puto veram, cum ſit contra communem ſenſum Patrum, & Doctorum, hac opinione ſecluſa, ſunt multi, qui aſserunt Matrimonium fuiſse inſtitutum immediate ab Adamo in illis verbis à Deo infuſis Gen. 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis*; At probabilius dicendum eſt fuiſse ſimul inſtitutum, & preceptum à Deo in illis verbis. *Creſcite, & multiplicamini*, fuit tamen poſtea ab Adamo contractum Matrimonium in dictis verbis, *hoc nunc os, ex oſſibus meis*, &c. ita D.Thom.4.d.26.q.2.a.2. ad 4. Sotus ibidem q.1. art.2. & ibi quamplures alij. Filiuc. tract.10. de Matrim. cap. 1. num.7. Sanchez lib.2. diſp.4. nu.3. P.Ledeſm. de Matrim. q.42. art.2. Reginald. lib. 31. num.9. Bonac. de Matrim. q.2. pun.2. n. 1. Sylu. verb. Matrimonium 1. qu.2. & alij multi. Matrimonium autem in lege Euangelica, certum eſt fuiſſe inſtitutum à Christo Domino; Sed quando? diſſident Doctores; nam aliqui volunt fuiſſe inſtitutũ quando Chriſtus interfuit nuptijs Ioan.2. Alij autem dicunt ibi fuiſſe declaratum; ſed poſtea commendata, & præcepta eius inſeparabilitas in illis verbis. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Matth.19. & hoc verius videtur. ita Sot.4.d.26.q.2.art. 2. P.Sot. lect.2. de Matrim. Sanchez loc.cit. num.5. Bonac. eodem loc. Rebel. lib.2.q.3. num.10. Reginald. lib.31. nu.10. & alij plures. Nec deſunt, qui aſſerant fuiſse inſtitutum in nocte cœnæ, vel poſt reſurrectionem, vt refert Filiuc. tract.10. de Matrim. cap.1. num.9.

6. Sed vtrum dictum præceptum matrimonij ita fuerit in lege naturæ, vt etiam nunc duret in lege gratiæ? Et affirmatiuè reſpondet D.Tho.4.d.26.q.1. & alij citandi; Cum hac tamen diſtinctione; quod dũ genus humanum paucis continebatur hominibus, præceptum omnes, & ſingulis obligabat, poſtquam verò homines multiplicati ſunt, præceptum obligat tantum Rempublicam in communi, vt ſi neceſſitas occurreret, poſset homines compellere ad Matrimonium; & eodem modo in præſenti durat hoc præceptum in lege Euangelica, & eſt duraturum vſque ad finem Mundi; Et ratio eſt, quia hoc præceptum eſt naturale, quod non extinguitur ceſsante neceſſitate, vt eſt præceptum eleemoſynæ, quod licet ſemper maneat, nõ tamen ſemper obligat, niſi dum adeſt neceſſitas; Sic etiam eſt præceptum Matrimonij, in principio Mundi obligabat omnes, quia aderat neceſſitas conſeruandi, & multiplicandi genus humanum; poſt dictam multiplicationem, ceſsauit neceſſitas; ſed non ideò fuit extinctum præceptum, cum ſemper maneat, ſi iterũ aduenirer neceſſitas. Nec dictum præceptum fuit extinctũ per Chriſtum Dominum, quia præcepta cæremonialia, & non naturalia Chriſtus abrogauit. vide Sot. ad locum D.Tho. q.1. art.1. Durand. q.2. P. de Ledeſ. de Matri. q.41. art.2. & alios plures, quos ſequitur Sanchez lib. 2. diſp.3. num.3. Filiuc. tract.10. cap.1. n.8. Valentia tom.4. diſp.10. q.1. pun.4. Bonac. de Matrim. q.2. pun.3. n.1. & 2.

7. Et cum iiſdem Doctoribus eſt notandum, in caſu quo omnes in Mundo decederent, remanentibus tantum Religioſis, ipſos fore obligatos ad Matrimonium contrahendũ ex præcepto naturali. Molina tom.1. de iuſtit. tract.2. diſp.2. Reginal. lib.31. num.8. & quamuis, Durandus loc. cit. & Palud. ibidem q.3. aſſerant contrarium, nempe tunc eſſe credendum adeſſe finem Mundi, tamen prima opinio communis eſt; cum finem Mundi adeſſe, non poſſet in tali caſu præſumi abſque aliqua Dei reuelatione, vt Sotus, & alij citati.

8. Secundò eſt notandum etiam nũc

poſse

poſſe dari aliquem caſum, in quo aliquis teneatur Matrimoniũ contrahere; ſed non vigore dicti pręcepti Matrimonij;ſed alterius præcepti euitandi ſcandalum, vt ſi eſſet aliquis, & vnicus filius Principis hæres,qui ſi non nuberet, orirentur bella, & ſeditiones in Rempublicam, vt Sanchez loc.cit.in fine;Bonac.ibidem nu.4.& alij.

9. Deinde quæritur, quid ſi Matrimonium pro vt eſt Sacramentum? nam quod ſit Sacramentum, & quod conferat gratiam; iam eſt de fide ex Concil.Triden. ſeſſ.7.can.7.& 8.& ſeſſ.24.can. 1. quod legitimè etiam probat Bellarm.lib.1.de Matrim.cap.2.& ſeqq.contra Durandum 4.d. 25.q.3.præter multos hæreticos,& tam dicti Durandi,quam hæreticorum argumenta dictus Bellarm.proponit,& ſoluit,multis Patrũ,& Sacræ Scripturæ teſtimonijs. Poteſt igitur,Matrimonium definiri, hoc modo; Matrimonium eſt legitimus, & indiſſolubilis contractus inter virum, & fœminam, quo traditur, & acceptatur mutua corporum poteſtas, & confertur gratia sãctificans;quæ definitio ex dictis patet,quid ipſa ſignificet;& nota cum D.Thom.4.diſt. 26.art. 1. ad 5. etiam in hoc Sacramento, ſicut in cæteris dari id, quod eſt Sacramẽtum tantum, & ſunt actus contrahentium id, quod eſt res tantum; & eſt effectus Sacramenti; & id quod eſt res, & Sacramentum, & eſt vinculum, quo coniuges vniti perſeuerant. Eſt etiam vnum Sacramentum, licet ſint duo ſubiecta materialiter, quia ſunt vnicũ ſignum repræſentans vnicam vnionem Chriſti cum Eccleſia. P.Ledeſma de Matrim. q.42. art. 1.dub.3. ad 3. Sanchez lib.2.diſp.diſp.10.num.5.Filiucc. tract.10.c.1.n.9.

10. Sed dubium eſt,vtrum fideles dũ contrahunt Matrimonium poſsint ita contrahere,vt ſit tantum Matrimonium,& non Sacramentum? Nam infideles contrahunt Matrimonium, quod nõ eſt Sacramentum; Reſpondeo id poſſe accidere duplici modo,primò ex ignorantia,vel errore,nempe ex eo q̃ dicti infideles putent Matrimoniũ nec eſse Sacramentum, nec conferre gratiam; tamen intendunt contrahere,& efficere id,quod faciunt cæteri fideles, & in hoc caſu nõ datur ſeparatio Sacramenti à matrimonio,ſicut baptizatus,putãs baptiſmũ eſſe fictionem quãdam; ſi tamen intẽdat facere, quod facit Eccleſia, erit verus baptiſmus,vt verum Sacramentum. Vel id poteſt accidere malitiosè, ſcilicet ſcientes Matrimonium eſſe Sacramentum, & conferre gratiam; tamen quantum in ipſis eſt non intendunt contrahere Matrimonium, niſi quatenus eſt contractus naturalis,& in tali caſu,certum eſt non eſſe Sacramentum ex defectu intentionis, vt docet Suarez de Sacramentis tom.in tertiam partem, D. Thom, q.64. art, 10. diſp.13. ſect.2. ad fin. Tamen nota talem contractũ ſic initium, nec in ratione contractus eſſe validum, vt ex verbis eiuſdem Suarij ſumitur, & ſequitur Sanchez lib.2.diſp.10. num.6. & P. Ledeſm.de Matrim.q.53.ar.2.dub.7.in ſolut. ad 1.& 2. Et ratio eſt, quia Chriſtus inſeparabiliter inſtituit dictum contractũ Matrimonij à Sacramento, ita vt vnum non poſſit dari ſine alio. Vnde ſi quis intenderet conficere Sacramentum, ſed non contractum, nihil faceret, cum non poſſit dari talis contractus Matrimonij inter fideles,niſi ſit Sacramentum, nec Sacramentũ, niſi ſit contractus. Quid autem dicendum ſit de Matrimonio infidelium, infra ſtatim dicemus.

11. Quænam autem ſit materia,& forma Sacramenti Matrimonij? Multas ſententias affert Sanchez lib.2. diſp.5. Sextã tamen, quam ipſe ſequitur ait: Materiam, & formam huius Sacramenti eſſe verba,ſeu ſigna, quibus conſenſus contrahentium exprimuntur ſecundum diuerſam conſiderationem; Nam quatenus per dicta verba tradunt ſponſi poteſtatem ſui corporis alteri, dicuntur materia huius Sacramenti; quatenus verò ſignificant mutuam acceptationem,ſunt forma; Hanc opinionem Sanchez ſumit ex D.Thom.4.d.26.q.2.art. 1.in ſolut.ad 1.illam tenet Sot.4. d. 1. q.1. art.6.& d.26.qu.2.art.3.Bellarm.lib.1. de Matrim. cap.6. de Sacram. in tertiam part. D.Thom.q.60.art.8.diſp.2.ſect.1. Filiucc. 10.cap.1.num.15.& 16.Bonac.de Matrim. q.2.pun.4.n.1.&quamplures alij apud hos Doctores.

12. Qui autem ſint Miniſtri huius Sacramenti? Reſpondeo eſſe ipſoſmet fideles

les contrahentes; non autem parochum, vt volebat Canus lib.8.de loc.Theologicis ca.5.in ſolut.ad 3.teſte Sanchez lib.2. diſp. 6.num.1. Nam licet iuxta Concilium Tridentinum ſeſſ.24.cap.1.de Matrim. Parochus debet aſſiſtere, & poſt habitum ſponſorum conſenſum dicere; Ego vos coniugo,&c. Tamen dicta verba nō ſunt de eſſentia,nec per ipſa efficitur Sacramentum, deinde ante Concil. Trid. Matrimonia clandeſtina erant vera Sacramenta, & tamen non fiebant in præſentia parochi; Et ratio eſt, quia Chriſtus Dominus non mutauit naturam contractus Matrimonij; ſed tantum illum eleuauit ad eſſe Sacramenti, vnde ſicut in cęteris contractibus,contrahentes dicuntur cauſa efficiens; ita etiam in hoc contractu Matrimonij, cauſa efficiens, ſeu miniſtri efficientis Sacramentum ſunt ipſi fideles contrahentes. Sanchez loc. cit. Sot.4.d.26.q.2.art.3.Filiucc. tract.10. ca.1. num.19.Reginald. lib.31. num.52. Bonac. de Matrim.q.2.pun.5,nu.5. Qui etiam docent Sacerdotem, ſeu Parochum aſſiſtentem Matrimonio in peccato mortali, non peccare mortaliter, quia ipſe non conficit Sacramentum; peccant tamen ipſi contrahentes,ſi fuerint in culpa mortali, non quia ſunt miniſtri dicti Sacramenti, cum non ſint conſecrati ad illud, ſed quatenus ponunt obicem ad gratiam.

13. Ex qua doctrina colligitur,matrimonium in lege naturæ, & veteri non fuiſſe Sacramentum, cum tantum matrimoniū nouæ legis numeretur à Concilio Florentino in decreto de Sacramētis inter Sacramenta inſtituta à Chriſto Domino; quod Concilium ſimiliter diſtinguit hæc Sacramenta à Sacramētis veteris legis,quæ aliquo modo largo, & impropriè dicto poſſunt vocari Sacramenta, quatenus ſignificabant coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. Nec ſimiliter Matrimonium infidelium eſſe Sacramentum clarè conſtat, cum ſint incapaces Sacramenti; & quamuis in c. Gaudemus de diuor.tale matrimonium vocatur Sacramentum, hoc non niſi impropriè,quatenus ſignificat vnionē Chriſti cum Eccleſia vt diximus.vide Bellarm.lib. 1.de Matrim. cap.5.ad 2. Sot.4.d.26. q.2. art.1.& 2.& art.ad 4. Sed vtrum, ſi matrimonium contraheretur ex diſpenſatione pontificia inter fidelem, & infidelem, vel cathecumenam, eſſet verum Sacramentū? Et affirmatiuè reſpondet Sot. dicto art. 3. in fin.ex parte tamen fidelis; contrarium tamen docet Sanchez lib. 2. diſp. 8. in fin. Et ratio eſt, quia Sacramētum eſt vnū numero,& vnū matrimoniū,ergo ſi in vno nō eſt Sacramentum,nec erit in alio; ſed opinio Soti vera videtur,nam ſi vnus ſponſus accedat cum culpa mortali,& alter abſque tali culpa, certum eſt,quod primus non accipiat gratiam, & ſecundus accipit; ergo neque repugnabit, quod reſpectu vnius ſit Sacramentum, & conferat gratiam, & non ex parte alterius,ſequitur Bonac. cum alijs q.2.pun.2.num.2.

14. Sed quid dicendum de Matrimonio infidelium, qui poſtea baptizantur an tunc Matrimonium fiat Sacramentum, & conferat gratiam? Et tres ſunt opiniones, omnes quidem probabiles, prima ait, nullo modo dictum Matrimonium effici Samentum; & ratio eſt, quia in omni Sacramento eſt neceſſarium id, quod eſt res, & Sacramentum, quod in Matrimonio fidelium diximus eſſe vinculum inde reſultās, at vinculum iam ſupponitur in Matrimonio infidelium; igitur non poteſt iterum reſultare, vt ſit res, & Sacramentum ſimul, hanc opinionem probabilem vocat P. de Ledeſma de Matrim.q.59.art.2. d.3. & affert multos diſcipulos, D.Thom. illam defendentes, ſecunda ſententia ait fieri Sacramentum, & conferre gratiam, ſed poſt baptiſmum, quando de nouo verbis, vel ſignis Matrimonium approbant; & ratio eſt, quia non poteſt dari Sacramentum ſine materia,& forma; vt igitur poſſit tranſire in Sacramentum, neceſſe eſt, vt de nouo adſit materia, & forma, ſcilicet conſenſus, &c. & hanc opinionem tenet Bellarm. lib. 1.de Matrim.cap.5.in fin. P.Ledeſma loco citato, & alij plures, & eſt quidem probabiliſſima ſententia, quam etiam tenet Bonac.de Matrim.q.2.punct.2.num.5. Tertia tamen ſententia aſſerit, effici Sacramentū ſtatim ac dicti infideles baptizantur; & ratio eſt, quia ſtatim repræſentant vnionem Chriſti cum Eccleſia, & tacitè cenſentur ratificare primum Matrimonium,huius ſententia

ten-

tentiæ videtur fuiſſe D.Thom.4.diſt.39.q. vnic.art.2.ad 1.dum dicit Matrimonium infidelium eſſe Sacramentum, non actu, quia non contrahunt in fide Eccleſiæ; ſed habitu; igitur dum baptizantur,ita Sãchez lib.2.diſp.9.num.6.Filiucc.tract.10.cap.1. num. 20. & alij,cui opinioni tanquam probabilem adhæret.

15. Vtrum autem Matrimonium poſſit contrahi per procuratorem,& ſit Sacramentum conferens gratiam? Reſpondeo Matrimonium factum per procuratorem tam ante Concilium Tridentinum, quam poſt ipſum, eſſe verum Sacramentum conferens gratiã,&ratio eſt quia licet Chriſtus Dominus eleuauerit Matrimoniũ ad ſacramentũ, non tamen ei abſtulit naturã cõtractus,&cũ cõtractus poſſit celebrari inter abſentes per procuratores,ſequitur, ꝙ etiam Matrimonium poſſit tali modo celebrari, & cum hoc pateat ex praxi Eccleſię,id ſufficit pro efficaci probatione. Quatuor aut requiruntur conditiones, vt validè poſſit procurator contrahere Matrimonium nomine abſentis, prima eſt, vt adſit ſpeciale mandatum; nec ſufficit generale ad omnia negotia, cum expreſſione etiam ad illa,quę indigerent ſpeciali mandato; ſed eſt omninò neceſſarium, vt mandatum ſit ad Matrimonium contrahendum; quod etiam requiritur ad ſponſalia ex Clem. Non poteſt de procuratore Gloſſ.in ca.qui ad agẽdum eodem tit.in 6.verb.non expreſſos, & ibi Io: And.num.3. Anchar. num. 2. & alij plures; ſecunda conditio eſt,vt mandatum ſit ad contrahendum cum tali perſona,nec ſufficeret, ſi diceretur cum quacunque ex l.generali 34.ff.de ritu nuptiar.& Gloſs. in cap.fin.de procur.in 6. verb. ſpeciale Abbas cap.in cauſis num.15.de elect.Angelus verb.Matrimonium 2.num.18. & 19. Syl-ueſt.eodem verb.5.q.9.& alij. Tertia conditio eſt vt procurator per ſeipſum exequatur mandatum,& non per ſubſtitutum; niſi talis facultas eſſet expreſſa in mandato, vt habetur in d.cap.fin. de procurat. in 6. & idem dicitur de mandato ad contrahendum ſponſalia. Quarta conditio eſt, vt dictum mandatum perſeueret vſque ad factum contractum matrimonij, vel ſponſalium; quia ſi reuocetur, contractus erit nullus,quamuis reuocatio lateat Procuratorem, & alium ſponſum, vt expreſsè habetur in dicto cap. fin. quod eſt ſpeciale in Matrimonio,contra communem regulam, cum in omnibus alijs contractibus neceſſe ſit procuratorẽ certiorem facere; alioquin ius ſupplet conſenſum contrahentium, & dominium transfert, quod non poteſt fieri in Matrimonio. & obiter nota, quod licet in alijs contractibus, neceſſarium ſit certiorem facere procuratorem de reuocatione mandati,tamen ſi contractus eſſet faciendus per nuncium, vel epiſtolam; tunc ſi ante contractum mittentem pœniteat, licet reuocatio non intimetur nuncio, vel per epiſtolam, contractus erit nullus; & hæc eſt differentia inter contractũ factum per procuratorem,vel factum per nunciũ, aut epiſtolam, Io: Andr.in cap. fin. de procur. in 6.num. 1. & alij,quos ſequitur Sanchez lib.2.de ſponſal.diſp.11.num.7.

16. Imò adde quoad reuocationem Matrimonij; dictum Matrimonium contractũ cum tali reuocatione, vt diximus, eſſe nullum, quamuis mandans iuraſſet dictum mandatum non reuocaturum, licet periurij reus eſſet, reuocatio tamen valeret, etiamſi eſſet merè interna quoad forũ conſcientiæ; ſed quoad forum externum, eſſet teſtibus probanda per reuocantem, quia Matrimonium, vt diximus requirit omninò conſenſum internum, ſine quo eſt irritum, imò etiam reuocatio tacita mandati, ſufficiens erit; vt ſi quis facto contrarium proponeret. v. g. Si quis proponeret accipere aliam ſponſam, eo ipſo intelligitur reuocatum mandatum, & matrimoniũ erit irritum, vt fuſe Sanchez loc.cit.n.10. Debet enim perſeuerare talis conſenſus internus virtualiter, quia etiam ſi mandãs in amentiam deueniat vel alijs negotijs ſit occupatus dum procurator nomine dicti mandantis contrahit, cenſetur adeſſe conſenſus mandantis vigore primi conſenſus. E contra verò, ſi quis dum dedit mandatũ fictè dederit, & abſque animo contrahendi, & poſtea tempore contractus habeat animum contrahendi, validum erit matrimonium, vide Sanchez lib.2. diſp.11.à n. 11.& ſeqq. & Filiuc.de matrim.ca.1.n.25. Qui Doctores ſimiliter notant, mandatum

pro-

procurę non neceſſariò eſſe faciendum per ſcripturam, quod licet ſit generale in omni mandato procuræ, vt habetur in l. 13. tit. 5. p. 3. & docet Gloſſ. l. maritus verſ. poterit. Cod. de procur. Sed ſpecialiter de mandato ad contrahendum Matrimonium id docet Ang. conſil. 122. Item poterit eſſe procurator ad contrahendum tam maſculus, quam fœmina, vel duo maſculi, aut duæ fœminæ. P. de Ledeſm. de Matrim. q. 42. art. 1. dub. 7. Tuſchus tom. 5. concluſ. 124.

17. Verba autem, quibus vti debet procurator, dum contrahit per mandatũ, ſunt hæc N. conſentit in te, vel accipit te in virum, vel vxorem me mediante. Aut recipit te in virum, vel vxorem nomine talis perſonæ. Sylu. verb. matrimonium 5. q. 14. Couar. 4. decret. 2. p. cap. 4. nu. 8. Sed nota, talem procuratorem non poſſe excedere fines mandati, alioquin contractus erit nullus, vt ſi mandatum ſit ad contrahendum cum tali dote, & procurator ſecùs ageret, irritum eſſet Matrimonium. Sed ſi dicatur, ad contrahendum Matrimonium præmiſſis denunciationibus, & ſeruata forma Concilij Tridentini, vt fieri ſolet; tunc ſi procurator omitteret dictas denunciationes de conſenſu Epiſcopi, validum eſſet Matrimonium; Et idem eſt dicendum etiã ſi illas omitteret abſque dicta licentia, quia forma iuris communis, quæ præſcribitur à mandante, intelligitur eo modo, quo eſt neceſſaria vigore dicti iuris communis, & cum dictæ denunciationes non ſint eſſentiales, iuxta Concilium Tridentinum; ſequitur, quod Matrimonium firmum remaneat, ex Sanchez in cit. diſp. 11. in fin. Item nota talem procuratorem poſſe conſtitui ſola commiſſione abſq; vlla præſentia Parochi, vel teſtium; vt idem Sanch. n. 22. & ſeqq.

18. Vtrum autem Matrimonium cõtractum per procuratorem, vel litteras, aut nuncium ſit Sacramentum? Reſpondeo affirmatiuè, quia, vt ſupra num. 10. probauimus, Matrimonium inter fideles non poteſt contrahi, quin ſimul ſit Sacramentem; deinde eadem materia, forma, & intentio miniſtri, quæ eſt in Matrimonio contracto inter præſentes, reperitur etiam in Matrimonio contracto inter abſentes, vt conſideranti patebit; igitur ſicut primum eſt Sacramentum, ita etiam erit ſecundum. Filiucc. tract. 10. cap. 1. num. 36. Sanchez lib. 2. diſp. 11. num. 27. Bonac. de Matrim. q. 2. pun. 5. num. 2. Bellarm. lib. 1. de Matrim. ca. 5. & 7. & alij contra Durand. 4. d. 26. q. 3. n. 11. Caiet. tom. 1. opuſcul. tract. 12. de contractu Matrimonij qu. 2. licet aſſerat, tunc fieri Sacramentum, quando in præſentia poſtea ratificatur. Et nota, quod quamuis Matrimonium contrahatur per procuratorem, non ex hoc ſequitur, quod procurator ſit miniſter Sacraméti, nec quod ipſe recipiat Sacramentum; ſed miniſtri ſunt principales contrahentes, & ipſi ſuſcipiunt Sacramentum; vnde & ipſi, & non procurator, tenẽtur eſſe in gratia tempore, quo contrahitur matrimonium, alioquin mortaliter peccabunt, quia ponerent obicem gratiæ Sacramentali. Sot. 4. d. 27. q. 1. ar. 3. licet excuſet mittentem, quando ignorat tempus, quo contrahitur Matrimonium; Sed melius puto dicendum cum alijs, teneri dictum mittentem perſeuerare in gratia, ne Sacramentum fiat dum ipſe manet in culpa lethali. Sanchez num. 30. alij autem loquitur; dum probabiliter credit Matrimonium contrahi vt Bonac. num. 13. Vnde ſi quis ſomno ſe dederit dum eſt in culpa mortali, & poterit præuidere, vel probabiliter præſumere Matrimonium poſſe contrahi in tali differentia temporis, peccabit mortaliter, ſi Matrimonium tũc contrahatur, licet dormiat; quod peccatũ dicitur reſpectu cauſæ, quatenus mandans poterat præſumere, poſſe Matrimonium tunc contrahi, & tamen ſe à culpa non lauit; & ſic malè Bonac. loc. cit. num. 14. aſſerit falſum docere Sanch. & Filiuc. ſtatim citandos, eo quod aſſerant, dictum mandantem, licet dormientem, peccare mortaliter, ſi tunc Matrimonium contrahatur per procuratorem; nam licet id aſſerant dicti Doctores, non tamen intelligunt id, quod intendit dictus Bonac. nempe dictos Doctores velle docere, dormientem peccare poſſe; Non enim id aſſerunt quatenus quis dormit; ſed quatenus præuidere poterat ſtante eius mandato, Matrimonium tunc poſſe contrahi, & tamen obicem non abſtulit. Nam ſuppoſito mandato, dubium ſemper

Digitized by Google

ſtat pro Sacramento, & ſic omni tempore, quo Matrimonium contrahi poteſt debet perſeuerare mandans in gratia; vt docet Sanchez num.30.in fine,& num.ſeqq.&Filiuc.tract.10.cap.1.num.27.in fin. Confutatur etiam in hoc.Bonac.ex ipſiuſmet doctrina; Nam ipſe ait, dictum mandantem dormientem recipere gratiam, ſi tunc cõtrahatur Matrimonium, & tamen certum eſt,quod tam ad recipiendam gratiam in adulto, quam ad peccandum requiratur eius actus,& conſenſus; igitur, ſi dum dormit recipit gratiam vigore primi actus, & conſenſus, ſimiliter manendo in culpa mortali,mortaliter peccabit ratione primi actus, ſeu cauſæ datæ,

19. Quod autem Matrimonium contractum per epiſtolam, vel nuncium validum ſit,& quod ſit Sacramentum,ex ſupradictis conſtat; eſt tamen neceſſe, vt talis conſenſus explicetur, coram Notario, & teſtibus, & vt ab alio acceptetur? quod duobus modis fieri poteſt,nam poteſt quis mittere epiſtolam, & declarare non ſolum ſui corporis traditionem, ſed ex tunc traditionem per alterum ſibi faciendam, accipere; qua epiſtola lecta coram Parocho, & teſtibus, ſi alter conſentiat, iam eſt perfectum Matrimonium, cum iam amborum conſenſus dicatur explicatus coram Parocho,& teſtibus;Secundò ſi recipiẽs Epiſtolam reſcribat mittenti, ſe accepiſſe litteras, in quibus vult ipſum coniugem, & ſimiliter ipſum velle, tunc ſi dicta littera lecta coram Parocho, & teſtibus,& recipiẽs coram illis conſentiat, erit contractum Matrimonium, Sanchez lib.2.diſp.12. nu. 3.cum alijs multis, & Filiuc.tract.10.ca. 1. num.28.& 29.ex Molin.tract.2. diſp.254. & ex alijs multis.

Matrimonium An, & quo iure ſit indiſſolubile. Cap. XCIII.

1 *Matrimonium ſpectato tantum iure naturali, non eſt omninò indiſſolubile iure diuino poſitiuo.*

2 *Libellus repudy erat licitus in veteri lege, quia Matrimonium erat tantum ad officium naturæ, at in lege Euangelica eſt illicitus ratione Sacramenti, quo fit Matrimonium.*

3 *Summus Pontifex iuſtis de cauſis poteſt diſpenſare,vt Matrimoniũ ratũ diſſoluatur.*

4 *Matrimonium ratum non diſſoluitur per ſubſequens conſummatum, poſſet tamen Pontifex ſtatuere, vt diſſoluatur iuxta multorum opinionem, licet contrarium videatur probabilius.*

5 *Maritus, & Vxor infideles ſi baptizentur poſſet Pontifex diſpenſare, vt eorum Matrimonium diſſoluatur, dummodo nullam habuerint copulam poſt baptiſmum, ſed contrarium videtur probabilius.*

6 *Matrimonium ratum diſſoluitur per profeſſionem emiſſam in religione approbata, & intelliguntur etiam religiones militares cum eorum milites ſint veri religioſi.*

7 *Profeſſio annullat Matrimonium ratum iure diuino poſitiuo, vt habetur ex traditione Apoſtolica, cum à principio Eccleſiæ ſemper fuerit talis conſuetudo.*

8 *Matrimonium ratum ſoluitur etiam ſi vnus tantum ſponſum profeſſionem emittat; alter autem liber remanet, nec ſi fornicetur, erit adulter.*

9 *Matrimonium non dicetur conſummatum, niſi effuſio ſeminis fiat intra vas debitum, alioquin neque cognatio contrahitur, cum ſponſi non dicantur fieri vna caro.*

10 *Licet ſponſus penetret vas fœminæ,non erit matrimonium, niſi adſit ipſius ſeminis effuſio, nec ſufficit,ſi adſit tantum effuſio ſeminis Vxoris.*

11 *Si autem vir ſeminet, & non vxor, Matrimonium erit conſummatum, licet contrarium ſit etiam probabile.*

12 *Matrimonium non dicetur conſummatum per copulã habitam ante Matrimonium.*

13 *Per copulam extortam per vim intra primũ bimeſtre, conſummatur matrimonium, licet contrarium ſit etiam probabile.*

14 *Sponſa, quæ paſſa eſt vim intra dictum bimeſtre.poteſt ingredi religionem,ſaltem ratione iniuriæ acceptæ, licet dicatur matrimonium conſummatum.*

15 *Etiam copula habita ob metũ graue, nõ priuat ſponſos quia poſſint ingredi Religionẽ.*

16 *Sponſus extorquens per vim, vel metum*

copu-

copulam intra primum bimeſtre, mortaliter peccat.

17 *Sponſa vim paſſa intra bimeſtre, non poteſt ſtatim finita copula, licet, incontinenti, ſemen eijcere; poteſt tamen fœmina ab alio per vim corrupta ſi ſemen non fuerit iam receptũ in matrice, & quia mihi talis caſus vſus, difficilis videtur, ideò abſolute cõtrarium puto dicendum.*

18 *Bimeſtre conceſſum ſponſis eſt ad ingrediendum Religionem, cum poſt Concilium Tridentinum requiratur annus nouitiatus ante profeſſionem.*

19 *Bimeſtre conceſſum ſponſis poteſt per iudicẽ reſtringi, & prorogari cauſa cognita.*

20 *Bimeſtre eſt computandum de puncto ad punctum, fauore religionis nec poteſt vnus ſpõſus aſtringere ad reddendum debitum, ante finitam horam bimeſtris.*

21 *Sponſi licet non intendant, nec habeant animum Religionis, non ex hoc tenentur reddere ante bimeſtre, cum ſemper ad id poſſint ſe determinare.*

22 *Bimeſtre terminato, adhuc poſſunt ſponſi ingredi Religionem, ſi matrimonium nõ fuerit conſummatum, licet ſponſi eo tranſacto ſtatim teneantur reddere.*

23 *Sponſæ iuranti non conſummaſſe, adhibetur fides, ſi poſt aſpectum ita appareat, ſecùs ſi non erat Virgo, & fuerit traducta ad domum ſponſi.*

1. MAtrimonium eſſe indiſſolubile, patet ex eius definitione tradita cap. antecedenti num. 2. in illis verbis, indiuiduam vitę conſuetudinem retinens; ſed vtrum dicta indiſſolubilitas ſit ex iure naturali, vel ex iure diuino poſitiuo? Reſpondeo aliqualẽ inſeparabilitatem eſſe de iure naturali; omnimodam autem inſeparabilitatem, eſſe de iure diuino, & competere Matrimonio, non quatenus eſt Sacramentum, ſed quatenus ſignificat indiſſolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, ita D. Tho. 4. d. 33. q. 2. art. 1. in corp. Bellarm. li. 1. de Matrim. cap. 4. & alij multi, quos ſequitur Sanchez lib. 2. diſp. 13. num. 7. Filiucc. tract. 10. de Matrim. cap. 2. num. 30. & ſeqq. patet hæc doctrina ex Concil. Trid. ſeſs. 24. de Matrimon. vbi ſic habetur, *Matrimonij perpetuum indiſſolubileq; nexum, primus humani generis parens diuini ſpiritus ſtructu pronunciauit, cum dixit, hoc nunc os, &c.* Probatur tamen non eſſe omninò indiſſolubile, ſpectato iure naturæ, quia olim Iudæis fuit permiſſus libellus repudij per quod diſſoluebatur etiam Matrimonium conſummatum Matth. 19. imò multi ſapientiſſimi iuris naturalis inueſtigatores, olim putabant licitum eſſe repudiũ, quos refert Couar. 4. decret. 2. par. cap. 7. §. 4. num. 1. & ſimiliter iuris conſulti doctiſſimi etiã tenuerunt ex multis cauſis, licitum eſſe repudium, vt patet ex l. 1. 2. & fin. ff. de diuor. l. ideò ff. de regulis iuris, & alibi, ex quibus deſumitur, quod Matrimonium iure naturæ ſpectato, non ſit omninò indiſſolubile.

2. Quod autem ſit omninò indiſsolubile iure diuino tam Matrimonium conſummatum, quam non conſummatum, patet ex verbis Chriſti Matth. 19. *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet.* Et ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. *His, qui Matrimonio coniuncti ſunt præcipio non ego: ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere*, & ad Rom. 7. *Mulier viuente viro obligata eſt legi.* Eſtque communis Theologorum opinio Sanchez fusè in cit. diſp. 13. Filiucc. ibidem, Bonac. de Matrim. q. 3. punct. 11. num. 2. & alij; rationem autem, quare Matrimonium in veteri lege non erat omninò indiſsolubile prout eſt in lege Euangelica, aſſignat D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. his verbis. *Matrimonium fuit in veteri lege prout erat in officium naturæ, non autem prout eſt Sacramentũ coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ.* Vnde, & in veteri lege dabatur libellus repudij; quod eſt contra Sacramenti rationem.

3. Vtrum autem Pontifex poſſit diſpẽſare, vt matrimonium ratum diſſoluatur? Reſpondeo affirmatiuè; ita Sanchez lib. 2. diſp. 14. num. 2. Reginald. lib. 31. num. 38. Rebell. lib. 2. q. 15. num. 4. Nauar. cap. 22. n. 1. Filiuc. tract. 10. cap. 2. num. 55. Bonac. de matrim. q. 3. pun. 11. num. 4. & quamplures alij apud d. Sanchez. Licet pro contraria ſententia etiam multos, & graues Doctores afferat; Hæc doctrina ſumitur primò eo quod de facto multi Summi Pontifices diſpenſauerunt, vt teſtatur D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 21. §. 3. de Martino V. & Eugenio IV. &

Digitized by Google

& Caiet. ſimiliter ait ſuo tempore plures Pontifices diſpenſaſſe in opuſc. tom.1.tr. 28.de Matrim.q.vnica; Et idem refertur de Gregorio XIII. Et ratio eſt, quia credendum eſt, Chriſtum Dominum in neceſſarijs non defeciſſe, ſed contuliſſe ſuo Vicario plenã poteſtatem neceſſariam pro Eccleſiæ regimine, & cum valde neceſſarium ſit aliquando diſpenſare in Matrimonio rato ad euitanda aliqua grauia ſcandala, graues diſcordias, vel peruerſionem à fide, ſequitur, quod Chriſtus Dominus dictam authoritatem Summo Pontifici reliquerit; & quod Pontifex illam exercere poſſit iuſtis de cauſis. Alias autem rationes vide apud citatos Doctores. Sed nota dictam diſpenſationem non poſſe fieri niſi iuſta exigente cauſa, alioquin eſſet nulla, vt communiter omnes aſſerunt; Iuſta tamen cauſa eſſet diſparitas in qualitate, & conditione, ſi timerentur graues diſcordiæ, & inimicitiæ, & hoc ſiue inter ſponſos, ſiue inter ipſorum parentes; Secundò ſi adueniat lepra, vel aliud malum contagioſum, ob quod eſſet impeditus vſus Matrimonij. Tertia cauſa eſt, ſi alter coniugum dicat non habuiſſe animum contrahendi, nec poſſet induci ad illum habendum, niſi cum magno periculo inimicitiæ, vel mali exitus matrimonij. Item ſi vir efficeretur Epiſcopus, & id eſſet neceſſarium ad bonum commune. Sic etiam ſi adeſſet communis diſſenſus, & timerentur graues diſcordiæ. vide fuſius Sanchez diſp.15.&16. Filiuc.loc.cit. num.58.& alios. Quomodo autem Matrimonium ratum diſſoluatur per profeſſionem; dicemus infra.

4. Sed dubium eſt, vtrum Matrimonium ratum, diſſoluatur per ſubſequens Matrimonium conſummatum, vel an poſſit Pontifex id ſtatuere, nempe vt diſſoluatur? & de actu, certum eſt non diſſolui, de poſſibili, multi tenent, Pontificem poſse id ſtatuere, & colligitur ex verbis Alexandri III. in cap.licet de Sponſa duorum, vbi definit Matrimonium ratum non dirimi per ſubſequens conſummatum; & addit. *Licet aliquando à prædeceſſoribus noſtris fuerit aliter iudicatum*; Et ratio patet, quia ſi poteſt diſpenſare, vt diximus, ergo poterit id etiam agere per ſtatutum; ita Gloſs.cap.ex publico de conuerſ.coniugat.in fin.& ibi Io:Andr.num.9, Innoc.in fine, Hoſtienſ. cap. fin. de ſponſa duorum, & ibi Abbas n.5. imò vt refert Couar.4.par.decr.2.p.ca. 7.§.3.n.5. ante dictum cap.licet, &c. erat communis opinio, quod Matrimonium ratum diſſolueretur per ſubſequens conſummatum; his tamen non obſtantibus, contrarium videtur Sanchez pobabilius diſp.14.num.4. vbi plures affert rationes, quas ſtudioſis relinquo.

5. Item dubitatur, an ſi duo infideles, ſcilicet vxor, & maritus, qui iam conſummauerunt Matrimonium, ſi poſtea baptizentur, poſſit Pontifex diſpenſare, vt corũ Matrimonium diſſoluatur; & affirmatiuè reſpondetur, ſi poſt baptiſmum nullam habuerint copulam; & ratio eſt, quia fortius eſt Matrimonium ratum fidelium, quam conſummatum infidelium; igitur ſi Pontifex poteſt diſpenſare in Matrimonio rato fidelium, vt diximus num.3. poterit etiam diſpenſare in conſummato infidelium; probatur antecedens, nam Matrimonium ratum fidelium eſt Sacramentum ſignificans vnionem Chriſti cum Eccleſia, & ex conſequenti magis indiſſolubile, quam ſit Matrimonium infidelium conſummatũ, quod non habet aliam firmitatem, niſi contractus naturalis, ita Sanchez diſp.17.ex Nauar.lib.3.concil.tit.de conuerſ.infid.conſil. 1.vel 3. ſequitur Filiuc.tract.10.cap.2. nu. 38. & ſeqq. difficilis tamen mihi videtur hæc doctrina, nam vt cap.antec.num.14.in fine diximus cum iiſdem Doctoribus, Matrimonium infidelium tranſit in Sacramẽtum ſtatim poſt baptiſmum; nec poteſt trãſire, niſi prout eſt ſcilicet tanquam Matrimonium conſummatum fidelium, igitur habebit non ſolum vigorem Matrimonij rati fidelium, ſed etiam conſummati, & ex conſequenti erit indiſſolubile omninò, ſicut eſt Matrimonium conſummatum fidelium.

6. Deinde etiam dubitatur, vtrũ Matrimonium ratum diſſoluatur per profeſſionẽ emiſsam in Religione approbata? Et reſpondetur affirmatiuè, eſtque concluſio certa, & de fide ex Concil.Trid.ſeſs.24.de Matrim.canon.6.vbi ſic dicitur; *Si quis dixerit Matrimonium ratum non conſummatum*

per

per ſolemnem religionis profeſſionem alterius cõiugis non dirimi, anathema ſit. Et ante dictum Concilium ita fuit definitum ab Euſebio Papa cap. deſponſatam 27. quæſt. 2. à D. Gregorio Papa in cap. decreta legalia 28. q. 2. à Io. XXII. in eius extrau. antiquæ de voto, & ab alijs Summis Pontificibus, & patet ex vſu antiquiſſimo Eccleſiæ, & ex Apoſtolorum traditione à Chriſto deriuata, vt fusè Sanchez lib. 2. diſp. 18. num. 3. & Bellarm. lib. 2. de Matrim. cap. 38. hinc colligitur fæminas religioſas D. Domin. quas beatas vocãt, & ſimiliter quoſdam viros S. Franciſci non eſse veros religioſos, cum non viuant ſub Clauſura, nec emittant vota ſolemnia, ſed tantum ſimplicia, & ex cõſequenti eorum Matrimonium ratum, non diſſoluitur per dicta vota; ſecus autem eſt dicendum de quibuſdam fœminis religioſis D. Franciſci, & D. Dominici in communi, & ſub clauſura viuentib. hæ enim emittunt vota ſolemnia, & ſunt veræ religioſæ; vt Sot. 7. de iuſtit. q. 5. art. 3. Angelus verb. Matrimnoium, 4. num. 18. Item dirimitur Matrimoniũ ratum per profeſſionẽ equitum ordinum militarium ſub clauſura viuentium, & in hoc omnes conueniunt; de equitibus tantum dictorum ordinum militarium dubium eſt, an per eorum vota matrimonium ratum dirimatur, cum non viuant in communi, licet vxores ducere non poſſint, vt sũt equites D. Ioannis; & quidam negant horum vota dirimere matrimoniũ ratum, eo quod veri religioſi non ſint, cum viuant extra clauſuram more ſæcularium. vt Sot. 4. d. 27. q. 1. art. 4. verſ. hinc fit, & lib. 4. de iuſtit. q. 5. art. 3. ad 3. Sed contrarium videtur probabilius, cum emittant ſolemnem profeſſionem, & verè Religioſi ſint, vt multi docent ita Nauarr. lib. 3. conſil. tit. de conuerſ. coniugat. conſil. 1. vel 2. Vega lib. 6. ſummæ caſu. 17. P. Ledeſma de matrim. q. 61. art 2. ad 4. Rodriq. ſummæ 1. tom. ca. 239. 2. edit. num. 2. Sanchez lib. 2. diſp. 18. num. 8. Filiucc. tract. 10. cap. 2. num. 62. & alij. Sic etiam neque Matrimonium ratum dirimitur per ordinem ſacrum, vt cõſtat ex Extrauag. Io. XXII. Antiquæ de voto, neque per Epiſcopatum; vt conſtat ex vſu Eccleſiæ; ſolummodo enim hoc priuilegium fuit conceſſum profeſſioni emiſſæ in Religione; & meritò quidem, cum repugnet vita monaſtica cum matrimonio, ex eiſdem Doctoribus.

7. Sed quo iure dicta profeſſio dirimat matrimonium ratum? Tres affert ſententias Sanchez lib. 2. diſp. 19. Prima aſſerit, vinculum matrimonij dirimi per profeſſionem; iure naturali diuino ex illo ad Coloſſ. 3. *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt in Chriſto*, dum igitur quis profeſſionem emittit ſpiritualiter moritur, & ſoluitur vinculum ſpirituale matrimonij rati; ſicut per mortem naturalem ſoluitur vinculum carnale matrimonij conſummati. Secunda ſententia docet dictum Matrimonium ratum dirimi ſolo iure pontificio, quod probat à ſufficienti diuiſione; nam nõ dirimitur iure naturali, vt iam probabitur in tertia ſententia; non iure diuino poſitiuo, cum in ſacris litteris id non conſtet. Igitur ſolo iure pontificio. ita Hoſtienſ. ca. ex publico de conuerſ. coniug. ſuper verbo conſummatum; & ibi Ioann. Andr. num. 9. Felin. conſil. 26. num. 19. Henricus Gandauus quolibet 5. q. 35. Metina lib. 5. de ſacrorum hominum continentia cap. 86. & ſeqq. & alij, quæ ambæ ſententiæ, licet probabiles reputentur à Sanchez lib. 2. diſp. 19. num. 3. Tertia tamen, & probabilior ſententia eſt dictum Matrimonium ratum dirimi per profeſſionem iure diuino poſitiuo, & probatur ex cap. ex publico de conuerſ. coniugatorum; vbi Pontifex Alexander III. id ait deduci ex ſacri eloquij interpretatione: & ex cap. ex parte eodem tit. vbi Pontifex id fatetur fuiſſe traditum ex reuelatione diuina; & confirmatur quia huiuſmodi conſuetudo fuit ſemper à principio naſcentis Eccleſiæ; ergo credendum eſt, per Chriſti traditionem fuiſſe traditam, & deriuatam dictam legem; vt pluribus dictus Sanchez, Sot. 4. d. 27. q. 1. ar. 4. concluſ. 1. P. Sot. lect. 12. de matrim. §. poſt hoc; Filiuc. tract. 10. cap. 2. num. 66. & alij plures. Et quod non diſſoluatur iure naturali diuino patet; quia ex natura rei potius matrimonium non debet eſſe irritum; Sed profeſſio, quia in primo contractu fuit traditum corpus alteri, nec ſecundus contractus potuit fieri abſque iniuria primi, igitur ſpectato hoc iure, Matrimonium non erit irri-

irritum; quod neq; hoc proueniat ex iure Eccleſiaſtico ſimiliter patet ex citatis capitibus, igitur tantummodo proueniet ex iure diuino poſitiuo, vt ijdem Doctores.

8. Dubium tamen eſt, vtrum Matrimonium ratum diſſoluatur, ſi de communi conſenſu, vnus ſponſus religionem profiteatur, & alter manens in ſæculo, emittat votum caſtitatis? Et reſpondetur, dũmodo vnus eorum profiteatur, vinculum Matrimonij ſtatim ſolui, ſiuè alter emittat votum, ſiuè non, ſiuè etiam profiteatur, ſiuè non; nec ſi dictus ſecundus coniux manens in ſæculo fornicetur poſt profeſſionem, dicetur adulter, quia ex priuilegio Chriſti id profeſsioni conceſſum eſt, vt fuſius Sãchez lib.2.diſp.20.& Filiucc.loc.cit.num.63.

9. Quæritur deinde, quodnam Matrimonium cenſeatur conſummatum, vt indiſſolubile ſit etiam ſuperuenientem profeſsione; aut quamuis Pontificis diſpenſatione. Sed in primis ſciendum eſt, Matrimonium conſummatum non cenſeri, ſi effuſio ſeminis fiat extra vas naturale, per illam enim nec contrahitur affinitas, nec efficit coniuges vnam carnem; vt patet ex cap. Extraordinaria 35. q.3. & in hoc omnes Doctores conueniũt. E cõtra verò docent tunc dici Matrimonium conſummatum; quando quacunq; arte ſemen recipitur intra vas naturale, etiam abſq; illius penetratione, cum talis copula ſufficiens eſſet ad generationem; & iam ſponſi efficerẽtur vna caro, ita Sot.4.d.27.q.1.a.4.verſ. cauſæ dirimendi, Corduba ſumma q.178. Sylu.verb.matrimon.4.q.15.dub.2. quod eſt verum, etiam ſi miniſterio dæmonis ſemen in debito vaſe recipiatur, vt docet Sanchez lib.2.diſp.21.num.2. Dummodo tamen vir voluntariæ ſeminet in vaſe, licet vtatur miniſterio dæmonis; nam ſi dæmon acciperet tantum ſemen hominis in ſomnis exciſum, & poſtea illud immitteret intra vas mulieris cubando cum illa, vel alio modo, non diceretur Matrimonium conſummatum, quamuis dictum ſemen aptum eſſet ad generandum; nec ex tali modo oriretur affinitas, cum non ſit ex concubitu naturali inter virum, & mulierẽ, vel inter ſponſos; vt Filiuc.tr.10.c.2.n.42.§.Dices.

10. Verum autem dicatur Matrimonium conſummatum, ſi ſponſus tantum penetret vas abſq; ſeminis effuſione in dicto vaſe? Et quamuis P. de Ledeſma de Matrim.q.61.art.1. Rodriq.1.tom.ſum.cap. 239.num.2.Medin.lib.5.de Sacrorum hominum continentia cap.76.& 79. cum alijs aſſerant ſufficere; tamen communior opinio eſt, non ſufficere, ſi non fiat dicta ſeminis effuſio in dicto vaſe; per hanc enim cõtrahitur affinitas, & fiunt ſponſi vna caro, & fit generatio. D.Thom.4.d.41.q.1. art.1.quæſtiunc.4.ad 1.D.Anton.3.par.tit. 1.cap.11.Sot.4.d.27.q.1.art.4. Corduba ſum.q.178.Filiuc.tract.10.de Matrim.cap. 2.num.43.Sanchez lib.2.diſp.21.num.5. nec obſtat, ſi fœmina ſeminauerit, id enim non ſufficit ad generationem: hinc nota, ſponſum deflorantem ſponſam abſq; ſeminis immiſsione, arceri ab ingreſſu religionis ob damnum illatum, ſi ſponſa erat virgo; attamen, ſi profeſsionem emiſerit, valida erit, & Matrimonium diſſoluetur, quia nulla fuit contracta affinitas, nec eſſent cõſummatum Matrimonium; teneretur tamẽ ſponſus de damno illato; quæ doctrina poteſt eſſe vera pro foro interno, nam in foro externo, non præſumitur non ſeminaſſe, cũ frequenter id accidat, ex dicto Sanch.n.8.

11. Sed quid ſi tãtum vir ſeminet intra vas naturale, & non fœmina? an dicatur Matrimonium conſummmatum? communior opinio affirmatiuè reſpondet eoq; innixa fundamento, quod ſemen mulieris non ſit neceſſarium ad generationem ex Philoſoph.lib.2.de generat.cap.2.Auicenna lib.9.animal.cap.1.Galeno ſibi contrario 1.lib.de ſanitate tuenda cap.1.& lib.2. de naturalib.facultat.cap.3. D. Tho.idem docet 3.par.q.31.art.5.ad 3.Sot. 4. d. 27. q.1.art.4.& alij quamplures. Attamen non eſt adeò certa dicta opinio, vt etiam contraria non ſit probabilis; nam Hypocrates, & alij medici falſum putant dictum fundamentum Philoſophi, nempè ſemen fœminæum non eſſe neceſſarium ad generationem; & ex Theologis id docet Abulenſ.paradoxio 1.cap.48.Caiet.2.2.q.154.art.12. §.vltimo incipientis; & alij Canoniſtæ. Vnde licet ſecundum primam ſententiam, videatur Matrimonium conſummatum, tamen etiam probabiliter dici poteſt contrarium;

rium; & maximè cum id apertè videatur aſſerere D.Thom.4.d.41.q.1.art.1. quæſt. 4.ad 2.his verbis. *Vir, & mulier efficiuntur vna caro per commixtionem ſeminum, vnde quantumcunq; aliquis clauſtra pudoris frangat, niſi commixtio ſeminum ſequatur, non contrahitur affinitas*; Iiſdem verbis vtitur D. Bonauent.4.d.41.q.1.Durandus 4.d.41.q.1. art.1.num.7.& alij multi.

12. Item neque Matrimonium dicitur conſummatum per copulam habitam ante matrimonium cum talis copula fuerit fornicaria, & non matrimonialis, per quam tantũ ſignificatur vnio Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam. Sanchez lib.2.diſp.21.num.13.Filiucc. tract.10. de matrim.cap.2.n.45.

13. Quæritur etiam, vtrum copula per vim extorta intra bimeſtre poſt contractũ Matrimonium, dicatur matrimonium contractum, ita vt neuter poſſit ingredi religionem? Dictum quæſitum quinque dubia continet, primum eſt, an per copulam intra bimeſtre extortam, conſummatur Matrimonium. Secundum an liceat ſponſæ, quæ vim paſſa eſt, tranſire ad religionẽ. Tertium an idem liceat quando ſolo metu copula extorta eſt. Quartum an ſponſus cogens peccet. Quintum an ſponſa poſſit incontinenti ſemen expellere. Et quoad primum, dicendum eſt, per dictam copulam intra bimeſtre conſummari matrimonium. Et ratio eſt, quia per dictam copulam coniuges efficiuntur vna caro, & contrahitur affinitas, cum ad dictam affinitatem contrahendam ſufficiens ſit copula per vim extorta. Ita fusè Sanch.lib.2. diſp. 22.num.4. Angelus verb. matrimonium 4. num.17. P.de Ledeſma de matrim. q.61.a. 1.Couar.4. decretal.2.p.c.7.n.10. Filiucc. tract.10.de matrim.cap.2. num.47. & alij; quamuis non deſint, qui contrarium aſſerant, quos affert dictus Sanchez; & Duran. 4.d.27.q.2. num.14. & probabiles ambas opiniones putat, cum illas afferat, & neutrum definiat. Et ratio huius opinionis eſt, quia per copulam inuoluntariam, non ſignificatur vnio Chriſti cum Eccleſia, licet; Reſpondeant Doctores primæ opinionis, non ſignificari quoad modum; ſed quoad rem verè ſignificari.

14. Quoad ſecundum, an poſſit ſponſa vim paſſa tranſire ad religionem? Et in hoc etiam duæ ſunt opiniones ambæ quidem probabiles. Prima aſſerit non poſſe, quia omnia iura clamant, per Matrimoniũ conſummatum, impediri ingreſſum religionis. Ita Sot.4.d.27.q.1. art.4. D. Anton. 2.p.tit.5.c.7.§.1.&3.p.tit.1.c.21.§.1.in fin. Vega lib. 2. ſumm. caſu 500. & alij plures. Secunda ſententia ait poſſe dictum ſponſũ tranſire ad Religionem, & præcipua ratio, quæ mihi videtur eſt; quia ſicut vxor per adulterium, hæreſim, &c. Poteſt relicto marito, religionem ingredi, manente vinculo Matrimonij, ita etiam poterit in hoc caſu, ratione dicti delicti; priuat enim in tali violentia maritus vxorem iure ſuo ei conceſſo in ca.ex public.de conuerſat.coniugat. nempe, vt poſſint ſponſi per bimeſtre. Cum contractum matrimonium ſe diſponũt, an velint ſtatum religioſũ eligere, vt infra dicetur hanc ſententiam probabiliorem putat Sanchez lib.2.diſp.22.n. 6.ex multis Doctoribus, qui illam ſequitur, & ſimiliter. Filiuc.loc.cit.n.48.

15. Ad tertium dubium, vtrum ſi ſpõſa conſentiat ob metum cadentem in conſtantem virum; poſſit poſtea ingredi religionem? Et multi negatiuè reſpondent, quia vis tantum priuat libertate, & non metus; igitur, ſi adfuit libertas in copula, Matrimonium erit conſummatum, & ex conſequenti, neuter poterit religionem ingredi; attamen alij probabilius docẽt poſſe ingredi Religionem quia non ratione priuationis libertatis, diximus num.antec. poſſe ſponſam vim paſſam religionem ingredi, ſed ratione iniuriæ illatæ:& cum dicta iniuria etiam inferatur per metum cadentem in coſtãtem virum; ſequitur, quod etiam ob dictum metum poſſit ſponſa religionem ingredi, non obſtãte Matrimonio conſummato; ita P.Ledeſma de Matrimonio q.61.art.1.Sanchez loc.cit.num.12.Filiuc.tract.10.cap.2.num. 49. & alij.

16. Quartum dubium eſt, An ſponſus extorquens per vim, vel metum copulam, peccet mortaliter? ad quod reſpondetur ſi iam ſit tranſactu bimeſtre conceſſum à lege: ſponſus ad ſe deliberandum, an velint ingredi religionem, ſponſum non peccare

care,per vim extorquendo copulam,dummodo antea vſus ſit medijs pacificis, & tamen adhoc ſponſa nollet. Si autẽ id fiat à ſponſo intra primum bimeſtre, certum eſt, quod ſponſus peccat,cum priuet ſponſa iure ſuo; nec fauet moderatio Soti.4.d. 27.q.1.art.4.verſ.Quid autem iuris,aſſerẽtis id eſſe verum, quando ſponſa affirmaret vellet ingredi religionem; Nam licet id non affirmet, poteſt tamen, & habet ius deliberandi, & cogitandi ſuper dictum factum per bimeſtre; igitur etiam ſi ſponſa id tunc non aſſerat, poteſt id poſtea aſſerere, & ſic non eſt priuanda ſuo iure; & cum agatur de materia graui, neceſſariò etiam dicendum eſt, ſponſum grauiter, imò grauiſſimè peccare,vt ex dictis patet.Sanchez lib.2.diſp.22.n.13.14.& ſeqq.Filiuc.in c.2. n.47.cum alijs multis.

17. Ad quintum dubium, vtrum ſponſa per vim corrupta intra bimeſtre poſſit ſtatim ſemen expellere ne concipiat? Et nagatiuè eſt reſpondendum,cum ſit intrinſecè malum, & contra naturam, &c. Sed quid ſi fœmina non à ſponſo, ſed ab alio vim paſſa ſit,poſſit incontinenti poſt copulam ſemen expellere, ne concipiat? Reſpondetur negatiuè, ſi ſemen iam receptũ ſit in matrice; Secùs autem, ſi non receptum ſit; quod confirmat Sanchez loc. cit. nu.17. Quia poſſet fœmina vim paſſa quocunque tempore membrum virile extrahere, ſi poſſet quamuis ſemen eſſet effundendum; non enim tenetur id pati; ergo ſimiliter ſi effuſus ſit incontinenti, poterit illud effundere, dummodo in matrice receptum non ſit; quod etiam affirmat Filiuc.loc.cit.num.49. Sed reuera hoc videtur impoſſibile. Cum ſtatim ac ſemen ſit effuſum in vaſe, recipiatur in matrice, & ideò abſolutè puto dicẽdum poſt coitum, non licere ſemen eijcere, cum ſit contra ordinem naturæ.

18. Et quia diximus ſponſos habere bimeſtre ad ſe deliberandum an velint ingredi religionem; iuxta cap.ex publico de conuerſ. coniugator. Quæritur vtrum dictum bimeſtre ſit ad profitendum, an ad ingrediendum tantum Religionem? Et certum eſt,ſaltem poſt Concilium Tridentinum dictum bimeſtre dari ad ingrediendum Religionem; cum ad profeſſionem omninò requiratur annus nouitiatus neq; ex hoc vlli ſit iniuria, cum ambo ſponſi tali priuilegio perfrui poſſint. Vnde ſi ſponſa, quando contrahit matrimonium habeat tantum annos duodecim, & voluerit Monaſterium ingredi; tenebitur ſponſus expectare per annos quatuor quoad vſque habeat legitimam ætatem profitendi, & poſt dictam profeſſionem poterit cum alia contrahere; & ſic è contra reſpectiuè. SI ſponſus voluerit religionem ingredi antequam conſummet matrimonium,& totum hoc prouenit ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25.cap.15. de regular. vbi ſtatuitur, ne vllus admittatur ad profeſſionem, niſi expleto anno nouitiatus, & niſi habeat annos quatuordecim. vide fuſius Sanchez lib. 2. diſp.24.à num.1.vſque ad num.6.& ſeqq. Filiuc.tract.10.cap.2.num.51. Sot.4.d.27. q.1.art.4. verſ. at verò. Et alios apud hos Doctores.

19. Et nota, dictum bimeſtre poſſe per iudicem reſtringi, & prorogari cauſa cognita; Et ratio eſt, quia licet, terminus aſſignatus à lege non poſſit per iudicem reſtringi,nec prorogari,cum iudex non ſit ſupra legem,vt docet Barth.l.2. nu.4.ff.de ſent. & re iudic. Et eſt communis opinio, vt teſtatur Molin.lib.2.de primogen.c.14. nu. 19. Tamen quando terminus aſſignatur à lege miniſterio iudicis,ſcilicet præcipiendo iudici,vt talem terminum aſſignet; tunc poteſt iudex illũ reſtringere, vel prærogare; & cum in dicto ca. ex publico præcipiatur iudici,vt dictum bimeſtre aſſignet, ſequitur etiam quod poſſit illud reſtringere,& prorogare ex iuſta cauſa; licet non niſi difficiliter id agere debeat.vt Sanchez loc.cit.num.12.Filiuc.num.52.& alij apud ipſos.

20. Sed dubium eſt, quot dies contineat dictum bimeſtre? Et quamuis Menochius lib.2.de arbitr. centur.1.caſu 60.plures referat opiniones; nam alij dicunt mẽſem continere viginti octo dies, ſcilicet quatuor hebdomadas, alij continere dies triginta; & alij id remitti arbitrio prudentis viri. Tamen dicendum eſt iuxta communem praxim, & opinionem, menſem computari prout occurrit in Calendario quan-

quando lex, vel ſtatutum deſignat dictum Menſem à die, v.g. electionis, ſtipulationis, poſſeſſionis, &c. Et dies, qui deficiunt in tali menſe, ſumuntur ex Menſe ſequenti, & ſic Menſis aliquando habebit dies triginta, vel triginta & vnum, vel 28. in Menſe Februarij, aut 29. in biſſextili, vnde ſi incipiat Menſis à die 8. Iunij, finito dicto Menſe ſumuntur alij ſeptem dies Menſis Iulij, & ſic erit Menſis completus, & habebit dies triginta, quia Iunius habet totidem dies; Si autem Menſis incipiat à die 8. Iulij, tunc aſſumuntur poſtea ſeptem dies Auguſti, & erit completus vnus Menſis habens dies 31. vnde dicti dies Menſis, quādo lex præcipit tempus à tali aſſignata die, computandi ſunt de momento ad momētum; licet in fauorabilibus, vltima dies incepta habeatur pro completa, vt eſt in anno Nouitiatus. Nam qui terminat annum nouitiatus die 8. Februarij poſt veſperas, valida erit profeſſio, ſi fiat manè, & nō poſt veſperas. Et idem dicas de anno 16. neceſſariò ad profeſſionem. Et ſimiliter in anno biſſextili duo vltimi dies habentur pro vno, ſecùs autem in odioſis, vnde ſi quis ſit ſuſpenſus per menſem, & incipiat à prima die Februarij, poterit in vltima die celebrare; vt Gloſſ. cap. Quæſiuit de verb. ſignific. verb. Quaſi. & cap. nullus. 55. diſt. in fin. & cap. Si propter de reſcript. in 6. Abb. in d. c. Quæſiuit. num. 6. Sylu. verb. ætas in fin. Angelus verbo biſſextus num. 1. Henricus dicto cap. Quæſiuit. num. 6. & 7. citans Ioan. Andr. & alios plures; quos ſequitur Sanchez lib. 2. diſp. 24. per totam. Ex quo patet quonam modo ſit accipiendum dictum bimeſtre; Nempe, eſſe computandū de momento ad momentum fauore Religionis, ſic non poteſt vnus Sponſus alterum aſtringere, vt reddat debitum in principio vltimi diei, ſi bimeſtre incepit hora veſperarum, &c.

21. Nota tamen, quod licet bimeſtre concedatur ſponſis ad ſe deliberandum, an velint ingredi religionem; Tamen etiā ſi id non intendant ſponſi, non ex hoc tenentur reddere debitum; vt aliqui volebant, ſcilicet. Nauarr. cap. 16. num. 27. Richard. 4. d. 27. art. 2. ad 1. & alij. Nam licet non ſtatim habeant dictum intentum, ſeu finem, poſſunt tamen illum habere. Ita D. Thom. 4. d. 26. q. 1. art. 4. queſtiunc. 2. ad 2. Sotus ibidem q. 1. art. 3. P. de Ledeſma de Matrim. q. 61. art. 1. Rodriquez 1. tom. ſumm. cap. 239. num. 2. & cap. 242. num. 1. Filiucc. tract. 10. cap. 2. n. 53. Sanchez loc. cit. num. 25.

22. Secundò nota, quod licet bimeſtre ſit terminatum, ſi Matrimoniū tamen non fuerit conſummatum, adhuc ſponſi, vel alter eorum poſſet religionem ingredi; licet neuter eorum poſſit debitum negare; Niſi ſtatim vellet religionem ingredi, quia tempus conceſſum ad talem deliberationem iam ceſſauit, nec alter ſponſus tenetur aliud expectare. Vt Gloſſ. dicto cap. ex publico de conuerſ. coniugat. Sanchez dicta diſp. 24. nu. 27. Filiuc. ibid. & alij.

23. Item nota, ſponſæ iuranti nondum conſummaſſe, creditur ei, ſi erat virgo, & ſi talis appareat poſt aſpectum, etiam ſi ad domum ſponſi traducta ſit; Si autem non erat virgo, & fuit traducta ad dictam domum ſponſi, ei non creditur. Vt fuſiùs Sanchez lib. 2. diſp. 23. per totam, & ſequitur Filiucc loc. cit. §. Denique nota.

De Cauſa efficiente Matrimonij, ſeu de Mutuo conſenſu neceſſariò ad ipsū. Cap. XCIIII.

1 *Conſenſum in Matrimonio de fide eſt, eſſe neceſſarium, & dicitur cauſa efficiens Matrimonij, imò poteſt etiam dici cauſa materialis, & formalis ipſius.*

2 *Conſenſus in Matrimonio non poteſt ſuppleri à Deo, quatenus eſt contractus humanus procedens ex hominum voluntate.*

3 *Neque Eccleſiaſtica, neque Secularis poteſtas poteſt aliquos Matrimonio coniūgere ſine eorum conſenſu; in aliquo tamen caſu, poſſent Principes pro bono publico aliquem compellere, vt alteri nubat.*

4 *Conſenſus neceſſarius ad Matrimonium debet eſſe in tradēdo alteri ius ad ſuum cor-*

corpus, implicitè autem ad copulam, licet nunquam eſſet ſequutura, ut fuit in B.V.

5 *Tria bona debent eſſe finis Matrimonij. Bonum Sacramenti, prolis, & fidei; ſed abſque primo, ſcilicet, ſi non intendatur indiſſolubilitas Matrimonij, nō erit validum; ſecus de alijs.*

6 *Dicta tria bona quoad ſua principia, eſſētialiter debent intendi, alioquin non erit validum matrimonium; ſecùs autem quoad executionem.*

7 *Sponſi, vt contrahant Matrimonium ſine culpa, debent habere duos fines habendi ſobolem, & fugiendi fornicationem; ſed primus eſt finis principalis.*

8 *Cōſenſus tā internus, quā externus eſſētialiter requiritur ad Matrimoniū, tū ratione contractus, tum ratione Sacramenti.*

9 *Verba non neceſſariò requiruntur ad Matrimonium; ſed ſufficiunt ſigna conſenſum exprimentia, & hoc etiam in habentibus loquelam.*

10 *Conſenſus amborum ſponſorum non eſt neceſſe, vt ſimul praſtetur; vt patet in Matrimonio inito per litteras procuratorem, &c. Eſt tamen neceſſe, vt conſenſus primi ſponſi non reuocetur.*

11 *Tempus, quod debet eſſe inter vnum, & alium conſenſum, debet eſſe iuxta prudentis viri arbitrium; dummodo tempore contractus verè adſit primus conſēſus, alioquin erit irritum Matrimoniū.*

12 *Si vnus Sponſus per vim, vel metum conſenſit, ſufficit, vt poſtea intrinſicè conſentiat ad validitatem Matrimonij.*

13 *Sponſi ex errore putantes habere impedimentum dirimens, validè contrahunt, ſi verè intendant cōtrahere meliori modo, quo poſſunt; ſecùs autem, ſi fictitiè tantum contrahant.*

14 *Sponſus ſciens habere impedimentum dirimens, Matrimonium erit nullum, & accepta diſpenſatione, debet tam ipſe quam alter coniux impedimenti inſcia, iterum conſenſum praſtare.*

15 *Impedimentum ſi fuerit occultum, adhuc illo ceſſante, tenetur quis alterum ſponſum monere, vt denuò conſentiat.*

16 *Matrimonium nullum ob occultum impedimentum, eo ablato non eſt iterum coram Parocho, & teſtibus contrahendum, niſi in certis caſibus.*

17 *Si adfuerit periculum, vt impedimentum dirimens detegatur, vel etiam ſi tantum ſciatur, vt probari poſſet, Matrimonium eſt iterum coram Parocho, & teſtibus contrahendum.*

18 *Conſenſus ſponſorum ad reualidandum matrimonium, poteſt etiam fieri per copulam maritalem.*

19 *Matrimonium nullum defectu conſenſus, vel ſeruitutis, fit validum per dictam copulam maritalem.*

20 *Confeſſarius tenetur monere coniugatos, qui ex errore inualidè contraxerunt, ſi adſit bona ſpes.*

1. De fide eſt, ad Matrimonium neceſſarium eſſe mutuum conſenſū ex Concil. Florent, in decreto Sacramenti Matrimonij, & cap. ſufficiat 27. q. 2. ca. cum apud. & cap. Tuæ de ſponſal. & probatur ex ſupradictis. Nam in Matrimonio fit traditio propriorum corporum, & traditio non fit alteri, niſi adſit conſenſus dantis. Igitur talis conſenſus eſt omninò neceſſarius ſicut etiam eſt neceſſarius ad quemlibet alium contractum, vt diximus in ſecundo libro de contractibus, Et quia conſenſus dicitur etiam cauſa Matrimonij; ideò ſciendum eſt, Matrimonium dupliciter poſſe conſiderari, nempe prout eſt Sacramentum, & prout eſt Coniunctio quædam maritalis viri, & fœminæ; prout eſt Sacramentum conſenſus internus dicitur eius cauſa efficiens, quatenus eſt cauſa externi contractus Matrimonij, in quo conſiſtit ratio Sacramenti; Et iuxta hanc conſiderationem, non ſolum dicitur cauſa extrinſeca Matrimonij, ſed etiam eius cauſa formalis, & intrinſeca, quia verba, vel ſigna, quibus exprimitur ſponſorum conſenſus, ſunt cauſa materialis, & formalis Matrimonij iuxta diuerſam conſiderationem, vt diximus in dicto cap. 92. num. 11. Quatenus autem Matrimoniū dicit vnionem maritalem viri, & fœminæ; etiam dictus conſenſus dicitur cauſa extrinſeca ipſius, & licet non ſit de eius eſſentia, nunquam tamen poteſt Matrimonium conſiſtere ſine dicto conſenſu; Vnde licet conſenſus oretenus exprimatur, ſed fictè, & abſque

abſq; animo contrahendi, Matrimonium erit nullum; vt iam ſupra diximus, & docet Sanchez lib.2.diſp.25.

2. Et nota, quod licet Deus poſſit dare poteſtatem in corpus fœminæ, & è contra abſque eius conſenſu; tamen non dicetur contractus humanus procedens à voluntate contrahentium, cum ad hunc neceſſariò requiratur contrahentiũ conſenſus, & eſt de intrinſeca eius ratione formali, vt iam etiam diximus de cõtractu Matrimonij. Alij autem eo quod conſiderent dictum conſenſum ſolummodo tanquã cauſam efficientem extrinſecam, aſſerunt poſſe Deum ſupplere vices dictæ cauſæ, ſicut poteſt ſupplere calorẽ ſine igne, & ſic dari Matrimonium abſque conſenſu ita Sot.4. d.27.q.1.art.2.concluſ.1.& alij, quos citat Sanchez 2.lib.2.diſp.26.num.3. Sed datur diſpar ratio, ignis enim eſt cauſa naturalis, & neceſſariò operans, & ideò benè Deus poteſt ſupplere huius cauſæ effectum. At conſenſus eſt cauſa libera operans ex propria voluntate, & eſt etiam ratio formalis Matrimonij, vt iam diximus, nec Deus poteſt ſupplere id, quod eſt de ratione formali, ſeu eſſentia rei. Vide dictum Sanch. & Filiuc.tr.10.c.3.num.68.

3. Secundò eſt notandum, nullam humanam poteſtatem neque Eccleſiaſticam, neque Secularem poſſe aliquos Matrimonio coniungere abſque eorum conſenſu; imò Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de Matrim.c.9. Excommunicat omnes Principes compellentes ad Matrimonium; Vnde ſupponit iam Principes, vel Eccleſiam id non poſſe efficere abſq; contrahentium conſenſu; Eſt communis opinio vt Sot.4.d.27.q.1.art.2.concluſ.2. Angelus verb.Matrimonium 3.impedimen. 18.n.2. Sylu.eodem verb.3.qu.15. Sanchez lib.2. diſp.27.num.2. Filiuc.tract.10. cap.3. num. 69.& alij. Concedit autem Bartolom.Ledeſm.2.p.4.q.47.art.1.in fine. Henriquez lib.11.de Matrim. cap.6. num.7. ac etiam Sanchez num.3. & Filiucc.loc.cit. Principes, ſcilicet, abſolutos; ſi valdè expediret pro bono publico, poſſe compellere aliquem, vt alicui nubat; ſed niſi adfuerit conſenſus, Matrimonium erit nullum.

4. Sed dubium eſt, in quodnam obiectum debeat ferri dictus conſenſus, nempe an debeat eſſe circa copulam carnalem? Et reſpondeo conſenſum neceſſarium ad conſtituendum Matrimonium debere ferri in tradendo poteſtatem, & ius ad ſuum corpus, ſcilicet ad copulam; non autem eſt neceſſarium, vt omninò intendat copulam expreſsè, ſed tantum implicitè, & conſequenter, nempè ſi neceſſarium fuerit, vel ſi ſponſus voluerit; vnde ratio Matrimonij conſiſtit in tradendo tantum ius, & poteſtatem ad copulam; ex quo ſequitur, Matrimonium contractum cum conditione, vt neuter ſponſus teneatur reddere, eſſe nullum, quia excluditur conſenſus implicitus ad copulam, qui eſt omninò neceſſarius, vt D.Thom.4. d.28. qu. vnica art.4. D.Bonauent.ibi q.vltima, Richard.art.2.q.4.Sot.4.diſt.30.q.2.art.2. & d.26.q.1.art.2.concluſ.4. vbi multos Sanctos refert; Suar.3.p.q.29.art.2.diſp.7.ſect. 1.in fine, & alij plures, quos ſequitur Sanchez lib.2.diſp.28.num.3.& Filiucc.tract. 10.cap.3.num.71.& ſeqq. Et hoc modo etiam fuit verum Matrimonium Beatæ Virginis, implicitè enim conſentit in copulam ſecundum id, quod ſpectabat ad cõtractum, ſed nunquam habuit ad propoſitum copulæ, cum iam fuerat certificata à Deo, nullam copulam eſſe ſequuturam; vt docet D.Thom.4.d.30.q.2.art.1.quæſtiun. 2.ad 3. his verbis. *Virgo implicitè conſẽſit in copulam, at copulam nunquam fuit in propoſito erat enim à Deo certificata, nunquam ſubſequi debere*; quod explicans Suar.loc.cit.ait; in radice, & in cauſa habuiſſe conſenſum ad copulam, conſentiendo in Matrimonium, quod de ſe ad eum ordinatur; & ita eſt intelligendus P. Auguſtinus (inquit idem Suar.) & habetur in cap. Beata Maria 27. q.2. vbi dictus Pater ait. *Beatam Virginem conſenſiſſe in copulam carnalem; ſcilicet implicitè, & ſecundum id, quod ſpectabat ad contractum, abſque tamen vllo propoſito actualis copulæ, cum iam de illo fuerat certificata*; vel vt ait D.Thom.3.p.q.29.art.2. *Non conſenſit expreſsè in copulam; ſed ſi Deo placeret*, vel vt Suar. Si Ioſeph petijſſet.

5. Deinde quæritur quiſnam debeat eſſe finis huius conſenſus, ſeu quænam bona debeant intendere ſponſi contrahendo

Digitized by Google

Matrimonium? Reſpondeo tria eſſe bona, quæ debent intendi in Matrimonio, nempè bonum Sacramenti, prolis, & fidei; quibus compenſantur tria detrimenta, ſeu onera Matrimonij, ſcilicet, perpetua ſeruitus, quæ oritur ex indiſſolubilitate Matrimonij ratione Sacramenti. Ad Corin. cap. 7. *Alligatus es Vxori, noli quærere ſolutionem*; ſecundum incommodum, eſt nimia voluptas, quæ mentem totaliter abſorbet, & hoc compenſatur bono prolis. Tertium incommodum eſt nimia ſollicitudo placendi viro, & habendi liberos, & hoc compenſatur bono fidei, ſcilicet fidelitatis, cum teneantur ſponſi ad fidem ſibi inuicem ſeruandam, & ad reddendum debitum, & nulli alteri concedendum. Eſt tamen ſolummodo neceſſarium ad Matrimonium conſtituendum intendere indiſſolubilitatem Matrimonij; Si quis enim intenderet contrahere ad tempus, non eſſet Matrimonium; alia autem duo bona prolis, & fidei non eſt neceſſe vt intendantur, eſſet etiam verum Matrimonium, etiã ſi quis intenderet fornicari, & prolem non habere. Vide Sanchez lib. 2. diſp. 29. & Filiuc. tract. 10. cap. 3. num. 73. & 74. Eſtque doctrina D. Thom. 2. d. 31. q. 1. art. 3. in cor. & D. Bonauen. ibi art. 1. q. 3. vbi ſic dicunt. *Sine bono Sacramenti, nunquam eſt Matrimonium; at poteſt eſſe ſine fide, & prole, non tamen eſſet Matrimonium, ſi in conſenſu exprimeretur aliquid contrarium fidei, & proli.*

6. Ex quibus verbis nota, dicta tria bona Matrimonij aliud eſſe quoad ſignificationem, & aliud quoad executionẽ; nam quoad ſignificationẽ, ſeu quoad bona ſua principia omnia sũt de eſſentia Matrimonij, cum coniuges vi Matrimonij obligentur ad vitam indiuiduam. Ad reddendum ſibi debitum, & ad prolem non impediendam, & habitam educandam; quod ſumitur ex verb. D. Thom. 4. d. 31. q. 1. art. 5. in corpore, vbi ſic ait. Fides, & proles ſecundum, quod conſiderantur in ſuis principijs, vt pro prole accipiatur intentio prolis, & pro fide, debitum ſeruandi fidem, ſine quibus Matrimonium eſſe non poteſt; & ſic accipiendo fidem, & prolem, ſunt eſſentialiſſima in Matrimonio. Vnde, ſi quis contraheret Matrimonium non intendens ſe obligare ad prolem non impediendam, & habitam non educandam; vel non intendens ſe obligare ad ſeruandam fidem, Matrimonium erit nullum; ſi dicta bona conſiderentur quoad exequutionem; dicta bona non erunt de eſſentia Matrimonij; Vnde ſi quis contrahendo Matrimonium habeat intentionem fornicandi, vel non procreandi prolem, Matrimonium erit validum; Secùs, ſi non intendat ad id ſe obligare; Richard. 4. d. 31. art. 2. q. 2. P. de Ledeſma de matrim. q. 48. art. 2. dub. 1. & alij, quos ſequitur Sanchez loc. cit. n. 12. & ſeqq. Filiucc. ibidem

7. Quæritur etiam, quãnam fidem debeant habere ſponſi, vt contrahendo Matrimonium ſint immunes à culpa? Reſpõdeo debere habere duos principales fines Matrimonij; nempè ſobolem procreare, & hic eſt principalis finis; & fornicationẽ vitare, & hic eſt finis ſecundarius: Vnde Paulus. *Habeat vnuſquiſque vxorem ſuam propter fornicationem vitandam.* Et hi fines ſunt reſpectu Matrimonij, in quo intenditur copula coniugalis; At ſi Matrimoniũ contrahatur ad alium finem ex reuelatione Dei, vt fuit Matrimonium Beatæ Virginis, quod non fuit ad copulam; tunc in tali Matrimonio finis erit mutua animorũ coniunctio; & eorum ſanctificatio. Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 12. de matrim. qu. 3. P. Sot. lect. 16. de matrim. nu. 18. Vnde ſi matrimonium contrahatur ob extraneos fines, vt ob diuitias, vel pulchritudinẽ, erit peccatum veniale; Vt idem Caiet. loc. cit. & in ſumma verb. Matrimonium; P. Sot. ibidem. Nauar. ca. 22. num. 79. Sylu. verb. Matrimonium 4. q. 4. Et ſi dicti fines extranei fuerint tantum cauſa ſecundaria Matrimnonij, tunc nulla erit culpa, Sanch. lib. 2. diſp. 29. num. 24. Filiuc. tract. 10. c. 3. num. 75. in fine. Et alij, apud quos plura inuenies, quæ non videntur magni momenti.

8. Quæritur deinde, an conſenſus neceſſarius ad Matrimonium, debeat eſſe internus an externus? Reſpondeo certum eſſe inter Catholicos, conſenſum internũ non ſufficere ad Matrimonium, niſi explicetur verbis, vel ſignis externis; Eſt enim Matrimonium contractus, in quo fit cor-

porum

Digitized by Google

porum traditio, quæ non poteſt fieri niſi medio actu externo; & ſimiliter Matrimonium eſt Sacramentum, de cuius ratione eſt, vt ſit ſenſibile ſignum, igitur neceſſariò requiritur conſenſus internus per externa verba, vel ſigna declaratus; ita Sanch. lib. 2. diſp. 30. Filiuc. tract. 10. de matrim. ca. 3. num. 77. & 78. Nec dicta verba, vel ſigna externa ſunt neceſſaria tanquam conditio ſine qua non, vt volebat Maior. 4. d. 26. q. 1. art. 3. Sed tanquam quid eſſentiale pertinens ad rationem contractus, alioquin non daretur Matrimonium, etiam ſi Deus reuelaret vtrique mutuos conſenſus; Et ratio eſt, quia Matrimonium cum ſit contractus humanus, neceſſe eſt, vt conſtet ſigno externo. Sot. 4. d. 27. q. 1. art. 3. conclu. 1. & alij.

9. Sed quæſtio eſt, an omninò neceſſariò requirantur verba, ſi contrahentes matrimonium non fuerint muti? Nam de his certum eſt ex cap. Cum apud, & c. Tuæ de ſponſalibus. Et relictis varijs opinionibus; dico cum communi, quam ſequitur Sot. 4. d. 27. q. 1. art. 3. concluſ. 2. Etiam in habentibus loquelam, ſufficere ſigna externa, conſenſum exprimentia. Et ratio eſt, quia Chriſtus Dominus non aliam materiam, & formam inſtituit pro hoc Sacramento matrimonij, niſi illam, quæ eſt neceſſaria ad rationem contractus, & cum contractus benè poſſint fieri per ſigna cōſenſum exprimentia, ſequitur, quod etiam matrimonium dictis ſignis poſſit fieri. D. Thom. 4. d. 27. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 2. & 3. P. de Soto lect. 3. de matri. §. Primum igitur, & §. Requiritur igitur. Et quamuis aliqui dixerunt ſaltem verba eſſe neceſſaria neceſſitate præcepti; Tamen contrarium eſt probabilius, vt colligitur ex eodem Sot. & ſequitur Sanch. lib. 2. diſp. 31. num. 16. Nec ſimiliter ſunt audiendi, qui dixerunt, matrimonium mutibus contractum non eſſe Sacramentum, hoc enim falſum eſt, cum apud fideles nequeat eſſe matrimonium, quin ſit Sacramentum, vt ſupra probauimus. Filiuc. dicto cap. 3. nu. 81. Rodriq. 1. tom. ſummæ c. 216. nu. 5. Sanch. loc. cit. n. 8. & alij.

10. Dubium tamen eſt, an vtriuſque coniugis, conſenſus ſimul præſtari debeat? Et quamuis affirmatiuè aliqui reſponderunt; Tamen dicendum eſt ſufficere, etiam ſi conſenſus alterius ſponſi poſt moram factam præſtetur. Dummodo primi ſponſi conſenſus adhuc perſeueret, & reuocatus non ſit. Patet hæc doctrina ex ratione ſæpè dicta, nempè, quia matrimonium, licet fuerit eleuatum ad Sacramentum à Chriſto Domino, tamen adhuc remanet, & habet naturam contractus, qui cum poſſit fieri per cōſenſus diuerſo tempore præſtitos, vt patet in contractibus per litteras, per nuncium, vel per procuratorem initis; ſequitur etiam matrimonium poſſe tali modo celebrari, & iam in antecedentibus capitibus probauimus tam ſponſalia, quam matrimonium poſſe contrahi per litteras, per nuncium, vel procuratorem; Nec obſtat, quod matrimonium ſit Sacramentum; nam etiam in Sacramēto pœnitentiæ poſt auditam confeſſionem, abſoluto differri poteſt. D. Thom. 4. d. 29. qu. vnica art. 3. quæſtiunc. 2. ad 2. & ibi Sot. qu. 1. art. 3. P. Sot. lect. 3. de matrim. §. Primum igitur, & §. Requiritur igitur. Filiuc. tract. 10. cap. 3. num. 83. Sanchez lib. 2. diſp. 32. nu. 3. & alij communiter.

11. Vtrum autem quocunque temporis ſpatio intercedente poſſit præſtari alterius coniugis conſenſus? Et affirmatiuè reſpondet Maior 4. d. 27. q. 1. & Nauar. cap. 22. num. 80. Et ratio eſt, quia prior conſenſus ſemper dicitur perſeuerare, dummodo non reuocetur. Sot. autem 4. d. 27. q. 1. art. 3. ait. Si ſeptennium intercedat, non eſſe tutum matrimonium; Hēriquez ponit biennium, lib. 11. de matr. cap. 3. num. 6. & Bartholomæus de Ledeſ. annum tantum aſſignat; At P. Ledeſma ponit id remittendum eſſe arbitrio prudentis viri attentis particularibus circumſtantijs; quod tenet etiam Sanchez loc. cit. num. 7. in fin. & Filiuc. in cit. num. 83. in fin. Regula tamen certa poterit eſſe, vt ſi conſenſus primi ſponſi poterit iudicari, adhuc perſeuerare eodem modo, poſſe rectè ſecundum ſponſum conſentire, & erit validū matrimoniū, quia iam conſēſus amborum contrahentium ſimul concurrūt, ſeu ſunt, quod requiritur ad rationem contractus, è contra verò, quando non cenſetur conſen-

ſenſus primi ſponſi permanere, non poterit ſecundus validè contrahere; niſi ſub dubio, & quatenus poſtea ſciatur adfuiſſe primi ſponſi conſenſum, vel illum ratificaſſe, &c.

12. Sed quid, ſi cõſenſus alterius ſponſi non fuit legitimus; ſed fictus, aut vi, vel metu extortus; an tunc ſufficiat, ſi denuò conſentiat, vel ſit neceſſariũ, vt ambo conſentiant, eo quod matrimonium fuerit irritum? & ambos debere iterum conſentire aſſirmat Bartholomæus à Ledeſma de matrim. dub. 19. Felin. cap. ex parte Decani de reſcript. nu. 11. ampliat. 4. cum alijs; Probabilius tamen eſt, ſufficere, vt iterum dictus alter ſponſus intrinſecè conſentiat; Et ratio eſt, quia ex parte primi ſponſi iam adeſt conſenſus ſufficiens ad matrimoniũ; Sed quia tantum deeſt conſenſus ſecundi ſponſi fictè conſentientis, ille tantũ ſupplendus eſt. Docet D. Thom. 4. d. 29. qu. vnica art. 3. quæſtiunc. 2. ad 2. D. Bonauen. ibi. q. 2. num. 13. P. Sot. lect. 3. de matrim. §. Primum igitur. Sylueſt. ver. matrimonium 8. q. 11. dicto 4. Angelus eodem ver. 3. impedim. 11. num. 1. Filiucc. tract. 10. cap. 3. num. 84. Sanchez lib. 2. diſp. 32. num. 9. & idem poſſe fieri, etiam ſi ambo ſponſi ex metu conſenſerint, & ex parte vtriuſque matrimonium eſſet inualidum. Richard. 4. d. 29. art. 2. q. 1. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 7. Syllueſt. loc. cit. & alij. Et ratio eſſe poteſt, quia id tantum eſt ſupplendũ in cõtractu, quod defuit, ſed defuit tantum conſenſus internus, ille tantum ſupplendus eſt, quam opinionem, licet non approbet Sanchez, tamẽ verè probabilis eſt. Poteſt etiam ſuppleri dictus conſenſus quandocunque, & ex tunc incipiet eſſe verum matrimonium. Nauar. c. 22. n. 8. & alij citati.

13. Sed dubium eſt, vtrum matrimonium ſit validum ſi ambo ſponſi cõſenſum præſtiterunt, putantes tamen habere impedimentum dirimens, quod verè non erat? Et negatiuè reſpondetur, quia dum ambo ſponſi ſciunt adeſſe tale impedimentum dirimens inter eos, nec poſſe validè contrahere; impoſſibile eſt, quod habeant voluntatem contrahendi, & ex conſequenti, matrimonium erit nullum ex defectu cõſenſus; ſicut ſi quis non Sacerdos celebraret, non poſſet habere intentionem conſecrandi, cum ſciat impoſſibilem eſſe talem conſecrationem. Sequitur Sot. 4. d. 37. qu. vnica, ar. 5. concluſ. 3. Nauar. cap. 22. n. 56. Syllueſt. verb. matrimonium 8. q. 13. Angelus eodem verb. 3. impedimento 13. nu. 5. Vega lib. 2. ſummæ caſu 282. & alij. Tamẽ iuxta Sanchez lib. 2. diſp. 33. num. 2. Si dicti ſponſi intenderent cõtrahere omni meliori modo, quo poſſunt, & quantum in ipſis eſt, validum erit matrimonium. Nam licet infidelis putet baptiſmum eſſe quid irriſorium; Si tamen baptizet animo faciendi, quod facit Eccleſia, erit verus baptiſmus, ergo idem erit de matrimonio. Sequitur Filiucc. tract. 10. cap. 3. num. 87. P. Ledeſm. de matrim. q. 55. art. 9. dub. 2. licet etiam contrarium probabile iudicet. Rodriq. 1. tom. ſummæ, c. 233. nu. 3. & alij: Veros etiam ego puto hos caſus de poſſibili; at de facto neſcio quonammodo ſpõſi poſſint habere intentionem contrahendi quantum in ipſis eſt, ſi verè præſupponant, matrimonium inter ipſos eſſe impoſſibile; tunc enim poſſent habere talem intentionem, quando non eſſent adeò certi de tali impedimento: vt meliùs conſideranti patebit.

14. Aliud dubium eſt, vtrum contrahens matrimonium, ſciens adeſſe impedimentum dirimens, ſi poſtea impetret diſpenſationem à Summo Pontifice, vel ceſſet tale impedimentum ob mortem, v. g. primæ vxoris, an poſſit tantum ipſe intrinſicè conſentire denuò abſque alio conſenſu vxoris, ad validitatem matrimonij? In qua re duæ ſunt opiniones, prima aſſirmat, ſufficere dictum cõſenſum internum, quia iam ſupponitur, & durat conſenſus alterius ſponſi; imò P. de Ledeſm. q. 45. art. 3. dub. vlt. §. Sed dubium eſt, addit, id ſufficere, licet timeatur de voluntate alterius coniugis, qui ſi ſciret impedimentum, nollet contrahere, & q. 52. art. 1. dub. 2. docet, contrahentem cum ſerua putantem ingenuam, licet matrimonium fuerit irritum, tamen ſi poſt manumiſſionem à ſe ignoratam verbo, vel facto, ſcilicet media copula coniugali conſentiat, verè perficere matrimonium, quamuis talis conſenſus proceſſerit ex errore, putando

do eſſe ſuam; quod etiam docet Angelus verb. matrimonium 3. impedimento 4. n. 10. Palud. 4. d. 36. q. 1. art. 2. conclu. 2. n. 14. Et probabile id eſſe, imò æquè probabile, at contrarium aſſerit, Sot. 4. d. 35. q. vnica, art. 2. verſ. Sed percunctaris, & alij plures apud Sanchez lib. 2. diſp. 35. nu. 1. & diſp. 36. nu. 2. Ratio huius opinionis poterit eſſe illa, quam iam ſupra num. 12. diximus. Nempè, quia ſufficit ſupplere id, quod defuit ad validitatem Matrimonij, cum iam conſenſus alterius ſponſi duret, & id, quod eſt neceſſarium pro Eccleſia, iam eſt factū; ſcilicet, vt tale Matrimonium ſit contractum coram Parocho, & teſtibus; vnde veniente nouo conſenſu, erit omni ex parte completum matrimonium. Contrarium tamen, quod ſaltem, vt ſecuriùs puto eſſe amplectendum, docet D. Thom. 4. d. 40. q. vnica, art. 4. ad 6. Nempè requiri nouum conſenſum vtriuſque coniugis. Et ratio eſt, quia conſenſus dictorum ſpōſorum cecidit ſuper materiam omninò inhabilem, & illegitimam, nec poteſt præſupponi alterius ſponſi conſenſus durare, cum fuerit nullus; vnde denuò eſt vterque renouandus; ſequitur hanc opinionem Sanchez in cit. diſp. 35. n. 2. cum Scoto. Richar. Caiet. Corduba; Rodriq. Nauarr. & alijs multis, & ſequitur Filiuc. tract. 10. de matrim. c. 3. num. 89.

15. Sed ſi matrimonium fuerit nullum ob impedimentum occultum, an eo ceſſante coniux debeat monere alterum coniugem de impedimento præterito, vt iterum ambo conſenſum præſtent; an ſufficiat, tacito dicto impedimento denuò tantum renouare conſenſus amborum? Et iuxta primam opinionem recenſitam num. antecedenti, eſſet dicendum, ſufficere, vt ſponſus tantum ſciens impedimentū, ratificet conſenſum, & erit validum matrimoniū, dummodo iam impedimentum ceſſauerit. Sed ſuppoſito, quod requirantur amborum cōſenſus denuò renouari, adhuc duæ opiniones ſunt in præſenti dubio. Prima aſſerit, coniugem impedimenti conſcium, non oportere monere coniugem ceſſante impedimento, vel habita diſpenſatione; ſed ſufficere, ſi cautè curet conſenſum renouari, petendo, vt pro ſua ſatisfactione, vel conſolatione iterū acceptet in coniugem, ipſo ſimiliter dicente, & ego etiam te accipio in meam coniugem; Huius opinionis fuit Caietanus opuſc. tom. 1. tract. 12. de matrim. q. 2. Sot. 4. d. 28. qu. 1. art. 2. concluſ. 3. caſu 1. Corduba lib. 1. quæſtionarij q. 11. a. 2. dicto 1. & ſumma q. 51. opinione 1. vbi ait, eſſe multorū opinionem, & in §. *Reſolutoriamente dico*. Ait eſſe ita faciendum, quando timetur ſcandalum, P. de Ledeſma q. 45. art. 3. dub. vlt. §. Sed dubiū eſt, & alij. Secunda ſententia aſſerit, neceſſarium eſſe monere coniugem impedimenti ignarum, vt ſciat fuiſſe matrimonium inualidè contractum, vt liberè poſſit conſentire vna cum ſuo coniuge in matrimonio ad hoc, vt validum ſit; ſed quodnam fuerit dictum impedimentum, non erit neceſſariò explicandum; hanc opinionem ſequitur Sanchez diſp. 36. num. 3. vbi quamplures affert, & ſequitur Filiuc. loc. cit. num. 90. & ſeqq. quam doctrinam non intelligas de matrimonio contracto per errorem perſonæ, vel conditionis, ſcilicet ſeruitutis; ſi dictus error adhuc duret; nam eo durante, nullus nouus conſenſus ratum facit matrimonium; niſi error cognoſcatur, & iterum conſenſus præſtetur modo iam dicto. Vide Doctores citatos.

16. Quæſtio tamen eſt, vtrum matrimonium inualidum ob occultum impedimentum, eo ablato, ſit iterum coram Parocho, & teſtibus celebrandum? Reſpondeo, tres in hac quæſtione eſſe opiniones. Prima aſſerit eſſe iterum celebrandum coram Parocho, & teſtibus. Et ratio eſt, quia primum cum fuerit nullum, cenſetur, vt non celebratum, Ita Nauar. lib. 4. conſil. tit. 1. de ſponſalib. conſil. 11. Bartholom. à Ledeſma dub. 17. de matrim. fol. 1275. & ſeqq. Imò addit, id eſſe verum, etiam ſi ſcandalum eſſet ſequuturum ex dicta noua matrimonij celebratione. Secunda opinio ait; dictā opinionē primā eſſe veram, dūmodo non ſit ſequuturū ſcandalum, aut infamia; Sic Corduba ſumma, qu. 51. fol. 130. §. *Reſolutoriamente dico*, & alij. Tertia ſententia eſt, quæ aſſerit ſponſos non teneri coram Parocho, & teſtibus matrimoniū iterum contrahere; ſed tantum inter ipſos ſolos; Et ratio eſt, quia iam, id, quod erat neceſ-

Digitized by Google

neceſſarium in facie Eccleſiæ vigore Concilij Tridentini, eſt exequutum; Imò primum matrimonium eſt æſtimatum ratum, igitur illud tantum eſt ſupplendum; quod defuit in foro interno; & confirmatur. Nam Concilium inſtituit, vt matrimoniũ celebraretur coram Parocho, & teſtibus, vt deſtrueret matrimonia clandeſtina; At in hoc caſu non poteſt dici matrimonium clandeſtinum, cum iam ſit celebratum coram Eccleſia; ſufficiet igitur, ſi id ſuppleatur, quod defuit pro foro interno, & ita tenent Nauar. lib. 4. conſil. tit. 1. de ſponſalib. in 1. edit. conſil. 35. in 2. conſil. 14. in fine, & in ſumma latina ca. 22. num. 70. & in noua edit. cap. 16. num. 37. ait. Sic declaraſſe Pium V. & hac opinione vti ſacram Pœnitentiariam; & idem refert P. de Ledeſma de matrimonio q. 45. art. 5. dub. penult. Filiuc. tract. 10. cap. 3. num. 93. & ſeqq. Sanchez lib. 2. diſp. 37. Qui Doctores ſimiliter notant, id eſſe verum, quãdo tam Parochus, quam teſtes verè ignorant occultum impedimentum; Nam ſi aliquis ipſorum impedimentum ſciret, non poſſet dici teſtis veri matrimonij, ſed potiùs teſtis nullitatis matrimonij; Vnde non eſſet matrimonium ritè celebratum coram Eccleſia, & eſſet iterum celebrandum. Vide Sanchez n. 10. & Filiuc. n. 94.

17. Idem eſt etiam dicendum, ſi adfuerit periculum, vt tale intrinſecum impedimentum detegatur, ita vt probari poſſit in foro iudiciali; tunc enim eſſet iterum matrimonium celebrandum coram Parocho, & teſtibus; Imò etiam ſi non adeſſet periculum, illud fore deducendum ad forum contentioſum; dummodo ex ſe poſſet plenè probari, adhuc eſſet iterum celebrãdum coram Parocho, & teſtibus. Tunc autem dicetur poſſe plenè probari, quando duo teſtes omni exceptione maiores, ſcilicet, quibus nihil opponi poſſet; dictum impedimentum teſtificarent de cauſa ſcientiæ; nec ſufficiunt, etiam ſi quatuor, vel quinque id ſciant ex relatione coniugis, vel alterius, vt idem Sanchez num. 11. ex Maſcardo de probat. concluſ. 410. nu. 19. & concluſ. 1023. à nu. 4. vſque ad 14. vnde ſi tale impedimentum eſſet deductum ad forum contentioſum, & poſtea non fuiſſet ſufficienter probatum, aut eſſet lata ſententia in fauorem matrimonij; iam remaneret matrimonium validum, quia tale reputatur ab Eccleſia vt Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 3. nu. 6. Imò Epiſcopus iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. poteſt diſpenſare in tali delicto occulto, etiã ſi reus falſis teſtibus procurauerit ſententiam in ſui fauorem; quia iam in facie Eccleſiæ matrimonium eſſet ratum, & Concilium excipit tantum ab Epiſcopo crimẽ deductum ad forum contentioſum, ſcilicet, quando dicta deductio iam conſequuta fuerit ſuum effectum contra reum, vt idem Sanchez num. 12. ex Henriq. lib. 14. de irregular. cap. 20. nu. 4. & ex alijs.

18. Eſt etiam notandum, dictum matrimonium nullum, ob impedimẽtum occultum, quod diximus eſſe iterum celebrãdum inter ipſos ſponſos; poſſe ſimiliter contrahi per copulam affectu maritali habitam inter ipſos coniuges. Et ratio eſt, quia vt ſupra diximus, ad matrimonium contrahendum non ſunt neceſſaria verba; ſed ſufficiunt ſigna; & copula affectu matrimoniali habita, eſt etiam ſufficiens ſignum nouum conſenſus; vt ex Rodriq. Henriq. & alijs docet Sanchez dicta diſp. 37. num. 14.

19. Vnde infertur, matrimonium nullum propter metum occultum, vel conſenſum non præſtitum, aut irritum ratione ſeruitutis occultę, ea ablata, ſatis eſt, vt ſpõſi inter ſe iterum contrahant; & idem eſt dicendum de matrimonio nullo ob defectum occultum ætatis; vt fuſiùs Sanchez ex pluribus dicta diſput. 37. num. 4. & ſequentibus.

20. Quid autem debeat facere Confeſſarius, ſi nouerit aliquos coniugatos ex ignorantia matrimonium inualidè contraxiſſe? Reſpondeo breuiter, ſi pœnitens inuincibiliter ignoret de iure, vel de facto dictum impedimentum, & adſit ſpes boni fructus. Tunc Confeſſarium teneri dictos ſponſos monere, cum etiam tanquam Doctor Confeſſarius teneatur inſtruere pęnitentem de neceſſarijs ad euitanda peccata etiam materialia; Si autem nulla ſit ſpes boni fructus, Confeſſarius non tenetur, vt ſumitur ex cap. Si quis autem, de pœn. d.

7. vbi

7. vbi ex Patre Auguſtino habetur. *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem.* Eſt enim communis regula, ad monitionē neminem teneri, niſi adſit ſpes, quæ doctrina intelligitur, etiam ſi ignorantia fuerit iuris diuini, & naturalis; vel etiam ſi ignorantia verſetur circa rem alteri debitam; quod etiam intellige, dummodo graue ſcandalum, vel incommodum non eſſet ſequuturum, ex tali monitione; vt Sanchez lib. 2. diſp. 38. num. 5. Si verò pœnitens ignoret vincibiliter; Tunc confeſſarius tenetur admonere, quia pœnitens manet in peccato mortali, & peccaret etiam confeſſarius adminiſtrando Sacramentū indigno: vt fuſius Sanchez per totam dictam diſp. 38. & Filiuc. de matr. tr. 10. c. 3. à n. 97. vſq; ad fin. dicti capitis.

An Conſenſus Coactus irritet Matrimonium. Cap. XCV.

1 *Metus duplex eſt leuis, & grauis, ſeu cadens in conſtantem virum, qui vt dicatur talis, quinque conditiones habere debet.*

2 *Metus grauis erit etiam ſi malum, quod incutiens metum minatur, ſit venturum ſuper perſonam conſanguineorum, affinium, &c.*

3 *Mala metum grauem afferuntia licèt multa numerentur, tamen id relinquitur ad arbitrium prudentis viri iudicandum; metus autem reuerentialis patris, non affert metum graue præcisè conſideratus.*

4 *Neque profeſſio, neque matrimonium annullatur præcisè ob metum reuerentialem, niſi adſint minæ, vel ſæuitia.*

5 *Preces importunæ, vna cum metu reuerentiali poſſunt inducere metum grauem etiam reſpectu profeſſionis.*

6 *Contractus celebrati per metum grauem ſunt annullandi, aliqui tamen, vt matrimonium, ſunt ipſo facto nulli.*

7 *Metus grauis licet cauſet matrimonium, illud non irritat, ſi fuerit incuſſus ad alium finem.*

8 *Matrimonium contractum ob metum iniuſtè illatum à cauſa libera, eſt irritum in vtroque foro.*

9 *Matrimonium ob metum grauem contractum, illatum iuſtè à iudice, vel alio, eſt validum.*

10 *Vanus eſt quidam vſus iudicum nolentiū concedere facultatem contrahendi matrimonium, niſi extra carcerem.*

11 *Erit metus grauis, ſi iudex abſolutè compellat ſtupratorem, vt illam ducat; quia licitum eſſet eam dotare.*

12 *Metus grauis irritat matrimonium iure naturali diuino ſecundum aliquos, vel iure Eccleſiaſtico ſecundum alios, & ſecundum hanc opinionem matrimoniū contractum per metum grauem inter fideles erit validum.*

13 *Cognita inualiditate matrimonij, ſtatim qui paſſus eſt metum iniuſtum, poteſt à matrimonio reſilire, & ſimiliter, qui illum intulit, niſi ad aliud fuerit per iudicem condemnatus.*

14 *Contrahens matrimonium per metum cadentem in conſtantem virum, nō peccat ſaltem mortaliter.*

15 *Matrimonium metu graui extortum, etiam ſi ſequatur copula eodem modo habita, non erit validum.*

16 *Matrimonium contractum ob metum leuē, ſed reſpectu perſonæ, grauem, irritum erit, ſi autem metus fuerit omninò leuis, licet tribuerit cauſam contractui, non irritat matrimonium.*

17 *Etiam ſponſalia metu graui inita ſunt ipſo facto irrita, ſicut matrimonium.*

18 *Contractus à iure reprobati, ſunt nulli, etiā ſi adſit iuramentum; nec dictum iuramentum aliquam obligationem parit, nec indiget relaxatione, licet, ſecuriùs eſſet illam obtinere.*

19 *Iuramentum, licet metu leui extortum, poteſt per Epiſcopum relaxari pro foro conſcientiæ.*

20 *Matrimonium metu graui extortum, licèt firmetur iuramento, irritum erit.*

21 *Matrimonium contractum per metum grauem medio iuramento per verba de præſenti, eſt nullum, & idem eſt dicendum, ſi matrimonium contrahatur per verba de futuro abſq; nouo conſenſu præſtando.*

22 *Sponſalia ſimili metu, & iuramento celebrata, nec obligationem pariunt, nec relaxatione indigent, quod etiam eſt verum de omni contractu prohibito ob publicam vtilitatem.*

23 *Matrimonium contractum inuitis parentibus validum eſt, nec poſſunt parentes cōpellere filios ad matrimonium; & peccant, ſi abſque iuſta cauſa impediant eorum matrimonium.*

24 *Adeſt excommunicatio latæ ſententiæ in Concil. Tridentin. contra iniuſtè impedientes matrimonium, licèt comprehendat tantum Principes, & Magiſtratus Sæculares.*

25 *Filij, licèt, regulariter loquendo, non teneātur contrahere matrimonium, quod Pater promiſit ipſis inſcijs, tamen ſi eſſet neceſſarium pro graui Patris neceſſitate, tenerentur ex pietate.*

26 *Filij poſſunt inuitis parentibus matrimonium contrahere, ſi habeant iuſtam cauſam, qua ſecluſa filij ſub mortali tenentur ſaltem conſilium à parentibus petere; quamuis illud non teneantur ſequi.*

27 *Filia ex iure Canonico non poteſt exhæredari, eo quod nupſerit inuitis parentibus ob libertatem matrimonij & ideò neque pœna appoſita in ſponſalibus eſſet valida; neque Princeps, aut Iudex ſæcularis poteſt ſe ingerere in cauſis matrimonialibus.*

28 *Parentes tenentur aſſignare dotem filiæ nubentis ipſis inuitis, ſi habeat vltra annos 25. vel ſi digno nupſerit; ſi autem indigno, non tenentur, niſi ad alimenta.*

1 EST breuiter ſciendum; metum in communi diuidi in metum cadentem in conſtantem virum, & in metum cadentem in virum inconſtantem; vt ſumitur ex c. veniēs, & ex c. conſiderationi de ſponſ. & ex c. Dilectus, de his, quę vi, ſolēt etiā appellari metus grauis, & leuis, ſeu vanus, vel metus probabilis, & improbabilis. Dicitur metus cadens in virum conſtantem, eo quod vir conſtans iuſtè, & probabiliter cōterritur, è contra metus cadens in virum inconſtantem eſt, quem conſtans vir timere non debet, cum ſit in ſe leuis, & vanus. Quinque tamen requiruntur conditiones, vt metus dicatur grauis, ſeu cadens in cōſtantem virum. Prima eſt, vt id, quod timetur ſit in ſe graue, & non per comparationem ad minus malum, vt volebat Sylu. verb. metus q. 1. Vnde iuxta hunc Doctorem; dummodo quis eligat minus malum qualecunque ſit, ad euitandum maiùs malum, erit metus grauis; Sed contrarium eſt dicendum, nempè eſſe neceſſarium, vt malū, quod timetur, ſit in ſe graue. Vt optimè docet Sot. 4. d. 29. q. 1. art. 2. Secunda conditio eſt, vt quis rationabiliter, & probabiliter credat dictum malum ſibi venturum; Vt idem docet Sot. loc. cit. verb. Alterum verò. D. Tho. 4. d. 29. q. vnica, art. 2. in cor. & alij. Tertia conditio eſt, vt metum incutiens, poſſit minas executioni mandare; nō enim eſt viri conſtantis quibuſcunque terreri minis. Angelus verb. metus, nu. 1. Sot. lib. 7. de iuſtit. q. 2. art. 1. ad 2. verb. aut tamen. Quarta conditio eſt, vt qui metum incutit, ſit ſolitus minas exequi, ſecùs ſi ſit homo facilè minas iactans, & parum, aut nihil exequutioni mandans. Couar. 4. decret. 2. p. cap. 3. §. 6. num. 4. Quinta conditio eſt, vt ille, cui metus fuit incuſſus, non poſſit faciliter occurrere minis ſibi factis. Angelus verb. metus num. 5. Sylu. ibidem num. 1. & fuſiùs Sanchez lib. 4. diſp. 1. cum multis alijs. Eſt etiam duplex metus grauis, nempè alius abſolutè grauis, & alius reſpectiuè grauis ratione ſexus fœminei, vel ætatis, &c. Vt iam diximus in 2. lib. de contract. c. 4. nu. 1. & 2. & fusè Sanch. lib. 4. diſp. 3.

2. Verum autē metus grauis cenſeatur, ſi malum, quod minatur metum incutiens, ſit venturum in perſonam non propriam, ſed conſanguineorum, vel affiniū? & de filijs, & vxore certū eſt, nempè, ſufficere ad metum grauem, timere mala in perſona filiorum, aut vxoris, eſt expreſſa doctrina D. Tho. 4. d. 29. q. vnic. ar. 2. ad 2. Poteſt etiam extendi dicta doctrina ad alios vltra filios, & vxorem; Nam D. Tho. ait, ſi timeatur malum in perſona filiorum; aut vxoris, aut aliorum huiuſmodi; nec exprimit, quas perſonas intelligat per illud verbum aliorum huiuſmodi; Angelus autem verb. metus nu. 1. ait, Vxoris, aut filiorum, aut ſimilium perſonarum; Syluest. eodem

verb.

verb.q.1.Tabbien.verb. impedimentum, impedimen.9.q.1.num.2.& alij loquuntur eodem modo, ac D. Thom. Attamen dicendum eſt,eſſe metum grauem, ſi malum timeatur non ſolum in filijs; ſed etiam in parentibus reſpectu filiorum; & idem etiã dicitur de alijs aſcendentibus, cum filij illos venerentur tanquam parentes. Ita Innocent.cap.cum locum de ſponſal.num.5. Alex.de Neuo.num.2.& alij. Idem etiam dicitur de fratribus, & cæteris conſanguineis,nam omnes cenſentur vna caro, cum ex eodem ſtipite deriuentur; Vnde P.Aug. vt habetur cap. Non exiſtimemus, 13.q.2. *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit*. Et patet expreſsè hæc doctrina ex cap. Sciant cuncti de elect.in 6. Vbi timor illatus conſanguineis electoris, cenſetur illatus ipſi electori; Extenditur etiam dicta doctrina ad arctiſſimum amicum; imò etiam ad domeſticos, quãdo tamen inde oriretur grauis iniuria,vel graue damnum,quod meritò poſſet timeri à viro conſtante. Multò magis extenditur etiam dicta doctrina ad affines,ſcilicet ex matrimonio, non autem ex fornicatione. Menochius de arbitrar. lib.2.centur.2.caſu 135.nu.8.Sanch. lib.4. diſp.4.n.11.

3. Quæ autem ſint mala, quæ poſſunt afferre metum cadentem in conſtantem virum, ſeu grauem? Reſpondeo breuiter, dicta mala numerari non poſſe,cum multa ſint,ideò communiter Doctores id remittunt ad iudicis arbitrium in foro externo. vt Sot.4.d.29.q.1.art.2.Couar.4.decret.2. p.cap.3.§.4.num.8.Sylu.verb. metus qu.1. Pro foro autem interno, relinquitur arbitrio prudentis viri; Multa tamen mala ſolent numerari à Doctoribus, vt ex illis cognoſcantur alia,vt eſt malũ magni exilij; Carcerationis diuturnæ, tormentorũ, periculum honoris,& famæ,ſeruitutis,ſtupri, & ſimilium,vt iam etiam diximus in lib. 2. de contractibus cap.4.num.1.& 2.& videri poſſunt apud Sanchez lib.4.diſp.5. Qui in num. 16. addit metum excommunicationis iniuſtæ, eſſe metum cadentem in cõſtãtem virum; quia etiam talis excommunicatio priuat excommunicatum conſortio humano, quod non eſt leuis pœna vltra notam infamiæ, quam affert. Addit etiam metum amiſſionis bonorũ omnium vel alicuius partis, ſine qua commodè quis ſubſtentari non poſſit. Angelus ver. metus num.3.Sylu.verb. q.3. Sanch.n.22. & ſeqq. Vtrum autem timor reuerentialis Patris ſit metus grauis, relictis varijs opinionibus. Dico abſolutè loquendo non eſſe talem; niſi Pater adderet minas graues,& crudeles,& eſſet ſolitus minas exequi, & ſæuitiam exercere; quibus ſecluſis ſi filia, vel filius contraheret matrimoniũ, tantum ob timorem reuerentialem, eſſet validum matrimonium. Sanch.lib.4. diſp. 6.nu.7. & ſeqq.Molin.lib.2.de primogen. cap.3.num.9.Sot.4.d.29.q.1.art.2.& li.7. de iuſtit.q.2.art.1.ad.2.in fin.& quamplur. alij.

4. Neque dicas, metus reuerentialis annullet profeſſionem,vt plures Doctores docent. Scilicet, Rodriq.2.tom.ſumm.ca. 6.n.6.Nauarr.c.22.nu.51.ver.octauum,& c.Non dicatis,12.q.1.in 1.edit.n.63.& cõment.2.de regular.num.31.in fine,& alibi. Ergo talis metus annullabit etiam matrimonium,cum tam ad profeſſionem, quam ad matrimonium requiratur liber conſenſus,eo quod agatur de electione ſtatus.Tamen reſpondetur, probabiliorem opinionem eſſe illam, quæ aſſerit, dictum metum reuerentialem non ſufficere per ſe ſolum ad reddendam inualidam profeſſionem; niſi adſint minæ, vel ſæuitia modo explicato num. anteced. alioquin profeſſio erit valida, & probatur ex cap.Puellæ, 20.q.1. Vbi textus ad annullandam profeſſionem puellæ ponderat non ſolum imperium Patris; ſed etiam coactionem;& ita docet Abbas c.Cum virum de reg.n.8.Igitur neq; ad annullandã profeſſionẽ, ſufficiens erit metus reuerentialis, niſi niſi adſit periculum alicuius damni grauis, vel ſæuitiæ. Idem docet Couar.4.decretal.2.p. ca.3.§.6.n.7. & 8.Sanchez lib.4.diſp.6.nu.18. cum alijs multis.

5. An autem præces importunæ poſſint afferre metum cadentem in conſtantem virum? Et multi affirmatiuè reſpondent? Alij autem reſpondent negatiuè; Imò etiam ſi dictæ præces fuerint factæ à perſona, cui deberetur reuerentia; nec illas ſufficere ad incutiendum metum graſuem

nem, ſeu cadentem in conſtantem virum, ita Abb. cap. Cum inter de elect. num. 8. vbi ait, præces inſtantiſſimas Principum nõ inducere iuſtum metum ad reſcindendum actum, niſi ſæuitias ſoleant in ſibi non obtemperantes exequi. Attamen probabilius eſt dicendum dictas preces importunas iunctas cum metu reuerentiali, ſufficienter poſſe incutere timorem cadentem in conſtantem virum. Patet hæc ſententia ex cap. Petitio de iureiurando, vbi dicitur, iuramentum, quod Antiochenus Princeps extorſit, non eſſe ſeruandum. Et rationem addunt Innoc. Hoſtien. Ioan. Andr. & alij, quia precibus importunis extorſit; & in proprijs terminis profeſſionis, & matrimonij; docet annullari per dictas preces importunas cum metu reuerẽtiali Couar. 4. decreta. 2. p. c. 3. §. 6. in fin. & alij, quos ſequitur Sanch. lib. 4. diſp. 7. n. 5.

6. Sed vtrum contractus celebrati per metum cadentem in virum cõſtantem ſint ipſo facto nulli, an annullandi? Reſpondeo de hac quæſtione multa nos dixiſſe in li. 2. de contractibus cap. 4. Adhuc tamen repeto, non eſſe ipſo iure nullos; ſed annullandos, vt patet ex pluribus iuris locis, vt ex cap. 2. de his, quæ vi in fine, vbi dicitur, *Quæ metu, & vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari.* Igitur non ſunt ipſo facto irriti, & ex l. fin. Cod. de his, quæ vi, vbi ſimiliter habetur, *Venditiones, Donationes, Tranſactiones, quæ per potentiam extortæ ſunt, præcipimus infirmari.* Igitur tantum iuris remedio ſunt infirmandi, aliqui tamen dantur caſus, qui ſunt ipſo iure nulli, eo quod ſint metu facti, inter quos numeratur matrimonium, vt videri poteſt in lib. 2. de contract. cap. 4. num. 5. Nota etiam, tunc contractus metu factos eſſe irritandos, quando metus iniuſtè fuerit incuſſus; Secus ſi iuſtè, vt ſi Petrus extorqueat à Paulo obligationem reſtituendi ſibi cẽtum aureos, quos ei furatus eſt, alioquin minetur accuſationem coram iudice; erit iuſtus contractus, ſecùs ſi minetur vulnera, mortem, & ſimilia, quæ iuſtè fieri non poſſunt priuata authoritate; Sanchez lib. 4. diſp. 8. num. 8. Angelus verb. metus num. 10. Sylu. q. 6. & alij plures.

7. Quæritur tamen; quonammodo metus grauis iniuſtè incuſſus irritet matrimonium? Sed primò eſt aduertendum, metum dupliciter eſſe, ſcilicet ab intrinſeco, vel à cauſis naturalibus, vt à tempeſtate, à morbo, à feris, animalibus, &c. Alter verò dicitur metus ab extrinſeco, vel metus incuſſus à cauſa libera; vt dum quis metuit latrones, vel inimicos, in quos incidit. Et hic metus à cauſa libera, vel incutitur ad finem extorquendi matrimonium, vel aliam rem; & ſi incutiatur ad finem matrimonij, poteſt incuti iuſtè, vel iniuſtè, & de cauſa libera iuſtè extorquente matrimonium, dicemus infrà; de iniuſtè extorquente dico primò. Quoties metus non eſt incuſſus ad extorquendum matrimonium, ſiue proueniat à cauſa naturali, ſiue libera, & quamuis metus grauiſſimus ſit, non reddit irritum matrimonium. Hæc doctrina eſt certiſſima apud omnes, ex qua primò infertur matrimonium contractum cum concubina metu mortis, naufragij, beſtiarum, Inferni, & ſimilium, eſſe firmum, & validum. Ita Sot. 4. d. 29. q. 1. art. 3. Couar. 4. decret. 2. p. cap. 3. §. 4. num. 16. Sanch. lib. 4. diſp. 12. num. 4. Filiucc. tract. 10. de matrim. cap. 4. n. 103. P. de Ledeſma de matrim. q. 47. art. 3. du. 1. Secundò infertur; matrimonium contractum de conſilio medicorum ad effugiendam mortem ob multũ humoris abũdantiam, quam quis pateretur: eſſe etiam validum. Sot. & alij cit. Tertiò idem eſt etiam dicendum, de matrimonio contracto per coniectum in carcerem, dummodo non fuerit ibi coniectus ad hunc finem. Innoc. cap. Cum locum num. 2. de ſponſal. Hoſtienſ. ibidem. Ioan. Andr. num. 2. Abb. num. 9. Quartò idem dicitur de matrimonio contracto cum meretrice, vel ab ipſo violata, & cap. ad refugiendam ſententiam mortis, ad quam iuſtè damnaretur, vel damnatus eſſet. Sot. ibidem. Corduba ſum. qu. 171. pun. 1. qui ſimiliter addunt idem eſſe dicendum, ſi alius offerat immunitatem a morte, dummodo talem fœminam ducat, idem docet Sotus, & alij. Imò etiam ſi Iudex promittat condonationem mortis, vel alterius grauis pœnæ iuſtè infligendæ, dummodo ipſius iudicis filiam, vel aliam ducat, adhuc validum

erit

erit matrimonium. Couar.loc.cit.§.4.nu. 15.P.Ledeſma de matr.q.47.art. 3. dub.1. concluſ.3. Idem eſt dicendum ſi Princeps contraheret cum filia obſidentis, vt liberaretur ab obſidione, Sot.loc.cit. Item ſi inuentus cum filia alicuius, offerat ei matrimonium, vt effugiat mortem; & tandē idem eſt dicendum, ſi ægrotus duceret filiam medici, qui cum curare nollet, niſi contraheret dictum matrimonium, Sanchez num.15.Filiuc.loc.cit. & alij plures.

8. Dico ſecundo, matrimonium contractum ob metū grauem illatum iniuſtè à cauſa libera, eſſe nullum in vtroq; foro; eſt communis doctrina Doctorum in cap. 2.de his, quæ vi, &c. cum locum de ſponſalibus. Docet D.Thom.4. d.29. q. vnica art. 3.quæſtiunc.1.in corpore, Sot.ibi q. 1. ar.3.verſ.reputetur tamen,P.Sot.lect.3.de matr. §.3. Syluest. verb. matrimonium 8. quæſt.11. Nauar. cap.22.num.51.in fine; & ratio eſt, quia matrimonium ſolo conſenſu perficitur, vt omnia iura, & Doctores proclamant. Quod intellige, etiā ſi metus eſſet illatus ad contrahendū matrimonium cum aliqua non certa; ſed ad ſuam electionem, vt v. g. cum vna ex filiabus Titij, vel alia quauis illi placuerit; nam adhuc matrimonium eſſet nullum, ſi fuiſſet contractum ratione dicti metus; vt optimè Sanchez lib.4.diſp.12.num.20.

9. Alia quæſtio eſt, vtrum matrimonium contractum ex timore, & metu graui iuſtè illato, ſit irritum? & tres adeſſe opiniones, aſſerit Sanchez lib.4. diſp. 13. prima aſſerit, dictum matrimonium eſſe irritum; & ratio eſt, quia ad matrimoniū, & profeſſionem requiritur ſumma libertas, & quocunq; modo metus inferatur, nunquam poterit dici liberus conſenſus; vnde licet quis licitè poſſet minare accuſationem coram iudice ei, quem reperiret cum filia; tamen cenſetur iniuſta actio, quatenus fit ad extorquendum matrimonium. Ita Rodriquez 2.tom.ſummæ c. 93. num.3.Ledeſma 2.par.4. q.49. art. 3. fol. 456.§. Dubium tamen eſt, vbi hanc regulā generalem tradit; omnis metus incuſſus ad finem extorquēdi matrimonium, quāuis ob alios fines eſſet iuſtus, iniuſtus eſſet, illudque irritat, iiſdem ferè verbis vtitur Couar.4.decretal.2.par.cap.3.§.4.nu. 15. & plures alij, quam ſententiam probabilē vocant Sanchez lib.4.diſp.13.num.1. in fin.& Filiucc.tract.10.de matrim.cap.4.n. 106. Secunda ſententia ait, ſi metus fuerit lege incuſſus, valere matrimonium, dūmodo ab habēte auctoritatem incutiatur, v. g. lex præcipit, vt ſtuprator morte officiatur, niſi ſtupratam ducat, tunc licet Iudex minetur mortem ſtupratori, tamen ſi matrimonium contrahat, validum erit. Ita Sot.4.d.29.q.art.3. Corduba ſumm.q. 171.pun.1.& alij. Et hæc etiam ſententia probabilis eſt. Tertia tamen, quæ probabilior eſt, ait, metū grauem iuſtè illatum, ſiue à iudice, ſiue à quouis alio, non reddere irritum matrimonium; Et ratio, quam cōmuniter Doctores tradunt, eſt, quia qui crimen committit, vel aliud malum graue patitur, ipſe ſibi metum infert, & qui illum procurat liberare à pęna delicti, vel à malo, quod patitur offerendo matrimonium, non dicitur vim inferre; ſed ei offerre opportunum remedium, vnde matrimoniū validum erit, cum quilibet liberè cenſeatur conſentire in id, quod ſibi prodeſt. Ita Sanchez lib.4.diſp.13.num.3. Et idem ait eſſe intelligēdum de profeſſione, & de voto, vt docet etiam Sot. lib.7. de iuſtit.q. 2. art 1.vbi ait, exigi, vt metus incutiatur ab homine per iniuriam, vt votum irritet, & ſumitur ex Nauar.lib.3. conſil. tit. de reg. conſil.27.num.3.in 1.edit.& in 2. lib. 1.tit. de his, quę vi conſil.8.num.3.& ex Rodriq. 2.tom.ſummæ cap.8.concluſ.10. qui aſſerunt, metum iuſtè incuſſum, non irritare actum; & ibi loquuntur de profeſſione Religionis; ſequitur Filiuc.in cit.c.4.n.107.& alij multi.

10. Eſt hic notandum, vanum, & friuolum eſſe illud remedium, quo vtuntur iudices, dum nolunt concedere facultatem carcerato matrimonium contrahēdi, intra carcerem, cum fœmina à dicto carcerato ſtuprata; ſed illum extrahi faciunt aliquātulum extra illum in loco viciniori, non tamen dimiſſum; vt ibi contrahat. Nam non intelligitur liber, & abſolutus, qui quamuis ſit à vinculis liberatus, vel è carcere aliquantulum eductus; tamen adhuc comprehenſus manet; nec liberam habet facul-

facultatem ſua libertate vti; & ideò meritò Barthol. l. qui in carcerem, num. ff. de eo, quod metus cauſa, Alex. de Neuo, ca. Cum locum nu. 16. de ſponſalib. Decius conſil. 219. num. 9. volum. 2. & alij plures, quos ſequitur Gutier. de iuramen. 1. p. c. 51. n. 10. & Sanch. li. 4. diſp. 13. n. 4.

11. Secundò eſt notandum; matrimonium eſſe nullum, ſi iudex compellat abſolutè ſtupratorem, vt ducat ſtupratam; quod intellige, ſi verè per vim, & non ex animo ſtuprator matrimonium contrahat. Et ratio eſt, quia iudex iniuſtè agit contra talem ſtupratorem; cùm tantum debeat cogere, vt ducat, vel dotet, ex Sanch. nu. 7. vide tamen eá, quæ diximus 6. in lib. 1. de reſtit. c. 11. n. 2.

12. Sed quæritur, an dictus metus grauis irritet matrimonium iure naturali, & diuino; an tantummodo iure Eccleſiaſtico? ſunt duæ opiniones, & ambæ quidem probabiles; prima ait dictum metum grauem irritare matrimonium iure naturali diuino, ita D. Thomas 4. d. 29. q. vnica, ar. 3. quæſtiunc. 1. in con. Vbi probat matrimonium coactum, eſſe nullum ex ipſa ratione matrimonij, quia opponitur perpetuitati; & ideò Eccleſiam iudicare, dictum conſenſum non eſſe ſufficientem ad matrimonium, per quod verbum, iudicare, intelligitur, Eccleſia non ratione legis à ſe latæ, putare tale matrimonium nullum; ſed tantum iudicare illud nullum; eo quod ita ſit ex ſui natura; idē colligitur ex Richard. 4. d. 29. ar. 1. q. 1. in cor. dum ait, nec Deum, nec Eccleſiam velle, vt coactus maneat ligatus tali matrimonio, expreſsè id docet Scot. d. 20. q. vnica, §. De ſecundo dico, D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 7. & alij. Secunda ſententia docet, tale matrimonium eſſe tantū irritum iure Eccleſiaſtico; ita Nauar. c. 22. num. 50. Sylueſt. verb. matrimonium 8. q. 11. dicto 3. Sanchez lib. 4. diſp. 24. num. 2. Filiuc. tract. 10. de matrimonio c. 4. n. 109. & alij apud ipſos. Ratio; quæ mihi videtur potiſſima huius opinionis eſt, quia in baptiſmo adulti, requiritur eius voluntas, alioquin non erit baptiſmus, & tamen dicta voluntas, licet, coacta, dummodo verè adſit, ſufficiens eſt ad baptiſmum, ex cap. Maiores de baptiſmo, & cap. de Iudæis, d. 45. Idem etiam dicitur de iuramento, nam ad illud requiritur libertas, & tamen, licèt coactè præſtetur, adhuc matrimonium obligat, & firmum erit, cap. verum, & cap. Si verò de iureiurando; igitur ſi matrimoniū ac etiam votum irritantur ex metu graui, hoc tantum erit ex iure Eccleſiaſtico, & ob has, & alias rationes multi Doctores vocant vtramque opinionem probabilem, vt Sot. 4. d. 29. q. 1. art. 3. Molina autem lib. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 326. in ſolut. ad 2. fol. 442. Abſolutè tenet primam opinionē. Vnde ſequitur, matrimonium contractum inter fideles per metum grauem, eſſe validum iuxta ſecundam opinionem; quod tenet P. de Ledeſma eo quod teneat dictam opinionem de matrim. q. 49. art. 3. dub. 1. concluſ. 5. in fin. & approbat Sanchez loc. cit. nu. 3. Niſi inter dictos infideles adeſſet ſtatutum ciuile tale matrimoniū irritans.

13. Vtrum autem matrimonium tali metu contractum, ita ſit irritum, vt omninò nullam obligationem pariat ex parte vtriuſq; ita vt alter ab altero, etiam inuito poſſit reſilire, licet metus fuerit ab alio incuſſus? Reſpondeo nullam oriri obligationem ex parte vtriuſq; ſed ſi coactus deinde conſentiat antequam alter conſēſum reuocet, matrimonium erit validum; dummodo vitium ſeu defectus conſenſus fuerit occultus, vt explicauimus c. antec. nu. 16. & 17. poteſt etiam dictus alter ſtatim cognita inualiditate matrimonij reſilire, & reuocare conſenſu; dummodo ipſe non fuerit particeps metus iniuſtè illati; nam ſi fuerit particeps, non poterit ſtatim reſilire altero inuito; ſed tenetur expectare per aliquod tempus congruum ad arbitrium prudentis viri; an coactus velit verè conſentire, & matrimonium perficere; quod eſt verum, ſi ad id fuerit per iudicē condemnatus, ſed in foro cōſcientiæ poſſet ſtatim reſilere. Filiuc. d. cap. 4. nu. 111. Sanchez lib. 4. diſp. 15. per totam, Richar. 4. d. 29. art. 2. q. 1. & alij plures apud ipſos.

14. Sed vtrum patiens metum graue, ſcilicet, cadentem in conſtantem virum, mortaliter peccet contrahendo matrimonium? Et negatiuè abſolutè reſpondendū eſt, quidquid aliqui dicant, vel diſtinguāt; nam dicendo, Accipio te in vxorem, nulli in-

li infert iniuriam, ſed potiùs ipſe illam patitur; nec adeſt iniuria Sacramenti, quia in tali contractu nullum eſt Sacramentũ; vnde nulla adeſt cauſa vnde oriri poſſit culpa mortalis; alij putant adeſſe tantum culpam venialem, vt Filiuc. tract. 10. de matrim. cap. 4. nu. 112. neq; eſt malum graue, eo quod Sacramentum fiat nullum; nã hoc non eſt ex parte patientis metum, cũ ipſe iam conſentiat eo modo, quo ei expedit conſentire; ſed eſt nullum ex decreto, vel declaratione Eccleſiæ; igitur nulla culpa ei imputari poteſt; quod videtur tenere Scot. 4. d. 29. q. vnica §. de ſecundo dico verſ. reſpondeo, Couar. 4. decretal. 2. par. cap. 3. §. 4. & alij; vide Sanchez lib. 4. diſput. 16.

15. At dubium eſt, an fiat validum, & firmum matrimonium metu graui contractum; ſi ſequatur copula ſimili metu extorta. Et reſpondeo in primis certum eſſe, tunc tantum fieri validum matrimonium, ſi ſequatur copula affectu maritali habita; nam ſi fuerit habita affectu fornicatio, ſiuè fuerit facta ex ſpontanea voluntate, ſiue ex metu graui, matrimonium nunquam erit validum, vt ex doctrinis ſupra traditis ſatis conſtat. Secundo ſupponendum eſt, matrimonium etiam validum fieri per copulam metu leui extortam; vt Richard. 4. d. 39. art. 2. q. 2. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 7. ad fin. Tertiò, eſt ſupponendum, matrimonium etiam fieri validum per diuturnam mutuã cohabitationem; ſed hoc aſſeritur tantum pro foro externo, pro quo multa notat Sãchez lib. 4. diſp. 18. à num. 3. vſque ad 12. Pro foro enim interno, quæuis longa cohabitatio nunquã perficit matrimonium, niſi adſit copula effectu maritali habita, quibus ſuppoſitis. Ad dubium propoſitum reſpondeo negatiuè, & patet ex doctrina in principio tradita; nam ad matrimoniũ contrahendum, eſt omninò neceſſarius liber conſenſus amborum contrahentium verbis, vel ſignis expreſſus, ſed per copulã vi habitam, non poteſt cenſeri liber conſenſus, igitur neque poterit dari matrimonium; hanc ſententiam, licet ex alijs rationibus amplexus eſt Sanchez loc. cit. nu. 15. Filiuc. tract. 10. de matrim. cap. 4. nu. 113. & 114. & alij multi; quamuis non deſint contrarij; ſed eorum rationes potius faciũt pro foro externo, cum ex quibuſdam præſumptionibus velint matrimonium eſſe validum; ſed pro foro conſcientiæ, nequaquam quis poteſt diſcedere à noſtra ſententia.

16. Secundum dubium eſt, an metus leuis aliquãdo poſſit reddere matrimoniũ nullum? Reſpondeo breuiter, negatiuè abſolutè loquendo, ſcilicet, quando verè metus eſt leuis conſideratis omnibus circumſtantijs; & ſi aliquis metus reſpectu ſexus fœminei, minoris, ætatis, vel ſenectutis &c. cenſeretur grauis, quamuis eſſet leuis reſpectu viri cordati; tunc certum eſt, quod matrimonium eſſet nullũ, quia procederet à metu graui reſpectiuè; grauitas enim metus eſt iuxta arbitrium prudentis viri iudicanda, conſideratis circũſtãtijs perſonæ, &c. Vnde cum iura proclament matrimonium contractum per metum grauem, ſeu cadentem in conſtantem virum, eſſe nullum; neceſſariò dicendum eſt, quod etiam tale matrimonium ſit nullum; hanc ſententiam tanquam probabiliorem ſequitur Sanchez lib. 4. diſp. 17. num. 3. ex D. Thom. 4. d. 29. q. vnica art. 3. quæſtiunc. 1. in corp Bonauent. eod. diſt. q. 1. num. 4. Durand. q. 2 num. 5. & 9. Richar. art. 1. q. 1. idem docet Sot. in cit. d. q. 1. art. 3. Filiucc. tract. 10. cap. 4. num. 116. & 117. Couar. 4. decret. 2. d. c. 3. §. 4. in princ. Angelus ver. metus num. 7. & verb. impedimentum, impedimento 11. & alij multi; non deſunt tamen, qui contrarium docent, nempè metum leuem annullare matrimonium in foro conſcientiæ, quando tamen quis ob dictum metum conſentit, alioquin non conſentiret; quam opinionem etiam probabilem vocat Sanchez loc. cit. num. 4. & ratio huius opinionis poteſt eſſe, quia Chriſtus, licet eleuauerit matrimonium ad Sacramentum, non tamen mutauit naturam cõtractus; at contractus initus per metum leuem dans tamen cauſam contractui, irritat illum, ergo ſimiliter matrimonium ex tali metu procedens, erit irritum. Ita tenet Nauar. cap. 22. num. 51. & in pluribus alijs locis, Rodriquez 2. tom. ſummæ ca. 8. num. 10. & alij, tamen reſponderi poteſt ad dictam rationem, multam adeſſe differen-

ren-

Digitized by Google

rentiam inter contractum matrimonij, & alios contractus, nam contractus matrimonij eſt omninò indiſſolubilis, & affert ſecum multas alias qualitates, quam non habent cæteri contractus, & ideò meritò Eccleſia ſemper declarat matrimonium metu graui contractum, eſſe nullum, non autem alios contractus; & ſecundum aliã opinionem, quæ tenet matrimonium metu graui contractum, eſſe nullum iure Eccleſiaſtico, reſpondendum eſſet, Eccleſiam velle hunc contractum eſſe nullum, & non alios.

17. An autem idem ſit dicendum de ſponſalibus, nempe vtrum ſponſalia metu graui, ſeu cadente in cõſtantem virum inita, ſint ipſo facto nulla, ſicut matrimoniũ; an ſint annullanda? Reſpondeo eſſe ipſo facto irrita, vt patet expreſsè cap. ex litteris de deſpõſ. impuber. vbi habetur ad irritandum ſponſalia requiri metum cadentem in virum conſtantem; ſunt tamen, qui putent tantum eſſe irritanda. Quorum ſententiam etiam probabilem vocat Sãchez lib. 4. diſp. 19. num. 3. ſequitur Filiuc. tract. 10. c. 4. n. 118. & 119.

18. Quid autem ſit faciendum, ſi ad matrimonium cõtractum per metum grauem, fuerit additum iuramentum? Reſpondeo, quatuor in hoc quæſito eſſe videnda. Primum an actus inualidus, & à iure reprobatus, ſi firmandus ſit iuramento; debeat tale iuramentum ſpontè, & liberè præſtari? Secundum, an dictum iuramentum, licèt metu leui extortum poſſit per Epiſcopum relaxari? Tertium, an matrimonium metu graui contractũ, reddatur validum, ſi addatur iuramentum? Quartum an ſaltem dictum iuramentum relaxatione indigeat? Et quoad primum; eſt antea notandum; certum eſſe iuramentum metu graui extortum non firmare cõtractus nullos, & à lege reprobatos; ſed quæſtio tantum eſt, an licet contractus ſit nullus, nec firmetur iuramento; tamen dictum iuramentum obliget ad illum ſeruãdum, vel ad diſpenſationem accipiendã? & multi Doctores aſſerunt dictũ iuramentum nec obligare, nec indigere relaxatione, quam ſententiam tenent D. Anton. 2. par. tit. 10. cap. 6. §. quintus caſus eſt, Angelus verb. iuramentum 5. num. 10. Abbas c. cum contingat de iureiur. nu. 3. & alij multi, quam probabilem vocat Sanchez lib. 4. diſp. 20. nu. 3. in fin. & receptam eſſe inter iudices ſæculares teſtatur Couarr. 4. decretal. 2. par. cap. 3. §. 5. num. 2. Fundatur hæc opinio in cap. quamuis pactum de pactis in 6. cap. 2. de iureiur. in 6. & cap. cũ contingat de iureiurando, in quibus textibus dicitur. *Pacta renunciationis legitimæ, & alienationis fundi dotalis, eſſe irrita, ſecluſo iuramento præſtito abſq; vi, & dolo*; Igitur ſi adfuerit vis, & dolus iuramentum erit irritum, & pari modo ſi adfuerit metus grauis, cum dolo comparetur. Secunda ſententia ait, iuramentum appoſitum in contractibus, licet inualidis, & licet metu graui extortum, obligationem parere, & indigere relaxatione; ita Sanchez loc. cit. nu. 4. Couar. loc. cit. Molina 9. ca. lib. 2. de primogen. cap. 3. num. 13. P. Molina tom. 1. de iuſtit. tract. 2. diſp. 149. fol. 441. §. quatuor iuribus, & alij plures; & ratio eſt quia Deus eſt; qui acceptat obligationem iuramenti, nec vult Deus vt ſuum ſanctum nomen in falſum teſtem adducatur; hæc opinio in praxi tanquam tutior eſt ſequenda; attamẽ primam etiam veram omninò puto; cum ad hanc rationem faciliter reſpõderi poſſet, Deum nõ eſſe acceptatorem rerũ irrationabiliũ, & ideò iuramẽta irrationabilia ſunt omninò irrita; & dum quis iurat ex metu graui, eſt actio irrationabilis ſaltem ex parte inferentis metum, nec rationabiliter putandum eſt velle acceptare iuramentum in damnum innocentis per metũ iurantis, & in beneficium rei compellentis ad illicita, vt benè conſideranti patebit.

19. Quoad ſecundum, an dictum iuramentum, licet per metum leuem extortum, poſſit per Epiſcopum relaxari? Et affirmatiuè eſt reſpondendum in foro conſcientiæ; nam licèt pro foro externo non ſufficiet metus leuis ad reſciſſionem cõtractus; tamen pro foro conſcientiæ vtique ſufficit, cum nullus debeat reportare commodum de ſua iniquitate, vt eſſet in tali caſu, reportaret enim inferens metum, licèt leuem, commodum de ſua turpitudine, Sanchez lib. 4. diſp. 20. num. 9. D. Antonin.

nin.2.par.tit.10.cap.6. quintus caſus; Lopez de contract.cap.17.§.quod ſi hæc ſententia, & alij.

20. Quoad tertium, an matrimonium metu graui contractum, ſi firmetur iuramento, reddatur validum? Et omninò negatiuè reſpondendum eſt, quia ſi tale iuramentum validum redderet matrimonium, vanum eſſet remedium impoſitum ab Eccleſia contra huiuſmodi coactores; declarando, vel decernendo, tale matrimonium eſſe irritum; qui enim compellit ad matrimonium, poſſet etiam compellere ad iuramentum, & hoc modo remaneret deluſa mens Eccleſię. Deinde iuramẽtum ſortitur naturam contractus, vel actus cui apponitur, & cum cõtractus matrimonij debeat omninò eſſe liber, iuramentum ſemper ſupponet. Dummodo matrimoniũ liberè contrahatur, ex Sanchez loc. citat. num.12.Corduba ſumma q.171.punct.1. Syluest.ver.matrimonium 8.q.11. Armilla eodem ver.num.41.Filiuc.tract.10.cap. 4.num.120.& alij.

21. Quoad quartum, an iuramentum additum matrimonio metu graui contracto, obliget, & indigeat relaxatione? Reſpondeo ſi iuramentum apponatur matrimonio contracto per verba de præſenti v. g. iuro me te ducere; tunc ſi matrimonium eſt omninò nullum, iuramentũ etiã erit nullũ, nec relaxatione indigebit, Sot. 4.d.29.q.1.ar.3. P.Ledeſma de matrim. q. 47.art.3.dub.2.fol.216. Barthol. à Ledeſma de matr.dub.23.poſt.3.concluſ. Arag. 2.2.q.89.art.7.concluſ. 4. & alij plures, & ratio eſt, quia tale iuramentum eſt aſſertorium, & iuramentum aſſertorium ſtatim eſt verum, vel falſum, & ideò non datur locus relaxationis, vt docet D.Thom.2.2. q. 89. art.9.in cor. nec dictum matrimonium ita contractum valere poteſt ſaltem, vt ſponſalia, quia eſt omninò irritum, eodem modo, ac ſi fuiſſet matrimonium clandeſtinũ, de quo iam in principio probauimus, nec valere, vt ſponſalia, quia alioquin non eſſet omninò irritũ prout illud declarat Cõcil. Trident. vt diximus. Si autẽ matrimonium contrahatur per verba de futuro, & addatur iuramentum de non contraueniẽdo tali matrimonio, tunc niſi poſtea adſit nouus conſenſus, matrimonium erit ſimiliter nullum, nec aliqua indigebit iuramẽti relaxatione; At ſi iuramentum ſit de non contraueniendo; ſed conſentiendi nouo conſenſu; tunc perinde eſt, ac ſi matrimonium non eſſet contractum; & iuramentũ eſſet nullum, & irritum nulla indigens relaxatione iuxta probabilem ſententiam, quam diximus ſupra nu. 18. Sanchez lib. 4.diſp.20.num.17.& ſeqq. Filiuc. in cit.ca. 4.num.121.& ſeqq.

22. Vtrum autem idem ſit dicendum de contractu ſponſalium per metum grauem inito? Reſpondeo primam opinionem aſſerere, tale iuramentum, licèt non confirmet contractum, cum ex ſe ſit inualidus, tamen obligare, vel indigere relaxatione. ita Sot. lib.8. de iuſtit. q.1.art.7.in ſolut. ad 3.P. de Ledeſma de matrim.q.47. art.3.dub.3.Syluest.verb. Sponſalia qu.6. in fine, & alij. Et ratio eſt, quia tale iuramentum poteſt obſeruari abſque vllo animæ diſpendio, & nulla adeſt cauſa, vt non obſeruetur; & confirmatur, quia iurans ſoluere vſuras, vtique ad ſoluendum tenetur, & tamen agitur de contractu illicito, igitur eodem modo, iuramentum in contractu ſponſalium appoſitum obligabit, niſi accipiatur relaxatio. Secunda ſententia docet, tale iuramentum minimè obligare, nec indigere relaxatione; Ratio eſt, quia quãdo cõtractus prohibetur ob publicam vtilitatẽ, tunc licet, addatur iuramentum, nullam obligationem parit; nec indiget relaxatione, vt probat Sanch. lib. 1.diſp.32.num.9.& lib.4.diſp.21. num.3. docet Richard.4.d.29.art.1.q.2. Licèt aſſerat primam opinionem eſſe probabiliſſimam; Et multi licet hanc opinionem teneant, tamen aſſerunt, ſecuriùs, relaxationem petendam eſſe. Ita loquitur Caiet. ſumm. verb. periurium, ca. de periurio promiſſorio ad §. Caput 3. vbi ſic ait. *Iuramentum metu extortum de contrahendo, videtur relaxatum ipſo iure, at tutius eſt relaxationem petere.* Vide Sanch. lib.4. diſp.21. n. 3. Filiuc. tract.10.cap.4. num. 123. & alios cit. Ad rationem autem primæ ſententiæ reſponderi poteſt, contractum vſurarium prohiberi ob bonum priuatum; parum enim intereſt bono publico Reipublicæ,

an quis ſoluat vſuras, vel non ſoluat; At ſponſalia coacta ſunt prohibita ob bonum publicum, & ideo licet, non addatur iuramentum, irrita erunt; vt patet cap. ex litteris de ſponſalib. impuber. & iam ſupra id probauimus. Sic etiã arma è Regno extrahere, ob publicã vtilitatem prohibetur; vnde ſi quis ob metum grauem iuraret ſe extracturum, nec peccaret, nec iuramenti relaxatione indigeret; cum iuramentum ſit contra bonum commune; dixi nec peccaret, quia prohibitio eſt de iure humano; nam ſi prohibitio eſſet de iure diuino, licet, contractus eſſet nullus, adeſſet tamen culpa, ſi dũ quis promittit, habeat animũ adimplendi id, quod eſt contra ius diuinum, vide Sanchez loc. cit. num. 7.

23. Quæſtio tamen eſt, vtrum pater poſſit compellere, aut ſaltẽ impedire matrimonium, quod filius contrahere tentat contra eius voluntatem? Et breuiter reſpondendum eſt, in primis, certum, & de fide eſſe matrimonium initum à filijs contra parentum voluntatem, validum eſſe; vt patet ex Concil. Trid. ſeſs. 24. cap. 1. de matrimonio contra nonnullos iuriſperitos, exiſtimantes tale matrimonium eſſe irritum patet ex aliquibus legibus, vt refert Couar. 4. decretal. 2. part. c. 3. §. 8. n. 1. Et reſpondetur, dictas leges ciuiles fuiſſe abrogatas per ius Canonicũ, vt fusè probat Bellarm. lib. 1. de Sacramento matrimonij cap. 19. & 20. Certum eſt etiam parentes non poſſe cogere filios ad tale matrimonium contrahendum; Sed poſſe filios cõtrahere, vel alium ſtatum eligere. ita omnes Doctores cum D. Thoma 4. d. 29. q. vnica, art. 4. Quam concluſionem intelligas de coactione per metum cadentẽ in conſtantem virum; quia benè poteſt Pater cogere filium increpatione paterna, vt contrahat tale matrimonium; vt optimè Sot. 4. d. 29. q. 1. art. 3. ver. quod ſi quis, Bellarm. in cit. lib. 1. de matrim. c. 19. propoſ. 3. Item peccant parentes abſque iuſta cauſa impedientes matrimonium filiorum, cum filius ſit ſui iuris circa electionem ſtatus P. de Sot. lect. 3. de matri. §. Tertiò etiam, Corduba ſumm. q. 171. pun. 1. notabil. 1. Vega lib. 5. ſumm. caſu 558. Quando autem matrimonium fuerit indignum, vel adfuerit alia iuſta cauſa, tũc poteſt Pater, & Princeps medijs ſuauibus abſque vi, & metu tale matrimonium impedire; quia non ex hoc impeditur filius, quin aliud matrimonium contrahere poſſit, Vega loc. cit. Corduba eodem loc. Gutier. q. Canon. lib. 1. cap. 20. num. 27. totam hãc doctrinam ſequitur etiam Filiuc. tr. 10. c. 4. n. 124. & ſeqq. & Sanc. lib. 4 diſp. 22. n. 4. 6. & 7.

24. Nota tamen, in Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 9. de matrim. adeſſe excommunicationem latam contra iniuſtè impedientes matrimonium tenoris ſequentis. *Ita plerunque temporalium Dominorum, ac Magiſtratuum mentis oculos terreni affectus, atque cupiditates excæcant, vt viros, ac mulieres ſub eorum iuriſdictione degentes, maximè diuites, vel ſpem magnæ hæreditatis habentes, minis, & pœnis adigant cum ijs matrimonium inuitos contrahere, quos ipſi Domini, vel magiſtratus illis præſcripſerint. Quare cum maximè nefarium ſit, matrimonij libertatem violare, & ab eis iniuriam naſci, à quibus iura expectantur, præcipit ſancta Synodus omnibus, cuiuſcunque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtãt, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quouis modo directè, vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcunque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant.* Ex quibus verbis duo colliguntur, nempè adeſſe excommunicationem latã ipſo facto incurrendam; & dictam excommunicationem non comprehendere parentes, nec alios, niſi tantum Dominos temporales, & magiſtratus, habentis iuriſdictionem in foro externo; vnde non placet opinio Sanch. aſſerentis in cit. diſp. 22. num. 10. Epiſcopũ incurrere in dictam excõmunicationem, ſi cogat, vel impediat matrimonium, eo quod iuriſdictionẽ in foro externo habeat. Nam Concil. non comprehendit niſi Dominos temporales, & Magiſtratos temporales, vt apertè ex dictis verbis colligitur, igitur non poteſt compræhendere Epiſcopum; niſi eſſet etiam Dominus in temporalibus; Item nec comprehenduntur Reges, nec Imperator; cum oporteret exprimi, prout exprimuntur in alijs locis.

25. Altera quæſtio eſt, an filij tenẽatur

tur obedire parentibus præcipientibus aliquod matrimonium; & an peccent ſi contrahant ipſis inſcijs, & inuitis? Quoad primam partem quæſtionis breuiter reſpondeo, regulariter loquendo, filium non teneri ad matrimonium, quod Pater per ſponſalia promiſit, abſque filij conſenſu; Ita Sot.4.d.27.q.2.art.2.ad 1.P.Ledeſma de matrim.q.43.art.2. in fin. Angelus ver. lex, num.3. Sylueſt. verb. præceptum q.2. & alij. Quando tamen multum intereſt Patris, vt filius tale matrimonium contrahat, vt ſi eſſet neceſſarium ad ſedādas graues inimicitias, vel diſcordias inter parentes, & conſanguineos; tunc filius non ratione præcepti; ſed ex præcepto pietatis, quo tenetur Patris neceſſitatibus ſubuenire, teneretur tale matrimonium contrahere, niſi alium ſtatū eſſet electurus; quia quoad ſtatum eligendum filius eſt ſui iuris. Nauarr.cap.14.num.15.Sot.4.d.29.q.1.art.4. concluſ.3.Bonauen.ibidem, q.3.ex D.Tho. ibi, q.vnica, art.4.in cor.Filiucc.tract.10.c. 4.num.128.Sanch.lib.4.diſp.23. num.4.& ſeqq. Quam doctrinam intelligas, niſi aliqua iuſta cauſa ſubſit, ob quam filius poſſet licitè tali matrimonio non conſentire, vt ſi iam cum alia ſponſalia contraxiſſet.

26. Quoad ſecundam partem quæſtionis, an filij poſſint inuitis parentibus, matrimonium contrahere? Reſpondeo poſſe, ſi habeant iuſtam cauſam, & ſecluſo caſu antedicto; iuſta cauſa erit, ſi filius, vel filia habeat annos 25. nec parentes procurent illis matrimoniū reperire; vel ſi parētes ob intereſſe maioris dotis, voluerint aliquam filijs non æqualem, vel non benè viſam dare, &c. Secluſa autem iuſta cauſa, filij tenentur ſub culpa lethali parentum conſilium petere, cum res ſit adeò grauis, vt etiam ipſos parentes poſſet matrimonium grauiter lædere, quod vtrique ex iure naturæ tenentur filij vitare. Et ex hac cauſa plures Doctores tenent, filios non ſolum teneri petere conſilium à parentibus, ſed etiam illud ſequi; Nos autem primam partem concedimus, attamen, aſſerimus, filios non teneri dictum parentum conſilium ſequi, quod expreſsè docet D. Thom.2.2.q.104.ar.5.in corpore, vbi ait. *In his, quæ ad proprij corporis ſuſtentationem, proliſque generationem attinent, omnes homines eſſe pares, nec filios ſubijci parentibus.* Sanchez loc.cit.num.10.& ſeqq.Filiuc.n.129. & 130.Scot.4.d.29.q.1.in fin.Menoch.volum.1. conſil.*69.* à num.*19.* & ſeqq. & alij plures.

27. Sed quid iuris, ſi filia inuitis parentibus matrimonium contrahat? Reſpondeo de iure ciuili communi, filia poteſt exhæredari, de quo fusè videndus eſt, Molina tom.1. de iuſtit. tract.2. diſp.*176.* fol.1038.& ſeqq.Sot.4.d.*29.* q.1.art.4. ad 4. Sed vtrum id fuerit correctum per ius Canonicum? Et quamuis multi, probabiliter quidem negatiuè reſpondeant; vt docet idem Molin.fol.1043.& Sot.ibidem; Tamen probabiliùs dicendum eſt, fuiſſe correctum per ius Canonicum; eſſet enim contra libertatem omninò requiſitam in matrimonio; imò in cap.Gemma de ſponſalib. annullatur pœna in ſponſalibus appoſita, vt matrimoniū omninò liberè contrahatur. & in ca. Tua n de ordine cognit. & cap.cauſam, qui filij ſint legitimi, & cap. 1.de ſponſalibus, definitur, condere leges, & definire cauſas matrimoniales, non ſpectare ad poteſtatem ſæcularem. Vide fuſiùs apud Sanchez lib.4.diſp.25.quem ſequitur Filiuc.tract.10.cap.14.num.131.& 132. vnde.

28. Dico; ſi filia ſit maior 25. annis, Pater tenetur eam dotare, etiam ſi indigno nubat, tunc reputatur filia, ac ſi de conſenſu Patris, & cum digno contraxiſſet, quia ex culpa Patris reputatur tale matrimonium indignum, cum fuerit piger in collocando filiam & ſicut Pater tenetur dotare filiam ob onera matrimonij, ita etiam tenebitur in tali caſu; imò nota, quod etiam ſi filia diues fuerit, adhuc Pater tenetur illam dotare; & hæc eſt differentia inter dotem, & alimenta; Nam Pater non tenetur alimenta probare filijs, ſi diuites fuerint, at filias dotare ſemper tenetur, etiam ſi aliundè bona habeant, vt ex Bald. & alijs notat Sanchez lib.4. diſp.26.num.4. §.1. Si autem filia fuerit minor annis 25. tunc ſi nupſerit digno inſcio patre, & dotem promiſerit, tenetur pater dotare, quia rectè geſſit negotium patris, imò etiam ſi non promiſerit dotem, adhuc Pater tenetur

dotare. At ſi tam filia, quam filius nupſerint indigno, vel indignæ, tunc Pater tenetur tantum dotare quantum ſufficiens ſit pro alimentis, & ſi diuites fuerint, neque ad id tenetur; illud autem dicitur indignũ matrimonium; quod ſine dedecore iuxta Ciuitatis mores contrahi non poteſt: vide fuſiùs, Sanchez loc.cit. & ſequitur Filiuc. loc.cit.n.133.& 134.

De Conſenſu Cõditionato. Cap. XCVI.

1 *Multis modis poteſt conditio adijci Matrimonio, primò tamquam tempus, ſecundò tamquam modus, tertiò tamquam cauſa, quartò tamquam Demonſtratio, &c.*

2 *Matrimonium non recipit in ſe conditionẽ, quia eſt, aut non eſt, conſenſus autem illam recipit, qua pendente, matrimonium non erit, conditiones verò generales intelliguntur in matrimonio;*

3 *Conditiones contra bona matrimonij, illud irritum reddunt.*

4 *Conditio poſſibilis, & honeſta de præſenti, & de præterito, validum reddit matrimonium, conditio autem de futuro, illud ſuſpendit.*

5 *Si quis dixerit, contraham tecum, ſi tuus Pater voluerit, erunt ſponſalia. ſi autem dixerit contraho, ſi tuus Pater voluerit, neceſſe eſt, vt conſenſus ſemper perſeueret, vſque ad conſenſum Patris habitum.*

6 *Adimpleta conditione de futuro, ſtatim cenſetur ratum matrimonium abſque nouo conſenſu: licet etiam probabiliter alij contrarium aſſerant, nempè requiri nouum conſenſum.*

7 *Contrahens cum ſecunda poſt adimpletam conditionem de futuro, nihil facit, iuxta primam opinionem; ſed contrarium colligitur ex ſecunda, quam etiam probabilem iudicauimus.*

8 *Contrahens cum duabus fœminis ſub conditione de futuro, ſi eodem tempore impleatur conditio, cum nulla erit matrimonium; at ſi conditio vnius priùs fuerit adimpleta, cum illa erit matrimoniũ.*

9 *Adimpleta conditione de futuro, non eſt iterum conſenſus præſtandus coram parocho, & teſtibus.*

10 *Matrimonium contractum ſub conditione obſeruandi perpetuam caſtitatem, vel ſtatim profitendi religionem, eſt irritum iuxta probabiliorem opinionem.*

11 *Conditio, vt alter coniux non poſſit exigere quoties ei non licet, irritat matrimoniũ, ſecùs ſi ſit quoties coniux ex iuſtitia poteſt ei debitum denegare.*

12 *Conditio contraria bonis matrimonij, licèt apponatur ab vno coniuge, adhuc irritat matrimonium.*

13 *Sponſalia etiam ſunt irrita, ſi in eis apponatur conditio contraria bonis matrimonij, dummodo dicta conditio ſit adimplenda poſt contractum matrimonium.*

14 *Conditiones impertinentes, licèt non annullent matrimonium, illud tamen ſuſpendunt vſque ad euentum conditionis.*

15 *Contrahens cum conditione, ſi adulteres, vel prolem impedies, irritat matrimonium, & ſimiliter, ſi quis dicat contraho ad annum, aliæ conditiones, quæ poſſet poni per modum Demonſtrationis, & cauſæ, non annullant, nec ſuſpendunt matrimonium; ſed cenſentur, vt non appoſitæ.*

16 *Iudæi, & Pagani contrahendo cum conditione dandi libellum repudij, nullum contrahunt matrimonium.*

1 Eſt primò ſupponẽdũ, quinq; modis aliquid poſſe adijci matrimonio. Primũ, tanquam tempus; & dies, qua matrimonium eſt contrahendum, vt dicendo, contraham tecum craſtina die. Secundum tamquam modus, vt dicendo, duco te vt diuitias, & honorem haberem, tertiũ tamquam cauſa, vt dicendo contraho tecum, quia diues, vel pulcra es. Quartum tamquam demonſtratio importans aliquã qualitatem, quintum tamquam conditio, quæ ſuſpendit contractum, nec intelligitur contractus celebrari, niſi ſub tali conditione. Secundò, eſt ſupponendum, conditiones alias eſſe generales, quæ licet nõ explicentur, inſunt tamen contractui, vt

ſi vi-

ſi vixerimus. Alias eſſe ſpeciales, ſeu intrinſecas, ſinè quibus non poteſt eſſe matrimonium; vt ſi non es cōſanguinea; alias eſſe extrinſecas, ex quibus quædam ſunt impoſſibiles, quædam poſſibiles, & ex his aliæ ſunt turpes, aliæ honeſtæ, aliæ impertinentes, & ex turpibus, aliæ ſunt contra ſubſtantiam matrimonij, vt contraho tecum, ſi generationem euites; aliæ non ſūt contra ſubſtantiam matrimonij, vt contraho tecum, ſi mecum concubueris, quibus ſuppoſitis.

2. Dico primò, matrimonium in ſe nullam recipere conditionē, quia vel eſt, aut non eſt, cōſenſum autem matrimonij, poſſe recipere conditionem, qua pendente, matrimonium non erit, vt Sot. 4. d. 29. q. 2. art. 1. verſ. rurſus animaduertendum, & Couar. 4. decretal. 2. p. cap. 3. num. 4. Recipit tamen matrimonium, conditiones generales, quæ in omni contractu intelliguntur, non tamen ſuſpenduut contractū; vt dicendo, Si vixerimus, vel quid ſimile, l. conditiones extrinſecas; ſic etiam ſi quis dixerit, ſi Deo placuerit, vel ſi Eccleſia noluerit, huiuſmodi enim conditiones non ſuſpendunt contractum; quia tacitè ei inſunt, idem Sot. & P. Sot. lect. 3. de matrim. §. quartò denique infertur; ita ſimiliter conditiones, quę intrinſicè inſunt matrimonio, nec illud reddunt conditionale; vt dicendo, ſi non es mea conſanguinea, vel affinis, &c. Item neque conditiones neceſſariò euenturę reddunt matrimonium conditionale, vt dicendo. Si cras Sol oritur; huiuſmodi conditiones habentur pro non appoſitis, & idem etiam dicitur de conditionibus impoſſibilibus, pro quibus poteris videre Sanchez lib. 5. diſp. 1. & 2. & ſeqq. Filiuc. tract. 10. de matrim. p. 1. cap. 4. nu. 135. & ſeqq. Sot. Couar. & alios, loc. cit.

3. Quæritur tamen. Vtrum conditiones contra bona matrimonij, reddant illud irritum? Et affirmatiuè eſt reſpondendum, & ratio eſt, quia prædicta bona ſunt de ſubſtantia matrimonij, ſine quibus nullo modo poteſt matrimonium conſiſtere, v. g. vt capitibus antecedentibus diximus; ad Matrimonium eſt omninò neceſſarius mutuus conſenſus in perpetuam ſocietatem; Secundò vt ſibi inuicem fidem ſeruent; & vt fiat matrimonium ad ſuſcipiendam prolem; vnde ſi quis contraheret cum conditione non cohabitandi niſi ad tempus, vel non obſeruandi fidem, aut non procreandi prolem, eſſet irritum matrimonium, vt à principio diximus cap. 94. num. 6. & Sanchez lib. 4. diſp. 9. per totam, Filiuc. tract. 10. cap. 4. num. 147. & alij.

4. Secundò quæritur, vtrum conditio poſſibilis, & honeſta adiecta matrimonio, illud ſuſpendat? Et reſpondeo, dictam cōditionem poſſe eſſe de præſenti, de præterito, & de futuro; ſi conditio adiecta fuerit de præſenti, & fuerit vera, ſtatim validum erit matrimonium; ſi autem fuerit falſa, ſtatim erit irritum, vt ſi quis dicat, contraho tecum, ſi tuus pater vult; ita D. Tho. 4. d. 29. q. vnic. a. 3. quæſt. 3. & idē oēs alij Doctores intelligunt de conditione poſſibili, & honeſta de præterito, quæ doctrina eſt etiam vera in omnibus alijs cōtractibus, vt expreſsè habetur l. inſtitutio talis 10. ff. de condition. & §. conditiones inſtit. de verb. obligationibus, ſed nota, dictam conditionem eſſe adijciendam contractibus in ipſo actu contrahendi matrimonium, vel aliud non autem poſt factum interuallum, quia in dicto actu, contractus vel fuit verus, vel falſus. Ita Gloſs. cap de illis verſ. huiuſmodi verbis, de condit. appoſ. & ibi cęteri Canoniſtæ, Palud. 4. d. 29. q. 2. art. 3. concluſ. 2. num. 17. Couar. 4. decretal. 2. par. cap. 3. num. 8. Nauar. cap. 22. num. 62. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 3. num. 13. Conditio autem honeſta, ſed de futuro ſuſpendit contractum, nec dicitur perfectus donec conditio impleatur, vt expreſsè habetur cap. ſuper eo, & cap. de illis, de condit. appoſit. & ab hac doctrina nullus diſcrepat.

5. Sed dubium eſt, vtrum impleta cōditione honeſta de futuro, requiratur nouus conſenſus ad validitatem matrimonij; v. g. dicit Titius Bertæ, contraho tecum, ſi tuus pater conſenſerit, quæritur vtrum habito conſenſu patris, requiratur nouus cōſenſus Titij, & Bertæ? Sed duo ſunt in primis ſupponenda, primum eſt; ſi contractus fuerit de futuro, vt ſi Titius dicat, contraham

ham tecum, ſi tuus pater conſenſerit, tunc habito conſenſu erunt ſponſalia, & non matrimonium. Secundum, ſi verba fuerint de præſenti, vt contraho tecum, &c. Tunc neceſſarium eſt, vt conſenſus amborum ſponſorum ſemper perſeueret vſque ad habitum patris conſenſum, alioquin, ſi conſenſus fuerit reuocatus, matrimonium erit nullum, neque ab hac doctrina quiſquam diſcrepat. D. Anton. 3. p. tit. 1. ca. 19. §. 5. verſ. Sexta eſt conditio, Couar. 4. dec. 2. p. cap. 3. num. 6. Syluest. verb. matrimonium, 3. q. 4. & alij.

6. Ad dubium autem reſpõdeo, duas eſſe opiniones, prima aſſerit, ſtatim adimpleta conditione de futuro honeſta, fieri matrimonium abſque nouo conſenſu, & ratio, quia cæteri cõtractus celebrati cum conditione de futuro, ea adimpleta, abſq; nouo conſenſu, cenſentur perfecti, vt patet, ex l. hæc venditio, 7. de contrahen. empr. vbi habetur. *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.* patet etiam ex l. potior 11. in princ. ff. qui potior in pignor. hab. vbi ſic dicitur. *Cum enim ſemel conditio extiterit, proinde habetur, ac ſi illo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet.* Igitur etiam matrimonium adimpleta conditione validum erit. Hanc opinionem tenent Paludan. 4. d. 29. q. 2. art. 5. num. 37. P. Sot. lect. 3. de matrim. §. Quartò denique. Nauarr. c. 22. num. 63. & 64. & lib. 4. conſil. tit. de condit. appoſ. conſil. 1. Bonac. q. 2. pun. 10. n. 20. §. Dixi. Sanchez lib. 5. diſp. 8. num. 5. Filiucc. tract. 10. de matrim. p. 1. cap. 4. num. 145. & alij plures. Secunda ſententia, quæ cõmunis eſt inter Theologos aſſerit, ad validitatem dicti matrimonij requiri nouum conſenſum ſponſorum poſt adimpletam conditionem; & ratio eſt, quia Sacramenta nouæ legis non poſſunt pendere à futuro euentu, v. g. Si quis dixerit ego te baptizo, ſi tuus pater conſenſum præſtabit, nihil faceret, & ſimiliter, ſi quis dixerit ego te abſoluo, ſi craſtina die reſtitues, deinde ad Sacramentum eſt neceſſarium ſignum ſenſibile, at in tali Sacramento nõ adeſſet, quia verba cum conditione de futuro ſunt inefficacia ad matrimonium; igitur eſt neceſſarius nouus conſenſus, qui ſit ſignum, & cauſa Sacramenti. Hanc opinionem docet D. Thom. 4. d. 29. q. vnica, art. 3. quæſtiunc. 3. D. Bonauen. d. 28. q. 3. n. 13. Richard. art. 2. n. 2. Durandus q. 2. nu. 5. Sot. 4. d. 29. q. 2. art. 1. concluſ. 3. Nauar. ſibi contrarius, lib. 4. conſil. tit. de ſponſalibus, conſil. 14. num. 7. in 2. edit. P. de Ledeſma de matrim. q. 47. art. 5. dub. 7. concluſ. 12. fol. 246. Licèt contrariam opinionem vocet valdè probabilem, Couar. 4. decretal. 2. p. cap. 3. num. 5. & alij plures. Ad rationẽ primæ opinionis reſpondent dicti Doctores non requiri nouum conſenſum, tanquã contractus, ſed tanquam Sacramentum, quod non poteſt pendere ex futuro euentu; Doctores autem primæ ſententiæ reſpondent ad rationem allatam pro ſecunda ſententia; Chriſtum Dominum eleuaſſe tantum matrimonium ad Sacramẽtum, non tamen mutaſſe in eo naturam contractus; vnde cum alij contractus ſint validi adimpleta conditione, ita erit matrimonium, vtraque igitur opinio probabilis videtur.

7. Sed nota, ex prima opinione colligi, matrimonium contractum de præſenti eſſe inualidum; ſi contrahatur poſt matrimonium contractum ſub conditione honeſta de futuro: & poſt adimpletam conditionem; Et ratio eſt, quia adimpleta cõditione iam erat validum primum matrimonium: Ex ſecunda autẽ colligitur contrarium; nempè tale matrimonium eſſe validum, quamuis contrahatur poſt dictam conditionem adimpletam, quia non adfuit nouus conſenſus neceſſarius ad matrimonium; & ex conſequenti primum matrimonium habebatur tanquam ſponſalia; ſecundum autem fuit validum, quia non fuit contractum, niſi poſt ſponſalia primi matrimonij contrahendi.

8. Eadem quæſtio fit de matrimonio contracto inter inhabiles ſub conditione, ſi Pontifex diſpenſauerit, & quidem multi tenent, matrimonium ſtatim habita diſpẽſatione, fieri validum abſque nouo conſenſu; alij autem tenent, requiri nouum conſenſum poſt obtentam diſpẽſationem, vt Sanchez lib. 5. diſp. 8. à num. 9. & ſeqq. Sed dubium eſt, quid dicendum, ſi quis contrahat cum duabus fœminis de præ-

ſenti

ſenti ſub conditione honeſta de futuro, & poſtea eodem tempore impleatur conditio vtriuſque matrimonij; quodnam ex his erit matrimonium? Nam certum eſt, quod ſi vna conditio priùs altera adimpleatur, illud erit verum matrimonium; ſed ſi eodem tempore fuerit adimpleta conditio; diſſident Doctores, quidā enim dicunt, illud matrimonium remanere validum, quod priùs fuit contractum; Et ratio eſt, quia primum vinculum excludit ſecundum ſibi contrarium cap. intellecto, & cap. Cum te; de iureiur. Alij dicunt valere ſecundum matrimonium, & hoc ſiuè eius conditio adimpleatur antea, vel poſt primam. Et ratio eſt, quia ad hoc vt matrimonium cum conditione de futuro ſit validum, requiritur, vt conſenſus amborum ſponſorum ſemper perſeueret vſque adimpletam conditionem; at quādo quis contrahit cum ſecunda iam reuocat primum conſenſum, & perſeuerans cum ſecunda vſque ad impletam conditionem, cum illa cenſetur eſſe matrimonium; ob dictam conſenſus durationem, igitur ſecundum, & non primum erit verum matrimonium. Sed dicendum eſt neutrum matrimonium eſſe validum; quia incertitudo irritum reddit matrimonium; & eodem modo eſſet, ac ſi quis ſimul contraheret cum duabus fœminis, in quo caſu, certum eſt neutrum mattimonium eſſe validum. Angelus verb. matrimonium 3. impedimento 4. num. 6. Sylueſt. eodem verb. 3. q. 6. Sanchez lib. 5. diſp. 8. num. 15. cum alijs.

9. Sed maius dubium eſt, an adimpleta conditione de futuro; ſit iterum coram parocho, & teſtibus præſtandus conſenſus iuxta opinionem eorum, qui dicunt requiri nouum conſenſum? Et reſpondetur negatiuè; ſufficiens enim fuit prima præſentia parochi, & teſtium, cum verè poſſent teſtificari de conſenſu amborum; ſiue fuerit contractum matrimonium ſub conditione de præſenti, ſiuè de futuro; imò etſi ſponſi affectu maritali nulla expectata cōditione copulam habeant, iam intelligitur perfectum matrimonium. Ita Nauar. lib. 4. conſil. tit. de condit. appoſit. conſil. 2. n. 6. Rodriquez 1. tom. ſummæ cap. 218. concluſ. 18. num. 19. Sanchez loc. cit. num. 24. in fin. num. 25. Et idem eſt dicendum, ſi duo conſanguinei contrahant matrimonium coram Parocho, & teſtibus ſub conditione, ſi Pontifex diſpenſauerit; non enim eſſet neceſſarius nouus conſenſus coram dicto Parocho, & teſtibus, habita diſpenſatione; ſed ſtatim eſſet perfectum matrimonium ex eodem Sanchez nu. 26. & ſequitur Filiucc. tract. 10. p. 1. cap. 4. nu. 145. & 146.

10. Sed quid, ſi matrimonium contrahatur ſub conditione de futuro contraria bonis matrimonij; ſed honeſta, vt ſi duo contrahant hac lege, vt viuere debeant in perpetua caſtitate, vel, vt ſtatim conſummato matrimonio, religionem profiteri debeant. Nam de conditione turpi contra dicta bona matrimonij, iam conſtat irritum reddere matrimonium, vt iam diximus ſupra nu. 3. & alibi. Pro præſenti autem quæſito ſunt duæ opiniones, prima aſſerit, tale matrimonium eſſe firmum, & validum; id videtur aſſerere Gerſon 3. p. ſer. de natiuit. Virginis cōſiderat. 2. alfabet. 59. littera v. in fine, vbi ſic ait. *Vouit Maria Virginitatem, vouit, & ipſe Ioſeph: cui voto non repugnauit vera matrimonialis continentia*. Probatur ex cap. final. de condit. appoſit. vbi deciditur. *Conditiones appoſitas contrarias matrimonio, illud annullare*. Et quod id intelligatur de conditionibus turpibus, colligitur ex exemplis ibi allatis. Deinde copula carnalis non eſt de eſſentia matrimonij; igitur conditio de illa non habenda, non erit contra eſſentiam matrimonij, & ex conſequenti illud non irritabit. Hanc ſententiam docet Paludan. 4. d. 36. q. 2. art. 1. concluſ. 2. num. 6. & probabilem illā vocat Sot. 4. d. 29. q. 2. art. 3. Sanch. lib. 5. diſp. 10. num. 1. in fine. Probabilior tamen ſententia contrarium docet, nempè irritum eſſe tale matrimonium: quia abſolutè, & abſque vlla diſtinctione dicitur in dicto c. final. conditionem contra bonum prolis, matrimonium annullare; & quod dicta conditio ſit talis, probatur, quia, licet de eſſentia matrimonij non ſit, vt intendatur proles, & copula; Eſt tamen de matrimonij ſubſtantia, vt adſit ius, & potentia ad carnalem copulam, quod prouenit intrinſicè

ham tecum, ſi tuus pater conſenſerit, tunc habito conſenſu erunt ſponſalia, & non matrimonium. Secundum, ſi verba fuerint de præſenti, vt contraho tecum, &c. Tunc neceſſarium eſt, vt conſenſus amborum ſponſorum ſemper perſeueret vſque ad habitum patris conſenſum, alioquin, ſi conſenſus fuerit reuocatus, matrimonium erit nullum, neque ab hac doctrina quiſquam diſcrepat. D. Anton. 3. p. tit. 1. ca. 19. §. 5. verſ. Sexta eſt conditio, Couar. 4. dec. 2. p. cap. 3. num. 6. Sylueſt. verb. matrimonium, 3. q. 4. & alij.

6. Ad dubium autem reſpōdeo, duas eſſe opiniones, prima aſſerit, ſtatim adimpleta conditione de futuro honeſta, fieri matrimonium abſque nouo conſenſu, & ratio, quia cæteri cōtractus celebrati cum conditione de futuro, ea adimpleta, abſq; nouo conſenſu, cenſentur perfecti, vt patet, ex l. hæc venditio, 7. de contrahen. empt. vbi habetur. *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.* patet etiam ex l. potior 11. in princ. ff. qui potior in pignor. hab. vbi ſic dicitur. *Cum enim ſemel conditio extiterit, proinde habetur, ac ſi illo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet.* Igitur etiam matrimonium adimpleta conditione validum erit. Hanc opinionem tenent Paludan. 4. d. 29. q. 2. art. 5. num. 37. P. Sot. lect. 3. de matrim. §. Quartò denique. Nauarr. c. 22. num. 63. & 64. & lib. 4. conſil. tit. de condit. appoſ. conſil. 1. Bonac. q. 2. pun. 10. n. 20. §. Dixi. Sanchez lib. 5. diſp. 8. num. 5. Filiucc. tract. 10. de matrim. p. 1. cap. 4. num. 145. & alij plures. Secunda ſententia, quæ cōmunis eſt inter Theologos aſſerit, ad validitatem dicti matrimonij requiri nouum conſenſum ſponſorum poſt adimpletam conditionem; & ratio eſt, quia Sacramenta nouæ legis non poſſunt pendere à futuro euentu, v. g. Si quis dixerit ego te baptizo, ſi tuus pater conſenſum præſtabit, nihil faceret, & ſimiliter, ſi quis dixerit ego te abſoluo, ſi craſtina die reſtitues, deinde ad Sacramentum eſt neceſſarium ſignum ſenſibile, at in tali Sacramento nō adeſſet, quia verba cum conditione de futuro ſunt inefficacia ad matrimonium; igitur eſt neceſſarius nouus conſenſus, qui ſit ſignum, & cauſa Sacramenti. Hanc opinionem docet D. Thom. 4. d. 29. q. vnica, art. 3. quæſtiunc. 3. D. Bonauen. d. 28. q. 3. n. 13. Richard. art. 2. n. 2. Durandus q. 2. nu. 5. Sot. 4. d. 29. q. 2. art. 1. concluſ. 3. Nauar. ſibi contrarius, lib. 4. conſil. tit. de ſponſalibus, conſil. 14. num. 7. in 2. edit. P. de Ledeſma de matrim. q. 47. art. 5. dub. 7. concluſ. 12. fol. 246. Licèt contrariam opinionem vocet valdè probabilem, Couar. 4. decretal. 2. p. cap. 3. num. 5. & alij plures. Ad rationē primæ opinionis reſpondent dicti Doctores non requiri nouum conſenſum, tanquā contractus, ſed tanquam Sacramentum, quod non poteſt pendere ex futuro euentu; Doctores autem primæ ſententiæ reſpondent ad rationem allatam pro ſecunda ſententia; Chriſtum Dominum eleuaſſe tantum matrimonium ad Sacramētum, non tamen mutaſſe in eo naturam contractus; vnde cum alij contractus ſint validi adimpleta conditione, ita erit matrimonium, vtraque igitur opinio probabilis videtur.

7. Sed nota, ex prima opinione colligi, matrimonium contractum de præſenti eſſe inualidum; ſi contrahatur poſt matrimonium contractum ſub conditione honeſta de futuro: & poſt adimpletam conditionem; Et ratio eſt, quia adimpleta cōditione iam erat validum primum matrimonium: Ex ſecunda autē colligitur contrarium; nempè tale matrimonium eſſe validum, quamuis contrahatur poſt dictam conditionem adimpletam, quia non adfuit nouus conſenſus neceſſarius ad matrimonium; & ex conſequenti primum matrimonium habebatur tanquam ſponſalia; ſecundum autem fuit validum, quia non fuit contractum, niſi poſt ſponſalia primi matrimonij contrahendi.

8. Eadem quæſtio fit de matrimonio contracto inter inhabiles ſub conditione, ſi Pontifex diſpenſauerit, & quidem multi tenent, matrimonium ſtatim habita diſpēſatione, fieri validum abſque nouo conſenſu; alij autem tenent, requiri nouum conſenſum poſt obtentam diſpēſationem, vt Sanchez lib. 5. diſp. 8. à num. 9. & ſeqq. Sed dubium eſt, quid dicendum, ſi quis contrahat cum duabus fœminis de præſenti

ſenti

ſenti ſub conditione honeſta de futuro, & poſtea eodem tempore impleatur conditio vtriuſque matrimonij; quodnam ex his erit matrimonium? Nam certum eſt, quod ſi vna conditio priùs altera adimpleatur, illud erit verum matrimonium; ſed ſi eodem tempore fuerit adimpleta conditio; diſſident Doctores, quidā enim dicunt, illud matrimonium remanere validum, quod priùs fuit contractum; Et ratio eſt, quia primum vinculum excludit ſecundum ſibi contrarium cap. intellecto, & cap. Cum te; de iureiur. Alij dicunt valere ſecundum matrimonium, & hoc ſiuè eius conditio adimpleatur antea, vel poſt primam. Et ratio eſt, quia ad hoc vt matrimonium cum conditione de futuro ſit validum, requiritur, vt conſenſus amborum ſponſorum ſemper perſeueret vſque adimpletam conditionem; at quādo quis contrahit cum ſecunda iam reuocat primum conſenſum, & perſeuerans cum ſecunda vſque ad impletam conditionem, cum illa cenſetur eſſe matrimonium; ob dictam conſenſus durationem, igitur ſecundum, & non primum erit verum matrimonium. Sed dicendum eſt neutrum matrimonium eſſe validum; quia incertitudo irritum reddit matrimonium; & eodem modo eſſet, ac ſi quis ſimul contraheret cum duabus fœminis, in quo caſu, certum eſt neutrum matrimonium eſſe validum. Angelus verb. matrimonium 3. impedimento 4. num. 6. Sylueſt. eodem verb. 3. q. 6. Sanchez lib. 5. diſp. 8. num. 15. cum alijs.

9. Sed maius dubium eſt, an adimpleta conditione de futuro, ſit iterum coram parocho, & teſtibus præſtandus conſenſus iuxta opinionem eorum, qui dicunt requiri nouum conſenſum? Et reſpondetur negatiuè; ſufficiens enim fuit prima præſentia parochi, & teſtium, cum verè poſſent teſtificari de conſenſu amborum; ſiue fuerit contractum matrimonium ſub conditione de præſenti, ſiuè de futuro; imò etſi ſponſi affectu maritali nulla expectata cōditione copulam habeant, iam intelligitur perfectum matrimonium. Ita Nauar. lib. 4. conſil. tit. de condit. appoſit. conſil. 2. n. 6. Rodriquez 1. tom. ſummæ cap. 218. concluſ. 18. num. 19. Sanchez loc. cit. num. 24. in fin. num. 25. Et idem eſt dicendum, ſi duo conſanguinei contrahant matrimonium coram Parocho, & teſtibus ſub conditione, ſi Pontifex diſpenſauerit; non enim eſſet neceſſarius nouus conſenſus coram dicto Parocho, & teſtibus, habita diſpenſatione; ſed ſtatim eſſet perfectum matrimonium ex eodem Sanchez nu. 26. & ſequitur Filiucc. tract. 10. p. 1. cap. 4. nu. 145. & 146.

10. Sed quid, ſi matrimonium contrahatur ſub conditione de futuro contraria bonis matrimonij; ſed honeſta, vt ſi duo contrahant hac lege, vt viuere debeant in perpetua caſtitate, vel, vt ſtatim conſummato matrimonio, religionem profiteri debeant. Nam de conditione turpi contra dicta bona matrimonij, iam conſtat irritum reddere matrimonium, vt iam diximus ſupra nu. 3. & alibi. Pro præſenti autem quæſito ſunt duæ opiniones, prima aſſerit, tale matrimonium eſſe firmum, & validum; id videtur aſſerere Gerſon 3. p. ſer. de natiuit. Virginis cōſiderat. 2. alſabet. 59. littera v. in fine, vbi ſic ait. *Vouit Maria Virginitatem, vouit, & ipſe Ioſeph: cui voto non repugnauit vera matrimonialis coniunctio*; Probatur ex cap. final. de condit. appoſit. vbi deciditur. *Conditiones appoſitas contrarias matrimonio, illud annullare*. Et quod id intelligatur de conditionibus turpibus, colligitur ex exemplis ibi allatis. Deinde copula carnalis non eſt de eſſentia matrimonij; igitur conditio de illa non habenda, non erit contra eſſentiam matrimonij, & ex conſequenti illud non irritabit. Hanc ſententiam docet Paludan. 4. d. 30. q. 2. art. 1. concluſ. 2. num. 6. & probabilem illā vocat Sot. 4. d. 29. q. 2. art. 3. Sanch. lib. 5. diſp. 10. num. 1. in fine. Probabilior tamen ſententia contrarium docet, nempè irritum eſſe tale matrimonium: quia abſolutè, & abſque vlla diſtinctione dicitur in dicto c. final. conditionem contra bonum prolis, matrimonium annullare; & quod dicta conditio ſit talis, probatur, quia, licet de eſſentia matrimonij non ſit, vt intendatur proles, & copula; Eſt tamen de matrimonij ſubſtantia, vt adſit ius, & potentia ad carnalem copulam, quod prouenit intrin-

ſicè

ſicè ex mutua corporum traditione, quæ eſt de eſſentia matrimonij: dum igitur cõtrahentes per talem conditionem ſe priuent hoc iure, & poteſtate, matrimonium non poterit conſiſtere; nec Beata Virgo, & S. Ioſeph contraxerunt ſub hac conditione; ſed ambo conſenſerunt in ius, & poteſtatem ſuorum corporum, vt in principio explicauimus. Hanc ſententiam docet D. Thom. 4. d. 28. quæſt. vnica, art. 4. ad 3. Sot. d. 26. q. 2. art. 3. P. de Ledeſma de matrim. q. 47. art. 5. dub. 4. ad 2. Sylu. verb. matrimonium, 4. q. 7. Filiucc. tract. 10. cap. 4. num. 149. Sanch. lib. 5. diſp. 10. num. 2. & alij plures. Vnde colligitur, matrimonium ſub conditione vt nullus poſſit petere, nec reddere irritum eſſe; Et idem dicitur etiam ſi pactum ſit, de non exigendo, quia non fieret totalis corporum traditio. Pactum autem non cohabitandi ſimul per aliquod tempus, non irritat matrimonium, nec pactum non abſtinendi à copula in aliquibus diebus; vt Sanchez num. 3. & ſeqq. Filiuc. num. 150. P. de Ledeſma dicto dub. 4. in ſolutione confirmationis ad 6. & alij.

11. Sed vtrum conditio, vt alter cõiux non teneatur debitum reddere, quoties alter licitè non poteſt exigere; irritet matrimonium? Reſpondeo, ſi dicta conditio fuerit quoties alteri ex iuſtitia coniux non tenetur reddere ratione fornicationis alterius coniugis, vel quia petit in loco ſacro, tunc valida erit conditio, nec irritabit matrimonium; ſecùs autem, ſi cõditio eſſet, quocunque modo alteri coniugi, id non liceret; poteſt enim quis peccare exigendo, & tamen alter coniux teneatur reddere, vt ſi petens habeat votum caſtitatis, per quod, licèt poſſit reddere, non tamen poteſt petere; Couar. 4. decret. 2. p. cap. 3. num. 6. Filiucc. loc. cit. §. quintò; Sanchez lib. 5. diſp. 11. num. 2. & 3.

12. Vtrum autem eſſet validum matrimonium, ſi conditio contraria bonis matrimonij apponeretur ab vno tantum? Reſpondeo tunc talem cõtractum nec habere vim ſponſalium, nec matrimonij iuxta meliorem opinionem; Et ratio eſt, quia contractus fuit nullus, dum non adfuerit amborum contrahentium conſenſus, qui eſt omninò neceſſarius ad contractum; & in tali caſu vnus traderet abſolutè ſuum corpus alteri; & alter traderet ſub conditione, quod & repugnat contractui ob rationem allatam, & repugnat matrimonio, cum in eo debeat fieri mutua corporum translatio. Couarr. loc. cit. §. 1. n. 11. Filiuc. tr. 10. cap. 4. n. 151. P. de Ledeſm. de matrim. q. 47. art. 5. dub. 5. fol. 239. Sanchez lib. 5. diſp. 13.

13. Et nota, etiam ſponſalia eſſe irrita; ſi in eis apponatur conditio contraria bonis matrimonij dummodo dicta conditio ſit adimplenda contracto matrimonio, vt ſi quis dicat, contraham tecum, ſi adulteres, vel prolem impedies; Secùs autem, ſi conditio fuerit adimplenda ante matrimonium, vt ſi quis dicat, contrahã tecum, ſi mecum fornicceris, &c. Eſſet enim reputanda dicta conditio tanquam turpis, & ideò tanquam non appoſita; ſponſalia autem valida eſſent. Sanc. diſp. 14. cum alijs. Et idem eſt dicendum de contractu matrimonij, omnis enim conditio turpis, licet non contraria bonis matrimonij, reputanda eſt tanquam non appoſita; matrimonium autem validum erit; & eò magis, ſi talis conditio fuerit de præſenti, vel de præterito, vt ſi quis dicat, cõtraho tecum, ſi es inimicus Titij, vel ſi occidiſti tuum inimicum; his conditionibus veris, validũ eſt matrimonium, vt S. Tho. 4. d. 29. q. vnica, art. 3. quæſtiun. 4. Sanchez lib. 5. diſp. 15. Filiuc. tract. 10. ca. 4. num. 152. & ſequent. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 12. nu. 7. & alij.

14. Quid autem dicendum ſit de cõditionibus impertinentibus, an annullent, vel ſuſpendant matrimonium? Reſpondeo illud ſuſpendere tantum, vt ſi quis dicat, contraho tecum, ſi nauis venerit è Sicilia; ita Sanchez diſp. 18. cum alijs, Sot. autem 4. d. 29. qu. 2. art. 3. cum alijs aſſerit, dictam conditionem eſſe reputandam tanquam non appoſitam; ſed prima opinio videtur omninò vera.

15. Sed quid dicendum ſit de alijs conditionibus in principio relatis, nempè de conditione modi, temporis, demonſtrationis, & cauſæ? Reſpondeo breuiter, modum contrarium bonis matrimonij, irritum

Digitized by Google

tum illud reddere; vt ſi quis dicat contraho, ſi adulterabis, vel prolem impedies, &c. Modum autem non repugnantem dictis bonis, vt ſi quis dicat, contraho, ſi dabis mihi mille, vel talem dotem: matrimoium ſtatim firmare, ſed eſt adimplenda conditio. Modum impoſſibilem, vel turpem, haberi pro non appoſito; vt fuſiùs Sanchez lib.5.diſp.19.num.5. & ſeqq. Filiucc.loc.cit.num.157. & alij communiter apud ipſos. Quoad tempus dico, ſi quis dicat contraho tecum ab hinc vno anno, eſſe ſponſalia, & non matrimonium; & ſi diceret contraho tecum per vnum, aut duos annos, nullum eſſet matrimonium; vt ſæpè diximus. Quoad demonſtrationem, & cauſam, dico id, quod ponitur per modum cauſæ, vel demonſtrationis, non ſuſpendere, non irritare matrimonium; ſed haberi pro non adiecto, vt ſi quis dicat contraho tecum, quia es ſterilis, vel diues, &c. Vt ijdem Doctores ex communi ſententia tradunt.

16. Dubium tantum eſt, vtrum Iudei, & Pagani, ſi contrahant matrimonium ſub conditione, vt poſſit dari libellum repudij, validum ſit matrimonium? Et ratio dubitandi eſt, quia Iudæis permiſſum eſt dictum libellum repudij, vt Chriſtus Dominus Matth.18. Vnde ad dubium, ex hac cauſa, affirmatiuè reſpondent aliqui, vt Io: Andr.cap.de infidelibus num.5. Abbas ibi num.6. Præpoſit.num.5. ver. item nota, & alij. Attamen negatiuè reſpondendum eſt, quia dicta permiſſio nec vacabat culpa, nec per illam dabatur ius ineũdi aliud matrimonium. Vnde tam Iudæi, quã alij infideles, quibus numquam fuit permiſsũ libellum repudij, ſi contraherent cum hac conditione; vt licitum ſit diſſoluere matrimonium ob aliquam cauſam, nihil facerent, vt oſtendit Sanchez lib.5.diſput.12. Couar.4.decret.2.par.cap.3.§.1.num.4. Gloſs.cap. de infidelibus, verbo eſſe matrimonium, & ibi Hoſtienſ. & alij.

De Conſenſu, ſeu Matrimonio Clandeſtino, ac de conſenſu, & alijs neceſſarijs ad Matrimonium publicum. Cap. XCVII.

1 *Matrimonij clandeſtini duæ tantum ſunt ſpecies, vna eſt reſpectu matrimonij celebrati abſq; Parocho, & teſtibus; altera reſpectu matrimonij celebrati abſque denunciationibus.*

2 *Celebrantes matrimonium clandeſtinum, ſcilicet abſq; denunciationibus, incurrũt pœnas clandeſtini matrimonij.*

3 *Matrimonium celebratum abſq; denunciationibus, licet cum ſcientia maioris partis vicinatus, adhuc dicitur clandeſtinũ; & contrahentes ſubduntur pœnis, vt ſupra.*

4 *Celebrantes matrimonium clandeſtinum poſt Concil.Trident. ſcilicet ſine Parocho, & teſtibus, nullam incurrunt pœnã, cum iam ſit irritum tale matrimonium.*

5 *Contrahere clandeſtinè abſq; Parocho, & teſtibus eſt peccatum mortale ex præcepto Eccleſiæ, & naturali.*

6 *Eccleſia potuit, & de facto annullauit matrimonium clandeſtinum inhabiles reddendo ſic contrahentes, & irritum faciendo contractum.*

7 *Denunciationes ex præcepto ſunt faciendæ antè matrimonium à proprio Parocho, & ſi vna tantum deficit, induceret culpam venialem; & poſſunt fieri etiam extra Eccleſiam in loco decenti, in quo populus conuenit.*

8 *Epiſcopus, vel alius Ordinarius poteſt diſpenſare in denunciationibus, vt fiant diebus ferialibus &c. iuſta de cauſa.*

9 *Duodecim cauſæ numerantur, ob quas iuſte Ordinarius poteſt diſpenſare in denunciationibus.*

10 *Epiſcopus tenetur diſpenſare quoties eſt periculum ſcandali, vel malitioſi impedimenti.*

11 *Ob diſpẽſationẽ denunciationum Epiſcopus nullam mulctam imponere poteſt.*

12 *Si Epiſcopus noluerit diſpenſare, & adſit*

Digitized by Google

iuſta cauſa, poſſunt contrahentes appellare ad ſuperiorem.

13 *Matrimonium aliquando poteſt contrahi dimiſſis denunciationibus abſq; diſpenſatione, ſi periculum fuerit in mora.*

14 *Parochus aſſiſtens matrimonio abſq; denũciationibus ob timorem mortis ſibi minatæ, non peccat. Secus, ſi illas omninò ex ſe omitteret, eſſet enim tunc etiam ſuſpendendus per triennium.*

15 *Matrimonium non poteſt cõſummari abſq; denunciationibus, niſi Epiſcopus omninò diſpenſauerit.*

16 *Conſummare matrimonium ante denunciationes, quoties copulam habent, toties peccant.*

17 *Conſummare matrimonium ante benedictiones, non eſt mortale, nec contrarium; poteſt præcipi ab Epiſcopo.*

18 *Omittere omninò benedictiones, non videtur mortale, ſecluſo contemptu.*

19 *Ex denunciationibus factis tenetur quilibet reuelare impedimentum contrahentium, licet occultum.*

20 *Etiam impedimentum auditum à perſona fide digna, eſt aperiendum, dicta perſona non manifeſtante,*

21 *Contrahentes ſi habeant impedimẽtum licet occultum, tenentur illud aperire, ſi fuerint ab Epiſcopo interrogati.*

22 *Quinque numerantur pœnæ, in quas incidũt clandeſtinè contrahentes. Prima eſt inhabilitas; ſed ſi publicè voluerint contrahere, non indigebunt diſpenſatione; ſecunda eſt pœna arbitraria, tertia eſt excommunicatio ſynodalis; quarta perpetua ſeruitus; quinta exheredatio.*

23 *Parochus aſsiſtẽs matrimonio clandeſtino defectu teſtium, incidit in pœnam aliquã non latam; ſed ferendam ad arbitrium Epiſcopi. Si matrimonium fuerit clandeſtinum defectu denunciationum; eſt ſuſpendendus per triennium.*

24 *Sacerdos Regularis aſsiſtens matrimonio abſq; licentia Parochi, eſt ſuſpenſus, & excommunicatus.*

25 *Teſtes aſsiſtentes matrimonio clandeſtino, licet nulla adſit pœna, poſſunt tamen grauiter ab Epiſcopo puniri.*

1 SEx in hoc capite pertractanda ſunt, primum eſt, quotuplex ſit matrimonium clandeſtinum, & quando per illud incurrantur pęnæ. Secundũ, an ante Concilium Tridentinum erat irritum, vel peccatum mortale clandeſtinè contrahere. Tertium, quonammodo Eccleſia potuerit illud irritare. Quartum, quæ Denunciationes requirantur, vt matrimoniũ ſit publicum. Quintum, de parochi, & teſtium præſentia. Sextum, de pœnis clandeſtinè contrahentium, etiam reſpectu parochi, & teſtium in tali matrimonio aſſiſtentium. Quibus poſitis quæritur, quænam ſint ſpecies matrimonij clandeſtini, & quando per tale matrimonium incurrantur pœnæ? Et breuiter reſpondeo, aliquos ſex ſpecies matrimonij clandeſtini numerare, vt Hoſtienſ. tit. de cland. deſponſ. num. 1. & cap. final. de cland. deſpon. in prin. & ibi Ioann. Andr. num. 15. D. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 16. §. 5. Sed alij tres tantum ſpecies enumerant. Attamen dicendum eſt, duas tantũ ſpecies eſſe matrimonij clandeſtini, vt ſumi poteſt ex eius vocabulo, nam clandeſtinum dicitur id, quod clàm fit; & ideò matrimonium clãdeſtinum dicetur, ſi matrimonium fuerit contractum abſque teſtibus; vel abſque debitis denunciationibus, per teſtes enim, & denunciationes, matrimonium fit publicum; vnde hæ duæ tantum erunt ſpecies matrimonij clandeſtini; vt Sot. 4. d. 28. q. 1. art. 1. verſ. clandeſtinum, Caiet. in ſumma verb. matrimoniũ tit. contractus matrimonij poteſt ex ſeptẽ capitibus reddi vitioſus, §. Et ſcito peccatum eſſe verſ. tertium caput, & alij plures.

2. Præcipuum tamen dubiũ eſt, quodnam ſit matrimonium clandeſtinum per quod incurrantur pœnæ. Et primò, quæritur an matrimonium contractum coram parocho, & teſtibus abſque denunciationibus inducat dictas pœnas; Nec quæſtio eſt, quando ex iuſta cauſa, & de Ordinarij licentia dictæ denunciationes omittuntur iuxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. c. 1. de matrim. Sed quando culpabiliter fuerint omiſſæ, & duæ ſunt opiniones, prima aſſerit, tale matrimonium non eſſe clande-

ſti-

ſtinum quoad pœnas incurrendas; quia, quod teſtibus probari poteſt, clandeſtinũ dici non poteſt, vt docet Sot. 4. d. 28. q. 1. art. 2. Molin. tom. 1. de iuſtit. tract. 2. diſp. 176. verſ. Obſerua hodie. & alij plures. Secunda ſententia, quæ probabilior videtur aſſerit, tale matrimonium dici clandeſtinum quoad pœnas, quia in veteri iure iam tale matrimonium erat clandeſtinum, vt habetur in Conc. Lateranenſ. in c. final. de clandeſt. deſponſ. quod ius non fuit correctum per Concilium Tridentinum, imò ibi dicitur. *Sacri Concilij Lateranenſis veſtigijs inhærendo, præcipit ſancta Synodus, vt antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio parocho denunciationes fiant*. Et cum à iure communi non ſit recedendum, niſi per nouum fuerit expreſsè correctum, l. præcipimus, Cod. de appellat. ſequitur, quod tale matrimonium debeat cenſeri clandeſtinum quoad pœnas; Et hæc opinio magis placet. Sanchez lib. 3. diſp. 1. n. 7. Filiucc. tract. 10. cap. 5. num. 161. P. de Ledeſm. de matrim. q. 45. art. 5. §. his poſitis, hanc vocat valdè probabilem opinionem, & illam tenet Nauarr. cap. 22. nu. 70. & alij multi.

3. Sed quid ſi denunciationes defuerint, tamen matrimonium fuerit publicè contractum, ſcilicet ſciente maiori parte vicinatus? Reſpondeo in hoc caſu adhuc eſſe duas opiniones, prima aſſerit, non eſſe matrimonium clandeſtinum; quia quod fit alijs ſcientibus, clandeſtinum dici non poteſt; Deinde, licet mutetur iuris ſolemnitas, non tamen mutatur in tali caſu iuris ſubſtantia, & diſpoſitio. Angelus ver. clandeſtinum in prin. Sylu. ver. matrimonium, 2. in fin. Couar. 4. decretal. 2. p. c. 6. nu. 10. & alij multi. Et probabilem hanc opinionem vocat Sanchez loc. cit. num. 9. in fin. & Filiucc. eodem loc. num. 162. Secunda ſententia, quam probabiliorem putant hi duo Doctores, docet, dici matrimonium clandeſtinum quoad pęnas; Et ratio eſt, quia in dicto cap. final. abſolutè vocatur matrimonium clandeſtinum, cui non prę mittuntur denunciationes, vt Palud. 4. d. 28. q. 2. art. 5. n. 29. Henriq. lib. 11. de matr. c. 5. n. 1. & alij multi.

4. Vtrum autem poſt Conc. Tridentinum, matrimonium contrahentes ſine parocho, & teſtibus, incidant in pænas matrimonij clandeſtini? & affirmatiuè multi reſpondent; quia talis modus contrahendi eſt prohibitus ob multa mala, quæ occurrebant, & Concil. Trid. ſeſſ. 24. ca. 1. de matrim. poſtquam irritat matrimonium clandeſtinum, præcipit Ordinarijs, vt grauiter puniant ſic contrahentes; Vnde tam pænam excommunicationis ſynodalis, ſi ibi fuerit; quam pænam exhæredationis, l. 49. Tauri incurrunt, ſic clandeſtinè contrahentes. Cordub. ſumma q. 52. Vega lib. 6. ſummæ caſu 104. & alij; Si alicubi adeſſet tale ius, vt in Hiſpania. Attamen plures affirmant id eſſe verum reſpectu excõmunicationis ſynodalis; Secùs de pœna exhæredationis. Et ratio eſt, quia dicta pœna exhæredationis imponebatur non propter clandeſtinum matrimonium; ſed quatenus per tale matrimonium inferebatur iniuria parentibus, ſi abſq; eorum conſenſu fuerat celebratum matrimonium; & cum per Concilium Tridentinum iam ſit ablata hæc iniuria à parentibus, quia matrimonium iam eſt nullum, ideò tantum dicti contrahentes pœnam excommunicationis ſynodalis in tali caſu incurrerẽt; Et quidem hæ opiniones probabiles ſunt, & hanc vltimam tenent Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 5. num. 6. & cap. 6. num. 2. Rodriq. 1. tom. ſummæ cap. 221. num. 1. & ca. 14. num. 3. Bartholomæus à Ledeſma de matri. dub. 8. fol. 1230. & dub. 24. fol. 1360. & alij. Probabilior tamen ſententia videtur, per tale matrimonium, nullam incurri pœnam clandeſtini matrimonij. Et ratio potiſſima eſt, quia iam tale matrimonium vigore Concilij Tridentini eſt nullum; & eſſe nullum, & non eſſe, paria ſunt; Vnde licet, ante Concilium Tridentinum erant pœnæ, quibus ſubijciebantur contrahentes matrimonium clandeſtinè, tamen id erat, quia matrimonium, tunc irritum non erat; Poſt verò dictum Concilium, cum matrimonium ſit nullum, non videntur pœnæ habere locum in eo. Sanchez lib. 3. diſp. 2. à num. 5. & ſeqq. Filiucc. tract. 10. c. 5. num. 163. & ſeqq. quod intellige de pœnis in veteri iure poſitis; nam poſſent iuxta Concilium prædicti ſic contrahentes,

grauiter puniri per Ordinarios, vt ſupra.

5. Sed vtrum ante Concilium Tridentinum, contrahentes clandeſtinè mortaliter peccabant? Nam quod validè contrahebant; eſt de fide definitum ab Alexandro III. cap. 2. de clandeſt. deſponſ. & a Concil. Trid. ſeſs. 24. cap. 1. de matr. ſub anathemate damnās contrarium aſſerentes; ex iuſtiſsimis autem cauſis Concil. Trident. tale matrimonium irritauit, vt ſumitur etiam ex Concilio Colonienſi, titul. de matrimonio, & ex D. Thom. 4. d. 28. q. vnica art. 3. ad 3. quod etiam ante Concil. mortaliter peccarent ſic contrahentes, certum eſt apud Doctores. Dubium ſolūmodo eſt an poſt Concilium, ſic contrahentes peccent mortaliter? Et ad hoc etiā affirmatiuè reſpondetur; operarētur enim contra præceptum Concilij Tridentini aſſerentis, matrimonium eſſe contrahendū coram Parocho, & teſtibus. Sed vtrum tale peccatum proueniat tantum ex lege Eccleſiaſtica, an etiam ex iure naturæ? Et tantum illud prouenire ex lege Eccleſiaſtica, docet Sot. 4. d. 28. q. 1. art. 2. concluſ. 1. P. de Ledeſma de matrim. §. 45. ar. 5. fol. 171. §. ad rationem dubitandi, Caiet. tom. 1. opuſcul. tr. 12. de matrim. q. 2. Attamen contrariū videtur probabilius, nempè id etiam prouenire ex iure naturali; nam ex natura rei tale matrimonium clandeſtinū continet in ſe grauia mala, & ideò ſemper fuit prohibitum, vt colligitur ex Concil. & iuribus citatis; & ita videtur ſentire D. Thom. 4. d. 28. q. vnica art. 3. ad 3. vbi enarratis malis, quæ proueniunt ex tali matrimonio addit. *Præter hæc ſpeciem mali habere.* Et idem tenet Caietan. licet ſibi contrarius in ſumma verb. matrimonium tit. contractus matrimonij poteſt ex ſeptem capitibus reddi vitioſus §. & ſcito peccatū eſſe, P. Sot. lect. 14. de matrim. §. primum ius ipſum, & alij, quos ſequitur Sanchez lib. 3. diſp. 3. num. 8. ex qua doctrina colligitur, infideles clām contrahentes, peccare contra ius naturæ.

6. Quartū, quod propoſuimus diſcutiendum, eſt quonammodo potuerit Eccleſia annullare matrimonia clandeſtina? Nam quod de facto potuerit, iam eſt de fide tenendum; vt conſtat ex Concil. Trid. ſeſs. 24. cap. 1. de matrim. licet, ante dictū Concilium, ſeu antequam Concil. id determinauerit, quadraginta Epiſcopi, & alij multi Doctores, contrarium ſentiebāt, nempè Eccleſiam non poſſe dicta matrimonia clandeſtina irritare; imò Sot. 3. d. 28. q. 1. art. 1. in ſolut. ad 1. indeciſum id reliquit, & iudicio Eccleſiæ definiendū. Difficultas ſolummodo eſt, quonam modo id egerit Eccleſia, quia dupliciter potuit irritatio dictorum matrimoniorū fieri, ſcilicet indirectè inhabilitando perſonas, & directè annullando ipſos contractus. Vega lib. 6. ſummæ caſu 121. P. de Ledeſma de matrim. q. 45. art. 5. fol. 177. §. vltimò reſpondeo, & infra §. ad ſecundum argumentum; & alij plures dicunt id egiſſe Eccleſiam indirectè inhabiles reddendo perſonas, nec potuiſſe id directè agere. Attamen dicendum eſt vtroq; modo potuiſſe Eccleſiam dictos contractus annullare, & de facto ita annullaſſe; nam primò Concilium inhabiles fecit perſonas in illis verbis in cit. cap. poſitis. *Eos ad ſic contrahendum inhabiles reddit*; Secundò directè annullauit contractus directè in illis verbis. *Eiuſmodi contractus irritos, ac nullos eſſe decernit; prout eos præſenti decreto irritos facit.* Neq; dicas matrimonium eſt Sacramentum; Sed Eccleſia non poteſt deſtruere Sacramenta, ergò neq; matrimonium. Reſpondeo, Eccleſiam non annullare matrimonium clandeſtinum, quatenus Sacramentum; ſed quatenus eſt contractus humanus, qui cū fiat in bonum totius Eccleſiæ, benè potuit in eo formam, & modū contrahendi præſcribere. Et confirmatur, nam de facto Eccleſia annullauit etiam matrimonia coacta, & contracta inter liberum, & ſeruam ſeruitute ignorata; ac etiam annullauit profeſſionem factam ante annos 16. Ex eodem Concil. ſeſſ. 25. de regular. cap. 16. Igitur benè potuit etiam annullare dicta matrimonia clandeſtina. Sanchez lib. 3. diſp. 4. num. 4. & ſeqq. Filiuc. tract. 10. cap. 5. nu. 169. & ſeqq. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 5. nu. 3. & 4. Suarez de Sacramentis in genere q. 60. art. 8. diſp. 2. ſect. 6. in fine.

7. Deinde quæritur, an denunciationes ſint de eſſentia, an de præcepto præmit-

Digitized by Google

mittendæ ante matrimonium? Et certum eſt eſſe tantum de præcepto, vt patet ex Concil. Lateranenſi 11. cap. 51. & habetur cap. fin. de cland. deſponſ. & ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de matrimonio; vbi dicitur. *Præmittendas eſſe dictas denunciationes ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia publicè inter miſſarũ ſolemnia.* Vnde tam parochus, quam contrahentes matrimonium mortaliter peccarent, ſi non præmitterent dictas denunciationes. Et ratio eſt tum, quia ſumus in materia graui, imò grauiſſima, tum etiã quia grauibus verbis præceptiuis id imponitur à dictis Concilijs. Ita communiter omnes tenent, vt Paludan. 4. d. 28. q. 2. ar. 1. num. 10. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 16. in fine P. Sot. lect. 14. de matrim. Sylu. ver. matrimonio 2. q. 17. & matrimonium 6. q. 7. dicto 2. & alij, præter Sot. 4. d. 28. qu. 1. art. 2. ad 1. Qui cenſet id tantum eſſe peccatum veniale, niſi adſit excommunicatio ſynodalis in ea Diœceſi contra omittentes; Sed ni fallor, Sot. loquitur ante Conciliũ Tridentinum, quo tempore in multis Diœceſibus iam dictæ denunciationes abierant in deſuetudinem, vt Abbas in dicto cap. final. num. 9. Poſt verò Concilium Tridentinum, noſtra ſententia indubitata videtur ex communi ſenſu Eccleſiæ, ſequitur Sanchez lib. 3. diſp. 5. nu. 6. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 7. num. 1. Filiuc. tract. 10. c. 5. num. 173. Bonac. de matrim. q. 2. pun. 6. num. 8. Verum ſi vna tantum ex dictis tribus denunciationibus omitteretur, non videtur mortale, quando certum eſſet, nullum adeſſet periculum impedimenti, eſſet tamen mortale, ſi non fierent in parochia propria vtriuſque contrahentium; & idem aliqui dicunt, ſi non fiant tribus diebus feſtiuis continuis, ſed hoc poſſet modificari, cum non videatur materia grauis, ſi paruum ſpatium ſit inter vnam, & alteram denunciationem, ſecùs ſi magnum ſpatium intercederet. Vide Sanchez num. 7. & 8. Filiucc. ibidem, & alios. Sunt etiam faciendæ dictæ denunciationes à proprio parocho, vel ab alio de eius commiſſione, nam poteſt etiam parochus per alium aſſiſtere matrimonio; multò magis poterit per aliũ publicationes, ſeu denunciationes facere; & ſi contrahentes fuerint diuerſarum parochiarum, debent in ambabus parochijs dictæ denunciationes fieri, & in illis, vbi diutiùs contrahentes morantur, & vbi meliùs ſciri poſſent impedimenta. Debent etiam fieri dictę denunciationes inter miſſarum ſolemnia, ad hoc vt omnibus notum ſit matrimonium contrahendum; Attamẽ, ſi fierent extra Eccleſiam in locis competentibus, vbi magna populi multitudo cõuenit; videntur etiam rectè fieri; ſed non puto eſſe recedendum ab vſu propriarum Eccleſiarum; Vide Sanchez diſp. 6. & Filiuc. eodem loc. num. 174.

8. Quis autem poſſit diſpenſare, vt denunciationes in matrimonio omittantur? Reſpondeo ex Concil. Trident. poſſe tantum Epiſcopum, ſeu alium Ordinariũ, vt ſunt Abbates habẽtes auctoritatẽ quaſi Epiſcopalem, & nullo Diœceſano ſubditi; & ſi poſſunt diſpenſare in omnibus, vt expreſsè patet ex dicto Concil. ſeſſ. 24. ca. 1. de matr. multò magis poſſunt diſpenſare in vna, vel duabus; & poſſunt etiam ex iuſta cauſa breuiare, vel prolongare tempus denunciationum; vel vt fiant diebus ferialibus; quia totum hoc eſt minus, quam remittere; imò & Ordinarius alterius tantum contrahentis poteſt diſpenſare cum vtroq; contrahente. Idem etiam poteſt, ſcilicet in omnibus iam dictis diſpenſare Vicarius Generalis Epiſcopi; non autem Vicarius foraneus, quia facultas eſt conceſſa à Concilio Tridentino Ordinarijs, & nomine Ordinarij veniunt Vicarij Generales Epiſcoporum; vt optimè Sanchez li. 3. diſp. 7. nu. 6. §. tertiò quia, imò tam Epiſcopus, quia dicti Ordinarij poſſunt alteri cui voluerint talem facultatem diſpenſãdi in denunciationibus delegare, & licet Epiſcopi Vicarius Generalis non poſſit generaliter ad omnes cauſas ſuam facultatem alijs delegare; ſeu alium Vicarium inſtituere, poteſt tamen ad vnam, vel plures cauſas; vt docet Gloſſ. cap. 1. de offic. Vicar. in 6. verb. ipſius. Requiritur tamen ad diſpenſandum in dictis denunciationibus iuſta cauſa, quia Conciliũ non vtcumque, ſed prudentiæ Ordinariorum remittit; nec dicitur prudenter operari, qui abſq; vlla cauſa res graues operatur, & cũ matri-

Digitized by Google

matrimonium ſit res grauiſsima, ideò, non niſi magna cum cauſa in illis Ordinarius debet diſpenſare, alioquin mortaliter peccabit; non tamē eſt neceſſarium, vt iudicialiter dicto Ordinario cōſtet talis iuſta cauſa; ſed ſufficiet ſi iuxta viri prudentiā, cauſā iuſtam iudicet, vt fusè Sanchez lib. 3. diſp. 8. contra nonnullos, ſequitur Filiucc. tr. 10. cap. 5. num. 177.

9. Quænam autem ſint iuſtę cauſę diſpenſandi in denunciationibus matrimonij? Reſpondeo duodecim cauſas ordinariè numerari à Doctoribus; & prima eſt cōtrahentium pudor, vt ſi ſenex contrahere debeat cum iuuene, valdè nobilis cum ignobili, vel valdè diues cum paupere. Ita Sot. 4. d. 28. q. 1. art. 2. Paludanus ibi, q. 2. a. 3. num. 19. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 16. in fine. Et idem eſt dicendum quando ambo contrahentes eſſent adeò ſenes, vt pudore ſuffunderentur. Idem Paludanus num. 20. Angelus verb. clandeſtinum, num. 1. Sylu. verb. matrimonium, 2. q. 17. dicto 3. & matrimonium, 6. q. 7. dicto 2. Secunda cauſa eſt, ſi duo concubinarij eſſent ab omnibus æſtimati coniugati, tunc enim adeſt pudor, & infamia; Paludanus, D. Anton. Sylu. loc. cit. & alij. Tertia cauſa eſt, ſi matrimoniū contrahatur inter magnates, horum enim matrimonia publica ſunt; & ſtatim ſciretur, ſi aliquod eſſet impedimentum. Palud. 4. d. 28. q. 2. art. 3. num. 20. Sot. ibidem. q. 1. art. 2. poſt 3. concluſ. D. Anton. loc. cit. & alij. Et idem eſt dicendum, quando matrimonium eſt contrahendum inter perſonas, apud quas nullus timor poteſt eſſe, adeſſe aliquod impedimentum; Sot. Paludan. loc. cit. Nauar. cap. 16. nu. 36. & alij. Quarta cauſa eſt, ſi eſſet propè tempus prohibens nuptias, & adeſſet periculum fornicationis, &c. Henriq. de matrimonio, lib. 11. cap. 16. num. 2. & alij. Quinta cauſa eſt; ſi iterum eſſet cōtrahendum matrimonium coram parocho ob nullitatem primi matrimonij ex impedimento occulto; ſed hoc procedit ſecundum illam opinionem, quæ aſſerit; in tali caſu eſſe iterum contrahendum coram Parocho; ſed contrarium etiam probabile eſſe diximus cap. antec. Sexta cauſa eſt, quando timetur, ne conſanguinei matrimonium impediant, D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 16. in fin. Nauar. ca. 22. num. 70. & alij, quod intellige, quando iniuſtè parentes vellent id agere; vt ſi minis, dolo, vi, falſis teſtibus, &c. conarentur matrimonium impedire; vt Sot. 4. d. 28. q. 1. art. 2. Angelus verb. clandeſtinum num. 1. Syluest. verb. matrimonium 2. q. 17. dicto 3. & alij. Septima cauſa eſt, ſi parentes, vel tutores voluerint, vt virgo indigno nubat. P. Soto lect. 14. de matrim. Nauar. cap. 16. num. 37. & alij. Octaua cauſa eſt; quando valde contrahentibus expediret coniugium, & periculum adeſſet in mora, vt ſi deflorator virginis dicat velle contrahere, & dubitetur, ne mutet volūtatem. Sot. 4. d. 28. q. 1. art. 2. concluſ. 3. Sāchez lib. 3. diſp. 9. num. 15. P. de Ledeſma, & alij apud ipſum. Nona cauſa eſt, ſi caſus repentinus id exigeret, vt ſi concubinarij eſſent comprehenſi à iudice, & vellēt ſtatim contrahere, vt cum veritate poſſent iudici reſpondere, eſſe coniugatos, & non concubinarios, Lopez 1. par. inſtruct. cap. 96. Sot. & alij. Decima cauſa eſt periculum animæ, vt ſi duo concubinarij velint contrahere, & periculum ſit, vt copulam carnalem habeant, niſi matrimonium ſtatim contrahatur. Vndecima cauſa eſt ad euitanda ſcandala, quæ vitari poſsent, ſi ſtatim matrimonium contrahatur. Duodecima cauſa eſt, ſi quis in articulo, vel periculo proximo mortis velit contrahere, vt prolem legitimet, vt Nauar. cap. 16. num. 37. Couar. 4. decret. 2. par. cap. 6. in princ. num. 11. in fin. Sanchez loc. citat. num. 19. cum alijs multis.

10. Ex dictis, quatuor ſequitur eſſe examinanda. Primum eſt, quando peccet Ordinarius talem diſpenſationem denunciationum negans. Secundum; quando poſsit Ordinarius aliquam pœnam pecuniariam fabricæ, vel pauperibus applicādam imponere. Tertium quando ab Ordinario talem diſpenſationem negāte appellari poſsint. Quartum quando omitti poſsint denunciationes abſq; diſpenſatione, eo quod illam iniuſtè Ordinarius denegat, vel non eſt recurſus ad alium. Et quoad primum dico Prælatum teneri diſpenſare in ijs caſibus, in quibus ſequeretur ſcandalum; aut eſſet ſuſpicio malitioſi im-

Digitized by Google

impedimenti matrimonij; alioquin mortaliter peccare; Secùs autem ſi nullum publicum, aut priuatum damnum ſit ſequuturum; v.g. ſi duo ſenes vellent contrahere abſque denunciationibus, vel duo magnates, & ſimiles, non peccat mortaliter Ordinarius, ſi nollet diſpenſare, niſi inde eſſet ſequuturum aliquod ſcandalum, & quia difficiliter poſſet dari caſus, in quo non eſſet timendum aliquod malum; ideò abſolutè alij docēt, Ordinarium peccare mortaliter, quoties habet iuſtam cauſam diſpenſandi, & non diſpenſat; Et ratio eſt, quia ex officio Ordinarius tenetur non negare Sacramenta, maximè quando inde poſſet ſequi aliquod ſcandalum publicum, vel priuatum; & communē hanc ſententiam eſſe teſtatur Alex. de Neuo cap. At ſi clerici, §. de adulterijs num. 29. eam docet D. Anton. 1. p. tit. 17. cap. vnico, §. 20. verſ. Et nota ſecundò, Syluest. verb. diſpenſatio q. 1. in fine, & alij multi. Quorum opinionem puto, omninò veram; niſi in aliquo caſu nullum poſſet eſſe notabile damnum publicum, aut priuatum: vt tenet Sanchez lib. 3. diſp. 10. nu. 6. Filiuc. tract. 10. c. 5. n. 179. & alij.

11. Quoad ſecundum, quando poſſit Ordinarius aliquam pœnam pecuniariam imponere, &c. Reſpondeo ob dictam cauſā, ſcilicet celebrandi matrimonium abſque denunciationibus, nullam poſſe imponere pœnam Eccleſiæ, vel pauperibus applicandam; Sed teneri dipenſationem gratis concedere, probatur ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 25. de reform. cap. 18. vbi præcipitur, diſpenſationem gratis eſſe faciendam, ita Sanchez loc. cit. num. 9. Filiuc. nu. 180. Sot. 4. d. 28. q. 1. art. 2. verſ. ex his. vbi ſic ait. *Cum ſubeſt cauſa deſpenſandi in denunciationibus, iniquum eſt diſpenſatis imponere aliquam mulctam etiam pro fabrica.*

12. Quoad tertium; an ſi nolit Ordinarius diſpenſare, & adſit iuſta cauſa, poſſit appellari? Reſpondeo in caſibus, in quibus tenetur Epiſcopus diſpenſare, vt num. 10. Si noluerit, tunc cauſa deuoluitur ad ſuperiorem, & licitè poteſt quis ad illum appellare, vt vel diſpenſet, vel diſpenſare faciat. In caſibus autem, in quibus Ordinarius nō tenetur; non datur appellatio, poterit tantum implorari auxilium ſuperioris vt miſericorditer diſpenſet, vel diſpenſare faciat. Sanchez lib. 3. diſp. 10. num. 20. ex Felino cap. exceptionem, num. 6. de except. Abbat. cap. paſtoralis, num. 17. & ſequitur Filiucc. tract. 10. cap. 5. num. 181. & alij.

13. Quoad quartum. An ſi diſpenſatio obtineri non poſſit, nec per appellationem, & adſit iuſta cauſa, poſſit matrimoniū contrahi dimiſſis denunciationibus? Reſpondeo, ſi Epiſcopus teneretur, vt nu. 10. diſpenſare; & eſſet periculum in mora, nec adeſſet copia Epiſcopi, vt diſpenſet, poſſet licitè cōtrahi matrimonium dimiſſis denunciationibus; Et idem eſt dicendum, ſi Epiſcopus iniuſtè neget diſpenſationem; Secùs autem in caſibus, vt eodem num. 10. In quibus Epiſcopus non teneretur; tunc enim nullo modo poſſet matrimonium contrahi, vide Sot. 4. d. 28. q. 1. art. 2. concluſ. 3. verſ. ex his primum colligitur. Sanchez loc. cit. à num. 27. & ſeqq. n. 182. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 5. num. 5. & cap. 6. num. 5. & alios.

14. Dubium tantum eſt; vtrum parochus aſſiſtens matrimonio omiſſis denunciationibus ob timorem mortis ſibi minatæ, mortaliter peccet? Reſpondeo negatiuè; Et ratio eſt, quia præcepta Eccleſiæ non obligant cum tanto rigore; Secùs ſi contrahentes matrimonium id facerent in contemptum Eccleſiæ, & denunciationum; tunc enim teneretur potiùs mori, quam aſſiſtere. Vega lib. 6. ſummæ caſu 116. Sanch. loc. cit. n. 31. & alij. Econtra nota, parochum propria auctoritate omittētem denunciationes, eſſe ſuſpendendum ab officio per trienniū, ex cap. cū inhibitio. Bonac. de matrim. q. 2. pun. 6. num. 13. & Henriquez lib. 11. matrim. cap. 5. num. 6. Ex conſequenti autem eſt dicendum, etiam mortaliter peccare; ſed vide meliùs infrà num. 23.

15. Deinde quæritur, vtrum matrimonium celebratum abſque denunciationibus ex iuſta cauſa, diſpenſatione, vel abſque illa, poſſit conſummari abſque culpa mortali, niſi præmittantur dictæ denunciationes? Reſpondeo, ſolutionem huius quæſiti pendere ex verbis Concilij Tridētini benè intellectis. Nam ibi dicitur, ſeſſ. 24. cap. 1. de matrim. circa med. *Quod ſi aliquan-*

quando probabilis fuerit ſuſpicio. Matrimoniũ maliciosè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes, tunc vel vna tantum denunciatio fiat, vel ſaltem parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus, matrimonium celebretur. (& ſequitur.) *Deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant, vt ſi aliqua ſubſint impedimenta, faciliùs detegantur; niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur.* Ad quæſitum igitur eſt reſpondendum; ſi Epiſcopus abſolutè diſpenſauerit, vt omninò dictæ denunciationes omittantur, tunc nõ eſt neceſſe, vt ante conſummationem poſtea fiant; ſecùs autem, ſi tantum diſpenſauerit, ne matrimonium aliquod periculum pateretur, tunc enim ſub eodem præcepto, vt diximus num. 7. Eſſent præmittendæ; niſi Epiſcopus diſpenſaret, vel iam omninò diſpenſaſſet in prima vice. Cum totum hoc pendeat ex Epiſcopi, ſeu Ordinarij voluntate modo tamen ſupra explicato.

16. Sed difficultas eſt. Vtrum contrahentes matrimonium abſq; denunciationibus, & abſque debita diſpenſatione; peccent tantum in prima vice conſummãdo matrimonium; an etiam quoties copulã habuerint; quod intellige ſecluſo primo peccato, quod fecerũt in cõtrahẽdo abſq; denunciationibus. Et reſpondeo duas eſſe opiniones, prima aſſerit vnum tantum peccatum committere in prima conſummatione; Et ratio eſt, quia iam eſt violatum præceptum Eccleſiæ, nec poteſt reſarciri; ſicut ſi quis ſemel frangeret ieiuniũ; non peccaret pluries comedẽdo in illa die, & ideò Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 16. num. 1. ait. *Prima vice non teneri alterum coniugem petenti reddere, teneri autem poſt primam vicem, quia iam dominium corporum translatum eſt.* Ex hac opinione infertur, quod dicti contrahentes tantum contrahendo peccauerunt, & nõ conſummando. Et ratio, quia præceptum Eccleſiæ iam dicitur violatum poſt contractum matrimonium, & in dicto cõtractu fit translatio corporũ; igitur neq; in prima conſummatione coniuges peccabunt, ideò ſecunda ſententia ait, coniuges ſemper peccare de nouo quoties copulam habuerint; Ratio ſumitur clarè ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de matrim. vbi præcipiuntur dictæ denunciationes ad effugiendam fornicationem, caſu quo adeſſet aliquod impedimentum; vnde cum tale periculum fornicationis ſit tam in prima, quam in ſecunda, & ſequẽtibus vicibus, dicendum eſt, ſemper dictos coniuges peccare, quoaduſque dictas denunciationes faciant, hanc opinionem ſequitur Sanch. lib. 3. diſp. 11. num. 5. Nauarr. cap. 22. num. 38. Filiucc. tract. 10. cap. 5. num. 183. & alij. Verum ſi coniuges eſſent omninò certi, nullum poſſe oriri impedimentum inter eos, non puto, niſi vnũ tantum peccatum committere in contrahendo matrimoniũ, nõ autem in illud conſummando; quia præceptum Eccleſiæ tũc tantum violatur. Et ſi matrimonium contraheretur abſq; dictis denunciationibus abſq; diſpenſatione, eo quod non faciliter poſſet adiri Epiſcopus, & periculum eſſet in mora, vel ex alia iuſta cauſa, vt num. 13. tunc coniuges peccarent prima vice conſummantes matrimonium iuxta mentem Concilij Tridentini præcipientis, vt ſi ante matrimonium denunciationes præmitti non poſſint; præmittantur ante conſummationem.

17. Sed vtrum ſit culpa mortalis cõſummare matrimonium ante benedictiones? Et relictis varijs opinionibus, negatiuè eſt reſpondendũ; quod patet ex Cõcil. Trid. ſeſs. 24. cap. 1. de matrim. vbi dicitur. *Eadem ſancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem in templo ſuſcipiendam in eadem domo non cohabitent.* Vnde cũ hortando, & non præcipiendo loquatur Concilium, dicendum eſt, nullum adeſſe peccatum, ſi matrimonium conſummetur ante dictas benedictiones. Ita D. Thom. 4. d. 28. q. vnica art. 2. ad 3. Caiet. tom. 1. opuſcul. tract. 15. q. 1. de vſu matrimonij, & in ſumma verb. matrimonium ca. 2. tit. Vſus matrimonialis, Sot. 4. d. 28. q. 1. art. 2. Angelus verb. debitum num. 1. Syluest. ibi num. 9. & alij communiter. Addit tamen Sot. loc. cit. verſ. poſtrema denique, niſi adſit contemptus; ſed contemptus non erit; ſi quis ſcienter illas omittat, eo quod Eccleſia id non præcipiat; Angelus autem, & Syluest. addunt, niſi ſcandalum ſequatur; ſed

Digitized by Google

ſed Couar.4.decret.2.par.cap.7.§.2.num. 2.ait, non confeſtim ob ſcandalum, eſſe mortale, cum id minimè poſſit eſſe graue; vnde rarò tale ſcandalũ poterit eſſe mortale. Alij addunt, niſi excommunicatio eſſet lata in tali Diœceſi contra conſumãtes matrimonium ante benedictiones; tũc enim aſſerunt, eſſe peccatum mortale, vt P.de Ledeſma q.45.de matr.art. 5. punct. 3.dub.1.& alij; ſed Sanchez lib.3.diſp.12. num.10.§.Ego tamen. Putat non poſſe dari dictam excommunicationem, cum non adſit materia id præcipiendi ſub culpa mortali; nec id, quod eſt de conſilio Eccleſiæ, videtur poſſe præcipi ſub mortali. Vnde dicta excommunicatio minimè ligaret. Et nota, quod in caſu, quo eſſet mortale conſummare ante dictas benedictiones; dictum peccatum eſſet tantum in prima vice, vt Caiet.to. 1. opuſcul. tract. 13.de vſu matrim. q.1.& alij plures cum Sanchez num.12.Item eſt notandum,ſi eſſet mortale ante benedictiones conſummare, neutrum cõiugem poſſe petere,nec reddere,vt Palud.4.d.28.q.1.art. 2. num. 10.Syluest.verb.debitum q.1.verſ. quarta cauſa, & alij plures.

18. At maius dubium eſt, an ſit mortale omninò dictas benedictiones prætermittere? Et affirmatiuè reſpondet Filiuc. tract.10.par.1.cap.5.num.184.in fin.& ita videtur tenere Sanchez lib.3.diſp. 12. nu. 14.verſ.ad ſecundum dic, & in nu.10. vbi ait,Epiſcopum intra tempus commodum, ſcilicet intra ſemeſtre ad euitãdum ne dictæ benedictiones diù differantur, poſſe præcipere ſub excommunicatione, vt dictæ benedictiones recipiantur ex Sot.4.d. 28.q.vnica art.2. Tamen dictus Filiuc. tr. 10.2.par.cap.5.num.165. ait eſſe mortale, ſi omittantur ex contemptu,& perinde,ac ſi eſſent res vanæ,& cit.Sot.Nauar.& Suar. igitur intendit non eſſe mortale,ſi omittãtur abſq; contemptu, & ſic videtur ſibi cõtrarius; dum in primo loco dixerat abſolutè, eſſe mortale illis omittere; & ſimiliter Sanchez lib.7.diſp.82.num.6.idem ſẽtit, ſcilicet non eſſe mortale. Vnde ad dubium reſpondendum eſt negatiuè ſecluſo contemptu modo explicato; vt docet Bonac.de matrim. q.4. punct.6. num.2. cum alijs. Et ratio ſumi poteſt ex verbis Concilij Tridentini num.antec.relatis,quæ sũt hortatiua,& non præceptiua; hortatio autem non inducit culpam mortalem.

19. Deinde quæritur, vtrum ex denunciationibus publicè factis, teneatur quis denunciare impedimentum, quod ſcit, licet occultum? Reſpondeo affirmatiuè, & ratio eſt, quia ad impediendũ matrimonium ſufficit vnus teſtis, etiam ſi ſit denunciatus, vt in principio diximus, & docent Sanchez lib.1.diſp.71. nec obſtat, quod nemo teneatur denunciare id, quod probare nõ poteſt, vt optimè docet P.Nauar.lib.3.de reſtit.cap.1.nu.358.in 2. edit. Angelus verb.confeſsio 8.num. 22. Henriq.cum multis alijs lib.13.de excom. cap. 18.num.3.Nam reſpondetur id verum eſſe, quia denunciatio vnius non ſufficit,niſi probetur; at in præſenti caſu ſufficit; nec ſumus in caſu punitionis criminis cõmiſſi,ad cuius probationem non ſufficit denũciatio vnius; ſed ſumus in caſu, ne crimen committantur; & confirmatur ex doctrina D.Thom.2.2.q.70.art.1.aſſerentis, quemlib. teneri detegere peccatum alterius inferens damnum tertio, ſuperiore præcipiente; vnde cum ex hac denunciatione multa mala euitentur tum filijs non legitimè naſcituris, tum parentibus &c. dicendum eſt, quod quilibet teneatur denunciationem dicti impedimenti,licet occulti,facere;ſi autẽ tale impedimentũ proueniat ex peccato occulto, monitio debet precedere,ſi ſperetur aliquis bonus exitus; alioquin ſtatim faciẽda eſt denũciatio,&ſimiliter, ſi poſt monitionẽ,adhuc ſpõſi procurarent matrimonium contrahere;Sanc. lib.3.diſp.13.n.2.& 3.vbi quãplures affert, & ſequitur Filiuc.par.1. cap. 5. num. 185. quod intelligas,niſi impedimenti conſcius probabiliter dubitet de aliquo ſcandalo futuro; tunc enim non teneretur; etiam ſi id præciperetur ſub excommunicatione; vt Nauar.ca.22.nu.83.§. de ſecundò verſ. tertiò dico, & alij idem aſſerunt eſſe dicẽdum, ſi cõſcius dicti impedimenti id ſciat ſub ſecreto ſibi commiſſo; ſed contrarium eſt dicendum, dummodo non ſciatur ſub ſigillo confeſſionis ita Palud.4. d. 28.q. 2. art.5.nu. 31. vbi refutat alios contrarium

Digitized by Google

aſſerentes; ſequitur Sanchez num.5.§. Verum,& confirmatur ex doctrina D.Thom. 2.2.q.70.ar.2.vbi docet, ſecretò commiſſa, eſſe manifeſtanda, ſi vergant in damnũ publicum, aut tertiæ perſonæ;quod intellige, etiam ſi manifeſtans dixerit, hoc tibi detego ſub ſigillo confeſſionis; dum tamẽ verè non ſit confeſsio; quia dictus modus loquendi inducit tantum obligationem ſecreti naturalis; vel ad ſummum, vt loquitur Caiet.2.2.q.70.art.1. dictus modus non obligat pluſquam iuramentum ſecreti naturalis;quod etiam aſſerit D.Antonin.3.par tit.17.cap.22.§.2.in fine. Sequitur Sanchez num.5.§. hinc infertur; & idem ſimiliter eſt dicendum, quamuis genuflexo, & facta confeſsione id ſub ſecreto committatur;dummodo non detegatur animo confitendi, vel occaſione declarandi peccata; ſed tantum animo conſulendi; vt idem Caiet.Sot.Nauar.Henriq.Lopez, & alij, quos ſequitur Sanchez num.6.

20. Sed quid ſi quis id ſciat ex auditu? Reſpondeo, ſi conſcius impedimenti audiuit a perſona fide digna, adhuc tenetur manifeſtare,ſi dicta perſona digna non manifeſtet; & ratio eſt; quia audita à fide dignis faciunt notitiam; Vnde, & poſſet Prælatus poſtea citare talem perſonam fide dignam, & eius teſtimonium accipere. Nauar.ca.inter.verba corrollar.66. num. 290.& ſeqq.& in manuali cap.25. nu. 46. ſecus ſi perſona,à qua id fuit auditum non fuit talis, ſed leuis,& eius dictum nullius roboris; Corduba, & alij multi, cum Sanchez lib.3.diſp.13.nu.7.nec ſimiliter quis tenetur,ſi audiuit,ſed nõ recordetur à quo audiuit; & idem eſt dicendum,ſi talis conſcius impedimenti,iam ſciat contrahentes impetraſſe ſecretã diſpenſationẽ pro foro interno,vt idem Sanch.n.8.& pro iam dictis tam in præſenti,quam in antec.§.vide etiam Filiuc.tract.10.1.par.cap.5.n.186.

21. Vtrum autem contrahentes, ſi fuerint interrogati, an habeant aliquod impedimentum, teneantur illud manifeſtare, quamuis occultum ſit? Reſpondetur affirmatiuè, agitur enim de ſalute animarum, & intereſſe parentum, filiorum, &c.& iuxta Abbatem,cap.continebatur,n. 8.de deſponſ.impuber.& alij quotieſcunq; agitur de periculo animæ, poteſt exigi iuramentum à Reo, licèt Actor nihil probauerit,vide Sanchez lib.3.diſp. 14. & ſequitur Filiucc. loc. cit. num. 187. Quomodo autem ſe gerere debeat Parochus,vel Epiſcopus, quando audiunt aliquod impedimentum dirimens matrimonium, ſiue in confeſsione,ſiue extra.Vide Sanc.li.3.diſp. 15.& 16.Et de cõfeſſore id cognoſcente in cõfeſsione; quid agere debeat; iã diximus ſuo loco agẽdo de Sacramẽto pœnitentię.

22. Vltimum,quod propoſuimus diſcutiendum eſt,in quas pœnas incidãt tam contrahentes,quam parochus,& teſtes aſſiſtentes matrimonio clandeſtino; ſeu celebrato ſine denũciationibus;nam in principio diximus, eſſe duas ſpecies matrimonij clandeſtini; Prima eſt matrimonium celebratum abſque parocho,& teſtibus, & hoc matrimonium eſt omninò irritum;Secunda ſpecies eſt matrimonium; quod fit coram parocho,& teſtibus, ſed abſque denunciationibus; & hoc matrimonium licèt non ſit irritum; vt vſque modo probauimus, vocatur etiam clandeſtinum, & de primo matrimonio clandeſtino nunc quæritur, in quas pœnas incidant tam contrahentes; quam parochus, & teſtes ibi aſſiſtentes? Et quoad ſic contrahentes quinque numerantur pœnæ,prima eſt inhabilitas ad ſic contrahendum, vt iam probauimus ex Conc.Trid.ſeſſ.24.cap.1. de matr. Si tamen poſtea voluerint palàm contrahere, non indigebunt diſpenſatione ex declaratione S.Congregationis apud Sanch. lib.3.diſp.46.Secunda pœna eſt arbitraria ex eodem Conc.Trid.loc.cit. & ſupra iam notauimus.Tertia pœna eſt, Excommunicatio ſynodalis, quæ ſolet eſſe in pluribus Ciuitatib.Quarta pœna eſt,vt ambo cõtrahentes traderentur propinquioribus conſanguineis vxoris in perpetuam ſeruitutẽ; Sed hoc ius erat in Hiſpania, quod iã vſus aboleuit.Quinta pœna eſt exhæredatio, & hæc etiam eſt in Hiſpania; Sed quomodo & vbi ſit in vſu. Vide Sanchez lib. 3. diſp. 47.Vnde videtur dicendum,nullam adeſſe pœnam, ipſo facto incurrendam, vt iam diximus ſupra num.4.

23. Quoad Parochum, diſtinguendũ eſt, vel Parochus aſsiſtit matrimonio clã-

de-

deſtino ex defectu teſtium; & tunc matrimonium eſt nullum, & eſſet grauiter puniendus iuxta Concil. Tridentinum ad arbitrium Ordinarij, vel Epiſcopi; vel aſsiſtit matrimonio clādeſtino ex defectu denunciationum; & tale matrimonium, licet non ſit irritum; eſt tamen Parochus ſuſpēdendēdus per trienniū; vt iam diximus n. 14. & patet ex cap. final. de cland. deſponſ. ſi autem alius Parochus, vel alius Sacerdos abſq; licentia proprij Parochi aſsiſtat; matrimonium erit nullum, & talis aſsiſtēs eſt ipſo facto ſuſpenſus quoaduſq; Epiſcopus proprij Parochi, ad quem ſpectabat, diſpenſet, vt habetur in Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de matrim. verſus finem; poſſet tamen excuſari ratione ignorantiæ, licet craſſæ, ob illa verba Concilij. *Auſus fuerit*, quæ indicant veram ſcientiam, & temeritatem, vt probat Sanchez lib. 3. diſput. 48. num. 7. qua occaſione nota quod Canon. & quælibet alia lex imponēs pœnam præſumenti, vel auſu temerario facienti; tunc non afferat pœnam, & transgreſſores excuſantur ob ignorantiam, etiam craſſam; ſi in tranſgreſſione nulla fuerit temeritas, auſus enim dicit temeritatem, vt benè notat Gloſs. 1. l. ſi quis in tantā, C. vnde in, & ſimiliter præſumere dicit dolum, & temeritatem, vt Cardinal. Clemen. 1. q. 39. de priuilegijs D. Antonin. 3. par. tit. 24. c. 54. verſ. quærit item; Angelus verb. excommunicatio 5. num. 15. Syluest. eodem ver. 7. num. 34. Caiet. ſumma dicto verbo cap. 82. & quamplures alij, quos ſequitur Sanchez loc. cit. An autem parochus ſuſpenſus vt ſupra, poſsit abſolui ab Epiſcopo? negatiuè reſpondet idem Sanchez diſput. 52. nu. 2. cum multis alijs, licet non deſint contrarium ſentientes.

24. Dubium tamen eſt, vtrum Sacerdos regularis aſsiſtens matrimonio abſq; licentia parochi, incurrat non ſolum dictā ſuſpenſionem Concilij Tridentini; ſed etiā excommunicationem Pontifici reſeruatā per Clement. 1. de priuileg. Et ratio dubitandi eſt; quia quando minor pœna imponitur noua lege pro eodē delicto, pro quo imponebatur grauior lege antiqua; ceſſat dicta pœna legis antiquæ, vt docet Gomez 3. var. cap. 1. num. 38. Iulius Clarus lib. 5. pract. crim. q. 85. verſ. debet etiā iudex, Ananias cap. fin. de colluſione detegenda, Nauar. lib. 5. conſil. tit. 37. de pœnis conſil. 1. in fine, & alij plures, quos ſequitur Sanchez lib. 3. diſp. 48. num. 4. Tamen reſpondendum eſt, talem Sacerdotem regularem incurrere etiam in dictam excōmunicationem Clement. 1. quia dicta doctrina eſt vera in pœnis à iudice infligendis, non autem in ijs, quæ ipſo iure incurruntur, vt ſunt excommunicatio, & ſuſpenſio; vt idem Sanchez nu. 8. ex Anania, Nauar. loc. cit. & ex alijs.

25. Circa pœnas teſtium aſsiſtentiū matrimonio clandeſtino. Dico in iure nullas imponi pœnas dictis teſtiſius, non tamen ſequitur, non poſſe acriter puniri ab Epiſcopo, vt Filiuc. tr. 10. 1. par. cap. 5. nu. 190. §. ſecunda pœna.

De Miniſtro Sacramenti Matrimonij, ſeu de præſentia Parochi, & teſtiū. Cap. XCVIII.

1 *Ad validitatem matrimonij requiritur præſentia Parochi, & teſtium, alioquin matrimoniū erit nullum, nec excuſat ignorantia contrahentium.*

2 *In locis, in quibus non fuit publicatum, nec acceptatum Concilium Tridentinū, fideles poſſunt contrahere matrimonium iuxta leges dicti loci; non tamen clandeſtinè.*

3 *Fideles, ſi ex locis vbi obſeruatur Conciliū Tridentinum diſcedant, vel tranſeant, aut captiui ducantur ad loca, in quibus dictum Concilium non obſeruatur, poſſunt ibi contrahere iuxta leges dicti loci ſecùs autem poſſet etiā eſſe nullum matrimonium, ſi tales leges irritarent contractum.*

4 *Ad valorem matrimonij requiritur Parochus in cuius Parochia cōtrahentes morantur, vel alius Sacerdos, qui de eius licentia aſſiſtat matrimonio, alioqnin irritum erit.*

5 *Tam ſponſi, quam ſponſæ Parochus poteſt matrimonio aſſiſtere etiam extra Paro-*

chiam, vel Diœceſim.

6 *Parochus non Sacerdos poteſt aſsiſtere matrimonio iuxta probabiliorem opinionem.*

7 *Parochus non Sacerdos poteſt dare facultatem aſsiſtendi matrimonio Sacerdoti; ſecùs non Sacerdoti; & poteſt eligi Sacerdos, licet ſit excommunicatus, ſuſpenſus, &c.*

8 *Concedere facultatem alteri Sacerdoti, vt poſsit aſsiſtere matrimonio, non eſt actus procedens formaliter, ex iuriſdictione; & ideò talis conceſsio poteſt dari etiam extra Diœceſim.*

9 *Actus factus à iudice, vel Parocho, &c. non habente iuſtum titulum, vt ſit validus requiritur titulus coloratus, error communis, & quod non ſit contra aliquod præceptum diuinum, vel naturale.*

10 *Error, vt ſit communis, non ſufficit error vnius, vel duorum, & debet eſſe error verus, & non craſſus, &c.*

11 *Validè quis confitetur excommunicato publico, ſi confeſsio fiat in loco, in quo non æſtimatur talis nec ab ipſo pœnitente; & ſimiliter eſt validè abſolutus, qui confeſſus eſt confeſſario habenti fictam authoritatem ab Epiſcopo.*

12 *Geſta per habentem titulum coloratum, ſunt valida etiam reſpectu ſcientium iniuſtum titulum.*

13 *Proprius Parochus eſt proprius Sacerdos ad audiendas confeſsiones, & parochiani cenſentur illi, qui in tali parochia habet domiciliũ, vel accedunt animo ibi manendi.*

14 *Vagi ſunt illi, qui nullibi habent domiciliũ, & illi, qui de facto deſerunt illud vſquequo aliud non acquirant.*

15 *Parochus vagorum non poteſt illos matrimonio coniungere, niſi præmiſſa inquiſitione, & habita licentia ab Ordinario, & idem dicitur reſpectu forentium.*

16 *Si vnus ſponſus fuerit vagus, & alter incola poterit quilibet Parochus illos matrimonio coniungere.*

17 *Epiſcopus, eius Vicarius Generalis, & alij ſuperiores habentes authoritatem quaſi Epiſcopalem poſſunt etiam matrimonio aſsiſtere, & ſimiliter Legatus.*

18 *Parochus, licèt interdictus ne aliquos matrimonio coniungat, validè aſsiſtit, niſi adſit decretũ irritans dictum matrimoniũ.*

19 *Sacerdos, cui commiſſa eſt facultas aſsiſtẽdi matrimonio poterit id agere etiam extra parochiam.*

20 *Facultas aſsiſtendi matrimonio non debet eſſe tacita, ſed expreſſa; & licèt Parochus fuiſſet interdictus ab Epiſcopo, ne alteri talem facultatem committeret, adhuc validum erit matrimonium.*

21 *Licentia tacita ex ratihabitione de præſenti, vel de præterito ſufficit ad matrimonium, & ad audiendas confeſsiones, ſecùs ratihabitio de futuro.*

22 *Epiſcopus videns aliquem audire confeſsiones, & intrinſecè non conſentiens, adhuc confeſsio valida eſt; & ſimiliter matrimonium, ſi Parochus videat aliquem Sacerdotem aſsiſtere, & intrinſecè non conſentiat.*

23 *Sacerdos non debet præſtare fidem dicenti habere facultatem à Parocho, vt ipſe aſſiſtat matrimonio.*

24 *Ad validitatem matrimonij, non ſunt eſſẽtialia illa verba Parochi, Ego vos coniungo, &c. nec afferunt culpam mortalem, ſi omittantur, ſed tantum venialem.*

25 *Præſentia Parochi, & teſtium, debet eſſe non ſolum phiſica, ſed etiam moralis, & humana.*

26 *Non requiritur ad matrimonium, vt Parochus, & teſtes verba audiant, ſed vt tantum ſigna conſenſum exprimentia videant, vel per interpretem eis talis conſenſus declaretur.*

27 *Ad matrimonium ſufficit præſentia Parochi & teſtium, etiam per vim habita; imò validum etiam erit matrimonium, licèt fiat coram Parocho, & teſtibus trãſeuntibus, vel per vim retenti.*

28 *Validum eſt matrimonium contractum coram Sacerdote, cui fuit à Parocho conceſſa licentia per vim, & metum cadentem in conſtantem virum, vel ſub ficto nomine alicuius magnatis, & licèt alioquin talem facultatem non erat daturus.*

29 *Ad matrimonium requiruntur ſaltem duo teſtes cum Parocho ſimul, & teſtes, ſufficit, vt habeant vſum rationis, ſicut etiã Procurator conſtitutus ad contrahendum matrimonium nomine alterius.*

1 IAm ſupra in cap.92.nu.12. diximus, miniſtros Sacramenti matrimonij, ſeu efficientes ipſum matrimonium, eſſe ipſoſmet contrahentes;& in cap.antec. aſſeruimus ad matrimonium publicum requiri præſentiã parochi; in preſenti agendum eſt,vtrum omninò requiratur præſẽtia parochi ad validitatẽ matrimonij; quæ conditiones requirantur in parocho, qualis debeat eſſe eius præſentia,& an debeãt eſſe etiã teſtes,&c. Et quoad primũ, iã certum eſt ex dictis, neceſſariam eſſe præſentiã parochi ad matrimonij validitatem; neq; in hoc poteſt Epiſcopus diſpenſare; nec erit validum in articulo mortis, nec in caſu quo parochus haberi non poſſet, nec quæuis alia cauſa vrgentiſſima poteſt ſuffragari, vt matrimonium validum ſit inter fideles abſq; parochi præſentia; patet ex verbis Concilij Trid.ſeſſ.24. cap.1. de matrim.vbi dicitur. *Qui aliter quã præſente parocho, vel alio Sacerdote de ipſius parochi ſeu Ordinarij licentia, & duobus,vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S.Synodus ad ſic contrahendum omninò inhabiles reddit,& huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit*. Solum poteſt eſſe dubium an dicatur verum matrimonium inter fideles inuincibiliter ignorantes talẽ legem; licet habitent in Prouincia, in qua iam fuit promulgatum,& acceptatum Cõcil.Tridentinum; & neque horum matrimonium eſſe validum,dicendum eſt,& ratio eſt, quia licet lex pœnalis non afficiat ignorantes quoad pœnam; bene tamen afficit quoad annullationem actus, vt docet Sot.lib.1.de iuſtit.q.1.art.4.Nauar. c. 23. num.44.& lib.1.conſil.tit. de conſtit. conſil.1.q.4.num.15.& alij communiter. Cõfirmatur etiam, quia quoties conſtitutio exprimit tempus, à quo debeat obligare; vt ſi dicat ex nunc,vel in poſterum, vt loquitur Concil. Tridentinum; afficit ignorantes quoad nullitatem actus,non autem quoad pœnam;vt Gloſſ.Clem.2.de hęret. verb.ex nunc,& ibi Cardinal.poſt notabil. 6.Imola num.2.Sylueſt.verb.lex q.6.dicto 3.Nauar.lib.3.in 2.edit.tit.de regular. cõſil.31.num. 4. & alij quos ſequitur Sãchez lib.3.diſp.17.nu. 10. & Filiuc. tract.10.de matrim.1.par.cap.4.num.196.

2. In locis autem in quibus nunquam fuit promulgatum, nec acceptatum Concilium Tridentinum; certum eſt, quod fideles ibi habitantes poſſint contrahere abſq; parocho, &c. licet peccarent ſi omninò clandeſtinè contraherent, cum ſemper id fuerit prohibitũ, vt iam ſupra probauimus. Sed dubium eſt, vtrum ſi dicti incolæ transferentes ſe ad locum, vbi eſt promulgatum, & acceptatum dictum Cõcilium; teneantur contrahere iuxta vſum dicti loci, ſcilicet dictum Concilium? & affirmatiuè reſpondet Sanchez libro 3. diſp. 18. num.26. P. Ledeſma de matri. q.45. punct.3.dub.vlt.§.1.Bonac.de matr. q.2.punct.7.num.5.Filiuc.loc.cit.nu.198. Reginal.lib.31.num.176.& alij communiter,& ratio eſt,quia licet extranei,& peregrini non teneantur legibus loci per quem tranſeunt, niſi habeant animum ibi commorandi per maiorem anni partem; tamẽ quoad ſolemnitatem contractus vtiq; tenentur, vt loquitur Sanchez, & Filiuc. vel vt ait Bonac.id eſt verum, quando lex non eſt generalis,vt eſt iſta matrimonij.

3. Sed quid ſi incolæ loci,in quo obſeruatur Concil. Trident. ſe transferant, vel tranſeãt per loca, in quibus dictum Conc. non obſeruetur? Reſpondeo,poſſe dictos incolas cõtrahere iuxta morem dicti loci, in quo reperiũtur,quamuis nõ habeãt animũ ibi morãdi; vnde captiui apud Turcas, vel hæreticos benè poſſunt ibi contrahere matrimonium abſq; parocho, &c. Sed iuxta morem dictorum locorum, licet nõ habeant animum ibi ſemper commorandi; imò licet ibi eſſent per modum tranſitus;& quamuis eo fine ibi acceſsiſſent,vterentur enim iure ſuo, vt probat Sanchez lib.3.diſp.18.nu.29.& ratio eſt, quia probabilius defendit Sanchez num. 18. peregrinos abſentes non teneri legibus proprij domicilij; & poſito quod tenerentur; quoad ſolemnitatem contractuum ſubdũtur loco,in quo contractum ineunt.Quod etiam docet P.Ledeſma de matr.q.45. ar. 5.punct.3.concluſ.3.Filiuc.tr.10. de matr. par.1.cap.4.num.199.Bonac.loc.cit.num. 2.cum alijs multis apud hos Doctores, vide etiam Sanchez in num. 35. dixi iuxta mo-

Digitized by Google

morem dictorum locorũ, quia ſi matrimonium, vel quilibet alius contractus fiat; qui ſit nullus iuxta iura dicti loci; vtique irritus cenſendus erit. Vnde nec matrimonium erit validum, vt fusè dictus Sanchez diſp. 18. num. 10. excipitur tamen ſolummodo contractus dotis, in quo non attenditur ſtatutum loci, vbi fit contractus; ſed locus, in quo vir domicilium habet, vt ex Bartol. & alijs, idẽ Sanchez docet n. 11.

4. Vtrum autem ad valorem matrimonij, omninò requiratur proprius parochus, vel alius de eius licentia? Et affirmatiuè eſt reſpondendum; vt patet ex Cõcil. Trid. ſeſs. 24. cap. 1. de matrim. ſufficit tamen parochus alterius ſponſi in caſu, quo contrahentes eſſent diuerſæ parochiæ; vt communiter Doctores tradunt; & conſuetudo demonſtrat. ex Sanchez lib. 3. diſput. 19. num. 4. ſed nota, quod proprius parochus cenſeatur ille, in cuius parochia cõtrahentes morantur, vel ſi ibi diuerterint animo commorandi per maiorem partem anni, parochus autem alienigenarum eſt ille, in cuius parochia alienigenæ cõtrahentes morãtur maiore parte anni ex declaratione S. Congregationis, vt oſtendit Sanchez diſp. 23. Vnde validum erit matrimonium Bertæ, quæ tranſtulit ſe ad domum concubinarij animo ibi commorandi, ſi poſtea contrahat cum dicto concubinario, vel cum alio in præſentia parochi dicti loci; ex qua doctrina colligitur, matrimonium iterum contrahendũ eo quod inualidè fuerit prima vice contractum; eſſe contrahendum coram parocho, vbi ſponſi de præſenti commorantur, & non coram primo parocho; ſi inde diſceſſerint; vt docet Sanchez dicto lib. 3. diſp. 23. num. 15. & ſequitur Bonac. de matrim. q. 2. punct. 8. num. 3. Vide tamen ea, quo diximus c. 96. num. 9. & antea num. 7. item ſequitur, matrimonium eſſe inualidum, ſi contrahatur coram parocho ad cuius parochiam ſpõſus ire ſolet aliquoties in anno recreationis cauſa; & ſi in duobus locis habuerit domicilium eo, quod æqualiter hieme habitet in vno loco, & æſtate in alio, tunc alter parochus ſufficit ad matrimonium; ſicut ſufficit etiam ad cætera Sacramenta, vt probat Sanchez diſp. 24. num. 4. & 5. & antea num. 2. & 3. Bonac. num. 5.

5. Dubiũ tamen eſt, vtrum parochus v. g. ſponſi poſsit aſsiſtere matrimonio, quod contrahitur in parochia ſponſæ, & è contra? Et affirmatiuè reſpondet Nauar. lib. 4. conſil. tit. de ſponſal. conſil. 52. ex quadam Cardinalium declaratione; & ſequitur Sanchez lib. 3. diſp. 19. num. 11. & tenendum tamen, P. de Ledeſma de matrim. q. 45. art. 5. punct. 3. dub. 3. concluſ. 2. & alij. Poteſt etiã parochus extra vtriuſq; ſponſi parochiam, vel Diœceſim validè matrimonio proprij ſubditi aſsiſtere; quia dicta aſsiſtẽtia eſt actus iuriſdictionis voluntariæ, qui vbiq; exerceri poteſt, ſecus ſi eſſet actus iuriſdictionis ad contentioſam; dictus enim actus non poteſt exerceri à iudice extra territorium, vt expreſsè habetur l. 2. ff. de offic. Proconſul. & c. noui de offic. legati, quod docet ex communi ſententia Couar. 3. var. cap. 20. nu. 8. dicunt tamen aliqui, parochũ in aliena parochia aſsiſtentẽ matrimonio abſq; licentia parochi dictæ parochię; vel aſsiſtẽtẽ extra Diœceſim abſq; licentia Ordinarij, peccare, & eſſe puniendum; vt Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 3. num. 2. Rodriq. 1. tom. ſummæ cap. 219. num. 7. Attamen contrarium docet Sanchez loc. cit. nu. 18. & ratio eſt, quia nullum ius extat id prohibens; & dicta iuriſdictio, cum ſit voluntaria, poteſt vbique exerceri.

6. Secundum dubiũ eſt, an parochus, vel alius aſſiſtens ex mandato parochi, debeat eſſe omninò Sacerdos ad validitatẽ matrimonij? Supponitur enim poſſe dari parochum quin ſit Sacerdos; vt diximus in capitibus de beneficijs; vt eſt ſi primo anno à collatione dicti benenficij, beneficiarius non fuerit Sacerdos, in dicto tamen anno tenetur ſacerdotium aſſumere cap. licet Canon. de elect. in 6. & niſi Epiſcopus ratione ſtudij diſpenſet intra ſeptennium; vt ſacerdotium accipiat. Vnde tria quærũtur, vtrum talis parochus non Sacerdos poſſit aſſiſtere matrimonio, an poſſit Sacerdoti licentiam concedere; & an poſſit etiam non Sacerdoti; & quoad primum, licet probabiliter multi aſſerant, parochum non Sacerdotem non poſſe aſſiſtere matrimonio; tamen probabilius eſt di-

Digitized by Google

dicendum, poſſe, ſicut etiam poteſt concedere licentiam, vt quis alieno confeſſario confiteatur, vt Sot.4.d.18.q.4.ar.3.Palud. ibi diſt.17.q.3.ar.1.num.5. & ſimiliter poteſt concedere licentiam religioſis miniſtrandi Euchariſtiam, licet, ſit eis interdictum in Clem.1. de priuileg. abſq; tamen licentia ne poſſint dictam Euchariſtiã adminiſtrare abſq; licentia proprij parochi, vt Suar.3.par.q.82.art.3, diſp. 72, ſect. 3. Nauar.cap.27. num. 102. & alij, quos ſequitur Sanchez lib.3.diſp.20.nu.3.& nota quod quamuis aliquis putaret contrariã opinionem eſſe probabiliorem, nõ ex hoc ſequi non poſſe hanc opinionem amplecti, eo quod circa materiam, & formam Sacramentorum ſit omninò ſequẽda opinio probabilior; vt Salon.2.2.q.63.art.4.controuer.2.in ſolut.ad 2. nam licet id ſit verum; ne Sacramenta inualidè conficiãtur; quando autem ſe offert aliquod dubium, circa quod nullum adeſt præceptum Eccleſiæ, tunc poteſt quis relicta opinione probabiliori, & ſequi probabilem; vt docet Sanchez loc. cit. num. 4. §. Cæterum; nec in hoc caſu ſumus in materia, aut forma Sacramentorum; cum contrahentes efficiant matrimonium, & non parochus; vnde nec erit indecens, quod talis parochus non Sacerdos vtatur illis verbis, Ego vos coniugo, &c. vt benè notat idem Sanchez.

7. Quoad ſecundum, an parochus non Sacerdos poſſit dare dictam facultatem, aſſiſtendi matrimonio Sacerdoti? Et reſpondendum eſt affirmatiuè; ſicut etiam poſſet dare licentiam religioſo miniſtrandi Euchariſtiam, quam ipſe miniſtrare nequit: Et quoad tertium, an talis parochus dictam facultatem poſſit concedere non Sacerdoti? Reſpondendum eſt negatiuè, vt patet ex Concilio Tridentino, ſeſſ.24. cap. 1. de matrim. Et dictum præceptum Concilij ſemper ita fuit intellectum, & receptum; vt docet P. de Ledeſma de matr. q.45.art.5.pun.3.dub.4. Vega lib.6.ſumm. caſu 112, & alij, quos ſequitur Sanchez li. 3.diſp.20.n.9.& 10.& Filiuc. tract. 10. de matrim.1.p.cap.6.num. 203.& 204. Qui Doctores ſimiliter notant, non requiri, vt Sacerdos, cui fuerit talis facultas commiſſa, ſit approbatus ab Ordinario; imò licet eſſet excommunicatus, non toleratus, vel irregularis, adhuc poſſet eligi, & validè aſſiſteret, licèt venialiter peccaret. Ex qua Doctrina infertur, parochum excommunicatum publicum, ſeu non toleratum, ſuſpenſum, vel irregularem validè poſſe aſſiſtere matrimonio, nec peccare niſi venialiter. Et ratio eſt, quia dicta excommunicatio, &c. Non aufert poſſeſſionem beneficij à tali parocho; ſed eſt verus parochus; deinde, præſentia parochi non requiritur in matrimonio tanquam actus iuriſdictionis, quo quilibet priuatur per excommunicationem publicam; ſed requiritur tanquam authoritatem præſtans; vt idem Filiucc. loc. cit. & Sanchez diſp.21. num.4. ex Nauar. Henriq. Vega, & alijs; Et nota, illum dici publicum excommunicatum, qui eſt denunciatus, vel publicus clerici percuſſor; & omnia acta vi iuriſdictionis à tali excommunicato, ſunt inualida; ſecùs autem ſi non fuerit talis, vt habetur ex Concil. Conſtantienſi, vt infra etiam dicetur.

8. Neque dicas, concedere facultatẽ alteri Sacerdoti, vt aſſiſtat matrimonio, eſt actus iuriſdictionis; igitur ſi parochus fuerit publicus excommunicatus; vel ſuſpenſus, &c. non poterit concedere talem facultatem? Reſpondetur, falſum eſſe antecedens; quia talis conceſſio non eſt actus parochi formaliter in quantum habet iuriſdictionem; ſed in quantum eſt teſtis legitimus matrimonij habens authoritatem ſubſtituendi alterum; & confirmatur. Nam plures Doctores aſſerunt, Epiſcopum, licet publicum excommunicatum, poſſe concedere facultatem audiendi confeſſiones, & extremè vngendi; nec id eſſe actum iuriſdictionis; ſed tantummodo iuris ſibi competentis ceſſionem, vt Nauar. cap. placuit d.6.num.51. Sylu. verb. Vnctio, q.4. D. Anton.3.p.tit.14.cap.15.§.5. Corduba lib.5. quæſtiunc.q.13. & plures alij, quos ſequitur Sanchez lib.3.diſp.21.num.7. Et idem aſſerit in num.10. Eſſe dicendum de parocho, cui fuiſſet interdicta Sacramentorum adminiſtratio; & licèt in ſpecie Epiſcopus iuſtis de cauſis præciperet parocho ne aliquos matrimonio coniũgeret; adhuc enim validè aſſiſteret, licèt peccaret contra præceptum

ceptum

ceptum, quod eſt verum, etiam ſi parochus eſſet amouibilis ad nutum Epiſcopi; vel eſset ei datus Vicarius, vel coadiutor ob imperitiam iuxta diſpoſitionem cap. illiteratus d.39.& cap.niſi cum pridem de renunciat.& Triden.ſeſs.21. cap.6. de reformatione.

9. Sed quæſtio eſt, vtrum matrimonium cōtractum coram parocho, ita communiter æſtimato, non autem habente verum titulum validum ſit? Hæc quæſtio pendet ab alia, nēpè, an acta per iudicē, qui verè iudex nō eſt, valida ſint; v.g. an per ſeruum æſtimatū prætorē, ſed verè prætor nō eſt, valida ſint? Ad quam quæſtionem affirmatiuè communiter ſolent Doctores reſpondere ex l. Barbarius de officio prætoris, vbi affertur allatum exemplum de ſeruo putato prætore, & decernitur ab eo acta valida eſse. Tria tamen aſserunt Doctores debere concurrere, vt dicta acta valida ſint. Primum vt adſit titulus coloratus, ſecundum, vt adſit error communis, tertium, vt nullum adſit impedimentum iuris diuini nec naturalis. Quoad primū, tunc cenſetur adeſse titulus coloratus, quando legitimus ſuperior confert dignitatem, vel beneficium; & tamen collatio eſt irrita ex parte recipientis collationem; vt ſi ſuperior cōferret beneficium publico excommunicato, vel clerici percuſsori publico; irrita eſset collatio; ſecùs ſi collatio fieret excommunicato non publico, quia ille, & non iſte eſt vitandus ex decreto Concilij Conſtantienſ. imò acta per talē excommunicatum non vitandum cenſentur valida, ſicut è contra, acta per excommunicatum publicum cenſentur nulla, & irrita; vt Sanchez lib.3. diſp.22. num.43. & alij apud ipſum. Adeſt etiam titulus coloratus, quando habens beneficium à legitimo ſuperiore, poſtea cōmittit aliquod delictum, per quod eſt ipſo facto beneficio priuatus. Item adeſt titulus coloratus, quando ſuperior occultè reuocat dignitatem, vel facultatem; & quandò adeſt talis titulus aliquo ex his modo; valida ſunt acta per iudicem, vel parochum, quia tunc ius humanum ſupplet defectum veri tituli, vt conſtat ex citata lege. E contra verò omnia acta per non habentem talem titulum coloratum irrita omninò ſunt, vt ſi quis propria authoritate ſe intruſerit in officium iudicis, parochi, vel confeſſoris, certum eſt, quod omnia per ipſum acta irrita erunt, vt communiter omnes aſſerunt.

10. Secundum, quod requiritur, eſt error communis. Vnde non ſufficit error vnius, vel duorum, & debet eſſe verus error, & non craſſus, vel ſupinus; hic enim comparatur ſcientiæ, ex cap.2. de conſtit. in 6. vt Sanchez cum alijs loc. cit. num. 8. Tertium, quod requiritur eſt, vt non adſit impedimentum iuris diuini, nec naturalis; Et ratio eſt, quia Eccleſia non poteſt ſupplere id, quod eſt neceſſarium ex iure diuino; vt v. g. quod parochus, iudex, aut confeſſor, ſit vir, & non fœmina, &c. Ex qua doctrina reſpondetur ad quæſtionem in num.8. poſitam, validum eſſe matrimonium contractum coram parocho habentē titulum inualidum ob aliquod intrinſecum impedimentum, aut habente beneficium incompatibile ſibi collatum à legitimo ſuperiore: adeſt enim titulus coloratus cum errore communi abſque impedimento iuris diuini, vel naturalis. Sequitur etiam, validam eſſe abſolutionem data à Sacerdote communiter æſtimato pro parocho, cui Epiſcopus contulit beneficium parochiale; ſed collatio fuit inualida, eo quod talis Sacerdos erat publicus excommunicatus, vel publicus clerici percuſſor, quando recepit dictum beneficium. Sed quid ſi confeſſor, qui habuit facultatē ab Epiſcopo per annum, poſtea, eo expleto, adhuc perſeueret in audiendo confeſſiones? Reſpondeo inualidè audire, quamuis communiter habeatur pro legitimo Confeſſore; quia deeſt titulus coloratus; ſcilicet exercet talis Confeſſor facultatem ſibi non tributam à Superiore. Colligitur deinde, validum eſſe matrimonium contractum coram laico communiter putato Sacerdote, cui proprius parochus præbuit facultatem aſſiſtendi dicto matrimonio; adeſt enim titulus coloratus, ſcilicet, facultas à ſuperiore, adeſt error communis, nec adeſt impedimentum iuris diuini, nec naturalis, quod non poſſet Eccleſia ſupplere; nam ſicut Eccleſia ſtatuit, vt matrimoniū contrahatur coram parocho, & teſtibus, poſ-

Digitized by Google

poſſet etiam ſtatuere, vt contrahatur corā parocho, vide Sanchez per totam diſput. 22. Filiuc. tr. 10. de matrim. 1. p. cap. 6. nu. 206. & 207. & Bonac. de matr. q. 2. punct. 8. num. 24. & ſeqq.

11. Item ex tradita doctrina colligitur, validè eſſe abſolutum, qui parocho publico excommunicato, vel publico clerici percuſſori confeſſus eſt eo, quod in tali loco habebatur pro vero parocho, nec putabatur excommunicatus; nec ab ipſo pęnitente; Eccleſia enim ſuppleret iuriſdictionem, & iam adeſt titulus coloratus, & error communis; dixi nec ab ipſo pœnitēte, quia ſi ſciebat talem parochum eſſe excommunicatum, non poterat cum eo in diuinis communicare; vnde peccauit mortaliter, & ex hac occaſione confeſſio eſt reputanda irrita; non tamen ex defectu iuriſdictionis; & idem dicas de ſuſpenſo, & irregulari, vt notat Sanchez loc. cit. nu. 46. Bonac. num. 31. & 32. Reginal. lib. 1. num. 117. idem etiam eſt dicendum de abſolutione habita à Sacerdote, cui Epiſcopus fictè, & abſq; animo dedit facultatem abſoluendi; adeſt enim in hoc caſu, error cōmunis, & titulus præſumptus, qui etiā ſufficit ad validitatem actus, ſicut titulus coloratus, P. Ledeſ. q. 45. art. 5. punct. 3. dub. 4. Sanchez loc. cit. Bonac. num. 33. & alij; & idem dicas de matrimonio cōtracto coram Sacerdote, cui fictè parochus talem facultatem cōceſſit ex eiſdem Doctoribus.

12. Colligitur etiam, geſta per eum, qui habet tantum titulum coloratum, cum communi errore, eſſe valida etiam reſpectu illius, vel illorum, qui ſciunt talē parochum, vel iudicem non habere verum titulum; vt Filiucc. tract. 10. de matr. 1. par. cap. 6. num. 205. in fin. Bonac. num. 35. Secus eſt dicendum de confeſſione facta non Sacerdoti; nullo enim modo eſſet valida, quamuis adeſſet error communis, & titulus coloratus, quia adeſſet impedimentū iuris diuini; vt Caiet. & alij multi, quos ſequitur Sanchez in cit. diſp. 22. num. 13. & Bonac. num. 36. & idem eſt dicendum de actis à iudice, vel parocho mente capto, ſunt etiam omnia inualida, quia adeſt impedimentum iuris naturalis, vt ex Abb. ca. ſciſcitaris num. 12. de ſcriptis, Felino nu. 3. & ex alijs docet idem Sanchez num. 29. Reginal. lib. 1. num. 97. & alij.

13. Deinde quæritur, quis dicatur proprius parochus, vt poſſit matrimonio aſſiſtere, vel alteri talem facultatem concedere? Et quæ habitatio requiratur, vt quis dicatur ſubditus alicuius parochiæ? quoad primam partem reſpondeo, illum dici proprium parochū, qui in c. vtriuſq; ſexu de pœnit. & remiſs. appellatur proprius Sacerdos ad audiendas cōfeſſiones, & alia Sacramenta miniſtranda, Sot. 4. diſt. 18. q. 4. art. 2. Sanchez lib. 3. diſp. 23. num. 10. & alij communiter. Quoad ſecundam partem, dico non eſſe neceſſarium domicilium originis; ſed domicilium habitationis; vnde ſi quis vbi habitat, figit domicilium, ex tunc dicetur parochianus parochiæ dicti loci; quod ſi breui tempore rediturus poſtea inde diſceſſerit, vel recreationis cauſa, vel ad alia negotia peragenda; tunc non acquirit nouam parochiam, & ex conſequenti, non poteſt alius parochus aſſiſtere matrimonio, vt patet ex c. is qui de ſepult. in 6. imò aliqui dicūt, quorum opinionem probabiliſſimā putat Sanchez lib. 3. diſp. 23. num. 13, nempe, habentem domiciliū in vna parochia, ſi ſe trāsferat ad aliam parochiam non animo ibi permanendi, ſed ex cauſa limitata ad tempus, non ex eo acquirere aliā parochiam, etiam ſi ibi permaneret per maiorem anni partem, & ratio eſt, quia in cap. is qui de ſepult. in 6. non ponderatur tempus habitationis, ſed animus redeundi ad proprium domicilium; ita multi apud dictum Sanchez num. 11. Sed contrarium videtur probabilius; imò nec eſt neceſſe expęctare maiorem partem anni ad hoc; vt quis dicatur acquirere parochiam, aut diæceſim, ſed ſufficit vt quis ibi accedat animo permanendi, & habitandi per maiorem partē anni, ad hoc vt poſſit accipere tam Sacramentum matrimonij, quam alia Sacramēta; vt Cardinal. in Clemen. 1. de priuil. q. 16. Syluest. verb. domicilium q. 2. & alij, & ſi quis æqualiter habitet in duabus parochijs vt hyeme in vna, & æſtate in alia; poterit dicta Sacramenta in vnaquaq; accipere, Filiuc. tract. 10. de matrim. par. 1. ca. 6. num 208. 209. & ſeqq. Sanchez loc. cit.

Vuu nu. 13.

Digitized by Google

num. 13. & diſp. 24. num. 2. dictam autem ęqualem habitationem non intelligas mathematicè; ſed morali modo; vt docet D. Antonin. 3. par. tit. 17. ca. 4. caſu 2. Syluest. verb. confeſſor. 1. q. 3. & q. 12. & alij cum Sanchez dicta diſp. 25. num. 3.

14. Sed dubium eſt, quis ſit parochus vagorum, qui illos matrimonio coniungere poſſit? Sed priùs ſciendum eſt, vagos dici illos, qui nullibi certam habitationẽ habent ex l. eius, qui manumiſit 27. §. fin. ff. ad municip. Item dicuntur vagi, qui omninò deſerentes proprium domicilium, nauigant, vel iter faciunt quoadusq; alibi domicilium faciant, ſemper enim interim vagi vocantur, licet diſcedant cum animo ponendi domicilium in tali Ciuitate, vel Oppido particulari; ſemper interim censẽtur vagi; & à ſimili diſcedens omninò ab vna parochia; & non adhuc habens domum, ſed quærens illam, interim moratur per breue tempus in aliqua parochia, cenſetur etiam vagus reſpectu parochiarum dictæ Ciuitatis, vel Oppidi; non enim curatur de parochia, in qua ad breue tempus hoſpes reperitur, cum ibi non cenſeatur habitare patet ex l. 1. §. hæc autem verba ff. de his, qui deiecerunt, vbi ſic habetur: *Hoſpes planè non tenebitur, quia ibi non habitat, ſed paulisper hoſpitatur*; Et idem dicitur, ſi quis relicta prima domo, dum alia, ad quam eſt profecturus expeditur habitatione, hoſpitetur in aliqua domo alterius parochiæ, & hos vagos poſſe Sacramenta recipere in qualibet parochia diœceſis docet Sanchez lib. 3. diſp. 25. num. 7. Nauarr. cap. placuit de pœnit. d. 6. num. 80. Caiet. verb. abſolutio ex parte abſoluentis §. libertas, Henriq. lib. 11. de matrim. ca. 3. nu. 3. quibus notatis.

15. Dico, parochum vagorum non poſſe eos matrimoniũ coniungere, niſi præmiſſa diligenti inquiſitione, & obtenta Ordinarij licentia, vt habetur in Concil. Trident. ſeſs. 24. de matr. ca. 7. & idem intelligitur de alienigenis; ob eamdem rationem intentam à dicto conſilio, ſcilicet, quia cum ſint incogniti, poſſunt alibi matrimonio vincti eſſe; id tamen non intelligitur de vagis reſpectu parochiæ eiuſdem Oppidi, vel Ciuitatis vbi iã noti ſunt, v. g. de illis, qui dicuntur vagi eo quod relinquant domum in vna parochia, & dum ad aliam parochiã ſe transferant, ad breue tempus hoſpitatur in aliqua domo, modo declaration ib. n. anteced. in fin. ſed intelligitur de veris vagis nullibi habentib. domicilium, & de forenſibus, dummodo dictis forenſes non peruenerint ad locũ vbi matrimonium eſt contrahẽdum in ea ætate, qua minimè poterant alibi matrimoniũ inire; & eadem diligentia eſt facienda etiã ſi alter ſponſus vagus, aut forenſis fuerit reſpectu ipſius, ſed non alterius ſponſi non vagi, nec forenſis. Eſt autem petenda licentia ab Epiſcopo, vel eius Generali Vicario, qui etiam venit ſub nomine Ordinarij. Poteſt tamen matrimonio dictorum vagorum quilibet parochus intereſſe, quia ſicut quilibet poteſt horum confeſſiones audire, ita illos poteſt matrimonio coniũgere; nec valet limitatio aliquorum, nempe, dummodo id non fiat in fraudem proprij Sacerdotis; nam poteſt quilib. vti iure ſuo, & poterit etiam quis licitè ad hunc finem diſcedere ab vna parochia. Dummodo verè diſcedat, & dum vagus eſt, coram quouis parocho matrimonium inire; quã doctrinam intelligas, niſi alicubi ex iuſſione, ſeu priuilegio Pontificis fuiſſet aſſignatus confeſſor pro vagis, dixi Pontificis; quia ad hoc non ſufficeret Epiſcopus, cum non poſſit reſtringere id, quod conceditur dictis vagis ex iure communi; vt probat Sanchez lib. 3. diſp. 25. num. 12. & pro iam dictis vide ipſum Sanchez à num. 8. & ſeq. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 3. nu. 3. Filiuc. tract. 10. de matrim. 1. par. cap. 6. num. 212. & in num. 213. notat, parochum non præmittentem ſupradictam diligentiam, mortaliter peccare, & ſimiliter ſi alius Sacerdos, qui de parochi licentia aſſiſteret; ſed matrimonium validum eſſet ex eodem Sanchez num. 16. & ex alijs multis.

16. Ex qua doctrina infertur; ſi alter ſponſorum ſit vagus, & alter incola, poſſe quẽlibet parochum eos matrimonio coniungere; quia ad valorem matrimonij, ſufficit quilib. contrahentium parochus; & cum quilib. ſit parochus vagi, quilibet poterit eos matrimonio coniungere, ita Sanchez loc. cit. num. 14. contra P. Ledeſm. aſ-

ſe-

ferentem in dicto caſu requiri parochum non vagantis; noſtram tamen doctrinam ſequitur Filiuc. dicto nu.212. Et ſicut quilibet parochus poſſet matrimonio vagi aſſiſtere, ſic quilibet poſſet dare alteri Sacerdoti licentiam aſſiſtendi, vt idem Sanch. num.15. & P. Ledeſma de matrim. qu.45. art.5.circa 3.pun.fol.193.§.Dico tertiò.

17. Vtrum autem adſint alij præter parochum, qui matrimonio aſſiſtere poſſint, & alijs facultatem aſſiſtendi concedere? Reſpondeo etiam aſſiſtere poſſe Vicarium parochi, licet amouibilem habentem tamen auctoritatem adminiſtrandi Sacramẽta, & dandi licentiam aſſiſtendi matrimonio vbi talis vſus fuerit: nam non in omni loco videtur talis vſus; Item poſſunt Epiſcopi, & eorum Vicarij Generales; & ex conſequenti omnes alij Sacerdotes de licentia dicti Epiſcopi, vel dicti Vicarij Generalis; aut alterius ſuperioris habentis authoritatem quaſi Epiſcopalem, & nulli Epiſcopo ſubiecti, qualem habent Cardinales in Eccleſijs ſuorum titulorum, & aliqui Abbates in ſuis Abbatijs; Sed vtrum Archiepiſcopus poſſit coniungere matrimonio ſubditos ſuorum ſuffraganeorum? Reſpondetur negatiuè; quia non poteſt dici ordinarius reſpectu dictorũ ſubditorum; vt Sanchez lib.3.diſp.29.& 30. Bonac. de matrim.q.2.pun.8.n.10.& 15. Filiucc. loc. cit.num.214.Henriq.lib.11.de matri.ca.3. & alij. An idem ſit dicendum de Legato in ſua legatione? Reſpondeo negatiuè, benè enim poteſt matrimonio aſſiſtere, & alteri facultatem concedere; Cum ſit Ordinarius in tota ſua legatione, vt habetur in cap.2.de offic.legat.in 6.

18. Sed dubium eſt, an parochus interdictus ab Epiſcopo; vel per conſtitutionem ſynodalem ne poſſit certos matrimonio coniungere, nec alio Sacerdoti, niſi approbato ab Epiſcopo facultatem aſſiſtendi matrimonio concedere, validè aſſiſtat, vel aſſiſtere faciat: ſi operetur contra dictum interdictum? Reſpondetur affirmatiuè, niſi in tali prohibitione addatur particula irritans quidquid in contrarium geſtum fuerit, vt probat Sanchez ex declaratione S. Congregationis, & deciſione Rotæ lib. 3. diſp.32.num.2. P.de Ledeſma de matrim. q.45.art.5.p.3.dub.2.fol.190. Filiuc.tract. 10.ca.6. num. 215. & alij. Eodem modo eſt reſpondendum, ſi Epiſcopus præciperet parocho, vt non aſſiſtat, niſi præcipiat ſpõſis ſub pœna excommunicationis, ne matrimonium conſument, niſi promiſſis denunciationibus; vel vt nullo modo aſſiſtat, niſi præmiſſis dictis denunciationibus; nam huiuſmodi ſunt inſtructiones ad obſeruantiam iuris communis; & ideò non reddunt irritum matrimonium, niſi id explicetur, vt diximus ex eodem Sanchez diſp.33.n.3. Filiucc.num.216.Nauar.cap.27.num.37.& Couar.affirmat id eſſe commune in c.Alma mater.1.p.§.9.num.8. & alij.

19. Secundum dubium eſt, vtrum Sacerdos, cui parochus commiſit, vt matrimonio aſſiſtat, poſſit validè aſſiſtere extra parochiam committentis? Hoc dubium pendet ex alio iam in antece. capitibus explicato, nempè an parochus poſſit aſſiſtere matrimonio extra ſuam parochiam? Et quia dictam iuriſdictionem diximus eſſe voluntariam, & non contentioſam; Affirmatiuè reſpondimus; ſicut etiam eſt verum de confeſſoribus, tam ordinarijs, quam delegatis, qui poſſunt audire cõfeſſiones ſubditorum etiam extra Diœceſim, vt ſupra probauimus, & hic etiam iterum probat Sanchez diſp.34.num.2.§. Eamdem ſententiam. Vnde ad dubium reſpondendum eſt, validè, & abſque ſcrupulo poſſe aſſiſtere talem Sacerdotem matrimonio ſubditi parochiæ parochi dantis facultatem aſſiſtendi. Vide Sanchez loco citato, quam ſequitur Filiuccius loco citato numero duceteſimo vigeſimoſeptimo.

20. Eſt tamen notandum, facultatem concedendam à parocho, vel alio ſuperiore, vt ſupra, non debere eſſe tacitam; ſed expreſſam; qualis eſt illa, quæ datur ſpecialiter ad aſſiſtendum matrimonio, vel generaliter ad exercendum in parochia omnia, quæ ad curam animarum pertinent, vel ad adminiſtrandã omnia Sacramenta; niſi credatur probabiliter de voluntate parochi non eſſe, concedere etiam facultatem aſſiſtendi matrimonio; Si autem licentia generalis eſſet ab Epiſcopo, vel per conſtitu-

Digitized by Google

tionem ſynodalem conceſſa alicui adminiſtrandi omnia Sacramenta, vel omnia ſpectantia ad curam, vtiq; includeretur etiam aſſiſtentia ad matrimonium; imò etiam ſi talis licentia fuerit conceſſa à parocho alicui Sacerdoti; licet Epiſcopus, vel conſtitutio ſynodalis interdixiſſet parocho, ne facultatem aſſiſtendi alteri delegaret; adhuc intelligeretur talis licentia conceſſa; & validum eſſet matrimonium iuxta ea, quæ diximus num. 17. Et ſumitur ex quadam declaratione S. Congregationis, quam citat Sanchez lib. 3. diſp. 35. num. 13. ibi ſcilicet num. 7. q. 10. & ſeqq. dictam doctrinam docet, quam ſequitur. Bonac. de matrim. q. 2. pun. 8. num. 11. Filiucc. tract. 10. cap. 6. n. 218. Reginal. lib. 31. n. 178. & alij.

21. Sed maius dubium eſt, an ſufficiat licentia tacita ex ratihabitione? Pro quo intelligendo; ſciendum eſt, duplicem eſſe licentiam ex ratihabitione, primam de futuro, vt quando creditur, parochum ratum habiturum; Secunda de præſenti, vel de præterito, vt quando tempore, quo miniſtratur Sacramentum, vel antea adſit aliquis tacitus conſenſus, & interpretatiuus aliquo ſigno externo manifeſtatus; vt ſi in præſentia Prælati confiteatur quis alicui Sacerdoti, vel coram eo Sacerdos contrahat matrimonium, & Prælatus videat, & taceat, cum facilè impedire poſſit; vel ſi duo parochi ſint tali familiaritate coniuncti, vt alter ſciens ſuos parochianos confiteri alteri, vel coram eo inire matrimonium, gaudeat, & admittat ſchedulas confeſſionis, vt explicat, & loquitur Sanchez lib. 3. diſp. 35. num. 1. Quo poſito ad dubium reſpondetur, non ſufficere ratihabitionem, de futuro, neque ad matrimonium, neque ad audiendas confeſſiones, ratihabitionem autē de præſenti, & de præterito vtique ſufficere; vt optimè probat Sanchez loc. cit. num. 20. & 21. quod intellige pro illa vice tantū; non enim ex tali ratihabitione debet præſumi licentia ſimpliciter, vt Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 13. num. 13. & Sanch. n. 22. Fundatur dicta doctrina in cap. final. de officio Vicarij in 6. vbi dicitur, *Non poſſe Vicarium conferre beneficium, niſi ei ſpecialiter committatur; & tamen, ſi poſt reuocatam licentiam conferat vidente, & patiente Epiſcopo, valet collatio.* Deinde procurator, ſi poſt reuocationem, adhuc gerat negotia reuocantis procurationem, ipſo vidente, & patiente, validè agit; Et idem eſt dicendum de procuratore excedente fines mandati ſciente, & patiente domino; illa enim licentia, & patientia habetur pro legitima licentia; vt Felin. cap. 1. num. 12. vt lite non conteſt. Iaſon. l. Si procurator, num. 17. limit. 6. ff. de condictio. indebit. quos ſequitur Sanchez num. 20. cit. circa fin.

22. Sed quid ſi parochus, vel Epiſcopus videat Sacerdotem audientem confeſſionem, vel aſſiſtentem matrimonio; & intrinſicè non conſentiat? Reſpondeo validum eſſe matrimonium, & confeſsionem? Et ratio eſt, quia, vt iam in fine antec. num. diximus ratihabitio de præſenti apud peritos idem eſt, ac expreſſa licentia; vnde iam adeſt titulus præſumptus, & communis error, quos diximus ſupra num. 8. & 9. eſſe neceſſarios ad validitatem actus, vide Sanchez lib. 3. diſp. 22. n. 65.

23. Vtrum autem Sacerdos teneatur fidem præſtare dicentibus ſe habere licentiam à parocho vt eos coniungat matrimonio? Et videtur affirmatiuè reſpondendum, quia, vt ait Diuus Thom. quolibet 1. art. 12. & 4. d. 18. q. 3. ar. 3. quæſtiunc. 5. ad 2. parochus eſt crediturus parochiano dicenti falſum eſſe habenti authoritatem ipſum abſoluendi; atque debet ei adminiſtrare Euchariſtiam; dummodo parochus non habeat probabilia ſigna mendacij, vt modificat Angelus ver. confeſsio. 3. num. 32. & alij, & ſimiliter Sacerdos regularis eſt crediturus dicēti ſe habere licentiam à parocho, vt ei miniſtretur Sacramentū confeſſionis, & Euchariſtiæ; vt Abbas in Clement. 1. de priuileg. num. 5. Sylueſt. verb. confeſſor. 1. q. 17. & ſimiliter religioſus quamuis ſit excommunicatus, ſi abſq; expreſſa licentia parochi miniſtret Euchariſtiam, Extremā Vnctionē, vel aſſiſtat matrimonio, tamen credere debet decenti ſe habere licentiam à parocho ad hæc omnia; vt in cit. Clement. 1. ver. non habita, docet Gloſs. D. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 54. Angelus verb. excōmunicatio caſu 12. num. 17. Syluest. excōmunicatio 7. num. 35. Tabbien. eodem ver. 5. num.

num.5,& alij. Eſt tamen dicendum, non eſſe regulariter loquendo, credendum dicẽti habere licentiã, vt alius Sacerdos aſſiſtat matrimonio, niſi id affirmans eſſet valdè fide dignus; & ratio eſt, quia minus prçſuméda eſt deceptio in Euchariſtia, & pœnitentia, quam in matrimonio, in quo ob multa commoda externa, homines poſſent mentiri; & idem dicitur de Sacramẽto Ordinis, de quo dicit Abb. dicta Clementina 1. num.5. non eſſe præſtandam fidem dicenti ſe habere licentiam; & idem eſt dicendum, ſi quis diceret obtinuiſſe licentiã ne præmittantur denunciationes; niſi, vt dixi, id aſſerens eſſet perſona timoratæ conſcientiæ, & fide digna; & confirmatur, quia neq; fides eſt adhibenda dicenti fuiſſe abſolutum ab excommunicatione, vt habetur in cap. ſicut de ſentent. excommunicationis. Niſi (vt ibi dicitur) excommunicatus literas abſolutionis oſtendat, aut alio modo legitimè de eius abſolutione cõſtet; & ratio horum omnium eſt, quia in his faciliter poteſt præſupponi deceptio ob aliquod commodum conſequendum, Sãchez lib.3. diſp.37. num.2. & 3. Filiucc. tr.10. de matr. par.1. cap.6. num.221. & alij.

24. Quæritur deinde, an neceſſariò requirantur aliqua verba ad validitatem matrimonij? Nam certum eſt, id præcipi in Concil. Trid. ſeſſ.24. cap.1. de matrim. vbi ſic habetur. *Præcipit ſancta Synodus, vt Parochus, viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat ego vos in matrimonium coniũgo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel alijs vtatur verbis iuxta receptum vniuſcuiuſque Prouinciæ ritum.* Tamen reſpondetur, neque dicta verba pertinere ad eſſentiam matrimonij, vt volebat Cephalus conſil.940. num.47. vol.4. Neque eſſe de neceſſitate præcepti inducentia peccatum mortale, vt volebat Vega lib.6. ſumm. caſu 112. & 216. Eſſe tamẽ de neceſſitate præcepti inducentis culpam venialem, eo quod agatur de leui materia; & licet Concilium vtatur verbo *præcipio* tamen ſub tali prçcepto debent etiam contineri res graues, quas omittere, eſſet mortale, vt ſunt denunciationes, & vt matrimonium celebretur coram parocho, & teſtibus, vt parochus habeat librum, &c. Imò etiam ſub dicto prçcepto continetur, vt parochus interroget contrahentes de mutuo conſenſu; & an habeant aliquod impedimentum, & tamen id omittere, non erit mortale; vt probat Sanch. lib.3. diſp.38. & Filiucc. tract.10. de matr.1. p. cap.6. num. 222. & 223.

25. Secundò quæritur an præſentia parochi, & teſtium debeat eſſe libera, an ſufficiat etiam ſi fuerit per vim habita? Reſpondeo, ad matrimonium neceſſariò requiri præſentiam parochi, & teſtium non ſolum phyſicam, ſeu corporalem, ſed etiam moralem, & humanam, ſcilicet, habitã cum aduertentia; vnde ſi parochus, vel teſtes eſſent ebrij; furioſi, vel infantes, irritum eſſet matrimonium; Et ratio eſt, quia qui non aſsiſtit more humano, ſcili. cum aduertentia, non dicitur aſsiſtens, neque præſens, vt habetur in l. coram Titio 209. ff. de verbor. ſignificat. vbi ſic dicitur. *Coram Titio aliquid facere iuſſus, non videtur præſente eo feciſſe, niſi id intelligat, itaque ſi furioſus ſit, aut infans, aut dormiens, non videtur coram eo feciſſe.* Ad quem locum Doctores aſſerunt, quotieſcũque in lege requiri præſentiam perſonæ, non intelligi aliquem præſentem eſſe, niſi intelligat quid agatur; vt fusè probat Felin. in procemio decretal. num.21. & ſeqq. Et cum præſentia parochi, & teſtium inſeruiat, vt poſſint teſtificari de matrimonio; ne vno coniuge viuente, poſſit alter cum alia, vel alio contrahere, ſequitur, quod talis præſentia debeat eſſe non ſolum phyſica; ſed etiam moralis, & humana; vt docet Vega lib.6. ſummæ caſu 114. & 115. P. de Ledeſma de matrim. q.45. art.5. pun.3. dub.2. fol.188. & q.46. art.2. dub.2. verſ. Nihilominus. Henriq. lib.11. de matrim. cap.3. num.1. & 9. & alij citandi.

26. Non eſt tamen neceſſe, vt parochus, & teſtes verba audiant, ſed ſufficit, vt videant ſigna mutui conſenſus; quia neque ad matrimonium ſunt neceſſaria verba; ſed tantum ſigna conſenſum exprimentia, vt in principio diximus; imò ſufficit, vt intelligant dictum conſenſum per interpretem, quando matrimonium contraheretur inter ſponſos diſtincti idiomatis; nam tam matrimonium, quam cæteri cõtractus poſſunt per interpretem celebrari, vt ſuo loco proba-

bauimus; nec obſtat, quod matrimonium ſit Sacramentum, quia etiam in Sacramento pœnitentiæ, ſufficit, vt confeſſarius per interpretem intelligat peccata; Et quid, ſi parochus data opera nollet intelligere, nec videre dicta ſigna; obturando aures, & oculos? Reſpondeo, vel dictus parochus verè intellexit, aut vidit, vel non, ſi primo modo, ratum erit matrimonium, ſi ſecundo modo, irritum erit; & patet ex verbis declarationis S. Congregationis, quas refert Sanch. lib. 3. diſp. 39. num. 6. Nempè Congregatio Concilij cenſuit, non valere matrimonium, ſi Sacerdos non intellexit, niſi tamen affectatum eſſet non intelligere, ſcilicet, niſi data opera fingeret non intelligere; tunc enim eſset matrimonium. Ex eodem Sanch. loc. cit.

27. Verum autem ſufficiat præſentia parochi, & teſtium per vim, & dolum habita, vel ſi fuiſſent adducti alia ficta cauſa, aut per vim detenti? Et reſpondetur affirmatiuè: Et ratio eſt, quia aliquid dicitur fieri coram aliquo, licèt inuitus adſit, dummodo aduertat id, quod fit. patet ex l. coram Titio 209. ff. de verb. obligat. vbi ſic dicitur, *Scire autem, non etiam velle is debet, nam etiam eo inuito rectè fit*; Quam doctrinam Doctores confirmant ex quadam Cardinalium declaratione; & multò magis id erit verũ, ſi parochus, & teſtes dolo fuerint vocati ad aliud, & interſint matrimonio; imò etiã matrimonium contractum coram parocho, & teſtibus tranſeuntibus validum erit, dummodo intellexerint conſenſum contrahentium, quia iam dicuntur præſentes, & poſſunt eſſe teſtes matrimonij: & habetur id, quod intendit Concilium Tridentinum per dictos teſtes, parochum, &c. ſcilicet, ne vt ſuprà diximus, altero coniuge viuente, alter cum alio, vel alia contrahat; vt etiam dicitur in præfation. dicta ſeſſ. 24. P. de Ledeſma de matrim. q. 45. art. 5. pun. 3. dub. 2. ad fin. fol. 190. colum. 2. §. ex dictis ſequitur Nauarr. Rodriq. Henriq. & alij plures, quos ſequitur Sanch. lib. 3. diſp. 39. num. 8. 9. & ſeqq. & Filiucc. tract. 10. de matrim. p. 1. ca. 6. num. 225. & 226.

28. Item validum etiam erit matrimonium contractum in præſentia Sacerdotis de licentia parochi, quamuis parochus dictam licentiam per vim, & metum cadentem in conſtantem virum conceſsiſset: & idem eſt dicendum, ſi ad obtinendã dictam licentiam fuerint adhibita mendacia, & dolus: vt ſi falſo nomine alicuius magnatis fuiſset dicta licẽtia petita, & quamuis alioquin parochus eam non eſset conceſſurus; vt idem Sanchez num. 13. & 14. & Filiucc. num. 227.

29. Quot autem, & quales teſtes requirantur ad validitatem matrimonij? Reſpondeo certum eſse, requiri ad minus duos teſtes cum parocho, & debent eſse rationis capaces, dixi coram parocho, quia non ſufficit, ſi primò parochus, & poſtea teſtes videant conſenſum contrahentium; ſed debet eſse ſimul, dum matrimonium contrahitur; dixi rationis capaces, quia in eis nõ requirũtur qualitates in iure requiſitæ, & licèt aliàs ſint illegitimi teſtes, tamẽ fidem faciunt ſufficientem, nec repellũtur, quando de communi conſenſu contrahentium admittuntur, vnde non requiritur aliqua ætas determinata, vt Sanchez lib. 3. diſp. 51. num. 5. & in n. 7. Probat eamdem doctrinam eſse veram reſpectu procuratoris electi ad contrahendum matrimonium; nam non requiritur in eo alia ætas, quam ætas vſus rationis, quo tamen ſufficiens ſit ad explicandum conſenſum principalis contrahentis; Eamdem doctrinam tradit Filiucc. loc. cit. num. 229. & 230. Diuus Antoninus tertia parte, titulo ſexto, §. 7. Sylu. verb. procurator. verſ. Sed nota, & alij.

DE

Digitized by Google

DE DONATIONIBVS INTER VIRVM, ET VXOREM.

An inter Virum, & Vxorem validæ ſint Donationes, & quonammodo confirmentur. Cap. XCIX.

1 *Duplex eſt donatio, ſimplex, & eſt illa, quæ fit ex mera liberalitate donantis, & ob cauſam, quæ fit ex aliqua cauſa, & hæc triplex eſt, licet duæ tantum ſint in vſu.*

2 *Donatio inter cõiuges ſimplex non eſt nulla, quatenus confirmatur morte donantis, & dicitur, etiam nulla, quatenus poteſt ad libitum donantis reuocari.*

3 *Donatio inter Imperatorem, & Imperatricem, vel Reges, & Reginas, aut Principes abſolutos, & Principiſſas, valida eſt, & quotieſcunq; coniux donatarius non fiat ditior, cum iactura coniugis donantis.*

4 *Donatio inter coniuges valet, ſi res donata ſit tranſitura ad alium coniugem poſt mortem coniugis donantis.*

5 *Donatio inter coniuges putatiuos, ſed non veros, erit irrita, vel ſecundum alios poterit reuocari viuente donante; niſi malitioſè ex parte vtriuſq; vel ex parte vnius matrimonium fuiſſet contractum.*

6 *Donatio inter coniuges, ex qua donans non fiat pauperior, licet donatarius fiat ditior, valida erit.*

7 *Religioſus poteſt rogare volentem ſibi aliquid donare, vt alteri donet ex aliqua tamen cauſa.*

8 *Debitor poteſt repudiare hæreditatem, vel legatum, quo poſſet creditoribus ſatisfacere.*

9 *Prælatus poteſt repudiare hæreditatem, vel legatum abſq; vlla ſolemnitate ante acceptationem illius.*

10 *Donatio inter coniuges bonorum communium acquiſitorum, vel acquirendorum, valida erit.*

11 *Donatio remuneratoria inter coniuges valida erit, aliquibus tamen conditionibus ſeruatis.*

12 *Vxor poteſt conſtituere dotem marito, vel illam augere, at maritus non poteſt illam conſtituere vxori conſtante matrimonio, niſi in aliquibus caſibus, vt ratione nobilitatis vxoris, vel minoris ætatis.*

13 *Senex, vel vir ignobilis ante contractum matrimonium, ſi conſtituat dotem, minuit totum patrimonium, ſecus ſi poſt.*

14 *Confeſſio dotis non receptæ, ſi fiat conſtante matrimonio, cẽſetur donatio, quæ reuocari poteſt, vt aliæ donationes ſecus ſi fiat ante.*

15 *Donatio inter coniuges cauſa mortis valida eſt, & poſſent coniuges mutuo dictas donationes facere.*

16 *Donatio inter coniuges firmata iuramento, irreuocabilis cenſetur, quãuis alij contrarium ſentiant, & probabiliter.*

17 *Maritus, qui ob ſpem futuræ dotis, iurauit illam iam accepiſſe, non tenetur reſtituere, ſi poſtea non accipiat, & donatio facta cum iuramento contra aliud iuramentum illam non faciendi, valida non eſt.*

18 *Donatio inter coniuges firmatur morte donantis; ſed quatuor conditiones ſunt neceſſariæ.*

19 *Donatio facta à viro vxori, valida erit, etiã ſi nulla adfuit rei donatæ traditio.*

20 *Si donatarius coniux præmoriatur ante ſuũ virum donantem, nulla erit donatio.*

21 *Donatio inter coniuges non poteſt fieri vltra quincentos ſolidos abſq; inſinuatione.*

22 *Donans ſi mutet voluntatem expreſsè, vel tacitè, donatio cenſetur reuocata, & ob multas cauſas debet cenſeri reuocata; vel irrita.*

23 *Donatio inter coniuges retrotrahitur quoad fructus vſq; ad tempus traditionis rei donatæ factæ, non poteſt tamen res vſucapi; licet ſtatim ſequuta morte donantis, transferatur eius dominium ad donatarium ante vllam hæreditatis aditionem.*

24 *Coniux donatarius, ſi donatio fuerit reuocata, tenebitur reſtituere fructus tantum naturales, & non fructus induſtriales,*

nec

nec illos naturales, ex quibus ditior factus non ſit.

25 *Donatio inter coniuges remanet etiam confirmata per mortem ciuilem coniugis donantis; ſed multa ſunt notanda.*

1 QVia tam inter ſponſos de futuro, quam inter coniuges poſt cōtractum matrimonium donationes quędam fieri ſolent; ideò, ne aliquid in præſenti tractatu deſit, neceſſarium duxi de illis in hoc loco agere; ſed primò agemus de illis, quæ fieri ſolent inter coniuges, deinde de alijs fieri ſolitis ante matrimoniū contractum. Eſt igitur primò ſupponendum, duplicem eſſe donationem, nempè ſimplicem, & eſt illa, quæ fit ex mera donantis liberalitate ex l. 1. in princ. ff. de donat. l. 1. tit. 4. p. 5. Et ob cauſam: quæ ob aliquam cauſam fit, & hæc triplex eſt, prima vocatur, ſponſalitia largitas. Secunda donatio propter nuptias, ſeu ante nuptias. Tertia Arrha. Prima eſt illa, quæ fit inter ſponſos de futuro ob ſpem ineundi matrimonium. Secunda eſt illa, quæ dabatur ſponſæ à ſponſo pro matrimonij oneribus; & appellabatur dos, eo quod ad ſimilitudinem dotis, quæ reuertitur ad mulierem mortuo marito, reuertebatur talis donatio ad maritum mortua vxore; & in hoc diſtinguitur ab Arrha, nempè, quia Arrha ſoluto matrimonio, non reddit ad virum. Sed fit ipſius vxoris, è contra verò donatio propter nuptias non redibat ad virum, niſi mortua vxore; vt Gomez l. 52. Tauri num. 12. Non tamen eſt amplius in vſu dicta donatio, vt teſtatur Clarus lib. 4. §. donatio. q. 11. Molin. tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 290. ad fin. & alij. Arrha autem, ſeu arrhæ eſt donatio facta ſpōſæ per ſponſū in remunerationem pudicitiæ, vel nobilitatis, vel dotis ſponſæ; quæ ſoluto matrimonio cedunt in dominium vxoris; vt idem Molina, in præſenti autem dictæ arrhæ vocantur donationes propter nuptias in Hiſpania; quia loco ipſarum ſucceſſerunt, licèt olim diſtinguebatur ab eis. Agemus igitur in hoc capite de donatione inter cōiuges, in ſequenti de ſponſalitia largitate, & deinde de arrhis, quibus notatis.

2. Dico. Donatio ſimplex inter virum, & vxorem non eſt omninò inualida; vt habetur in c. fin. de donat. inter virum, & vxorem. Et ratio, quæ ibi redditur eſt, ne mutuo coniuges ſe amore ſpolient: Et quamuis talis donatio ſoleat dici inualida, & nulla; id eſt, quia ad libitum donantis poteſt ſemper reuocari; ſed reuera non eſt omninò nulla, quia cōfirmatur morte donantis; vt in d. c. final. nu. 3. docet Abbas, Tabb. verſ. dos. num. 10. Sicut etiam donatio cauſa mortis, quamuis vocatur inualida, tamen confirmatur morte donantis, niſi fuerit ab eo viuente reuocata; vnde infertur, tuta conſcientia cōiugem donatarium poſſe retinere ei donata per alium coniugem, donec morte confirmentur, niſi donatio fuerit reuocata; quam doctrinam intelligas de donatione facta tam poſt conſummatum matrimonium; quam ante cōſummationem, dummodo iam contraxerat de præſenti; vt benè docet Molin. tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 289. §. Quamuis autem; Rodriquez 1. tom. ſummæ cap. 92. n. 1. Nauar. cap. 17. num. 149. & alij plures. Et idem docet Anton. Gomez l. 52. Tauri, nu. 66. verſ. Octauus eſt, vbi plures affert. Eadem doctrina eſt, ſi donatio inter coniuges fuerit facta ante matrimoniū, ſi tamen eius effectus differatur poſt cōtractum matrimonium, vt conſtat ex l. quod ſponſæ 4. Cod. de donat. ant. nupt. vbi ſic habetur; *Quod ſponſæ ea lege donantur, vt tūc dominium eius adipiſcatur, cum nuptiæ fuerint ſequutæ, ſine effectu eſt.* Et idem eſt dicendum, ſi talis donatio fuerit facta per interpoſitas perſonas ex l. Si ſponſus, verſ. generaliter tenendum eſt, & l. 3. §. videamus ff. de donat. inter vir. & vxor. Vel ſi coniuges diu ſeorſum habitauerint. Idem enim eſſet dicendum, vt Ioan. Lupus rubr. de donat. §. 34. Imò non ſolum donatio inter coniuges; ſed nec etiam inter illos, qui coniuges contingunt per patriam poteſtatem, erit valida, vt ſi Socer velit donare nurui. l. 3. §. videamus, ff. de donat. inter vir. & vxor. Idem Ioann. Lupus, §. 42. num. 1. Vbi tamen non vigeret contrarius vſus, prout viget in Hiſpania, teſte eodem Lupo, §. 43. num. 1. Alij autem contractus inter virum, & vxorem validi ſunt, vt emptionis, permutationis, &c.

&c.dummodo iuſtè fiant,& animo vendendi,vel permutandi. Nam ſi pretium non eſſet æquale rei venditæ, illud plus cenſeretur donatum, & ex conſequenti inualidè donatum; vel ſi non fuerit facta venditio animo vendendi,ſed potiùs donandi, venditio erit nulla; vt habetur in l. Si ſponſus, 5.ff.de donat.inter vir.& vxor.verſ. circa venditionem.

3. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus valida eſt donatio inter virum,& vxorem; Primò ſi fiat inter Imperatorem, & Imperatricem,l.penult.ff.de donat.inter virum, & vxorem, contractus enim Imperiales continent vim legis: Idem eſt dicendum, ſi fiat inter Regem, & Reginam; vt Molina tom.2.de iuſtit.tract.2.diſp.289.§.in euentibus vbi notat, id etiam extendi ad Principes ſcilicet abſolutos; Gomez l.62.Tauri num.66.verſ.Octauus eſt.Nauar.cap.17. num.149. Secundò, quando donatarius coniux non fit ex tali donatione ditior, licèt alter coniux pauperior fiat, l. Si ſponſus,4.verſ.conceſſa donatio,ff.de donat.inter virum,& vxorē, ibi enim dicitur. *Conceſſa donatio ſepulturæ cauſa. Nam ſepulturæ cauſa locum marito ab vxore, vel contra donari poſſe conſtat, hoc autem ex eo euenit, quod definiri ſolet, eam demum donationem impediri ſolere, quæ, & donantem pauperiorem, & accipientem faceret locupletiorem. Porrò, hic non videtur fieri locupletior in ea re, quam religioni dicauit. Nec moueat quemquam,quod emeret, niſi à marito accepiſſet. Nam & ſi pauperior ea fieret, niſi maritus dediſset, non tamen idcirco fit locupletior, quod non expedit.* Vnde infertur, ſi v. g. maritus donet vxorem mille, & illa illos omnes inutiliter, & prodigè expendat, nō teneri dictam vxorem reſtituere, caſu quo maritus reuocaret donationem; & ſi expenderit tantum quinquaginta, tenetur tantum alios aureos quinquaginta reſtituere, quia tantum in his dicitur locupletior, vt Gloſſ. in cap. fin. de donat. inter virum, & vxorem. verb. locupletior in fin. & ibi Abbas num. 8. Angelus verb. donatio 3.n.2.Syluest.donatio 2.q.1.Tabb. dicto verb.3.num.3. Secùs tamen eſſet dicendum ſi hæres vxoris illos inutiliter cōſumpſiſſet, vtique enim teneretur reſtituere; quia ſatis eſt,vt vxor ditior facta ſit ex eiſdem Doctoribus cum Gomez l. 52. Tauri nu.67. Nec ſimiliter teneretur vxor reſtituere, ſi donata à marito conſeruaſſet, & tantundem de ſuo patrimonio conſumpſiſſet, quia nō diceretur facta locupletior, vt docet Alex.de Neuo dicto cap.fin.n.18. & confirmatur ex l.quod ſi vir 15.ff.de donat.inter virum, & vxorem vbi aſſeritur valere donationem inter coniuges, ſi fiat ad refectionem ædium incenſarum in tantum, in quantum extructio ædificij poſtulat; in hoc enim non diceretur coniunx factus ditior, vt ait Gloſſ. vnica in d. l. Si vir. Et idem eſt dicendum, ſi donatio fiat non vt apud alterum coniugem maneat, ſed vt alteri donet ex eadem ratione, vt Bar. l. Cum filius, ff. de donat. Ioan. Lup. rubr.de donat.§.48.num.1.

4. Tertiò valet donatio inter coniuges, quando res donata eſt tranſitura in dominium coniugis donatarij poſt mortem coniugis donantis, vt habetur expreſsè in l. Sed interim, 12. §. Sed quod dicit, ff.de donat.inter virum,& vxorem. Quartò ſi fiat ab vxore viro ad adipiſcendam aliquam dignitatem, vel honorem, l.quod adipiſcendæ, 41.& ſeqq.ff.vt ſupra Ioann. Lupus loc.cit.§.54.num.1.vbi addit, idem eſſe dicendum,ſi fiat cauſa ſtudij, vel licentię,aut doctoratus,velcauſa militię,vel nobilitatis acquirendæ. Quintò, ſi vir remittat vxori dotem promiſſam, vel partem eius ex l. Si conſtante, 19. Cod. de donat. ante nupt. Angelus verb. donatio, 3.nu.2. Sylu.eodem verb.2.q.3.Nauarr.cap.17.n. 149. Remiſſio autem alterius debiti non valet,vt idem Nauarr.&Syluest.ex lege,Si ſponſus,5. verſ.Si debitor. Item valet donatio vſuræ dotis non ſolutæ, l.vir vſuras, 55. ff. de donat. inter virum, & vxorem, & ſimiliter valet donatio facta vxori pro alimentis, l. ex annuo Tabbien. verb. donat. 3.num.3. Syluest.&Nauar.loc.cit.Item valet donatio,ſi fiat cauſa exilij,l.inter virum 44.ff.eod.Item valet donatio, ſi alteruter coniux vſus fuerit ſeruis,animali, & veſtibus alterius coniugis, vel in ædibus eius gratis habitauerit, l. Si vir vxori, 19. ff. de donat.inter virum,& vxorem. Sunt etiam alij caſus, de quibus infra; vide etiam ea, quæ diximus lib.2. c.14.n.9.

Xxx 5. Sed

Digitized by Google

5. Sed quærendum eſt, vtrum ſi coniuges veri non ſint, ſed tantum putatiui, inter ipſos valeat donatio? Reſpondeo, ſi matrimonium inter dictos ſponſos fuerit irritum ex amborum malitia, donator non poteſt illam repetere, ſed fiſcus, vt habetur expreſsè l. Cum hic ſtatus 33. §. final. ff. de donat. inter virum, & vxorem, & vſquequo fiſcus non repetat, donatarius non tenetur reſtituere; Angelus verb. donatio 3. n. 5. Syluest. eodem verb. 3. q. 1. Tabb. dicto verb. 3. num. 4. Vtrum autem fiſcus poſſit donationem petere etiam ſi copula non ſit ſequuta. Controuerſia eſt inter Doctores, & videri poterunt Ioan. Lupus rubr. de donat. §. 36. nu. 7. & Greg. Lopez, l. 51. tit. 14. p. 5. Si tantum coniux donans ſit conſcius nullitatis matrimonij, valida erit donatio, Molin. tom. 1. de iuſtit. tract. 2. diſp. 200. fol. 1222. ex communi opinione, qui in fol. 1223. Id affirmat eſſe verum non ſolùm in caſu, quo talis ſponſus legando donaret aliquid ſponſæ ignoranti, vel è contra: ſed etiam de quacunque donatione inter viuos: vel ad finem dotandi vxorem ignorantem criminis, facta, quod etiam docet Couarr. 4. decretal. 2. p. cap. 7. §. 1. num. 8. Sanchez lib. 6. diſp. 2. nu. 4. & 5. vide etiam P. Nauar. lib. 3. de reſtit. cap. 1. dub. 8. n. 104. & 106. Et confirmatur, quia ſoluens ex cauſa, quam putat falſam, cenſetur donare, nec poteſt repetere, l. cuius per errorem, ff. de regul. iur. & communiter omnes Doctores cap. in præſentia de probat. aſſerunt. *Offerentem ſe, & ſua monaſterio, ſcientem ingreſſum non valere, non poſſe recuperare*; Vt ibi Abb. & alij omnes. Si autem donatio fiat, vel legatum à coniuge ignorante impedimentum coniugi illud ſcienti; tunc nec donatio, nec legatum valet, ita vt legatũ omninò ſit hæredibus donantis reſtituendum, & donationem ipſi donanti; vt Molina 1. tom. de iuſtit. tract. 2. diſp. 200. fol. 1225. & habetur in l. Cum hic ſtatus, 33. §. fin. verſ. Si quis ſponſam, ff. de donat. inter virum, & vxorem, ſi verò vterque coniux inſcius fuerit impedimenti? Tunc ſecundum aliquos donatio erit valida, ſed donatarius illam ad libitum reuocare poteſt, vt Angelus verb. donatio 3. num. 5. Syluest. donatio 2. q. 1. Tabb. donatio 3. num. 4. in fin. Alij tamen probabiliùs tenent dictam donationem eſſe irritam. Ita Couar. 4. decretal. 2. p. cap. 7. §. 1. num. 8. Antonius Gomez l. 52. Tauri, num. 77. in fin. & num. 66. in fin. Sanchez loc. cit. num. 9. & alij.

6. Et quia in num. 3. diximus, validam eſſe donationem factam inter coniuges, quando ex illa coniux donans non fit pauperior, nec coniux donatarius fit ditior; Modò quæritur, an valida ſit donatio inter dictos coniuges, ex qua donans non efficitur pauperior; ſed tantum donatarius efficitur ditior? Reſpondetur affirmatiuè, vt ſi maritus, v. g. repudiet hæreditatem, vel legatum, vt vxor ſuccedat, eo quod debebat ſuccedere tanquam hæres ab inteſtato, vel ſi maritus; cui deferenda erat hæreditas, aut legatum, vel quçuis alia donatio, roget ante vllam poſſeſſionem, vt dictam hæreditatem, vel legatum ſuæ vxori teſtator relinquat, vel donator dictam donationem faciat; In his enim caſibus, cum non ſit adhuc ius acquiſitum per maritum, non dicitur fieri pauperior, licèt vxor ſiat ditior; Secùs autem, ſi maritus iam acceptaſſet hæreditatem, legatum, aut donationem, & poſtea rogaret, vt ſuæ vxori detur, tunc enim fieret pauperior, & vxor ditior, & ex conſequenti eſſet donatio. Sylueſt. verb. donatio 2. q. 2. Angelus eodem verb. 3. nu. 31. Tabbien. dicto verb. 3. num. 2. Io. Lup. rubric. de donat. §. 47. num. 22. & quamuis dictus Sylueſt. dicat, poſſe vxorem repudiare hæreditatem, vel legatum, vt ſuccedat vir, & è contra, quando teſtator adhuc viuit, quia tunc nullum adhuc ius acquiſiuit; tamen id eſt etiam verum poſt mortem teſtatoris, ſed ante acceptationem hæreditatis, vel legati, quia ius non dicitur acquiſitum, niſi poſt acceptationem. Item erit valida donatio, ſi vir, donet vxori, vel è contra aliquid, quod erat prodigè conſumpturus; quia donans non dicitur fieri pauperior, vt dictus Lupus §. 47. in fin. E contra verò ſi vir donet rem vxoris ipſimet vxori ipſa permittente, vel è contra, donatio eſt nulla, quia vxor fit pauperior, & vir donans locupletior, cum acquirat naturalem obligationem, qua tenetur vxor, & ob quam dicitur facta pauperior idem Lupus num. 23. Sylueſt. verb. donatio 2. q. 1. ex Bar.

l. 2. §.

l.2.§.1.ff. de donat. Valet tamen donatio facta de fructibus ex pecunijs receptis ab altero coniuge; quia coniux non dicitur fieri pauperior, cum fructus ſint potiùs ex Induſtria,quam ex re ipſa; Sic Pinel. cum alijs,l.2.p.2.cap.4.num.5.Cod.de reſcind. venditione, & ſequitur Sanch. lib.6. diſp. 4.nu.6.contra Gloſſ. l. de fructib. 18. in fin. ff. de donat. inter vir. & vxor. contrarium ſentientem.

7. Ex qua doctrina infertur,poſſe religioſũ, volentẽ ſibi aliquid donare,rogare, vt conſanguineo, vel alteri donet abſq; ſui ſuperioris licentia ante ullã acceptationẽ: vt iam diximus in lib.2.cap.11.num.15.& docet Sanchez lib.4.diſp.4.num.7.ubi notat,peccare quidem religioſum abſque iuſta cauſa repudiantem rem ſibi donatam, eſſet enim contra charitatem,quia impediret bonum monaſterij, ſicut ſi quis impediret precibus ne quis alteri aliquod bonum tribuat, vel leget, ſecluſa aliqua iuſta cauſa.

8. Infertur etiam, creditorem ſiue ob delicta, ſiue ob contractus, ſiue ob fideiuſſionem poſſe repudiare hæreditatem, vel legatum,quo poſſet ſatiſfacere ſuis creditoribus, licèt alioquin omninò impotens eſſet; & ſimiliter alios hæredes ſuccedentes in dicta hæreditate, vel legato poſſe tuta conſcientia illa,vel illo frui; Hæc ſecunda pars concluſionis probatur; quia dicta repudiatio non eſt alienatio, nec donatio, quæ prohibetur fieri in fraudem creditorum,ut definitur, l.qui autem ff.6. quæ in fraudem creditorum,& regul. non fraudãtur, ff.de regul.iuris; Sed eſt non acquiſitio,ad quam faciendam debitor non videtur teneri iuxta multorum opinionem, vt infra, imò, licèt talis debitor repudians peccaret contra iuſtitiam; adhuc ſuccedentes non tenentur ad reſtitutionem, & poſſunt hæreditate; vel legato frui; quia nihil à debitore recipiunt, nec ei conſuluerunt, ut repudiet, ut benè docet Couar.4. decret.2 p.cap.7.§.1.nu.12. Et prima pars concluſionis, nempè poſſe debitorem renunciare,etiam vera eſt,& patet ex cit.leg. qui autem,6.ff.quæ in fraudem, &c. in qua ſic habetur. *Proinde,& qui repudiauit hæreditatem, vel legitimam, vel honorariam, vel teſtamentariam, non eſt in ea cauſa, vt huic edicto locum faciat.* Noluit enim acquirere, non ſuum proprium patrimonium diminuere, & in regula,non fraudantur, 177.ff. de regul. iur. dicitur. *Non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur à debitore, ſed cum quid de bonis diminuitur*; Vnde debitor non tenetur acquirere, licèt non poſſit ſua bona minuere in damnum creditorum. Neque dicas, id eſſe uerum de hæreditate,quæ nõ tranſit in dominium hæredis, niſi poſt acceptationem; & non poteſt id verificari de legato; quia legatum in ſpecie factum,tranſit à morte teſtatoris in dominium legatarij, nec eſt neceſſaria aditio hæreditatis, l.à Titio ff.de furtis, igitur ſi debitor illud repudiet, & alienat id, quod ſuum eſt, ex conſequenti alienatio erit nulla. Tamen reſpondetur, quamuis legatum ſtatim tranſeat in dominium legatarij, tale dominium nõ eſſe perfectum, ſed imperfectum,& reuocabile ante acceptationem, cum fiat à teſtatore ſub tacita conditione,niſi repudietur, ut docet Gloſſ. dicta l. qui autem, & ibi Bart. Iaſon. inſtitut.de action.§. item ſi quid num.121. Couarr.loc.cit. & alij communiter, quam doctrinam tam dictus Couar.quam plures alij aſſerunt, eſſe veram etiam pro foro interno, quia ſemper idem in utroque foro eſt ſentiendum, quando lex non innititur falſæ præſumptioni,& non agitur de pœna delicti, ſed in caſu noſtro in foro externo talis debitor abſoluitur, ergo etiam abſoluitur pro foro interno. Ita Anton.Gomez 2.uar.cap.14.num.14. Ioan.Lupus rubr. de donat.§.47.nu.9.& quamplures alij, quos affert Sanchez lib.6. diſp.4.nu.9. §.tertiò. Contrarium tamen tenet dictus Sanchez, §.His tamen non obſtantibus, quod colligit ex multis concluſionibus; cui opinioni nos etiam tanquam probabiliori adhæſimus in lib.2.de contractibus,cap.13.num. 11. ubi alios Doctores idem ſentientes,citauimus, licet contrariam etiam probabilem ibi eſſe diximus.

9. Infertur tertiò, poſſe Prælatum abſque ulla ſolemnitate repudiare hæreditatem, uel legatum ante ullam acceptationem; quia repudiatio eſt non acquiſitio, & non alienatio, & ius quærit ſolemnitatem

tem in alienatione rerum Eccleſiæ, & non in non acquiſitione, ut diximus in ſecundo lib. cap. 93. num. 22. quod etiam fusè docet Sanchez lib. 6. diſp. 4. num. 11. & ſeqq. Peccaret tamen Prælatus absq; iuſta cauſa repudiando hæreditatem, aut legatum, & teneretur de proprijs damnum reſarcire; & competit Eccleſiæ beneficium reſtitutionis in integrum ut Gloſſ. ca. auditis uer. reſtituimus de in integr. reſtituend. & ibi Abb. & alij, quos ſeq. Sanch. loc. cit. n. 15. Et nota, quod quãuis religioſus, debitor, & prælatus poſſint repudiare, vt ſupra; non tamen poſſunt repudiare, ſeu renunciare in fauorem alicuius, quia alteri cedendo, prius natura acceptat, cum non poſſit cedi, niſi quod ſuum eſt, & ſic eſſet vera donatio, & alienatio; vt loc. cit. diximus, & idem Sanchez loc. cit. aſſerit num. 16. & 17. contra Socin. ſen. & Rolan. contrarium ſentientes.

10. Sed quæritur vtrum donatio medietatis communium fructuum inter coniuges, ſit valida, etiam ſi morte non confirmetur? Supponitur enim alicubi abeſſe ius, vt acquiſita à coniugibus ſint communia vigore ſolummodo contractus matrimonij, & duæ ſunt opiniones, ambæ probabiles, quas affert Sanchez lib. 6. diſp. 5. ſed breuiter dicendum eſt, vxorem poſſe renunciare lucris acquirẽdis in fauorem viri, & è contra; quia id non eſt pauperior fieri, cum nihil minuatur de bonis poſſeſſis, vt diximus in num. 3. Virum autem nullo modo poſſe renunciare bonis acquiſitis in fauorem vxoris, quia vir dicitur perfectè Dominus dictorum fructuum; & quamuis aliqui id nõ concedant vxori reſpectu viri, eo, quod vxor nunquam dicatur habere verum dominium; ſed ſemper cum aliqua dependentia à marito; tamen dicendum eſt, id etiam verum eſſe de vxore reſpectu viri, nam in l. 60. Tauri, hodie l. 9. tit. 9. indiſtinctè decernitur, poſſe vxorem renunciare lucris requiſits conſtante matrimonio; quod docet Ioan. Lup. rubr. de donat. 47. n. 19 & l. 60. Tauri n. 3. Couar. 4. decret. 2. p. cap. 7. §. 1. nu. 11. & alij plures, quos ſequitur Sanchez loc. cit. num. 3. 5. 6. & ſeqq. in dictis autem caſibus, vt euitetur opinionum varietas, ſiue donatio fiat à viro, ſiue ab vxore, ſiue de bonis acquiſitis, ſiue de acquirendis, debet ſtabiliri iuramento, quia hoc modo erit irreuocabilis, vt communiter omnes aſſerunt, & infra dicemus.

11. Secundò quæritur, vtrum donatio remuneratoria valida ſit inter cõiuges, ita vt non opus ſit, vt confirmetur mortis donantis? & reſpondetur affirmatiuè, ita Molin. to. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 289. §. tertius ſi fiat, Angelus ver. donatio 3. in princ. Sylueſ. eodẽ ver. 2. q. 1. Tabien. dicto ver. 3. in princ. Armilla num. 24. Garzia de donat. remuner. num. 21. probatur ex l. quod autẽ, §. ſi vir, ff. de donat. inter vir. & vxor. vbi dicitur, valere donationem factam inter virum, & vxorem, & ratio eſt, quia ibi agitur de donatione remuneratoria, vt docet Abb. cap. fin. num. 7. de donat. inter vir. & vxor. Anton. Gomez l. 52. Tauri nu. 66. caſu 4. & alij citati, & nota, ad talẽ donationem non requiri in donatario merita poſcentia talem donationem ex lege iuſtitiæ, vt quidam volebant; ſed ſatis eſſe, ſi ſint ea merita, quæ digna ſint remuneratione iuſta prudentiam viri honeſti, & probi, vt probat Couar. cap. cum in officijs num. 9. de teſtam. Abb. rubr. de donat. num. 3. Molin. tom. 1. de iuſtit. tract. 2. diſp. 244. Clarus lib. 5. receptor. §. donatio q. 3. & alij omnes, quod etiam ſumitur ex l. Aquilius Regulus, ff. de donat. vbi habetur. *Defendi non meram donationem eſſe, verum officium magiſtri mercede remuneratum*; requiritur tamen pro foro exteriori, vt in donatione exprimatur, ipſam fieri ob benemerita, quia aliter cenſeretur donatio ſimpliciter facta, & non remuneratoria; ita Bald. l. illud num. 8. C. de ſacroſ. Eccl. Barboſa l. quæ dotis 34. num. 56. & 57. vbi plures affert. Alij tamen dicunt, ſufficere ſi merita tantũ præcedant, & ita tenet Nauar. cap. 17. num. 146. Sylu. ver. donatio 2. q. 7. dicto 13. Garzia de donat. remun. num. 49. Maſcard. de probat. concluſ. 560. num. 10. & alij, quos ſequitur Sanchez lib. 6. diſput. 6. num. 3. ſed ni fallor, vſus eſt iuxta primam opinionem, pro foro tamen conſcientiæ certum eſt non eſſe neceſſarium, vt merita probentur, ſed ſatis eſt, ſi donatio conſtet, vt idem Nauar. num. 145. Medin. loc. cit. §. quando conſtat. Requi-

Digitized by Google

quiritur etiam, vt merita, & obſequia non ſint alias debita, tunc enim non eſſent remuneratione digna. Item requiritur, vt benemerita ſint inſignia, nam non omnia benemerita ſunt digna donatione, vt Lupus rubr. de donat. §. 50. num. 32. debet tamẽ donatio meritis æqualis eſſe, alioquin, totum id, quod in ea exceditur, cenſetur donatio ſimpliciter facta Sanchez loc. cit. num. 6. plures affert pro hac ſententia; ſed in num. 7. dictã ſententiam reijcit eo, quod lex gratitudinis eſt plus reddere, quam ſit acceptum, vt docet etiam D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 6. Vnde iuxta meliorem opinionẽ, donatio remuneratoria poterit eſſe maior iuxta prudentis viri arbitrium, attentis donãtis, & donatarij qualitatibus, & non tamen eſſe nimis maior, quia ſecundum illud plus cẽſeretur donatio ſimplex, vide ipſum Sanchez num. 10.

12. Vtrum autem ualeat donatio, qua coniux alteri coniugi dotem conſtituitur? & reſpondendum eſt affirmatiuè, quando uxor non dedit dotem, & poſtea illam conſtituit, uel ſi dedit, poſtea auget; Vir autem non poteſt conſtãte matrimonio uxori dotem cõſtituere, quia eſſet ſimplex donatio; & idem eſt dicẽdum, ſi illam conſtituat ante matrimonium hac lege, vt uxor illam acquirat ſtatim cõtracto matrimonio; quia vt ſupra diximus donatio inter ſponſos relata ad tempus matrimonij, nulla eſt, ſcilicet reuocari poteſt, ſicut aliæ donationes ſimpliciter factæ, quæ confirmantur morte donantis, Abb. in cap. & ſi neceſſe num. 2. de donat. inter vir. & vxor. Io: Lupus rubr. de donat. §. 30. num. 1. Sylu. ver. dos, q. 6. Angelus ibi nu. 6. Armilla nu. 8. Tab. nu. 6. & alij plures, ſecus autem, ſi nullo reſpectu habito ad matrimonium, ſed abſolutè vir ante matrimonium uxori conſtituiſſet dotem, & ex tunc acquiſiuiſſet dominium illius, vt ijdem Doctores, quos ſequitur Sanchez lib. 6. diſput. 7. num. 1. & 2. Sunt tamẽ aliqui caſus, in quibus valida eſt dotis cõſtitutio facta à uiro uxori, etiam poſt contractum matrimoniũ; primus eſt, quando uxor excedit uirum in nobilitate, uel ætate, Molin. tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 189. §. tertius ſi fiat, & diſp. 459. §. ſecũdum, Angel. uer. dos, num. 6. Sylu. q. 6. Tab. nu. 6. Armilla num. 8. Couar. 4. decretal. 2. par. cap. 3. §. 3. num. 2. Secundus caſus eſt, ſi uir uiolalerat Virginem ab eo ſeductam, ſi poſtea dotet, & ducat, ualet donatio, Io: Lup. rubr. de donat. §. 30. num. 3. Tertius caſus eſt, quando Pontifex ad id obligaret uirum uolenti cõtrahere cum conſanguinea paupere, Sanchez lib. 6. diſput. 7. num. 7. Quintus eſt, ſi ex conſuetudine uir dotaret mulierem; tunc enim non eſſet donatio, Ioan. Andr. cap. & ſi neceſſe de donat. inter uirũ, & uxorem. Quintus caſus eſt, ſi uir conſtitueret dotem ad ſedandas inimicitias conſanguineorum vtriuſque coniugis, idem Lupus §. 32. num. 9. & Sanchez loc. citato num. 9.

13. Nota tamen, ſi ſenex, vel vir ignobilis cõſtituat dotem ante matrimonium, vt effectum habeat; dictam dotem, deducendam eſſe ex tota hæreditate, tanquam æs alienum; & ita minuetur legitima debita deſcendentibus, vel aſcendentibus donantis; Si verò conſtituat poſt contractum matrimonium, non minuitur dicta legitima, ſed extrahitur dos ex ea parte, de qua vir nõ poterat liberè diſponere; & ratio diſparitatis eſt, quia ante matrimonium dos conſtituitur ex cauſa oneroſa, & neceſſaria; Vnde non eſt donatio, ſed contractus innominatus oneroſus do, vt facias; quando autem nulla dotis promiſſio præceſſit, & tamen vir illam conſtituit, dicitur donatio remuneratoria ex cauſa lucratiua, & uoluntaria; & hæc non minuit legitimam, cum nõ debeatur ex iuſtitia, ſed prima minuit, quia fit in compenſam, uel nobilitatis, uel iuuentutis, & ſic ex iuſtitia debetur. Ita ſimiliter eſt dicendum, ſi quis dotet uxorem conſanguineã ex præcepto Pontificis, debet enim dos extrahi ex tota hæreditate, quia non dicitur donatio gratioſa; ſed debita ex cõtractu cum Pontifice; & ex conſequenti legitima minuitur. Secus eſt dicendum ſi vir dotet uxorem ratione cõſuetudinis id permittentis, ſed non cogentis, eſſet enim extrahenda dos ex ea parte, de qua poſſet uir diſponere, quia dicitur donatio gratioſa, cum uoluntariè fiat, & ſic non minuitur legitima; ſic etiam, ſi uir dotaret ad pacem ponendã inter conſanguineos ſecluſo omni pacto ob dictam pacem faciendam, tunc do-

Digitized by Google

donatio eſt etiam voluntaria; nec debet minuere legitimam; ſi autem fiat ex pacto iuſto, illam minueret, quia dos deberetur ex iuſtitia, & eſſet extrahenda ex tota hæreditate. Et tandem ſi dos cõſtituatur eo, quod ad illam teneatur vir ob deflorationẽ factam ante matrimonium, non dicitur donatio, ſed debiti ſolutio; & ſic eſſet dos deducenda ex tota hæreditate, ſecus ſi ad illã non teneatur, quia deflorator non tenetur ad vtrumque ſcilicet ad ducendam, & ad dotandam, ſed vel ad ducendam, aut dotandam. Sed nota vxorem dotatam à marito ex iuſtitia, ſcilicet ex cauſa onerosa, vt in primo, & vltimo caſu, non teneri dictam dotem ſeruare filijs dicti matrimonij, Sanchez lib. 6. diſput. 8. ex pluribus, quos refert num. 2. & 6.

14. Sed quæſtio eſt, an confeſſio facta à marito de dote non recepta, vel de maiori ſumma, cenſeatur vera, & valida donatio? & relictis varijs opinionibus, quas refert Valaſcus conſ. 5. num. 3. tom. 1. Dico, ſi talis cõfeſſio fuerit facta ante initum matrimonium, non cenſeri donationem, nec animo donandi factam, ſed ſpe futuræ numerationis; quod apertè colligitur ex l. fin. & auth. ibi inſerta C. de dot. caut. vbi dicitur, *poſt mortem mariti, competere hæredibus exceptionem non numeratæ dotis*; & in l. ſi voluntate 4. C. de dotis promiſſione, ſtatuitur, *poſſe maritum petere eam dotem, quam recepiſſe faſſus eſt*. Si autem talis cõfeſſio fuerit facta poſt initum matrimonium addita renũciatione exceptionis non numeratæ dotis, cenſenda eſt donatio, quia per dictam renunciationem aufertur ſpes futuræ numerationis; & ſic non remanet alia coniectura, quæ aſſumi poſſit, niſi animus donandi, vt Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 12. num. 51. 52. & 60. Imola, Socinus, Alexander, Aret. & alij, quos refert Couar. 1. var. cap. 7. num. 4. verſ. ſed quod etiam; idẽ etiam docet Sanchez lib. 6. diſp. 9. num. 5. Licet nullam mentionẽ faciat de renunciatione exceptionis non numeratę dotis; puto tamen eſſe neceſſariam, ſaltem pro foro externo ob dictas leges citatas; idem docet Molina to. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 439. vbi ait, quando confeſſio dotis fit conſtãte matrimonio, eſt ibi facta ficta, & virtualis traditio, reputatur enim, quaſi à viro tradita vxori, & mox ab ipſa vxore viro, vt ſoluto matrimonio ipſi uxori cõſtituatur. Quando autem ante matrimonium fit confeſſio dotis receptæ, nec conſtante matrimonio reperitur, non habet rationem dotis, quia nondum ſequutum eſt matrimonium, & ita ceſſat illa ficta, & virtualis traditio, & proinde donatio eſt prorſus inualida; nec morte confirmatur; Nota tamen, dictam donationem poſſe reuocari à marito viuente, prout diximus de alijs donationibus factis inter coniuges, quæ non niſi coniugis morte confirmantur; & hoc ſiue reuocatio fiat expreſsè, ſiue tacitè, id eſt alienando rem, quam faſſus eſt accepiſſe in dotem: vt ijdẽ Doctores proximi citati cum Sãchez loco cit. num. 6. Vtrum autem talis dotis confeſſio poſſit nocere creditoribus, vide Couar. Molin. Valaſcum, Menochiũ, & alios, vel quid ſi vir fateatur recepiſſe ab alio, quam ab vxorem dictam dotem, vide ipſum Menochium loco citato num. 12. 78. & ſeqq.

15. Quæritur etiam, vtrum inter coniuges ualida ſit donatio cauſa mortis? Reſpõdetur affirmatiuè, eo modo tamen, quo valent aliæ donationes inter coniuges; ſcilicet, vt reuocari poſſit talis donatio inter viuos ad libitum alterius coniugis donantis, & uiuentis; remanet enim confirmata per eius mortem, & tunc in omnibus donationibus factis inter coniuges transfertur dominium rei donatæ, vt habetur expreſsè in l. ſed interim 12. in princ. ff. de donat. inter virum, & vxorem, & docet Molin. to. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 288. §. Dubium eſt, Couar. rubr. de teſtam. 3. par. num. 4. in fine; & ita intelligendus eſt Clarus lib. 4. recept. §. Donatio q. 9. verſ. & hæc quidem, & Couar. loc. cit. num. 2. aſſerunt enim dicti Doctores, non ualere donationem cauſa mortis inter coniuges; quod intelligunt de donatione irreuocabili, vel in qua ſtatim transfertur dominium. Vnde infertur, ualere donationem mutuo factã inter coniuges ea lege, vt alterius morte, ſuperſtes fruatur bonis illius, ita Io: Lupus rubr. de donat. §. 50. num. 12. & 17. Antonius Gomez l. 52. Tauri num. 66. verſ. ſecundus eſt, & alij, quos ſequitur Sãchez lib. 6. diſp. 10.

num.

Digitized by Google

num.3. & Molin.loc.cit. diſp.289. vbi docet, per deportationem viri donantis, uxorem acquirere dominium rei donatæ à marito cauſa mortis, licet, vir reuocare poſſit, dum uiuit; è contra uerò per mortem ciuilem uxoris, maritus non ſolum nullum acquirit dominium; ſed donatio omninò expirat, ſicut omnes aliȩ donationes expirant morte ciuili donãtis: ſolius enim vxoris eſt priuilegium, vt per mortem ciuilem mariti; non expiret donatio ab ipſo facta in ipſius uxoris beneficium; idem docet Sanchez loc.cit. num.5.

16. Patet igitur ex hactenus dictis, donationes inter coniuges eſſe nullas, ſcilicet, reuocari poſſe per donãtem, ſortiri tamen ſuum effectum poſt mortem donantis. Ad præſens uidendum eſt, an dictæ donationes poſſint confirmari per iuramentum, per mortem naturalem, uel per mortẽ ciuilem, ità vt neceſſariò ſortiantur ſuum effectum, nec reuocari poſſint? Vnde primò quæritur utrum donatio inter cõiuges inualida, vt ſupra, poſſit firmari iuramento? Et quamuis negatiuè plures Doctores reſpondeant, quorum opinionem, valdè probabilem uocat Abbas cap.fin.de donat.inter uirum, & uxorem num.9. tamen communior, & probabilior opinio affirmatiuè reſpondet; vt Molin.to.2. de iuſtit.tract.2. diſput.289.ad fin.Lopez lib.2, de contract. cap.47.§.Nunc uerò, Angelus ver.donatio 3.num.4.Sylu:ver.donatio 2.q.4. Tabbiena dicto ver.3. num.4. & ver.dos num.10. Armilla uerbo donatio num. 27. Rodriq. 1.to.ſum.cap.92.num.2.Couar.1.uar.cap. 2. num.4. & in rubr. de teſtam. 2.par.num. 10.Antonius Gomez 2.var.cap.14. nu.26. Iulius Clarus lib. 4. recept. uerbo donatio præſumpt.9. uerſ. Sed quid; & quamplures alij, quos ſequitur Sanchez lib.6.diſput.11. num.2. Ratio eſt, quia donatio inter coniuges non interdicitur principaliter ob publicam, ſed ob priuatam utilitatem coniugum, ne ſe mutuo amore ſpolient, & ne alter fiat ditior cum iactura alterius, ex quo nullum peccatum uidetur conſurgere, nec eſſe contra bonos mores naturales; & licet, ſit contra bonos mores ciuiles; id autem non efficit, quin iuramentum confirmet donationem, & quemlibet alium contractũ; vt in primis capitibus diximus, & docet Sãchez lib.1.diſp.32.num.1.hæ tamen rationes, & aliæ quas affert Sanchez loco cit. Non uidentur adeò firmæ, vt omninò reddant contrariam opininem improbabilem.

17. Nota tamen cum Molina tom. 2. de iuſtit.tract.2.diſp.539. §.Cum autem, Maritum confitentem recepiſſe dotem ab uxore ſpe futuræ numerationis, cum illam uerè antea non habuerit, non teneri ad dictam dotem reſtituendam, eo quod iurauerit illam recepiſſe, & poſt mortem eſſe reſtituturum; quia, dictum iuramentum intelligitur cum tacita conditione, ſi dos numeretur. Secundò eſt notandum, donationem firmatam iuramen to inter coniuges factam contra prius iuramentum non donandi, firmã non eſſe; vt colligitur ex Gloſ. cap.licet mulieres, de iureiur.in 6.in fine, vbi tradit, alienationem dotis, cõtra prius non alienandi iuramentum, non firmari iuramento. Erit igitur talis donatio, ſicut cæteræ donationes, quæ confirmantur morte donantis, donans autẽ periurij reus erit; ſecus puto dicendum, ſi donans obtineat abſolutionem iuramẽti, & poſtea donationem faciat cum iuramento, tunc enim vtique firma eſt iudicanda iuxta ante traditam doctrinam. Vide fusè hanc doctrinam apud Sanchez lib.6. diſput. 13. & Clarius illa mexplicat Sylu.ver. iuramentum num.12.

18. Vtrum autem donatio inter coniuges inualida, firmetur morte naturali donantis? Reſpondeo affirmatiuè, vt patet ex ſæpè dictis in preſenti capite, ex cap.fin. de donat.inter uirum, & uxorem. Quatuor tamen conditiones ſunt neceſſariæ, vt dicta donatio morte confirmetur. Prima eſt, vt in uita donantis ſit facta traditio rei donatæ, quamuis non ſtatim facta donatione, neceſſaria ſit dicta traditio, ſed ſatis erit, ſi fuerit facta dum donans uiuit, quod ſpecialiter aduertit Io: Lupus rubr. de donat. §. 76. num. 1. docet dictam doctrinam, Molin. tom.2. de iuſtit.tract.2. diſp.289.§. Illud obſerua, Angelus verb.donatio 4.nu. 3.Sylu.eodem ver.2.q.4.Tab.ver.donatio num.4. Armilla num.27. Iulius Clar. cum multis alijs lib.4. receptar. §.Donatio q.9.

§.Scias

§. Sciàs autem, non tamen eſt neceſſaria vera, & realis traditio; ſed ſufficit ficta per clauſulam cõſtituti, vt docet idem Molin. §.idcircò autem, eſtque communis opinio, & ſumitur ex l.cum hic ſtatus 33.§.ſi maritus,ff.de donat.inter uirum,& uxorem, ubi dicitur. Finge in poſſeſſione præcaria mulierẽ remanſiſſe,paratamque eſſe ſatisfacere creditori;dicendum eſt donationem ualere.

19. Ex qua doctrina infert Sanch.lib. 6. diſp.16.num.13. confeſſionem dotis receptæ factam animo donandi conſtãte matrimonio à viro,eſſe ualidam,ſcilicet firmã remanere per mortem viri; abſq; alia traditione;quod eſt ſpeciale in donatione dotis,vel augumẽti, quia dos tam quoad poſſeſſionem, quam quoad proprietatem debet eſſe pænes virum, l.doce Ancillam, C. de rei uindicat. Vnde ſuperflua erit traditio, cum ſtatim poſſeſſio debeat redire ad maritũ;ex Molina, & alijs Doctor. citat. num.anteced.vide ea,quæ diximus nu.14. infertur etiam,firmari dictam donationẽ,ſi donans tradat inſtrumenta rei donatæ donatario cõiugi, vt uideat vnde dictam rem habuit; dando enim dicta inſtrumenta,videtur rem ipſam dare, l.1. C. de donat. & idem eſt dicendum ſi donans inſtrumẽtum donationis conficiat; quia per illud uidetur poſſeſſio tradita,l.8.tit.30.par.3.Io:Lupus rubr.de donat.§.76.num.6.item uidetur tradita poſſeſſio, ſi vir rem ab ipſo donatam alteri coniugi transferat, vel transferri faciat in faciem dicti coniugis donatarij, vel deſcribi in libro rationum, vbi debita ipſius donantis deſcribuntur, idem Doctor. loc. citat. & Sanchez num. 17. & ſeqq.

20. Secunda conditio neceſſaria, vt donatio confirmetur morte naturali coniugis donantis eſt, vt donans prius quam donatarius decedat,alioquin,ſi præmoriatur donatarius penitus euaneſcat donatio, vt habetur expreſsè in cap. fin. de donat. inter uirum,& uxorem,quod ſi uir, & uxor moriantur in diuerſis locis, nec poſſit ſciri quis eorum prius deceſſerit,ualida erit donatio pro hæredibus donatarij;& ſi mutuo ambo cõiuges ſibi donaſſent;utriuſque donatio ualida eſſet pro amborũ hæredibus, vt Molin.to.2.de iuſtit.tract.2,diſput.289. §. donatio cauſa mortis, Couar. 2. uariar. cap.7.num. 5.

21. Tertia conditio, quæ requiritur eſt, vt donatio non excedat quincentos ſolidos,abſque inſinuatione, alioquin morte non cõfirmabitur, l.ſancimus, C.de donat. & l.donationes,quas parentes 25.C.de donat.inter uirum,& uxorẽ,vide ea,quę diximus lib.2. cap.15. num.1,& 2. Vtrum autem,ſi donatio excedat quincentos aureos abſque inſinuatione ſit inualida quoad exceſſum tantũ, & firmetur morte donantis? Affirmatiuè eſt reſpondendum, vt probauimus in dicto lib.2. cap.15. nu.8.vbi etiã declarauimus, quam quantitatem Scutorum conſtituant quincentum ſolidi. Idem etiam docet Sanchez lib.6. diſp.14.nu.25. cum alijs multis.

22. Quarta conditio,vt donatio inter coniuges inualida firmetur morte donantis,eſt,vt donans permaneat in eadem voluntate vſque ad mortem, nec expreſsè, nec tacitè donationem reuocet, vt iam diximus num.14. in fin. & de qua condione fusè Sanchez lib. 6. diſp. 15. & inter alias cauſas, ob quas aſſerit,donationem tacitè cenſeri reuocatam,eſt diuortium, niſi donãs exprimat in morte, velle donationem à ſe factam valere, l.cum hic ſtatus, §.ſi diuortium,ff.de donat. inter uirum,& uxorẽ. Angelus verb.donatio 3. num.7. Sylu. eodem ver.2.q.6.Tabbien,dicto ver.3.in fin. Armilla num.29. Item cenſetur reuocata, ſi donatarius mores mutet contra donantem; Et idem eſſe dicendum de legato,aſſerit Mantica de coniecturis vltimar. volunt.lib.12.tit.5.num.6. vt ſi vxor donataria adulterium committat. Io.Lupus rubr. de donat.§.78.nu.2.vel ſi vxor pudicitiam luxurioſo oſculo violaſſet, vel permiſiſſet inhoneſtè tangi,num.10.& 11. vel ſi fuiſſet in balneo cũ alio viro; nu.12. vel pernoctaret abſque cauſa,& hoc etiam ſi maritus id ignoraſſet; & idem aſſerit de legato, Mantica dicto tit.5.num.6. Item cenſetur reuocata ob ingratitudines, & ob omnes alias cauſas, ob quas donatio inter viuos reuocari poteſt cum hac diſparitate, quod in donatione inter viuos, requiratur actus donantis reuocans donationem; in donatio-

tio-

tione autem inter coniuges, non requiritur talis actus, ſed per mortem donantis remanet irrita donatio, Sanchez loc. cit. n. 11. vide etiam ea quæ diximus lib. 2. c. 16. num. 1. & 2. Et idem dicitur de legato; dicta enim donatio inter coniuges, & legatum eodem modo reuocantur, vt Molin. I.C. lib. 1. de primogen. cap. 9. num. 42. Intelligitur etiam reuocata tam dicta donatio inter coniuges, quam legatum per graues inimicitias, vt probat idem Sanch. nu. 13. & ſeqq.

23. Sed dubium eſt, vtrum dicta donatio inter coniuges morte donantis confirmata retrotrahatur vſque ad tempus factæ donationis tam quoad dominiũ, quam quoad fructus? Et reſpondetur retrotrahi non quoad dominium, cum dominium non poſſit transferri inter coniuges dum viuunt; vt ex ſupra dictis patet; ſed quoad fructus à die traditionis rei, nam ſi non ſtatim facta donatione res fuerit tradita, fructus donatarius percipere non poterat, ſed tantum à die traditionis; & ſi donatio fuerit vltra quincentum ſolidos; fructus dicti exceſſus non pertinebunt ad donatarium, quamuis donans dictam donationem confirmaſſet in ſuo vltimo teſtamento, Molin. tom. 2. de iuſtit. tr. 2. diſp. 289. §. vt diſputatione præcedenti. Couarr. rubr. de teſtam. 3. p. num. 5. Iulius Clarus lib. 4. receptar. §. donatio quæ 9. Anton. Gomez 2. var. ca. 4. num. 23. Non poteſt tamẽ dicta res donata vſucapi ante mortem donantis; licèt dominium transferatur poſt mortem nulla expectata hæreditatis aditione, & in hoc dicta donatio diſtat à legatis, vt idem Gomez nu. 24. & Molin. loc. cit. §. Illud etiam obſeruandum, vbi ſimiliter notat, exceſſum donationis factæ vltra quincentum abſque inſinuatione, reputari legatum, ſi donator dictum exceſſum confirmaret in teſtamento, vnde præcedentes dicti exceſſus fructus nõ ſunt donatarij, ſicut nec fructus legatarij, dummodo exceſſus notabilis ſit, ſecus ſi modicus, quia tunc reputaretur tanquam quid permixtum, quod deſignari non poſſit, ſequitur Sanchez cum alijs lib. 6. diſp. 16. num. 1. 2. & ſeqq.

24. Sed nota. Coniugem donatarium, ſi donatio reuocata fuerit, vel morte non firmata, teneri reſtituere omnes fructus perceptos, naturales tantum; nam induſtriales irreuocabiliter acquiruntur à donatario; nec omnes fructus naturales tenetur donatarius reſtituere, ſed illos tãtum, ex quibus ditior factus eſt; vnde ſi illos diſſipauerit, vel inutiliter conſumpſerit, nihil reſtituere tenetur, vt probat idem Sanch. loc. cit. n. 7. & 8.

25. Vltimum; quod eſt quærendũ, eſt vtrum donatio inter coniuges inualida, ſicut remanet confirmata in morte naturali donantis, ita etiam remaneat confirta in morte ciuili eiuſdem? Sed priùs eſt notandum, tripliciter dici aliquem ciuiliter mori. Primò, ſi exulet, ita vt Ciuitatem perdat. Secundò ſi fiat ſeruus hominis, vel alicuius pœnæ. Tertiò, ſi Religionem profiteatur. Si quis moriatur ciuiliter primo modo, vtique donatio ab ipſo coniuge facta firma erit, ſicut etiam dicitur de donatione facta cauſa mortis à quolibet alio, l. Sed ſi mors, ff. de donat. inter virum, & vxorem, & licet ibi agatur de donatione tantum cauſa mortis, tamen, quia donatio inter coniuges illi ſimilis eſt; idem erit de ea dicendum, vt Molin. tom. 2. de iuſtit. tr. 2. diſp. 288. §. donatio cauſa mortis, Io. Lupus rub. de donat. §. 71. in princ. Sanchez lib. 6. diſp. 17. nu. 3. & alij. Contra Angelum verb. donatio 3. num. 4. Sylueſt, eodem verb. 2. q. 4. Tabb. dicto verb. 3. n. 4. Ioan. Andr. cap. final. num. 3. de donat. inter virum, & vxorem, & alios. Si autem quis moriatur ciuiliter ſecundo modo, ſcilicet eo quod fiat ſeruus pœnæ, vel hominis, nõ remanet eius donatio firma in beneficium alterius coniugis; quia ſi fiat ſeruus pœnæ, bona erunt fiſci, quando tamen pœna id exigat, ſi autem fiat ſeruus hominis, donatio poterit reuocari, non per ipſum donantem, ſed per eius dominum; Sed nota, quod licèt fiſcus acquirat bona coniugis donantis, & ſerui pœnæ, tamen non acquirit bona donata alteri coniugi, vnde reſpectu fiſci dicitur firmari dicta donatio; poteſt tamen reuocari à donante, & ſi reuocauerit ipſe illa acquiret, & non fiſcus l. ſi deportati ſeruo, ff. de leg. 4. Molin. diſp. 389. §. diſputatione præcedenti. Quæ doctrina eſt quando vir donaret vxori. At ſi è contra

tra vxor donaret viro, non firmaretur donatio morte ciuili dictæ vxoris, vt idem Molina, & colligitur ex l. res vxoris, Cod. de donat. inter virum, & vxorem. Si verò coniux donans moriatur ciuiliter tertio modo, ſcilicet per profeſſionem, tunc vel talis profeſſio fuit facta ante conſummationem matrimonij, vel poſt conſummationem de licentia vxoris. Si primò modo, firma remanet donatio per talem mortem ciuilem, quia in tali caſu diſſoluitur matrimonium, ſecùs ſi ſecundò modo. Quia matrimonium non diſſoluitur, & ſic eſſet expectanda mors naturalis coniugis donantis. Ita Ioan. Andr. cap. fin. num. 3. de donat. inter virum, & vxorem. Angelus verb. donatio 3. num. 4. Sylu. eodem ver. 2. q. 4. Tabbien. donatio 3. num. 4. & alij; Non deſunt tamen, qui aſſerant abſque dicta diſtinctione; dictam donationem non firmari per talem profeſſionem, ſed expectandam eſſe mortem naturalem, Sanchez autem autem dicto lib. 6. diſp. 17. num. 8. Ait parum referre, an matrimoniũ ſit conſummatum, vel non, quia licèt per profeſſionem non diſſoluatur matrimoniũ, quoad vinculum, diſſoluitur tamen quoad effectum, vnde in vtroque caſu firma remanebit donatio per talem mortem ciuilem, Gloſſ. cap. placuit verb. mortuus, Rodriq. 1. to. ſummæ cap. 92. num. 2. Alex. de Neuo cap. fin. de donat. inter uirum, & uxorem num. 12. & alij; quod intellige quando donans profiteatur religionem incapacẽ dominij in communi, vt ſunt fratres Minores, & Capuccini; nam ſi profiteatur religionem capacem dicti dominij, expectanda eſt mors naturalis; & licet coniux ſit in tali religione, adhuc poterit dictam donationem reuocare; & idem dicitur de donatione cauſa mortis, quæ ſimiliter poteſt ad libitum donantis reuocari, idẽ Sanchez num. 9. & 11. ex Suario, & alijs.

De Sponſalitia largitate, ſeù de donatione fieri ſolita inter Sponſos de futuro, ob ſpem ineundi Matrimonium. Cap. C.

1 *Sponſalitia largitas ſtatim tranſit in donatarium, & illam lucratur, ſi per ipſum non ſteterit, quin matrimonium ſequatur; imò teneretur donans omnia acceptata ab alio Sponſo reſtituere, vide alia plura.*

2 *Sponſa licet traducta ad domum Sponſi, nõ acquirit ſponſalitiam largitatem, ſi non adfuerit copula matrimonialis, nec dimidiam partem dictæ donationis, ſi nõ adfuit oſculum.*

3 *Sponſalia; vel matrimonium nullum ob aliquod impedimentum dirimens, Sponſa adhuc acquirit medietatem donationis per oſculum, & totam per copulam habitam, ſi ambo ignorauerint impedimentum, alioquin fiſcus acquirit poſt Iudicis ſententiam, ſi ambo erant conſcij. Si autem alter tantum erat conſcius, tunc innocens lucratur.*

4 *Si Sponſalia diſſoluantur abſque culpa contrahentium, Sponſus tenetur reſtituere, ſi aliquid accepit, at Sponſa lucratur medietatem donationis, ſi adfuerit oſculum, ſi autem vnus vellet illa diſſoluere, & non alter, dictus alter totam donationem acquirit.*

5 *Si ante matrimonium fuiſſent data arrha, & ſponſalitia largitas; poſſet Sponſa conſummato matrimonio alterũ eligere.*

6 *Sponſa, ſi poſtea diſſoluantur ſponſalia, & adfuerit oſculum, acquiret medietatem ſponſalitiæ largitatis, non autem arrharum.*

7 *Sponſalitia largitas eſt tradenda antè matrimonium alioquin erit donatio inter coniuges, ſecluſo contrario vſu.*

8 *Nulla datur taxa in dicta donatione facienda de iure communi, de iure autem Caſtellæ, nam poteſt excedere octauam partem dotis.*

9 *Maritus donans veſtes pretioſas Vxori, non cen-*

cenſetur illas donare,niſi id conſtet;ſecus autem ſi donet veſtes quotidianas; è contra verò Vxor donans veſtes marito, ſiuè pretioſas, ſiue quotidianas, nō cenſetur illas donare,niſi conſtet.

10 *Spōſa acquirit dimidiam partem veſtium quotidianarum à Spōſo donatarum per oſculum, & omnes per copulam matrimonialem, veſtes autem pretioſas non acquirit, cum cenſeantur commodata, niſi contrarium conſtiterit; ſunt autem contrarium aſſerentes.*

11 *Veſtes donatas à Socero nurui animo verè donandi,non cenſentur donata filio, nec filius tenetur illas computare in partem legitimā;at ſi non conſtet de tali voluntate, cenſentur donata filio, & ſic mortuo patre, ſunt computanda in ſortem, probabilius tamen putant alij veſtes quotidianas non eſſe computandas; ſed tantum veſtes pretioſas.*

12 *Veſtes quotidiana data à patre filiæ, cenſentur tanquam alimentā debita,veſtes autem pretioſæ cenſentur commodatæ; & ſunt in ſortem legitimæ, vel dotis computandæ; niſi pater eſſet nobilis, vel diuitijs affluens.*

13 *Veſtes donata tā à Socero nurui, quam à patre filia, ſunt computandæ in ſortem iuxta valorem, quem habent mortuo ſocero, vel patre, quia vſus iam fuit conceſſus, quando tamen ſunt computandæ.*

14 *Donata vtrique Sponſo ab extraneis, ſunt communia, & idem eſt dicendum de donatis ab amicis vtriuſq; vel ab æque cōſanguineo, ſi vtrique fuerit facta donatio. Si autem conſanguineus donauerit coniugi conſanguineo, ipſius res erit, ſic etiam ſi ab æquè conſanguineo fuerit facta donatio vni tantum, illius etiam erit res donata: vide alia.*

15 *Donatio facta vxori à conſanguineis mariti, & è contra iuxta probabiliorem opinionem cenſetur facta contemplatione coniugis conſanguinei, & ille rem donatam acquirit ſoluto matrimonio niſi contrarium conſtet.*

16 *Donatio facta à dictis conſanguineis non cenſetur confirmata per alterius mortē coniugis, eo quod talem donationem non reuocauerit; ſed eo mortuo, tranſit ad hæredes.*

17 *Dicta donatio facta à conſanguineis,v.g. mariti vxori, non cenſetur ſponſalitia largitas, ita vt poſſit vxor dimidiā partem acquirere per oſculum, & totam rem donatam per copulam matrimonialem.*

1 TRia ſunt in hoc capite videnda; Vtrum dicta donatione peracta, acquiratur res donata, & quonam modo deperdatur. Secūdum quo tempore, & in qua quantitate talis donatio facienda ſit. Tertium, quænā dona tradita, vel ab ipſis ſponſis,aut eorū conſanguineis, vel affinibus,cenſeantur ſponſalitia largitas. Vnde dico,donatio facta ob ſpem ineūdi matrimoniū,ſeu ſpōſalitia largitas eſt talis naturæ, vt ſtatim tranſeat ad donantem,& fiat irreuocabilis donatio, dūmodo per ipsū donantem non ſtet, quin matrimonium ſequatur,quamuis nec copula, nec oſculum intercedat, & cupula ipſius donantis non ſequatur matrimonium, l.1.verſ.igitur ff.de donationibus, & l. ſi mater C. de donat.ante nuptias, intelligitur tamen dicta donatio ſub conditione facta,ſcilicet, dūmodo ſequatur matrimonium, & ideò eo ſequuto,donatio erit ſimplex,&pura,& irreuocabilis,vt expreſsè habetur l. cum veterū C. de donat. ante nuptias; Molin. tom.2.de iuſtit.tract.2.diſp.290.in princ. Anton.Gomez l.52.Tauri num.2, Si autē matrimonium nō ſequatur ex culpa ſpōſi,vel ſponſæ donantis,ſtatim ſponſus, vel ſpōſa donataria acquirit totam ſponſalitiam largitatē, imò donās ſi aliquid acceperat à donatario tenetur reſtituere, vel ſi promiſit tenetur dare;è contra,ſi matrimonium non fiat culpa donantis, omnia integrè donanti reſtituit, vt expreſsè habetur l.cū veterū C. de donat. ante nupt. Et ſi facta fuerit donatio iocalium ſpōſæ à ſponſo,& è contra, & poſtea caſu non ſequatur matrimonium,v.g. per mortem ſuperuenientem, tunc ſi adfuit oſculum, ſponſæ reſtituēda ſunt omnia iocalia; ſed ipſa non tenetur reſtituere,niſi dimidiam partem iocalium,quæ acceperat, ſi non adfuit oſculum, omnia integrè reſtituenda ſunt;Io:Lupus rubr.de donat.§.3. in fi-

Digitized by Google

per copulam, Sanchez num. 9. & 10.

4. Vtrum autem, ſi ſpõſalia diſſoluantur abſque culpa vtriuſque, ſponſa acquirat medietatem per oſculum? Reſpondeo ſi matrimonium non ſequatur à caſu, vt per mortem, iam in num. 2. circa medium diximus, quid ſit agendum; ſi non ſequatur data opera, vt quia alter eorum ingrediatur religionem, vel voueat votum caſtitatis, vel amittat oculos, aut mutuo cõſenſu dirimant ſponſalia, tunc ſi ſponſus recepit donationem à ſponſa, tenetur ei integrè omnia reſtituere; quia per oſculũ ſponſus nihil lucratur; ſed tantum ſponſa; vt expreſsè colligitur, ex l. ſi à ſponſo, C. de donat. ante nupt. & l. 3. tit. 11. par. 4. ſi autem ſpõſa recepit dictam donationem, medietatem illius tantum per oſculum, & ſi non adfuerit, omnia tenetur reſtituere, Molin. tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 290. §. quando autem, & §. habent verò locum. Excipitur caſus, quãdo ex amborum conſenſu ſponſalia diſſoluantur; ſecus autem ſi vnus vellet diſſoluere ſponſalia, & alter inuitus conſentiat, tunc enim vltimò conſentiens integram donationem acquirit, quia per ipſum non ſtat, quin matrimoniũ ſequatur, vt in principio huius capitis diximus; & idem eſt dicendum ſi ſponſa, vel ſponſus licitè ex culpa alterius a ſponſalibus recedit, vt ob fornicationem, vel ob diſceſſum in partes lõginquas, &c. acquirit enim ſponſus, vel ſponſa, per quam nõ ſtetit matrimonium cõtrahi, omnia ei donata, & repetit omnia ab ipſa, vel ipſo donata alteri ſpõſo, probatur ex l. cum veterum in fin. C. de donat. ante nupt. vbi in hoc æquiparantur ſponſus, & ſponſa, ex Sanchez lib. 6. diſp. 21. num. 8.

5. Sed dubium eſt, caſu, quo fuiſſent ante matrimonium datæ arrhæ, & ſponſalitia largitas: An conſummato matrimonio, ſponſa acquirat integrè vtrumque? Reſpondeo dari optionem poſt mortem ſponſi, vt ſponſa, ſeu coniux poſſit ſibi eligere arrhas, vel ſponſalitiam largitatem intra terminum viginti dierum poſtquã requiſita fuerit ab hæredibus mariti; ſed nota, illam tantum dici ſponſalitiam largitatem, quæ datur ante conſummatum matrimonium; nam ſi daretur poſt conſummatum matrimonium, diceretur donatio inter coniuges, & ſic cõiux poſt mortem mariti acquireret arrhas, & ſponſalitiam largitatem, vt expreſsè ſumitur ex l. 52. Tauri hodie lib. 4. tit. 2. lib. 5. nouæ recomp. poſtquam autem vxor elegerit arrhas, vel ſponſalitiam largitatem, ſeu iocalia, non licet poſtea variare; quod enim ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt Regul. quod ſemel de regul. iuris in 6. quod intellige, dummodo electio iam habuit ſuum effectum; eo enim non ſequuto, licebit dictæ vxori, vel eius hęredibus variare, l. qui per ſalutem, ff. de iureiur. & ratio eſt, quia abſque effectu, actus cenſetur inutiliter, & ac ſi nõ adhuc eſſet factus, l. ſi aut nullam, C. de legit. hæredibus, & l. 4. §. condemnatum, ff. de ſenten. & re iudic. Io: Lupus in cit. l. Tauri, num. 19. Felinus cap. ex tenore num. 2. & ſeqq. de reſcript. Bartol. l. 2. ff. de option. legat. & alij, quos ſequitur Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 22. num. 1. & ſeqq. Et ſi intra dictum terminum viginti dierum vxor electionem non fecerit, nulla conceditur moræ purgatio, cum ſit terminus, l. prǣſtitutus; & poterunt hęredes mariti ipſi eligere, quod dare voluerint, aut dictas arrhas, aut iocalia, ſeu ſponſalitiam largitatem; & nota, quod ſi vxor, vel eius hæredes eligant arrhas, tenebuntur reddere ſponſalitiam largitatẽ, ſeu iocalia, iuxta tamen ualorem, quem habebant tempore, quo fuerunt donata, niſi tamen, etiam ſecluſa dicta ſponſalitia largitate, iam maritus tenebatur facere, v. g. veſtes eiuſdem ualoris vxori, tunc enim reſtitutio eſſet facienda eo modo, quo tunc reperiuntur, vel ſi vxor non erat talis conditionis, vt ei deberentur veſtes adeò pretioſæ, niſi ſub titulo ſponſalitiæ largitatis, eſſent reſtituendæ detractis expẽſis, quas maritus fuiſſet facturus, ſi vxor non habuiſſet dictam ſponſalitiam largitem, vt idem Sanchez num. 5.

6. Vtrum autẽ, ſi poſt dictas arrhas, & ſponſalitiam largitatem, nec non poſt oſculũ, diſſoluantur ſponſalia, poſſit ſponſa dimidiam partem arrharum, vel ſponſalitiæ largitatis accipere, vel ſi tantum accepiſſet arrhas, poſſit dimidiam partem illarum accipere? Et affirmatiuè reſpondet

modatas, & nullo modo ſponſalitia largitas, itaut nihil ſponſa acquirat per oſculum, nec per conſummationem matrimonij, quia dari videntur, vt ſponſa ornatior ad ſponſum accedat; è cõtra verò Antonius Gomez l. 52. Tauri num. 4. cum alijs contrarium putat, nempè omnes dictas veſtes cenſeri ſponſalitiam largitatem, & dimidiam partem illarum acquirere ſponſam per oſculum, & omnes per copulam matrimonialem, quæ omnes opiniones videntur probabiles, niſi contraria conſuetudo alicubi obſtet; prout patet ex Regno Caſtellæ; vbi ex nouo iure habetur omnes veſtes tam quotidianas, quam pretioſas, & omnia alia iocalia tam donata à ſponſo ſponſæ, quam è contra, cenſeri ſponſalitiam largitatem itaut ſponſa per oſculum acquirat dimidiam partem, & vterq; omnia per conſummationem matrimonij; vt probat idẽ Sanchez loc.cit.num.30.

11. Sed quid ſi ſocer donet aliquas ueſtes nurui, an illas acquirat nurus, & an maritus debeat illas computare in partẽ legitimæ? Reſpondeo, ſi conſtet ſocerum velle abſolutè donare nurui, certum eſt illas ſtatim acquirere; ſiue donentur ante, ſiue poſt conſummatum matrimoniũ, nec filius in tali caſu cenſetur illas computare in partem legitimæ, quia nihil ipſe acquirit. At ſi non conſtet de tali voluntate, cenſetur donata filio, cuius contẽplatione fuerunt data nurui, vnde mortuo ſocero, filius tenetur illas computare in ſortem, ſcilicet iuxta æſtimationem illarum, quam habebant tempore donationis; vt Molin.tom.1.de iuſtit.tract.2.diſp. 238.fol.1483.in fin.& tom.2.diſp.430. in fin. Sanchez autem probabilius putat dicendum, quando non conſtat de mente ſoceri, tunc diſtinguendum eſſe inter veſtes pretioſas, & veſtes quotidianas, & veſtes quotidianas cenſeri donatas, & cõnumerari inter alimenta filio debita, & ideò non teneri illas filium in partem legitimæ computare; pretioſas autem, cenſeri accommodatas, itaut mortuo ſocero ſint computandæ in legitimã; ex Bald. l.1.§.nec Caſtrenſe nu. 1. ff. de collat. bonor. Bald.l.omnimodò 40.§. imputari nu. 4. C.de inoff. teſtam. Angel. verb. pecul. num.22.Syulueſt.ver.donatio 2.q.5. & peculium 2.q.12. idem docet Io: Lupus rubric.de donat.§.11.num.3. & alij plures; ſed ſi conſtaret animum ſoceri non fuiſſe donare dictas veſtes quotidianas; adhuc eſſent conferendæ in ſortem legitimæ.

12. Idem eſt dicendum de veſtibus pretioſis datis à patre filiæ tempore nuptiarum, cenſentur enim accommodatæ, & teneretur illas filia conferre in partem legitime; ſecus autẽ veſtes quotidianas, quia non putãtur inter alimenta filiæ debita, Angel.ver.peculium nu.21. Syulueſt. eodem verb.2.q.12.Nauar. cap. 25. num. 166.Rodriq.1.tom. ſummæ cap. 93. num. 4. Tunc autem dictæ veſtes cenſentur cõmodatæ à patre filiæ, quando dantur vltra dotem, alioquin eſſent computandæ in partem dotis, ſecus veſtes quotidianæ, cum cenſeantur alimenta, Molina to. 1. de iuſtit.tract.2.diſp.238.fol. 1484. Quando tamen pater eſſet nobilis, vel diuitijs affluens, & ſimiliter ſocer donans nurui, tũc dictæ veſtes pretioſæ poſſent etiam cenſeri donatæ, ſi contrarium non conſtet, & ita deceat eorum ſtatum, vt idem Syulueſt. Nauarr.& Rodriq. loc.cit.Tabbien.verb. peculium num.20.Armilla num.27.

13. Sed nota, tam dictas veſtes donatas à ſocero nurui, quam donatas à patre filiæ, quando computandæ ſunt in partem legitimæ, &c. iuxta æſtimationem, quam habent dictæ veſtes tempore, quo conferendæ ſunt in legitima ſunt computandæ, non autem iuxta æſtimationem, quam habebant tẽpore, quo traditæ fuerunt, quia vſus cenſetur donatus; & proprietas cum ſemper manſerit apud donãtem, earum augumentum, vel decrementum cedit domino donãti, Nauar.cap.17. num.166.Angelus verb.peculium nu.21. Syulueſt.verb.donatio 2.q. 5. & peculium 2.q.12. Sanchez lib. 6. de matr. diſp. 25. num.37.ex Bart.Bald.Salic. & alijs.

14. Dubium tamen eſt, an donata à conſanguineis ſponſi ſponſæ, & è contra cenſeantur ſpõſalitia largitas, ita vt ſponſa acquirat medietatem illorum per oſculum, & omnia acquirant vterq; per conſummationẽ matrimonij ad inſtar ſponſali-

ſalitiæ largitatis? Et ſciendū eſt, id, quod eſt dicendum de conſanguineis, cenſeri etiam dictum de donatis ab amicis, cum in hoc equiparentur cōſanguinei, & amici. Reſpondeo igitur; in primis certum eſſe, donata vtriq; coniugi ab extraneis acquiri ſocietati, ſi nulla adſit coniectura, fuiſſe donata contemplatione alterius cōiugis, Molin. to. 2. de iuſtit. tr. 2. diſp. 430. concl. 1. & idem aſſerit eſſe dicendum de donatis vtriq; ab amicis vtriuſque, vel ſi donans fuerit vtriuſq; æque conſanguineus, quia in his caſibus non poteſt dari coniectura dona fuiſſe data contemplatio alterius tantum. Quando autem donans ſit conſanguineus, & donet tantum ſponſo conſanguineo; tunc donatarius omnia acquirit; Io: Lupus rubr. de donat. §. 44. num. 2. Si autem dictus donans conſanguineus donaret alteri coniugi non conſanguineo, & conſtaret de eius voluntate, vtiq; dictus coniux donatarius acquireret, vt idem Doctor. Et ſi donans ſit æquè vtriuſq; conſanguineus, & donet tantum vni illa tantum donatarius acquirit. Item quando conſanguinitas, vel amicitia eſt tantummodo cauſa remota, vt donans donet alteri coniugi, tunc dictus coniux donatarius acquirit, ſecus ſi fuerit cauſa proxima; vt ſi conſanguineus vxoris aliquid donet viro non ad contemplationē vxoris conſanguineæ, ſed quia antea iam habebat amicitiam cum dicto viro, cuius occaſione poſtea æquè, & fortè plus diligit, quam conſanguineā; in tali caſu omnia acquirit donatarius, ſecus ſi nulla amicitia præceſſerit, nec conſtet de eius contraria voluntate, præſumitur enim donatio facta contemplatione vxoris conſanguineæ, & ſic ipſa donata acquirit; vide Molin. tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 430. & Sanchez lib. 6. de matr. diſp. 26. num. 4. 5. & ſeqq.

15. Sed difficultas eſt, quando verè adeſt dubium an donatio facta viro à cōſanguineis vxoris, ſit facta contemplatione vxoris, & è contra an donatio facta vxori à conſanguineis viri, ſit facta contemplatione viri? Et multi probabiliter quidem reſpondent in tali caſu, donatarium acquirere rem donatam, itaut ſoluto matrimonio reſtituere non teneatur; Ita Bald. Salic. Menoch. Franciſcus Aretius, & alij apud Sanchez lib. 6. de matrimonio diſp. 26. num. 10. Sed ipſe Sanchez num. 11. Contrarium putat probabilius, nempè coniugem conſanguineum donātis rem donatam acquirere, ita vt ſoluto matrimonio ad ipſum, vel ipſam res donata redeat, vel ad hæredes, ita etiam tenet Molina tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 430. concluſ. 2. Nauarr. cap. 17. num. 166. Sylueſt. verb. donatio 2. q. 5. Iulius Clarus lib. 4. dicens eſſe communem opinionem q. 10. verſ. Sed numquid ea, Menochius de præſumptionibus lib. 3. præſumpt. 26. num. 13. & alij multi. Quod intellige etiā ſi vtriq; fuerit facta donatio, ſemper enim cenſetur facta contemplatione proprij cōſanguinei; niſi Princeps, vel Auguſta donaret aliquid proprij conſanguinei vxori, quia tunc acquireret dicta vxor l. cum multa C. de bon. quæ liber. cum huiuſmodi perſonę non cenſeantur donare cōtemplatione alterius. Secus autem ſi donarent vxori ob obſequia accepta à viro, quia cenſerentur donaſſe contemplatione viri, vt Io: Lupus rubr. de donat. §. 45. num. 19. vide etiam Bartol. conſil. 11. nu. 7. lib. 2. & Menochium de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 26. num. 11. Si autem alicubi adeſſet conſuetudo, vt dictas res donatas à dictis conſanguineis, donatarij acquirerent, vtiq; illa ſeruanda eſſet, vt idē Menochius num. 20. Lupus num. 12. & 13. Nec eſt neceſſarium, vt dicti conſanguinei donantes explicent in donatione affinitatem, v. g. dono Marthæ vxori mei cōſanguinei, quod aduertit Lup. loc. cit. nu. 7. Menoch. dicta præſumpt. 26. nu. 5. Item neq; eſt admittēdum id, quod aliqui volebant, nempe tunc traditam doctrinam eſſe veram, quando res donata non conueniret, niſi tantum donatario, vt v. g. ſi conſanguineus mariti donet aliquid vxori conueniens tantum mulieribus, vt ornamenta fæminea, &c. & è contra ſi conſanguineus vxoris donaret aliquid viro, viris tantum conueniēs, vt equum arma, &c. Nam etiam in his caſibus, donatio cenſetur facta contēplatione proprij conſanguinei, alioquin ſemper donatio pertineret

neret ad donatarium, quia donatio fieri ſolita à dictis conſanguineis, ſemper fit de rebus vtilibus ad donatarium; eſſet enim quid incõgruum velle donare vxoribus, v.g. arma, equum, & ſimilia;& viris ornamenta fœminea; Vnde adhuc in his rebus, donatio cenſetur facta contemplatione proprij conſanguinei, itaut ſoluto matrimonio, rem donatam acquirat eo modo, quo reperitur;idem Lupus nu. 8. & 9. Io:de Imol.l.ſi pater,§.ad ſubſtitutos num. 12. ff. vulgari, & alij, quos ſequitur Sanchez dicta diſp. 26. num. 15.verſ. probabilius autem.

16. Et nota, ꝙ licet aliqui iuriſperiti teneãt donata, v.g.vxori à conſanguineis mariti fieri ipſius vxoris, niſi maritus talẽ donationem reuocauerit,& cenſeri donationem inter coniuges, quæ confirmatur morte donãtis;& ſic mortuo marito,vxorẽ acquireret talẽ rem, vt pluribus rationibus probat Io: de Imol.l.ſi pater,§.ad ſubſtitutos num.4. ff. vulgari, Antonius Gomez l.52.Tauri num.67. & alij. Tamen contrarium eſt verius, & omninò tenendum,niſi conſuetudo,vt ſupra num.antec. contrarium vellet. Patet quia in dubio, non præſumitur donatio, alioquin,etiam quando maritus tradit veſtes pretioſas vxori, cẽſeretur donare,quod eſt falſum, ex antea dictis,& nunquam debet preſupponi donatio,quando adeſt alia coniectura,vt eſt in tali caſu; coniectura enim certa eſt,velle maritum dictam rem eſſe vxoris quoad vſum, non autem quoad totale dominium, & ſic mortuo marito, res tranſit ad hæredes dicti mariti, niſi cõtrarium explicet Molina tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp.430. concluſ.4. Io:Lupus rub.de donat.§.44. in fine,& refert Rotæ deciſionẽ, Sanchez lib.6.de matrim.diſp.26.num.19. in fine,& alij. Quam doctrinam intelligas iuxta opinionem,quam ſequuti ſumus nu. anteced. nempè donata à conſanguineis non fieri donatarij; ſed coniugis conſanguinei.

17. Nota etiam cum dicto Molina loc.cit.concluſ.3.Sãchez num.22.& alijs, donationem factam à conſanguineis viri vxori,& è contra, non cenſeri ſponſalitiã largitatem,& ideò non acquiri dimidiam partem illius per oſculum, nec totam per copulam carnalem: ſed ſemper rem donatã manere ſub dominio illius,cui preſumitur fuiſſe donata, & eo mortuo ſuccedunt hæredes,ſcilicet quoad dominiũ,& vſum; nam ſoluto matrimonio ceſſat etiam vſus donatarij;vt ſupra num.15. Continet tamen in ſe talis donatio ſiue fiat à conſanguineis, ſiue ab extraneis, conditionem dummodo matrimonium ſequatur ad inſtar ſponſalitiæ largitatis,& ideò eo non ſequuto omnia eſſent reſtituenda, l.cum veterum, C. de donat. ante nupt. vbi Cinus ita extendit dictum textum, Ioan.Lupus rubr.de donat.§.3.num.50.& alij.

De Arrhis, ſeu de donatione propter nuptias, quid ſint, quomodo acquirantur quis poſſit illas promittere, & qualiter vxor de illis poſſit diſponere. Cap. CI.

1 *Arrhæ ſunt ea, quæ Sponſus tradit Sponſæ in ſecuritatem matrimonij, in Hiſpania autem ſunt donationes quædam, quas ſponſus, vel maritus facit ſponſæ, vel vxori.*

2 *Arrhas, quas habuit mulier putata virgo à marito, quæ verè non erat talis, non tenetur dicta mulier reſtituere, licet maritus non dediſſet, ſi id cognouiſſet.*

3 *Fingens ſe virginem, & vtens licitis remedijs, vt virgo appareat, non peccat mortaliter; nec ſimiliter parentes, & alij ad id concurrentes, adiuuantes, &c.*

4 *Arrhæ in Regno Caſtellæ non poſſunt excedere valorẽ decimæ partis bonorum, quæ donans poſſidet, nec requiritur inſinuatio, etiam ſi excedãt ſummã 500. ſolidorum;poſſunt etiam promitti Arrhæ reſpectu futurorum bonorum; ſi expreſsè dicatur in contractu.*

5 *Si bona mariti ſunt minuẽda, eo quod poſſidebat bona fide aliqua non ſua; ar-*

rhæ à dicto marito promiſſæ ſunt etiam minuendæ iuxta ratam.

6 *Si promittens arrhas habeat maioratum, arrhæ ſunt deſumendæ habito reſpectu ad valorem fructuum maioratus, & explicatur quonam modo fiat dictus computus.*

7 *Meliorationes factæ à patre filio cauſa matrimonij in communi, poſſunt à patre reuocari; Secus autem, ſi fiant cauſa matrimonij particularis ex pacto inito cum tertia perſona.*

8 *Promiſſio arrharum vltrà decimã partem, vt ſupra, eſt inualida quoad exceſſum, nec mulier poſſet in conſcientia dictum exceſſum retinere.*

9 *Donatio remuneratoria eſt extrahenda ex tota maſſa hæreditatis iuxta aliquos Doctores; ſed iuxta alios eſt extrahenda ex illa parte, de qua donans poteſt diſponere. Arrhæ autem ſunt deſumendæ ex tali parte, non autem ex tota hæreditate.*

10 *Vir, cui non fuit tota dos ſoluta, vel nihil de dicta dote, nihil etiam tenetur dare, ſi arrhas promiſerit, & ſi partem tantum accepit, partem etiam arrharum tenetur dare.*

11 *Vtrum pupilli, & minores arrhas conſtituere poſſint, vidẽdus eſt lib. 2. de contr. cap. 5.*

12 *Filius familias ſicut poteſt inconſulto patre contrahere matrimonium, & alios contractus facere, ita poteſt etiam eo inconſulto arrhas promittere.*

13 *Mulier ſoluto matrimonio, ſi habeat filios, & non nubat, poteſt diſponere de quarta parte arrharum; ſi nõ habeat filios, poteſt diſponere de omnibus; ſi nubat, & habeat filios, tenetur illas integrè filijs conſeruare, retento ſibi vſufructu, dum vixerit.*

1 ARrhæ iure communi ſignificant ea, quæ ſponſus tradit ſponſæ in ſecuritatem, & pignus futuri matrimonij, ſicut ſolet fieri in alijs contractibus præcipuè emptionis, & venditionis, in quibus ſolent dari arrhæ amittendæ, ſi nõ ſequatur contractus, & in hoc ſignificato iam de eis egimus cap. 89. num. 4. & 5. In Hiſpania autem arrhæ ſignificant donationem, quam facit ſponſus ſponſæ, vel maritus vxori in premium magnæ dotis, vel nobilitatis, vel pudicitiæ, & ſolẽt etiã vocari donationes propter nuptias; quia loco ipſarum ſucceſſerunt, non tamen iuxta naturam, quam olim habebant donationes propter nuptias, quæ iam in deſuetudinẽ abierunt, & explicauimus cap. 99. num. 1. & docet etiam Sanchez lib. 6. diſp. 1. num. 1. Sed iuxta naturam ipſarum arrharum, quæ acquirũtur à ſponſa per matrimonij conſummationem, ita vt ſoluto matrimonio ipſius fiant, vt iam diximus cap. antecced. num. 6. nec poſſunt à ſponſo, ſeu marito reuocari, & in hoc differunt arrhæ à ſponſalitia largitate, diſtãt etiam, quia ſpõſalitia largitas eſt omninò facienda ante matrimonium contractum; Arrhæ autem poſſunt dari etiam inito matrimonio, quia licet quælibet donatio ſimplex ſit inter coniuges prohibita, vt cap. 99. probauimus, tamen donatio remuneratoria fieri poteſt, & cum arrhæ dentur in præmium pudicitiæ, vel magnæ dotis, aut nobilitatis, benè poſſũt dari inito matrimonio; vt probat Sanchez lib. 6. diſput. 28. num. 2. Couar. 4. decretal. 2. par. cap. 3. §. 7. num. 12. & alij.

2 Sed quæritur, vtrum fœmina putata virgo, cum verè virgo non ſit, teneatur reſtituere arrhas, quas accepit à ſponſo, vel marito, eo quod defectus cognitus non fuit, & ſi cognitus fuiſſet, vtiq; arrhæ non fuiſſent datæ? & affirmatiuè aliqui reſpondent. Quibus addi poſſunt quidam Doctores aſſerentes, viduam conſtituentem dotem fœminæ ab ipſo putatæ virgini, nec cognoſcẽtem defectum, quia dotem non cõſtituiſſent, in foro conſcientiæ eſſe creditorem dictæ dotis, & vxorem ſic dotatam teneri illam reſtituere, quia ceſſante cauſa, debet etiam ceſſare effectus ex l. 2. §. fin. ff. de donat. & vbi eſt error, nec poteſt dari conſenſus neceſſarius ad donationem; error enim tollit conſenſum, l. nihil, ff. de reg. iur. ita docet Rodriq. 1. to. ſumm. cap. 208. num. 12. vbi plures affert, ſcilicet Cord. ſumm. q. 135. Ludou. Lop. 1. par. inſtr. c. 75. §. præterea, & Vega lib. 1. ſummæ cap. 387. Tamen dicendum eſt,

di-

dictam vxorem non teneri reſtituere arrhas;quia nullo iure probatur arrhas dari tantum propter virginitatem; imò iuxta Molinam to.2. de iuſtit. tract.2.diſp.431. §.dubium eſt,ad nullam cauſam reſtringitur donatio arrharum;Vnde licet non adſit virginitas,non ideò erit irrita donatio; neque obſtat, quod ceſſante cauſa, ceſſet etiam effectus; hoc eſt verum quando error eſt in cauſa principali,ſecus quãdo eſt in cõditione, licet, ſi talis cognitio cognita fuiſſet, non fuiſſet ſequuta donatio, vt benè explicat Molin. to. 1. de iuſtit. tract. 2. diſp. 209. fol. 1281. & ſeqq.v.g.ſi quis paupertate motus elargiatur alicui eleemoſynam,ignorans eſſe infidelem,vel ſuũ inimicum, quod ſi præſciuiſſet, minimè eleemoſynam feciſſet; non ex hoc erit irrita donatio,ita vt pauper teneatur ad reſtitutionẽ; quia principalis cauſa fuit vera, nempè paupertas; ita etiam in caſu noſtro, licet maritus conſtituat dotem vxori, vel arrhas daret, quam ſi cognouiſſet cum tali errore, vtique non dotaſſet, nec arrhas donaſſet; tamen cauſa principalis, cum fuerit vera, ſcilicet vel paupertas dictæ vxoris, vel magnus amor,quem erga eam habet, non erit creditor dotis, vel arrharum, nec vxor tenetur aliquid reſtituere. Quod fuſius docet Sanchez lib.6. de matrim.diſput.27.num. 4.& 5.

3. Vtrum autem fœmina fingens ſe virginem,& licitis vtens remedijs,vt tanquam virgo nubat, mortaliter peccet, ac eorum parentes, &alij ad id concurrentes? Videtur affirmatiuè reſpondendum; quia iuxta communẽ doctrinam, D. Tho. 2.2.q.77.art.7. vitia occulta rei vendendæ ſunt manifeſtanda, imò etiam manifeſta,quando emptor ex ignorantia inculpabili defectus non aduertit, vt docet Petrus Nauar. lib. 3. de reſtit. cap.2. dub.7. num. 46. & nos iam diximus in 2. lib. de contr.cap.40. num.17. & cap.49. num.7. Vnde cum matrimonium ſit quaſi quædã vẽditio, cum ſponſi acquirant dominium in corpus alterius ſponſi; dicendum eſt, quod teneatur fœmina tale vitium aperire, alioquin cum ſimus in re graui, mortaliter peccare, vt ſimiliter parentes, & alios ad id cõcurrentes;tamen reſpondendum eſt negatiuè, ſcilicet, neque dictam fœminam,neque parentes,&c. mortaliter peccare, imò neque venialiter ſi id agant tantum tacẽdo, & cælando vitium medijs licitis iuxta doctrinam D.Thom.2.2. q.1. art.1.ad 4. vbi ait,*non eſſe mentiri,tacere,& bonis medijs occultare vitium;* ſecus autem ſi fiat animo, vt iudicetur virgo, tunc enim adeſſet mendaciũ ex eodem D.Tho.2.2.q. 111.ar.1.in cor.vbi docet, mẽdacium nõ ſolum eſſe in verbis, dũ quis aliud, quod ſentit ſignificat; ſed etiam in factis, dum per ſigna factorum, vel rerum vult aliud, quod in ſe eſt,oſtendere;tamen in caſu noſtro, neque hoc mendacium eſſet culpa mortalis,niſi in caſu,quo veriſimile eſſet, poſſe maritum talem defectum cognoſcere, & moleſtè ferre, ac malè tractaturum vxorem,& vitam plenã diſcordijs ducturũ vt Sãchez lib.6.de matrim.diſp.27. num. 10.& 11.in fin. tũc enim eſſet tantum peccatum contra charitatem ex eodem Sanchez,non autem contra iuſtitiam, quia licet, venditor vt ſupra teneatur aperire ex iuſtitia defectus rei venditæ, tamen nos non ſumus in tali caſu; ſed in caſu, quo ex cõmuni vſu contrahentium,tam ipſi contrahentes, quam alij qui pro ipſis agunt, non teneantur aperire defectus proprios, & cum id iam contrahentes ſciant, nulli eorum ſit iniuria;ſicut ludentes, ob quaſdam naturales leges ludi, quas iam ludentes ſciunt, licet certi de victoria, poſſunt ſponſionem augere,& alia facere, vt diximus in lib.2. de contr.cap.74. nu.2.& docet etiam Couar.reg.peccatum 2.par.§.4. num.6.igitur nulla erit iniuſtitia; neq; erit peccatum contra charitatem, niſi in caſu dicto, quia nullum damnum graue incurrit vir ob talem intrinſecum defectum; vt probat Sanchez loco cit.num.8.& 9.

4. Secundò quæritur, in qua quantitate poſſint arrhæ conſtitui,& an requiratur inſinuatio,ſi excedant ſummã quincentorum ſolidorum? Reſpondeo in Regno Caſtellæ,tam vir, quam vxor non poſſunt excedere arrhas vltra valorem decimæ partis bonorũ, quæ poſſidẽt, nam tam vir, quam etiam vxor in premium nobilitati,ſvel diuitiarũ viri, poteſt dictas arrhas

dare;nec requiritur inſinuatio, licet excederent ſummã quincentorum aureorum, ex l. 50. Tauri, hodie l. 2. tit. 2. lib. 5. nouæ recompilat. & ratio eſt, ne coniuges mutuo amore ſe ſpolient, ita Molina to. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 290. §. quintum eſt. Poſſunt etiam promitti arrhæ de bonis præſentibus, & futuris, licet, ſi non exprimantur futuræ, arrhæ ſunt deſumendæ ex bonis, quæ poſſidet maritus tẽpore promiſſionis, nec obſtat ſiuè poſtea augeantur, ſiuè minuantur, vide Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 29. num. 5. & 6. & nota, quod licet promittens arrhas, hæredibus neceſſarijs deſtitutus ſit, adhuc tamen non poteſt vltra decimam partem bonorũ promittere; deducendum tamen eſt æs alienum, & computanda ſunt omnia, quę viro debentur, vt Molina tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 431. §. illud eſt obſeruandum; imò computanda ſunt omnia bona, ad quæ vir habet actionem ad recuperandum; vt ex Suar. & alijs docet Sanchez num. 13. & ſi arrhæ excederent dictam ſummam decimæ, eſſet irrita reſpectu exceſſus tantum, vt idem Doctor num. 14. & Molina loco cit. & idem eſt dicendum ſi ſponſalitia largitas octauam partem bonorum excederet.

5. Sed dubium eſt, vtrum arrhæ ſint minuendæ, ſi bona mariti ſint minuenda, eo quod bona fide poſſidebat aliqua non ſua? Et negatiuè reſpondet Molin. to. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 431. §. illud eſt obſeruandum, Suar. & alij, quos affert Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 30. num. 1. ſed ipſe num. 2. cõtrarium tenet; quia id, quod non eſt promittentis, non poteſt computari inter eius bona, & cũ arrhæ ſint ſumendæ ex bonis promittentis, dicendum eſt in tali caſu, arrhas eſſe minuendas iuxta diminutionem bonorum; & idem eſt etiã dicendum, ſi in ſponſalitia largitate id accideret, vbi tamen, ſponſi non poſſunt excedere octauam partem, vt diximus cap. anteced.

6. Si autem promittens arrhas habeat maioratum, ſunt arrhæ deſumendę habito reſpectu non ad valorem maioratus; ſed ad vſumfructum, quę promittens arrhas eſt percepturus in toto vitæ ſuæ curſu ſecluſis expenſis faciendis in bonis dicti maioratus; vt ſi vir percipiat quotannis mille aureos, videndum eſt, quodnam capitale poſſet conſtitui, ſi vederẽtur dicti fructus ad vitam promittentis, & ex dicto capitali, eſt deducenda decima pars pro arrhis, Molin. loc. cit. §. circa hęc quęritur; Molinus l. C. lib. 1. de primog. cap. 19. nu. 41. Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 31. num. 1. & alij apud ipſos. Quonam autem modo ſit colligendus valor dictorum reddituum? Sunt tres opiniones, prima aſſerit, hoc pendere à futuro euentu, nempè iuxta quantitatem annorum, quibus promittens arrhas vixerit. Secunda ſententia, ait, dictos redditus eſſe ęſtimandos ad rationem vnius pro octo ad modum cenſus vitalitij; vnde ſi redditus ſunt mille aurei, valor erit octo millia aureorum, quorũ decima pars poterit promitti pro arrhis. Tertia ſententia, quæ vera eſt, putat iniuſtum eſſe, & irrationabile velle conſtituere id pretium in omnibus cenſibus vitalitijs; alioquin idem pretium eſſet ſoluendum nonagenario, ac ſoluitur iuueni, quod æquum non eſt, maius enim pretium debetur ſeni, cum vita breuior ſit, quam iuuenis, & minus pretium debetur iuueni ob longiorem vitã, ita Molina to. 2. de iuſtit. tract. 2. diſput. 431. §. circa hæc quæritur, & Sanchez loc. cit. num. 4. Vnde dicta computatio relinquitur arbitrio prudentis viri facienda habito reſpectu ad annos, ad valetudinem, &c.

7. Sed quid, ſi quis habeat apochas, ſcilicet ſcripturas quaſdam, in quibus cõtineantur aliquæ ſummæ pecuniarũ; quas patres ſolent filijs donare cauſa matrimonij? Reſpondeo, ſi dictæ apochæ tradantur ad meliorandum ſortem filij cauſa matrimonij incerti; poſſe patrem, vel aliũ, qui illas fecit, reuocare; niſi fiant, vt filius poſſit cum aliqua contrahere matrimonium; quæ non contraheret; niſi facta tali melioratione filio; tunc enim eſſet donatio ex cauſa onerosa, & cum non poſſent reuocari abſque damno tertij; ideò irreuocabiles fiunt; Vnde non ſufficit ſaltem in Regno Caſtellæ, vt dictæ meliorationes fiant cauſa matrimonij in communi; ſed neceſſe eſt, vt etiam intercedat pactũ cum

Digitized by Google

cum tertia perſona, vt fiant irreuocabiles; vt Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 32. nu. 1. & 2. apud quem plura notantur.

8. Dubium tamẽ eſt, vtrum promiſſio arrharum vltra decimam partem valida ſit in foro conſcientiæ, ita vt vxor non teneatur exceſſum reſtituere? Reſpondeo negatiuè in Regno Caſtellæ, vt ſupra, tam enim exceſſum decimæ partis, quoad arrhas, quam octauæ partis, quoad ſponſalitiam largitatem, ſemper donatarius tenetur reſtituere nulla iudicis ſententia expectata; cum leges annullent quidquid contra geſtum fuerit, ex eodem Sanchez diſp. 33. nu. 2. ex Corduba, Lopez, & alijs, quod eſt verum, etiam ſi adfuerit iuramentum; eſt enim irritum reputandum, cum contrarium non poſſit obſeruari abſque peccato, & lex iuſtè prohibeat exceſſum; & cõtractum aliter factum annullet, vt idem Sanchez diſp. 34. Caſu tamen, pro quæſtio eſſet, an arrhæ exceſſerint decimam partem bonorũ mariti; viri erit, vel eius hæredum dictum exceſſum probare; ita Couar. 2. var. cap. 6. num. 7. Sanchez diſp. 35. num. 4. & alij.

9. Quæſtio tamen eſt, an dictæ arrhæ poſſint promitti in præiudicium legitimæ deſcendentium, & aſcendentium? ad cuius quæſtionis dilucidationem, neceſſe eſt prius videre, an donatio remuneratoria ſit extrahẽda ex tota hæreditatis maſſa, tanquam æs alienum, an tantum ex illa parte, de qua promittens arrhas poteſt liberè diſponere; vt in Regno Caſtellæ, de tertia parte reſpectu aſcendentium, & de quinta reſpectu deſcendentiũ, vt ait Sanchez lib. 6. diſp. 36. num. 2. & duas in hac re refert opiniones; Prima aſſerit, dictas arrhas eſſe extrahendas ex tota hæreditate, tanquam æs alienum, & ratio eſt, quia tutor poteſt de bonis pupilli donationes, & munera facere ijs, quibus pupillus iuxta ſuam dignitatem facere debebat, l. cum plures 13. §. fin. ff. de adminiſtr. tutor. & ibi docet Bart. Abbas cap. 3. nu. 3. de donat. Io: Garzia de donat. remun. nu. 22. & alij, igitur multo magis poterit patet de bonis proprijs donationes remuneratorias facere, non obſtante, quod minuat legitimã filiorum, vel aſcendentium; & confirmatur ex l. Diuus 9. ff. ſi quid in fraudem patroni, vbi habetur, *liberum benemeritis donare poſſe, non verò legare, quo patroni legitimã portionem minuat*, & cum portio patroni, & filiorũ ſint ſimiles, l. fin. C. de inoff. teſtam. ſi illa poteſt minui ob donationem remuneratoriam poterit, & hæc, ita Io: Lupus rubr. de donat. §. 50. num. 12. Nauar. ſumma latina cap. 26. num. 39. Gomez Arias l. 26. Tauri num. 9. & alij plures. Secunda ſententia, quæ probabilior videtur Sanchez loc. cit. nu. 4. ait, donationem remuneratoriam debitam ex iuſtitia minuere legitimam filiorum, vel aſcendentium, ſecus autem non debitam ex iuſtitia, pro qua ſententia plures affert; ſed verè prima etiam tuta eſt; & eo magis confirmatur, quia iuxta doctrinam Molinæ tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſput. 282. §. dubium eſt, modicæ donationes prudenter factæ, ac etiam eleemoſynæ pertinent ad ordinarios ſumptus, & ad rectã bonorum adminiſtrationem, & ideò hæ ſunt extrahendæ ex tota hæreditate; ergo ſimiliter donatio remuneratoria erit extrahenda ex hæreditate, dummodo prudenter fuerit facta, quibus notatis, ad quæſtionem reſpõdendum eſt, arrhas eſſe deſumendas ex ea parte, de qua quis liberè poteſt diſponere, vt in Regno Caſtellæ de tertia reſpectu aſcendentium, & de quinta reſpectu deſcendẽtium; & ratio eſt, quia arrhæ procedunt ex mera liberalitate donantis, vt docet Molin. tom. 1. de iuſtit. tract. 2. diſput. 200. fol. 1230. in fin. Couar. cap. officij num. 4. de teſtam. Suar. & alij, quos ſequitur Sanchez loc. cit. num. 15.

10. At dubium eſt, vtrum vir, cui nõ fuit ſoluta dos, vel non tota, teneatur integras arrhas ſoluere? Et reſpondetur negatiuè ex regula fruſtra 75. de regul. iuris in 6. Frangenti fidem, fides ſeruanda non eſt, & hoc ſiuè culpabiliter, ſiuè inculpabiliter dos ſoluta non fuerit; vel in partem tantum ſoluta fuerit; iuxta ratam, nec arrhæ erunt ſoluendæ; quando autẽ maritus non recepiſſet dotem; ſed ei præſtita eſſet fides de illa ſoluẽda intra certũ tempus, & ipſe dictam fidem liberè acceptaſſet; ſi intra dictum tempus moreretur, vtique deberet ipſe, vel eius hæredes omnes ar-

arrhas promiſſas ſoluere, ratio eſt, quia habita fides de pretio, pro numeratione habetur, l. quod vendendi 19. ff. de contrah. empt. Molina tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 431. §. dubium eſt, vtrum ſi dos, Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 37. num. 2. & alij.

11. Sed vtrũ pupilli, & minores abſq; authoritate tutoris, & curatoris, nec non iudicis decreto, poſſint arrhas inſtituere? Hęc queſtio pẽdet ex alia, nẽpè an pupilli, & minores cõtrahere poſſint; de quo iam diximus lib. 2. de contractibus cap. 5. & fuſius de hoc agit Sãchez lib. 6. de matrim. diſp. 38. per totam.

12. Quid autem dicẽdum ſit de filiofamilias? Reſpondeo, filiumfamilias poſſe inconſulto patre non ſolum matrimonium, ſed etiã quoslibet alios contractus inire, ac ſi eſſet paterfamilias, vt habetur expreſsè l. tam ex contractibus 575. ff. de iudicijs, & melius l. filiusfamilias ex omnibus 38. ff. de act. & oblig. ex quo ſequitur, filiũfamilias poſſe incõſulto patre arrhas promittere, aç etiam ſponſalitiam largitatem. Neque obſtat, quod filijfamilias vota realia poſſit pater irritare vſque ad annum vigeſimum quintum, ergo ſimiliter poterit irritare alios contractus. Reſpondetur, licet, quamplures aſſerant patrem poſſe irritare vota realia filijfamilias vſq; ad annum 25. tamen id eſt verũ, etiam vltra dictum annũ, imò licet filiusfamilias eſſet ſenex, dummodo non haberet aliquorum bonorum dominium, & liberam adminiſtrationem; ſed viueret ſub patria poteſtate, quia nulla lege cautum eſt, vt ratione ætatis pater poſſit abſoluere vota realia filij, nam licet in dicta ætate concedatur filijsfamilias, vt poſſint bona adminiſtrare; tamẽ ſi perſeuerauerint viuere ſub patria poteſtate, eo quod alia bona adminiſtranda non habent, non ex hoc ſequitur, quod pater non poſſit irritare eius vota realia, & ratio eſt, quia filiusfamilias non poteſt promittere bona patris, quia illa nõ adhuc poſſidet, vt probat Sanchez loco cit. num. 10. cum multis alijs. Non poteſt tamen pater annullare alios contractus, quia non ſunt in præiudicium patris, vt fuſiùs idem Doctor oſtendit.

13. Vltimò quæritur, vtrũ mulier ſeluſo matrimonio poſſit diſponere de arrhis, ſi habeat filios vel aſcendentes? Et tria hodie certa ſunt in dictis arrhis in Regno Caſtellæ, vbi præcipuè hæ arrhæ ſunt in vſu. Primum eſt, dictas arrhas, non debere excedere decimam partem vt ſupra explicauimus. Secundum, mulierem ſoluto matrimonio, ſi habeat filios, & non nubat, poſſe diſponere de quarta parte arrharũ, alias autẽ tres partes ſeruare pro filijs, & ſi filijs careat, poſſe de illis omnibus diſponere, ſi non nubat tam in vita, quam in morte. Quod ſi mulier nubat, & habeat aliquid à marito titulo lucratiuo non oneroſo ſiuè ex donatione inter viuos, ſiuè ex teſtamento; tenetur integrè arrhas ſeruare filijs prioris matrimonij, à quorum patre illas recepit retento ſibi vſufructu; ſi nihil habuit titulo lucratiuo, tunc diſſident Doctores, quidam dicunt poſſe in tali caſu mulierẽ de illis omnibus diſponere; alij autẽ, quod probabiliùs, & communiùs eſt, dicunt teneri dictam mulierem ſeruare dictas arrhas pro dictis filijs prioris matrimonij, retento ſibi vſufructu, quia ſtatim ac nubat, tranſit dominium ad dictos filios, vide Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 40. & 41. Molin. tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſput. 431. & alios.

DE

Digitized by Google

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Vtrùm in Eccleſia ſit poteſtas ſtatuendi impedimenta derimentia Matrimonium. Cap. CII.

1 *De fide eſt, eſſe poteſtatem in Eccleſia conſtituendi impedimēta dirimentia matrimonium, non autem reſpectu infidelium, in quos Eccleſia nō habet poteſtatem temporalem, ſecus ſi haberet, tunc enim poſſet Pontifex, ſicut poſſunt alij principes abſoluti dictorum infidelium.*

2 *Non omne præceptum Pontificis prohibens matrimonium, illud irritat, niſi adſit clauſula irritans, vel quid æquiualens.*

3 *Principes ſæculares ſecluſa prohibitione Eccleſiæ poſſent impedimenta matrimonij conſtituere, ſed non poſſunt, niſi reſpectu infidelium; omneſq; cauſæ matrimonij fidelium pertinent ad Eccleſiam, præter cauſam dotis. Hebræi nullum impedimentum conſtituere poſſunt.*

4 *Conſuetudo legitimè introducta tam inter ſæculares, quam inter Eccleſiaſticos, poteſt cauſare impedimentum irritans matrimonium, ſicut è contra, vt impedimentum irritans, non irritet.*

5 *Contrahens matrimonium cum impedimento dirimente, vnum peccatū mortale committit cum vna tantum malitia morali, contra præceptum naturale, vel Eccleſiaſticum.*

6 *Contrahens cum impedimento dirimente matrimonium ob metum cadentem in conſtantem virum, non peccat mortaliter, ſi non habeat animum habendi copulam.*

7 *Contrahens cum habente impedimentum continens ſpecialem malitiam, vt conſanguinitatis, voti, &c. mortaliter peccat, & tenetur ambas peccati malitias in confeſſione aperire.*

8 *De fide eſt prudenter, & conuenientèr fuiſſe impedimenta matrimonij inſtituta ab Eccleſia, quæ duodecim ſunt de iure communi, & alia duo ſunt ex Concilio Tridentino.*

1 DE fide eſt, eſſe in Eccleſia poteſtatem ſtatuendi impedimenta dirimētia matrimonium, vt patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 4. vbi ſic habetur. *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in ijs conſtituendis errasse, anathema ſit.* Et idem dicitur in canon. antec. 3. non autem dicta impedimēta poterunt infideles comprehēdere, quia in eos Eccleſia nulla iuriſdictione gaudet; vt docet Innoc. III. cap. gaudemus de diuor. ex 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi de ijs, qui foris ſunt iudicare?* Poſſet tamen Pōtifex, ſi eſſet Princeps temporalis dictorū infidelium, impedimenta ſtatuere, ſicut poſsūt omnes alij Principes, vt infra, quibus non ſeruatis, matrimonium eſſet nullum; imò Ledeſma 2. par. 4. q. 61. art. 2. col. 3. & Abul. 1. Reg. 8. q. 178. Sentiunt Pontificem id poſſe etiam reſpectu infidelium, qui ſubduntur Principibus Chriſtianis, licet contrarium ſit probabilius, cum Pontifex in eos nullam habeat iuriſdictionem temporalem. Debet etiam eſſe iuſta cauſa ſtatuendi dicta impedimenta, quia matrimonium cum ex iure naturali, & diuino ſit omnibus conceſſum, non poteſt Pontifex pro libito illud interdicere, licet iniuſta cauſa nō ſit pręſumēda in Pōtifice; docet dictam doctrinam idem Ledeſma loc. cit. q. 56. art. 4. §. penult. Hoſtienſ. ſumma tit. de matrim. cōtracto cōtra interd. Eccleſ. num. 3. & alij; & ſicut poteſt Pontifex generaliter impedimēta ſtatuere, ita etiam poterit inhibere ne matrimonium cōtrahatur inter aliquos particulares, iuſta exigente cauſa, & ſimiliter matrimonium erit nullum; vt idem Hoſtienſ. loc. cit. in fin. D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 16. in fin. principij, Io: Andr. cap. penult.

Digitized by Google

nult. in fin. de deſponſ. impuber. & ibi Anchar. num. 7. cum alijs, quos ſequitur Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 1. num. 7. Imò poteſt etiam aliquos ob grauiſſimas cauſas reddere inhabiles ad contrahendum, vt de facto reddidit Vrbanus V. Bernabonem Vicecomitem, & Dominum Mediolanenſem, vt refert Alex. de Neuo cap. tuas n. 17. ex Calderino ibi, & nota, quod attento iure naturali, & diuino, id quod poteſt Pontifex in tota Eccleſia, poteſt etiam Epiſcopus in ſua Diœceſi; dicta tamen impedimenta ſtatuere non poteſt, eo quod Pontifex ſibi talem facultatem reſeruauit, vt ſumitur ex generali Eccleſiæ conſuetudine, & probat idem Sanchez loc. cit. num. 9. Filiuc. 2. par. de imped. cap. 1. num. 10. & alij.

2. Vtrum autem omne præceptum Pontificis prohibens matrimonium, illud irritet, negatiuè eſt reſpondendum, ſed tunc tantum illud nullum reddit, quando dictæ prohibitioni addatur decretum irritans, vel quid æquiualens, vt ſi dicatur ſine ſpe coniugij; de quo fusè eſt vidẽdus Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 2. quẽ ſequitur Filiuc. de impedim. cap. 1. num. 11. & 12.

3. Sed quæſtio eſt, vtrum Principes ſæculares poſſint impedimenta matrimonij ſtatuere, quibus matrimonium fiat irritum? & reſpondeo, ſecluſa prohibitione Eccleſiæ, poſſe; ſed Eccleſia talem poteſtatem Principibus Chriſtianis interdixit, quia matrimonium eſt ſacramentum, & vt tale pertinet ad Eccleſiam, nec ad illud ſe poteſt extendere poteſtas ſæcularis, vt patet ex Concil. Trid. ſeſs. 24. can. 12. vbi ſic habetur. *Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad iudices Eccleſiaſticos, anathema ſit.* Excipitur tamen causa dotis, & matrimonium infidelium, huiuſmodi enim cum nõ ſint res ſpirituales; pertinent ad ipſos Principes, & ideò ipſi, reſpectu matrimonij dictorum infidelium, poſſunt ſtatuere impedimenta quibus non ſeruatis, matrimonium ſit irritũ; Excipitur tamẽ Reſpublica Hebræorum, quæ cum libera non ſit, non poteſt ſtatuere ſimilia impedimenta, imò, vt benè ſubdit Sot. 4. d. 39. q. vnic. ar. 1. Si quando ante paſſionem Chriſti, Reſpublica Iudæorũ aliquod impedimentum dirimens ſtatuiſſet, adhuc hodie duraret; quia dictæ leges ſæculares per Chriſtũ non fuerunt ablatæ vide D. Thom. 4. d. 39. q. vnic. art. 2. ad 3. Angelum verb. matrimonium 3. impedim. 10. num. 1. Sanchez lib. 7. diſp. 3. num. 3. 4. & ſeqq. Filiuc. loc. cit. nu. 1. 2. & ſeqq. Bonac. de impedim. q. 3. punct. 1. à num. 2. vſq. ad 6. & alios.

4. An autem conſuetudo poſſit inducere alia impedimenta dirimentia cõtractum? Vel iam ſtatuta ab Eccleſia, non habere vim dirimendi matrimoniũ? Reſpondeo in primis, certum eſſe nullam valere conſuetudinem dirimendi matrimonium contractum, nec obſtat quoduis ſcandalum, quod eſſet ſequuturum patet ex cap. fin. de ſponſa duorum, vbi definitur, non ſtandum eſſe conſuetudini, vt ſpreto priori matrimonio rato, perſiſtatur in poſteriori conſummato, vt Sãchez lib. 7. diſp. 4. num. 2. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 17. num. 1. Syluest. eodem verb. 2. q. 3. Filiuc. de imped. cap. 1. num. 14. Concordant tamen Doctores, valere conſuetudinem approbatam à Põtifice, per quam adſit aliquod impedimẽtum dirimens matrimonium, & multo magis ad illud impediendum ad tempus, vel ad ſeparandũ ad tempus coniuges ob pœnam, ratione matrimonij contracti cõtra aliquod edictum: ſed diſſident Doctores, vtrum ſecluſa ſcientia Pontificis cõſuetudo legitimè præſcripta, vt petitur in cap. fin. de conſuet. ad legem ſtatuendam, & ſtatutam derogandam, ſufficiat ad introducendum impedimentum dirimens matrimonium, vel vt dirimens non dirimat? Et affirmatiuè reſpondet Sanchez lib. 7. de matr. diſp. 4. num. 11. & 14. quem ſequitur Filiuc. de impedim. cap. 1. num. 16. Et licet non deſint contrarij, quos fusè Sanchez refert; eandem noſtram doctrinam ſequitur Bonac. de imped. q. 3. pun. 1. num. 7. & 8. debet tamen eſſe dicta conſuetudo miſta, ſcilicet laicorũ, & Clericorum, quia non ſufficit tantum conſuetudo laicorum ad abrogandas leges Eccleſiæ; vt idem Doctores aſſerunt.

5. Sed vtrum contrahere cum tali im-

impedimento dirimente ſit culpa mortalis; habens duas malitias, vnam ex transgreſſione præcepti iuris naturalis, vel Eccleſiaſtici, alteram eo, quod fiat irritum ſacramentum? Reſpondeo certum eſſe apud omnes, contrahere cum impedimento derimente, eſſe culpam mortalem ob præceptum naturale, ſi impedimentũ fuerit ex iure naturali, vt ſi quis contraheret in primo gradu deſcendentium, vel aſcẽdentium; vel ob præceptum Eccleſiæ, vt ſi quis contraheret inter alios gradus ab Eccleſia prohibitos; ſed vtrum tale peccatum contineat duas malitias, affirmatiuè multi reſpondent, quos refert P. de Ledeſma de matrim. q. 5. art. 1. diffic. 3. poſt. 2. concluſ. & quidem probabiliter; tamen probabilius putat Sanchez adeſſe tantum vnam malitiam ratione trãsgreſſionis iuris naturalis, vel Eccleſiaſtici, nec adeſſe ſacrilegium, quia nihil operatur contra materiam, & formam determinatã, & præſcriptam à Chriſto Domino, vt eſt in alijs ſacramentis; in hoc enim ſacramento, licet pro materia, & forma adſint amborũ cõſenſus per verba, vel ſigna expreſſus, tamen non ſufficiet, ſi contrahentes ex iure naturali, vel Eccleſiaſtico non poterunt contrahere; vnde peccatum erit tantum ratione præcepti Eccleſiæ, & non ratione materiæ, & formæ. Ita tenet Sanchez lib. 7. diſp. 5. num. 1. cum dicto P. Ledeſma, & ſequitur Filiuc. de imped. cap. 1. num. 1.

6. Sed maius dubium eſt, an metus cadens in conſtantem virum excuſet ab hac culpa mortali? Et negatiuè reſpondet Caiet. 1. 2. q. 96. art. 4. & ratio eius eſt, quia putat Eccleſiæ præcepta obligare etiam cum mortis periculo, quod alij reijciunt, & aliam afferunt rationem, vt Sot. lib. 1. de iuſt. q. 6. art. 4. & 4. d. 22. q. 1. Nauar. cap. 27. num. 141. Valentia 1. 2. diſp. 7. q. 5. punct. 6. q. 4. §. Vnde caput, & alij, ratio horum Doctorum eſt, quia ſuppoſita prohibitione Eccleſiæ, matrimonium eſt irritum, nec metus illud poteſt reddere validum; & qui accedit ad non ſuam, certum eſt, quod fornicetur, & peccet mortaliter contra pręceptum diuinum; ex qua ratione infertur, ratione copulæ habitæ oriri peccatum, non ratione contractus præcisè, quia iam dictus actus eſt nullus; idem tenet Sanchez dicta diſp. 5. num. 4. licet aliter id explicet; Vnde contrahere cum impedimento dirimente animo non conſummandi, nullum erit peccatum ſaltem mortale; quod præter dictos Doctores docet etiam Filiuc. num. 26. Si autem quis contrahat cum impedimento dirimente tantum, tũc ſi habeat animum contrahẽdi affectu maritali, & contrahat corã Parocho, & teſtibus, validũ erit ſacramentum, nec aliquod peccatum committet; vt ſi quis habens votum ſimplex contrahat ex tali metu graui, vel ſi contraxerat alia ſponſalia; & ratio eſt, quia cum tanto incommodo nemo tenetur ſtare promiſſis, vt fuſiùs idem Sanchez probat loc. cit. nu. 3. & Filiuc. num. 25.

7. Quot autem peccata committat contrahens cum habente impedimentum ſpecialis malitiæ, vt conſanguinitatis, vel voti, &c. Reſpondetur, ſi matrimonium fuerit prohibitum ex diuerſo motiuo reſpiciens diuerſam virtutem, conſtituere plures malitias peccati neceſſariò explicandas in confeſſione; ſi copula fuerit ſequuta, vt ſi quis contrahat cum conſanguinea, adeſt in copula malitia fornicationis, & inceſtus; & ſimiliter ſi quis contrahat cum habente impedimentum cognationis, vel affinitatis, aut publicæ honeſtatis, vna malitia eſt ratione fornicationis, altera inceſtus, cum omnia dicta peccata plus, minuſuè ad inceſtum reducantur. Et idem videtur dicendum de matrimonio contracto, & copula habita cum infideli, vel hæretica; licet, probabile etiam ſit, id eſſe tantum circumſtantiã aggrauantẽ; ſic etiam habens copulam cum habente impedimentũ impotentiæ, videtur adeſſe alia malitia peccati contra naturam, vt cum alijs docet Sanchez lib. 7. dub. 5. num. 14. Sed communior opinio videtur contraria, nempè, quod nulla addatur ſpecialis malitia, & ſaltem eſt res dubia, vt loquitur etiam Filiuc. de imped. cap. 1. num. 23. §. ſequitur tertiò. Item habens copulam cum habente votum, vel Ordines ſacros committit etiam ſacrilegium. Item ſi copula fuerit habita cum rapta, & copula violenter fuerit habita,

 ade-

aderit alia malitia raptus, vel ſimplicis fornicationis, ſi poſtea virgo conſentiat. Quando autem matrimonium fuerit prohibitum in pœnam commiſſi delicti, tunc vna tantum malitia erit in copula; vt ratione homicidij coniugis, &c. vt ſuo loco fuſiùs dicemus, vide Sanchez in dicta diſput. 5. & Filiuc. loco cit. à num. 22. & ſeqq.

8. Sed quæritur, vtrum conuenienter fuerint inſtituta impedimenta matrimonij, & quot, ac quænam ſint? Reſpondeo magna cũ pōderatione, & conuenientia fuiſſe dicta impedimenta inſtituta ab Eccleſia, & ex fide eſt tenendum ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 3. & 4. poterit tamen videri D. Thom. 4. d. 34. q. vnic. art. 1. in corpore, & Sanchez lib. 7. diſp. 6. num. 4. qui conuenientiam horum impedimentorum colligit tum ratione cōtractus, tum ratione contrahentium. Quot autem, & quæ ſint? Reſpondeo, impedimenta dirimentia matrimonium eſſe duodecim ex iure communi; & vigore Concilij Tridentini, quod alia duo addidit, ſunt quatuordecim, quæ omnia his verſibus continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis
Si Parochi, & dupliciis deſit præſentia teſtis
Raptaue ſit mulier, nec parti reddita tuta
Hæc ſocianda vetant, connubia facta retractant.

Et de his primò ſigillatim eſt agēdum, poſtea verò dicemus de alijs impedimentis non dirimentibus, ſed tantum impedientibus matrimonium.

De impedimentis erroris, & conditionis. Cap. CIII.

1 *Differt ignorantia ab errore, eo quod ignorantiam dicat tantummodo negationē ſcientiæ, error autem dicat iudicium poſitiuum peruerſum intellectus, vterque tamen cauſant actum inuoluntarium.*

2 *Error quadruplex eſt, & ſi fuerit circa perſonam, contractus erit nullus, ſiue error ſit antecedens contractū matrimonij, ſiue concomitans illud, cum non adeſſet actus voluntarius.*

3 *Error perſonæ irritat matrimonium iure humano, & naturali, & ideò irritat etiam matrimonium inter infideles.*

4 *Error qualitatis nō irritat matrimonium, ſecus ſi qualitas poneretur in contractu tanquam conditio.*

5 *Error qualitatis tranſit in errorem perſonæ, ſi qualitas principaliter intendatur, perſona autem tanquam quid materiale tantum; ſecus ſi intendatur directè perſona.*

6 *Validum eſt matrimonium inter Titium, & primogenitam Caij; licet Caius oſtenderit aliam filiam pulchriorem Titio, vt illum deciperet circa pulchritudinem, quam non habebat eius primogenita.*

7 *Serui ſunt in triplici differentia, quidam vocantur mancipia, quæ Dominus vendere poteſt, alij ſunt ſerui adſcriptitij eo, quod teneantur ad aliquas operas; Alij dicuntur originarij, & ſunt filij adſcriptitiorum.*

8 *Error conditionis ſeruilis irritat matrimonium, niſi ſaltem ſeruitus eſſet terminanda infra ſeptem Menſes Lunares.*

9 *Spectat ad ſeruum probare non eſſe conditionis ſeruilis, ſi alter coniux peteret diſſolutionem matrimonij; niſi tempore contractus ſeruitus fuiſſet iam omnibus nota.*

10 *Error conditionis ſeruilis adſcriptitiæ, vel originariæ, non dirimit matrimonium.*

11 *Si cognita ſeruitute, maritus habeat copulam cum dicta ſerua coniuge, validum erit matrimonium, ſi adfuerit nouus conſenſus contrahendi matrimonium.*

12 *Conditio ſeruitutis non irritat matrimonium iure naturæ, vnde ſi cognita fuerit à contrahente, validum erit matrimonium, ſeruam tamen ducens fit irregularis, niſi ſerua fieret libera.*

13 *Serui poſſunt inuitis Dominis matrimonium contrahere, nec poſſunt Domini*

in

Digitized by Google

in diſtantes partes illos vendere, in quibus non poſſent dicti ſerui ad inuicē ſibi debitum reddere, &c.

14 *Error ſeruitutis, dirimit matrimoiium iure Eccleſiaſtico tantum, licet opinio aſſerens dirimere iure natura, improbàbilis omninò non ſit.*

15 *Error conditionis ſeruilis, licet ex ignorantia craſſiſſima, ſemper irritat matrimonium.*

16 *Error conditionis ſeruilis, vt irritet matrimonium, debet eſſe, ita vt errans fieret peioris conditionis.*

17 *Seruus, vel ſerua collocata in matrimoniū à Domino, vel eo vidente, & permittente, fit libera, vel liber.*

18 *Fit etiam libera ſerua per inſtrumentum dotale ei factum à Domino, ſecus ſi fuerit ab alio factum.*

19 *Si quis ducat propriam ſeruam non fit libera, niſi in Hiſpania, vbi adeſt tale ius particulare.*

20 *Maritus poteſt ſe in mancipium vendere, ſi venditio non vergat in præiudicium debiti coniugalis. Peccaret tamen mortaliter maritus ſe vendens abſque neceſſitate.*

21 *Filij ſequuntur conditionem patris quoad dignitates, & honores; & ſequuntur conditionem matris quoad ſeruitutem, niſi alicubi adeſſet contraria conſuetudo, quæ vtique ſeruanda eſſet.*

22 *Vt proles ſit libera, ſufficit vt tempore conceptionis mater fuerit libera, vel tempore natiuitatis, vel illo medio tempore inter conceptionem, & natiuitatem.*

23 *Proles ſerua duorum, ſi vnus manumittat, eſt pretium ſoluendum alteri iuxta ratam, vt proles fiat libera.*

1 EST primò ſupponēdum ex D. Tho. 4. d. 30. q. 1. art. 1. ad 1. & Soto ibi q. 1. art. 1. in corp. ignorantiā differre ab errore, eo quod ignorantia dicat tantummodo negationem ſcientiæ, error autem iudicium poſitiuū peruerſum intellectus, vt ſi quis neſciat quantum ab hinc diſtet Roma, non dicitur error, ſed ignorantia, ſi quis autem putet diſtare mille milliaribus, cum non tot diſtet, dicitur errare ob conceptum falſum, quem habet; iuxta doctrinam P. Auguſtini in Enchir. cap. 21. vbi ait, errare, eſt vnum pro alio putare; & licet tam ignorantia, quam error cauſent ne conſenſus adſit, & actus non dicatur voluntarius, vt ait S. Thom. & Sot. tamen ignorantia tollit cognitionem, error verò tollit verum; ſed quoad dirimendum matrimonium, parum refert, an dicatur matrimonium eſſe nullum ex errore, vel ex ignorantia, quia non poteſt dari ignorantia cauſans inuolūtarium, niſi adſit etiam error; qui ſi non adeſſet, actus diceretur voluntarius, & ex conſequenti, non poſſet dirimere matrimonium. Deinde error ſupponit ſemper aliquam notitiam rei, ſiuè ex viſu, ſiuè ex auditu, aut fama, vnde error perſonæ annullans matrimonium, ſupponit aliquam cognitionem perſonæ, circa quam fit error, in incognitum enim nemo affectum dirigere poteſt, ex l. cum ab eo ver. menſam, ff. de contrah. empt. & l. in lege 77. ff. eodem, vbi dicitur, quod vendito fundo, lapidicinas penitùs ignoratas in eo exiſtentes, minimè vendi cenſentur, cum nullus dicatur conuenire de re ignorata; vt idem D. Thom. & Sotus loco cit. docent, Angelus ver. matrim. 3. impedimento 4. num. 3. Sylu. ver. matrim. 8. q. 1. dicto 5. Nauar. cap. 22. num. 32. Tab. verb. impedimentum 1. q. 3. num. 4. & alij communiter.

2. Secundò ſupponendum eſt cum Magiſtro 4. d. 30. cap. 1. quadruplicem poſſe eſſe errorem; Primò, circa perſonā, vt cum ſupponitur vna pro alia; Secundò circa conditionem ſeruilem, vt dum quis putat contrahere cum libera, & contrahit cum ſerua; Tertiò circa qualitatem, vt dum quis putat contrahere cum nobili, diuite, virgine, &c. & cōtrahit cum ignobili, paupere, & corrupta; Quartò circa fortunam, vt dum quis putat contrahere cum diuite, & contrahit cum paupere, & quilibet ex his erroribus duplex eſt, ſcilicet, vel antecedens contractum, & cauſans illum, qui à iuriſperitis ſolet vocari dolus dans cauſam contractui; vel concomitans contractum, qui licet non reddat actum inuoluntarium, vt primus, tamen non eſt actus inducens ad volendū; v.g. quis contrahit cum puella, quam putat filiam prin-

Digitized by Google

cipis, tamen ita eſt affectus ad illam, vt etiam ſi ſciret nõ eſſe filiam principis, adhuc cum illa contraheret: hic error dicitur concomitans contractum; ſi autem ita contrahit, vt non contraheret, ſi ſciret nõ eſſe filiam principis, dicitur error antecedens contractum, & reddidit actum inuoluntarium. Vnde dicendum, in omni caſu, matrimonium eſſe irritum, ſiuè adſit error antecedens, ſiuè concomitans, quia ad matrimonium eſt omninò neceſſarius conſenſus verbis, vel nutibus declaratus, vt diximus cap. 94. num. 1. & ſeqq. & de ſecundò caſu nullus dubitat; de primò autem ſunt, qui contrarium ſentiant; ſed ex dictis patet, id etiam certum eſſe, vt docet Sanchez lib. 7. diſp. 18. num. 6. Filiuc. de imped. cap. 2. num. 31. Bonac. de impedim. q. 3. pun. 2. num. 4. Rebell. lib. 3. q. 2. num. 2. P. Ledeſma de matrim. q. 51. art. 2. dub. 2. & alij; quod intellige, quando error eſt circa perſonam, vt in allato exemplo, vt ſi quis dum contrahit cum Berta, putat contrahere cum Martha, eſt enim error perſonæ, & dicitur error antecedẽs irritans matrimonium, & idem diceretur ſi eſſet error concomitans modo explicato.

3. Sed quæritur, vtrum error perſonæ dirimat matrimonium iure naturæ? quod enim irritet iure humano patet ex c. 29. q. 1. & c. vnico tua nos de ſpõſalibus. Et certum eſt etiam iure naturæ matrimonium dirimere, & ratio eſt, qui ad matrimonium iure naturæ requiritur conſenſus in illam perſonã, cum qua contrahitur, ſed in tali caſu erroris conſenſus nõ eſſet ad illam, cum qua actualiter contrahitur, ſed ad aliam mente conceptam; igitur matrimonium iure naturæ erit nullum, probatur ex l. ſi per errorem ff. de iuriſd. omnium iudic. vbi habetur, nihil eſſe magis contrarium conſẽſui, quam error; & l. cum teſtamentum, & l. non idcirco C. de iuris, & facti ignor. dicitur, errantis nullus eſt conſenſus, nec voluntas, Sot. 4. diſt. 30. q. 1. art. 1. concluſ. 1. in fin. Sanchez lib. 7. diſp. 18. nu. 12. Bonac. de imped. q. 3. punct. 2. num. 2. Reginald. lib. 31. num. 92. Filiucc. de impedim. cap. 2. nu. 32. & alij communiter. Ex qua doctrina colligitur non poſſe Eccleſiam ſtatuere, vt matrimonium contractum cũ errore perſonæ validum ſit, vt idem Sanchez num. 14. & alij loc. citatis, ſecundò colligitur neq; matrimonium inter infideles eſſe validum cum tali errore ex eiſdem Doctoribus.

4. Secundò quæritur, vtrum error qualitatis, ſeu dolus dans cauſam cõtractui, ſine quo non fieret, irritet matrimonium? Et negatiuè omninò reſpondendũ eſt, quia dictum matrimoniũ, quoad ſubſtantiam rei eſt volitum, licet inuolitum quoad accidentia extrinſeca; & in vtroq; foro ita eſt iudicandum, vt probat Sanchez lib. 1. de ſponſ. diſp. 5. num. 20. quam noſtram ſententiam docet Gloſs. in cap. in fin. 20. q. 3. & c. cum dilectus ver. ad fatuitatem, de his, quæ vi, & ibi Abbas nu. 13. & in cap. cum dilecti num. 7. de empt. & vendit. Molina qui miratur de Ioannem Medinam contrarium ſentientem tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſput. 352. §. illud eſt obſeruandum, & diſput. 259. §. illud poſtremò, Sanchez lib. 7. diſp. 18. nu. 18. Bonac. loc. cit. num. 5. & 6. Filiuc. ibidem num. 33. & alij. Inualidum tamen eſſet matrimonium, ſi qualitas, in qua erratur fuiſſet poſita in contractu per modum cõditionis, v. g. ſi quis diceret contraho tecum ſi diues es, aut nobilis; quod eſt verum, etiam ſi quis contraheret cum hac conditione mente retenta; tunc enim matrimonium nõ erit abſolutè contractum, ſed ſub conditione, qua non extante, matrimonium erit nullum; & idem eſt dicẽdum ſi error qualitatis tranſeat in errorẽ perſonæ, vt communiter omnes fatentur cum D. Thom. 4. d. 30. q. 1. art. 2. ad 5.

5. Sed difficultas eſt, quando dicatur error qualitatis tranſire in errorem perſonæ? Reſpondeo breuiter, tunc dici errorem qualitatis tranſire in perſonam; quando directè, & formaliter quis intendit qualitatem; materialiter autem perſonam, v. g. Berta intendit contrahere cum filio Principis, & non cum alio, & apprehendit dictam qualitatem tanquam quid principale, in quo caſu ſi alius ſe fingeret filium Principis, vt cum eo Berta contrahat, matrimonium erit nullum, quia error

eſt

Digitized by Google

eſt in perſona, at ſi Berta directè, & formaliter intendat contrahere cum præſenti, quem putat eſſe filium Principis, vel diuitem, aut nobilem; matrimonium erit validum, quia error eſt in qualitate. Ita D. Thom. 4. d. 30. q. 1. art. 2. ad 5. Sylueſt. ver. matrimonium 8. q. 1. dicto 4. ſed Richard. 4. d. 30. art. 1. q. 2. art. 2. & alij plures aliam tradunt regulam; quæ in idem incidit, nẽpe tunc, errorem qualitatis tranſire in errorem perſonæ, quando erratur circa ſubiectum qualitatis; ſecus ſi erretur circa qualitatem tantum; pluribus modis id declarat Sanchez quem videre poteris lib. 7. diſp. 18. à num. 25. & ſequentibus, ſed ad idem faciliter omnia reduci poſſunt, vt cenſet etiam Filiucc. de impedim. cap. 2. num. 34. Bonac. de impedim. q. 3. punct. 2. num. 7. Reginal. lib. 31. num. 95. Tabbien. verb. impedimentum impedim. 1. num. 4. Sot. 4. d. 30. q. 1. art. 1. verb. reſpondetur, & alij communiter. Et idem eſt dicendum ſi Berta vellet contrahere cum primogenito, & aliquis ſe fingeret primogenium ꝑ vtiq; eſſet irritum matrimonium, quia eſt error perſonæ, ſecus autem ſi ex accidenti putaret Berta contrahere cum primogenito; & ſic in alijs caſibus.

6. Sed dubium eſt, an ſit validũ matrimonium, ſi Titius voluerit contrahere cum filia primogenita Caij; & quia illa videre deſiderat, an pulcra ſit, dictus Titius aliam filiam ſecundò genitam, vel aliam pulcram iuuenem oſtendit, eo quod eius filia primogenita deformis ſit; deinde tempore contractus non aduertẽs ad pulcritudinem ſponſæ, ſeu primogenitæ Titij, vt quia velata manet, vel quia contrahit per procuratorem, quo matrimonio inito, aduertit Titius ſuam ſponſam primogenitam Caij non habere illã pulcritudinem, quam ipſe conceperat; dubitatur an ſit validum dictum matrimonium? Et affirmatiuè communiter reſpõdetur, quia error non fuit in perſona, cum verè contraxerit Titius cum primogenita Caij, ſed fuit tantum error in qualitate, ſcilicet in pulcritudine. Secus eſſet dicendum ſi Titius vellet indeterminatè aliquam filiam Caij in vxorem, & Caius oſtenderet pulcriorem, & poſtea in contractu aliam ſupponeret, tunc enim irritũ eſſet matrimoniũ, quia error eſſet in perſona; intendit ſolummodo Titius contrahere, cum illa, quam vidit, & non cũ alia, vt idem Sanchez loc. cit. num. 35. Bonac. loc. cit. num. 9. neq; obſtat, quod alij contractus ſint nulli, ſi fuerint celebrati per dolum dantem cauſam contractui, vt eſſet in prædicto caſu; nam ab hac regula exceptuatur matrimonium ob ſuam indiſſolubilitatem; vt idem Sanchez loc. cit. num. 18. Molina de contractibus diſp. 352. verſ. illud eſt, Bonac. loc. cit. in fin. & alij communiter contra Medinam de reſtit. q. 33. de quo Molina miratur, vt diximus nu. 4.

7. Quoad impedimentum conditionis, ſcilicet, ſeruilis, eſt primò ſciendum ſeruos eſſe in triplici differentia, quidam ita ſunt domini, vt eos vendere poſſit, & hi vocantur mancipia; Alij dicuntur ſerui adſcriptitij, & ſunt illi, qui ſunt perpetuò addicti ad colenda prædia, quorum prædiorum redditus acquirunt domini præter ſumptus, & victum; vt Abbas cap. 2. de Iudæis num. vnic. notab. 2. Alij dicũtur originarij, & ſunt illi, qui ortum habẽt ex dictis adſcriptitijs, & tã dicti adſcriptitij, quam originarij ſunt verè liberi, quãuis ad aliquas operas teneantur, vt idem Abbas ibi verſ. item nota, & Gloſſ. ibidẽ ver. ſint liberi. Nam in dicto capite interdicitur Iudæis habere mancipia Chriſtiana, nõ autem ſeruos adſcriptitios, vel originarios; quibus notatis.

8. Dico, errorem conditionis ſeruilis, vt ſi liber contrahat cum ſerua, vel libera cum ſeruo, ſeu mancipio, reddere irritum matrimonium; & hoc etiam ſi per aliquod tempus tale mancipium fuiſſet factum liberum à domino, nõ enim per hoc amittit ſuam conditionem, cum ad illam reddere teneatur. Ita Sot. 4. d. 35. q. vnic. art. 2. verſ. ad hæc, & eſt iam definitum in cap. 2. & 3. & final. de coniugio ſeruor. & in pluribus alijs locis; rationem autem, quare tale impedimentum dirimens inſtitutum ſit, aſſignat D. Thom. 4. d. 36. q. vnic. art. 1. in corp. & ad 1. & ibi D. Bonau. art. 1. q. 2. & alij, & eſt, quia dictus error aduerſatur omnibus bonis matrimonij. Nã aduerſatur bono ſacramenti, & indiuiduæ

co-

cohabitationi, cum mancipium poſſit mitti à domino in partes remotas, & vt ibi vendatur. Aduerſatur bono fidei, quia non poteſt prohibito reddere debitum, cum teneatur ad ſeruitia domini, & denique aduerſatur bono prolis, cum nō poſſit illam educare, nec alere, cum nihil poſſidere poſſit, & domino omnia acquirat. Dixi etiam ſi per aliquod tempus fuiſſet dictum mancipium factum liberum à domino, in caſu tamen, quod hoc poſſet eſſe, quia re vera, libertas ſemel conceſſa, reuocari non poteſt l. & ſi ſine dolo 8. §. quod Papianus ff. de minoribus, & probat Sanchez lib. 7. diſp. 19. num. 3. extenditur etiam tradita doctrina ad ſeruum, vel ancillam ſtatu liberam; vt quia poſt aliquod determinatum tempus liberi fuerint, non enim erit validum matrimonium, quia adhuc ſerui, ſeu mancipia dicuntur, vt idem Sanchez num. 4. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 4. num. 6. Syluest. eodem verb. 8. q. 2. dicto 3. & expreſsè habetur in l. ſtatu liberum ff. de ſtatu liber. Sed dictus Sanchez ex conſilio multorū aſſerit temperandā eſſe dictam ſententiā, ita vt vera ſit dicta doctrina, quando ſeruitus eſt terminanda ad notabile tempus, ſcilicet, poſt biennium; ſecus autem ſi eſſet terminanda intra ſeptem menſes lunares, ideſt. Sex menſes, & quinq; dies, & ratio eſt, quia in dicto termino poteſt eſſe perfectus partus, & ſerua, vel ſeruus ſi iam ſit liber, poſſunt benè ſimul cohabitare, & prolem alere, &c. ex l. ſeptimo menſe ff. de ſtatu hominum, quod probat Menochius lib. 2. de arbitr. centur. 1. caſu 89. num. 35. & ſequitur Filiuc. tract. 10. de impedim. cap. 2. num. 37. & nota, quod coniux ignarus ſeruitutis, & cognita, poſſit thorum ſeparare, imò etiam habitationē, ſi abſq; ſcandalo fieri poſſit, vt fusè Sanchez loc. cit. num. 7. & ſequitur Filiuc. loc. cit. in fin.

9. Item nota, coniuge libero petente diſſolutionem matrimonij ob ſeruitutem à ſe ignoram, ſpectare ad coniugem ſeruilis conditionis contrarium probare, vt docet Hoſtienſ. cap. final. de coniugio ſeruor. num. 3. Io: Andræas nu. 3. Abbas nu. 6. & alij, ſed dictus Abbas cum Alex. de Neuo in dicto cap. final. num. 5. & Præpoſ. num. 4. temperant hāc doctrinam, niſi tēpore contractus matrimonij dicta conditio ſeruilis iam erat communiter nota in dicto loco, tūc enim nō præſumitur ignorantia coniugis liberi, & ideò ad illū ſpectabit probare dictam conditionem ſeruilem, & ſuam ignorantiam, quod addo, quia ſi res erat communiter nota, præſumptio ſtat pro matrimonio.

10. Dico ſecundò. Error conditionis ſeruilis adſcriptitiæ, vel originarię, nō dirimit matrimonium, quia diximus dicti ſerui ſunt verè liberi, nec horum ſtatus aduerſatur bonis matrimonij; vt eſt ſtatus mancipiorum; & ideò Eccleſia horum tantum matrimonium cum tali errore cōtractum irritauit, Hoſtienſ. ſumm. tit. de coniugio ſeruor. num. 9. Ioan. Andræas cap. 2. num. 3. de coniugio ſeruor. Sylu. verb. matr. 8. q. 2. dictu 7. Ang. eodē verb. 3. imped. 4. num. 11. Durand. 4. d. 30. q. 1. num. 8. & alijs omnes contra Palud. 4. d. 36. q. 1. art. 2. num. 13. vide Sanch. lib. 7. diſp. 19. nu. 9. quem ſequitur Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 2. num. 39. Vnde multo magis validum erit matrimonium cōtractum cum ſerua, quæ iam ſit libertate donata; vt ijdem Doctores, Sot. 4. d. 36. q. vnica, & alij, quos affert, & ſequitur idem Sanchez num. 10.

11. Sed primò quæritur, vtrum matrimonium contractum cum ſerua, quam coniux putabat liberam, fiat validum, ſi eo defectu cognito, coniux habeat copulam cum ea? Reſpondeo affirmatiuè dummodo de nouo adſit mutuus cōſenſus verbis, vel alio ſigno expreſſus; nec requiritur alia præſentia Parochi, & teſtium, ita Bonac. de imped. q. 3. pun. 3. num. 6. cum alijs. Vide tamen ea, quæ diximus cap. 94. num. 16. & an dictus conſenſus ſit neceſſariò pręſtandus ab vtroq; ſponſo, vide in dicto cap. 94. num. 15.

12. Quæritur ſecundò, vtrum conditio ſeruilis ex iure naturæ irritet matrimonium, ita, vt etiam ſi cognita fuerit, adhuc illud irritet? Et reſpōdetur negatiuè, vnde validum erit matrimonium ſeruorum inter ſe, ac etiam inter ſeruum, & liberam, vel ſeruam, & liberum; ita fuit de-

Digitized by Google

definitum in cap.2.n.3. de coniug.ſeruor. Anchar. num. 2. Abbas cap.2. num.3.eodem tit.Ang.verb.matrim.3.imped.4. nu. 16.Sylu.eodẽ ver.8.q.2.dicto 2.Sanchez lib.7.diſput.19. num.13.Bonac.de imped. q.3. pun.3. num.7. Filiuc.tract.10. de imped.cap.2.num.40. Sotus 4.d.35. q.vnica art.1.verſ.contra hanc. Vbi dictus Sotus aſſerit, peccare liberum abſque vrgenti cauſa ducendo ſeruam,licet non mortaliter, niſi aliquod ſcandalũ ſit ſequuturum; tamen nullam eſſe culpam, docet Angel. ver. matrim. 3.impedim.4.in fin.quem ſequitur Sanchez loc.cit. nu. 14. & alij omnes Doctores,cum nullam mentionem faciant de tali culpa; ſit tamen irregularis ſeruam ducens per cap.ſi quis viduam, & 2. d.34. & ratio eſt, quia putatur vilis, & infamis. Ita communiter canoniſtæ, quibus adde Sylu.ver.irregularitas q.16.Diuum Anton.3.par. tit.28.ca.3.verſ.7.Nauar.cap.27.num.196.& alios. Iure autem Hiſpano,quia per matrimonium ſerua fieret libera, non efficeretur maritus irregularis, nec ſimiliter vbi tale ius eſſet; nam de iure communi, probabilius eſt, talem ſeruam non fieri liberam, vt Sanchez dicto nu.14.& diſp.20.quod intellige quando matrimonium contrahitur cum propria ſerua; vt fuſiùs apud dictum Doctorem, alioquin ſi contraheret cum nõ propria,adhuc eſſet irregularis.

13. Ex qua doctrina colligitur, ſeruos inuitis Dominis, validè contrahere, nec poſſe abſque culpa mortali Dominos illos impedire, cum eis id ex iure naturæ cõueniat, nec prohibere, vt ſimul cõmercium non habeant; non tenentur tamen Domini tali matrimonio conſentire, ne præiudicium ſibi faciant,& dicti ſerui ſemper tenentur ad ſeruitia Dominis debita exequenda; non tamen ex hoc ſequitur, quod Domini non poſſint illos vendere, vel aliquem ipſorum vendere in locis diſtantibus, in quibus matrimonium minimè vti poſſent, quando tamen matrimonium fuerit contractum abſque conſenſu dominorum;at ſi adfuerit talis conſenſus, nequaquam id agere poterit. Vide Bonac.de imped.q.3.pun.3.num.7.& 8. Attamen hæc vltima doctrina, licet ſit iuriſperitorum; cõtrarium eſt tenendum cum Theologis, ſcilicet D.Thom. 3.par. q.52. art.2.Sotus 4. d. 35. art. 4. Sanchez lib.7. diſp.21. & 23. num.11.Filiuc.tract.10. de imped.cap.2. num.54. qui aſſerunt,Dominos mortaliter peccare, quando vendunt ſeruos conjuges in partes adeò diſtantes, vt vnus non poſſit ſequi alium; & hoc etiã ſi matrimonium non fuerit contractum de eorum conſenſu, & ratio eſt, quia, ſicut Domini peccarent impediendo ſeruorum matrimonium, multo magis peccabunt impediendo eius vſum; niſi ad id aſtringerentur ex magna neceſſitate, vt temperat Sanchez diſp.22.num.12.& 13. Filiuc.loco cit.& alij cum Bonac.loco cit. num. 9. & pro prima doctrina vide etiam Filiuc.num.49. & 50.

14. Aliud dubium eſt; An error conditionis ſeruilis dirimat matrimoniũ tantum iure Eccleſiaſtico? & relictis varijs modis loquendi, & opinionibus,dicendũ eſt, talem errorem dirimere matrimoniũ iure Eccleſiaſtico tantum. Licet id iuri naturali valde conſonum ſit; & ratio eſt, quia ſeruitus non impedit abſolutè vſum matrimonij, ſed certis temporibus; quando iuſtè, & rationabiliter Dominus ſeruũ occupat, & ad matrimonium ſufficit poteſtas in corpus coniugis cum obligatione reddendi debitũ quoties non adfuerit legitimum impedimentum, igitur ſecluſo iure Eccleſiaſtico,ſi quis cõtraheret cum ſerua, quam putat liberam,validum eſſet matrimonium, quia iam adſunt eſſentialia ad illud. Ita Sanchez lib.7. diſput.19. num.16.ex D.Thom.4.d.36.q.vnic.art.1. Sot.d.35.q.vnica art.2.D.Antonin.3.par. tit.1.cap.3.in fin.Angel.ver.matrim.3.imped. num.4. & ex pluribus alijs, & ſequitur Filiuc.de imped.cap.2.num.41.ex qua doctrina ſequitur, matrimonium contractum inter infideles cum errore conditionis ſeruilis, validum eſſe, niſi ex alio corũ iure irritum eſſet; illi autem qui tenent, matrimonium cum tali errore eſſe irritũ iure naturæ; quod etiam probabile eſt, vt plures tenent apud Sanchez loc.cit. num. 15. debẽt etiã tenere matrimonium inter dictos infideles inualidũ eſſe iure naturæ; quod probabile etiã putat Sanchez n. 17.

15. Sed

15. Sed quæſtio eſt, an matrimonium cum tali errore contractum, ſit irritum, etiam ſi error fuerit ex ignorantia craſſiſſima, & leuiſſima? Et affirmatiuè reſpondet Sanchez lib. 7. diſp. 19. num. 20. & ratio eſt, quia ad matrimonium requiritur libera electio, quæ non poteſt dici talis etiam ex leuiſſima, & fatuo errore, vt v.g. ſi velim donare Petro, & ex leuiſſimo, & craſſiſſimo errore, donem Paulo, donatio eſt irrita, quia non dicitur libera, & voluntaria, multo magis idem erit dicendum de matrimonio, ad quod maior libertas requiritur, ſequitur Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 2. num. 42. Contrarium tamen tenet Sot. 4. d. 35. q. vnica art. 2. verſ. de his concluſionibus, Vega 2. to. ſumm. cap. 34. caſu 67. in fine, & alij, quos refert Sanchez num. 19. quorum opinionem vna cum Filiuc. loco cit. probabilem vocat.

16. Altera quæſtio eſt, vtrum error cõditionis ſeruilis irritet matrimonium, ſi contrahatur cum habente æqualem, vel digniorem conditionem, an tantũ ſi contrahatur cum habente inferiorem conditionem, v.g. ſi liber contrahat cum libera, quam putat ſeruam, errat in conditione, quo maior eſt, quam dictus liber putabat, vel ſi ſeruus contrahat cum libera, inuenit meliorem conditionem, aut ſi ſeruus contrahat cum ſerua, quam putabat liberam, inuenit æqualem conditionem; quæritur an dicta matrimonia eſſent valida? Et relictis duabus opinionibus allatis à Gloſſ. 29. q. 2. omninò tenendum eſt, tunc tantum eſſe irritum matrimonium, quando errans fieret deterioris conditionis, vt ſi liberè contraheret cum ſerua, vel libera cum ſeruo, quam putabat liberum, vel liberam reſpectiuè; ſecus autem, ſi contrahens eſſet ſeruus, & contraheret cum libera, quam putabat ſeruam, vel ſi contraheret cum ſerua, quam putabat liberam, quæ in primo caſu fieret melioris conditionis, & in ſecundo æqualis conditionis. Id ſumitur ex iure Eccleſiaſtico ſic determinante, vt patet ex textibus allatis in num. 8. & ità communiter omnes docent D. Thom. 4. d. 36. q. vnica art. 1. ad 1. Ang. ver. matrim. 3. impedim. 5. num. 4. Sylueſt. eodem ver. 8. q. 2. dicto 2. Tab. ver. impedim. 1. nu. 1. Nauar. cap. 22. nu. 33. Sanchez lib. 7. diſp. 19. num. 23. vbi quamplures affert, & ſequitur Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 2. num. 44.

17. Deinde quæritur, vtrum ſeruus, vel ſerua, quam Dominus collocat in matrimoniũ cum libero, vel libera reſpectiuè inſcia, vel inſcio conditionis ſeruilis; acquirat ſtatim libertatem? Et affirmatiuè eſt reſpondendum, & ex hac cauſa matrimonium erit validum, quia alioquin inualidum eſſet ex doctrina ſupra tradita. habetur hęc doctrina expreſsè in Authentica ad hoc, C. de latina libertate, vbi ſic habetur. *Qui ſuam ancilla credenti tradidit in matrimonum tanquam liberam, ſiuè conceſſerit dotale inſtrumentũ, ſiue non, aut ſciens eam duci, tacuit ex ſtudio, dominiũ eius amittit, eaque ad ingenuitatem rapitur.* Idem dicitur de ſeruo, & meritò quidem hoc factum eſt fauore matrimonij; vt validum eſſet; & ſic non eſt neceſſaria ſententia iudicis, vt Dominus amittat hoc dominiũ, quia alioquin non eſſet validum matrimonium, quod eſt contra mentem legis; vt contra aliquos benè notat Sãchez lib. 7. diſp. 20. num. 1. & 14. quem ſequitur Filiuc. tract. 10. de impedim. cap. 2. num. 45. quod eſt verum non ſolũ ſi Dominus ipſe ſeruam, vel ſeruum in matrimonio collocet; ſed etiam ſi ipſe videat, & permittat matrimonium contrahi, dum liberè illud impedire poſſet, cenſetur enim conſentire fauore matrimonij. Secus eſt dicendum, quando Dominus conſentiat, vel vniat in matrimonium ſeruum cum ſerua, vel ſerua cum libero ſciente conditionem ſeruitutis, tunc enim validũ eſſet matrimonium, nec ſeruus, aut ſerua acquirũt libertatem; quia iam ceſſat fauor matrimonij, cum ſit validum abſque ſerui libertate, vt Couar. 4. decretal. lib. 2. par. 3. §. 7. nu. 1. verſ. ſecundò, Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 10. num. 4. verſ. 4. Molina tom. 1. de iuſtit. tract. 2. diſp. 39. §. ſeptimus eſt, & alij. Et quod per ſolam taciturnitatem Domini ſeruus, vel ſerua acquirat libertatem; communiter omnes docent; vt idẽ Molin. eodem loco, Couar. ibidem, Sot. 4. d. 35. q. vnica art. 2. verſ. ex his colligitur, Sanchez loco cit. num. 5. & alij.

18. Eſt

18. Eſt etiam ſciendum, ſeruam fieri liberam etiam, per inſtrumentum dotale ei factum, v.g. Dominus collocat in matrimonium, ſeruam cum libero ſciẽtem ſeruitutem, conficiendo ei dotis inſtrumentum, ſtatim ſerua erit libera; ſic habetur expreſsè in l.vnic. §.ſed,& ſi quis homini, C.de latina libertate, vbi ſic dicitur. *Sed & ſi quis homini ſuam ancillam in matrimonium collocauit, & dotem pro ea conſcripſerit (quod ſolitum eſt in liberis perſonis ſolum procedere) ancilla non latina, ſed Ciuis efficiatur Romana*, Molin.loco cit.num.anteced. Abbas autem in cap. illud num. 11. de præſumpt.ait, ancillam fieri liberam, ſi Dominus conſtituat ei dotem, aut faciat donationem propter nuptias; & idem dicitur, ſi dictas donationes faciat ſeruo, eo ipſo erit liber, iuxta dictum Abbatẽ, ſed quoad dictum ſeruum, Sanchez in cit.diſput.20. num. 9. in medio non conſentit, eo quod textus loquatur tantum de ſerua, & quando lex vult etiam ſeruum intelligere, vtique id explicat, & nota dictam doctrinam non habere locum in dote ab alio facta, quam à proprio Domino, etiam ſi ipſe Dominus videat, & taceat; quia lex non loquitur, niſi de dote à Domino facienda, nec alius in præiudicium Domini poteſt aliquid operari; nec Dominus debet impedire, ſi alius ob amorẽ, vel charitatem, vellet ſeruæ dotem conſtituere; nec ſimiliter extenditur dicta doctrina ad ſeruos adſcriptitios, cum hi liberi ſint, ſed tãtum ad certas operas tenentur, vt notat Sãch. in dicto num. 9.

19. Sed dubium eſt, vtrum Dominus ducẽs in vxorem propriam ſeruam, eo ipſo tribuat libertatem? Et affirmatiuè reſpondet Archidiac.cũ Gloſ.in cap. ſi quis viduam d.34.ver.ancillã, Turrecr.ibi nu. vnico, Syluest.verb.ſeruitus q.4.in fin. ex Gloſs.per auth.ad hoc C.de latina libert. ſed verè nihil prorſus dicitur de hac re in dictis legibus; Sed ſolum quando dominus tradit ancillam ignoranti ſeruitutem, nec in alijs legibus, vt benè aduertit Sanchez lib.7.diſp.20.num.10. Vnde negatiuè reſpondendum eſt, attento iure cõmuni, cum nullibi id reperiatur expreſsũ, quod docet Molina tom.1.de iuſtit. tr.2. diſp.39.§. ſextus eſt, Henriq. lib. 11. de matrim.cap.10.num.4.commento litt.Z. Emanuel Sà verb. matrimonium de impedim.dirim.num.1.verſ.ſi dominus, Sãchez loc.cit.num.11.& alij, Filiuc. autem ob Doctores contrarios allatos id ponit in dubio abſq; vlla ratione. Attento tamen iure Hiſpaniæ, vel vbi tale ius obſeruaretur, vtiq; ſerua fieret libera, vt oſtendit dictus Sanchez num.12.

20. Secundum dubium eſt, an poſſit maritus ſe in mancipium vendere? Et affirmatiuè reſpondetur. Dummodo venditio non vergat in præiudicium debiti coniugalis. Ita D.Thom.4. d.36.q.vnica art.3.Sotus 4. diſt. 35. quæſt. vnic.art. 3. concluſ. vnica, Caiet.4.diſt.36. q.1.dub. 1.in fine, & alij communiter, quos ſequitur Sanchez lib.7.diſp.33. num. 2. Non erit tamen abſque mortali culpa, ſi dicta venditio fiat abſq; iuſta cauſa ob dedecus graue vxoris, & familiæ; non tamen erit peccatum contra iuſtitiã, vt idem S.Tho. dicto art.3.ad 1.& Sot.ſimiliter art.3.ad 1. Vxor autem minimè poteſt ſe in ſeruitutem vẽdere abſq; viri conſenſu, quia ſubditur viro tanquã capiti, licet, circa redditionem debiti coniugalis, pares ſint; idẽ S.Thom.art.3.ad 3.Sot.art.3.ad 2.& quãplures alij cum Sanchez num.9. & Filiuc. tract.10.de imped.cap.2.num.55.& 56.

21. Vltimò quæritur vtrum filij ſequantur conditionem patris tam quoad honores, quam quoad ſeruitutem? Reſpondeo filios ſequi conditionem patris quoad honores, & nobilitatem. Habetur expreſsè l. cũ legitimè ff. de ſtatu homin. & rationem aſſignat D.Thom. 4.d. 36. q. vnic.art.4.in corp.ſcilicet, quia partus recipit eſſe à patre tanquã à cauſa efficiẽte; licet verè nobilis nõ ſit, niſi qui ex vtroq; parente nobili deſcendit, quod etiam extenditur ad filium naturalem; & licet ex iure communi contrarium eſſet dicendũ. Ex conſuetudine tamen id obſeruatur, vt docet Tiraquell.de nobilit.cap. 25. num. 10.& ita deciditur in l.Regia 1.tit.11.par. 7.& ibi obſeruat Gregor.Lopez, Couar. 4.decret.2.par.c.8. §. 4. & alij plures Doctores, non tamen id eſt intelligendum quoad honores, & dignitates, in quas ſucce-

cedere debent filij legitimi, ſed quoad alios, vt idem Lopez cum alijs explicat, quos affert Sanchez lib. 7. diſp. 24. num. 1. 2. & ſeqq. Quoad ſeruitutem filij ſequuntur conditionem matris, cuiuſcunq; nobilitatis ſit pater, habetur expreſsè in cap. fin. de ſeruo non ordin. quod fundatur in 21. Exod. vbi habetur. *Si dominus dederit ancillam ſuam alicui in vxorem, & peperit filios, & filias, mulier, & liberi eius erunt domini ſui*. Rationes autem multæ à varijs Doctoribus afferuntur, ſed videndus eſt D. Thom. 4. d. 39. q. vnic. art. 4. in corpor. quæ doctrina eſt vera ita, vt etiam ſi quis accipiat filium ex propria ſerua, ſeu mancipia, adhuc dictus filius ſeruus eius erit ex l. 2. C. ſi mancipium ita fuerit alienatum; nec obſtat ſi filij non ſint nati ex legitimo matrimonio, adhuc enim, imò maiori ratione ſerui ſunt l. & ſeruorum 5. verſ. ſi ingenui ff. de ſtatu hominum, vbi dicitur. *Nihil referre an ex iuſtis nuptijs, an vulgo conceptus ſit filius*. Vbi autem adeſſet contraria conſuetudo, ſcilicet, quod dicti filij ſequantur conditionem patris, etiam ſi mater ſerua ſit, vel è contra, vt ſequantur conditionem matris, ſi pater ſeruus fuerit, dictæ conſuetudines ſeruādæ ſunt, cum ſint de iure humano, quibus præualet conſuetudo ex cap. final. de conſuet. Molina tom. 1. de iuſtit. tr. 2. diſp. 33. in fin. Sanchez loc. cit. num. 9. Filiucc. tr. 10. de imped. cap. 2. num. 57. 58. & 59. Bonac. de imped. q. 3. punct. 3. num. 10. & alij.

22. Eſt tamen notandum, ſufficere matrem eſſe liberam tempore conceptionis, vel partus, aut medio tempore inter conceptionem, & partum, vt partus dicatur liber à ſeruitute, v. g. ſi ſerua prægnans ſit manumiſſa, & poſtea ante partū in ſeruitutem redigat, iam partus libertate gaudet, eo quod mater fuit libera dicto medio tempore. Idem Molin. loc. cit. Sot. 4. d. 35. q. vnic. art. 4. verſ. addit verò; & habetur expreſs. Inſtit. de ingenuis §. Sed, & ſi quis, & l. & ſeruorum 5. verſ. ingenui ſunt ff. de ſtatu hominum; & nota, quod licet mater prægnans ſe venderet, non tamen proles eſſet ſeruus, ſed liber; quidquid in contrarium aſſerat Gomez tom. 2. var. cap. 2. nu. 14. Ita Sanchez loc. cit. num. 16. ex Bald. Salic. & alijs.

23. Secundò eſt notandum, prolem ex ancilla duorum, ſi vnus manumittat, remanere ſeruā quoaduſq; partem pretij alteri Domino ſolutum fuerit; habetur expreſs. in l. 1. C. de communi ſeruo manumiſſ. Sanchez num. 12. Filiucc. num. 60. cum alijs multis, vide plura apud dictum Sanchez.

De Impedimento Voti ſolemnis Profeſsionis, & Ordinis quonam modo differant; votum ſolemne, & quo iure votum ſolemne dirimat matrimonium. Cap. CIV.

1 *Votum ſolemne, & ſimplex differunt tantum accidentaliter ex ſola Eccleſiæ inſtitutione.*

2 *Votum ſolemne irritat matrimonium ex ſolo iure Eccleſiaſtico, licet alij dicant irritare illud etiam iure naturæ, quod probabile eſt.*

3 *Ex iure Eccleſiaſtico continentia fuit annexa ordinibus ſacris, ratione voti, quod in illis emittitur.*

4 *Suſcipiens ordines ſacros abſq; intentione ſe obligandi ad continentiam, adhuc ad illam tenetur ex Eccleſiæ ordinatione, non autem ratione voti, cum non fuerit emiſſum.*

5 *Ordo ſacer per vim collatus, eſt irritus, ſi autem fuerit collatus per metum grauē, non erit obligatus ordinatus ad continentiam.*

6 *Ordinatus ante vſum rationis, vel ante annos 16. non tenetur ad continentiā, niſi completis dictis annis votum ratificet.*

7 *Ordines minores non impediunt matrimonium, nec culpam aliquam committit, qui matrimonium contrahit, nec ſi quis accipiat ordines animo non perſeuerādi in Clericatu.*

8 *Coniuges etiam poſt conſummatum matri-*

tri-

trimonium poſſunt de communi conſenſu profiteri, vel alter eorum de conſenſu cõiugis; qui ſi fuerit ſenex abſq; ſuſpicione incontinentiæ, poterit in ſæculo manere cũ voto caſtitatis; ſecus ſi fuerit iuuenis.

9 *Profeſſio coniugis valida erit, dummodo adfuerit licentia alterius coniugis, quamuis, dictus alter coniux votum nõ emiſerit ſi debeat remanere in ſæculo, vel religionem non fuerit ingreſſus, ſi fuerit iuuenis.*

10 *Profeſſus poterit reuocari ab vxore, de cuius licentia ad religionem tranſiuit, nec ipſa manens in ſæculo emiſit votũ, dummodo erat ignara iuris, ad quod ipſa tenebatur, & idem eſt dicendum de marito reſpectu vxoris; mortuo tamen coniuge reuocante, tenetur reuocatus ad religionem redire.*

11 *Ad iudicem ſpectat dicta reuocatio, qui ratione officij, debet conſulere periculo coniugis remanentis in ſæculo.*

12 *Coniux remanſus in ſæculo debet compelli ad vouendum, vel ſi fuerit iuuenis, ad profeſſionem emittendam, niſi ignorantia excuſaret.*

13 *Profeſſio facta abſq; conſenſu coniugis erit nulla, habebit tamen vim voti ſimplicis, quoad caſtitatem.*

14 *Coniux inualidè profeſſus, vel reuocatus vt ſupra, ſi mortuo coniuge, contrahat matrimonium, validè contrahit, ſed peccabit.*

15 *Coniux inualidè profeſſus, etiam altero coniuge non petente, poterit ad illum redire, relicta religione.*

16 *Poſt factam profeſſionem, ſi tunc, & non antea alter coniux conſenſerit, profeſſio adhuc erit nulla, niſi ratificetur.*

17 *Licentia obtenta à coniuge per vim, et metum, annullat profeſſionem, & nota coniugem adulterum non poſſe reuocare alterum coniugem à religione, poſſet tamen reuocari officio iudicis.*

18 *Vir abſq; licentia vxoris non poteſt ad ſacros ordines promoueri, etiam ſi matrimonium non fuerit conſummatum, imò nec etiam ad primam tonſuram vel ordines minores.*

19 *Vir de licentia vxoris accipiens ordines licet minores, vel primam tonſuram, tenetur votum caſtitatis emittere.*

20 *Vxor poteſt maritum reuocare etiam ſi ad ſummum Pontificatum fuiſſet electus, ſi tamen non adfuit eius licentia, et nota, quod licet vxor ſimulet, & patiatur ſuum virum accipere ordines ſacros: non ex hoc cenſeatur licentiam præſtare.*

21 *Vir euectus ad ordines ſacros poſt contractum matrimonium, & non conſummatum, non tenetur ingredi religionẽ, vt votum ſeruet. Si fuerit euectus poſt conſummatum matrimonium, poterit reddere, non autem petere coactè.*

22 *Si vir voluerit aſcẽdere ad ordines ſacros, vltra licentiam vxoris, requiritur etiã, vt dicta vxor ſi fuerit iuuenis miniſteriũ ingrediatur, & profiteatur, & ſi fuerit ſenex, debet emittere votum caſtitatis, non tamen debet habitare cum viro.*

23 *Vir ſuſcipiens ordines de licentia vxoris, non poterit ab illa reuocari, licet non emiſerit votum caſtitatis, vel profeſſionem in monaſterio.*

24 *Mortuo marito in ſacris conſtituto de licentia vxoris, dicta vxor non poterit validè contrahere ex iuris diſpoſitione, quamuis votum emiſſum in ſæculo ſit ſimplex.*

25 *Vir vt poſſit promoueri ad Epiſcopatum, neceſſariò requiritur, vt vxor profeſſionem emittat, ſi autem eſſet promouendus ad Cardinalatum, idem eſſet dicendum, ac dictum eſt de volentibus, aſcendere ad ordines ſacros.*

1 MAgna quidem quæſtio eſt inter Doctores, quænam differentia ſit inter votum ſolemne, & votum ſimplex, quamplures enim putant votum ſolemne Religionis cõſiſtere in actuali traditione dominij ſui ipſius in manus Dei, & ſuperiorum Religionis, & in hoc differre à voto ſimplici; ita Sot. D. Bonauent. Richar. Durand. Valent. Henriq. Vgolin. Graff. Couarr. Scot. Capreolus, vterque Ledeſma, & plures alij apud Sanchez lib. 7. de impedim. diſp. 25. num. 7. Secunda ſententia ait, votum ſolemne, & ſimplex

non differre eſſentialiter, ſed tantum accidentaliter, & extrinſecè ex ſola Eccleſiæ inſtitutione, quod Doctores huius ſẽtentiæ fundant in authoritate multorum ſummorum Pontificum, & Patrũ, vt apud ipſum Sanchez videri poterit loc. cit. nu. 2. quod etiam docet Azor lib. 12. inſtitut. moral. cap. 6. q. 1. Filiucc. tract. 10. par. 2. cap. 4. num. 116. & alij.

2. Vtrum autem votum ſolemne irritet matrimonium? Reſpondeo de fide id eſſe tenendum, vt eſt definitum in Cõcil. Trident. ſeſs. 24. de matrim. can. 9. & olim in Concil. Tolet. 1. cap. 16. & Tolet. 4. can. 51. Tolet. 8. can. 6. Chalcedonenſi can. 16. Forouilienſis can. 2. Turon. 2. cap. 16. Tribunienſi cap. 23. Et patet ex pluribus text. Iuris canonici, & ex multis Sanctis Patribus, & tandem id latiſſimè probat Bellarm. in ſuis controuerſ. lib. 2. cap. 22. contra hæreticos. Ex quo patet dictum votum irritare matrimonium tantummodo iure Eccleſiaſtico; quia antequã Eccleſia conſtitueret vota ſolemnia, erant vota ſimplicia, de quorum natura non eſt matrimonium dirimere, vt infra ſuo loco dicemus, de quo fusè diſputat Sanchez lib. 7. diſp. 26. & docet Filiucc. loc. cit. num. 118. & 119. Quod confirmat, quia per vota ſimplicia Societatis Ieſu fiunt veri religioſi, cum per ipſa fiat vera traditio propriæ perſonæ ad Religionem; & acceptatio ab ipſa Religione prout fuit definitum à Gregor. XIII. in Bulla aſcendente, & tamen dicta vota ſpectato iure naturæ, nõ dirimerent matrimonium, ſed tantum illud dirimunt virtute dictæ Bullæ, igitur vota ex ſolo iure Eccleſiaſtico matrimonium dirimunt, quia ſolemnitas eſt tantum ex eodem iure Eccleſiaſtico. Quod dixi, eo quod multi aſſerant votum ſolemne irritare matrimonium iure naturali diuino, ſecluſo iure Eccleſiaſtico, quia id, quod traditur vni, iure naturæ non poteſt alteri dari, & cum per vota ſolemnia religioſus ſe tradat religioni, non poterit poſtea ſe matrimonio obligare, quod quidem probabile putat Sanchez, & Filiuc. loc. cit.

3. Deinde quæritur, vtrum continẽtia ſit iure diuino annexa ordinibus ſacris, an iure Eccleſiaſtico? Sed primò ſupponendum eſt, Conuenientiſſimum eſſe, (& de fide id eſt tenendum) ſuſcipientem ordinem ſacrum, teneri ad caſtitatẽ ſeruandam, patet nouiſſimè ex Concil. Trid. ſeſs. 24. can. 9. & olim fuit definitum in cap. rurſus, qui cleric. & vouent. cap. 2. de cleric. coniugat. Clement. vnica de conſang. c. ſi quis eorum, Et ſexta Synod. cap. 6. & in multis alijs textibus, nec caſtitas, ſeu continentia Clericorum intelligitur tantum reſpectu nuptiarum; ſed etiam reſpectu cuiuſcunque actus venerei, & conſtat ex cap. 1. d. 28. & cap. Diaconi eadem diſt. & ex pluribus alijs locis. Ad quæſitũ autem multi reſpondent, iure diuino, continentiam eſſe annexam ordini ſacro, & ratio eſt, quia tam Eccleſia Latina, quam Græca hactenus ſeruauit; ne promoti ad ſacros ordines, matrimonium contraherent, quod cum tandiù viguit in Eccleſia, Signum eſt, quod ſit de iure diuino, ita Maior. 4. d. 24. tota q. 2. & plures alij, quorum opinionem probabilem vocat Azor. lib. 13. inſtit. moral. cap. 12. q. 1. §. quamquã autem. Tamen reſpondendum eſt, iure tantum Eccleſiaſtico annexam eſſe continentiã ordinibus ſacris, quamuis enim ordo ſacer ex ſui natura afferat quãdam congruentiam, & decẽtiam cum matrimonio repugnantem, tamen iure diuino, non eo quod ſit quis ſacro ordine initiatus, erit prohibitus contrahere matrimonium; imò iam videmus Græcis eſſe permiſſum, quando tamen matrimonium eſt ante initum, poſt enim ordines ſacros nemini licet, cap. cum olim de Cleric. cõiug. & D. Gregor. lib. 1. epiſt. 42. conceſſit Subdiaconis Siciliæ, vt matrimonio contracto ante ordines vti poſſent. Hanc ſententiam tradit D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. Caiet. in opuſcul. tom. 1. tract. 27. de diſpenſat. matrimonij in Occident. Eccleſ. q. vnic. §. videtur autem mihi, D. Antonin. 2. par. tit. 10. cap. 2. §. 9. ver. Papa autem, & 3. par. tit. 1. cap. 8. concluſ. 2. Valent. 4. par. tract. de ſacram. ordin. diſp. 9. q. 5. pun. 5. §. 1. Azor. tom. 1. lib. 13. inſtit. moral. cap. 12. q. 1. Sanchez lib. 7. diſp. 27. num. 5. cũ alijs multis; Conſurgit autem dicta obligatio in Clericis ordinatis in ſacris, immediatè

ex

Digitized by Google

ex voto, ad quod emittendum Eccleſia ſuo præcepto obligat ordinandos, non vt illud expreſsè, ſe tantum tacitè emittant, ad quod iure poteſt Eccleſia adſtringere, quia licet caſtitas cum ſit de conſilio, ad illam Eccleſia adſtringere non poſſit, ex cap. integritas 32. q. 2. At in tali caſu poteſt adſtringere, tum quia id eſt decentiſſimum pro tali ſtatu, tum quia apponitur tanquã conditio in ordine tradendo; quilibet enim in rei ſuæ traditione poteſt legem apponere, l. in traditionibus, ff. de pactis; Vnde eo ipſo, quod quis vult ordinibus ſacris initiari, obligat ſe ad dictum votum ſeruandum, ſicut etiam ſe obligat ad diuinum officium recitandum; Sanch. num. 10. cum alijs multis, & Filiuc. tract. 10. par. 2. cap. 4. num. 120. ex D. Thom. 4. d. 37. q. 1. art. 1. P. Sot. lect. 5. de matrim. §. Cæterum rationem, & alij.

Sed dubium eſt; Vtrum ſuſcipiens ordines ſacros cum intentione ſe non obligandi, nec emittendi tale votum, teneatur ad illud? Et de foro externo certum eſt; pro foro interno etiam affirmatiuè aliqui reſpondẽt, quia ex Eccleſiæ inſtitutione, ita eſt tale votum vnitum cum ordine, vt eo ipſo, quod quis vult ordinem, neceſſariò vult etiam votum. Ita Nauar. cap. 22. num. 52. Richard. 4. d. 37. art. 1. q. 1. Palud. 4. d. 38. diſp. vnica concluſ. 3. Tolet. lib. 7. cap. 8. num. 3. & alij; Probabilius tamen videtur dicendum, teneri ex Eccleſiæ inſtitutione; quia votum ex ſui natura poſtulat, vt liberè fiat, eſt enim lex priuata, quã quiſque voluntariè ſibi imponere debet; & hanc partem verè tenet Palud. 4. d. 37. q. 1. art. 2. num. 14. D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 8. Sylu. verb. matrim. 8. q. 12. dicto 2. Sanchez lib. 7. diſp. 27. num. 12. cum alijs multis. Neque dicas, igitur habens ordines ſacros duo peccata committit ſpecie diſtincta, Si fornicetur, vnum ratione voti, alterum ratione conſtitutionis Eccleſiæ, & ambo erunt duo ſacrilegia, ſicut, qui vouit non extrahere reos ab Eccleſia, & poſtea extrahit, duo ſacrilegia committit, vnum ob præceptum immunitatis Eccleſiæ, alterum ob votum emiſſum. Tamen reſpõdetur, doctrinam huius exempli veram eſſe; ſed non ita ſe habere in ordine, quia ordinatio, ſeu conſtitutio Eccleſiæ eſt, vt ſuſcipiens ordines ſacros, emittat votum caſtitatis, neque adeſt aliud præceptum, vt ſupponitur in argumento; Vnde qui illud poſtea nõ emittit, peccat quidem mortaliter, eo quod ſuſcipiat ordines ſacros ſine dicto voto contra præceptum Eccleſiæ, & quoties poſtea contra caſtitatem peccauerit, vnum ſacrilegium committet, non ratione voti immediatè, ſed ex Eccleſiæ lege, quæ licet immediatè præcipiat, vt ordinatus in ſacris voueat caſtitatem, tamen mediatè obligat ad caſtitatem, ſi non vouerit, ad inſtar fictè profeſſi, qui non ratione votorum; ſed ex lege Eccleſiæ tenetur ea obſeruare; vt declarat Azor. to. 1. lib. 13. inſtit moral. cap. 14. q. 10. quem ſequitur Sanchez loco cit. num. 14.

4. Aliud dubium eſt, an ordo ſacer dirimat matrimonium poſt ordinem ſacrum contractũ? Et reſpondeo affirmatiuè, eſtque res certa, & de fide ex Concil. Tridentino ſeſſ. 24. de matrim. can. 9. & olim id fuit definitum in cap. 1. & 2. qui Clerici, vel vouentes; cap. vnico de voto in 6. & in pluribus alijs locis; & quamuis Caiet. in opuſcul. tom. 1. tract. 27. de diſpenſ. matrimonij in Eccleſia Occidentali q. vnica, & Sot. 4. d. 38. q. 1. art. 1. & lib. 7. de iuſtit. quæſt. 6. art. 2. concluſ. 2. aſſerant olim Græcis Diaconis licuiſſe matrimonium inire; Tamen probabilius videtur dicendum, illis id tantum licuiſſe ante ſuſceptionem ordinis, & patet ex cap. ſi quis eorum diſt. 22. & 6. Synodo generali vbi de Eccleſia Græca, ſic habetur, *Si quis eorum, qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinationem ſubdiaconatus faciat*; Et de Eccleſia Latina id patet ex cap. ſunt quidam, & cap. Presbyter 27. q. 1. & in alijs locis, quod eſt verum ab initio naſcentis Eccleſiæ, vt conſtat ex can. 27. Apoſtolorum vbi habetur. *Si quis eorum, qui ad Clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint, vxores accipiunt, ſed Lectores, & Cantores tantummodo*; Quod probat Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 12. q. 3. & ſemper matrimonium fuiſſe irritum apud Græcos poſt ordines ſacros oſtendit, q. 5. ſequitur Sanchez lib. 7. diſp. 28. num. 2.

&

& 3. & Filiuc. tract. 10. de matrim. par. 2. cap. 4. num. 121. Ex quo patet Græcum ſacris ordinibus initiatum, mortua vxore, non poſſe validè aliam ducere, vt idem Azor. cap. 14. q. 7. videndus eſt pro tradita doctrina Bellarm. lib. 1. de Cleric. cap. 21. qui declarat quoſdam textus allatos à Caiet. & Sot. qui videntur contrarium aſſerere, vide etiam Sanchez loc. cit. num. 7. & Azor. in cit. cap. 12. q. 3. Quonam autē iure ordo ſacer dirimat matrimoniū poſtea contractum? Reſpondeo id eſſe ex ſolo iure Eccleſię, quidquid alij in contractū aſſerant; ita tenet D. Thom. 4. d. 37. q. 1. art. 1. in corp. & quamplures alij, quos ſequitur Sanchez dicta diſp. 28. num. 11. & Filiuc. loco cit. num. 122.

5. Vtrum autem ordo ſacer per vim, & metum collatus irritet matrimonium? Reſpondeo certum eſſe, ordinem per vim præcisè aſſumptum, eſſe irritum, cum ad ordinem requiratur voluntas in ſuſcipiente, vt conſtat ex cap. maiores de baptiſm. & nos ſuo loco diximus; Vnde non poterit matrimonium irritare, cum nec character fuerint impreſſus. Difficultas eſt quando ordo ſacer fuit per metum grauem collatus, quia in tali caſu adeſt voluntas ordinati, licet coactè, & volet ordo, cū verè imprimatur character, vt ex eodē cap. maiores patet, & omnes Doctores aſſerunt. Et quis multi affirmatiuè ad quæſitū reſpondeant, eo quod talis ordo obligat ad continētiam, vt Palud. 4. d. 38. q. 3. art. 4. num. 28. D. Antonin. 3. par. tit. 14. cap. 16. in fin. Sot. lib. 7. de iuſtit. q. 2. art. 5. Syluest. ver. ordo 4. q. 1. Tab. eodem verb. 2. in fine, & alij multi. Tamen probabilius cōtrarium eſt aſſerendum; nempè, nec talem ordinem obligare ad continentiam, & poſſe ſic ordinatum matrimonium contrahere; ita Azor. to. 1. lib. 13. cap. 14. q. 8. Sot. 4. d. 25. q. 2. art. 2. ad 1. verſ. hinc autē, Richar. 4. d. 25. art. 4. q. 2. ad 3. Nauar. cap. 22. num. 52. Henriq. lib. 10. de ſacram. ordin. cap. 14. num. 3. Sanchez lib. 7. de impedim. diſput. 29. num. 5. & 6. Filiuc. tract. 10. de matrim. par. 2. cap. 4. num. 123. & 124. cum alijs multis apud hos Doctores, & ratio eſt, quia ad voti obligationem, requiritur voluntas vouentis, & cum ſuſcipiens ordinem per metum grauem non habeat talem intentionem vouēdi, ſequitur, quod neque ad illud teneatur. Neque dicas teneri ex inſtitutione Eccleſiæ, vt diximus in n. 3. nam id eſt verum. Quādo quis liberè accedit ad ordinem ſuſcipiendum, & talem Eccleſia intendit obligare, etiam ſi nullam habeat intentionem ſe obligandi, quod fuſiùs declarat Sanchez loc. cit. Filiuc. & alij citati.

6. Sed quid ſi ordo ſacer fuerit collatus alteri antequam habeat vſum rationis, vel poſt ipſum, ſed ante pubertatem? Reſpondent aliqui ordinatum ante vſum rationis, teneri ad continentiā, nec poſſe validè matrimonium contrahere, & ratio eſt, quia ſic ordinatus verè accipit characterem ſeù ordinem, Ita D. Anton. 3. par. tit. cap. 8. in fine ſecundæ concluſionis, Palud. 4. d. 37. q. 1. art. 1. num. 14. & probabilem putat hanc opinionem Richar. 4. d. 2. art. 4. q. 2. ad 3. & alij; tamen dicendum eſt, talem ordinatum in primis non teneri ad continentiam, hoc probant omnes Doctores num. anteced. allati pro noſtra ſententia; & Sot. 4. d. 25. q. 1. art. 2. verſ. quod ſi roges, Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 24. q. 9. Henriq. lib. 10. de Sacram. ordinis cap. 14. num. 13. & lib. 11. de matrim. cap. 5. num. 9. in comment. littera R. Vega 2. tom. ſummæ cap. 57. caſu 7. Sanchez lib. 7. diſp. 20. num. 3. Ex quo infertur, talem ordinatum, ſi ordine vti noluerit, poſſe tranſire ad matrimonium prout ijdem Doctores num. præcedenti allegati docent, quia cauſa, ob quā ordinatus in ſacris non poteſt contrahere matrimonium, eſt continentia, ad quam tenetur; ſed ea ablata, vt eſt in tali caſu, poteſt contrahi etiam matrimonium. Vtrū autem idem ſit dicendū de ordinato poſt vſum rationis, ſed ante pubertatem? Et affirmatiuè reſpondendum eſt, nempè nō teneri ad continentiam, niſi adepta pubertate ratificet actum factum, ſeù votū, &c. Imò iuxta Sanchez loc. cit. num. 8. & alios, cum hodie ex Concil. Trid. ſeſ. 25. de regul. c. 15. requiratur ætas ſexdecim annorum ad votum ſolemne profeſſionis, eadem etiam erit neceſſaria pro voto ſolemni ordinis, & ex conſequenti dicta rati-

ratificatio eſt facienda poſt annum 16. vt ordinatus obligetur ad continentiã; qua non facta poterit validè contrahere, vt cum multis docet idem Sanchez num. 9. quem ſequitur Filiuc. de imped. cap. 14. num. 128.

7. Et circa minores ordines, hęc breuiter notanda ſunt, in primis dictos ordines nullum impedimentum præſtare matrimonio contrahendo; imò id expreſsè cõceditur in cap. ſi quis eorum d. 32. quod eſt ex 6. Synod. cap. 6. & in cap. ſi quis verò eadem diſt. & cap. 1. de Cleric. coniug. Secundò eſt notandum habentes ordines minores nullã culpam incurrere, eo quod matrimonium contrahant; ita Azor. to. 1. lib. 13. cap. 14. q. 14. imò addit non peccare, quamuis ducat viduam, Couar. 4. decretal. 2. par. cap. 6. §. 3. num. 3. Sanchez autem id putat verum, quando ordinatus accipit vnicam, & virginem; eſſe tamen peccatum veniale, ſi accipit viduam, vt apud ipſum videri poteſt in diſput. 31. à num. 9. & ſeq. Tertiò nullam culpam cõmittere accendentem ad ſuſcipiẽdos Ordines minores abſque intentione aſcendendi ad alios, cum dicta conditio nullibi reperiatur præcepta, nec in Concil. Trid. ſeſs. 23. de refor. cap. 4. talis conditio habetur; verum ſi quis illos ſuſcipiat animo tantum declinandi à foro ſeculari, aliquã culpã, licet non mortalem videtur committere, vt ex pluribus Sanchez loc. cit. num. 16. & 17. & Filiuc. loc. cit. num. 130. & 131.

8. E contra quærendum eſt, an poſſint coniuges poſt conſummatum matrimoniũ, vota ſolemnia profeſſionis emittere, vel ad ſacros ordines aſcendere, quoad viros? Et dicendum eſt, licitum eſſe non ſolum dictis coniugibus religionem ingredi, & ibi de communi conſenſu profiteri; ſed etiam licitum eſſe alteri eorum, de alterius tamen conſenſu religionem ingredi, ibiq; profiteri; ſed ſi manens in ſęculo ſit ſenex nec in eo ſit ſuſpicio incontinentiæ, debet emittere votum caſtitatis, & ſi ſit iuuenis, neceſſe eſt, vt etiam religionem ingrediatur, vt expreſsè habetur in c. cũ ſis de cõuerſ. cõiug. vbi ſic dicitur, *Prohibentes ne virum, vel vxorem (niſi vterq; ad religionem migrauerit) trãſire permittas. Verum ſi ita vxor ſenex eſt, & ſterilis, quod ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſæculo, diſſimulare poteris, vt ea in ſæculo remanente, & caſtitatem promittente, ad religionem tranſeat vir eiuſdem.* Et idem habetur in cap. vxoratus eodem tit. & cap. ad Apoſtolicã ibidem. Neq; requiritur in tali caſu eſſentialiter licentia Epiſcopi, ſed tantum de honeſtate, vt optimè probat Sanchez lib. 7. diſp. 32. num. 3. & nota, quod ſicut ingrediens religionem, tenetur profiteri, ita coniux manens in ſæculo debet emittere votum perpetuum caſtitatis, & non temporale, ſcilicet vſquequò alter coniux ſuperſtes fuerit, vt conſtat ex citato capit. ad Apoſtolicam, vbi dicitur, *Non eſt alter coniugum recipiendus ad obſeruantiam regularem, niſi reliquus perpetuam caſtitatem repromittat.* Ita Hoſtienſ. cap. vxoratus num. vnic. ſuper verb. continentiam de conuerſ. coniugat. Io: Andr. ibi num. 1. & in d. cap. ad Apoſtolicam num. 1. non tamen ſequitur, quod dictum votum manẽtis in ſæculo, ſit votum ſolemne, quia votum ſolemne nõ poteſt emitti niſi in profeſſione, & ſuſceptione ordinis ſacri, vt habetur cap. vnico de voto in 6. Et nota, quod cõiux remanſus in ſęculo ſiuè iuuenis ſit, ſiuè ſenex, dũmodo in eo adſit periculum, ſeu ſuſpicio incontinentiæ, tenetur religionem ingredi, & è contra, ſi nulla adſit ſuſpicio incontinentiæ, ſiuè iuuenis ſit, ſiuè ſenex ſufficit votum emiſsũ in ſæculo, patet enim ex verbis textuum allatorũ; in quibus non ponderatur ætas, ſed ſuſpicio incontinentiæ. Et caſu quo coniux exeat à religione, Debet iterum ad alterum coniugem accedere, nec obſtabit votum caſtitatis emiſſum, quia intelligitur factum ſub conditione, ſi alter coniux profeſſionem emiſerit. Vide fuſius apud Sanchez in cit. diſp. 32. & Filiucc. tr. 10. de imped. cap. 4. num. 132. & ſeqq.

9. Sed quatuor dubia ex tradita doctrina oriuntur, primum eſt, an valida ſit profeſſio coniugis habentis ſpontaneam licentiam alterius coniugis, ſi dictus alter coniux non profiteatur aliam religionem, ſi ſuſpectus ſit de incontinentia, vel ſi manens in ſæculo, non emittat votum

ca-

caſtitatis, eo quod non ſit ſuſpectus de incontinentia. Secundum dubium eſt, an poſſit reuocari talis coniux abſque dictis conditionibus profeſſus. Tertium an hæc facultas reuocandi competat iure actionis coniugi. Quartum, quando non conceditur reuocatio, an compellendus ſit coniux manens in ſæculo; vt religionem profiteatur. Et quoad primum breuiter reſpondeo, profeſſionem eſſe validam, dummodo adfuerit tantum ſpontanea licentia alterius coniugis, licet, ipſe aliam religionem non fuerit ingreſſus, & profeſſus, nec in ſæculo manens emiſerit votum caſtitatis; prędictæ enim conditiones, non annullant profeſſionem. Ita Azor. 1. tom.lib.11.cap.1.q.6.§.ſi quæras, Sāchez lib.7.diſp.33.num.4. Sot.4.diſt.27.q.1.ar.4.verſ.caſus autē, Henriq.lib.11.de matr. cap.8.num.9. Filiuc.loc.cit.num.136. Angelus verb.matrimonium 4.num.10. Syluest.eodem verb.8.q.12.dicto 4.& omnes alij.

10. Quid autem ſit dicendum de ſecundo dubio, an poſſit reuocari coniux, qui profeſſionem emiſit, eo quod alter cōiux non profeſſus ſit aliam religionem, ſi iuuenis erat, vel non emiſerit votum, ſi erat ſuſpectus de incontinentia, vt in nu. 8. Reſpondeo, relictis varijs opinionibus; vel dictus coniux erat conſcius dicti iuris, ad quod ipſe tenebatur, vel non, ſi erat conſcius, alter coniux reuocari non poterit à Religione; ſi non erat conſcius, reuocari poterit; dico reuocari non poterit, quia iuxta veriorem ſententiam, coniux manens in ſæculo non poteſt illum propria authoritate reuocare; ſed requiritur ſententia iudicis. Ita Sanchez lib. 7.diſp.33.nu. 14. & 15. & nota, in tali caſu dictum coniugem coactum redire ad vxorem, teneri ea mortua ad religionem redire, vt expreſsè habetur in cap. ex parte de conuerſ. coniugat. ita Gloſs. in cap. Agathoſa verb. debeas 27. q. 2. Hoſtienſ. ſumma tit. de conuerſ. coniug.n.8. Abb.c.1.eod tit. Azor.tom.1.lib.11.ca.1. q.6.Sot.4.d.27.q.1,art.4. Henriq. lib.11. de matrim.cap.15.num.9. Sanchez lib.7. diſp.33.num.5. Secundo eſt notandum, dictum coniugem profeſſum, teneri reddere, non autem poterit petere; & ſi petat, alter coniux non tenebitur reddere, vt ex Scot.4.d.32.q. vnic. docet Sanchez loc. cit.num.6.& diſp.38.num. 22. vide tamē ea, quæ dicemus infra num.13.in fin. vbi hanc doctrinam Scot. & Sanchez modificabimus.

11. Quoad tertium, an dicta reuocatio pertineat ad coniugem iure actionis ſibi competentis? Et diſſentiunt Doctores, multi reſpondent affirmatiuè, quia licentia ab ipſo data nō fuit legitima iuxta legem Eccleſiæ, cuius ipſe concedens erat ignarus, vt ſupponimus. Et ſic non amitit ius ad ſuum coniugem. Ita Abbas, Richar.Palud. Anton. Gomez, Gabriel, Maiolus, & alij plures apud Sanchez loco citato num. 17. Alij tamen probabilius, vt putat Sanchez loc. cit. num. 18. aſſerunt, id tantum ſpectare ad officium iudicis, cuius eſt conſulere periculo cōiugis in ſæculo manētis; idē docet Azor. tom.1.lib.12.cap.1.q.6.§.Si quæras, Angelus verb.matrimonium 4. num. 9. Syluest. eodem verb. 8. q. 12. dicto 4. & alij plures.

12. Quoad quartum dubium propoſitum num.9. nempe an coniux manens in ſæculo cogendus ſit profiteri, vel votum caſtitatis emittere, in caſu quo non daretur reuocatio, vt in nu. 10. & reſpondendum eſt affirmatiuè, ſi erat conſcius iuris, ad quod tenebatur, ſumitur ex cap. ſignificaui de conuerſ. coniugat. vbi habetur. *Mandamus quatenus ſi eſt ita, & eſt talis ætatis, de qua ſuſpicio haberi non poſſit, ipſam votum continentiæ obſeruantem, intrare monaſterium compelli non permittas.* Igitur à contrario ſenſu, ſi adfuerit ſuſpicio incontinentiæ, compelli debet, vt Goffred. ſum. tit. de conuerſ. coniugat. num.9. Hoſtienſ. ſum. eodem tit. num. 10. & cap. 2. num. 4. eod. tit. Henricus cap. vxoratus num. 9. eodem tit, Sanchez autem lib.7. diſp. 33. nu.27. hac vtitur diſtinctione, quam etiā affert, Filiuc. tract. 10. de imped. cap.4. nu. 139. & Azor. 1. tom.lib.12.cap.1.q.6. §. ſi quæras, aut enim vxor votum religionis emiſit, & tunc cogenda eſt religionē profiteri, aut vouerit ſolam continentiam, dando marito licentiam profitendi, & tūc di-

diſtinguendum eſt, ſi erat ignara iuris, vt ſupra, & num. 10. diximus, non cogetur profiteri, ſed includetur monaſterium, quo à vagationibus arceatur, & ceſſet incontinentiæ periculum, vt ait etiam Nauar.lib.3. conſil. tit. de conuerſ. coniugatorum in 1.editio conſil.5.num.4.in 2.cōſil. 14. num. 4. Si non erat ignara dicti iuris cogetur profiteri, vt iam aſſerunt Doctores primò citati. Idem docet Abbas cap.1.de conuerſ. coniugat.cap.8. & cap. ſignificaſti in fin.eod.tit. Sylueſt. ver. matrimonium 8.q.12. dicto 4. Roſella verb. impedimentum 11.in princ. qui tres Doctores aſſerunt id habere locū in ijs, quos ignorantia iuris excuſat, vt eſt mulier, minor, & miles, & mulierem in tali caſu excuſari, docet Hoſtienſ.in d.cap. ſignificaſti in fine, Io: Andr.ibi; dicta tamen diſtinctio ſeruit pro foro externo, quia pro foro conſcientię tam ignorantia facti quā iuris excuſat.

13. Altera quæſtio eſt, an profeſſio emiſſa ab vno coniuge, altero id ignorante, valida ſit, & ad quid obliget ſic profitentem? Et in primis certum eſt, dictam profeſſionem non habere vim voti ſolemnis; patet hoc apertè ex cap. quidam de conuerſ. coniugat. vbi ſic habetur. *Reſpondemus, quod votum non tenuit, vnde ratione voti ad monaſterium non tenetur redire, vlterius verò non poterit vxorem accipere; promiſit enim ſe non exigere debitum, quod in eius poteſtate erat, & ideò quoad hoc, votum tenuit.* Et in cap.placet. eod.tit. de muliere, quæ emiſit profeſſionem, eo quod credebat ſuum virum defunctum, ſic dicitur. *Reſpondemus, quod licet votum eius vſquequaq; non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium quatenus ſe poterat obligare, promiſit enim intrando monaſterium ſe non exacturam carnis debitum, quod erat in poteſtate ipſius. Redire verò ad ſæculum, non erat in eius poteſtate: ſed in poteſtate mariti, & ideò quantum ad ipſam, tenuit votum. Conſultiùs itaq; dicimus, & congruentiùs ad ſalutem, vt ad monaſterium redeat. Si verò ad hoc induci non poterit, ipſam inuitam credimus non cogendam.* Ex quibus verbis colligitur dictum votum caſtitatis emiſſum in profeſſione non habere vim voti ſolemnis, ſed tantum voti ſimplicis, & talem coniugem ſic profeſſum tener tantum reddere, ſed non poterit petere, niſi quando votum eſſet emiſſum dependenter à profeſſione, & quatenus debeat permanere in religione; ſecùs ſi quis haberet animum ſe obligandi omni modo poſſibili. Quod præſumitur in profitente; nā ſi fuiſſet emiſſum dependētur à profeſſione, cenſeretur votū conditionatum: & ideò tale votum ad nil obligaret; ſed quia præſumitur factum animo ſe obligādi omni modo poſſibili, ideò votum dicitur abſolutum, & obligat, ſi non vt votum ſolemne, ſaltem vt votum ſimplex; ſicut etiam dicitur de matrimonio impuberū, quod licet inualidum ſit, tamen, quia præſumitur dictos voluiſſe contrahere modo meliori, quo poterant, ita quamuis non erit matrimonium, erunt tamen ſponſalia, & habetur in cap.vnico de deſponſal. impuber.in 6.Nauar.autem cap.12. num. 60. Probabiliter quidem aſſerit, votū alterius coniugis de non petendo debitum, factum abſq; alterius coniugis conſenſu, eſſe illicitum ex D.Thom.4. d.32. q. 2. & Palud.ibidem q.2.quia graue onus eſt alteri, eo quod ſemper debeat pati pudorē in petendo; & in proprio caſu de profeſſo, ait, citatos textus non loqui, nec prohibere modeſtam petitionem, ſed exactionem, quod eſt compellere coniugem ad reddendum; vnde videtur dicendum, talem profeſſum, vel reuocatum ab vxore, vt diximus num.10.poſſe quidem petere; ſed non exigere, quod etiam tenet Henriq. lib. 12.de matrim.cap.2.num. 9. & lib.11.cap.15.num.9.quæ opinio, licet non placeat Sanchez lib.7.diſp.34. num. 4. tamen mihi non ſolum probabilis, ſed etiam vera videtur; quod etiā tenet Syluest.ver.votū 5.n.2.Et idē eſt dicendum, quando coniux ob adulterium ab ipſo commiſſum, amittit ius exigendi.

14. Et nota, quod ſi dictus coniux inualidè profeſſus, vel reuocatus ab altero coniuge, poſt mortem dicti coniugis reuocantis, contrahat matrimonium peccabit quidem mortaliter, eo quod tenebatur ad caſtitatem ſeruandam; ſed validum erit ſacramentum, vt docet idem Nauar.in dicto num.60.in fine, Syluester

Cccc verb.

verb. votum 4.num.2.dicto 4. & ver. matrimonium 8. q. 12. dicto 5. Sanchez loc. cit.§.ſecundò infertur, Azor. 1. tom. lib. 12.cap.1. q.3. §. Si quæres, & alij multi. Item nota, poſſe dictum coniugem, abſq; cuius licentia alter coniux profeſſionem emiſit, dictum coniugem ſic profeſſum reuocare, etiam ſi ambo manentes in ſæculo caſtitatem vouiſſent, quia etiam in tali caſu requiritur licentia alterius coniugis, vt Sãchez ibidem §.tertiò infertur, & lib. 10.diſp.37.num.14. Vtrum autem vota emiſſa in profeſſione dicti coniugis inualidè profeſſi, commutentur in votum ſimplex religionis; Ita vt mortuo coniuge, teneatur ad religionem redire? Et quidquid aliqui dicant, negatiuè eſt reſpondẽdum, patet ex verbis textus citati num. anteced. *Reſpondemus, quod votum nõ tenuit*, Igitur fuit irritum, & ex conſequenti nulla obligatio poterat oriri idem Sanchez num. 10. & 12. Sylueſt. ver. matrimonium 8.q.12. Angelus eodem verb.4.num. 14. dum ait, hunc reuocatum, non teneri ad religionem redire, & alij.

15. Sed dubium eſt, an coniux, qui ſine licentia alterius coniugis profeſſionẽ emiſit, propria authoritate poſſit religionem deſerere, etiam altero coniuge non petente? Et negatiuè plures reſpondent, vt Abbas in cap. placet de conuerſ. coniugator. num.3. Palud.4.d.27.q.3.ar.2. num. 15. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 5. num. 10. Sylueſt. verb. diuortium q. 14. Nauar. lib. 3. conſil. tit. de conuerſ. coniugat. in priori edit. conſil. 3. num. 3. & 4. in poſteriori conſil. 6. num. 3. & 4. & alij. Sed affirmatiuè reſpondendum eſt, quia verè profeſſio fuit omninò nulla, & irrita; & confirmatur authoritate P. Auguſt. epiſt. 45. vbi ſic ait. *Nam, & vouenda talia non ſunt à coniugatis, niſi ex conſenſu, & voluntate communi, & ſi præpoſterè factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quã perſoluenda promiſſio.* Et ex pluribus ſummis Pontificibus, & Doctoribus id probat Sanchez lib.7.diſp.34.num.15. & Filiuc. tract. 10. de imped. cap.4.num.141. in fin.

19. Secundò dubitatur, coniux conſentiens in profeſſionem factam ab altero coniuge abſq; ſua licentia, an reddat validam profeſſionem? Et negatiuè reſpondendum eſt. Vnde, & poterit ex ſe religionem relinquere; quia actus ſemel irritus, non poteſt tractu temporis conualeſcere abſq; noua ratificatione, nec in caſu profeſſionis poteſt conſenſus ſuppleri ab Eccleſia, vt docet Nauar. lib. 3. conſil. tit. de regul. in 1. edit. conſil. 32. num. 5. in 2. conſil. 31. nu. 5. imò etiam mortuo cõiuge, ſi non fuiſſet ab illo reuocatus, poſſet, ſecluſo ſcandalo è religione fugere, cum verè non ſit religioſus, dummodo tamen nunquam poſt mortem coniugis, illam confirmaſſet. Nec coniux mortuus in vita conſenſiſſet ſaltem tacitè. Sed nota, ſi talis profeſſus perſeuerauerit in religione, eo quod neſciebat mortẽ ſui coniugis; & ſtatim poſt mortẽ reclamauerit, poterit, vt dixi, ſecluſo ſcãdalo, fugere, ſecus ſi ratificaſſet cõcurrẽtibus alijs requiſitis ex parte religionis, alioquin nec verè diceretur religioſus; ſi autẽ poſt mortem, quã iã ſciebat perſeuerauerit cẽſeretur conſẽſiſſe, & eſſet ſaltẽ tacitè profeſſus, vt in ſequenti libro dicemus; vide fuſiùs, & plura apud Sanch. lib.7. diſp.34. à nu.16. & ſeqq. quem ſequitur Filiuc. loc. cit. num.142.

17. Tertiò dubitatur, an licentia extorta ab altero coniuge per metum, & dolum, poſſit reddere validam profeſſionẽ; & quid ſi nulla adfuit licentia, ſed tantum ſimulatio quædam coniugis remanentis in ſæculo? Et breuiter reſpondeo, talem profeſſionem eſſe omninò irritam, & nullam; & omnia, quæ diximus de coniuge profeſſo abſq; licentia ſui coniugis, dicẽda ſunt etiam de tali profeſſo cum licentia obtenta per metum, vel dolum, aut ex ſola ſimulatione coniugis remanentis in ſæculo, vt concludit Sanchez diſp. 35. in fin. num. 16. & ſequitur idem Filiuc. num. 143. Sed nota, quod in caſu, quo coniux manens in ſæculo adulterauerit, non poterit reuocare coniugem profeſſum à religione, licet abſq; ſua licentia profeſſioné emiſerit, quia per adulterium, amittit ius, quod habet in maritum, quod intellige de adulterio noto tali coniugi profeſſo, poſſet tamen reuocari officio iudicis, & poſſet ipſemet profeſſus condonare iniuriam adulterij, religionem relinquere; &

cætera

cætera agere, vt ſupra, vt idem Sanchez diſp.36.num.3.& Filiucc.tract.10. de imped.cap.4.num.144.

18. Deinde quæritur. An vir, ſicut non poteſt profeſſionem emittere,ita neq; poſſit ad ſacros ordines aſcendere? Reſpondeo affirmatiuè abſq; tamen licentia vxoris, & hoc etiam ſi matrimonium fuerit tantum ratum, & non conſummatum ad differentiam profeſſionis,ſeu electionis religionis, quam cõiux poteſt eligere per bimeſtre poſt contractũ matrimonium; vt diximus cap.93.num.6. & 7. Statum autẽ clericalem, ſeu tranſire ad ordines maiores nullo modo poterit poſt contractum matrimonium abſq; vxoris licentia prout expreſsè eſt definitum in cap.coniugatus de conuerſ. coniugator. & extrau. antiquæ Io: 22. de voto; & ratio eſt,quia per profeſſionem dirimitur matrimonium ratum, ſecus autem per ordines ſacros. Sed ſi vxor adulterauerit,poterit vir ea inuita ad dictos ordines aſcendere, vt defendit Sanchez lib.11.de matrim.diſp.11. nu. 16. Neq; ſimiliter poteſt vir ad ſacros ordines promoueri, quamuis habeat animum ſtatim ingrediendi religionem, alioquin mortaliter peccaret, vt patet ex cit. extrau. Io: 22. Antiquæ his verbis. *Diſtrictius inhibentes, ne quiſquam durante matrimonio nondum etiam conſummato,aliquem de ſacris ordinibus præſumat ſuſcipere, niſi prout ſacris canonibus nouerit conuenire.* Ad quod verbum,*Conuenire,* ait Gloſs.videlicet petita licentia vxoris cum voto caſtitatis. Et quamuis Palud.4.d.27.q.3.art.3.num. 22. aſſerat neq; Pontificem poſſe diſpenſare, vt vir etiam ante conſummationem matrimonij, poſſit aſcendere ad ordines ſacros; tamen omninò contrarium eſt dicendum, & ratio eſt, quia antequam matrimonium conſumatur, poſſet Pontifex diſpenſare, vt matrimonium dirimatur per ordinis ſacri ſuſceptionem, imò etiã conſummato matrimonio, poſſet Pontifex diſpenſare,vt vir abſq; vllo vxoris cõſenſu, poſſit ad ſacros ordines aſcendere, cum id pendeat ex iure Eccleſiaſtico. Et tandem vir abſq; conſenſu vxoris, nõ ſolum non poteſt ad ſacros ordines aſcẽdere; ſed nec etiam ad primam tonſurã, vel ad minores ordines prout probabilius putat Sanchez lib.7.diſp. 38. num. 6. & patet ex cap. fin. de temp. ordin. in 6. vbi ſic habetur. *Nullus Epiſcopus, vel quiuis alius clericalem præſumat conferre tonſurã coniugato, niſi volenti religionem intrare, aut ad ſacros ordines promoueri prout eſt ſacris canonibus definitum.* Scilicet de licentia vxoris cum voto caſtitatis,vt ſupra, Io:Andr. cap.2.nu.1.de cleric. coniugat. & ibi Abbas num.3.Anchar.num.3.Azor.tom.1.lib. 13.cap.13.q.7.Filiuc.tr.10.de imped. cap. 4.num.146. & alij.

19. Et nota ex eiſdem Doctoribus, coniugatum volentem aſcendere ad ordines ſacros, non ſolum debere priùs obtinere licentiam ab vxore;ſed etiam teneri emittere votum caſtitatis,licet accipiat tantum primam tonſuram, vel ordines minores; & tenetur habere animũ aſcendendi ad ſacros ordines,alioquin promoueri non poterit, vt conſtat ex cap.fin. de tempor ordin.in 6. & docet Abb. in cap. coniugat.de conuerſ.coniugat.num.2.Io: Andr.ibi num. 3. & alij cum Sanchez loc. cit.num.8.& 9.Filiuc.&c.

20. Secundò eſt notandum, vxorem contradicentem, vel ignorantem promotionem ſui coniugis, etiam ſi promotus fuiſſet ad ſummum Pontificatum, poſſe eũ reuocare,& teneretur dictus coniux dictę vxori debitum reddere, quod eſt verum etiã ſi bona fide, & quia credebatur mortua vxor, fuerit ad Pontificatum euectus, quia id ex iuſtitia vxori conuenit,nec bona fides poteſt annullare tale ius Gloſs. in cap. ſi quis pecunia verb. non apoſtolicus diſt.79.& ibi Archid.& alij, Io: Andr. cap.conſtitutus in fin.de conuerſ. coniug. & ibi Abb.& Anchar. in fine, D.Antonin. 3.par.tit.1.cap.8.in fin. Sylueſt. verb. matrimonium 8.q.12. dicto 3. Et idem eſt dicendum, ſi licentia ab vxore fuerit metu graui, aut dolo extorta,debet enim licentia eſſe liberè à muliere conceſſa, vt poſſit priuari iure ſuo; Sylueſt. verb. diuortium q.17.dicto 4.Azor.tom.1.lib.13. cap. 14.q. 12.Imò quamuis multi teneant, vxorẽ ſimulantẽ,& patientẽ ſuum virum promoueri ad ſacros ordines, vel votum caſtitatis emittere, cenſeri conſenſum præſta-

re dummodo faciliter poſſit illum impedire, & non impediat, vt Palud. 4. diſt. 37. q. 1. art. 1. num. 9. D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 8. in fin. Henric. cap. vxoratus nu. 12. de conuerſ. coniugatorum, qui vltimi duo Doctores cum alijs dictam doctrinam tẽperant, dummodo vxor fuerit conſcia iuris ſtatuentis, quid ipſa efficere poterat dum videbat maritum promoueri ad ſacros ordines, quod quidem probabile eſt; tamẽ probabilius eſt, nec in hoc caſu vxorem amittere ſuum ius, & poſſe ſemper maritum reuocare, & ratio eſt, quia cum dicta res grauis, & ardua ſit, iura non contenta ſunt vxoris ſimulatione; prout expreſsè definitum eſt in cap. conſuluit de conuerſ. coniugat. de vxore vidente, & patiente ſuum virum emittere profeſſionem, Ita Azor. loc. cit. num. 23. Sylueſt. loc. cit. Sanchez lib. 7. diſp. 35. num. 13. & diſp. 38. num. 15. Filiucc. tract. 10. cap. 4. num. 147. & alij. Non tamen ex hac doctrina ſequitur, quod vir ordinatus poſſit redire ad vxorem non eum reuocantem, ſicut diximus de profeſſo, quia licet profeſſus poſſit relicta religione ad vxorem redire; id ei conceditur, quia profeſſio fuit nulla, cum non adfuerit licentia vxoris; & in viro ordinato ad ſacros ordines, non datur dicta ratio, & ideò vxore non reuocãte, vir non poterit ad illam redire, vt idem Sanchez num. 16. Filiuc. ibidem, & alij.

21. Sed dubium eſt, ad quid teneatur, ſi poſt contractum matrimonium, non autem conſummatum ad ordines ſacros promoueatur? Et multi probabiliter quidem tenent, teneri ingredi religionem, & profiteri, vt poſſit votum obſeruare, & maximè, quia ei licitum eſt ante conſummationem matrimonij, religionem eligere, vt in antedictis capitibus probauimus. Ita D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 8. in fin. Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 14. nu. 2. Hoſtienſ. ſum. tit. de conuerſ. coniugat. num. 6. verſ. ſolutio, Vega 2. tom. ſummæ cap. 34. caſu 48. & alij; ſed probabilius videtur dicendum, non teneri, vt docet Sanchez lib. 7. diſp. 38. num. 18. & patet ex extrauag. antiquæ Io: 22. de voto, in qua ſic habetur. *Ad ingreſſum huiuſmodi ſic ordinatum, ſi matrimonium conſummatum non fuerit, per diæceſanum inſtanter moneri præcipimus*. Igitur textus non intelligit id eſſe faciendum ex præcepto, ſed ex conſilio; idem docet Hẽriquez lib. 11. de matrim. cap. 5. num. 10. Filiuc. tr. 10. de imped. cap. 4. num. 148. Ludouicus Lopez 1. par. inſtructorij cap. 50. §. ecce iſte, & alij, tenetur tamen obſeruare votum non petendo, ſed reddendo, modo tamen explicato num. 13. in fin. ſcilicet non petendo coactè. Si autem vir aſcenderit ad ordines ſacros conſummato matrimonio; tunc ſi fuerit reuocatus ab vxore poterit tantum reddere; ſed non petere, vt ſupra; vt idem Filiuc. loc. cit. Sanchez num. 21. Azor. eod. loc. q. 1. & idẽ affirmat in q. 6. eſſe dicendum de Græco promoto ad ordines ſacros poſt conſummatum matrimonium abſq; licentia vxoris; & eandem doctrinam tradit D. Tho. 4. d. 37. q. 1. art. 2. ad 1. & quoad Græcos art. 2. ad 3. D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 8. in fin. Sot. 4. d. 38. q. 1. art. 2. concl. 4. Couar. 4. decret. 2. par. cap. 6. §. 3. nu. 2. & alij.

22. Item eſt tertiò notandum, ad virum volentem aſcendere ad ordines ſacros, eſſe neceſſaria non ſolum liberã vxoris licentiam, ſed etiam, vt ipſa vxor monaſterium ingrediatur, ſi fuerit iuuenis, vel ſuſpecta de continentia; ſi autem fuerit ſenex, & non ſuſpecta de incontinẽtia, poterit in ſæculo manere cum voto caſtitatis, vt ſumitur ex Concil. Agathen. cap. 16. & 17. & habetur in cap. Epiſcopus diſt. 77. vbi dicitur. *Sanè ſi coniugati iuuenes conſenſerint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda eſt, vt ſequeſtretur manſionis cubiculo, religione promiſſa, poſteaquam pariter conuerſi fuerint, ordinentur*. Ita Sanchez lib. 7. diſp. 39. num. 6. Filiuc. tr. 10. de imped. cap. 4. num. 149. Sylueſt. verb. diuortium q. 17. dicto 2. & ver. matrimonium 8. q. 12. dicto 4. Tabb. verb. matrimonium 1. q. 5. num. 4. Couar. 4. decret. 2. par. cap. 6. §. 3. num. 3. & ita ſumitur ex D. Thom. 4. d. 37. q. 1. art. 2. ad 2. dum ait. *Vxorem, de cuius licentia vir ordinem ſacrum ſuſcipit, teneri perpetuam continentiam vouere, non tamen teneri religionem ingredi, ſi ſibi non timeat de incontinentiæ periculo*. Nec requiritur licentia Epiſcopi; vt diximus ſupra nu. 8.

Digitized by Google

num. 8. Sed vtrum vxor ſenex cum voto caſtitatis remanſa in ſæculo, poſſit habitare cum coniuge in ſacris, & diſſident Doctores, re tamen vera de iure id non videtur prohibitum, cum etiam Apoſtoli ſecum ducebant vxores, vt ſibi miniſtrarent cap. omninò d. 21. & docet Gloſs. in cit. cap. Epiſcopus ver. ſequeſtrato, & in cap. volumus d. 81. in fin. & ibi Archidiac. Turrecrem. Abbas cap. coniugatus nu. 5. de conuerſ. coniugat. Sanchez loc. cit. nu. 8. & alij. Vnde benè poſſunt ſimul habitare, dummodo nullo modo de incontinentia ſuſpecti ſint, quod cũ difficilè, & periculoſum ſit, non debent ſimul habitare.

23. Sed vtrum vir ordinatus in ſacris de licentia vxoris abſq; voto caſtitatis vxoris, vel abſq; ingreſſu religionis, vt ſupra, poſſit à dicta vxore reuocari ad cõſortium matrimoniale, ſaltem ex iudicis officio? Et negatiuè Doctores citandi reſpondent, ex eo quod vxor dando licentiam, cenſetur obligata ad continentiam carens vſu coniugij, & ex conſequenti priuata iure reuocandi. Ita D. Thom. 4. d. 37. q. 1. art. 2. ad 2. & ibi Richard. art. 2. q. 2. in corp. Palud. ibi q. 1. art. 1. num. 9. D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 8. in fin. Azor. to. 1. lib. 13. cap. 14. q. 1. Sylu. verb. matrimonium 8. q. 2. dicto 3. quod Sanchez lib. 7. diſp. 39. num. 12. cum alijs. Putat verum, quando vxor, quæ licentiã conceſſit, erat conſcia iuris ſtatuentis, quod ipſa facere debeat in tali caſu; ſed quia talis ignorantia, moraliter loquendo, videtur impoſſibilis, cum omnes ſciant, habentes ordines ſacros non poſſe vti matrimonio, & ideò abſolutè à prima opinione non eſt recedendum.

24. At dubium eſt, vtrum vxor, quæ remanſit in ſæculo cum voto caſtitatis, poſsit validè matrimonium contrahere, mortuo marito ordinato in ſacris? Et quamuis aliqui antiquiores affirmatiuè reſponderunt teſte Gloſs. cap. ſi ſe ad fin. d. 28. quos ſequutus eſt, Sot. lib. 7. de iuſt. q. 5. art. 3. in ſolut. ad 2. in fin. ea ductus ratione, quod dictum votum ſit ſimplex, & non ſolemne. Tamen omnes communiter contrarium docent, nempè dictum matrimonium eſſe irritum, quia ſic expreſsè habetur in cap. quia ſunt diſt. 28. quod eſt D. Greg. Pont. lib. 2. epiſt. 59. vbi caſus eſt, quod vxor conſcia promotionis viri ad diaconatũ, eo mortuo, tranſijt ad ſecundas nuptias, vbi ait D. Gregor. *Si in coniugio Diaconi, mulierem de qua agitur, fuiſſe ignarã conſtiterit, ij qui male ſociati ſunt diſiungantur*. Et rem certam eſſe docet Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 14. q. 11. & idem eſſe apud Græcos, idem docet Sanchez lib. 7. diſp. 4. num. 2. vbi quamplures affert, & ſequitur Filiucc. tract. 10. de impedim. cap. 5. num. 151.

25. Aliud dubium eſt, vtrum maritus poſſit promoueri ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum cum eiſdem coditionibus quas diximus requiri, de volente promoueri ad ſacros ordines; & quamuis affirmatiuè reſpondeat Sot. 4. d. 27. q. 1. art. 4. verſ. quod hic de ſeparatione; tamen dicendum eſt, pro motione ad Epiſcopatũ, præter licentiam liberam vxoris, requiri, vt vxor profeſſionem emittat in religione; ita deciſum eſt in cap. ſanè de conuer. coniugat. vbi ſic habetur. *Prohibemus, ne vxoratum præſumatis in Epiſcopum ordinare, niſi vxor prius profeſſa continentiam, ſibi ſacrum velamen imponat, & religioſam veſtem, & vitam aſſumat*. Et meritò quidem ob ordinis Epiſcopalis excellentiam, & ne Epiſcopus hac occaſione poſſet viſitari à fœminis, ita communiter omnes, vt Conar. 4. decret. 2. par. cap. 6. §. 3. num. 3. Maior. d. 32. q. 2. §. pro illa rubrica, Azor. 1. tom. lib. 13. cap. 13. q. 7. Petrus Ledeſma de matrim. q. 64. art. 4. dub. 5. concluſ. 6. Sanchez lib. 7. diſp. 41. num. 2. Filiucc. tr. 10. de imped. cap. 4. num. 152. Sylueſt. ver. matrimonium 8. q. 12. dicto 4. & verb. diuortium q. 17. dicto 2. Angelus ver. matrimonium 4. num. 8. & alij communiter. Ad Cardinalatum autem, licet aliqui idẽ putent eſſe dicendum, tamen, quia nullus textus reperitur ad id obligans, ideò dicendum eſt, idem requiri, quod diximus de ſacris ordinibus, vt Sanchez loc. cit. num. 4. Ex quo infertur, vt ſi religioſus fuerit aſſumptus ad Epiſcopatũ, cuius mulier remanſerat in ſæculo cum voto caſtitatis, teneatur religionem ingredi, & profeſſionem emittere, vt Filiuc. loc. cit.

26 Cle-

Digitized by Google

26 *Clericus per ſponſalia non amittit beneficia; ſed per matrimonium, nec eſt neceſſaria illius cõſummatio; & priuatur etiam talis Clericus quibuſuis vſibus ad beneficium pertinentibus.*

27 *Illegitimus, vel alius inhabilis ad beneficium, ſi obtineat diſpenſationem obtinendi beneficium, & poſtea matrimonium contrahat, poterit mortua vxore, beneficium habere.*

28 *Clericus ſtatim poſt contractum matrimonium tenetur beneficia relinquere, alioquin mortaliter peccabit, & ſi fructus percipiat, tenebitur ad reſtitutionem.*

29 *Clericus inualidè contrahens matrimonium ex quacunq; cauſa, non amittit beneficia, ſed in pœnam eſt illis priuandus per iudicis ſententiam.*

30 *Clericus contrahens inualidè ratione conſanguinitatis, vel ætatis probabiliter ſtatim amittit beneficia; ſed etiam probabile eſt requiri iudicis ſententiam.*

31 *Clericus per matrimonium amittit penſiones, quæ dari ſolent ad modum beneficij, non autem illas, quæ dantur ratione miniſterij temporalis.*

32 *Clericus per matrimonium fruitur priuilegio canonis, & fori, ſi tres conditiones obſeruet.*

33 *Clericus coniugatus nõ amittit dicta priuilegia per competentem negotiationẽ; nec ſi arma deferat.*

34 *Clericus coniugatus ſi dimittat veſtes clericales, & tonſuram pro tunc non fruitur dictis priuilegijs.*

35 *Vxor clerici coniugati non gaudet priuilegio canonis, ſed probabile eſt gaudere priuilegio fori, licet contrarium videatur probabilius.*

36 *Clerici in ſacris, Religioſi, & Moniales, ipſo facto incidunt in excommunicationem nemini reſeruatam ſi contrahãt matrimonium vero affectu cõtrahendi.*

37 *Coniugatus ſuſcipiẽs ordines ſacros abſq; licentia vxoris, fit irregularis.*

26 PRo cõplemento huius capitis, aliqua remanent dicenda circa dãna, quæ incurrit clericus ex eo, quod matrimonium contrahat, vnde quæritur. Vtrũ clericus contrahens matrimonium, beneficia amittat? Sed eſt primò ſupponẽdum ex communi opinione, clericum per ſponſalia non amittere beneficia, & quamuis Lopez 2. par. cap. 49. de matrim. propè finem referat ex communi opinione, talem clericum eſſe dictis beneficijs priuãdum, re tamen vera, nullus id aſſerit, vt benè ait Sanchez lib. 7. diſp. 42. num. 1. in fine, dictam doctrinam tradit Azor. 1. par. lib. 13. cap. 13. q. 6. & 8. Nauar. cap. 25. num. 120. Sylu. verb. beneficium 3. q. 22. & alij omnes. Ad quæſtionem autem reſpondetur affirmatiuè, quando clericus validè contrahit; & quamuis non deſint, qui aſſerant ad id neceſſarium eſſe iudicis ſententiam; tamen contrarium eſt omninò certum, & ratio eſt, quia tale ſtatutum nõ eſt in pœnam alicuius delicti, ob quod eſſet neceſſaria iudicis ſententia, cum nullum delictum committant, imò neque culpam aliquam dicti clerici, contrahendo matrimonium, vt diximus ſupra num. 7. Sed id tantũ conſurgit, quia ſtatum incompatibilem dicti clerici eligunt; dum enim clerici obtinent beneficium, illud aſſumunt cum hac conditione, dummodo perſeuerent in ſtatu clericali. Ita Gloſſ. cap. vnico ver. clericalis de cler. cõiug. in 6. & ibi Io: Andr. num. 3. & omnes alij Canoniſtæ, Syluest. ver. cler. num. 2. verſ. peccat verò, Ang. eodem ver. 5. num. 1. Gigas de penſionibus q. 54. num. 5. & 6. Nauar. cap. 25. num. 120. Couar. 4. decret. 2. par. cap. 6. §. 3. num. 4. D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 8. concluſ. 1. Azor. loco cit. Filiuc. tract. 10. de impedim. cap. 4. num. 153. Sãchez loc. cit. num. 4. & nos ſupra iam diximus cap. 80. num. 10. & alij omnes, quod eſt verum etiam ſi matrimoniũ non adhuc conſummatum ſit, vt idem Azor. q. 8. Nauar. loco cit. Syluest. & alij; imò etiam ſi mulier, ſeu vxor ſtatim decederet non conſummato matrimonio, nec talis clericus poſſet habere, ſeu redire ad ſuum beneficiũ, quamuis non adhuc eſt collatum; quia ſemel extinctum, nõ poteſt reuiuiſcere abſque noua collatione; vt idem Azor. Sylu. Nauar. Ang. Gigas num. 8. Couar. num. 9. Sanch. num. 6. & alij. Inſuper per talem contractum validum matrimonij priuatur clericus omni acceſſu, regreſſu, ac quibuſuis alijs

Digitized by Google

alijs iuribus ad beneficium ſpectantibus; idem Sanchez num.7. Azor.dicto num.8. & alij ex communi opinione.

27. Sed dubium eſt, vtrum illegitimus, vel alias inhabilis ad beneficium, ſi obtineat priuilegium habendi beneficiũ; & poſtea tranſeat ad nuptias, dictum priuilegium ſit omninò irritum? Et idem quæritur de obtinente priuilegiũ habendi plura beneficia; & reſpondendum eſt, dictum priuilegium non eſſe irritum, quia ſi moriatur vxor, benè poterit beneficiarius, ſeu ille, qui obtinuit diſpenſationem dicto priuilegio vti; & ratio eſt, quia per dictam diſpenſationem, vel priuilegium, inhabilis, vel beneficiarius nullum ius acquiſiuit ad beneficium; ſed tantum fuit factus habilis, vt poſſit illud habere, igitur nulla eſt cauſa, quare debet dicto priuilegio, & diſpenſatione priuari. Ita Monachus de filijs Presbyt.in 6. num.12. quem ſequitur Sanchez lib.7.diſp.42.num.9.

28. Et quibus dictis colligitur clericum per matrimoniũ, debere ſtatim omnia beneficia relinquere, alioquin mortaliter peccabit, vt Sylu.Angel.& Nauar. loco cit. Tolet.lib.4.cap.18. num.vlt. & ſi inito matrimonio fructus percipiat, tenetur reſtituere, vt Azor.1.par.lib.5.cap.8. q.3.& nos alibi ſcilicet in capitibus de beneficijs ſupra iam diximus.

29. Sed vtrum idem ſit dicendum de clerico beneficiario, qui inualidè matrimonium contraheret? Et reſpondendum eſt, talem clericum ex quacunq; cauſa inualidè contrahat matrimonium, non ſtatim emittere beneficia, ſed in pœnam, eſſe illis priuandum per iudicis ſententiã; Et ratio eſt, quia, quod nullum eſt, nullum poteſt producere effectum, l.4.§.condemnatus, ff.de ſentent.& re iudicat. ita Io: de Lignano cap.1. de ſpõſal. in 6.& alij, quos ſequitur Sanchez lib.7.diſp.43. num.3.& Filiuc. tract.10. de impedim. cap.4. num. 154.§.dixi ſecũdò, & alijs ſeqq. Et quãuis plures (probabiliter quidem) teneant, clericum in ſacris contrahentem matrimonium ipſo facto perdere omnia beneficia, vt Abb.cap.1.nu.7.de cleric. coniug. Sylu.ver.clericus 2.num.2. verſ.peccare verò, Couar.4.decretal.2.par. cap.6.§.3. nu.4.in fin. Azor.1.par. lib.13. cap.13.q.6. & alij plures; Tamen probabilius eſt dicendum requiri ſententiam iudicis. Patet ex cap. 1. de cler. coniug. vbi de clericis habentibus tantum minores ordines & tranſeũtibus ad matrimonium, dicitur, *Vxores eſſe retinendas, beneficia autem dimittenda*; & de conſtitutis in ſacris, & tranſeuntibus ad matrimonium, tantummodo dicitur, *Vxores eſſe dimittendas*; & ita tenet Io:Andr. cap.Ioan.num.23. de cleric. coniug. & ibi Anchar.num.14. Imola nu. 24.Henric.cap.diuerſis num.11. Sylu.ver. beneficium 3.q.22.Tabb.eodem ver.2.q. 12.num.14.Armil.ibidem num.20.Nauar. cap.25.num.120.Henriq.lib.7.de Indulg. cap.36.num.1.in comment.litt.G. Sanch. loco cit.num.4.& alij multi.

30. Dubitatur etiam de Clerico in minoribus conſtituto, & contrahente matrimonium nullũ ratione conſanguinitatis? Et verè communis opinio Doctorum aſſerit; hunc ſtatim ãmittere omnia beneficia; vt docet Azor.1.par.lib.13.cap.3.q. 6. & 8. & alij quamplures Doctores, quos affert Sanchez lib.7.diſp.43. num.5. Tamen requiri ſentẽtiam iudicis etiam probabile, & tutum eſt, vt docet dictus Sanchez num.3. & num.5.in fine, & Filiuc.loco cit. dum abſolutè noſtram doctrinam, vt in num.29.tradit. Et idem eſt dicendũ ſi matrimonium fuerit nullum reſpectu ætatis, vt idem Azor. loco cit.q.8.docet, Couar.4.decretal.2.par.cap.6.§.4.num.4. Sanchez num.6.& alij plures; & idem etiã dicitur de matrimonio inualido defectu conſenſus; vel ex quauis alia cauſa, vt iam diximus.

31. Sed vtrum Clericus per matrimonium validum amittat penſiones, ſicut diximus de beneficijs? Et reſpondeo breuiter, penſiones, quæ ſolẽt dari ob aliquod miniſterium temporale, vel ſi concedãtur à Summo Pontifice ob aliqua rectè geſta in fauorem Eccleſiæ, non amittuntur per matrimonium, Couar.4. decretal. 2. par. cap.6.§.3.num.6.Azor.1.par.lib.13.q.8. Si autẽ penſiones fuerint collatæ titulo clericali, vel loco beneficij, ſtatim amittũtur per matrimonium, ex eiſdẽ Doctoribus; quibus adde Nauar. cap. quando de conſecr.

ſecr.d.1.cap.21.num.53.Eman.Sà ver.penſio num.4.Sanchez lib.7.diſp.44. num.2.& 5.& nos iam diximus ſupra cap.80.nu.10. Vtrum autem beneficiarius teneatur habere intentionẽ perſeuerandi in ſtatu clericali,iam ſimiliter diximus in d. cap. 80. num.11.

32. Quæſtio tamen eſt, An Clericus in minoribus conſtitutus amittat priuilegia clericalia per matrimonium? Reſpondeo negatiuè,fruitur enim priuilegio canonis,ſi quis ſuadẽte 17.q.4.ac etiã priuilegio fori,prout Clericis conceſſum eſt, cap.2. de for.competen.ſed tres conditiones ſunt tali Clerico coniugato neceſſariæ; Prima,vt ducat vnicam,& virginem, ita vt non contrahat bigamiã;Secunda,vt deferat veſtes clericales,& tõſuram,prout habetur in d.cap.2,de for.compet. Tertia fuit addita a Concil.Trid.ſeſſ.23.cap.6. de reform. ſcilicet, vt dictus Clericus debeat etiam inſeruire alicui Eccleſiæ ab Epiſcopo deputatæ; alioquin nullo modo poterit dictis priuilegijs frui,neq; ad hoc, vt dictis priuilegijs non fruatur, requiritur monitio,aut ſententia iudicis declaratoria; quia hic non agitur de pœna ratione debiti, ſed de requiſitis ad priuilegia Clericorum fruenda,vt Abbas cap.Ioannes num.4.de Cleric.coniug.Sanchez lib. 7.diſp.46.num.19.Angel.verb. excommunicatio 5.num.22. & alij. Sed vtrum hoc priuilegium fori intelligatur, tàm pro cauſis ciuilibus;quàm criminalibus? Et licet plures affirmatiuè reſpondeant; Tamen probabilius negatiuè reſpondendum eſt, ſed ſolum dictum priuilegium extendi ad cauſas criminales, ſiuè criminaliter agatur petendo vindictam, ſiuè ciuiliter petendo intereſſe damni illati, ita Io: Andr. in cap.vnico de Cleric.coniug.in 6. num; 2.Archidiac. in fin.Anchar.num.4. notab. 4. Abbas cap. Ioannes num. 3. de Cleric. coniugat.& c. 2. num.7. de for.competen. Azor.1.par.lib.13.cap.vlt.in fine,Sylu.ver. Clericus 1.q.6.Tab.eodem ver.5.num.penult. Couar.q.pract.cap.31.num.7.Sãchez loco cit.num.22. Filiuc. tract.10. de impedim.cap.4.num.156.& alij multi, & quamuis Sylu.Tab. Anchar. loco cit. & alij plures doceant,non ex hoc poſſe iudicem ſecularem, ob cauſam ciuilem talem Clericum in carcerem conijcere,ob excommunicationem canonis contra imponentes manus violentas in Clericos; nam inijcere manus in debitorem, in quẽ iudex habet authoritatem ciuilem; non eſt manus violẽtas,ſed iuſtas inijcere,tamen contrarium eſt omninò verum, vt praxis docet apud tamen Hiſpanos, teſte Sãchez num. 23.in fine, quam ſententiam tenet etiam Filiuc.tract.10. de imped. cap.4.num.156. & alij apud ipſos.

33. Altera quæſtio eſt, vtrum Clericus coniugatus, ſi negotiationibus vacet, fruatur priuilegijs?Et negatiuè plures reſpondent, quia negotiari cum habito, & tonſura eſt in opprobrium ſtatus clericorum vt habetur cap. Ioannes de cleric. coniugat. nec debet frui priuilegio legis; in quam quis delinquit cap. quia fruſtra de vſuris, quæ quidem opinio probabilis eſt, & illam docet Io: Andr. cap. vnico num.3.de cler.coniugat. in 6. Archidiac. ibi num.1.Iulius Clarus lib.5.§.fin. q. 36. num.12.Farinac.pract. tit. de inquiſ. q. 8. num. 93. & alij. Probabilius tamen eſt dicendum,dictum clericum coniugatũ frui dictis priuilegijs, ſi licitè negotietur, ſcilicet cauſa victus, licet id ſit alijs Clericis interdictum;colligitur ex cap. Ioannes de clericis coniugat. vbi dicitur. *Nec huic indecens eſt negotiationi honeſtè vacare*. Angelus verb.clericus 9.num. 3. Syluest. eodem ver.3.q.3.Tabb.dicto verb.3.q.1.nu. 2.Couar. quæſ.pract.cap.31.num. 8. verbo ſextò, Azor.1.par.lib.12. cap. vlt. in fin. qui etiam ait, talem clericum frui dictis priuilegijs, etiã ſi arma deferat, quod licet impugnatur à Sãchez lib.7.diſp. 46. num. 26. tamen dicta ſententia vera eſt, dummodo portet veſtes clericales, & tõſuram, quod non videtur ſupponere Sanchez in clerico deferente publicè arma,& ideò negat frui priuilegijs.

34. Sed dubium eſt, vtrũ dictus clericus coniugatus ſi deponat veſtes clericales, & tonſuram,ita amittat priuilegia clericalia, ita vt illa recuperare nequeat? Et quidquid aliqui Canoniſtæ dicãt; certũ tamen eſt,illa tantum amittere pro illo tempore, quo dictas veſtes, & tonſuram

non

non defert, quia dicta priuilegia conceduntur cum dictis conditionibus, quoad exercitium, ſcilicet, vt tunc tantum clericus poſſit illis vti, dummodo obſeruet dictas conditiones, & oſtendit ſe eſſe ex ſtatu clericali; & confirmatur, quia clericus nunquam priuatur ſtatu clericali quoad proprietatem, ſed tantum quoad vſum, vt docet Alex. de Neuo conſil. 62. à num. 6. idem docet Innoc. cap. fin. de vit. & honeſtat. cleric. in fin. & ibi Hoſtienſ. nu. 9. Anchar. num. 5. qui aſſerunt, clericos negotiatores amittere priuilegium clericale, ad id tamen redire, dimiſſa negotiatione; & idem expreſsè habetur in Clement. 1. de vita, & honeſt. cleric. ſequitur Sãchez lib. 7. diſp. 26. num. 29. D. Antonin. 3. par. tit. 24. cap. 1. verb. de percutiente, Angel. verb. excommunicatio 5. nu. 23. Syluest. eodem ver. 6. num. 4. verſ. ſi autem talis, Tabbien. dicto ver. 5. num. 27. Couar. q. pract. cap. 31. num. 8. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 36. num. 15. Filiuc. tr. 10. de imped. cap. 4. num. 135. §. dices quartò, & alij. Ex qua doctrina colligitur, clericum coniugatum mortua vxore, frui priuilegijs, quibus initiati prima tonſura gaudent, ſi ad miniſteria clericorum redierit, idem Sanchez num. 30. & alij citati, ac etiam Azor, 1. par. lib. 12. cap. vlt. q. vlt.

35. Aliud dubium eſt, vtrum vxor clerici coniugati fruatur etiam priuilegio fori, & canonis? Et quod non fruatur priuilegio canonis, certum eſt ſcilicet, ſi quis ſuadente 12. quæſt. 4. quia eſt tantummodo priuilegium perſonale, quoad priuilegium fori, multi, & quidem probabiliter affirmatiuè reſpondent, nam maior pars attrahit ſecum minorem, & caput membra; vnde cum maritus ſit caput, iuxta ea, quæ ad externum forũ ſpectant, debet etiam trahere vxorem, alioquin iniuria fieret ſtatui clericali; quod pluribus, & alijs rationibus probant Angelus ver. excommunicatio 7. caſu 5. nu. 8. Syluest. verb. excommunicatio 9. num. 21. Tabbien. eodem ver. 5. caſu 18. q. 7. nu. 8. Abbas de foro compet. cap. 2. num. 7. & ibi Imol. num. 3. & alij plures; contrarium tamen videtur Sanchez probabilius lib. 7. diſp. 47. num. 3. Quia tale priuilegium eſt perſonale ratione ſtatus clericalis, in quo nihil communicat cum vxore, vnde nihil in priuilegijs ratione dicti ſtatus vxor frui debet. Idem docet Alex. de Neuo cap. 2. de for. compet. num. 21. & ibi Anton. num. 6. & alij. Tenentes autem primam ſententiam, ſciant talem vxorem poſſe frui dicto priuilegio fori, dum maritus ſuperſtes erit, ſecus autem poſt mortẽ; & eadem doctrina eſt de vxore, de cuius licentia vir aſcendit ad ordines ſacros, nam Abb. ca. 2. num. 9. de for. compet. ait, illam frui omnibus priuilegijs, & ſic etiã alij, Imola autem de for. compet. cap. 2. num. 3. Felinus ibidem num. 3. & Aret. ibi num. 10. Id tantum concedunt vxoribus Græcorum. Secùs latinorum; ſed probabilius putat Sanchez talem vxorẽ nullo priuilegio frui ob rationes dictas.

36. Tertium dubium eſt, vtrum habẽtes ordines ſacros, Religioſi, conſanguinei, affines, &c. incurrant in excommunicationẽ. Si matrimonium contrahat? Ad quod reſpondet Clementina vnica de conſanguin. his verbis. *Eos, qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis conſtitutione canonica interdictis, aut cũ monialibus contrahere matrimonialiter nõ verentur, nec non religioſos, & moniales contrahentes, refrenare metu pœnæ ab huiuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipſos ſub excõmunicationis ſententia ipſo facto decernibus ſubiacere.* Ex quibus verbis colligitur tria genera perſonarum incurrere in dictam excommunicationem, quæ non eſt reſeruata nempè, inceſtuosè contrahentes in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, religioſi, & moniales, ac clerici exiſtentes in ordinibus ſacris, vnde fœmina, cum qua religioſi, vel dicti clerici exiſtentes in ſacris contraherent, non incurrerent in dictam excommunicationem. Ita Caiet. in ſum. ver. excommunicatio cap. 47. D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 34. & alij, ſecus eſt dicendum de fœmina contrahente cũ cõſanguineo; iſta etiã incurrit in excõmunicationẽ, quia oẽs cõsãguinei, & affines cõtrahẽtes excõmunicãtur; neq; dicta excõmunicatio extenditur ad cõſulentes, &c. vt volebat Sylu. ver. excõmunicatio 9. n. 79. quia id non eſt expreſsũ in iure, vt

Digitized by Google

benè docet Caiet. verb. excommunicatio cap. 47. Tabbien. eodem verb. 5. caſu 49. num. vlt. Nauar. cap. 27. num. 145. nec ſimiliter Parochus aſſiſtens dictorum matrimonio in excommunicationem incidit, vt benè probat Sanchez lib. 7. diſput. 48. num. 4. Tabbien. loc. cit. & alij contra Nauar. Caiet. & alios exiſtmantes illum incurrere; non autem quis incidit in dictam excommunicationem, ſi ignoranter contrahat, vel fictè conſentiat, quia excommunicatio fertur contra voluntatẽ, & affectum contrahẽdi in dictis gradibus prohibitis, vt aduertit Sanchez loc. cit. num. 9. D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 34. Syl. ueſt. verb. excommunicatio 9. num. 78. Couar. 4. decret. 2. par. cap. 3. §. 2. num. 8. & §. 7. num. 2. concluſ. 2. & alij, & idem dicitur de contrahente ex metu cadente in virum conſtantem; vt ijdem Doctores, & alij cum Sanchez num. 12.

37. Quartum, & vltimum dubiũ eſt, vtrum coniugatus ſuſcipiens ordines ſacros abſq; vxoris licentia, fiat irregularis, & ſimiliter habens ordines ſacros, matrimonium contrahens? De hoc ſecundo, dicemus infra agendo de impedimẽto ligaminis, quoad primum autem reſpondeo affirmatiuè etiam ſi matrimoniũ conſummatum non fuerit, & etiam ſi poſtea de communi conſenſu religionẽ profiterentur, patet ex extrauag. Ioannes 22. antiqua de voto, Soto 4. diſt. 27. q. 1. ar. 4. & d. 38. q. 1. ar. 2. concluſ. 3. Azor. 1. par. lib. 13. cap. 14. q. 3. Sanchez lib. 7. diſp. 49. nu. 2. requiritur autem præſumptio, & temeritas, vnde quælibet ignorãtia, licet craſſa, dũmodo nõ ſit affectata, excuſat ab hac pæna; nã pæna præſumenti impoſita, dolũ requirit, & nõ ſufficiet ignorãtia craſſa, vt idem Sanchez num. 3. Quod eſt verũ etiã in cenſuris poſitis contra præſumentes, vt ſuo loco fuſiùs dicemus. Si autem dictus coniugatus inualidè contraxerat matrimonium; ſuſcipiendo poſtea ordines ſacros, non incurrit irregularitatem, quia verè coniugatus non erat, vt docet Sanchez num 4. apud quem alia videbis.

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS CARNALIS SPIRITVALIS, ET LEGALIS.

Quid ſit conſanguinitas, qui eius gradus, & quonammodo matrimonium dirimat. Cap. CV.

1 *Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum.*

2 *Conſanguinitas diuiditur in gradus, & lineam, linea triplex eſt, aſcendentium, deſcendentium, & lateralis, ſeu tranſuerſalis.*

3 *Declarãtur tres regulæ, quibus cognoſcuntur gradus conſanguinitatis, & eorum diſtantia.*

4 *Inualidum eſt matrimonium inter conſanguineos vſq; ad quartum gradum, de iure autem naturali diuino, tantum in primo gradu lineæ rectæ eſt prohibitum matrimonium.*

5 *In primo gradu lineæ lateralis cõtrahi matrimonium non poteſt, niſi cum diſpenſatione Summi Pontificis inter Principes ob publicas cauſas.*

6 *Cognatio ſpiritualis eſt quædam propinquitas, proueniens ex ſtatuto Eccleſiæ.*

7 *In Baptiſmo ſolemni, & non in priuato contrahitur cognatio ſpiritualis inter tenentes, & baptizatum.*

8 *Requiritur ad hanc cognationem, vt ambo patrini ſuſcipiant baptizatum de manu baptizantis, cum intentione facien-* di

Digitized by Google

di ſaltem, id quod faciat Eccleſia, vel prætendit Eccleſia.

9 *Dicta cognatio ſpiritualis poteſt contrahi etiam per procuratorem tenentem baptizatum.*

10 *Quilibet baptizatus habens vſum rationis eſt legitimus ſuſceptor, & ad confirmationē requiritur, vt ſit etiā confirmatus.*

11 *Cognatio legalis eſt legitima aſſumptio extraneæ perſonæ in filium, vel neptē, &c.*

12 *Adoptio duplex eſt perfecta, & imperfecta, & in quinque differunt, perfecta vocatur arrogatio, & fit tantum à Principe interrogante, &c.*

13 *Multæ cōditiones de iure communi requiruntur, vt quis adoptare poſſit, & poteſt adoptari tàm maſculus, quàm fœmina dummodo ſit præſens.*

14 *Sex modis ſoluitur adoptio, per mortem naturalem adoptantis, per mortem ciuilem, &c.*

15 *Cognatio legalis eſt propinquitas ex adoptione proueniens, & contrahitur inter tria genera perſonarum.*

16 *Cognatio legalis, ſiuè proueniat ex adoptione perfecta, ſiuè imperfecta, dirimit matrimonium.*

17 *Cognatio legalis impedit, & dirimit matrimonium inter omnes, cum quibus ipſe contrahit.*

18 *Impedimentum cognationis legalis, non eſt perpetuum reſpectu collateralium, ſeu filiorum adoptantis.*

1 Conſanguinitas, vt ab eius etymologia incipiamus, eſt quaſi ſanguinis vnitas, & conſanguinei dicuntur eo, quod ab vno ſanguine originē trahūt; Vnde conſanguinitas, prout definitur à D.Thoma 4. d.40. q. vnica art.1. & communiter Theologi, & Iuriſperiti. Eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum. Dicitur vinculum non formaliter, ſed quatenus cōſanguinei connectuntur in vno ſanguine. Dicitur perſonarum ad differentiam brutorum, quæ non coniunguntur ob amicitiæ vnitatem ad propagationem multorum ex vno ſtipite immediatè dependentium, vt D.Thom. loco cit. num.5. Additur ab eodem ſtipite, ſcilicet propinquo, cuius virtus perſeueret ſecundum quandam ſimilitudinem indiuiduam in deſcendentes; nam ſecundum ſtipitem remotum, & iuxta ſimilitudinem ſpecificam, omnes poſſent dici conſanguinei Adami. Dicitur carnali propagatione contractum, ad differentiam Angelorum, qui proceſſerunt immediatè ab ipſo Deo; nec ſimiliter Eua fuit conſanguinea Adamo, quia non proceſſit ab eo per carnalem propagationem; fuit tamen vera conſanguinitas inter Chriſtum Dominum, & Beatā virginem, quia adminiſtrauit totam materiam, quam matres naturales adminiſtrare ſolent, & ideò D.Thom. 3.par. q.33. art.4. in corp. ait, generationē Chriſti ex parte materiæ ei miniſtratæ à matre, fuiſſe naturalem.

2. Diſtinguitur autem conſanguinitas per lineas, & gradus. Linea eſt ordinata collectio perſonarum ab vno ſtipite deſcendentium diuerſos continens gradus; ſeu diuerſas perſonas in ſanguine conuenientes. Gradus eſt habitudo, ſeu menſura diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur quota conſanguinitatis diſtantia aliqui conſanguinei coniungantur; & ſunt dicti gradus ad modum ſcalæ, per quam ab vno gradu in alium tendimus, ſiuè ſeorſum aſcenſuri, ſiuè deorſum deſcenſuri, l.Iuriſconſultus, verſ. gradus, ff. de gradibus. Deinde dicta linea conſanguinitatis eſt triplex, nempè aſcendētium, in qua continentur perſonæ, à quibus deducitur origo, vt pater, auus, proauus, atauus, alia dicitur linea deſcendentium, quæ cōtinet in ſe perſonas ab eodē ſtipite originem trahentes, vt filios, nepotes, pronepotes, & trinepotes; quæ duplex linea, in re eſt vna, quia eodē gradu aſcenditur, & deſcenditur, & quatenus aſcenditur ad ſtipites, dicitur linea aſcendētium, quatenus deſcēditur ad ſobolem ex ſtipite, dicitur linea deſcendentium, & ideò ambæ hæ lineæ vno nomine, vocatur linea recta. Alia dicitur linea collateralis, ſeu tranſuerſalis, in qua continentur perſonæ, quæ ex latere, & ex tranſuerſo coniunctæ ſunt, & vna non ducit originem ex altera, licet ex eodem ſtipite, & ſanguine de-

Digitized by Google

deſcendent, vt fratres, & eorum filij, patruus, & amita. Et hæc linea tranſuerſalis duplex eſt; vna æqualis, in qua continentur gradus conſanguineorum, æquè à ſtipite diſtantium; vt ſunt duo fratres, aut duorum fratrum filij; Alia dicitur linea inæqualis, & eſt quando conſanguinei tranſuerſi, ſeu collaterales diſtant inęqualiter à communi ſtipite, in quo vniuntur; vt patruus, & amita reſpectu conſobrini; diſtat enim conſobrinus ab illis ſecundo gradu diſpari; quia patruus, & amita diſtant à communi ſtipite, nēpè ab auo conſobrini, in vno gradu, & conſobrinus, tanquam nepos diſtat à dicto ſtipite in duobus gradibus.

3. Tres autem regulæ aſſignantur à D.Tho. & communiter ab omnibus in 4. d.40. q.1. art. 2. ad computandos gradus conſanguinitatis, prima eſt in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, vna ſemper dēpta, vt v.g. pater, & filius, licet ſint duæ perſonæ, non tamen ſunt duo gradus, quia dempta vna, altera tantum ſupereſt, & ſic pater, & filius erunt in primo gradu. Sic etiam pater, & nepos ſunt in ſecundo gradu, quia licet ſint tres perſonæ, dempta vna, remanent duæ, & ſic duo gradus. Secunda regula eſt in linea collaterali, ſeu tranſuerſali æquali, vbi in illo gradu perſonæ diſtant inter ſe, in quo diſtant à communi ſtipite, v.g. duo fratres, vno gradu diſtant à communi ſtipite, & ſic vno gradu diſtant inter ſe; filij autem duorum fratrum, quoniam in duobus gradibus diſtant inter ſe à communi ſtipite, ſcilicet ab auo; ideò in duobus gradibus diſtant inter ſe; Tertia regula eſt pro linea collaterali inæquali, in qua conſanguinei eo gradu diſtāt inter ſe, quo gradu alter magis remotus diſtat à communi ſtipite, vt v.g. nepos diſtat à ſuo patruo in duobus gradibus, quia in duobus gradibus diſtat ab auo communi ſtipite, & ſi dictus nepos haberet filium, dictus filius diſtaret in tribus gradibus à dicto patruo ſui patris, quia in tribus gradibus ipſe diſtat à communi ſtipite, ſcilicet à proauo, & ita ſunt computandi dicti gradus in materia matrimonij, tàm in foro Eccleſiaſtico; quàm ſęculari, vide Sanchez lib.7. diſp.50. à nu. 4. Sylu. ver. matrimonium 8. q.6. & 7. quibus poſitis.

4. Dico, inualidum eſſe matrimoniū contractum inter conſanguineos vſq; ad quartum gradum incluſiue; ſic enim definitum eſt primò ab Innocent. III. cap. nō debet de conſanguin. & affin. & poſtea fuit confirmatum à Concil. Trid. ſeſſ.24. cap. 5. de reform. Reſpectu verò aſcendentium in linea recta, eſt prohibitum matrimoninm non ſolum iure Eccleſiaſtico; ſed etiam iure naturæ in primo gradu tātum, vt cum multis alijs probat Sanchez lib.7. diſp.51. num.13. & 19. contra alios multos, quos refert num.12. & ratio eſt, quia auus, & cęteri aſcendentes, non ſunt principium nepotum per ſe, ſed tantum per accidens, & ſic iure naturæ ſpectato; quaſi per accidens ei reuerentia debetur, cum bene poſſint eſſe filij ſine auo, vt fuerunt in Adamo; nec auus habet rationem genitoris reſpectu nepotis; Vnde non eſt verum id, quod aliqui volebāt, maiorem reuerentiam eſſe præſtandam auo, quam patri; Ita expreſsè videtur ſentire D.Tho. 2.2. q.154. art.9. in ſolut. ad 3. vbi ait; *In commixtione perſonarum coniunctarum aliquid eſſe, quod eſt ſecundum ſe indecens, & repugnans naturali rationi, ſicut, quod commixtio fiat inter parentes, & filios, quorum eſt per ſe, & immediata cognatio, alias verò perſonas, quæ non coniunguntur per ſeipſas, ſed per ordinem ad parentes, non habere ita ex ſeipſis indecentiam; ſed variari circa hoc decentiam, vel indecentiam ſecundum conſuetudinem, & legem humanam*; & in 4. d.40. q.1. art.3. in corpore aſſignans gradus conſanguinitatis iure naturæ vetitos, in reſponſione ad 1. tantum meminit primi gradus in linea recta. Non tamen omninò negatur non adeſſe aliquam indecentiam naturalem: niſi honeſtetur aliqua graui cauſa, vt notat Ledeſma, & alijs cum Sanchez loc. cit. num.20.

5. Vtrum autem iure naturæ ſit etiā irritum matrimonium in primo gradu lineæ lateralis? Et tam pro parte negatiua, quam affirmatiua ſunt quamplures, & graues authores, quos refert Sanchez lib. 7. diſput. 52. num.10. & 11. & licet

ipſe

ipſe partem affirmatiuam ſequatur, negatiuam autem valdè probabilem vocat; vnum tamen eſt certum, nempè ex Concil. Trid. ſeſs. 24. cap. 5. in fin. haberi, vt tãtum cum magnis principibus, & ob publicam cauſam diſpẽſetur in ſecundo gradu conſanguinitatis, & ita praxis docet.

6. Quoad cognationem ſpiritualem dico, eſſe quandam perſonarum propinquitatem ex ſtatuto Eccleſiæ conſurgentem ob collationem baptiſmi, & confirmationis, de qua, & circa quas perſonas conſurgat dicta propinquitas, ſeu cognatio, iam diximus in ſacramento baptiſmi, & confirmationis; pauca tamen etiã nunc dicemus. Vnde dico, dictam cognationem ſpiritualem dirimere matrimonium ex ſtatuto Eccleſiæ. Ita D. Thom. 4. d. 43. q. 1. art. 1. & communiter omnes cum Sãchez lib. 7. diſp. 54. num. 2. & ſumitur ex Trid. ſeſs. 24. cap. 2. quod intelligitur, ſi præcedat matrimonium, nã per quodlibet ſubſequens impedimentum, non poteſt annullari matrimonium.

7. Ad contrahendam autem dictam cognationem ſpiritualem, neceſſe eſt, vt tenentes, teneant baptizatum in baptiſmo ſolemni in Eccleſia facto; quia ſi puer eſſet baptizatus Domi, & poſtea cæremoniæ ſupplerentur in Eccleſia, non contraheretur cognatio ſpiritualis, & ratio eſt, quia affinitas contrahitur ratione ſacramenti, & cum dictæ cæremoniæ non ſint ſacramentum, non conferunt dictam cognationem ſpiritualem, Sanchez lib. 7. diſp. 62. num. 14. ex Sot. 4. d. 42. q. 1. art. 1. Suar. 3. par. q. 67. art. 8. dub. vlt. Baptizans autem ſiuè priuatim, ſiuè ſolemniter in Eccleſia ſemper contrahit cognationem; licèt ſit laicus, vel fœmina; vt idem Sanchez loc. cit. num. 10. Sot. ibidem art. 5. ad fin. D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 15. §. 3. Nauar. cap. 16. num. 34. in fin. & cap. 22. num. 40. in fin. & alij.

8. Eſt etiam neceſſe, vt compater, & cõmater ſtatim ſuſcipiant puerum baptizatum de manu baptizantis, alioquin ſi compater ſuſcipiat de manu cõmatris, vel è contra, non contraheret affinitatẽ, quia nõ poſſet dici ſuſceptor ex ſacro fonte. Ille igitur tantum in tali caſu contraheret, qui primò acciperet baptizatum de manu baptizantis, & vt ambo ſcilicet compater, & commater contrahant, debent ambo accipere de manu baptizantis ex Sanchez loc. cit. nu. 14. Vnde non ſufficit tantum aſſiſtentia compatris, & commatris, vt affinitatẽ contrahant; ſed requiritur, vt phyſicè teneant, ſeu ſuſcipiant baptizatũ, cum expreſſa, vel tacita intentione exercendi munus patrini, & commatris reſpectiuè, vel ſaltem exercendi illum actum, quatenus eſt inſtitutus ab Eccleſia, vt idẽ Sanchez lib. 7. q. 58. num. 4. Angelus ver. matrimonium 3. impedim. 7. num. 16. Sufficit enim ad contrahendam affinitatem, vt quis habeat v. g. intentionem baptizãdi, vel faciendi id, quod facit Eccleſia, vt dictam affinitatem, velit, nolit, contrahat, quia cognatio non pendet ex voluntate, ſed eſt acceſſorium actui baptiſmi, vel confirmatiònis, vnde Nauarr. ſumma Hiſpana cap. 22. num. 38. ait, compaternitatem contrahi à tenente in baptiſmo, vel confirmatione, licèt teneat animo, vt non efficiatur compater, & Suar. 3. p. q. 62. ar. 8. dub. vlt. & Emanuel Sà verb. matrimoniũ de impedimentis dirimentibus num. 5. aſſerunt, non ſufficere actionem externam, ſed requiri intentionem aliquam faciendi, quod alij patrini efficiunt, ſeu exercendi actum illum ab Eccleſia inſtitutum.

9. Sed vtrum dicta cognatio ſpiritualis contrahatur per procuratorem? Reſpondeo affirmatiuè cum Bonacc. q. 3. de impedim. pun. 5. §. 2. num. 34. licet contrarium probet Sanch. lib. 2. diſp. 59. n. 4. vbi quamplures affert, & ſequitur Filiucc. tract. 10. de impedim. cap. 5. num. 192. Reginald. lib. 31. num. 156. & alij; Tamen probabilior videtur opinio Bonacc. alioquin Eccleſia non permitteret, vt medijs procuratoribus poſſint fideles tenere ad baptiſmũ, quod patet ex communi vſu; & ita declaraſſe S. Congregationem teſtatur Nauarr. lib. 5. conſil. in fine apud dictum Bonac. vbi plures affert.

10. Deinde, quilibet baptizatus habens vſum rationis, eſt legitimus ſuſceptor, & contrahit dictam cognationem ſpiritualem, vt Sanchez lib. 7. diſp. 61. nu. 4. Ve-

4. Vega 1. tom. ſummæ cap. 33. caſu 39. & alij; Et idem dicitur de baptizante; ſed ſi eſſet infidelis non contraheret cognationem ſpiritualem, quia infideles non ſubijciuntur Eccleſiæ, ex cuius intentione contrahitur dicta cognatio ſpiritualis, vt Valent. tom. 4. diſp. 4. q. 2. punct. 3. Sot. 4. d. 42. art. 4. & alij. Ex qua doctrina infertur, quod etiam tenentes ad confirmationem, neceſſe eſt, vt ſint confirmati; ſicut tenentes ad baptiſmum, debẽt eſſe baptizati, ita Valent. loc. cit. Sanchez lib. 7. diſput. 60. num. 20. Suarez 3. par. q. 72. art. 10. in fin. & alij, licet multi contrariũ aſſerant, nempè dictos tenentes non confirmatos contrahere cognationem ſpiritualem. Ita Palud. 4. d. 42. q. 1. art. 1. concluſ. 3. num. 8. Sot. ibidem d. 42. q. 1. ar. 13. verſ. ex quo fit, & alij, ſed prima opinio probabilior eſt, & patet ex cap. in baptiſmate de conſecr. d. 4. vbi ſic dicitur. *In Baptiſmate, vel in Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus.*

11. Circa cognationem legalem, dico, eſſe legitimam aſſumptionẽ extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, vel in filiam, vel neptem, & deinceps. Ex D. Tho. quem omnes ſequuntur 4. d. 42. q. 2. ar. 1. Vnde non poteſt quis adoptari in fratrẽ, vel parentem l. nec apud C. de hæred. inſtitut. dixi legitimam aſſumptionem, quia adoptio niſi fiat iuxta formam à iure preſcriptam, nulla erit, nec poterit impedire matrimonium, vt Hoſtien. cap. vnico nu. 1. de cognat. legal. & ibi Io: And. num. 1. Abbas num. 3. Anchar. num. 3. Angelus verb. adoptio num. 3. Sylueſt. ibid. q. 8. Sãchez lib. 7. diſp. 63. num. 18. Additur extraneæ perſonæ, ad excludendum conſãguineos, ſcilicet filios, vel hæredes, qui autem nõ ſunt filij, vel hæredes adoptari poſſunt, quia cenſentur extranei reſpectu gradus, ad quem adoptantur; alias particulas iam declaraui primo loco.

12. Duplex autem eſt adoptio; quædam perfecta, & eſt illa, per quam adoptatus tranſit in adoptantis poteſtatem, & illi ſuccedit, & dicitur arrogatio; alia eſt imperfecta, quæ alio modo vocatur ſimplex adoptatio, & per hanc adoptatus nõ tranſit in adoptantis poteſtatem, ita habetur apud inſtit. §. Adoptio, & in quinq; differunt hæ adoptiones inter ſe. Primò per ſimplicẽ adoptionem, adoptatus non tranſit in adoptantis poteſtatem, nec eſt eius hæres neceſſarius ex teſtamento, benè tamen ab inteſtato; at per arrogationẽ, adoptatus tranſit in adoptantis poteſtatẽ, & fit eius hæres neceſſarius ad inſtar filij naturalis. Secũdò differunt, quia adoptari poteſt, qui non eſt ſui iuris, vt filius ſub patria poteſtate conſtitutus; at arrogari nequit, niſi qui ſui iuris eſt, nempè emancipatus, & liber homo, alioquin manens ſub poteſtate vnius, non poteſt ſe tradere ſub poteſtate alterius, l. 2. §. vltimo ff. de adopt. Tertiò differunt, quia adoptio poteſt fieri per quemlibet iudicem competentem habentem plenam actionẽ, ideſt merum, & mixtum imperium. Arrogatio autem fit ſola Principis auctoritate l. 1. C. de adopt. & inſtit. eod. tit. in princ. Quartò differunt, quia arrogator tenetur ſatisfacere in reſtituendo bona arrogati illis perſonis, ad quas eſſent peruentura, ſi arrogatus manſiſſet in ſuo ſtatu l. nec ei §. finali ff. de adopt. Vltimò in adoptione non requiritur verbum vtriuſq; expreſſum, at in arrogatione requiritur verbũ vtriuſq; Neceſſe eſt enim vt Rex interroget arrogantem, vis habere hunc in filium, nepotem, vel pronepotem, & arrogans reſpõdeat, volo. Rurſus vt interroget arrogatum, vis habere hũc in patrem, auum, vel proauum, & ipſe reſpondeat, volo, & deinde Rex vel Princeps exprimat ſibi placere. Ideò infans adoptari poteſt, non autem arrogari, l. in adoptionib. l. 2. ff. de adopt. ex Sanchez lib. 7. diſp. 63. num. 2.

13. Vt autem aliquis adoptare poſſit, multas conditiones debet habere de iure communi, prima, vt adoptans ſit ſui iuris, & maior annis 25. Secunda vt ſit vir, fœmina enim non poteſt niſi habeat priuilegium Principis; quia nec filios carnales habẽt ſub poteſtate. Tertia vt poſſit generare, ſcilicet, vt non habeat defectum naturalem, ob quem non poſſit generare, ſecus ſi illum habeat ex accidenti. Vnde frigidi adoptare nõ poſsũt l. 2. ff. de adopt. quarta, vt adoptans excedat in ætate adoptatum.

ptatum. Ita, vt poſſet eſſe eius pater naturalis. Arrogare autem nequit, qui non habet ann. 40. hęc omnia reperies apud inſtit. de adopt. & tradit Syluest. ver. adoptio q. 5. Vnde Sacerdos poteſt adoptare, quia potens eſt ad generandum, Idē Syluest. loc. cit. Hostienſ. cap. vnico num. 4. de cognat. legat. & ibi Abbas num. 4. Poteſt etiam quilibet adoptari tam maſculus, quam fœmina, dummodo ſit pręſens; abſens enim nec adoptari, nec adoptare poteſt, nec per procuratorem l. neque, & l. poſt mortem §. neq; ff. de adopt. Syluest. q. 2. & 6. & latè Angelus verb. adoptio num. 4.

14. Sex deniq; modis ſoluitur adoptio; nempè morte naturali adoptantis, morte eius ciuili, ob nuptias inceſtuoſas, ob dignitatem, vt Epiſcopalem, per ſententiam, per mancipationem, quod latius tradit Palud. 4. d. 42. q. 1. art. 2. quibus notatis.

15. Cognatio legalis ſic communiter definitur. Eſt propinquitas ex adoptione proueniens, dicitur propinquitas ob ſimilitudinem cognationis carnalis, dicitur ex adoptione ad ſignificandam eius cauſam, & differentiā à cognatione carnali. Contrahitur autem cognatio legalis. Primò inter adoptantem, & adoptatum, ac adoptati deſcendentes, inſtit. de nuptijs §. ergò non omnes, & l. quin etiam 55. de ritu nuptiarum. Secundò per lineam lateralem inter adoptatum, & filios carnales adoptantis. Inſtit. de nupt. §. inter ea, & l. per adoptionem 27. ff. de ritu nuptiar. & in iure Canon. cap. vnico de cognat. legali, & cap. per adoptionem ex Paſchali Pontifice 30. q. 3. Tertiò contrahitur inter adoptantem, & vxorem adoptati, & è contra inter adoptatum, & vxorem adoptantis l. adoptiuus 14. ff. de ritu nuptiar. quam doctrinam tradit etiam D. Thom. 4. d. 42. q. 2. art. 3. in corp. & communiter omnes.

16. Vtrum autem cognatio, quæ oritur ex adoptione imperfecta, vt num. 12. impediat, & dirimat matrimonium, an tantūmodo cognatio, quæ oritur ex adoptione perfecta, quæ vocatur arrogatio? Reſpondeo iuxta probabiliorem opinionem, tantum cognationem, quæ oritur ex adoptione perfecta, impedire, & dirimere matrimonium, quia per hanc tantū adoptatus tranſit in domum, & poteſtatē adoptantis, & leges ſupra citatæ ad effugiendam fornicationem introduxerunt hanc cognationem, quod periculum non videtur eſſe cum adoptato extra poteſtatem adoptantis manentem. Ita Sanchez lib. 7. diſp. 63. num. 9. Bonac. de impedim. q. 3. punct. 5. §. 3. nu. 1. §. dicitur extraneæ perſonæ, Filiucc. de imped. cap. 5. nu. 199. Reginal. lib. 31. num. 158. & ſeqq. & alij; qui tamen Doctores aſſerunt contrariam opinionem eſſe etiam probabilem, quæ aſſerit, etiam cognationē imperfectā impedire, & dirimere matrimonium, & ratio eſt, quia iura indiſtinctè loquuntur, & licet omninò non tranſeat adoptatus imperfectè in poteſtatem adoptantis, requiruntur tamen ei aliqua iura; quæ per emancipationem diſſoluūtur, vnde licet non adſit adeò propinquum periculum fornicationis in tali adoptatione; adhuc tamen adeſt, & graue; & ideò probabiliorem puto hanc ſententiam, quam ex Theologis tenet Scot. 4. d. 42. q. vnica Richar. ibi art. 2. q. 2. ad 2. Palud. q. 1. ar. 2. nu. 25. D. Antoninus 3. par. tit. 1. ca. 13. P. Sot. lect. 11. de matrim. §. de cognatione legali, Tolet. lib. 7. cap. 4. num. 7. Ludouic. Lopez 2. par. inſtructor. de matrim. cap. 51. in fin. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 8. num. 4. Tabbien. ver. impedimentū imped. 6. q. 1. nu. 2. & quamplures alij Canoniſtæ, & Legiſtæ.

17. Sed vtrum cognatio, quæ oritur ex dicta adoptione, impediat, & dirimat matrimonium inter omnes tres ſpecies perſonarum, inter quas contrahitur dicta cognatio? vt diximus num. 15. & de prima ſpecie certum eſt apud omnes, de ſecunda etiam certum eſt, de tertia aliqui Canoniſtæ negatiuam partem docuerunt; ſed vera, & cōmunis opinio eſt, vt inter omnes dictas perſonas adſit impedimentum impediens, & dirimens matrimoniū; ita ſumitur ex tex. cit. qui textus licet ciuiles ſint, fuerunt in hoc approbati à iure Canonico in cap. ita diligere 30. q. 3. vbi Nicolaus Pontifex ſic ait. *Quandoquidem nec*

inter

inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filij ſunt, veneranda Romana leges matrimonio contrahi permittunt. Hanc doctrinam optimè explicat D. Thom. 4. d. 42. q. 2. art. 2. in corp. & ad 4. Palud. q. 1. art. 2. n. 25. P. Sot. lect. 11. de matrim. §. de cognat. legali, Nauar. cap. 22. num. 44. Sot. 4. d. 42. q. 2. art. 2. verb. vnica hic, Durand. ibi q. 2. num. 7. Couar. 4. decret. 2. par. cap. 6. §. 5. num. 2. & 3. & alij omnes quos refert, & ſequitur Sanchez lib. 7. diſp. 63. num. 25. & ſeqq.

18. Eſt tamen ſciendum, dictum impedimentum, licet ſit perpetuum reſpectu adoptati, & adoptantis, ac adeptati conſanguineorum ab ipſo deſcendentiũ vſq; ad 4. gradum; ac etiam inter vxorẽ adoptantis, & adoptatum, & è contra; tamen inter illos, qui contrahunt dictam cognationem per lineã collateralẽ, ſeu trãsuerſalem, vt ſunt filij adoptantis cum ipſo adoptato, dictum impedimentum non eſt perpetuum; ſed illud tantum habent, dum manent ſub patria poteſtate; in caſu autẽ emãcipationis, vel filiorũ, vel adoptati, vel in caſu mortis patris, ſoluitur vinculũ cognationis ex c. extra de cognat. legali, & c. final. de adopt. Sic etiam ſi fuerint plures adoptati ab eodem, poſſent dicti adoptati contrahere inter ſe, quia nullam habẽt cognationem. Item adoptatus poteſt contrahere matrimonium cum filia illegitima adoptatis; vt fuſiùs Sanchez lib. 7. diſput. 63. à num. 24. & ſeqq. Bonac. de imped. q. 3. punct. 5. §. 3. à num. 5. & ſeqq. Sic etiam poteſt contrahere adoptas cum parentibus filij adoptati, quia inter illos nulla datur cognatio ex eiſdem Doctoribus ſequitur Filiuc. tr. 10. de imped. cap. 5. nu. 202. & ſeqq. Nauar. cap. 22. num. 45. Couar. 4. decret. 2. par. c. 6. §. 5. ad fin. & alij.

DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS, ET PVBLICÆ HONESTATIS.

Quid ſit Affinitas, quomodo gradus affinitatis computentur, & quomodo matrimonium dirimat. Cap. CVI.

1 *Affinitas eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula prouenıens ſẽper durans etiam poſt mortem alterius coniugis.*

2 *Affinitas menſuratur iuxta gradus conſanguinitatis, & tunc contrahitur, quando per virum fit effuſio ſeminis intra vas naturale mulieris.*

3 *Tam vir, quam fœmina habẽtes copulam, contrahunt affinitate reſpectiuè cum eorum conſanguineis tantum, vnde duo fratres poſſunt accipere duas ſorores; &c.*

4 *Affinitas contrahitur etiam ſi copula fiat cũ fœmina ſenſibus deſtituta, dormiẽte, &c. non autem per copulam ſodomiticã nec per quoduis aliud peccatum mortale; & extenditur dicta affinitas vſque ad 4. gradum, ſi oriatur ex copula licita, ſin autem vſque ad 2.*

5 *Affinitas etiam in primo gradu lineæ recta dirimit matrimonium iure Eccleſiaſtico.*

6 *Infidelis cognoſcens aliquam fœminam fornicariè, ſi poſtea baptizetur, poterit accipere in vxorem ſororem dictæ fœminæ, ſi ambæ dictæ fœminæ erãt infideles, ſecùs autem ſi fidelis haberet rem cum infideli, vel infidelis cum fideli.*

7 *Impedimentũ publicæ honeſtatis prouenit ex ſponſalibus, & ex matrimonio rato, vſque tamen ad primum gradum, & non niſi ex ſponſalibus ritè factis, ſecùs ex irritè initis.*

8 *Impedimentum publicè honeſtatis nõ oritur*

Digitized by Google

tur ex ſponſalibus ſub conditione contractis, & poſtea annullatis, eo quod non fuerit adimpleta conditio.

9 *Impedimentum publicæ honeſtatis oritur, ſi ſponſalia diſſoluantur ex communi conſenſu contrahentium, licet contraria opinio ſit etiam probabilis.*

10 *Si poſt ſponſalia quis haberet copulam cũ conſanguinea ſponſæ, neutram poſſet ducere in vxorem.*

11 *Impedimentum publicæ honeſtatis, quando prouenit ex matrimonio rato, impedit vſq; ad 4. gradum, quod eſt verum etiam ſi poſtea matrimonium reperiatur nullum.*

1 AFfinitas iuxta D. Tho. 4. d. 41. q. vnica art. 1. quæſtiunc. 3. argum. 2. Eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula proueniens, omni carens parentela. Dicitur propinquitas, in quo cõuenit cum cognatione carnali. Ex carnali copula proueniens, ad diſtinctionem dictæ cognationis carnalis, ſeu cõſanguinitatis. Dicitur generaliter ex copula, quia contrahitur etiam per copulam illicitam; additur omni carens parentela, quia ex ſe affinitas non poteſt eſſe cũ conſanguinitate, & per accidens, ſcilicet ex diſpenſatione aliquando reperitur cũ illa, vt idem D. Thom. in cit. quæſtiunc. 3. ad 2. Durat autem ſemper dicta affinitas, nec ſoluitur per mortem, ita vt ſi alter ex fornicantibus obeat, adhuc duret affinitas, vt expreſsè habetur ex Gregor. Papa in cap. fraternitatis 35. q. 10. & rationẽ reddit D. Thom. in dicta quęſt. 3. in corp.

2. Dicta affinitas propriè gradus nõ habet, ſed menſurantur gradus affinitatis, iuxta gradus conſanguinitatis, v. g. Titius fornicatur cum Berta; dicta Berta contrahit affinitatem cum conſanguineis Titij in eo gradu, in quo dicti conſanguinei ſunt cum dicto Titio, & ſic è contra Titius cõtrahit cum conſanguineis Bertæ, & hoc tàm per lineam rectam aſcendentium, & deſcendentium, quam per lineam collateralem; Ad contrahendum autem dictã affinitatem eſt neceſſaria copula carnalis inter virum, & mulierem cum effuſione ſeminis viri intra vas naturale mulieris. Ita D. Thom. 4. d. 41. q. vnica quæſtiunc. 3. in corp. & quæſtiunc. 4. ad 2. Valẽt. 4. par. diſp. 10. q. 5. punct. 3. Sanchez lib. 7. diſp. 64. num. 8. & alij omnes; nec deſideratur effuſio ſeminis ex parte fœminæ, vt ex cõmuniori, & probabiliori ſententia docet idem Sanchez num. 21. Sot. 4. d. 27. q. 1. ar. 4. verſ. hoc autẽ, nam ibi ait, ad matrimonium conſummatum, non requiri ſemen mulieris, D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 11. in princ. notab. 1. Vnde ſequitur, quod licet ex matrimonio rato oriatur impedimentum publicæ honeſtatis, non erit tamen impedimentum affinitatis, vt idem Sanchez loc. cit. num. 25. Couar. 4. decret. 2. par. cap. 6. §. 2. num. 1. & §. 7. num. 3. Angelus ver. matrimonium 3. impedim. 14. nu. 1. & alij multi. Colligitur etiam, quod copula cum ſpadone non cauſet affinitatem, quia ſemen ſpadonis non eſt aptum ad generationem, vt Sanchez lib. 7. diſp. 64. num. 11. & alij.

3. Ex qua doctrina etiam infertur, quod ſi Titius habeat copulam cum Berta, ambo contrahant affinitatem, reſpectiuè cum eorum conſanguineis, & in eo gradu, in quo ſunt conſanguinei cum ipſis copulam habentibus; conſanguinei autẽ dicti Titij, & Bertæ, nihil contrahunt inter ſe; & ideò duo fratres poſſunt accipere duas ſorores, & pater v. g. poteſt accipere Bertam, & eius filius poteſt accipere filiam Bertæ, vt Sanchez lib. 7. diſp. 67. num. 2. Gutierez de matrim. cap. 99. num. 8. Coninchus de matrim. diſp. 32. dub. 4. num. 56. Reginal. lib. 31. num. 145. & ſimiliter ſequitur, quod mortua Berta, poſſit Titius contrahere cum vxore, quæ fuerat fratris Bertæ, quia licet Titius contraxerit affinitatem cum fratre Bertæ, tamen non contraxit cum vxore dicti fratris Bertæ, idem Sanchez cum alijs communiter.

4. Ex nota, quod dicta affinitas contrahatur, etiam ſi copula fiat cum muliere ſenſibus deſtituta, ebria, vel inuita, vel quomodolibet occulta, Sanchez lib. 7. diſput. 64. num. 17. & 18. Non autem cõtrahitur per copulam ſodomiticam, nec per quoduis aliud peccatum carnale, Nauar.

conſil.1.num.2. de conſang.& in Manual. cap.22. num. 43. ex D. Tho. & alijs apud ipſum, & idem Sanchez num.14. Inſuper notat dictam affinitatem extendi vſq; ad 4.gradum, quando prouenit ex copula licita;ſi autem proueniat ex copula illicita, extendi tantum vſque ad ſecundum gradum iuxta Cõcil.Trid.ſeſſ.24.de matrim. cap. 4. & ex motu proprio Pij V. qui incipit, Ad Romanum Pontificem, edito anno 1566. licitum eſt matrimonium vltra dictum ſecundum gradum contractum, his verbis. *Declaramus,& auctoritate Apoſtolica decernimus,nullum hodie impedimentũ remanere, quo minus in vlterioribus gradibus huiuſmodi liberè, & licitè matrimonium contrahi poſſit.* Docet Sanchez lib.7.diſp.67. num.4.Reginald.lib.31.num.147. & communitet omnes.

5. Sed dubium eſt, vtrum affinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat matrimonium iure naturæ? & diſſident Doctores, plures enim aſſerunt partem affirmatiuam, vt Vaſq. 3.par.q.91.art.1.dub.4.nu. 22.Valentia to.4. diſp. 10.q.5. pun.2.Coninch.diſp.32.dub.4.num.53. P.Ledeſma q.55.art.6. & alij quamplures, quos affert Sanchez lib.7. diſput.66. num.6. ſed ipſe num.7. optimè probat talem affinitatem, etiam in primo gradu dirimere matrimonium iure Eccleſiaſtico,pro qua ſententia plures affert Doctores, & hanc putat probabiliorem,& ſequitur Filiuc.tract.10. de imped.cap.6. num.218. ex D. Thom. 2.2. q.154. art.9. ad 3. & hæc doctrina confirmatur, quia Pontifices multoties in tali gradu diſpenſarunt; & patet ex pluribus locis ſacræ Scripturę,nam Gen.29.Iacob duxit Liam, & Rachelem ſorores,& Gen. 38. Iudas dedit eidem mulieri duos fratres in maritos, & Deuter.num.27. iubetur, fratres ducere vxorem fratris mortui ſine filijs; & pluribus auctoritatibus id probat Sãchez loco cit. num.11. eandem doctrinam docet Bonac. quæſt. 3. pun.12. num.7.

6. Secundum dubium eſt, vtrum infidelis cognoſcens aliquam fœminam infidelem fornicariè, poſſit poſt baptiſmum ducere conſanguineam ſimiliter infidelẽ dictæ fœminæ in gradu prohibito? & quãuis Vega to.2. ſum.cap.34. caſu 129. negatiuè reſpondeat; tamen affirmatiuè reſpondendum eſt,quia tempore infidelitatis nulla fuit contracta affinitas, nec affinitas eſt vinculum naturale, ſed Eccleſiaſticum,è contra autem, ſi fidelis habeat rẽ cum fideli, vel infideli fœmina habente ſororem infidelem, licet non contrahat affinitatem cum tali ſorore infideli, non tamen ex hoc ſequitur, quod poſſit illam ducere in vxorem, ſi poſtea baptizetur; quia fidelis ille, tempore copulæ ſubiacebat legibus Eccleſiæ, ſtatuẽtibus per eam copulam contrahi affinitatem cum conſanguineis alterius quandocunque nati fuerint,& baptizati,vt ex Eccleſię conſuetudine habetur;infideles autem, nec tunc quando peccant, vel copulam habent contrahunt affinitatem, ſed poſt baptiſmum; Vnde in primo caſu matrimonium eſſet validum,ſecus autem in ſecundo; ſic etiam ſi quis fidelis haberet copulã cum infideli fœmina habente ſororem fidelem, tunc ſimiliter contraheret affinitatem, quia vtrunque extremum ſubiacet legibus Eccleſiæ,Sanchez lib.7.diſp.10.& 12.ex qua doctrina colligitur, fidelem cognoſcentem carnaliter fœminam infidelem; ſi illa eo,quod habeat rem cum alio, concipiat, & pariat filiã, quæ baptizetur, contrahere affinitatem cum dicta filia dictæ fœminæ, & etiam ſi non baptizetur, adhuc cum illa affinitatẽ contrahere;quia ſufficit alterum ex fornicatoribus eſſe fidelem ad contrahendam affinitatẽ ex eodem Sanchez num.13.vel vt ipſemet Doctor, ait nu.12. licet tunc ratione infidelitatis non cõtrahat affinitatem, contrahet tamen ſi baptizetur, quod ſufficit, vt matrimonium ſit irritum, iuxta vſum Eccleſiæ,vt ſupra, & eadem doctrina eſt pro cõtrahenda cognatione ſpirituali, ex qua ſimiles caſus in dicta materia reſolui poſſunt, vt idem Sanchez lib.7.diſp.60.num. num. 14. & ſequentibus, vbi plures affert,& ſequitur Bonac. loc.cit.num.11. Filiuc. de imped.cap.6. num.216.Nauar.de conſang.conſil.12. num.6. & alij.

7. Circa impedimẽtum publicæ honeſtatis,dico,dictum impedimentum prouenire ex ſponſalibus ritè factis, vel ex ma-

Digitized by Google

matrimonio rato, ex inſtitutione Eccleſiæ, vt habetur in cap. litteras de ſponſalibus impub. cap. iuuenis, cap. veniens de ſponſalibus, & ex cap. vnic. eodem tit. in 6. & vltimò habetur ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 3. tale impedimentum dirimit matrimonium, quando poſt ſponſalia ritè facta, quis contraheret cum conſanguinea futuræ ſponſæ, ſcilicet cum matre, vel ſorore, vel filia, vt conſtat ex dicto Concil. olim autem dirimebat matrimonium vſque ad quartum gradum. Dixi quando ſponſalia ſunt ritè facta, quia ex ſponſalibus irritis, nullum contrahitur impedimentum; prout etiam habetur in dicto Concil. nam duo fuerunt ibi correcta, & aliter ſtatutum; Primum, vt impedimentum publicæ honeſtatis dirimeret tãtum matrimonium in primo gradu; Secundum, vt nullum impedimentum conſurgeret ex ſponſalibus irritis ex quacunque ratione, Sanchez lib. 7. diſp. 68. num. 10. Reginald. lib. 31. num. 126. & communiter omnes; Vnde infertur, ex ſponſalibus irritis ex defectu conſenſus non conſurgere impedimentum publicæ honeſtatis dirimẽs matrimonium, vt Nauar. cap. 22. num. 57. P. Ledeſma de matrim. q. 55. art. 4. & alij; Sanchez autem lib. 7. diſp. 68. num. 14. Contrarium tenet in hoc caſu, quia huiuſmodi impedimentum eſt inſtitutum ob publicam honeſtatem, & ad tollendum ſcandalum, quod non tolleretur, ſi quis contraheret matrimonium cum conſanguinea illius, cum qua contraxerat ſponſalia; & ex conſequenti matrimonium erit nullum, ita tenet etiam D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 10. notab. 1. Durand. 4. d. 41. q. 2. num. 5. & ibi Palud. q. 2. art. 3. concluſ. 2. num. 15. & d. 27. q. 3. art. 3. dub. 2. & alij, ſed prima opinio tuta eſt, cũ huic ſcãdalo faciliter occurri poſſit; vel ad plus peccaret mortaliter contrahens cum tali ſcandalo, quod intellige pro foro interno, nam pro foro externo puto, habere vim dictam ſecundam ſententiam, quatenus quis poteſt compelli ad dictum cõſenſum, vt loquitur Bonac. q. 3. pun. 11. num. 14. cum alijs multis, ſed in re ipſe ſequitur noſtram ſententiam in d. num. 14. & anteced. in num. 3.

8. Item neque oritur impedimẽtum publicæ honeſtatis ex ſpõſalibus ſub conditione contractis, qua conditione non adimpleta, ſponſalia irrita remanſerint; Vnde benè poſſet quis poſtea contrahere matrimonium cum cõſanguinea ſponſæ, ita Reginald. lib. 31. nu. 129. Sanchez lib. 7. diſp. 69. num. 3. Si autem conditio fuit de præterito, vel de præſenti, ſtatim ortũ habuit impedimentum, ſi cõditio fuit vera, vt colligitur ex cap. vnica de ſpõſ. in 6. & ibi docet Io: Andr. in fin. Anchar. nu. 4. & alij communiter.

9. Sic etiam dictum impedimentum non remanet diſſolutis ſponſalibus ex cõmuni ſponſorum conſenſu, vel per mortem alterius, & ratio eſſe poteſt, quia Cõcilium poſuit hoc impedimẽtum ob grauem iniuriam, quæ fiebat ſponſæ, vel ſponſo repudiato, & ob ſcandalum, quod ex hoc oriri poſſet; ſed quãdo adeſt mutuus conſenſus, vel mors, ceſſant omnia prædicta, igitur non videtur ſufficiens cauſa, quare hoc impedimentum ponendum ſit in caſibus prædictis, ita docet Rebell. 2. par. lib. 3. q. 14. nu. 2. Emanuel Sà de impedim. ver. matrim. num. 12. Gutierez de matrim. cap. 51. num. 11. ſed contrarium probat Sanchez lib. 7. diſp. 68. num. 20. & 21. ac etiam Bonac. q. 3. pun. 11. num. 7. ex noua Cardinalium declaratione, cui me remitto, cum illam non viderim, nec habeam, qua ſecluſa, prima opinio etiã probabilis eſt ob rationem dictã, & ob dicta in num. 7. ex Concil. Trid.

10. Si autem quis poſt ſponſalia, haberet copulam cum conſanguinea ſponſæ, neutram poſſet ducere, non primam propter impedimentum affinitatis cõtractum ex copula cum ſorore ſponſæ; non ſecundam ob impedimẽtum publicæ honeſtatis; vt Sãchez lib. 7. diſp. 68. num. 24. Nauar. cap. 22. num. 57. Henriq. lib. 12. cap. 10. & alij.

11. Et quia diximus hoc impedimẽtum oriri etiam ex matrimonio rato. Dico, quando prouenit hoc impedimentum ex tali rato matrimonio, impedire vſque ad quartum gradũ; ita determinauit Pius Quintus in motu proprio, qui incipit, ad Romanum ſpectat, ita Sanchez lib.

Digitized by Google

7. diſput.70. num.16. P. Ledeſma de matrim.q.55.art.1, Rodriq.cap.234. Nauar. cap.22.num.58.& communiter omnes, & licet Tolet.lib.7. cap.10. & Lopez 2. par. cap.50. contrarium aſſerant, forſitan dictum motum proprium non viderunt, ſed vtrum ſi matrimonium ratum fuerit irritum, ex eo conſurgat impedimentum dirimans matrimonium? Et affirmatiuè reſpondet Sãch.lib.7. diſp.70.n.5. dũmodo matrimonium nõ ſit nullũ ex defectu conſenſus, ſed ratione conſanguinitatis, vel alterius cauſæ, & conſtat ex declaratione Pij Quinti in ſuo motu proprio, qui incipit, Ad Romanum ſpectat de anno 1568. id enim ante Concil. erat iam definitum in cap. vnico de ſponſ. in 6. Sed quia poſtea id fuit correctum per Concil. Tridẽt. ſeſſ.24. de matrim. cap.3. quoad ſponſalia irrita tantum; & aliqui putabant id fuiſſe correctum, etiam quoad matrimonium irritum, vt Nauar. cap.22. num.58. coroll. 2. & alij; ideò Pius V. declarauit impedimentum publicæ honeſtatis non oriri, ex ſponſalibus irritis tantum, vt ait dictum Concilium; Secus autem ex matrimonio irrito; vnde quamuis matrimonium ratũ ſit irritum, dummodo non ſit irritum ex defectu conſenſus, ſemper conſurgit impedimentum dirimens, quod etiam docet Bonac.q.3.pun.11.num.11.& 19.& Filiuc. de impedim.cap.6. num.223.

DE IMPEDIMENTO CVLTVS DISPARITATIS.

Quonam modo ſit prohibitum contrahere cum infideli, ac de validitate matrimonij infidelium, quando tranſeunt ad fidem Chriſtianam. Cap. CVII.

1 *Diſparitas cultus eſt inter fidelem, & infidelem, vel Cathecumenam, quæ diſparitas cultus dirimit matrimonium iure Eccleſiaſtico, in quo poteſt Pontifex diſpenſare.*

2 *Matrimonium inter fidelem, & hæreticã, vel apoſtatam à fide, validum eſt, peccat tamen mortaliter ſic contrahens, licet poſſint excuſari Germanici, & alij.*

3 *Matrimonium inter infideles validum eſt, dummodo nullum adſit impedimentum contra ius naturale; ſed ſi alter infidelis cõuertatur, & antea dimiſerat vxorem, debet iterum illam aſſumere, niſi in caſu, quo vellet manere in infidelitate, tunc enim liberum eſſet ei alteram aſſumere, &c. Prout infra num.10. explicabitur.*

4 *Nunquam infidelis conuerſus ad fidem, fuit obligatus manere cũ eadem vxore volente perſeuerare in infidelitate, licet voluiſſet perſeuerare abſque offenſa Dei.*

5 *Infidelis conuerſus ad fidem, tenetur dimittere vxorem infidelem, ſi nulla adſit ſpes conuerſionis.*

6 *Filij infidelium doli incapaces, debent ſequi conditionem coniugis conuerſi ad fidem.*

7 *Proponuntur aliquæ obiectiones probantes matrimonium infidelium dirimi non poſſe per fidem ſuſceptam ab altero coniuge.*

8 *Si alter coniux ſuſceperit fidem, & alius noluerit ad illam venire, nec voluerit habitare cum fidelis, vel non niſi cum fidei iniuria, &c. Dirimi poterit matrimonium, licet conſummatum ſit, nec ſine errore in fide id negari poteſt.*

9 *Reſpõdetur ad obiectiones nu.7. propoſitas.*

10 Ma-

10 *Matrimonium inter infidelem conuerſum ad fidem, & alterum volentem manere in infidelitate, diſſoluitur, non ſolum ſi coniux infidelis noluerit habitare cum fideli, vel non niſi cum iniuria fidei, &c. ſed etiam, ſi noluerit conuerti poſt factam ei monitionem.*

11 *Tunc tamen diſſoluitur dictum matrimonium, quando coniux fidelis contrahit aliud matrimonium; iuxta probabiliorem, & communiorem opinionem.*

12 *Ex hac proximè tradita doctrina ſequitur, quod, licet, fuerit tranſactus terminus aſſignatus, v.g. ab Eccleſia, non ex hoc matrimonium diſſoluatur.*

13 *Quando licitum eſt fideli aliud inire matrimonium, eſt ei etiam licitum ad religionem tranſire, vel ad ordines ſacros, aut emittere votum caſtitatis; licet ex conſilio id non debeat fieri, ſi adfuerit aliqua probabilis ſpes conuerſionis alterius coniugis.*

14 *Si poſtquam fidelis ingreſſus eſt religionē, alter coniux conuertatur ante profeſſionem coniugis, tenebitur ad illum redire, iuxta noſtram ſententiam, vt in nu. 11. poſt autem profeſſionem, poſſet cum altero contrahere, ſiuè conuerſus ſit, ſiuè non.*

1 CVltus diſparitas reperitur inter fidelem, & infidelem, vel cathecumenam, ex quo prouenit vt iure Eccleſiaſtico, nullo modo validè poſſit contrahi matrimonium inter eos, & licet nulla adſit lex Eccleſiaſtica ſcripta id prohibens, receptiſſimum tamen ſemper fuit in Eccleſia ex Apoſtolorum traditione, & ideò ex vſu antiquiſſimo Eccleſię dicitur, id eſſe prohibitum ab Eccleſia, quod docet Sot.4.d.39.q.vnic.art. 2. verſ. hæc tamen, P.de Sot.lect.9.de matr.in impedim. diſparitatis cultus, Valentia 4. par. diſp. 10.q.5.punct.3.Bellarm.lib.1.de matrim. cap.23.propoſ.2.& 3.Sanchez lib. 7. diſp. 71.num.8. & alij, quod etiam affirmat Filiuc.tr.10.de imped.cap.7.n.225. & quod nec valeat matrimonium inter fidelem,& Cathecumenam patet ex cap. caue 28. q. 1.vbi habetur. *Si chriſtiana ſit, non eſt ſatis, niſi ambo initiati ſint ſacramento baptiſmatis,* quod verbum, *Si chriſtiana,* explicat Gloſſa; ideſt *Catechizata*; Et id etiam docet D. Thom.4.d.39.q.vnica art. 1.ad 5.Richar. art.1.q.1.in fin.corporis, Sot. ibi d. 39. q. vnica art. 2. verſ. hinc fit, & communiter omnes, ex quo ſequitur valere matrimonium inter fidelem, & hæreticam, & è contra non valere inter hæreticum, & infidelem, quia hæreticus, Chriſtianus eſt, & ſubditur legibus Eccleſiæ, Non deſunt tamen graues Doctores aſſerentes, dictū matrimonium cum infideli, vel Cathecumana eſſe etiam irritum iure naturali diuino, quod multis teſtibus ſacræ Scripturæ probat Sot. loc.cit. art. 2.verſ. apparet ergo, P.de Ledeſma de matrim.q. 59. art. 1.dub.3.Vega 2.tom.ſummæ cap.34.caſu 136. & ſupponit Bellarm. lib. 1. de matr. cap.23.concluſ. 1. & alij apud Sanch. loc. cit. num. 5. Sed communior opinio eſt iã dicta; concedit tamen etiam ſecunda opinio, aliquando licere matrimonium cum infidelibus, quando tamen adeſſet adeò vrgens cauſa, vt ratio naturalis dictaret, matrimonium ineundum eſſe; vnde multò magis nos ſupponere debemus cum prima opinione, poſſe Pontificem diſpēſare, vt tale matrimonium validè contrahi poſſit; cum Pontifex poſſit diſpenſare in omni iure Eccleſiaſtico. Ita Sanchez num.10.& alij communiter.

2. Quod autem matrimonium inter fidelem, & hæreticam, vel apoſtatam à fide ſit validum, probatur ex cap.decreuit de hæret.in 6.vbi decernitur. *Vxores, quæ ſcienter hæreticis nupſerunt priuandas eſſe dote.* Nec iubet ſeparari debere, vnde ſupponit textus, validum eſſe matrimonium, quod docet D.Thom.4.d.39.q.vnic.art.1. ad 5. Albertus Magnus ibi ar.4.D.Bonau. art.1.q.1.Richar.art.1.q.1.ad 2,Caiet.ver. matrimonium cap.1.imped. 6. D. Anton. 3.par.tit.1.c.6.notab. 2.& alij omnes. Sed catholicus contrahens cum hæretica, vel Apoſtata à fide mortaliter quidem peccaret contra præceptum Eccleſiæ, quod iuſtiſſimè fuit latum ob periculum fidei, vt conſtat ex Concil. Generali Calcedonēſi can.13.Concil.Elibertino cap. 16. Laodiceno cap.10.& 31. Carthaginenſi 3. cap.

12.&

12. & Agathenſi cap. 67. quod refertur in cap. non oportet 28, q. 1. & eſſe culpã mortalem docet Sot. d. 39. q. vnic. ar. 2. ad vlt. Valent. loc. ſupra cit. Sanchez lib. 7. diſp. 72. num. 4. Bonac. q. 3. punct. 7. num. 2. Filiuc. tr. 10. de imped. cap. 7. num. 229. & communiter omnes. Excipiũtur tamen illi, qui contrahunt matrimonium cũ hæreticis in partibus, in quibus Catholici permixti viuunt cum hęreticis, vt in Germania, Gallia, Polonia, &c. Et hoc ex quadam recepta, & tolerata conſuetudine, dummodo tamen matrimonia contrahãtur cum promiſſione, & pacto, vt Catholicus, vel Catholica liberè viuat in fide, nec adſit periculũ peruerſionis; ita Azor. 1. par. lib. 8. cap. 11. q. 15. Sanchez lib. 7. diſput. 72. nu. 5. Nauar. lib. 1. conſil. de conſtit. conſil. 1. num. 59. & 60. Vnde colligitur, quod ſecluſis his locis, ſponſalia cõtracta cum hæretica, eſſe nulla, & irrita cum ſint de re illicita, vt idem Sanchez num. 3. ex Nauar.

3. Sed quæſtio eſt, vtrum coniux infidelis conuerſus poſſit habitare cum altero coniuge infideli volente manere in infidelitate? Sed priùs ſupponendum eſt, dari verum matrimonium inter infideles naturale tantum, cum non ſit ſacramentũ, quod ſemper erit validum, dummodo nõ adſit aliquod impedimentum naturaliter dirimens, vel niſi reddatur irritum ex eorum legibus; legibus autem Eccleſiæ non ſubduntur; & ideò quamuis adſit aliquod impedimentum Eccleſiaſticũ, adhuc eorũ matrimonium validum erit, ita expreſsè ſumitur ex cap. gaudemus de diuor. Vnde ſi infidelis repudiauerit vxorem, & poſtea ipſe conuertatur, tenetur repudiatã accipere, & aliam relinquere poſt repudiationem acceptam, quia matrimonium primum valet, & non ſecundum, & ſi talis repudiata pernicax eſſet in infidelitate, tunc liberum eſſet dicto fideli conuerſo cum dicta ſecunda, ſi conuertatur iterum matrimoniũ contrahere, vt expreſsè habetur in cit. cap. gaudemus in fin. & ita intelligitur Euthichianus Põtifex, qui in cap. ſi quis gentilis 28. q. 1. ait. *Si quis gentilis vxorem dimiſerit ante Baptiſmum, poſt baptiſmum in poteſtate eius erit eam habere, vel non habere*; Scilicet ſi repudiata nolit ad fidem conuerti, poterit conuerſus cum illa habitare, ſi nullum adſit periculum fidei; vel non habitare, & aliud inire matrimonium; & ſi plures dictus infidelis conuerſus habuerit vxores, debet prima retenta, alias dimittere, & ſi prima cõuerti noluerit, poſt monitionem, poterit ad eius libitum vel vnã ex dimiſſis, quæ vellet conuerti, iterum accipere, vel aliam perſonam fidelem; in quibuſdam caſibus vt infra num. 10. Quod docet D. Tho. ab omnibus receptus 4. d. 39. q. vnic. art. 3. ad 4. & ibi Sot. q. vnic. ar. 3. ad 5. Et admonet idem eſſe dicendum de Iudæis, quia iam permiſſio multitudinis vxorum ceſſauit in lege Euangelica, ſequitur Sanchez lib. 7. diſp. 73. num. 5.

4. Secundò ſupponendum eſt, nunquam infidelem conuerſum ad fidẽ fuiſſe obligatum manere cum coniuge volente manere in infidelitate, quamuis vellet habitare abſq; vllo periculo infidelitatis, & abſq; Dei contumelia; licet aliqui cõtrarium dicant ex verbis D. Pauli 1. ad Corinth. 7. *Nam cæteris ego dico, non Dominus, ſi quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo; non dimittat illã; & ſi qua mulier virum habet infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat illũ*; Quæ verba fuiſſe præceptum, & non conſilium in eum locum docet D. Ambroſius, Teodor. Iſidorus, & Abulenſ. 1. Reg. 8. q. 132. & 133. in fine. Verum dicendum eſt, dicta verba fuiſſe conſilium, non præceptum, ſumitur ex illis verbis. *Dico ego, non Dominus*. Si igitur Dominus non præcepit, non neceſſariò faciendum eſt; ſed ex conſilio, & duplicem rationem huius rei aſſignat D. Thom. 4. d. 39. q. vnic. art. 3. & 4. Prima eſt, quia adulterium, & infidelitas pari paſſu currunt, cum vtrumque ſit contra bonum prolis, & ſicut innocẽs poteſt non habitare cum adultera, etiam ſi voluerit ab adulterio deſiſtere; ita etiam infidelis conuerſus, licet habeat ſpẽ conuerſionis vxoris, non tenetur cum illa habitare. Secunda ratio D. Thom. eſt, quia per baptiſmum infidelis regeneratur, & manet liber à ſeruitute in illa contracta; licet aliquando poſſet illa vti, ſcilicet quan-

Digitized by Google

quando nullum adeſſet periculum infidelitatis, vel iniuriæ Dei, quas rationes immeritò quidem impugnat Durand.4. diſt. 39.q.2.num. 8. Ita etiam intelligunt dictũ locũ D.Pauli, P.Auguſt. epiſt. contra Pollentium, & refertur in cap.iam nunc, & c. Sic enim 28. q. 1. & fieri omnes expoſitores D.Pauli in d.locũ, vt D.Hieron.Gloſs. interlin. & Gloſſ.ordinaria, quæ deſumpta eſt ex P. Auguſt.lib. 1. de ſerm. Domini in monte, D.Anſel.D.Thom.Nicol.de Lyra, Hugo, Carthuſianus, Beda, & multi alij; & omnes ſcholaſtici cũ D.Tho. 4.diſt.39. q.vnic.ar.3.&4.Sot.ibi q.vnic.ar.3.cõcl.3 & 4.Richar.art.2. q. 1. & alij omnes Thomiſtæ,D.Anton.3.par.tit.1. cap. 6. notab. 3.Valent.4.diſp.10.q.1.punct.7.col.2.& in controuerſijs lib.vnico de indiſſolub.matrimonij cap.2.Nauar.cap.22.nu.49. Couar.4.decret.2.par.cap.6.§.11. num. 2.& cap.7.§.4.num.5.Sanchez lib. 7. diſp. 73. num.7.Filiuc.tr.10.de imped. cap. 7. num. 232.& 233.& alij omnes.

5. Sed vtrum infidelis conuerſus teneatur recedere, quando vxor infidelis, vel è contra, noluerit conuerti,licet velit habitare pacificè abſque vllo periculo infidelitatis, vel iniuriæ Dei? Et multi negatiuè videntur reſpondere, eo quod doceãt;infidelem conuerſum tunc teneri dimittere vxorem, quando non vult pacificè, & abſque offenſa Dei habitare; è contra igitur ſi voluerit habitare abſque offenſa Dei, non tenebitur illam dimittere, ita Durand. 4.d.39. q.2. num.10.& ibi Sot.q.vnica art.3.cõcluſ.2.Barthol. à Ledeſma de matrim.dub.55.cõcluſ.2.& alij. Attamen D.Thom.4.d.39.art.3.Turrecr. cap. ſi quis Gentilis 28. q. 1.art.2. num.3. Ledeſma 2.p.4.q.61.§.7.verſ.9.impedim. 10. Henriq.lib.11. de matrim. cap.15. nu. 12. & alij dicunt, fidelem tunc tantum teneri dimittere vxorem infidelem, quando nulla adeſt ſpes conuerſionis,quæ opinio verior videtur, quia dum non adeſt ſpes conuerſionis; adeſt etiam ſemper aliquod periculum offenſæ Dei, quod tenet Sanchez lib.7.diſp.73. nu.10.Filiuc.tract. 10. de impedim. cap.7. num.239. Bonac. de impedim.q.3.pun.7.num.6. & alij, per quam doctrinam iam patet, quid dicendum ſit ad quæſtionem propoſitam in nu. 3. & maximè dicta doctrina vera eſt in præſenti ſæculo, vt benè probat idẽ Sanchez num.12.& alij citati.

6. Sed dubium eſt, vtrum filij debeãt ſequi conditionem patris cõuerſi, an matris infidelis? Et breuiter reſpondeo, vel dicti filij ſunt doli capaces, vel non? ſi primo modo relinquendi ſunt ſuæ libertati, cum nemo adultus ſit cogendus ad fidem ex Concil.Tolet.4.cap.56.& refertur cap. de Iudæis 45. diſt. & docet P. Auguſtinus contra litteras Petiliani lib.2. cap.83. relatus in cap.ad fidem 23. q.5. Si non ſint doli capaces, debent ſequi conditionem conuerſi ad fidem, cap.fin. de conuerſ. infidelium,& ſiuè ſit pater,ſiuè mater decernitur in Concil. Tolet.4. cap.62. & refertur in cap. Iudæi 28. q.1. & ratio eſt,quia eo ipſo, quod infidelis ſuſcipit baptiſmũ, Eccleſia illum obligat ad baptizandam prolem doli incapacem, vt decernitur in d.Concil.Tolet. d.cap.Iudæi relato, & ita tenet D.Thom.4.d.39.q.vnica art.4.ad 4. & omnes Theologi cum ipſo, nec nõ omnes Iuriſperiti, & Canoniſtæ in cap.fin.de conuerſ.infidel.& hoc in fauorem fidei,& Eccleſiæ, Sanchez lib.7. diſp.73.num.16. Sot.4.d.39.q.vnic.art.3.in ſolut. ad 2.

7. Aliud dubium eſt,vtrum ante tradita doctrina, intelligatur etiam de matrimonio conſummato? ſcilicet,vt infidelis poſt conſummatum matrimonium, ſi conuertatur,& alter coniux noluerit conuerti,poſſit cum alio, vel alia matrimoniũ inire poſt monitionẽ; Et quamuis id clarè pateat ex dictis, nempè id eſſe verum, etiam de matrimonio nõ ſolum conſummato, ſed etiam de matrimonio, ex quo nati ſint filij,vt ſupponitur num. anteced. tamen ob authoritatem Caietani, eſt magis dicta veritas firmãda; nam dictus Doctor in loc.cit. D.Pauli 1.ad Cor.7. ad illa verba; *Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater,&c.* Non ſolum valdè miratur,ſed etiã *ſtupere* (ait) *quod excipiente Chriſto Domino ſolam fornicationis cauſam, vt liceat innocenti coniugi receſſus; non admittant Doctores in eo euentu coniugij vinculum diſſolui; & tamen D. Paulo id non ita clarè aſſerente,colligunt ex eo teſtimonio, poſſe matrimonium dirimi altero*

in-

infideli coniuge nolente habitare cum conuerſo ad fidem, aut nō ſine contumelia creatoris, &c. Sed ſtatim quaſi ſe corrigens ſubdit, *talem ſenſum eſſe admittendum, eo quod antiquo vſu Eccleſiæ receptus ſit*. Poteſt tamen confirmari dicta opinio ex verbis Chriſti Matthæo 16. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, vbi indiſtinctè de quolibet matrimonio Chriſtus loquitur, & ex D. Paulo ad Rom. 7. aſſerēte, tantum ex morte coniugis, ſolui matrimonium; Nec dixit 1. Cor. 7. *Infideli nolente habitare, ſolui matrimonium, ſed tantum fas eſſe fideli diſcedere*; Quod benè fieri poteſt, & verificantur dicta verba, ſi tantum dimittatur vxor abſq; vinculi, ſeu matrimonij ſolutione; ſicut verificantur verba Chriſti Matth. 19. Poſſe coniugem dimitti fornicationis cauſa, nec hæc verba intelligūtur cum ſolutione matrimonij, igitur neque, & illa D. Pauli, vt volebat Caiet. imò ita videtur fuiſſe deciſum in Concil. Meldenſe cap. 1. relatū in cap. 1. 18. quæſt. 1. vbi ſic habetur. *Si quis habuerit vxorem virginem ante baptiſmum, viuente illa, poſt baptiſmum, alteram habere non poteſt, crimina enim in baptiſmo ſoluuntur, non coniugia*; Ex quibus omnibus videtur dicendum, matrimonium infidelium eſſe indiſſolubile poſt conuerſionem alterius coniugis, non obſtante quacūque cauſa.

8. Certum tamen eſt, & negari non poteſt abſque pertinacia, & errore in fide; matrimonium infidelium, licet conſummatum poſſe diſſolui, ſi alter coniux conuertatur, altero manente in infidelitate, de quo nulla ſit ſpes conuerſionis, & nolente habitare cum fideli, vel nō niſi cum iniuria fidei, vel periculo peruerſionis, &c. vt ſupra à nu. 3. & ſeqq. probauimus; patet hoc ex verbis Diui Pauli 1. Cor. 7. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi*, quem locum ita intelligit D. Ambroſius, licet falsò ſoleat tribui D. Gregorio, & habetur in cap. fin. 28. q. 2. & ita dictum locum intelligunt omnes expoſitores, & quod maius eſt, ita illum intelligit, & declarat Innocent. III. cap. quanto de diuort. his verbis. *Si alter infidelium coniugum ad fidem Catholicam conuertatur, altero, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia diuini nominis, vel, vt eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volenti, qui relinquitur, ad ſecunda ſi voluerit vota tranſibit*. Et in hoc caſu intelligimus, quod ait, Apoſt. *ſi infidelis diſcedit, diſcedat, frater enim vel ſoror non eſt ſeruituti ſubiectus in huiuſmodi*, & Canonem in quo dicitur. *Contumelia creatoris ſoluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur*. Et idem aſſerit idem Pontifex in cap. Gaudemus de diuor. verſ. qui autem; Vnde in his caſibus non ſoluitur matrimonium, & authoritate Pontificis, ſed ex priuilegio Chriſti conceſſo in fauorem fidei; & hoc priuilegium fuit explicatum à D. Paulo in dictis ver. 1. Cor. 7. quod fatetur Abulen. 1. Reg. 32. Bonauent. 4. diſp. 39. art. 3. q. 2. & ibi Sot. q. vnica art. 4. col. 3. & meliùs col. 5. verſ. ad primum igitur, Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 8. nu. 4. & lib. 12. cap. 13. num. 5. P. Ledeſma de matrim. q. 59. art. 5. cōcluſ. 4. Lopez 2. par. inſtructorij de matrim. cap. 53. col. 4. & aliæ plures, cuius priuilegij rationes fusè tradit Abulenſis 1. Reg. 8. quæſt. 32. in fine, & ſequitur Sanchez lib. 7. diſput. 74. num. 4.

9. Ad rationes contrarias num. 7. poſitas, reſpondetur, tale matrimonium non authoritate humana, ſed diuina ſolui, & & ad ſecundum, iam explicauimus mentē D. Pauli 1. Cor. 7. eſſe huiuſmodi, & dum ad Rom. 7. cenſet matrimonium conſummatum, ſola morte diſſolui, intelligitur de matrimonio fidelium conſummato, quod repræſentat vnionem verbi cum humana natura indiſſolubilem, & eſt ſacramētum; quæ omnia non habentur in matrimonio infidelium, & ideò non eſt omninò indiſſolubile. Ad Concil. Meldenſe reſpondet Sot. 4. diſt. 39. q. vnica art. 4. col. 5. verſ. propter Canonem. Dictum textum intelligendum eſſe iuxta interpretationē Pontificiam in cap. Quando, & in cap. Gaudemus de diuort. ex quibus tradita à nobis doctrina colligitur.

10. Ex vſque modo dictis à num. 3. duo ſunt certa. Primum eſt, quod ſi alter coniux infidelis conuertatur, & alius noluerit conuerti, nec adſit ſpes conuerſionis, &c. poſſit coniux innocens poſt moni-

tio-

tionem coniugem infidelem dimittere, & alterum aſſumere in quibuſdam caſibus; Secundum eſt, quod matrimonium infidelium ſit diſſolubile, ſi alter coniux tantum conuertatur, & licet alter infidelis voluerit habitare abſque iniuria fidei; infidelem conuerſum non teneri cum illo habitare, imò teneri illum dimittere iuxta dicta num. 3. & 4. ſi nulla adſit ſpes conuerſionis; Reſtat modo videndum, an poſſit coniux fidelis de nouo conuerſus, non ſolum non habitare cum coniuge infideli, ſed etiam alteram ducere, licet infidelis vellet habitare abſque vlla fidei iniuria? & duæ ſunt opiniones; Prima aſſerit in tali caſu matrimonium non poſſe diſſolui, licet fidelis non teneatur habitare cum infideli, vnde nec poſſet cum altero matrimonio contrahere. Et ratio eſt, quia tale matrimonium non poteſt diſſolui, niſi ex priuilegio Chriſti Domini per D. Paulum declarato, vt diximus num. 8. ſed ſic eſt, quod D. Paulus loquatur, quando infidelis omninò recedit, aut quando non vult habitare ſine creatoris contumelia, aut excitatione ad peccatum, vt illum explicat Innoc. III. in cap. Quãto, & cap. Gaudemus de diuort. imò expreſsè dictus Innoc. III. dicit in dicto cap. Gaudemus, matrimonium non poſſe diſſolui, niſi in his duobus caſibus, & confirmatur ex vſu Eccleſiæ, quæ nunquam aliam diſſolutionem fecit, niſi iuxta duos caſus. Et hanc opinionem tenet D. Thom. 4. d. 39. q. vnica art. 5. in corp. & ibi D. Bonauent. art. 2. q. 1. Richar. art. 2. q. 2. Durand. q. 12. num. 12. Palud. q. vnica art. 2. num. 12. D. Antonin. 3. par. tit. 2. cap. 6. notab. 3. Tolet. lib. 7. cap. 11. num. 2. Valentia 4. par. diſp. 10. q. 1. num. 2. col. 2. Nauar. cap. 22. num. 49. Ang. verb. matrim. 3. impedim. 10. num. 2. Sylu. eodem ver. 8. q. 10. Tab. impedim. 8. q. 2. num. 3. & quamplures alij. Secunda tamen ſententia ait, matrimonium ſolui, & poſſe talem coniugem factum fidelem cum altero, vel altera reſpectiuè contrahere, ſi alter coniux conuerti nolit, imò in quibuſdam locis præſcribitur tempus dicto coniugi infideli, quo elapſo, ſi non ſuſceperit fidem, coniux factus fidelis poteſt cum altero, vel altera contrahere, ita nouiſſimè docet Bonac. de impedim. q. 3 pun. 7. nu. 6. Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 7. num. 239. Sanchez lib. 7. diſp. 74. num. 9. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 4. in fine, Vega 2. to. ſummæ cap. 33. caſu 143. & alij plures apud hos Doctores, & hæc quidem opinio hodie probabilior videtur, quia per Concil. Tolet. 3. cap. 4. vetitũ eſt fideli habitare cum infideli, quod olim in primitiua Eccleſia nõ erat prohibitum ob multitudinem eorum, qui conuertebantur, & ideò tunc non erat licitum diſſoluere matrimonium, & cum alia contrahere; Vnde benè loquuntur Doctores primæ ſentẽtiæ reſpectu dicti temporis, in præſenti autem, quia non poſſet dari dicta cohabitatio abſq; aliquo periculo ſcandali, ideò meritò Eccleſia vetuit dictam cohabitationẽ, & ex conſequenti poterit coniux factus fidelis, aliam ducere, ſi poſt monitionem, alter coniux voluerit perſiſtere in infidelitate, nec per hoc priuilegium Chriſti in præſenti dicitur mutatũ; quia dictum priuilegium fuit, vt in omnibus euentibus; in quibus eſſet illicita cohabitatio cum infideli, poſſet ſolui matrimonium, itaut coniux poſſit cum altero, vel altera reſpectiuè contrahere; vt idem Sanchez num. 10. Nec pro huiuſmodi matrimonij diſſolutione requiritur iudicis ſententia; vt Sanchez num. 11. & alij Doctores cit. aſſerunt, requiritur tamen monitio vt iam diximus, nempè interrogatio an velit conuerti, vel iuxta primam opinionem, an velit habitare abſq; Dei contumelia, &c. quod intellige, niſi aliundè iam conſtet eſſe obſtinatum in infidelitate, vel non poſſe habitare niſi cum offenſa Dei, & periculo peruerſionis, vel excitationis ad peccatum, vt ex multis docet Sanchez num. 12. & 13. Nec eſt neceſſaria authoritas Eccleſiæ præfigentis tẽpus ad deliberandum, an alter coniux infidelis velit conuerti, vel ſecũdum primam opinionem, velit habitare abſq; iniuria fidei, &c. vt aliqui volebãt. Ita Abul. 1. Reg. 8. q. 121. Angelus verb. matrimoniũ 3. impedim. 10. num. 3. Filiuc. loco cit. Sanchez num. 5. num. 17. Abbas in cap. gaudemus, & ibi Præpoſ. §. qui autem nu. 14. & alij.

11. Sed quæſtio eſt, an in caſibus prędictis ſtatim diſſoluatur matrimoniũ; vel perſeueret vſquequo infidelis conuerſus ad fidem aliud ineat matrimonium? Et relictis aliquorum opinionibus, dicendũ eſt, tunc tantũ diſſolui matrimoniũ, quãdo infidelis cõuerſus ad fidem aliud matrimoniũ cõtrahit; patet expreſsè ex c. gaudemus ad fin. de diuort. vbi ſic habetur. *Quod ſi conuerſum ad fidem, & illa conuerſa ſequatur, antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat vxorem, eam recipere cõpellatur*. Si igitur poteſt compelli ad vxorem recipiendam, ſignum eſt, quod matrimonium non erat ſolutum. Et ita docet D. Thom. 4. d. 39. q. vnica art. 5. ad 2. Bonau. ibi ar. 2. Durand. q. 1. num. 14. Palud. q. 2. nu. 12. Sot. d. 36. q. vnic. art. 4. verſ. nihilominus, Henriq. lib. 11. de matr. cap. 8. nu. 4. Valentia 4. par. diſp. 10. q. 1. punct. 7. Syluest. verb. matrim. 8. q. 10. Tabbien. ver. impedimentum, imped. 9. q. 2. nu. 3. Nauar. cap. 22. num. 49. Couar. 4. decretal. 2. par. cap. 7. §. 4. num. 5. Sanchez lib. 7. diſput. 75. num. 4. Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 7. num. 242. & alij. Non tamen eſt omninò improbabile, id quod alij dicunt, nẽpè matrimonium diſſolui ſtatim ac infidelis coniux declarat poſt monitionem nolle conuerti iuxta noſtram opinionem num. antec. vel ſtatim ac dictus infidelis receſſerit, vel noluerit habitare cum fideli, vel non niſi cum iniuria fidei, & ita tenet Abbas cap. gaudemus de diuor. nu. 15. & ibi Præpoſitus §. qui autem num. 4. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 10. nu. 3. Abulenſ. 1. Reg. 8. q. 30. Rodriq. 1. tom. ſummæ cap. 230. in fin. & alij plures apud Sanchez loc. cit. num. 2. Quod etiam approbat Bonac. de imped. q. 3. punct. 7. num. 7. Et ſecundum hanc opinionem ſtatim poſt dictam diſſolutionem ita factam, poterit infidelis remanſa in infidelitate aliud matrimonium contrahere; ſed iuxta primam noſtram opinionem, non poterit, niſi poſtquam fidelis conuerſus cõtraxerit matrimonium. Alij etiam dicunt tunc matrimonium diſſolui, quando poſt tempus aſſignatum ab Eccleſia dicto infideli remanſo, an velit conuerti; adhuc perſeuerauerit in ſua obſtinatione; & hæc quidem eſſet optima conſuetudo pro foro externo; ſed verè, vt ſupra probauimus, non eſt neceſſaria dicta cæremonia Eccleſiæ, vt matrimonium diſſoluatur; vbi tamen adeſſet talis conſuetudo, ab illa recedere nemo debet; quod docet Hoſtienſ. cap. gaudemus de diuor. num. 13. ſuper ver. compelletur, & ibi Io: Andræas num. 15. Anton. num. 20. Ancharan. num. 26. Archid. cap. final. num. 2. 28. q. 2. Bellamera num. 2. & Henricus cap. quanto de diuor. num. 3. quod approbat Bonacin. in cit. num. 7.

12. Ex noſtra tamen ſententia infertur, quod, licet Eccleſia declarauerit poſt elapſum terminum ab ea aſſignatum, talẽ fidelem conuerſum liberè poſſe cum altero, vel altera reſpectiuè contrahere; non ideò ſtatim ſoluatur matrimonium; ſed tunc quando aliud matrimonium fuerit initum à dicto infideli conuerſo, Eccleſia enim tunc declarat tantum ius competẽs fideli, vt Sot. 4. d. 39. q. vnic. ar. 4. verſ. nihilominus, & Sanchez in cit. diſp. 75. nu. 5. qui plura corollaria colligit.

13. Sed dubium eſt, vtrum quando licitum eſt fideli aliud matrimonium cõtrahere, liceat etiam tranſire ad religionem, vel ordines ſacros, aut votum caſtitatis emittere? Et reſpondendum eſt affirmatiuè, ſiuè teneamus matrimonium diſſolui per ſolam obſtinationem alterius coniugis in infidelitate, ſiuè diſſolui, quãdo renuit habitare cum infideli, aut non vult, niſi cũ offenſa Dei, &c. quia in vtraque ſententia ſaltem licitum erit diuortium, vt probauimus num. 4. Sed ſic eſt, quod per diuortium legitimè factum poteſt quis tranſire, ſeu profiteri Religionẽ, vel aſſumere ordines ſacros, aut emittere votum caſtitatis; igitur id etiam poterit talis fidelis; quod docet S. Thom. 4. d. 39. q. vnic. art. 5. ad 4. Sot. ibi q. vnic, art. 4. ad fin. Angelus ver. matrimonium 3. imped. 10. num. 6. Syluest. verb. matrimonium 8. q. 10. dicto 8. & alij; quos ſequitur Sãchez, lib. 7. diſp. 76. num. 1. Filiucc. tract. 10. de imped. cap. 7. num. 244. & Bonac. de impedim. q. 3. punct. 7. num. 8. verum dicti Doctores monent, exiſtente probabili ſpe conuerſionis alterius coniugis, non eſſe præ-

Digitized by Google

prædicta exequenda, quia per ea poſſet impediri conuerſio dicti cõiugis, eo quod nullam habeat ſpem recuperandi coniugem, id tamen eſt de conſilio tantum, nã ſi quis emiſerit votum caſtitatis, vel religionem profeſſus fuerit, aut ordines ſacros ſuſceperit, tenetur in tali ſtatu permanere, vel ſi tantum emiſerit votum caſtitatis, illud tenetur obſeruare, quia legitimè potuit coniux fidelis diuortiũ celebrare ob obſtinationem coniugis infidelis ex eiſdem Doctoribus. Ante autem monitionem, prædicta fieri non poſſunt.

14. Difficultas tamen eſt, ſi poſtquã fidelis ingreſſus ſit religionem, ante tamẽ profeſſionem, conuertatur coniux infidelis, an teneatur fidelis exire à religione, & ad coniugem reddire? & negatiuam partem defendit Abul. 1. Reg. cap. 8. q. 66. & 74. Quia iam res non eſt integra cum fidelis reperiatur in ſtatu repugnante cum matrimonio. Sed contrarium docet Sanchez lib. 7. diſp. 76. num. 7. Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 7. num. 245. in fin. & Bonac. de imped. q. 3. punct. 7. nu. 10. Et ratio eſt, quia res adhuc eſt integra, cum coniux nõ reperiatur in ſtatu repugnante cum matrimonio; ſed tantum in via ad dictũ ſtatum; deinde diuortium cauſa infidelitatis, non durat ſemper, ſicut illud proueniens ex adulterio, ſed conuerſo coniuge, ſtatim terminat diuortium. Vnde non eſt, cur dictos coniux non adhuc profeſſus, non teneatur redire ad coniugem iã conuerſum. Sed nota, hanc ſententiam eſſe veram iuxta noſtram ſententiam, quã prædicti Doctores ſequũtur in nu. 11. nẽpè matrimonium diſſolui tantum, quando coniux fidelis contrahit aliud matrimonium; ſed iuxta alias ſententias dicto nu. relatas, talis coniux nõ teneretur exire, & eſſet iterum cum tali coniuge contrahendum matrimonium eo modo, quo inter fideles contrahitur; quia iam primũ matrimonium fuit irritum, ſed verè dicendum eſt, matrimonium diſſolui tantum, vel per nouum matrimonium initum à fideli, vel per profeſſionem in Religione approbata, aut per promotionem ad ordines ſacros, vt ex pluribus probat Sanchez num. 9. & 11. & alij Doctores pro noſtra ſententia citati in num. 11. poſt verò profeſſionem, vel nouum matrimonium contractum, aut ordines ſacros ſuſceptos, validè poterit coniux infidelis, imò, & licitè aliud matrimonium inire, etiam ſi conuertatur, vt iam diximus in dicto nu. 11. & fuſius id probat Sanchez lib. 7. diſp. 77. num. 6.

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS, ET RAPTVS.

Quæ crimina, quo iure, & quonammodo dirimant Matrimonium. Cap. CVIII.

1 *Tria ſunt crimina dirimentia matrimonium, videlicet homicidium, adulterium, & raptus; homicidium neceſſe eſt, vt fiat ex amborum volentium contrahere conſenſu, niſi adſit adulterium.*

2 *Quamuis alter ex machinantibus mortem fuerit infidelis, adhuc dictum crimen dirimet matrimonium.*

3 *Sex conditiones requiruntur, vt dictũ crimen homicidij dirimat matrimonium, & prima eſt, vt mors ſequatur, ſecunda, vt tam vir contrahat dictum impedimentum reſpectu vxoris, quam vxor reſpectu viri, &c. tertia, vt adſit adulterium, ſi machinatio fuerit ab vno facta, &c.*

4 *Secundum crimen dirimens matrimoniũ eſt, quando quis fide data de matrimonio, adulterium committit, vel cum ea de facto contrahit.*

5 *Dicta fides data, ſeu promiſſio debet eſſe acce-*

acceptata, vt poſſit dirimere matrimonium.

6 *Tertium crimen dirimens matrimonium eſt raptus.*

7 *Tria requiruntur ad raptum, ſcilicet violentia, vt fiat cauſa libidinis, & fœmina abducatur de loco ad locum.*

8 *Obducere puellam volentem abduci, ſi ſub nullius erit poteſtate, non erit raptus.*

9 *Erit raptus abducere puellam ſui iuris precibus importunis vim afferentibus.*

10 *Raptus non erit, ſi quis poſt ſponſalia rapiat ſponſam volentem abduci.*

11 *Raptus eſt circumſtantia neceſſariò aperienda in confeſſione.*

12 *Raptus alienæ ſponſæ de præſenti ita impedit matrimonium, vt rapiens non poſſit nec cum illa, nec cum alia vnquã contrahere, & idem dicitur de ſponſa, ſi conſenſerit in raptu.*

13 *Raptus pœna ex iure ciuili, eſt vltimum ſupplicium, & includit auxiliantes, & bona tam raptoris cuiuſcunq; fœmina, quam auxiliantis ſunt addicenda fœminæ raptæ.*

14 *Ex iure Canonico raptor alienæ ſponſæ punitur publica pœnitentia, caret ſpe coniugij, & vigore Concilij Trid. adeſt excommunicatio, infamia, &c.*

15 *Cum rapta non poteſt contrahi matrimonium, niſi ponatur in loco tuto, & libero.*

16 *Ad incurrendas pœnas Concilij Tridentini, videtur neceſſarium, vt raptus fiat ad finem contrahendi matrimonium, & puella renitente, ſecus autem ipſa conſentiente.*

1 TRia ſunt crimina, quæ dirimunt matrimonium, videlicet, Homicidiũ, Adulterium, & Raptus; Ad hoc autem, vt homicidium dirimat matrimonium contractum poſt dictum homicidium, neceſſe eſt, vt fuerit perpetratum contra coniugem ex conſpiratione, & voluntatem amborum, qui poſtea contraxerunt, nec ſufficit voluntas vnius tantum, ſi non adfuerit adulterium, vel voluntas contrahendi; tunc enim ſufficiens eſſet, vt infra, Sanchez lib. 7. diſput. 78. num. 9. nec ſufficit ratihabitio, & Gloſſ. cap. Si quis viuente, verb. occidiſſe 31. q. 1. & cap. 1. de conuerſ. infidel. & ibi Hoſtienſ. & Ioan. Andr. in fine, Abbas, Anchar, Cardinal, & alij in fine, Nauar. cap. 22. num. 42. Vgolinus de matrim. cap. 19. num. 9. Sot. 4. d. 35. q. vnica col. penult. Sãchez loco cit. nu. 6. & communiter omnes; Sed neceſſe eſt, vt ab ipſis homicidium procedat, ſiuè immediatè, ſiuè per conſilium, vel mandatũ, vt conſtat ex cap. 1. de cõuerſ. infidel. vbi vxor fidelis non interfecit maritum, ſed infidelis dictæ vxoris machinatione, & inſidijs illum occidit, & ibi ſtatuitur eſſe impedimentum dirimẽs, quia fuit perpetratum delictum cum hac intentione, ſcilicet contrahendi; quod eſt neceſſarium, vt ſit impedimentum dirimens, vt patet ex cap. Si quis 31. q. 1. nec obſtat, an homicidium fuerit perpetratũ, gladio, vel veneno, aut quouis alio modo, vt ſumitur ex cap. 1. & cap. ſignificaſti, de eo, qui duxit in matrimonium, vbi tantum ponderatur coniugis machinatio, quæ non petit, vt mors ſit illata proprijs manibus, ſed quacunque operatione, Angel. ver. matrim. 3. imped. 9. num. 6. Sylu. ver. matrim. 8. q. 9. Turrecrem. cap. Si quis viuente 31. q. 1. num. 5. Nauar. cap. 22. num. 46. Sanchez lib. 7. diſput. 78. num. 5. D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 5. in p. crim. & nota, quod ſufficiet, ſi tale homicidium fuerit perpetratũ cum animo cõtrahendi ab vno tantũ; imò iuxta Caiet. ver. matrim. cap. 1. impedim. 5. in nullo requiritur talis animus, quod etiam aſſerit Sot. 4. d. 35. q. vlt. col. antepenult. P. de Sot. lect. 9. de matrim. in impedim. criminis caſu 2. & alij. Sed contrarium probabilius, & commune eſt, & patet ex cap. ſi quis cit. Filiuc. tract. 10. de imped. cap 8. num. 253. in fine, Bonac. de impedim. q. 3. pun. 6. nu. 5. Sanchez lib. 7. diſp. 78. num. 13. & 14. ex D. Tho. 4. d. 37. q. 2. art. 2. in corp. & ibi D. Bonauent. q. 2. Durand. q. 2. num. 6. Richar. art. 2. q. 2. & diſt. 35. art. 5. q. 3. Palud. d. 34. q. 1. art. 3. num. 12. Valentia 4. par. diſp. 10. q. 5. pun. 3. Henriq. li. 12. de matr. cap. 14. num. 2. Toler. lib. 7. cap. 6. num. 2. & quamplures alij, quos affert Sanchez loco cit.

2. Neq; dicas, ſi alter ex machinantibus

Digitized by Google

tibus mortem alterius coniugis fuerit infidelis, non videtur eſſe irritum matrimonium; quia infidelis non ſubditur legibus Eccleſiæ, ex quibus prouenit dictum impedimentum; nam reſpondetur, leges Eccleſiæ non obligare infidelem, ſed fidelẽ ne poſſit cõtrahi cum tali crimine à quocunq; ſiuè fideli, ſiuè infideli perpetrato, & ſicut Eccleſia præcepit, vt matrimoniũ initum cum infideli ſit nullum, ſic etiam benè potuit ſtatuere, vt nullus fidelis cõtrahat cum infideli, qui commiſit dictum crimen, quamuis conuertatur, & fidem ſuſcipiat; ita declarat Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 14. nu. 2. & ſequitur Sanchez lib. 7. diſp. 78. num. 3.

3. Sex igitur conditiones requirũtur, vt dictum impedimentum ſit dirimẽs, prima eſt, vt dicta machinatio effectum, ſcilicet mortem coniugis ſortita fuerit. Patet ex cap. ſi quis viuente 31. q. 1. vbi habetur, *Niſi fortè adulter, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidi notetur*. Ita D. Thom. 4. d. 35. q. vnic. in fin. in expoſit. litteræ magiſtri; omnes iuris periti cũ Gloſſ. fin. cap. 1. de conuerſ. infidel. & c. ſuper hoc verb. machinata, & c. fin. in fin. de eo, qui duxit, Hoſtienſ. dicto cap. ſuper hoc, & ibi Io: Andræas num. 6. Abbas num. 4. & alij omnes.

Secunda conditio eſt, vt tam vir contrahat dictum impedimentum ob machinationem factam contra vxorem, quam vxor contra virum, quod aſſero, quia Victoria de matrim. num. 292. Ledeſ. 2. par. 4. q. 62. art. 2. poſt 3. propoſitionem, & Canedo de matrim. cap. 5. ad fin. in cõment. num. 38. Docent tantum id eſſe verum, quando vir machinatur contra vxorem, & hoc probabile eſſe ait Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 14. num. 2. in comment. littera V. hæc tamen opinio eſt contra communem, & veram, quam omnes alij Doctores docent, & patet ex verbis cit. ex ca. ſi quis ſcilicet. *Niſi fortè adulter, aut mulier virũ, &c.* Et ita docet Sot. 4. d. 37. q. vnic. art. 4. col. 3. Palud. d. 34. q. 1. art. 3. nu. 17. & d. 37. q. 2. art. 2. num. 8. P. Sot. lect. 9. de matrim. in imped. criminis cap. 2. Nauarr. cap. 22. num. 46. Tolet. lib. 7. cap. 6. num. 2. Sanchez lib. 7. diſp. 78. nu. 8. Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 8. num. 253. §. tertia, & id iam ſupponit Bonac. de impedim. q. 3. punct. 6. num. 8. Caiet. ſum. ver. matrimonium cap. 1. imped. 5. & alij communiter.

Tertia conditio eſt, vt cum mortis machinatione adſit etiam adulterium præcedens mortem, quando ſolus alter coniux machinatur mortem alterius coniugis; at ſi ambo, inter quos eſt contrahendũ matrimonium, machinati fuerint mortem de communi conſenſu, non eſt neceſſariũ adulterium, ſed eo ipſo contrahunt dictũ impedimentum, vt dixi num. 1. ſed nota, quod ſi vir, vel vxor tribuat venenum ſuo cõiugi animo contrahendi &c. Si antequã mors ſequatur cũ effectu, adulteriũ committat, contrahet impedimentum dirimens; ſecus autem ſi poſt mortem, quia non adeſt adulterium, Sanchez loc. cit. num. 10.

Quarta conditio eſt, vt adulterium ſit vtriq; notum, v. g. Berta ſoluta peccauit cum Titio coniugato, ſed Berta neſciebat Titium eſſe coniugatum. Titius verò interficit ſuam vxorem, vt contraheret cũ Berta ipſa inſcia; poterit validè contrahi matrimonium inter Titium, & Bertã, quia adulterium non fuit cognitum. Ita in text. iã allegatis, Sanchez lib. 7. diſp. 78. nu. 12. Rebell. lib. 3. q. 8. num. 10. Valent. tom. 4. diſp. 10. q. 5. punct. 3. & alij communiter.

Quinta conditio eſt, vt occiſio ſequatur ad finem contrahendi cum alio, vt dixi num. 1.

Sexta conditio eſt, vt cum adulterio adſit mors, vt ſupra, vel matrimonium ſit contractum, viuente coniuge, v. g. Titius habuit copulam cum Berta cõiugata, quæ viuente ſuo viro, contraxit cum dicto Titio matrimonium, vel antea contraxerat, & poſtea habuit copulam, nõ poterit amplius contrahi inter dictum Titiũ, & Bertam, & matrimonium antea contractum, eſt nullum, vt habetur in cap. cum haberet, & in cap. fin. de eo, quam duxit, Bonac. de imped. q. 3. punct. 6. num. 8. §. ſecũdum peccatum, Sanchez lib. 7. diſput. 79. num. 1.

4. Secundum crimen, quod dirimit matrimonium eſt, quando quis fide data de matrimonio, adulterium committit,

vel

vel cum ea de facto contrahit viuente coniuge, & vtrumq; ſumitur ex cap. relatum 31. q. 1. Ex Concil. Triburienſi, & idē ſumitur ex cap. 1. & cap. veniens, de eo, qui duxit, & meliùs ex cap. final. eod. tit. in quo ſic habetur. *Si quis vxore viuente fide data promiſit aliam ſe ducturum, vel cum ipſa de facto contraxit, ſi nec ante, nec poſt legitima eius ſuperſtite, cognouit eandem, non eſt matrimonium, quod cum ea contraxit poſt vxoris obitum dirimendum; Cæterum tolerari non debet, ſi prius, vel poſtea dū vixerat vxor ipſius, illam adulterio polluiſſet.* Et ratio eſt, ne detur anſa captandæ mortis coniugum ob ſpem futuri matrimonij; vnde duo neceſſariò debent concurrere, vt dictū impedimentum dirimat matrimonium, nempè adulterium, & ſpes futuri matrimonij ob fidem datam, vel ob contractum iam initum, & parum intereſt an adulterium præcedat, vel ſubſequatur, quia in vtroque caſu datur dicta anſa mortis captandæ, ex cit. cap. fin. & quod omninò hæc duo requirantur patet ex cap. veniens, & cap. final. de eo, qui duxit, vbi dicta duo ſimul petuntur; nec ſufficit, ſi detur fides de matrimonio contrahendo viuēte coniuge, ſed neceſſe eſt vt fides detur de matrimonio contrahendo poſt mortē coniugis, vel vt contrahatur ipſo viuente, quod benè explicatur in cap. relatum 31. q. 1. vbi dicitur. *Inſuper mœcha viuente viro ſuo iuramentū dediſſe, vt poſt mariti legitimi mortem, ſi ſuperuixiſſet, duceret vxorem.* Et idem dicitur de promiſſione facta ex cap. fin. de eo, qui duxit, in qua promiſſione, & multò magis in iuramento, grauiſſimū adeſt peccatum prout deciditur in dicto cap. fin. & hoc tam ex parte promittentis, quam acceptantis, vt ibi tradit Abb. nu. 2. Alex. de Neuo num. 4. & omnes alij.

5. Dicta autem fides data, ſeu promiſſio facta, debet eſſe acceptata, alioquin non eſſet vera promiſſio, ſed pollicitatio. Ita Sanchez lib. 7. diſp. 79. num. 22. & 24. Palud. 4. d. 34. q. 1. art. 3. num. 17. caſu 2. Sot. d. 37. q. vnic. art. 4. verſ. ſecundus caſus, Lopez 2. par. inſtructorij cap. 54. colum. 4. & alij quamplures Doctores, quos affert Sanchez loc. cit. nu. 26. & antea nu. 4. Qui probat requiri acceptationem, nō autem requiri repromiſſionem, vt volebat Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 14. nu. 3. Vgolinus de ſacram. de matrim. ca. 19. num. 3. quos reijcit Sanchez num. 19. non ſufficit tamen taciturnitas in hoc caſu, quia dicta promiſſio, licet liberaliter ſit facta, eſt tamen nociua, & ſic requiritur expreſſa acceptatio, vt idem Doctor nu. 25. & 26. Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 8. num. 256. §. quinta, Bonac. de imped. q. 3. punct. 6. num. 9. & alij communiter. Nec requiritur, vt promiſſio ſit fide vallata, vt inducat tale impedimentum, vt aliqui volebant, quos benè reijcit Sanchez nu. 29. Requiritur tamen, vt primum matrimonium fuerit validum, alioquin, ſi erat irritum, non erit adulterium, & ex conſequenti, neq; erit impedimentū dirimens, vt D. Tho. 4. d. 35. q. vnic. in fin. in expoſ. litteræ, & communiter omnes. Item requiritur, vt adulterium ſit conſummatū per ſeminis immiſſionem intra vas naturale; & vt ſciatur ab vtroq; adulterante, vt iam ſupra diximus, quod fuſiùs vide apud Doctores citatos.

6. Tertium crimen, quod dirimit matrimonium eſt raptus, qui definitur à D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 7. Raptus eſt peccatum luxuriæ, quo perſona aliqua obducitur cum violentia ad turpem actum faciendum; dicitur peccatum luxuriæ, quia per concubitum completur raptus, vt notat Leſſ. lib. 4. cap. 3. nu. 66. Additur, quo perſona aliqua obducitur, ad differentiā rapinæ, quæ fieri poteſt tam in bonis, quā in perſonis, ſed non ad finem luxuriæ, nā reſpectu perſonarum, ſi fiat ad talem finē, dicitur raptus. Additur etiam cum violentia, ad differentiam furti, hæc autem violentia aliquando fit ipſi perſonæ, quæ rapienda eſt, aliquando parentibus, vel alijs illius curam habentibus, aliquando vtriſq; vt idem D. Thom. loc. cit.

7. Ad hoc autem, vt dicatur raptus formaliter, requiritur primò, vt adſit violentia facta perſonæ, quæ ſi erit ſui iuris, ſcilicet ſub nullius cura conſtituta, & cōſenſerit, non erit etiam raptus, quamuis adeſſet conſenſus perſonæ raptæ, maxima enim iniuria parentibus irrogatur, Syl. ueſt. ver. luxuria q. 6. dicto 2. Sanchez lib.

7. diſp. 12.

Digitized by Google

7.diſp.12.n.12.Leſs.lib.4.c.3.dub.9.n.66. Et ſi parentes conſenſerint, & ipſa noluerit, à fortiori erit etiam raptus. Nauar. cap.16.num.3.& S.Thom.2.2.q.154. a.2. & idem dicitur de puella ſub tutoribus conſtituta, Sanchez loc.cit.num. 14. Secundò requiritur, vt raptus fiat cauſa libidinis. Idem Doctor. num. 17. Bonac. q. 4.punct.18.nu.6.& alij communiter. Tertiò requiritur vt ſit traductio de loco ad locum, Sanchez num.3.& 20. Quartò, vt mulier rapta, ſit honeſtæ vitæ, vt ſtatim dicemus, non tamen deſideratur metum expreſsè inferri, ſed ſufficit, vt puella aſpiciat homines deferentes arma ad eã compellandam, ſi renitens fuerit, vt Sanchez lib.7.diſp.12.num.5.& 22.& 23.

8. Ex quibus dictis colligitur, non eſſe raptum obducere puellam ſub nullius poteſtate conſtitutam, & volentem abduci, prout volebat Abbas cap.penult. cap.4.de raptor. Angel.l.vnic.nu.5.C.de rapt. virg. raptus enim dicit vim, & violentiam, vt conſtat ex l.3. ver. non ſolum ff.de incendio ruin.his verbis. *Aliud autẽ eſſe rapi, aliud amoueri, palam eſt. Si quidem amoueri aliquid etiam ſinè vi poteſt, rapi autẽ ſine vi non poteſt*. Et omnes Theologi cum D.Thom.2.2.q.154. art. 7. Docent ad raptum, neceſſariam eſſe violentiam. Colligitur etiam, ſi puella obductioni conniueat, & copulę reſiſtat, non erit raptus, ſed copula vi extorta, quæ licet habeat ſpecialem malitiam, non tamen erit raptus; è contra, ſi obductioni reſiſtat, & poſtea conſentiat erit raptus, quia initium ſpectatur, Sanchez lib.7.diſp.12. num. 7. Filiuc.tr.10.de imped.cap.8.nu.258. Tertiò ſi fœmina diſſentiat, & parentes conſentiant, erit etiam raptus ob iniuriam puellæ irrogatam, D.Tho.2.2.q.154. art. 7.D. Antonin.2.par.tit.5.cap. 5. in princ. Sanchez nu.8.Filiuc.ibidem, Nauar. cap. 16.num.3.& alij. Et quamuis ad l. vnicam §.& ſi quidem, verſ. pœnas autem C. de rapt. virg. dicatur cõmitti raptum, ſiuè mulier velit, ſiuè nolit, id tamen procedit ex proſumptione, qua vtitur lex ciuilis in foro fori, vt ibi docet Salicet. num. 29.& 30. Ruinus conſil.122. num. 5. vol. 4.& alij.

9. Erit etiam raptus, ſi fœmina ſui iuris importunis precibus vim afferentibus abducatur, patet ex l.3.ver.ſi quis volentem ff.de libero homine exhibendo, vbi ſollicitationibus detentus, dicitur, *vi ac dolo retineri*, & in l. 1. §. perſuadere ff. de ſeruo corrupto dicitur. *Perſuadere autem eſt, pluſquam compelli*. Ita docet in citat. l.vnica verb. ipſum velle, & ibi Bald. nu. 20. Nauar.lib.5.conſil.tit.de raptorib. cõſil. 1. num. vnico. Et idem dicitur, ſi doloſis perſuaſionibus, vel quibuſcunq; fraudibus mulier abducatur, vt patet ex ead. l.vnic.§.& ſi quidem verſ. pœnas autem, vbi dicitur. *Niſi odioſis artibus circumuenerit*. Sanchez lib.7.diſp.12.num.10.& 11.

10. Sed nota, raptum non dici, neq; raptorem incurrere in pœnas raptus, ſi præceſſerint tractatus de matrim. ineundo, vt habetur ex cap. penult. de raptor. vbi Abbas notab. 1. & num.4. ait. *Tunc aliquid actum eſſe de nuptijs, quando ſponſalia præceſſerint*. Quod ex alijs multis confirmat Sanchez loc.cit.num.15. vbi ſimiliter notat. Duas deſiderari conditiones, vt non adſit raptus, nec detur locus pœnæ; prima eſt, vt puella abductioni conſentiat, ſecunda, vt præceſſerint ſponſalia Syluest.ver.luxuria q.6.dict.10.& alij. Pœnas autem raptus non incurrit rapiens virum, neq; ſi fœmina rapiat virum, vel aliã fœminam tam quoad pœnas iuris ciuilis; quam Concilij Tridentini, licet multi (teſte Sanchez lib.7.diſp.12.num.25.in fin.) Contrarium aſſerant, loquendo de pœnis iuris ciuilis.

11. Quando autem raptus conſtituat circumſtantiam ſpecificam neceſſariò cõfitendam? Reſpondeo, quando vir affectu luxuriæ impulſus, vim ferat fœminæ, vel ijs, qui dictæ fœminæ curam habent, vt ſuam libidinem expleat. Sumitur ex D.Tho.2.2.q.154.art.7.ad 1.& Caiet. ibidem in ſolut. ad 2. Et ratio eſt, quia vltra malitiam luxuriæ, adeſt violentia illata contra iuſtitiam; imò etiam ſi fœmina nõ abducatur, quomodocunq; vis adſit, erit raptus nouam circunſtantiam conſtituẽs Sanchez lib.7.diſp.12.num.31.Nauar. ca. 16.num.3. P. Nauarr.de reſtit.cap. 3. par. 4.dub.1.num.418. in noua edit. Tolet.lib. 5.cap.12.

5. cap. 12. num. 7. Vnde ſiuè rapiatur maſculus, ſiue fœmina, ſiue puella, ſiue violata, dummodo adſit vis, ſemper conſtituit circumſtantiam ſpecialem in ordine ad confeſſionem, & idem etiam dicitur ſi ob importunas preces vim afferentes, vt diximus num. 7. in fin. copula obtineatur.

12. Sed quid ſi quis rapiat alienam ſponſam? Reſpondeo hodie talem raptum impedire matrimonium, ita vt raptor, nec cum rapta, nec cum quacumq; alia poſſit matrimonium contrahere, licet ſi contrahat validum erit, conſtat ex cap. Statutum 27. q. 2. vbi dicitur *Statutum eſt à ſacro Conuentu, vt ſi quis ſponſam alterius rapuerit, ſine ſpe coniugij maneat.* Palud. 4. d. 34. q. 1. art. 2. num. 13. Caiet. 2. 2. q. 154. art. 7. ad finem Sot. d. 37. q. vnic. art. 1. ver. raptore, & ſi ſponſa cõſenſerit raptui, nec poterit alio matrimonio copulari, Sanchez lib. 7. diſp. 12. num. 43. & 44. Intelligitur tamen dicta doctrina, quando raptus erit ſponſę de præſenti, ſcilicet poſt contractum matrimonium, licet non conſummatum; idem Sanchez nu. 45. Requiritur tamen, vt dictus raptus fiat cum traductione ſponſæ de loco ad locũ, & vt adſit copula, quamuis ad incurrendas pœnas iuris ciuilis, nõ videatur copula neceſſaria. Si autem raptus fiat ex vtriuſq; ſponſi voluntate, nec talis raptus erit impedimentũ impediens, tum quia non eſt verus raptus, tum quia nulla fit iniuria matrimonio ex vulgari regula, *Volenti, & conſentienti nulla fit iniuria*, neque erit locus dicto impedimento, ſi ſolus vir conſentiat, renitente vxore quia non fit perfecta iniuria matrimonio, ſecùs autem, ſi ſola fœmina conſentiat, viro renitente; imò ipſa quoque erit ligata dicto impedimento, vt eo matrimonio ſoluto, non poſſit alij nubere. Neque ad hoc impedimentũ aliquid facit parentum conſenſus, aut contradictio, quia ſpectatur tantũ ſola iniuria matrimonij; ſic etiã ſi fœmina rapiat alienum ſponſum, nec daretur locus dicto impedimento, quia tantummodo ob raptum ſponſæ; hæc pœna poſita eſt in cit. cap. Statutũ, vide Sanc. lib. 7. diſp. 12. nu. 46. & ſeqq.

13. Pœnæ autem contra huiuſmodi raptorem ſponſæ alterius, vel cuiuſuis fœminæ, ſunt partim ex iure ciuili, & partim ex iure Canonico, & ex iure ciuili in lege vnica, Cod. de rapt. virginum, pro raptu puellę, vel mulieris honeſtæ, ſiue nuptę, ſiue innuptæ ſtatuitur ſupplicium capitis, tum raptori tum illis, qui ad id auxilium dederunt, & eorum bona ſunt addicenda per iudicem mulieri raptæ. Deinde, deprehenſus in infragranti crimine, poteſt à coniunctis perſonis, vt à parentibus, tutoribus, vel curatoribus raptæ interfici; Sed id non poteſt fieri in foro conſcientiæ, quando poteſt euitari crimen abſque interfectione. Si verò rapta fuerit ſerua, idem ſupplicium capitis decernitur abſq; tamen bonorum addictione, ad quas pœnas incurrendas, ſufficere vim illatam cauſa libidinis, licet perſona nõ ſit abducta ex communi ſententia docet Leſſ. lib. 4. cap. 3. dub. 9. num. 68.

14. Ex iure verò Canonico in cap. Raptor 33. & ca. 34. Statutum 27. q. 2. Statuitur primo, vt Raptor alienæ ſponſæ puniatur publica pœnitentia. Secundò vt careat ſpe coniugij, licet ſi contrahat, validum erit matrimonium, quia dictus raptus eſt tantum impedimentũ impediens; licet poſſit in eo Epiſcopus diſpenſare, quamuis quibuſdam in locis, dictum impedimentum non ſit in vſu, vt docet Nauarr. cap. 22. num. 74. Tertiò raptor puellæ, vel mulieris cuiuſcunque, & omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem præſtantes, ſunt ipſo iure excommunicati, & perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu erunt eijciendi iuxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 6. Maiolus autem lib. 5. de regul. c. 42. in fin. ait. *Laicum ſiue Clericum raptorem, & ei auxiliantes, eſſe irregulares, eo quod dictum Concilium ſtatuat hos eſſe infames, & à proprio gradu decidere.* Sed id, quod iam diximus, verum eſt, vt docet Leſſ. lib. 4. cap. 3. du. 9. num. 68. in fin. quod confirmat Nauar. lib. 5. conſil. tit. de raptorib. conſil. 3. num. 4. in 2. edit. dum ait, dictum Concilium non definijſſe dictum raptorem eſſe irregularẽ, ſed infamem, infamiam autem eſſe cauſam irregularitatis, vnde tunc erit irregularis quando per iudicem fuerit condemnatus

& ob

Digitized by Google

& ob infamiam, ſeu ratione dicti criminis à priori gradu eiectus, quod ſequitur Sanchez lib.7.diſp.13.num.1.propè finem; Sed vtrum dictus raptus debeat eſſe ad finem matrimonij. Dicam ſtatim.

15. Quarta pœna eſt, quod inter raptorem, & raptã quamdiù manſerit apud dictum raptorem, nõ poſſit dari matrimonium etiam ſi ipſa liberè conſentiat, ſecùs autem ſi ponatur in loco tuto, & libero, in quo rapta liberè conſentiat, vt dicitur in d. Conc. licet ex iure antiquo ſufficiebat, vt rapta liberè conſentiret, dum erat apud raptorẽ, vt Couar.2.p.c.3.§.9.n.1.& alij; cum Filiuc.tract.10.de imped. c.8. n. 261. Non tamen ex hoc talis raptor erit immunis à pœna excommunicationis, & infamia, quidquid aliqui dicant, quos tacito nomine reijcit, Leſs.lib.4.cap.3.dub. 3.num. 69. Sumitur apertè ex dicto Concil.Trid.vbi ſic habetur. *Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem prabentes, ſint ipſo iure excommunicati ac perpetuò infames.*

16. Et circa dictum decretum Concilij Trident. tria notanda ſunt. Primum valdè probabile eſſe, ipſum non habere locum in raptu facto cauſa libidinis; ſed tantum facto cauſa matrimonij contrahendi. Ita Sanchez lib.7.diſp. 13. nu. 4. vbi plures affert, & ſequitur Leſs. lib. 4. cap.3.dub.9.num.70. Nam congruum eſt, vt ille raptus ſit impedimentum matrimonij, qui ſit cauſa ipſius matrimonij. Secundò non habere locum, ſi puella ſpõtè abductioni conſentiat, quamuis fiat parentibus repugnantibus, quia talis raptus nõ repugnat libertati matrimonij ob quã ſeruandam fuit inſtitutum tale impedimentum; licet iure ciuili ponatur ob violentiam, & iniuriam factam parentibus reſiſtentibus, quod ſufficit ad rationẽ raptus vt diximus num. 7. Tertium nec habere locum, ſi ſponſus rapiat propriam ſponſam, eo quod aliquod ius, ob ſponſalia, in eam habeat, vt ex D. Tho. & alijs docet Leſs. loc. cit. in fin. habere tamen locum dictum decretum in raptu cuiuſcunq; fœminæ etiam inhoneſtæ, vel coniugatæ, dummodo fiat cauſa contrahendi matrimonium, idẽ docet Filiu. tr.10.de impedim.cap.8.in fin.§.penul.ex Sanchez lib.7.diſp.13.num.14.

DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS.

Quid ſit Ligamen, quo iure, & quando dirimat Matrimonium. Cap. CIX.

1 *De fide certum eſt adeſſe in Eccleſia praceptum diuinum prohibens vxorum pluralitatem, habere autem plures viros, eſt iure natura prohibitum.*

2 *Habere plures vxores non eſt contra primena pracepta iuris naturalis, & ideò Deus in lege veteri in hoc diſpenſauit.*

3 *Plures nuptia ſucceſsiuè, licita ſunt, ſcilicet poſt mortem coniugis.*

4 *Secunda Nuptia ſunt benedicenda, quando alter coniugum tantum illas habuit in primo matrimonio, vel quando illas habuit vir, & non fœmina iuxta conſuetudinem Eccleſiarum.*

5 *Matrimonium licet reperiatur irritũ, adhuc benedictiones valida erunt, nec ſunt repetenda.*

6 *Parochus impendens benedictiones in vſu non permiſſo, incidit in ſuſpẽſionem ferendam, non tamen eſt talis cenſura reſeruata.*

7 *Has benedictiones debet impendere tantummodo Ordinarius, vel Parochus cõtrahentium, aut alij de horum licentia,*

alioquin in pœnas Concilij Tridentini quis incidit.

8 *Religioſi impendendo dictas benedictiones abſq; licentia Ordinarij, vel Parochi, non incidunt in Excommunicationem Clement. 1. de Regularibus.*

1 PEr ligamen intelligitur vinculum prioris matrimonij, quo durante aliud contrahi non poteſt, alioquin irritum erit. Et in primis certum, & de fide eſt, adeſſe præceptum diuinum in lege Euangelica, quo prohibetur vxorum pluralitas vt habetur in Concil. Trident. ſeſſ. 24. de matrimonio can. 3. his verbis. *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum, anathema ſit.* Et olim fuit etiam definitum ab Innoc. III. in cap. gaudemus de diuor. Alex. III. in cap. licet de ſponſa duor. & alij plures Pontifices, & à dicto Innocen. III. probatur hæc veritas verbis Chriſti Matth. 19. *Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, mœchatur.* Et iterum ibi. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam creauit eos, & dixit. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Sed vtrum id ſit etiam iure naturali prohibitum? Reſpondeo, vnam vxorem habere plures viros, certum eſt, eſſe iure naturali prohibitum, quia pluralitas virorum impedit generationem, quæ eſt primarius finis matrimonij, vt experientia teſtatur in meretricibus: quam veritatem probat Pater Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana, exemplo Patrum Veteris Teſtamenti, quibus fuit diſpenſatum, vt poſſent accipere plures vxores, nunquam tamen fuit diſpenſatū, vt vna vxor plures habeat coniuges, quod etiam docet D. Thom. 4. d. 33. q. 1. art. 1. ad 7. quoad pluralitatem autem plurium vxorum reſpectu vnius viri, quidam affirmant id nō eſſe iure naturali prohibitum, nec iure diuino antiquo poſitiuo, vt Durand. 4. d. 33. q. 1. n. 9. & 10. Caiet. cap. 16. in Gen. Abulen. 1. Reg. 8. q. 25. Metina lib. 4. de ſacrorum hominū continentia, controu. 1. tom. cap. 9. & idem videtur docere Scot. 4. d. 33. q. 2. art. 2. & aliqui alij. E contra verò alij aſſerunt Polygamiam eſſe iure naturę interdictā, quod probant ex verbis Apoſt. 1. Cor. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Ita Aureolus teſte Capreolo 4. d. 33. q. 1. art. 2. & idem videtur tenere Menochius de arbitrarijs lib. 2. centuria 1. caſu 420. à num. 46.

2. Sed notandum eſt pręcepta pertinentia ad ius naturæ eſſe in duplici differentia, quædam pertinent ad ius naturæ tanquam principia primæua iuris naturalis, quæ certiſſimam, & inuiolabilem rectitudinem continent, vt ſunt præcepta decalogi, quædam ſunt, quæ colliguntur tanquam concluſiones ex primis principijs, & hæc licet contineat certam rectitudinem, non tamen illam tenent inuiolabilem quin ab ipſo Authore naturæ ob aliquas cauſas immutari non poſſint; quo poſito. Dicendum eſt, habere plures vxores non eſſe contra præcepta primæua iuris naturalis, ſed contra præcepta ſecundaria, & ideò Deus in illis diſpenſauit in veteri lege, concedendo pluralitatem vxorum. Ita docet D. Thom. 4. d. 33. qu. 1. art. 1. in cor. & ad 1. 6. & 9. & art. 2. in cor. Richard. art. 1. q. 1. Palud. q. 1. art. 1. num. 9. Capreol. q. 1. art. 1. concluſ. 1. Sot. q. 1. ar. 1. D. Antonin. 3. p. tit. 14. ca. 10. §. 1. Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 6. num. 1. Valent. 4. p. diſp. 10. q. 1. pun. 3. colum. 3. verſ. 5. Sanchez lib. 7. diſp. 8. n. 8. Bonac. de imped. q. 3. pun. 10. n. 4. & plures alij. Vnde, vt ijdem Doctores aſſerunt, non poterit Pontifex in hoc diſpenſare, vt etiam optimè probat Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 11. propoſ. 1. Nec id potuit, nec poteſt aliqua conſuetudine introduci, ex qua doctrina faciliter reſpondetur ad contrarias opiniones.

3. Vtrum autem plures nuptiæ ſucceſſiuè licitæ ſint? Et affirmatiuè reſpondetur, patet ex communi vſu Eccleſiæ, & ſumitur ex verb. Apoſt. ad Rom. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Et 1. Corinth. 8. *Si dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat.*

4. Sed quæſtio eſt vtrum ſecundæ

nuptiæ

nuptiæ ex præcepto Eccleſiæ ſint benedicendæ? Sed prius ſciendum eſt, benedictiones nuptiales conuenientiſſimè fuiſſe ab Eccleſia inſtitutas; quod ſi quis contrarium dixerit, erit ipſo facto excommunicatus, vt habetur in Concil. Tridentino ſeſſ. 24. de matr. can. 1. Vtrũ aũt ſint ex præcepto præmittẽdæ ante conſummationẽ matrimonij, vel an ſit peccatum mortale illas omninò omittere, &c. Iam diximus ſupra cap. 97. num. 17. & 18. Ideò tantummodo quæritur, an ſecundæ nuptiæ ſint etiam benedicendæ? in qua quæſtione, licet plures ſint ſẽtẽtiæ, duæ tamen principaliores ſunt. Prima aſſerit ſecundis nuptijs non eſſe dandam benedictionem, quando dicũtur ſecundæ reſpectu vtriuſque ſponſi, aut ex parte ſolius fœminæ, ſecus autem, ſi ſint ſecundæ ex parte ſolius viri. Et ratio eſt, quia ex eo prohibetur ſecundarum nuptiarũ benedictio, quia deficiunt à plena ſignificatione Sacramẽti, cum in eis nõn ſignificetur vnica ſponſa vnius ſponſi Chriſti cum Eccleſia, & licet in ſecundis nuptijs ex parte viri non ſit totalis ſignificatio Sacramenti. Aliqualis tamen ſignificatio ibi adeſt, quia licet Chriſtus vnicam ſponſam habeat, ſunt tamen in Eccleſia plures animæ Chriſto deſponſatæ; At anima nequit eſſe ſponſa alterius, ſed tantum Chriſti. Hanc ſententiam docet D. Thom. 4. d. 42. q. 3. ar. 2. ad 2. D. Bonau. ibi art. 3. q. 2. ad fin. Sylu. ver. nuptiæ q. 2. P. de Ledeſm. de matrim. q. 63. art. 2. ad fin. & alij. Secunda autem ſententia ait, ſi vterque, vel alter coniugum benedictionem acceperit, non eſſe ſecundis nuptijs benedictionem elargiendam, secùs ſi neuter coniux benedictionem in primis nuptijs acceperit. Probatur ex cap. vir de ſecundis nuptijs, vbi ſic habetur. *Vir autem, & mulier ad bigamiam tranſiens, non debet à presbytero benedici, quia cum alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet.* Hanc opinionem tenet Paludan. 4. d. 42. q. 3. art. 1. concluſ. 2. n. 6. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 16. num. 2. Valent. 4. p. diſp. 10. q. 6. pun. 1. verſ. deinde etiam, Graffius 1. part. deciſion. lib. 2. c. 82. n. 2. & alij. Sunt etiam alij Doctores aliter ſẽtiẽtes. Sed veritas eſt, quod in dictis benedictionibus ſit ſeruãda cõſuetudo vnius cuiuſq; Eccleſiæ, ſiuè dicta cõſuetudo ſciatur a Põtifice, & toleretur, ſiuè nõ ſciatur. Ita Sanchez lib. 7. diſp. 82. nu. 20. & ſumitur ex doctrina Palud. 4. d. 42. q. 3. art. 1. cõcluſ. 3. num. 7. Couarr. 4. decret. 2. par. cap. 6. §. 10. num. 19. Ludouicus Lopez 2. par. inſtructorij de matrim. ca. 46. col. 6. verſ. deinde dubitare, Tabbiena autem verb. impedimentum impedim. 14. in fin. ait circa benedictiones, ſeruandam eſſe conſuetudinem, & maximè quando ſcitur à Pontifice, & abſq; vlla limitatione ſimiliter id docet Nauar. cap. 22. nu. 83. Angelus ver. nuptiæ num. 2. Bonacina autem de matr. q. 4. punct. 6. num. 4. Filiuc. tract. 10. cap. 4. num. 168. & alij aſſerunt ex conſuetudine introductum eſſe, vt ſecundæ nuptiæ benedicantur, quando alter coniugum non ſuſcepit benedictionem; ſed etiam de hac conſuetudine, an verè ſit ita introducta, variæ etiam ſunt opiniones, & ideò certa via eſt, vt vnuſquiſq; conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ ſequatur.

5. Et nota, quod licet, matrimonium reperiatur irritum, adhuc benedictiones validas eſſe, ita vt, ſi poſtea iterum contrahant non debeant iterum benedici, niſi aliunde eſſent benedicendi, vt quia cum alijs contrahunt, qui non habuerunt benedictionem, & iuxta conſuetudinem, vt ſupra, ambo iterum eſſent benedicendi, Filiuc. loc. cit. num. 169. Sed melius, & fuſiùs vide Sanchez lib. 7. diſput. 82. nu. 25. & 26.

6. Sed vtrum Parochus tribuens benedictiones in caſu non permiſſo, incurrat in aliquam pœnam? Reſpondeo breuiter, incurrere in ſuſpenſionem ferendã; quæ ſuſpenſio, licet fuerit reſeruata in cap. 1. de ſecundis nuptijs ab Alexandro III. fuit tamẽ poſtea dicta reſeruatio ablato à Io: 22. in Extrau. concertationi. Nec dicta ſuſpenſio eſt pœna ordinaria huius delicti; ſed poterit à iudice grauior, vel leuior imponi iuxta qualitatem delicti, vt fuſiùs Sanchez loc. cit. à num. 27. & ſeqq. & ſequitur Filiucc. ibidem num. 170.

7. Quis autem impedire debeat dictas benedictiones? Reſpondeo, has benedictiones impendendas eſſe à proprio

Digitized by Google

trahentem cum impotentia ad tempus, quia eſſet ac ſi quis ſe obligaret ad ſoluẽdum eo tempore, quo impotens eſt, vt Richard. 4. d. 34. art. 2. q. 1. licet id limitet, niſi magna neceſſitas id ſuadeat, Sot. 4. diſt. 34. q. vnic. art. 2. col. 3. in fin. primæ concluſ. & alij. Nec explicãt dicti Doctores an mortaliter peccent dicti ſic contrahẽtes. Tamen dicendum eſt, nullam adeſſe culpam in ſic contrahentibus, quia lex matrimonij obligat ad inſtar præceptorum affirmatiuorum, quæ obligant ſemper, ſed non pro ſemper, ſic etiam matrimonium non obligat pro ſemper ad reddendum debitum; ſed dum potẽs eſt, & benè poteſt quis obligari pro debito, quod de præſenti non eſt ſoluendo, pro tempore, quo erit ſoluendo, vnde benè infert Sanchez lib. 7. diſp. 92. nu. 5. Laborantem graui infirmitate nullo modo peccare, contrahendo matrimonium.

3. Sic etiam impotentia coeundi, quæ non eſt ſimpliciter impotentia, ſed difficultas maxima in emiſſione ſeminis cum periculo ægritudinis, non dirimit matrimonium, vt patet ex cap. 2. de coniug. & leproſ. in quo ſic habetur. *Validum eſſe matrimonium cum leproſo*. Et ex cap. fraternitatis de frigid. & malefic. vbi deciditur. *Matrimonium eſſe validum, ſi mulier arcta per inciſionem abſque periculo mortis redatur apta ad matrimonium*.

4. Impotentia autem, quæ conſiſtit in nõ poſſe emittere ſemen intra vas mulieris, vel quia nullo modo ſeminet, vel quia præ nimia caliditate, non poſſit vas fœminæ expectare; ſi perpetua erit, nec poſſit medicinis iuuari, irritum reddit matrimonium, quia ad indiſſolubilitatem matrimonij, requiritur culpa coniugalis, cum tunc coniuges fiant vna caro, vt cõſtat in cap. laudabilem de frig. & malefic. vbi dicitur. *Vterque iureiurando dicat, quod nunquam per carnis copulam, vna caro effecti fuiſſent, & tunc videtur, quod mulier poſſit ad ſecundas nuptias conuolare*. Ita docet Paludan. 4. d. 34. q. 2. art. 1. concluſ. 2. num. 8. & art. 2. num. 14. & ibi Sot. q. vnic. art. 2. D. Antonin. tit. 1. cap. 12. §. 1. & 2. Valent. 4. p. diſp. 10. q. 5. pun. 3. verſ. de huiuſmodi, Tolet. lib. 7. cap. 12. num. 2. Sanch. lib. 7. diſp. 92. num 7. Nauar. cap. 22. num. 59. Angelus verb. matrimonium 3. imped. 16. nu. 3. Sylu. verb. matrimonium 8. q. 16. dicto 3. & 7. & alij communiter. Eſſet tamen validum matrimonium, quando vir ſeminaret, & fęmina eſſet capax ſeminis viri, licet impotens ipſa eſſet ad ſeminandum, quia ſemen mulieris, quamuis valdè conferat ad generationem, præcisè tamen non eſt neceſſarius. Vt iam diximus in num. 1. Et ex altera parte minima pars ſeminis viri ſufficiens erit ad generationem, vnde nec erit inualidum matrimonium, ſi vir non poſſit totum ſemen, ſed tantum partẽ eius fundere intra vas mulieris. Et ſi fęmina tam arcta eſſet, vt nulla arte poſſet fieri apta ad recipiendum ſemen, tunc ſimiliter irritum eſſet matrimonium, quia coniuges non poſſunt fieri vna caro, vt iam diximus; & idem eſt dicendum, ſi fęmina ob nimiã latitudinem vel ob aliam cauſam minimè poſſet vir coire, neque ſeminare. Nec valet moderatio aliquorum, qui tunc concedunt matrimonium poſſe fieri irritum, quando defectus non fuit præcognitus, vt Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 7. num. 4. Nam natura matrimonij poſtulat potentiam ſeminandi intra vas, vt coniuges poſſint effici vna caro; vnde parum intereſt, an præceſſerit dicti defectus ſcientia ad valorem matrimonij. Et ideò Sixtus V. in ſuo motu proprio, quem infra referam, declarat coniugium Eunuchorum eſſe irritum, quamuis ſciente altero coniuge initum fuerit, Sanchez loc. cit. num. 12. Et licet fœmina poſt ſuſceptionem ſeminis, illud emittat. Parum refert, quia vt coniuges fiant vna caro, ſufficit, vt ſemen fũdatur intra vas, Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 3. num. 64. & è contra ſiuè ex frigiditate naturali, ſiuè ex nimio calore, ſemen non poſſit recipi, ſeu fundi intra dictum vas, ſemper matrimonium erit nullum, ſi impedimẽtum fuerit perpetuum D. Tho. 4. d. 34. q. vnic. art. 2. & ex pluribus alijs docet Sanchez num. 13. & Filiuc. loc. cit. num. 63. & ſeqq.

5. Ex qua doctrina ſequitur, matrimonium initum cum Eunuchis carẽtibus vtroq; teſticulo, eſſe irritum, quia dicti, licet

licet poſſint virgam erigere, hoc non ſufficit, vt aliqui volebant, nec ſi aliquod ſemen omninò ineptum emittant, vt aliqui Doctores olim etiam volebant, quia primarius finis matrimonij eſt potentia ad generandum, & cum hi ſint impotentes, non poſſunt matrimonium contrahere. Probatur ex motu proprio Pij V. edito anno 1587. in quo ſic habetur. *Committimus fraternitati tuæ, & mandamus, vt coniugia per dictos, & alios quoſcunque eunuchos, & ſpadones vtroque teſte carentes, cum quibuslibet mulieribus defectum prædictum ſiue ſcientibus, ſiue ignorantibus contrahi prohibeas, eoſq; ad matrimonia contrahenda inhabiles auctoritate noſtra declares, & tam locorum ordinarijs, ac huiuſmodi coniunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui ſic de facto contraxerint, ſeparari cures, & matrimonia ipſa ſic de facto contracta, nulla, irrita, & inualida eſſe decernas.* Imò ante dictum motum Pij V. adhuc dicta opinio communis erat inter Theologos, & Iuriſperitos, vt teſtatur Sanchez lib.7. diſp.92.num.17. eamque docuit D. Thom.4.d.34.in fin.in expoſ. litteræ, Sot. ibi quæſt.vnic.art.2. Albertus Magnus ar. 4.in cor. & alij plures apud dictum Sanchez.

6. Non tamen ex hac doctrina ſequitur, quod matrimonium initum cum ſene, licet decrepito, non ſit validum, quia nullus eſt adeò ſenex, vt non poſſit ſaltem medicinæ arte calere, & dicta impotentia eſt tantum quoad exercitium, & quaſi per accidens reputanda, ſed melior ratio, quę mihi videtur eſt, quia ſic ſe habet vſus Eccleſiæ; vt loquitur Henriq. lib.12. de matrim.cap.7.nu.3. quam doctrinam tradit D.Thom.4.d.34.q.vnic.art.3. ad 3.& alij omnes. Et idem dicas de matrimonio contracto cum vetula, vt Sanchez lib.7. diſp.92.num.19.20.& ſeqq. Secùs eſt autem dicendum de ſene adeò exhauſto, vt nullo modo, nec vlla arte medicinæ copulam habere poſſit. Ita tenet Sot.4. d.34.q. vnic.in ſolut.ad 2. Richar.art.2.q.1. ad 2. & alij plures cum Sanch. loc.cit. num.24. Licet alij, quod etiam puto probabile, contrarium ſentiant, nempè etiam cum tali ſene, matrimonium eſſe validum, ita Vega 2.tom.ſummę c.34.caſu 61. Rodriq. 1.tom.ſummæ 2.edit. cap.235. concluſ.6. num.5. Tabbien. ver. impedimentum, imped.12.q.3.num.4. Nauar.lib.4. conſil.tit. de ſponſalibus conſil. 39. num. 15. & 18. vel in 2.edit.tit.de deſponſat.impub.conſil.4.num.15.& 18. Et ratio eſt, quia per accidens eſt, vt ſenex non poſſit habere copulam, cum iam talem virtutem habitualiter habeat, vt ſuppono, non videtur cur non poſſit cum eo contrahi matrimoniũ, & ex eo mihi magis hæc opinio probabilis videtur, quod Eccleſia vſque modo nihil in contrarium determinauerit.

7. Ex quo infertur, maiori ratione, ſterilitatem non eſſe impedimentum dirimens matrimonium; quia licet per illam non habeatur primarius finis matrimonij. ſcilicet generatio, habetur tamen ſecundarius, ſcilicet ſatisfactio concupiſcentiæ, quod ſufficit ad valorem matrimonij, vt docet D.Thom.4.d.54.q. vnic.art.2.ad 3. quam omnes Theologi ſequuntur.

8. Sed quid dicendum de matrimonio contracto cum fœmina non valente parere abſque manifeſto mortis periculo? Et multi probabiliter quidam aſſerũt, dictum matrimonium irritum eſſe, & ratio eſt, quia in cap.fraternitatis de frig.&maleſic. decernitur, matrimonium contractũ cum muliere arcta, quæ non poſſit abſque vitæ periculo reddi apta, eſſe irritum; Ergò idem erit dicendum de fœmina non valente parere ſine periculo vitæ, deinde iam impeditur proles, & obligatio reddendi debitum, igitur nullum erit matrimonium. Hanc opinionem multi tenent, quos affert Henriquez lib.12. de matrim. cap.7.nu.8. Et ipſe probabilem illam vocat, quod etiam fatetur Sanch. lib.7. diſp. 92.num.28.& illam etiam abſolutè docet Rodriq.1.tom.ſummæ cap. 235. concluſ. 6.num. 6. Bartholomæus à Ledeſ. de matrim.dub.48.concluſ.2. P.de Ledeſma de matrim.q.58.art.1. in fin. Martinus à Ledeſma 2.p.4.q.60.art.1. verſ. Sed circa hæc eſt dubium, & alij ab his relati. Contrarium tamen putant probabilius dictus Sanchez, & Henriq.loc.cit. vbi alios referunt, ſequitur Bonac.q.3. pun.13. num.15. Vbi idem dicit eſſe de non potente reddere

dere

dere debitum abſque graui periculo infirmitatis; Filiucc.tract.10. de imped.c.3. num.65. Licet primam ſententiam vocet etiam probabilem, ratio horũ Doctorum eſt, quia hoc impedimentum non eſt perpetuum, & ſaltem tempore ſenectutis ceſſabit; deinde non obſtante dicto impedimento, benè ambo coniuges fiunt vna caro, igitur validum erit matrimonium. Deinde eſſentia matrimonij conſiſtit in mutua obligatione ad copulam aptam ad generationem; nec obſtat, ſi per accidens non poſſit ſequi proles, vt diximus de ſterili; ſed ſic eſt, quod in hoc caſu datur mutua traditio ad copulam ex ſui natura apta ad generationem, ergo, &c. Idem eſt etiam dicendum de fœmina, quæ non poſſet parere filios viuos, ſed mortuos: vt idem Sanch. n.29. Et verè neſcio quonam modo dicti Doctores poſſint primam opinionem probabilem vocare, cum impotentiam partus, ſupponat matrimonium conſummatum, poſt quam conſummationem, nullum impedimentum ſuperueniẽs poteſt illud dirimere, vt infra n.24.

9. Secundò quæritur, quęnam impotentia naturalis perpetua non abſoluta reſpectu omnium, ſed reſpectu mulieris arctæ, aut virginis, dirimat matrimonium? Suppono dari poſſe impotentiam naturalem reſpectiuè perpetuã, reſpectu vnius, vel alterius fœminæ, non autem reſpectu omnium; poteſt enim mulier eſſe tam arcta, & ex altera parte vir adeò pinguis; vt nullo modo, nec vlla arte poſſit debitam copulam matrimonialem habere, vel poteſt eſſe vir adeò debilis, vt nullo modo poſſit cum virgine copulam habere, poſſit autẽ cum corrupta, qui defectus quãdo fuerint perpetui, certum eſt, quod dirimant matrimonium, & poſſent prædicti viri, & mulieres cum alijs aptitudinem habentibus, contrahere. Patet hoc ex cap. fin. 33. q. 1. vbi conceditur impotenti ex maleficio, vt diſſoluto primo matrimonio, cum alia contrahat. Hanc doctrinam fusè tradit Sanchez lib.7. diſp.93. à num. 1. vſq; ad 6. & ſequitur Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 3. num. 66. & ſeqq. Bonac. q. 3. punct. 13. num. 6. & alij multi ab his citati; idem docet D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 12. §. 1. Durand. 4. d. 34. q. 2. nu. 8. Richar. art. 2. q. 2. Palud. q. 2. art. 2. nu. 13. concluſ. 2. & concluſ. 3. num. 17. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 7. num. 4. & 9. & alij. Multi tamen alij putant, dictum impedimentum dari non poſſe, ita vt ſi reſpectu vnius fœminę quis non ſit aptus, nec erit etiã aptus pro alia, & ita videtur ſentire D. Tho. 4. d. 34. q. vnic. art. 2. ad 5. & ibi D. Bonauen. art. 2. q. 2. ad vlt. Sylueſt. verb. matrimoniũ 6. q. 1. verſ. quęlib. perpetua, Martinus Ledeſma 2. par. 4. q. 60. art. 1. column. 6. verſ. circa illud; & alij, quam opinionem probabilem putat Sanchez num. 5. & verè dicti caſus non audiuntur.

10. Sed notandum, tunc tantummodo dari dictam impotentiam reſpectiuam dirimentẽ matrimonium, quando nulla arte humana dictæ impotentiæ ſuccurrĩ poſſit, vel non niſi cum periculo mortis, hæc eſt regula generalis, quã omnes Doctores tradunt ad cognoſcendam dictam impotentiam tam ex parte mulieris, quã ex parte viri, & hæc dirimit matrimonium, & colligitur ex cap. fraternitatis de frig. & malefic. vbi ſic habetur. *Nos tamen perſpicaciter attendentes, quod impedimentũ illud non erat perpetuum, quod præter diuinum miraculum per opus humanum abſq. corporali periculo poterat remoueri*. Ex quibus verbis colligitur, quod licet talis defectus tollatur per miraculum, adhuc matrimonium iam contractum, ſit irritum, quia valor matrimonij non debet pendere à miraculo, poſſet tamen iterum contrahi, vel cum eadem, vel cum alia, vel alio reſpectiuè. Ita Sot. 4. d. 34. q. vnic. art. 2. verſ. ſed quid ſi, Henricus cap. fraternitatis nu. 12. de frig. & malef. P. de Ledeſma de matrim. q. 58. ar. 1. & omnes alij Doctores nu. anteced. citati.

11. Erit etiam impotentia dirimens matrimonium, ſi defectus poſſit auferri, ſed nõ niſi per actum peccaminoſum, quia idem eſt non poſſe, ac poſſe cum peccato; vnde maleficium, quod non poteſt auferri, niſi alio maleficio, eſt dirimens matrimonium, ſi fuerit perpetuum, nec poſſit conſummari matrimonium, dictam doctrinam tradit, Sot. 4. d. 34. q. vnic. art. 2. Durand. q. 2. num. 8. Palud. q. 2. art. 2. concluſ.

Digitized by Google

cluſ.2.num.13.Nauar.cap.22.nu. 59. Valent.4.diſp.10.q.5.punct.3.Henriq. lib.12. de matr.cap.7.num.4.& 9.& cap. 8. nu.2. Sanchez lib.7. diſp. 93. num. 9. Et in proprio caſu allato de maleficio,id docet D. Thom.d.34.q.vnic. art. 3. ad 3. & ibi Bonauen.art.2.q.2.ad 2.Richar.art.3.q.1. ad 1. Vega 2.tom. ſummæ cap. 34. caſu 110. & alij omnes.

12. Et quia in citat.cap.fraternitatis dicitur. *Vt impotentia ſit talis, cui abſque corporali periculo ſubueniri non poſſet.* Dubitant Doctores, vtrum defectus, qui auferri poteſt, ſed non niſi cum periculo grauis morbi, dirimat matrimonium? & quãuis multi affirmatiuè reſpondeant, quos affert Sanchez lib.7.diſp.93.num.17.Tamẽ probabilius eſt, requiri omninò periculum mortis, quia in eodem cap. fraternitatis, quaſi explicans textus dicta verba. *Abſq; corporali periculo*, ſic ait. *Niſi per inciſionem, aut alio ſibi modo violentia inferatur, non ſolummodo leuis, ſed fortè tam grauis, vt ex ea mortis periculum timeatur.* Ita docet Sanchez loc.cit.num.18.Sot.4. diſt.34.q. vnic.art.2.verſ. dubium autem, Angelus verb.matrimonium 3.imped. 16. num. 2. & alij plures cum dicto Sanchez etiam in num.16. ab ipſo allati. Sed verè prima opinio etiam probabilis eſt, & ſic illam appellat dictus Sanchez num.18.& vtrãq; opinionem tenet Filiuc. ſcilicet tam periculum mortis, quam periculum grauis morbi dirimere matrimonium tr. 10. de imped.cap.3.nu. 69. in fin.idem tenet Valentia 4.par.diſp.10.q.5.punct.3. Richar. 4.d.34.art.2.q.2.Palud.q.2. art. 2. nu. 13. P.Sot.lect. 5. de matrim. verſ. his autem proximum, Henriq. lib. 12. de matrim. cap.7.num.6.& alij plures. Vnde colligitur,matrimonium ſtatim reſcindi, Si defectui ſubueniri non poſſit abſq; vitæ, vel grauis morbi periculo,& quãuis mulier vellet ſe exponere tali periculo; vir non teneretur illam expectare; ſed poſſet cum alia contrahere; & caſu, quo expectaret, & mulier ſalua remaneret facto medicamine,tunc videndum eſt an medici ſe deceperint in iudicando adeſſe tale periculum, quod verè in praxi non fuit, & ſi dicta praxis oſtendat,medicos malè iudicaſſe, matrimonium erit nullum, & eſt vel iterandum, vel cum alijs contrahendum. Ita Sanchez loc.cit.nu. 20. Henriq. in cit. cap.7.num.6. & alij multi. Et eadem doctrina eſt, ſi vir debilis non poſſet copulã matrimonialem habere cum virgine, ſed tantum cum corrupta; tunc enim ſi virgo poſſet aptari abſq; periculo, vt ſupra,eſſet validum matrimonium, alioquin eſſet irritum.

13. Sed dubium eſt, vtrum fœmina teneatur inciſionem pati, vt apta reddatur ad copulam, quando medici iudicent nullum adeſſe periculum mortis, vel grauis morbi iuxta aliam probabilem opinionem? Reſpondeo teneri etiam cũ aliquo graui dolore, non autem grauiſſimo, nec cum graui morbo, ſibi enim imputare debet mulier, quod non benè ſibi proſpexerit ante nuptias. Ita Sanchez lib.7.diſput.93.num.32.Bonac.q.3.punct.13.nu. 7.Filiuc.tract.10.de imped.cap.3.num.70. & alij, & nota; quod ſi matrimonium diſſoluatur ob impedimentum vtriuſq; coniugis,ſunt illis interdicendæ aliæ nuptiæ, vel illi ſoli, ob quem fuit diſſolutum matrimonium, patet ex cap. laudabilem de frig. & cap.2.in fin.33.q.1. Vbi viro ratione frigiditatis ſeparato interdicuntur aliæ nuptiæ, & conceduntur fœminæ, quod etiam docet D.Thom.4.d.34.in fin. in expoſ. litteræ, quam omnes Theologi ſequuntur.

14. Alia impotentia nõ reſpectu omnium,ſed reſpectu vnius,vel alterius tantum, eſt maleficium, ſcilicet, quando ex maleficio copula matrimonialis haberi non poſſit, circa quam impotentiam eſt primò notandum cum Palud.4.d.34. q. 2. art. 3. num. 16. Quinq; modis ſolere dæmones arte maleficij reddere homines impotentes ad copulam, & potiùs homines quam fœminas, quia plus operæ, & inſtrumentorum requiritur ad fœminas, quam ad homines, vel quia plures ſunt fœminæ maleficæ, quam homines malefici, & ideò potiùs homines maleficijs lædere conantur, vt aduertit Delrius lib.3. diſquiſitionum magicarum par.1.q.4.ſect. 8.pag.1. Qui Doctor per totam dictam ſectionem octauam ſimiliter affert dictos

quinque modos, quibus dæmones ſolent impedire copulam matrimonialem. Et primus modus eſt, ne corpore ſe mutuo appropinquẽt, nec appropiuquare poſſint ad coitum, detinendo ea in diuerſis locis, vel interponendo ſe corpore aſſumpto, vel quando coniuges deſiderant copulari, injiciendo intermedium phantaſma, vel aliquid aliud, Secundus modus eſt ita inflammando ad actum, vt ante coitũ, ſemen effundatur, vel refrigerando ab actu illo per multas occultas virtutes, quas optimè nouit. Tertius eſt, perturbando imaginationem, & æſtimatiuam, qua reddatur mulier viro exoſa, obijciendo menti ſpeciem fœminæ deformis, & è contra, vel reddendo illos inuicem odioſos, per calumniam, ſuſpicionem, vel immiſſionem alicuius morbi; imò, vt notat dictus Delrius, ſolent dæmones aliquãdo efficere, vt cõiuges ardentiſſimo amore flagrent, & poſtea quando coire volũt, ſtatim odio exardeſcant, ita vt alter alterum cędat, vel vnguibus laceret. Quartus modus, eſt prohibendo rigorem mẽbri, quando vult vir actu coire, vt nullo modo actum perficere poſſit. Quintus modus eſt, prohibendo immiſſionem ſpirituum ad membra, quaſi intercludendo viam ſeminis, ne deſcendat ad vaſa generationis, vel vt non emittatur, aut illud ſubtrahendo. Addit ſextum modum Delrius, nempe obſerrando, aut arctando vas mulieris, aut viri genitalia abſcondendo, & retrahendo, quonam autem modo dicta impotentia cognoſcatur, prouenire ex frigiditate, an ex maleficio. Vide Sanchez lib. 7. diſp. 94. num. 5. & 6.

15. Secundò notandum eſt, maleficiũ poſſe abſolutè impedire quoad omnes, vel tantum reſpectu vnius, vt docet D. Thom. & communiter omnes docent in 4. d. 34. q. vnic. ar. 3. ad 4. Quibus notatis certum eſt, impotentiã perpetuam ortam ex maleficio, dirimere matrimoniũ ſubſequens. Patet ex cap. fin. 33. q. 1. & ex cap. fin. de frig. & malef. dico perpetuam contra Gloſs. in cap. fin. verb. nequibunt, in priori ſolutione 33. q. 1. & in cap. fraternitatis de frig. & malef. aſſerentem nõ poſſe dari maleficium perpetuum, & contra Innoc. id tenentem in cap. laudabilem verb. triennium eod. tit. ob quam rationem, dicti Doctores docent, ob maleficiũ non poſſe dirimi matrimonium, eo quod perpetuum non ſit. Sed omninò contrarium tenendum eſt, nempe dari poſſe maleficium perpetuum dirimens matrimonium; docent omnes Doctores cũ D. Tho. 4. d. 34. q. vnic. ar. 3, in corp. Albertus Magnus ibi art. 10. D. Bonau. art. 2. q. 2. D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 12. §. 3. P. Sot. lect. 5. de matrim. pag. 2. verſ. his autem proximum, & communiter omnes. Tunc autem cenſetur perpetuum, quando abſq; nouo maleficio, auferri nequit, id enim eſt iudicandum perpetuum, quod ſine peccato auferri non poteſt, quod docet D. Thom. 4. d. 34. q. vnic. art. 3. ad 3, Angelus ver. matrimonium 3. imped. 16. num. 13. P. de Ledeſma de matrim. q. 58, art. 1. Sanchez lib. 7. diſp. 94. num. 9. & alij.

16. Item, maleficium cenſetur etiam perpetuum, ſi non poſſit auferri niſi per miraculũ, adhuc enim eſſet inualidũ matrimonium, ſecus, ſi tolleretur per exorciſmos, vel impetraretur à Deo diſſolutio maleficij, per orationem, ieiunium, vel eleemoſynam, dummodo diſſolutio aſſequeretur modo non tantummodo miraculoſo, ſed etiam naturali. Idem Ledeſm. loc. cit, art. 2. & Sanchez nu. 10. & ratio eſt, quia exorciſmi, oratio, &c. naturaliter poſſunt impetrare ſanitatem, & quamlibet gratiam, nec dicta conſequutio vocabitur miraculoſa; vt idem Sanchez, & ſequitur Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 3. num. 81.

17. Quando autem diſcerni non poteſt, an maleficium ſit temporale, vel perpetuum? Si per triennium coniuges nunquam potuerunt copulam matrimonialẽ habere, & matrimonium perficere, eſt cẽſendum maleficium perpetuum. Ita vt dirimat matrimonium; ita omnes Doctores, quos num. 15. attuli; neq; valet doctrina Gloſs. cap. fin. ver. ſeparari 33. q. 1. aſſerentis, *Coniugem, qui procurauit maleficiũ, nõ poſſe petere, vt diſſoluatur matrimonium, nam valor matrimonij non pendet ex voluntate contrahentium, quando adeſt impedimentum dirimens*. Vnde ſi poſt tres annos, vt diximus,

mus, copula matrimonialis, haberi non poſſit, matrimonium eſt ipſo iure nullum, & quilibet, ſiue fuit cauſa maleficij, ſiue non, poteſt quærere ſolutionem matrimonij, vt notat Sanchez lib. 7. diſp. 94. num. 13.

18. Sed quæſtio eſt, vtrum liceat petere ſolutionem maleficij ab illo, qui iam paratus eſt ſoluere maleficia maleficijs? Nam certum eſt, ex communi doctrina D. Thom. 4. d. 34. q. vnic. art. 3. ad 4. Peccatum mortale eſſe, vti maleficio ad tollendum quodcunque maleficium. Ad quæſtionem autem, aliqui responderunt affirmatiuè, vt Capreolus 4. d. 34. q. 2. & Angelus verb. Superſtitio num. 13. Et ratio eſt, quia etiam eſt licitnm petere mutuum ab vſurario, quem ſcimus nolle mutuare ſine vſuris, & iuramentum ab infideli, quem ſcimus iuraturum per falſos deos; ſed hæc ſententia communiter ab omnibus reprobatur, quia recurrere ad magos & Ariolos eſt intrinſecè malum, nec vllo modo poteſt id honeſtari. Vnde in Leuit. 19. *Non declinetis ad Magos, neque ab Ariolis aliquid ſciſcitemini*, & cap. 20. *Anima, quæ declinauerit ad Ariolos, & Magos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam*: Nec obſtat exemplum de vſurario, quia id, quod petitur ab vſurario, licitè peti poteſt, & non dicitur cooperari peccato alterius, quãdo id quod petitur poteſt ab alio licitè præſtari, licet ex ſua malitia, nolit agere ſine peccato; & idem dicas de iuramento infidelis. Bannes 2. 2. q. 78. art. 4. dub. 2. in ſolut. ad 4. Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 6. in fin. & lib. 12. de matrim. cap. 8. in fin. Nauar. cap. 11. num. 19. Couar. cap. Quamuis pactum, 1. p. num. 10. Sanch. lib. 7. diſp. 95. num. 7. Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 3. n. 82. Syluest. verb. maleficium q. 8. & alij communiter, nec quis excuſatur, ſi dicat. Ego non peto, vt ſoluat maleficium alio maleficio, ſed ſimpliciter, vt maleficiũ ſoluat. Nam dummodo ſciatur, illum, vel illam, à qua id petimus, non id agere abſque maleficio, & nouo peccato, ſemper quis cenſetur cooperari dicto peccato; ſecùs autem eſſet, quãdo magus ſciret alios modos naturales, & licitos ſoluendi maleficium, tunc enim non peteretur ab eo quatenus Magus eſt; & ſic ceſſaret peccatum. Vide Sanchez loc. cit. num. 12. & ſequentibus.

19. Vtrum autem liceat deſtruere ſigna maleficij, vt maleficium deſtruatur, & ſanitas adipiſcatur? Reſpondetur affirmatiuè: Nam ſolet eſſe pactum inter magum, & dæmonem, vt poſito tali ſigno, vel dum durat tale ſignum, morbus perſeueret, vel dæmon vexet, quo ſigno deſtructo, ceſſat omnis potentia diaboli, & maleficij; Et cum talis deſtructio poſſet fieri naturaliter, nõ erit culpa aliqua, imò optimum erit illud deſtruere: Caiet. ſumma, verb. maleficium; Sylueſt. ibidem, q. 7. ver. his præmiſſis; Nauar. cap. 11. nu. 29. Sot. 4. d. 34. q. vnic. art. 3. Bannes 2. 2. q. 78. art. 4. dub. 2. in ſolut. ad 4. Henriq. li. 12. de matrim. cap. 8. in fin. & alij communiter.

20. Quoniam autem iure impotentia perpetua, ſiue ratione frigiditatis, ſiue maleficij, aut alterius cauſæ, vt ſupra, dirimat matrimonium? Et plures Doctores, aſſerunt dirimi matrimonium iure tantum Eccleſiaſtico, & ratio eſt, quia aſtrictus voto ſimplici caſtitatis, validè contrahit matrimonium cum fœmina ſciente dictum votum, & tamen non poterit obligari ad reddendum debitum; igitur, licet quis contrahat cum impotẽtia perpetua, validum erit matrimonium, ſecluſo iure Eccleſiaſtico. Ita tenent D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 15. §. 1. colum. 4. Angelus verb. matrimonium 3. imped. 18. nu. 2. Palud. 4. d. 30. q. 1. art. 2. num. 6. Maior d. 34. q. 1. concluſ. 3. & alij plures, quam opinionem probabilem vocat Filiucc. tacito nomine Doctorũ, tract. 10. de imped. c. 3. n. 71. Probabilius tamẽ eſt, dirimi matrimonium, etiam iure naturali, quia habẽs perpetuã impotentiam, non poteſt tribuere dominium ſui corporis ad copulam matrimonialem, cum illam in actu non poſsit habere; & cum hoc conſiſtat eſſentia matrimonij, ſequitur, quod, ſi adfuerit dicta impotentia, nullum erit matrimonium iure naturæ. Ita D. Thom. 4. d. 34. q. vnic. art. 2. ad 1. Durand. ibi q. 2. n. 6. & 9. Richard. art. 2. q. 1. in cor. Sylu. verb.

Digitized by Google

matrimonium 8. q. 16. in fin, Sanchez lib. 7. diſp. 98. num. 2. Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 7. num. 2. & alij multi. Neque ratio à contrarijs adducta aliquid valet, quia adeſt impotentia naturalis. Cui repugnat traditio poteſtatis corporis ad copulam; at per votum ſimplex, non amittitur dominium ſui corporis, & ideò benè poterit fieri illius traditio, quod ſufficit ad eſſentiam matrimonij, licet actus ſit interdictus.

21. Pro quibus vſque modo dictis aliqua ſunt notanda: Primum eſt, matrimonium declaratum irritum ratione frigiditatis viri; ſi poſtea vir fornicatus fuerit, eſt primum matrimonium reſtaurandum, quia Eccleſia, ſeu Iudex ſe decepit iudicando impotentiam eſſe perpetuam; dicta autem fornicario actu conſummata, eſt iuridicè probanda, quia præſumptio ſtat pro ſententia lata, & ideò, ſi fœmina contraxerit cum ſecundo, poterit in dicto ſecundo matrimonio licitè permanere, ac petere, & reddere; Quoaduſque contrarium fuerit per iudicem deciſum, & poſt ſententiam tenetur ad primũ coniugem reddire; dictus autem coniux, qui fuerat æſtimatus frigidus, non poteſt validè cũ ſecunda contrahere, & ſi conſumet, tenetur reddire ad primum ob rationem allatam, probata tamen conſummatione modo dicto. Sanchez lib. 7. diſp. 99. nu. 4. & ſeqq. ex Sot. 4. d. 34. q. vnic. verſ. Alter autem, & ex alijs multis, & ſequitur Filiu, tract. 10. de imped. cap. 3. num. 96. Et idem erit dicendum, ſi fœmina, ob cuius arctitudinem fuerat matrimonium diſſolutum poſtea inueniatur apta cum alio æquali, eſt enim probandum, an verè dictus alter ſit æqualis, & tunc eſſet reſtituenda mulier primo coniugi, vt fuſiùs idem Sanch. n. 15. & ſeqq. & Filiuc. n. 97.

22. Secundò eſt notandum, matrimonium diſſolutum ob maleficium vnius, vel vtriuſque coniugis, ſi tale matrimonium iuridicè diſſolutum fuerit modo, vt infra dicemus; non eſſe reſtaurandum, licet cum alijs poſtea dicti coniuges contrahant; & conſument; patet ex cap. fin. 33. q. 1. vbi ſic habetur; *Quod ſi fortè ſanari non potuerint, ſeparari valebunt; ſed poſtquam alias nuptias expetierint illis in carne viuentibus, ſi diſiuncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiam ſi poſſibilitas concubendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.* Vide fuſius Sanchez à n. 20. & ſeqq. & Filiuc. n. 98.

23. Tertiò, ſi ſoluto matrimonio ob aliquod impedimentum perpetuum, coniuges profeſſionem emittãt, vel alter eorum ad ordines ſacros promoueatur, & alter profeſſionem emittat, & poſtea cognoſcatur, dictam impotentiam non eſſe perpetuam, & iudicem ſe decepiſſe; matrimonium non eſt reſtaurandum; ſed coniuges tenentur ſtare in eo ſtatu, quem elegerunt, ſi autem alter eorum remanſerit in ſæculo, dum alter ad religioſum ſtatum tranſiuit, & in ſæculo contraxerit matrimonium, validum erit, ſi poſt profeſſionem alterius coniugis, contraxerit; ſi autem ante profeſſionem, matrimonium poterit reſtaurari; niſi facta profeſſione, & cognita inualiditate matrimonij, iterum nouo conſenſu contrahatur, vt notat P. de Ledeſma de matri. q. 58. art. 2. dub. 1. concluſ. 7. Et ſi vxore manente in ſæculo, vir promoueatur ad ſacros ordines, & poſtea cognoſcatur dictũ impedimentum perpetuum non adeſſe, vir eſt vxori reſtituendus; qui certum eſt, quod poſſit reddere; an autem poſſet etiã petere, ſunt pro vtraque parte Doctores id affirmantes, vt Sanchez lib. 7. diſp. 99. num. 38. & ſeqq. Filiuc. tract. 10. de imped. c. 3. n. 100.

24. Quartò eſt notandum, matrimonium conſummatum non poſſe dirimi per quodlibet impedimentum perpetuum ſuperueniens; vtrum autem idem dicendum ſit de matrimonio rato, aliqui negatiuè reſponderunt; ſed vera, & certiſſima ſententia eſt, nec dictum matrimonium ratum dirimi per aliquod impedimẽtum ſubſequens: excepta profeſſione. Filiucc. loc. cit. nu. 101. Sanch. lib. 8. diſp. 102. nu. 3. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 16. num. 7. & lib. 12. ca. 8. n. 3. & communiter omnes. Sed quid quando adeſt dubium an impotentia perpetua dirimens matrimonium præceſſerit ipſum matrimonium? Reſpõdeo iuxta communiorem opinionem, eſſe præſumendam impotentiam dictam præceſſiſſe matrimonium, ita vt matrimonium

nium

Digitized by Google

nium irritum ſit. Ita P. de Sot. lect.5.de matrim.pag.2.verſ.his autem,Henriquez lib.2.de matrim.cap.8.num.3. Sylu.verb. matrimonium 8.q.16.dicto 9.Richard.4. d.34.art.3.q.1.ad 2.& plures alij; Sunt tamen qui putēt id eſſe verum, quando agitur de impotentia naturali; Secùs autem de potentia accidentali, licet magnũ examen ſit præmittendum ad id dignoſcendum, & hoc videtur probabilius Sanch. diſp.103.num.5.Licet primam opinionem probabilem omninò æſtimet,quam ſequitur Filiuc.tr.10,de imped.c.3.n.104.

25 *Anni pubertatis ſunt neceſſarij ad contrahendum matrimonium; & ſi quis præſumeret eſſe potēs ante dictam ætatem, teneretur id probare.*

26 *Iure Eccleſiaſtico tantum matrimonium eſt irritum, ſi contrahatur ante annos pubertatis, vnde benè poteſt Pontifex diſpenſare, ac etiam Epiſcopus in caſu magnæ neceſſitatis.*

27 *Pubes, licet non adhuc ſit potens ad copulam matrimonialem,tamen validè contrahere poteſt.*

28 *Si pubes ſit impotens, eſt expectandum tempus perfectæ pubertatis; quæ in viro completur in anno decimo octauo, & in fœmina in anno decimo quarto.*

29 *Tunc malitia poteſt ſupplere ætatem,quando datur aptitudo ad copulam, & prudentia ad intelligendum vinculum matrimonij.*

30 *Multis modis poteſt probari an adſit malitia ſupplens ætatem, & certè præſupponitur, ſi puella habeat menſtrum, vel puer poſſit ſemen effundere.*

31 *Aetas pubertati proxima reſpectu matrimonij,eſt iudicanda iuxta iudicis arbitrium.*

32 *Tempore mortis, licitè poteſt contrahi matrimonium, imò dictum matrimonium reddit legitimam prolem antea factam.*

33 *Hermaphroditus poteſt contrahere in eo ſexu, in quo potentior eſt, & ſi æquè potentior ſit, debet coram iudice Eccleſiaſtico alterum ſexum eligere,quem maluerit.*

34 *Quando ſigna impotentiæ non ſint certa, vel quaſi certa, erit expectandum triẽnium,vt probetur an impotentia ſit perpetua; & requiruntur etiam alia conditiones.*

35 *Triennium eſt computandum à die copulæ habita, nec requiritur aliqua iudicis ſententia, & ſi non finito triennio alter coniugum de facto diſcedat, poteſt per cenſuras compelli ad cohabitandum.*

36 *Matronæ eligendæ ad iudicãdum an puella ſit virgo, debent eligi à iudice, & vt ſint perita, &c.*

25. Alia impotentia, quæ poteſt dirimere matrimonium, eſt impotentia tẽporalis, & primò videndum eſt, an impotentia ex defectu ætatis, dirimat matrimonium? ad quod decidendũ,ſupponendum eſt, ætatem requiſitam ad validè cõtrahendum matrimonium, eſſe pubertatem, ſcilicet annos duodecim completos in fœmina, & annos quatuordecim completos in viro. Patet ex cap. puberes de deſponſ.impub. & quod dicti anni debeãt eſſe completi patet ex cap. continebatur de deſponſ. impub. ac etiam ex cap. atteſtationes, ex cap. ex litteris, & ex cap.fin. vbi matrimonium cuiuſdam puellæ, quæ nupſerat circa annum duodecimum, fuit irritum declaratum; niſi malitia ſuppleret ætatem, validum tamen erit matrimonium, ſi contrahatur poſt incœptum vltimum diem complentem annum duodecimũ in fœmina,& quartũdecimum in mare; Io: Andr.in d.cap.fin.nu. 3.& ibi Abbas num.6.& in cap.atteſtationes num.7.Syluest.verb.matrimonium 5. quæſit.5. Tabb.eod. verb.2.q.6.n.7.& alij communiter. Vnde nullus ante dictam ætatem præſumitur aptus ad generationẽ, quod ſi quis id preſumeret,id eſſet probãdum, vt Nauar.cap.22. num. 29. Couar. 4.decretal.2.par.cap.5.num.3.Innoc.cap. continebatur num.3.de deſponſ.impuber. itaq; ſi aderit malitia ſupplex ætatem, ac potentia generandi,& ſufficiens deſcretio ad ſe obligandum, & id conſtet, validum erit matrimonium, vt definitur cap. de illis, cap. puberes, & cap.fin. de deſponſat. impub. Vtrum autem ſit mortale contrahere ante dictam ætatem, iam dixi ſupra cap.87.num.20.

26. Quibus notatis, ſex hic breuiter diſcutienda ſunt. Primum eſt,quo iure ma-

matrimonium ſit irritum ante legitimam ætatem initum. Secundum, an ſi poſt completam ætatem puer generare nequeat, validè poſſit contrahere. Tertium, quantum temporis ſit expectandum ad videndum an puer ſit omninò impotens, & diſſoluatur omninò matrimonium. Quartum, quid nomine malitiæ ius intelligat ad ſupplendam ætatem. Quintum, quonammodo probari debeat adeſſe potentiam generandi ante pubertatem. Sextũ, quãdo puer dicatur pubertati proximus. Et quoad primum. Dico, matrimonium ante ætatem pubertatis initum, eſſe irritũ iure Eccleſiaſtico, dummodo contrahentes ſint doli capaces, quod accidit circa ſeptennium, & ratio eſt, quia licet dicti pueri non ſint actu potentes ad ſoluendũ debitum, ad quod ſe obligant, benè tamen poſſunt contrahe ſe obligando pro tempore, quo fuerint potentes. Vnde iure naturæ ſpectato, validum erit matrimonium inter infantes doli capaces; & ex cõſequenti matrimonium non poterit eſſe irritum, niſi iure Eccleſiaſtico tantũ, quod docet D. Tho. 4. d. 36. q. vnic. ar. 5. in cor. P. Ledeſma de matrim. q. 58. ar. 5. Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 7. num. 1. Sanchez lib. 7. diſp. 104. num. 9. & paſſim alij. Ex quo infertur, matrimonium infideliũ initum ante pubertatem, eſſe validum, cum ipſi non ſubijciantur legibus Eccleſiæ, ac etiam Pontificem poſſe diſpenſare, vt matrimonium contrahatur ante dictam pubertatem, cum ſit tantum de iure Eccleſiaſtico; imò in caſu vrgentiſſimæ neceſſitatis, & pro bono pacis, poterit etiã Epiſcopus diſpenſare, vt conſtat ex cap. 2. de deſponſ. impub. vbi ſic habetur. *Diſtrictiùs inhibemus, ne aliqui ante ætatẽ canonibus præſcriptam coniungantur, niſi fortè aliqua vrgentiſſima neceſſitate interueniente, vtpotè pro bono pacis, talis coniunctio toleretur.* Docet Angelus ver. matrimonium 3. impedim. 16. num. 7. Syluest. verb. matrimonium 5. q. 6. Tabb. matrimonium 2. nu. 7. Sanchez lib. 7. diſp. 14. num. 12. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 13. num. 12.

27. Quoad ſecundum, an matrimonium ſit validum, ſi pubes impotens ſit ad copulam matrimonialem? Reſpondeo affirmatiuè, (ſecluſa impotentia perpetua, de qua ſupra egimus.) Et idem dicendum, quando puella ob nimiam corporis diminutionem, nondum poteſt pati viri congreſſum; huiuſmodi enim impotentiæ ſunt tantum ad tempus, nec rationabile eſt, debere dirimere matrimonium; vt volebat Abbas in cap. puberes, de deſponſ. impub. num. 5. noſtram doctrinam docet Hoſtienſ. in d. ca. puberes, num. 5. & ibi Innoc. in fin. Ioan. Andreas ibi num. 8. Anton. num. 5. Anchar. num. 5. Angelus verb. matrimonium 3. imped. 16. num. 6. Sylu. eod. verb. 5. q. 7. Tabb. verb. matrimonium 2. num. 7. Couar. 4. decret. 2. p. cap. 5. num. 2. & paſſim omnes alij.

28. Quoad tertiũ, quantum temporis expectandũ ſit? Reſpõdeo eſſe expectandã plenã pubertatẽ, quę in fœmina eſt vſq; ad annum decimũ quartum completũ, & in viro vſq; ad annum decimum octauum; & ratio eſt, quia in hoc caſu poteſt pręſupponi id prouenire ex ætatis imbecillitate. Ita Hoſtienſ. in cap. laudabilem in princ. de frig. & malefic. & ibi Ioan. Andr. nu. 2. Abbas cap. puberes de deſponſ. impuber. num. 4. & ibi Hoſtienſ. num. 5. Ioan. Andr. num. 8. Angelus verb. matrimonium 3. imped. 16. num. 6. Sylu. eod. verb. 5. q. 7. Tabbien. ibid. 2. nu. 7. quos ſequitur Sanch. lib. 7. de imped. diſp. 104. num. 18. Sed vtrum poſt adimpletam pubertatem perfectam, ſi adhuc perſeueret impotentia, ſit expectandum aliud triennium ad ſolutionem matrimonij; dicemus infra.

29. Quoad quartum, quid intelligatur per malitiam ſupplentem ætatem? Aliqui reſpondent intelligi potentiã generandi; Attamen probabilius eſt dicendum, conſiſtere tum in potentia ad copulam carnalem, tum in prudentia, & diſcretione ad intelligendã vim conſenſus coniugalis, ita docet D. Thom. 4. d. 36. q. vnic. art. 5. in cor. Angelus verb. matrimonium 3. imped. 16. num. 8. Syluest. eod. verb. 5. q. 2. Sot. 4. diſt. 35. q. vnic. art. 5. verſ. quod ſi rurſus, Couar. 4. decret. 2. p. cap. 5. num. 3. & communiter omnes. Vnde nec potentia ſola ſufficit, nec prudentia ſola, vt benè infert Sanch. lib. 7. diſp. 104. num. 21. & ſequentibus.

30. Quoad

Digitized by Google

30. Quoad quintum, quonam modo probandum ſit adeſſe malitiam ſupplentem ætatem, ſeu potentiam generandi? Et aliqui reſpondent, id probari non poſſe, niſi per actualem copulam habitam, ita D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 19. Sot. 4. d. 35. q. vnic. art. 5. verſ. At verò vtrum, P. Ledeſ. de matrim. q. 58. art. 6. Tamen reſpondendum eſt: ſufficere ad id probandũ, ſi puella fuerit ab alio cognita, vel pubes aliam cognouerit, nam potens ad vnum, vel vnam reſpectiuè, cenſetur potẽs ad alios, quam ſententiam ijdem Sot. & Ledeſma vocant probabilem, ſed probabilius aſſerunt eſſe, ſi copula fuerit inter ipſos, qui ſe matrimonio copulari voluerint; Sed verè, ſufficientiſſima probatio erit, ſi cum altero, vel altera copulã habuerint, docet Angelus verb. matrimonium 3. imped. 15. num. 5. Sylu. verb. matrimonium 5. q. 3. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 13. nu. 11. Niſus autem ad copulam facit præſumere potentiam ad copulam, vt idẽ Rodriq. ait, & ſimiliter Couar. lib. 4. decret. 1. p. c. 4. §. 1. num. 20. vbi plures refert. Deinde copula, & niſus ad illam, non inducit præſumptionem diſcretionis ad matrimonium, & è contra propinquitas pubertati facit præſumere diſcretionem, & non potentiam; aliquãdo enim in tenera ætate videtur potentia, non autem diſcretio ad vinculum matrimonij neceſſaria, Couar. 4. decret. 2. p. cap. 5. nu. 3. Et tandem dicta potentia ſufficiẽter etiam probatur abſque copula, ſed ex ſignis arbitrio iudicis penſanda, v. g. inſpecta qualitate perſonæ, diſpoſitione membrorum, bona valetudine, robore, &c. Henriq. loc. cit. in comment. litt. M. Sylu. verb. matrimonium 5. q. 3. Couar. 4. decret. 2. p. ca. 6. n. 3. Menochius de arbitr. lib. 2. centur. 1. caſu 98. num. 8. Maſcard. de probat. concl. 889. num. 10. Rationem huius concluſionis aſſignat Nauar. lib. 4. conſil. de ſponſal. conſil. 39. num. 13. vel tit. de ſponſal. impub. conſil. 4. num. 13. dum ait, potentiam coeundi ſæpè euenire in illis, qui in delicijs nutriti ſunt. Et teſtatur audiuiſſe à viris magna fide dignis, quandam puellam decem annorum peperiſſe in Regno Neapolitano: & Tiraquel. l. 6. connub. num. 37. ex varijs authoribus affert exempla puerorum, qui nono anno, decimo, & vndecimo genuerunt; & fœminæ, quæ nono anno concepit; nec mirum, dum D. Greg. lib. 4. dialog. vt Gloſſ. 20. q. 1. in ſumma teſtetur, quendam puerũ nouem annorum ſuam nutricem feciſſe prægnantem; & D. Hieronym. epiſt. 32. ad vitalem presbyterum narrat, idem ſe audiuiſſe de puero decem annorum; & addit, Salomonem decimo ætatis anno genuiſſe Roboam, & Achaz, & anno vndecimo Ezechiã. Nullo tamen modo poteſt præſupponi dicta potentia, niſi adſit ætas pubertati proxima, vt ſtatim declarabimus, vt idem Rodriq. loc. cit. & ex pluribus docet Sanch. lib. 7. diſp. 104. num. 30. Item præſumitur etiam dicta potentia in fœmina iam habente menſtruũ, & in puero apto ad ſeminis effuſionem, vt idem Sanch. n. 34. & 35. apud quem plura notantur.

31. Quænam autem ſit ætas pubertati proxima reſpectu matrimonij? Plures ſententias refert Sanch. lib. 7. diſp. 104. n. 37. & ſeqq. Sed verè nullum adeſt ius id determinans. Et ideò dicendum eſt, eſſe arbitrio iudicis relinquendum: vt docet Sot. 4. d. 35. q. vnic. art. 5. verſ. quod ſi rurſus, D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 19. & alij plures, quos ſequitur dictus Sanchez n. 40. & Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 33. num. 88. qui à num. 84. totam à nobis traditam doctrinam ſequitur.

32. Sed dubium eſt, an tempore mortis, deſperata iam ſalute poſſit validè contrahi matrimonium? Et affirmatiuè reſpondendum eſt, quod confirmant communiter omnes Doctores, imò tale matrimonium legitimum reddit prolem antea habitam; vt fusè Sanch. lib. 7. diſp. 105. & ſequitur Filiuc. loc. cit. num. 89.

33. Secundum dubium eſt, vtrũ hermaphroditus poſſit matrimoniũ cõtrahere? Et affirmatiuè reſpõdetur, iuxta tamẽ ſexum, in quo præualet, quod cognoſci poterit tunc ex medicorũ, & matronarũ inſpectione, tum ex dicto ipſius hermaphroditi, cui maior fides præſtanda eſt; vnde irritum eſſet matrimonium contractum iuxta ſexum minus valentem; & ſi æquè in vtroq; præualeat, ad ipſius libitũ erit,

quo

quo ſexu vti voluerit; quod tenetur aſſerere coram iudice Eccleſiaſtico, quia poſt vnius ſexus electionem, non poterit amplius alio vti; licet ſi contraheret, validũ eſſet matrimonium; quia electio non abſtulit, quod non ſit etiam fœmina, & vir; non tamen hermaphrodita poterit ad ordines aſcẽdere, neq; in monaſterio profiteri, ſi in vtroq; ſexu ęquè præualeat, quia quatenus fœmina, eſt incapax ordinis, & quatenus fœmina indecens eſt in monaſterio virorum permanere, ſicut è contra etiam indecens eſt quatenus vir in monaſterio fœminarum morari, Sanchez lib. 7. diſp. 106. & Filiuc. tract. 10. de impedim. cap. 3. num. 90. & 91.

34. Sed quæſtio eſt, vtrum expectãdum ſit triennium ad hoc vt impotentia dicatur perpetua, & poſſit matrimonium irritum declarari? Reſpondeo, ſi ſigna euidenter impotentiam demonſtrẽt, nulla mora facienda eſt ad diſſoluendum matrimonium. Nam in cap. laudabilem de frigid. & malef. vbi præſcribitur trienniũ ad decidendum an impotentia ſit perpetua, additur, *Niſi ea probari poſſit*; Sufficiet tantum in tali caſu iuramentum medicorum, vel matronarum dicta ſigna teſtantium nec eſſet neceſſarium iuramentum ſeptimæ manus propinquorũ, vt infra declarabimus. Si autem ſigna non fuerint omninò certa, & euidentia, ſed veriſimiliter talia; tunc requiritur iuramentum coniugum aſſerentium non poſſe coire, ac etiam iuramentum ſeptimæ manus propinquorum iurantium, Se credere dictos coniuges verum dicere; & ante omnia requiritur iuramentum medicorum, vel matronarum iudicantium dicta ſigna eſſe veriſimiliter euidentia; & ſtatim poteſt diſſolui matrimonium, ex pluribus docet Sanchez lib. 7. diſp. 107. num. 3. & 4. & Filiuc. loc. cit. num. 106. Quando autem ſigna certa non ſunt, & ambo coniuges illa affirmant, tunc expectandum eſt triennium ex cit. cap. laudabilem; deinde requiritur iuramentum coniugum aſſerentium ſe nõ potuiſſe copulã habere, ac etiã iuramentum ſeptimæ manus propinquorum, ſcilicet, vt ſeptem conſanguinei iurent, ſe credere coniuges verum dicere, & ſi tot conſanguinei non adſint, ſunt aſſumendi vicini bonæ famæ, & ſi tot nec haberi poſſint, poſſent eſſe pauciores ad arbitrium iudicis; quia hoc factum eſt tãtum ad tollendam colluſionem, quæ inter coniuges fieri poſſet. Vide plura apud Sanchez lib. 7. diſp. 108. & 109. & Filiucc. loc. cit. num. 118. & ſeqq.

35. A quo autem tempore ſit cõputandum dictum triennium? Reſpondeo, à die copulæ, & quamuis in capite laudabilem de frigid. & malef. dicatur, eſſe incipiendum à die celebrati coniugij, dicta verba ſunt intelligenda cum effectu, ſcilicet à die copulæ intentatæ; nec requiritur vt triennium aſſignetur à iudice, quæ doctrina eſt vera tam reſpectu impotẽtiæ frigiditatis, quam arctitudinis mulieris; nec requiritur, vt triennium ſit continuũ, ſed morali modo. Vnde ſi alter coniux abſens fuerit per quinq; vel ſex menſes; poterit illos ſupplere finito triennio. Et ſi alter coniugum de facto diſcederet non finito triennio, poſſet per cenſuras compelli, vt redeat ad cohabitandum; vt fuſiùs Sanchez lib. 7. diſp. 110. & ſeqq.

36. Matronæ etiam eligendæ ad iudicandum dictam impotentiam, vt ſupra, & vxorem eſſe adhuc virginem; debent eſſe peritæ, bonæ famæ, prudentes &c. non habentes nimiam iuuentutem, vt experientiam habeant, nec nimiam ſenectutem, ne viſu careant; debent aſſignari à iudice, & non à parentibus; vt idem Sanchez lib. 7. diſp. 113.

DE

Digitized by Google

DE IMPEDIMENTIS NON DIRIMENTIBVS MATRIMONIVM.

Quot, & quæ ſint Impedimenta prohibentia contra-ctum Matrimonij, & quonam modo illud impediant. Cap. CXI.

1 *Quinque ſunt impedimenta non dirimentia matrimonium, ſed impedientia.*

2 *Matrimonium contrahere tempore aduentus, quadrageſima, vel alio tempore prohibito à iudice Eccleſiaſtico, vel Parocho, eſt peccatum mortale.*

3 *Dictis temporibus, in quibus matrimoniũ contrahi non poteſt, nec poſſunt nuptiæ benedici, nec traduci ſponſa cum ſolemnitate, &c.*

4 *Vt tempore prohibito poſſit contrahi matrimonium, ſolummodo Pontifex poteſt diſpenſare, in aliquo tamen caſu vrgentis neceſſitatis, & dum non adeſt facilis recurſus ad Pontificem poteſt Epiſcopus.*

5 *Tempore interdicti, & ceſſationis à diuinis, contrahi poteſt matrimonium.*

6 *Sacramenta permiſſa miniſtrari tempore interdicti, poſſunt miniſtrari etiam in Eccleſia ſpecialiter interdicta.*

7 *Benedictiones nuptiales fieri poſſunt tempore interdicti cum quibuſdam moderationibus, ſed non tempore ceſſationis à diuinis, nec in Eccleſia ſpecialiter interdicta.*

8 *In aliquibus diebus anni, quibus iure ſuſpenditur interdictum, benedictiones nuptiales fieri poſſunt.*

9 *Contrahens matrimonium cum excõmunicatione, validè contrahit, ſed mortaliter peccat.*

10 *Contrahere cum excommunicato tolerato aliquando poteſt fieri ſine peccato.*

11 *Suſcipiens ſacramenta ab excommunicato tolerato, dum illa ei miniſtrat, non peccat.*

12 *Inducens excommunicatum vitandum ad adminiſtrandum ei ſacramenta, dupliciter peccat mortaliter, ſecus ſi induceret toleratum, vel ligatum excommunicatione minori.*

13 *Examinatur quot peccata cõmittant ſpõſi, ſi fuerint excommunicati, & contrahãt matrimonium.*

14 *Sponſalia validè contrahuntur non obſtante excommunicatione.*

16 *Catechiſmus poſt Concilium Tridentinũ, non impedit matrimonium.*

16 *Tertium impedimentũ non dirimens ſunt ſponſalia antea inita; ſed de his ſuo loco iam dictum eſt.*

17 *Votum ſimplex Caſtitatis, Religionis, non nubendi, &c. impediunt matrimoniũ, & mortaliter peccat contrahens cũ aliquo ex his votis; nec excuſatur, ex eo quod patiatur ſtimolos carnis.*

18 *Non eſt licitum ſuadere minus malum in damnum Titij, ad effugiendum maius malum Caij.*

19 *Non eſt licitum ſuadere, vt quis non furetur bona mea, ſed bona Titij, ſecus autem ſi dicerem, ſine bona mea, & ſi vis furari, furare bona aliorum in cõmuni.*

20 *Habens votum ſimplex caſtitatis, & contrahens, non poteſt petere, ſecus ſi habebat votum ſuſcipiendi ordines ſacros, vel non nubendi.*

1 QVinque communiter numerantur impedimenta non dirimentia, ſed impedientia tantum matrimonium, & ſunt Interdictum, Sponſalia, Catechiſmus, votum, & crimen, quæ his verſibus continentur.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum

Atq; Catechiſmus, ſponſalia, iungito vetum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

2. Quoad primum ſcilicet Eccleſiæ vetitum, intelligitur prohibitio Eccleſiæ ne certo anni tempore connubia fiant, vt habetur in cap. non licet, cap. capellanus, de ferijs, & nouiſſimè in Trid. ſeſs. 24. ca. 10. Dictum tempus, incipit à prima dominica Aduentus, ſcilicet à media nocte præcedente vſq; ad Epiphaniam, ideſt vſque ad mediam noctem ſequentem; & à feria quarta cinerum vſq; ad octauam Paſchæ incluſiuè, vt diximus de aduentu, & ratio eſt; vt fideles his temporibus ſpiritualibus tantummodo vacent. Idem eſt dicendum de prohibitione facta à iudice Eccleſiaſtico, ne aliquod matrimonium contrahatur, ac etiam de prohibitione facta à Parocho; ſunt autem huiuſmodi prohibitiones ad tempus, & fieri ſolent, vt matrimonium ritè contrahatur; vnde cõtra huiuſmodi prohibitiones contrahẽs, mortaliter peccat, & cenſuras incurrit, ſi quæ fuerint ab Epiſcopo, vel alio habente authoritatem impoſitæ; licet matrimonium validum eſſet, Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 9. num. 267. Reginal. lib. 31. num. 189. & alij communiter.

3. Ex qua doctrina colligitur, nec dictis temporibus poſſe fieri benedictiones nuptiarum, cum etiam cenſeantur prohibitæ in dictis iuribus citatis, & conſtat ex communi vſu Eccleſiæ; & lethalis culpa eſſet tali vſui, & præcepto contrauenire, vt communiter omnes aſſerunt Palud. 4. d. 32. q. 1. art. 4. num. 20. D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 17. Nauar. cap. 22. num. 71. Sanchez lib. 7. diſp. 7. num. 3. Imò Sacerdos dictas nuptias benedicens, eſt graui pœna plectendus; & ſponſi in pœnam ſunt ad tempus ſeparandi, vt expreſsè habetur in cap. non oportet 33. q. 4. vbi dicitur, *hos eſſe ſeparandos*, vbi Gloſs. ait, *ideſt ad tẽpus*; & idem docet Abb. cap. capellanus num. 4. de ferijs, D. Thom. 4. d. 32. q. vnic. art. 5. quod etiam intellige, niſi adſit periculum incontinentiæ; vt idem Palud. loc. cit. num. 19. Syluest. verb. matrimonium 7. q. 2. Sanchez nu. 5. Item colligitur etiã, dictis temporibus non poſſe traduci ſponſam ad domum ſponſi cum ſolemnitate, & ſignis vanæ lætitiæ, eſſet enim contra dictum Eccleſiæ præceptum; vt probat Sanchez loc. cit. num. 16. Angelus verb. matrimonium 3. imped. 2. ad fin. Bonac. de imped. q. 3. punct. 14. num. 4. & alij multi, quamuis non deſint, qui putent nullo modo fieri poſſe dictam traductioné ſpõſæ, quod tenet expreſsè Syluest. ver. matrimonium 7. q. 2. Abb. in cap. capellanus num. 4. & plures alij, ſed prima opinio tuta eſt, vt praxis etiam docet. Sic etiam neq; eſt illicitum conſummare matrimonium; niſi conſuetudo obſtaret, quã quiſque teneretur obſeruare vide Bonac. & Sanchez loc. cit. ſponſalia de futuro benè contrahi poſſunt; vt Syluester loc. cit.

4. Vtrum autem Epiſcopus poſſit diſpenſare, vt dictis temporibus matrimonium contrahi poſſit? Reſpondeo poſſe tantum in vrgenti neceſſitate, & quando non adeſt facilis recurſus ad ſummũ Pontificem, alioquin non poterit, quia prohibitio eſt de iure cõmuni, & vigore Concilij Tridentini, & eodem iure illi non committitur diſpenſatio, vt docet Filiuc. de imped. tract. 10. cap. 9. num. 268. §. Et Sacerdos, & notandum eſt ex Sanch. lib. 7. diſp. 7. nu. 6. in fin. dictum caſum, in quo poſſit Epiſcopus diſpenſare, vix, & rariſſimè poſſe accidere, eſt enim recurrendum omninò ad Summum Pontificem. Nam Epiſcopus non poteſt diſpenſare in lege Pontificis, aut Concilij, niſi in vrgenti neceſſitate, & quando aditus ad Summum Pontificem non patet, vt fuſè docet Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 40. num. 3. & id confirmat lib. 7. diſp. 7. num. 6. iam citato & idem dicas de caſibus Pontifici reſeruatis, vt idem Sanchez in dicto lib. 2. loc. cit. Sot. autem 4. d. 32. q. vnic. art. 3. in fine putat eſſe legitimam cauſam diſpenſandi, ſi quis nollet dotare puellam pauperem, niſi ſtatim ſolennes benedictiones reciperet.

5. Sed dubium eſt, vtrum tempore Interdicti, & ceſſationis à diuinis liceat matrimonium contrahi, & nuptias benedici? Et licet negatiuè reſpõdeat Vgolin. de cenſur. tab. 5. de Interd. cap. 7. §. 3. n. 1. & cap. 10. §. 1. num. 1. Tamen dicendum eſt cum communi opinione, licitè matri-

monium

Digitized by Google

monium contrahi poſſe tempore Interdicti, vt conſtat ex cap. Capellanus de ferijs, & ratio eſt, quia tempore Interdicti ea tãtummodo Sacramenta ſunt vetita, quæ omninò ſpiritualia ſunt: At matrimonium eſt cõtractus naturalis, licet fuerit à Chriſto Domino eleuatum ad Sacramentum; ita Paludan. 4. d. 18. q. 8. art. 2. D. Antonin. 3. p. tit. 26. cap. 4. Henriq. li. 11. de matrim. cap. 16. num. 2. Nauar. cap. 27. num. 179. Sanchez lib. 7. diſp. 8. num. 2. & alij communiter, & quod etiam tempore ceſſationis à diuinis id licitum ſit, patet ex eod. cap. Capellanus, vbi dicitur. *Conſuetudinem Eccleſiæ eſſe, vt omni tempore matrimonium contrahatur*; Ita expreſsè docet Couar. cap. alma mater 2. p. §. 4. num. 7. verſ. vtcunque tamen, Vega 1. tom. ſummæ ca. 103. caſu 6. Sanchez loc. cit. nu. 3. Nauar. cap. 27. num. 178. imò dicto tempore ceſſationis à diuinis, ſunt omnia Sacramenta, tempore Interdicti permiſſa, licita, vt idem Sanchez Couarr. Nauarr. loc. cit. & alij. Nec obſtat ſi contrahentes ſpecialiter, & perſonaliter fuerint Interdicti. Sacramenta tempore Interdicti conceſſa, ſũt pœnitentia, Euchariſtia morientibus, & Baptiſmus, vide Sanchez num. 1. in fine, & num. 4. & 5.

6. Sed vtrum dicta Sacramenta permiſſa miniſtrari tempore Interdicti, poſſint etiam miniſtrari in Eccleſia ſpecialiter interdicta? Et affirmatiuè eſt reſpondendum quidquid aliqui dicant, nullibi enim reperitur ius id prohibens, vt benè docet Nauarr. cap. 27. num. 179. Henriq. lib. 13. de excomm. cap. 45. num. 3. Sanch. lib. 7. diſp. 8. num. 6. & num. 7. à fortiori concludit, poſſe fieri ibi denunciationes matrimonij.

7. Benedictiones autẽ nuptiales nullo modo fieri poſſunt nec tempore Interdicti, nec in Eccleſia ſpecialiter interdicta, cum aliqua tamen moderatione habita in cap. alma mater de ſenten. excommun. in 6. licet dicto tempore interdicti fieri poſſint, nunquam autem poſſunt fieri In Eccleſia ſpecialiter interdicta, cum in dicto cap. Alma mater agatur tantum de tempore Interdicti; & dicitur, vt dictæ benedictiones fieri poſſint ſummiſſa voce, ianuis clauſis excluſis excommunicatis, & interdictis, nam dictus textus conceſſit cũ ea moderatione omnia diuina officia poſſe celebrari, & ex conſequenti videtur dictas nuptias licitè poſſe benedici, quod quidem eſt verum, quando coniuges haberent priuilegium aſſiſtendi diuinis, vt habetur per bullam cruciatæ, alioquin dictæ nuptiæ benedici non poſſunt, ſi coniuges erunt interdicti, nec habeant dictũ priuilegium. Sanchez lib. 7. diſp. 8. n. 11. & 12. Henriq. lib. 3. de excommun. c. 44. nnm. 1. Comment. litt. D. & lib. 11. de matrim. c. 2. n. 1. in comment. litt. F. P. de Ledeſ. de matr. q. 50. art. vnic. dub. 3. & alij. Tempore autem generalis ceſſationis à diuinis nec dictæ benedictiones nuptiales benedici poſſunt, nec diuina officia celebrari, etiam cum prædicta moderatione iam dicta ex cap. Alma mater, vt Couarr. eodem cap. 2. p. §. 4. num. 8. vbi ait, hanc ſententiam eſſe omninò amplectendam, cum talis ſit vſus vniuerſalis Eccleſiæ, ſequitur Sanchez loc. cit. nu. 14.

8. Exceptuãtur tamen quatuor dies, in quibus iure Interdictum ſuſpenditur, vt habetur in capitulo Alma mater de ſentent. excommun. in 6. Et ſunt dies Natiuitatis Domini, Pentecoſtes, Paſchatis, & Aſſumptionis B. Virginis, & à Martino V. & Eugenio IV. fuit additus dies corporis Chriſti cum tota octaua, vnde in dictis diebus benè poſſunt benedictiones ſolemnes nuptiarum celebrari, ſicut etiam poſſunt celebrari alia officia diuina; aduertendum tamen eſt, dictas benedictiones nuptiales non poſſe celebrari die Natiuitatis Domini, & Paſchatis ob generalem prohibitionem Eccleſiæ; vnde ſi quis dictis diebus illas celebraret, peccaret quidem mortaliter. Sed non peccaret contra Interdictum, & ex conſequenti nec fieret irregularis, vt pluribus Sanch. lib. 7. diſp. 8. n. 15. & 16. & ſeq.

9. Sed quæritur vtrum dum ſponſi ſunt excommunicati, vel alter tantum eorum, validè poſſint contrahere matrimonium? Et affirmatiuè communiter reſpõdetur ita S. Thom. 4. d. 39. q. vnic. art. 1. ad 1. Caiet. 2. 2. q. 154. art. 7. dub. & in ſumm. verb. matrimonium cap. 1 in fin. & alij om-

Digitized by Google

nes, peccat tamen mortaliter contrahens cum dicta excommunicatione, cum illa priuet excommunicatum perceptione Sacramentorũ, vt idem Caiet. loc. cit. Nauarr. cap. 22. num. 81. & alij. Sed dubium eſt an ſit duplex peccatum contrahere cum excommunicatione, vnũ quatenus contrahens matrimonium eſt miniſter, qui non poteſt adminiſtrare in peccato mortali ſecundum omnes, & multi minus poterit cum excommunicatione. Secundum, quatenus ipſemet contrahens recipit Sacramentum in peccato mortali, vel excommunicatione; hæc quæſtio pendet ab alia, nempè an ſponſi contrahendo matrimonium in peeccato mortali duo peccata committant, vnum, quia vt miniſtri Sacramenti, tenentur eſſe ſine culpa mortali, ſecundum quatenus Sacramentum recipiunt; ad quod etiam requiritur innocentia à mortali; & quamuis ad hanc quæſtionem plures aſſerant duo peccata committere dictos, vel dictum contrahentem exiſtentẽ in peccato mortali, vt Nauar. cap. 1. §. Sacerdos num. 10. de pœniten. diſt. 6. in ſolut. ad 6. P. de Ledeſma de matrim. q. 2. art. 3. ad vlt. quod probabile quidem eſt, quod etiam ſentit Suar. 3. tom. de Sacram. q. 65. art. 4. diſp. 16. ſect. 2. Tamen probabilius dicendum eſt cum eodem Doctore, & alijs citandis, vnam culpam mortalem tantum committere dictos ſponſos, vel ſponſum. Et ratio eſt, quia ille miniſter tenetur eſſe abſque culpa mortali, quando adminiſtrat Sacramenta, ad quæ eſt conſecratus, & deputatus ex officio, vt alibi ſæpè probauimus; vnde contrahentes vnum tantum peccatum mortale committent, quatenus recipiunt Sacramentum in peccato mortali, quam ſententiam tenet Sanchez lib. 2. diſp. 6. num. 3. & 4. ex Palud. 4. d. 5. q. 2. n. 22. Sot. 4. d. 1. q. 5. art. 6. in fin. & ex alijs. Vnde ad dubium reſpondendum eſt, vnũ tantum adeſſe peccatum mortale, ſi quis cum excommunicatione cõtrahat matrimonium; quod etiam committit, qui ſcienter contrahit cum excommunicato, quia eſt participatio in diuinis, vt ſuo loco dicemus. Et in caſu præſenti, putat Sanchez duo eſſe peccata mortalia, non ratione miniſterij, ſed vnum ratione receptionis Sacramenti in peccato mortali, ſecundum ratione excõmunicationis, ob quam cuique prohibetur perceptio, & adminiſtratio Sacramentorum, vt idem Sanchez lib. 7. diſp. 9. num. 4. Et idem aſſerit eſſe dicendum de Sacerdote miniſtrãte, vel ſuſcipiente Sacramentum in peccato mortali, & excommunicatione; nec non idem etiam eſſe de contrahente matrimoniũ cũ excommunicatione maiori, vel ſuſcipiente aliud Sacramentum cum dicta excommunicatione minori; nam primum peccatum eſt ratione cenſuræ, qua quis prohibetur percipere Sacraméta, ſecundum eſt, quia ſuſcipit Sacramentum in tali peccato mortali; Attamen contrarium puto omninò verum, nempè in his caſibus vnum tantum adeſſe peccatum mortale; quia tam excommunicatio maior, quam minor, nec non & culpa mortalis ad idem ordinãtur, vt optimè loquitur Nauar. cap. 22. nu. 81. Caiet. in ſumm. ver. matrimonium c. 1. in fin. Armilla eod. ver. num. 67. & alij.

10. Et quia diximus contrahentem ſcienter cum excommunicato, peccare mortaliter, dubium eſt, an id ſit verum de quolibet excommunicato, licet non denuntiato, nec publico Clerici percuſſore; & affirmatiuè videtur reſpõdendum iuxta communem ſententiam eorum, qui tenent eſſe peccatum mortale recipere ſacramenta ab excommunicato non denunciato, & ratio eſt, quia vt ait Suarez 3. par. q. 65. art. 4. diſp. 18. ſect. 1. colum. 5. littera B. licet ratione excommunicationis tantummodo aſtringãtur fideles vitare excommunicatum denũciatum, vel publicum Clerici percuſſorem, & ex conſequẽti vi dictæ excommunicationis poſſint ſacramenta ab alijs excommunicantis recipere, tamen ex lege charitatis, qua fideles tenentur euitare ſcandalum, & nõ cooperari ad peccatum alterius, nec poſſunt ab his excõmunicatis recipere ſacramenta, quia huiuſmodi excommunicati peccant adminiſtrando ſacramenta; cum illis non faueat Concil. Conſtãtienſis; ſed tantum fidelibus timoratæ conſcientiæ, ne ſcrupulum patiantur in conuerſando

cum

Digitized by Google

cum excommunicatis. Vnde ait dictum Cõcil. *Maximus autẽ fauor eſſet excõmunicati ſi poſſet abſq; culpa vacare ſacramentorũ miniſterio; quo ratione excommunicationis ante id decretum priuatus erat.* Si igitur peccat Sacerdos excommunicatus miniſtrans, peccabit etiam, qui ab illa recipit ſacramenta, quia cooperatur ad peccatum alterius; & eadem doctrina eſſet de ſacerdote innodato excommunicatione minori, cũ etiam ob illam prohibeatur adminiſtrare ſacramenta. Tamen puto dicendum eſſe cum Sanchez lib. 7. diſp. 9. num. 8. Nullam culpam committere contrahentem ſcienter cum excommunicato non denũciato, nec publico clerici percuſſore. Et ratio eſt, quia petere ſacramenta ab excommunicato non denunciato, &c. probabilius eſt, nullum eſſe peccatum, quod docet Sotus 4. d. 22. q. 1. art. 4. verſ. ait verò, Ledeſma 2. par. 4. q. 5. art. 6. Lopez 2. par. inſtructorij de ſacramentis in genere cap. 59. colum. 18. verſ. at verò vrgentius col. 8. & alij teſte Victoria in ſumma de excommunicatione nu. 339. Et ratio eſt, quia Concilium Conſtantienſ. indulſit fidelibus, vt in nullo tenerentur euitare huiuſmodi excommunicatos non denunciatos &c. his verbis. *Conſtituimus, vt nemo poſthac teneatur abſtinere;* Vnde licet, dicti excommunicati ex ſe non poſſint ſacramenta miniſtrare, benè tamen poſſunt fideles dicta ſacramenta ab illis petere, & illi, vtiq; tunc licitè poſſunt illa adminiſtrare, alioquin dicta indulgentia, & conceſſio Cõcilij vana eſſet, ſi ex alio capite adhuc non poſſent ſacramenta ab illis petere, vt fuſiùs, & optimè oſtendit Sanchez loc. cit. Ex quo infertur, quod licitè quis poſſit contrahere cum excommunicato, petendo ab ipſo tanquam à miniſtro, contractum fieri.

11. Sed dices, ergo ſaltem quando ſacerdos excommunicatus nõ petitus adminiſtrat ſacramenta, peccat mortaliter illa ab eo recipiens? Reſpondeo in hoc caſu ſacerdotem excommunicatum peccare, vt ſupra, non autem recipientem; quia ſi vtar malitia alterius parati, vt meę vtilitati conſulam, dũmodo benè id exequi poſſim, non dicor cooperator ad peccatum alterius, ſicut qui accipit pecuniam ab vſurario parato, vt ſuæ vtilitati conſulat, non dicitur cooperari ad peccatum vſuræ, quia licitè poteſt quis mutuum petere; ſic etiam cum ſacramenta ſint valdè vtilia petenti, benè poteſt quis illa à tali excommunicato recipere; cum licitè poſſit etiam ab illo ea petere. Ita etiam in caſu n. anteced. propoſito, vt quis conſulat ſuæ vtilitati, benè poteſt petere à ſpõſo excommunicato, vt cum eo contrahat matrimonium, & etiam ſi non petitus, cõtrahere voluerit, licitè poterit conſentire, & contrahere.

12. Ex qua doctrina infertur, duplicem culpam mortalem committere inducentem excommunicatum vitandum, ſeu denunciatum, aut publicum clerici percuſſorem, vnam ob præceptum vitandi talem excommunicatum, quod in re diuina, & ſacramentis obligat ſub mortali. Secundam, quia inducit illum ad peccandum, cum non poſſit recipere ſacramentum, dum manet in tali excommunicatione. Secundò infertur, nullam adeſſe culpam, ſi quis inducat excommunicatũ non vitandum ad contrahẽdum, & multò minùs, ſi inducat excommunicatum excommunicatione minori; vt patet ex num. 10. Sanchez lib. 7. diſp. 9. num. 9. & 10.

13. Sed quid ſi ambo contrahentes erunt excommunicati? Reſpondeo, vel dicti contrahentes ambo ſunt tolerati, vel ambo non ſunt tolerati, aut alter eorum tantum eſt toleratus. Si ambo ſunt tolerati; tunc inducens alium ad contrahendum ſecum matrimonium, peccat quidẽ mortaliter eo quod per propriam excõmunicationem ipſi prohibetur non poſſe participare nec etiam cum non excommunicato, niſi ab ipſo præueniatur, nec poſſe recipere ſacramenta. Vnde duo peccata puto adeſſe in tali caſu, primum, quatenus inducens non petitus, participat in ſacramentis, ſecundum, quatenus recipiat ſacramentum cum excommunicatione, & ſi inducens habeat tantum excommunicationem minorem, peccabit tantũ mortaliter ob receptionem ſacramenti, non verò propter participationem. Præuentus autem non peccat, niſi quatenus recipit

pit

Digitized by Google

pit ſacramentum cum dicta excommunicatione. In ſecundo caſu, ſi non fuerint tolerati, tunc inducens primò peccat ratione inductionis ad peccatum. Secundò ratione participationis in diuinis, ſeu ſacramentis. Tertiò ratione perceptionis ſacramenti. Inductus autem primò peccat ratione participationis in ſacramentis, ſecundò ratione perceptionis ſacramenti. Et ſi ambo erunt tantummodo excommunicati excommunicatione minori, & denunciati; tunc inducens primò peccat ratione inductionis ad peccatum, ſecundò ratione perceptionis ſacramenti. Inducens autem peccat ratione perceptionis ſacramenti, neuter autem peccat ratione participationis, quia excommunicatio minor illa non priuat. In tertio caſu, ſi alter tantum ſit toleratus, & alter non toleratus; tunc ſi toleratus inducat, primò peccat propter inductionem, ſecūdò propter participationem ex propria excommunicatione, qua prohibetur participatio, niſi præueniantur, tertiò peccat propter receptionem ſacramenti cum tali excommunicatione. Inductus autem peccat primò, ratione participationis in ſacramentis ex propria, non ex alterius excōmunicatione, ſecundò ratione perceptionis ſacramenti, è contra ſi non toleratus inducet toleratum, primò peccat propter inductionem ad peccatum, ſecūdò ratione participationis ex propria excommunicatione, tertiò ratione perceptionis ſacramenti. Inductus verò peccat primò ratione participationis in ſacramentis, ſecundò ratione perceptionis ſacramenti, non obſtante excommunicatione. Et tandem ſi vterq; ſit in excommunicatione minori, ſed alter tantum denunciatus, tunc, ſi dictus denunciatus alterum inducat ad contrahendum, peccat tantum ex indigna receptione ſacramenti ratione propriæ cenſuræ. Et ſi toleratus inducat non toleratum, peccat ratione inductionis ad recipiendum ſacramentū cum excommunicatione. Non autem omnia hæc diſtinctè ſint explicanda in cōfeſſione. Sed ſufficiet ſi dicatur dum exiſterem in tali excommunicatione, alterū etiam excommunicatum tali excommunicatione, vel nullo modo excommunicatum induxi ad contrahendum matrimonium, &c.

14. Vtrum autem ſponſalia poſſint contrahi cum excommunicatione maiori? Reſpondeo affirmatiuè; adeſſet tamen culpa venialis ratione participationis in contractu humano, nec obſtaret iuramentum, quo ſponſalia contrahi ſolent, cum excommunicato non ſit interdictum poſſe iurare, Sanchez lib. 7. diſp. 9. num. 12. Benedictiones autem nuptiales excommunicato excommunicatione maiori cōferri non poſſunt, tum ratione miſſæ, cui aſſiſtere excommunicatus non poteſt, tum ratione ipſarum benedictionum, quatenus ſunt officium diuinum, cui nec etiam excommunicatus intereſſe poteſt, vnde mortaliter peccaret illas cum dicta excommunicatione recipiens; & ſimiliter illas impediens.

15. Secundum impedimentum eſt catechiſmus. Eſt autem catechiſmus inſtructio fidei, quæ fit ante ianuam Eccleſiæ ſuper baptizando, per quam inſtructionem olim contrahebatur quædam imperfecta affinitas ſpiritualis non dirimēs, ſed impediens matrimonium; At in Concilio Tridentino, dicta affinitas fuit ſublata, vt optimè probat Sanchez lib. 7. diſp. 10. nu. 12. contra nonnullos contrarium aſſerentes. Idem etiam docet, Reginald. lib. 31. num. 190. Henriq. lib. 12. cap. 2. nu. 1. P. de Ledeſma ſum. ſacrament. cap. 13. de baptiſ. dub. 2. & in tract. de matrim. q. 56. ar. 3. §. in huius expoſitionem; idē ſentit Bonac. de imped. q. 3 punct. 14. num. 6. & Filiuc. tract. 10. de imped. cap. 9. num. 273. & alij plures apud hos Doctores.

16. Tertium impedimentum, ſunt ſponſalia priùs celebrata, ſed de his iam ſufficienter diximus agēdo de dictis ſponſalibus.

17. Quartum impedimentum eſt votum ſimplex caſtitatis, vel Religionis, vel ſuſcipiendi ordines ſacros, aut non nubendi; omnia enim dicta vota impediunt matrimonium contrahendum, non autem dirimunt contractum, vnde ſi quis cum huiuſmodi votis contrahat, mortaliter quidem peccabit, ſed validum erit matrimonium,

Digitized by Google

monium, & idem eſt dicendum de eo, qui cum dicto habente votum contrahit, cooperatur enim peccato alterius, niſi contractus fieret ſub hac cōditione, ſcilicet, diſpenſationis obtinendæ; & quod diximus de vouente caſtitatem, vel religionem, &c. vt ſupra, affirmamus etiam de ſe ad id obligante per iuramentum, cum tam huiuſmodi vota, quam iuramenta, aduerſentur ſtatui matrimoniali. Vt igitur in dictis caſibus licitè cōtrahatur matrimonium, eſt prius diſpenſatio obtinenda. Ita communiter omnes, Sanchez lib. 7.diſp.11. Valentia 2.2. diſp. 6. Bonac. de impedim.q.3.punct.14.num.7. & alij. Et nota, quod licet quis patiatur graues ſtimulos carnis, nō ex hoc, poteſt licitè matrimonium contrahere, nec alius poteſt ei id abſq; graui culpa ſuadere, vt probat dictus Sanchez nu.29. quæ doctrina pendet ex illa quæſtione, an liceat ſuadere minus malum ad euitandum maius, de qua nos iam egimus in lib. 2. de contract. cap. 36.num.8.& 9.& fusè de illa agit Sanchez loc.cit.à num. 14. & ſeqq. vbi etiam quærit; an Lot peccauerit offerendo filias ſodomitis, vide a num.28. apud Sanchez,& in noſtro ſecundo libro de contractibus, vide loc.cit. num.10.

18. Id tamen, quod ibi deſideratur eſt, an liceat ſuadere minus malum, quod quis illaturus eſt Titio, ad euitandum maius malū, quod ſimiliter illaturus eſt Caio, quando vtrumq; malum vitari nequit? Et negatiuè omninò reſpondendum eſt, eſſet enim peccatum contra iuſtitiam ita, vt ſuadens teneretur ad reſtitutionē, quia eſt directè cauſa damni alterius, & cenſetur conſulens iniurioſus alteri. Ita docet Sot. lib.4.de iuſtit.q.7.art.3. Arragon.2.2. q.62.art.7.col.15.ad 2. Salon. ibidem art. 7. Molin.tom.2.de iuſt.tract.2. diſp.335.§. hac tamen concluſ. Nauar.lib.3. de reſtit, cap.4.notabil.4.nu. 24. Sanchez lib. 7. de impedimentis matrim.diſput.11. num.24. Graſſius 1.par.deciſ.lib.2. cap. 127. num. 11.& plures alij. Verum, ſi omninò certum eſſet, damnum eſſe vtriq; talem iniquum illaturum, tunc non eſſet contra iuſtitiam ſuadere, vt vnum damnum, & non duo inferantur, ſcilicet minus, & non maius, conſideratis conſiderandis, alioquin eſſet contra legē charitatis ſuadere maius potius, quam minus. Sic etiam licitum erit, volenti furari à Petro paupere, ſuadere, vt furetur à diuete in communi, & non à tali paupere; Sanchez loc.cit.in fin.& ratio eſt, quia in tali caſu non adeſt detrimentum tertij in particulari;& minus malum eſt furari à diuite, quam à paupere.

19. Ex quo colligitur ſolutio alterius quæſtionis, nempe an licitum ſit volenti bona mea furari, ſuadere, vt alterius bona, ſcilicet Titij furetur? Nam negatiuè reſpondendum eſt, vt benè docet Salon. 2.2.q.62.art.7.controuerſ. 7. in fin. quia nefas eſt alteri, qui aggreſſor nō eſt, damnum inferre, ne damnum patiar in bonis meis. Eſſet autem licitum ſi quis diceret, ſine me, vel bona mea, ſi furari vis, & furare ab alijs, cum multi ſint, à quibus furari potes, non nominando perſonam aliquam; tunc enim non eſt malum alteri inferre; ſed proprium damnum euitare, vt Sanchez lib.7.de impedim. matrim. diſp. 11.num.25.

20. Et nota, contrahentem cum voto ſimplici caſtitatis, poſſe reddere, non autem petere, niſi abſolutionem ab Epiſcopo, vel alio habente authoritatem obtineat; at ſi dictus contrahens habeat votum ſuſcipiendi ordines ſacros, vel non nubendi, licet peccet, ſi nubat; poteſt tamen petere iuxta ea, quæ diximus ſupra cap.90.num.11.

21 *Quintum impedimentum non dirimens matrimonium eſt crimen, quod continet in ſe ſeptem delicta.*

22 *Inceſtus cum affine, ſcilicet conſanguinea vxoris, vel è contra vſque ad quartū gradum, impedit, ne quis poſſit amplius vxorem ducere, & è contra, niſi ignorantia inceſtus excuſaret.*

23 *Poſt ſponſalia, ſi quis peccet cum conſanguinea in primo gradu ſponſæ, vel è contra, non poteſt ampliùs matrimonium contrahere, nec cum ſponſa, nec cum alijs, & ſi copula eſſet poſt contractum matrimonium, impedimentum eſſet perpetuum, nam in primo caſu non eſſet perpetuum.*

24 *Raptus ſponſæ alienæ de præſenti impedit, ne-*

Digitized by Google

neq. poſſit amplius contrahere, & idem dicitur de ſponſa conſentiente in raptũ.

25. *Vxoricidium etiam ex cauſa adulterij, impedit matrimonium contrahendum, & extenditur ad vxorem interficientem maritum.*

26. *Suſceptio propriè ſobolis animo inſidiandi matrimonio, impedit matrimonium contrahendum.*

27. *Preſbytericidium impedit matrimonium contrahendum.*

28 *Durante tempore publicæ pœnitentiæ, matrimonium contrahi non poteſt.*

29 *Matrimonium contractum cum moniali, licèt ſit irritum, adhuc impedit matrimonium contrahendum.*

30 *Interfectio proprij filij etiam ſecundum aliquos impedit matrimonium contrahendum.*

31 *Contrahere cum impedimentis votorum ſponſalium, & interdicti, eſt peccatum mortale, ſi non adfuerit diſpenſatio ſecùs autẽ cõtrahere cũ alijs impedimẽtis*

32 *In omnibus dictis impedimẽtis poteſt Epiſcopus diſpenſare, ſecluſo voto caſtitatis, & religionis quæ vota pertinet ad Summum Pontificem.*

21. Quintum impedimentum non dirimens matrimonium eſt crimen, quod ſeptem delicta in ſe continet, & communiter his verſibus explicantur.

Inceſtus, Raptus ſponſæ, Mors mulieris,
Suſceptus propriæ ſobolis, mors preſbyteralis.
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut monialem
Accipiat; prohibent hæc coniugium ſociandum.

22. Quoad primum. Inceſtus in hoc loco eſt copula habita cum affine, ſcilicet quando vir habet copulam cum conſanguinea vxoris vſq; ad quartum gradum, vel è contra, quando vxor habet copulã cum conſanguineo mariti vſq; ad quartũ gradum, talis enim inceſtus impedit ne quis poſſint amplius contrahere cum alia poſt mortem vxoris, & è contra, niſi in caſu, quo dictus affinis cognoſcebatur, vt extraneus ex ignorantia, quæ in hoc caſu excuſaret, vt expreſsè ſumitur ex cap. 1. de eo, qui cognouit cõſang. & docet Sanchez lib. 7. diſp. 15. num. 9. Nec intelligitur inceſtus cum proprijs conſanguineis, cum iura tantum agant de inceſtu cum affine, vt ait D. Thom. 4. d. 34. q. vnic. art. 5. Caiet. 2. 2. q. 154 art. 9. §. ad 2. obiectionem. Sanchez loc. cit. num. 16. & alij multi, licet plures Doctores contrarium aſſerant, ſcilicet dictam pœnam extendi etiam ad inceſtuoſos cum proprijs conſanguineis, quos refert dictus Sanchez num. 15. Sed praxis docet primam opinionem eſſe omninò veram, & illam ſequuntur Bonac. de imped. q. 3. punct. 14. num. 10. Filluc. tract. 10. de imped. cap. 9. num. 283. & 284. P. de Ledeſma de matrim. q. 58. art. 4. & alij.

23. Hoc idem impedimentum importat copula habita cum conſanguinea ſponſæ in primo gradu, ſcilicet quando matrimonium non eſt adhuc contractum, & dico in primo gradu, quia impedimentum publicæ honeſtatis non excedit primum gradum iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. & licet ex tali copula non oriatur tale impedimentum, oritur tamen ſaltem ex quodam genere affinitatis moralis ortæ ex ſponſalibus, vt plures Doctores docent cum Sanchez loc. cit. nu. 5. Gutierez cap. 87. num. 7. & Bonac. loc. cit. num. 11. Vnde ſi ſponſus poſt ſponſalia, & ante cõtractum matrimonium habeat copulam cum conſanguinea vxoris in primo gradu, non poteſt amplius contrahere matrimonium nec cum ſponſa, nec cũ alijs abſq; diſpenſatione, de qua infra. Quod impedimentum non eſt perpetuum, ſed temporale, ſcilicet, dum dicta conſanguinea, cũ qua habita fuit copula, viueret, vt idem Sanchez num. 6. Filiuc. num. 281. Bonacc. num. 11. in fin. & alij, quod intellige, niſi adſit diſpenſatio.

Et ſi copula eſſet poſt contractum matrimonium, dictum impedimentum eſſet perpetuum, licet adhuc matrimonium nõ eſſet conſummatum, quia licet propriè affinitas non ſit contracta, cum matrimonium non ſit conſummatum. Tamen ratione publicæ honeſtatis oritur dictum impedimentum perpetuum, vt habetur in cap. transmiſſa de eo, qui cognouit; &c. Filiuc. tract. 10. par. 2. cap. 9. num. 282. Sanchez lib. 7. diſp. 15. num. 6. Et idem dicitur ſi vir mortua ſua vxore, haberet copulam

cum

Digitized by Google

cum conſanguinea vxoris, & è contra Bonac.de imped.q.3.punct.14.num.12. Sanchez loc.cit.num.12.Rebell.lib.3.q.18. nu. 10.P.Lodeſma q.58.art. 4. licet non deſint multi contrarium aſſerentes.

Et nota dictum impedimentum nõ oriri ex cognatione legali,vel ſpirituali,cum iura tantum loquantur de inceſtuoſa copula cum affine, ſcilicet cum conſanguinea vxoris, Bonac. loc. cit. num. 10. & alij communiter.

24. Secundũ crimen eſt raptus ſponſæ alterius, per quem contrahitur impedimentum, vt non poſſit quis nec cum rapta,nec cum alia matrimonium contrahere, & ſi rapta conſenſum præbuit raptui, ipſa erit in eadem pœna, etiam ſi ſponſa ſit de futuro,ita communiter omnes colligunt ex ca.ſtatutum 27. q.2. Sanchez lib. 7.diſp.12.num.43.Filiucc. tract.10.2.par. cap.9.nu.285.Bonac.de imped.q.3.punct. 14.num.13.Henriq.lib.12.cap. 2. Rebell. lib.3.q.18.num.4.Sed Sanchez loc.cit.nu. 45. Aſſerit, id tantum intelligi de ſponſa de præſenti, ſcilicet poſt contractum matrimonium, & ita ait Palud. 4. d. 34. q. 1. art.2.num.13. dum explicans dictum impedimentum, ait. *Raptus alienæ ſponſæ,ideſt vxoris alienæ*. Quam opinionem probabilem vocat Filiuc. loc. cit. & videtur conſentire Bonac.ibidem.

25. Tertium crimẽ eſt vxoricidium, quod impedit, ne quis poſſit contrahere cum alia,etiam ſi fuiſſet propter adulteriũ illatum. Colligitur ex cap. interfectores 33.q.2.vbi etiam ipſis interfectoribus pœnitentibus, denegatur coniugium, & ex cap. admonere 33. q. 2. vbi Stephanus V. Pontifex reprehendens Aſtolfum, quod vxorem occidiſſet, ait. *Vxorem nunquam ducere audeas*. D.Thom.4.d.37.q.2. art.2. in corp. Durand.q.2.art.2.num. 6. Palud. q.2.art.2.num.9.Sanchez lib. 7. diſp. 16. num.1.Bonac.loc.cit. num. 14. non tamen extenditur hoc impedimentum in homicidio patrato ab vxore in ſuum virum;ita Sot.4.d.37.q.vnic.art.1.verſ. ſimplex itẽ, D.Antonin.3.par.tit.1.cap.16.§.4.Henriquez lib.11.de matrim.cap. 2. num. 1. ad fin. Vgolinus de ſacramentis de matrim. cap.20.num.3.Rebell.lib.3. q.18. num. 5. & alij multi ab his citati;ſed Sanchez loc. cit.num. 6. verius eſſe putat dictum impedimentum extendi etiam ad vxorem, & ſequitur Bonac.loc. cit. Sed verè prima opinio tuta eſt, quia in iure dictus caſus tantum eſt expreſſus.

26. Quartum crimen eſt ſuſceptio propriæ ſobolis, quod accidit in baptiſmo, & confirmatione, & contrahitur impedimentum tam ſi teneatur, vel baptizetur proprius filius, quam ſi teneatur ad confirmationem filius proprij coniugis,& neceſſe eſt,vt fiat animo inſidiandi matrimonio, ſcilicet, ad finem priuandi alium coniugem debito cõiugali; ex quo ſequitur, vt talis ſic baptizans, vel tenens, &c. mortuo ſuo coniuge, non poſſit cum alio contrahere, Filiuc.tract.10. par.2.cap.9. num.289.Bonac.de imped. q.3. punct. 14. nu.17. & expreſsè habetur in cap. de co 30.q.1.Sanchez lib.7.diſp.6.num.8.

27. Quintum crimen eſt presbytericidium ex cap. qui presbyterum de pœnit. & remiſs. quod intelligitur, quando homicida fuerit de tali delicto conuictus, vt Nauar.cap. 22. num. 74. ex Panorm. & patet ex verb. cit.capitis, vbi ſic habetur. *Qui presbyterum occiderit, conuictus vſque ad vltimum vitæ ſuæ tempus militiæ cingulo careat, & abſq; ſpe coniugij maneat*. Sanchez lib.7.diſp.6.num.9.& alij.

28. Sextum crimen eſt pœnitentia publica, ſcilicet, durante dicto tempore pœnitentiæ, nullus contrahere licitè poteſt, quia tempus pœnitentiæ non debet eſſe tempus lætitiæ ex cap. de his, & cap. fin.33.q.2.Ita Palud.4.d.34.q.1. art. 2. nu. 12.& 13.in fin.Durand.d.37.q.2.ar.2.nu. 6.Sot.q.vnic.art.1.verſ.de ſolemniter pœnitentibus; licet ad preſens non adſit hoc impedimentum, cum non ſit in vſu pœnitentia publica,vt Sanchez lib.7.diſp.6.n. 10.& alij.

29. Septimum crimen eſt matrimonium contractum cum moniali, ob quod, licet ſit irritum matrimonium, adhuc tamen contrahens priuatur omni coniugio contrahendo, ex cap. hi ergo 27. q. 1. ex Concilio Tiburienſi cap.6.

30. Aliqui addunt aliud crimen, nẽpe interfectionem proprij filij, & ſumitur

 ex

ex cap. 1. de his, qui filios occid. vbi de de matre, quæ filium interfecit, ſic dicitur, *Mandamus quatenus eam labores inducere, vt ad aliquod monaſterium transeat*, *in quo perpetua pœnitentia ſua peccata deploret, ſi autem repugnante carnis fragilitate, ad hanc induci noluerit, ei licentiam nubendi in domino tribuas.* Ad quem locum Ananias iam ſupponit fragilitatem, & ait, *Iudicem in hoc debere permittere minus malum, ſcilicet, vt nubat, ad euitandum maius*, quæ ſententia placet Sanchez lib. 7. diſp. 6. num. 12. quod intelligendum puto, dummodo verè adſit timor incontinentiæ, vt in cit. cap. ait Gloſſ. alioquin verba Pontificis nihil operarētur; ſed eſt expectanda in tali caſu ſententia iudicis, vt ex ipſo textu colligitur.

31 Vtrum autem contrahere cum dictis impedimentis non dirimentibus ſit peccatum mortale? Reſpondeo, quod reſpectu impedimenti votorum, ſponſaliũ, & interdicti, certum eſt, quod ſit culpa mortalis; reſpectu verò aliorum, idem eſſe dicendum aliqui affirmant; ſed alij id modificant dicendo, tunc eſſe mortale, quando in illis locis viget cõſuetudo accipiendi diſpenſationem dictorum impedimentorũ; & verè ita eſt omninò tenendum cum Sot. 4. d. 37. q. vnic. art. 1. verſ. circa hoc autem, Caiet. in ſumm. verb. matrimonium, cap. 1. §. & ſcito peccatum eſſe. P. Sot. lect. 14. de matrim. §. penult. in fin. Syluest. verb. matrimonium, 7. q. 6. dicto 2. Sed Sanchez docet non eſſe culpam mortalem cum dictis impedimentis contrahere (ſeclusis illis tribus) & ratio eſt, quia conſuetudo inualuit, vt matrimoniũ contrahatur ab his, qui dicta impedimenta habent, abſque vlla diſpenſatione vide lib. 7. diſp. 17. à num. 6. & ſeqq. quod etiam confirmat Bonac. reſpectu illorum locorum, in quibus vigeret talis conſuetudo.

32. Sed quis poſſit diſpenſare in dictis impedimentis? Reſpondeo in inceſtu vero, ſcilicet commiſſo poſt conſummatum matrimonium cum conſanguinea vxoris, ſolus Pontifex diſpenſat, vt inceſtuoſus contrahere poſſit, ratione autem iuuentutis, vtique id poſſet Epiſcopus per cap. ſi duo in fin. 35. q. 6. Si autem inceſtus non fuerit verus, ſcilicet cõmiſſus poſt contractum matrimonium, ſed ante ipſius conſummationem, pertinet diſpenſatio ad Epiſcopum per cap. ſi duo cit. ſic Abbas in cap. 1. num. 4. de eo, qui cognouit conſang. Angelus verb. inceſtus num. 5. Syluest. verb. luxuria q. 4. dicto 5. ſed hi Doctores, & alij loquuntur iuxta iura. Attamen dicendum eſt ex conſuetudine, Epiſcopum poſſe diſpenſare in dictis impedimentis non dirimentibus, excepto impedimento voti caſtitatis, & Religionis; nam vſus obtinuit, vt nullus diſpenſationem accipiat, niſi habeat impedimentum dirimens; quod optimè docet Nauarr. cap. 22. num. 85. & 75. ex Paludan. 4. d. 28. q. 2. & D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 16. §. 4. & idem docet Bonace. de impedim. q. 3. pun. 15. num. 2. & licet pro ſe afferat Filiucc. & Sanchez. Tamen dicti Doctores aliud aſſerunt præcipuè circa inceſtum cum conſanguinea vxoris, &c. vt apud ipſum Filiucc. videri poteſt tract. 10. de matrim. p. 2. cap. 10. num. 306. & apud Sanchez lib. 7. diſp. 17. à num. 10. & ſeqq. licet in fine num. 15. approbet ſententiam Paludani, & aliorum aſſerentium, conſuetudine aboletum eſſe, ne dictus inceſtus, & alia impedimenta, vt ſupra, indigeant diſpenſatione.

Digitized by Google

DE DISPENSATIONIBVS MATRIMONIALIBVS.

Quonam modo poſſit Summus Pontifex, vel Epiſcopus diſpenſare in Impedimentis Matrimonij, quibus de cauſis, &c. Cap. CXII.

1 *Declaratur quid ſit diſpenſatio, interpretatio, irritatio, & abrogatio, & quomodo differat priuilegium à diſpenſatione.*

2 *Diſpenſatio eſt iuris relaxatio cum cognitione cauſæ ab eo, qui relaxare poteſt, nec diſpenſatio facta à principio poteſt extendi ad caſum ſimilem; ſecùs ſi eſſet facta à lege.*

3 *Ante tradita doctrina procedit in diſpenſationibus odioſis, in quibus ſtricta debet fieri interpretatio ſecùs in fauorabilibus, & in alijs multis caſibus.*

4 *Poteſtas diſpenſandi alicui commiſſa eſt latè interpretanda, licèt nō poſſit extendi, niſi ad caſus, qui poſſunt adaptari cum illis, qui in poteſtate ſunt expreſſi.*

5 *In dubio, diſpenſatio non debet extendi ad aliū caſum, at in dubio an talis poteſtas ad illum oſtendatur, putandum eſt extendi, quia diſpenſatio ſtrictè, poteſtas verò latè eſt interpretanda.*

6 *Caſus conceſſi à Concil. Trid. Epiſcopis, ſi fuerint occulti, poſſunt extendi ad Capitulum Sede vacante.*

7 *Habens poteſtatem diſpenſandi in votis, & iuramentis, habet etiam poteſtatem commutandi.*

8 *Habens poteſtatem commutandi vota, vel in eis diſpenſandi poterit etiam id agere in iuramentis ſoli Deo factis.*

9 *Habens facultatem in votis, & iuramentis, habet etiam facultatem in iuramētis, & votis ſimul factis de eadem re.*

10 *Habens poteſtatem legitimandi adulterinum, & inceſtuoſum, poterit etiam legitimare aliquem habentem vtrumque vitium ſimul.*

11 *Habens facultatem diſpenſandi cum alijs, poterit etiam diſpenſare cum ſe ipſo.*

12 *Summus Pontifex, & alij omnes Prælati, poſſunt ſecum directè diſpenſare in omnibus, in quibus poſſunt cum ſubditis diſpenſare.*

13 *Superior admittens aliquem ad actum ei prohibitum, cenſetur diſpenſare, ſi sciēs id faciat, & idem dicitur ſi videat, & taceat, dum faciliter poſſet impedire.*

14 *Epiſcopus aliquando poteſt diſpenſare in lege Summi Pontificis, vel Concilij.*

15 *In Impedimentis dirimentibus, ſolus Summus Pontifex diſpenſat, niſi fuerint etiam iure naturali dirimentia, poſſunt tamen Epiſcopi, ſi impedimenta fuerint occulta, vel non adſit aditus ad Summum Pontificem.*

16 *Summus Pontifex poteſt diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis, tam ordinis, quam profeſſionis.*

17 *Ponūtur plures caſus, in quibus Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto caſtitatis, & religionis.*

18 *Epiſcopus poteſt diſpenſare ad petendum debitum cum eo, qui contraxit matrimonium cum voto caſtitatis.*

19 *Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum ex affinitate contracta inter coniuges.*

20 *Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum ob cognationem ſpiritualem contractam inter coniuges.*

21 *Eadem doctrina, quam diximus de voto caſtitatis, & religionis, dicitur etiam de iuramento obſeruandi caſtitatem, vel ingrediendi religionem; ſed contraria opinio etiam tuta eſt.*

22 *Diſpenſans in lege ſuperioris abſque iuſta cauſa, inualidè diſpenſat, ſcùs ſi ſuperior diſpenſet in lege propria, non tamen abſque graui culpa poteſt fieri, ſi fiat cum præiudicio tertij.*

Digitized by Google

1 EST primò ſciendum, diſpenſationem, interpretationem, irritationem, & abrogationem legis differre inter ſe. Nam irritare idem eſt, ac legem impedire, & ceſſare, ne robur conſequatur, vt ſi legem indigentem principis confirmatione, Princeps non confirmet, ſed caſſet. Abrogare autem, eſt poſtquam lex habuit ſuum robur, & princeps illam omninò caſſat. Diſpenſare eſt aliquem eximere ab obligatione legis. Interpretari eſt declarare legem, non habere vim in tali caſu, differt autem diſpenſatio ab interpretatione, quod illa requirat iuſtã cauſam, at interpretatio requirit tantum caſum, in quo lex non obligat. Differt etiam derogatio, & abrogatio, quia hæc omninò legem tollit, & caſſat, at derogatio tollit eam ſecundum partem. Ita ex communi opinione tradit Sot. lib. 1. de iuſtit. q. 7. art. 3. verſ. Quo hæc autem. Actor. 1. p. lib. 5. cap. 15. & Sanchez lib. 8. de impedim. diſp. 1. num. 1. Differt etiam priuilegium à diſpenſatione, quod illud concedatur ſine cauſa, diſpenſatio autẽ cum cauſa, Rodriq. q. Regular. q. 46. art. 1.

2. Eſt igitur diſpenſatio, iuris relaxatio cum cognitione cauſæ ab eo, qui poteſt relaxare, quæ definitio includit perfectam diſpenſationem, quæ fieri non debet abſq; cauſæ cognitione, & ideò illam tradunt cõmuniter Doctores, vt Nauarr. in manuali præludio 9. num. 15. ex Gloſſ. Solemnem, §. Niſi rigor, 1. q. 7. Abb. cap. 2. num. 4. de ſchiſmat. & ibi Anania, num. 3. Ioan. Andr. de tempor. ordin. nu. 6. Graff. 1. p. deciſ. lib. 2. cap. 31. n. 1. & alij. Et nota, diſpenſationem eſſe ſtrictè interpretandam, ita vt vltra caſum expreſſum, extendenda non ſit, vt habetur expreſsè in cap. 1. §. ille vero, de filijs Presbyteror. in in 6. Licet in multis caſibus temperet dictam doctrinam Sanchez lib. 8. de diſpenſat. diſp. 1. à num. 4. & ſeqq. Nec in diſpenſatione valet paritas rationis. Ita vt poſſit extendi ad alium caſum ſimilem, & in quo adeſt maior ratio diſpenſationis; & facit regula; quæ à iure de regul. iuris in 6. vbi habetur. *Quæ à iure communi exorbitant, minimè ſunt ad conſequentiam retrahenda.* Hanc doctrinam docet Molin. tom. 3. de iuſtit. diſp. 191. num. 2. Molin. I. C. de primog. lib. 2. cap. 4. num. 48. & 49. Couar. 4. decretal. 2. par. cap. 8. §. 8. nu. 11. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 1. num. 32. Filiuc. tract. 19. de matrim. 2. par. cap. 10. num. 293. §. ſecundò. Neq; valet argumentum ex l. neq; in ea 22. ff. ad l. Iuliã de adult. vbi habetur. *Sed qui occidere poteſt adulterum, multò magis contumelia poterit cũ iure afficere;* Ex qua lege communiter Doctores docent, habentem poteſtatem in vitam alterius, habere etiam poteſtatem in eius bona, & licitum eſſe bannitũ ſpoliare, eo quod licitum ſit illum occidere; & facit regula, cui licet 53. de regul. iuris in 6. ſic dicens. *Cui licet, quod eſt plus, licet vtiq; quod eſt minus;* & in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi habetur. *Quod in maiori conceditur, licitum eſſe videtur, & in minori.* Ex quibus, & alijs textibus Decius cap. quia in tantum à num. 15. & ſeq. de præbendis, & in alijs locis, & aliqui alij putant, diſpenſationem habere locum in caſibus, in quibus datur paritas rationis. Sed reſpondendum eſt cum Couar. loc. cit. dictos textus loqui in conceſſionibus à lege, vel canonib. conceſſis, in quibus lata eſt facienda interpretatio; ſecus autem eſt de diſpenſationibus priuatim factis à Principe; vt fuſiùs Sanchez loc. cit. n. 32.

3. Eſt tamen temperanda dicta doctrina, ita vt procedat in diſpẽſationibus odioſis, tunc enim ſtrictè ſunt ioterpretãdæ, & non niſi in caſu expreſſo, & diſpenſatio ad plura beneficia. Secus autem in fauorabilibus. Item temperatur in diſpenſationibus, in quibus exprimitur cauſa conceſſionis, tunc ſimiliter valet argumẽtum ad caſum ſimilem habentem camdẽ cauſam, & hoc ex tacita mente diſpenſantis, ſic Abbas cap. at ſi clerici §. de adulterijs num. 8. Tertiò temperatur quando minus eſt annexum ad totum tanquã pars eius, v. g. diſpenſatus ad ſacerdotium, eſt diſpenſatus ad alios ordines inferiores, Hoſtienſ. in cap. poſtulaſti num. 12. de reſcript. Quartò non valet argumentum à maiori ad minùs in diſpenſationibus factis ab homine, quia hæ ſtrictè interpretandæ ſunt. Valet tamen dictum argumentum

tum

Digitized by Google

tum in diſpenſationibus factis à lege, & canonib. vt Couar.4.decret.2.par. cap.8. num.11.Quintò,ſi maius, & minùs ſunt in diuerſis generibus, tunc diſpenſatio non extenditur ad minùs,ſecus autem ſi ſint in eodem genere; v. g. ſi Pontifex concedit Epiſcopis, vel religioſis poteſtatem teſtãdi, intelligitur etiam conceſſa facultas faciendi codicillum, vel donationem cauſa mortis, ex l. Marcellus ff. de donat. cauſ. mort.vbi dicitur. *Nam,& mortis cauſa donare poterit, cui teſtari conceſſum eſt*. Molin, tom.1.de iuſtit.tract.2.diſp.141. in fin.

4. Poteſtas autem alicui commiſſa diſpenſandi, eſt latè interpretanda, ſumus enim in fauorabilibus, & nemini fit iniuria, vt fusè probat Sanchez lib. 8. de matrim.diſp.2.num.1.Filiuc.tract. 10. de matrim.par.2.cap. 10. num. 294. Sed notandum eſt, dictam poteſtatem non extẽdi ad omnes caſus, ſed ad illos, qui adaptari poſſunt cum alijs caſibus in poteſtate expreſſis, Felin.cap.fin.num. 8. limit. 1. de ſimon. Secundò extenditur dicta poteſtas ſolum quando agitur de præiudicio concedentis. Secus quando agitur de præiudicio tertij. Tertiò quando ex conſuetudine tam dicta poteſtas extenditur ad certos caſus, non eſt extendenda ad alios,Felinus cap.poſtulaſti num.11. verſ. quartus caſus eſt,de reſcript. Quartò dicta poteſtas non extenditur ad diſpenſandum in iure naturali, vel diuino, Nauar. cap.fin.de ſimon. num. 3. Quintò latè eſt interpretanda poteſtas diſpenſandi cum perſonis in poteſtate expreſſis, Sanchez loc.cit. à nu. 2. & ſequentibus, & ſequitur Filiuc. loc. citat.

5. Ex quibus colligitur, in dubio an diſpenſatio extendatur ad aliquem caſum, interpretandum eſſe, non extendi; è contra verò, in dubio an poteſtas diſpenſandi extendatur ad aliquem caſum, interpretandum eſſe extendi; nam diſpenſatio, vt eſt in primo caſu, requirit ſtrictam interpretationem, ſed poteſtas diſpenſandi,vt eſt in ſecundo caſu, requirit amplam interpretationem, Decius cap. at ſi clerici §.de adulterijs limit.2.nu.96. de iudicijs. Colligitur etiam,bullam Cruciatæ, & Iubilæi eſſe ſtrictè interpretandam, quia eſt tantummodo diſpenſatio, vt Nauar. lib. 2.conſi .tit.de iure iur.conſil.3. nu. 6. vel conſil.1. num. 6. Vbi loquens de Iubilæo, dicit, dictam facultatem eſſe odioſam, & reſtringendam, & Henriq.lib.7.de indul. cap. 30. num. 1. idem aſſerit de bulla cruciatæ; è contra verò colligitur, facultatẽ, ſeu poteſtatem conceſſam Epiſcopo circa beneficia, eſſe latè interpretandam, vt ex pluribus docet Sanchez lib. 8. diſp. 2. num.7.& ſeqq.

6. Sed primò dubitari poteſt, vtrum facultas conceſſa Epiſcopis à Concil. Trident.ſeſſ.24.cap.6.de reform. abſoluendi, & diſpenſandi in caſibus occultis,nec deductis ad forum contentioſum, excepta irregularitate ex homicidio voluntario, extendatur etiam ad capitulum Sede vacante, & alios habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem,& Prælatos religionũ? Et quoad capitulum Sede vacante, negatiuè reſpondet Suarez de cenſur. diſp. 41. ſect.2.num.6. Sed affirmatiuè fusè probat Sanchez lib.8.diſp.2.num.10. eſſe reſpondendum, ex Aragon.2.2.q.88.art.12.concluſ.5.fol.1042.Henriq.lib.14. de irregul. cap.18.num.2. & cap.20. num. 1. Quæ facultas competit Epiſcopis etiam electis, & non adhuc conſecratis, quia ex tunc non petunt eis omnia, quæ pertinent ad iuriſdictionem, vt idem Suarez ibid. nu. 7. idem dicitur de alijs Prælatis iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercẽtibus, vt ſunt Abbates, & alij Sedi Apoſtolicæ, & non Epiſcopo ſubiecti; & idem ex priuilegio Pij V. dicitur de Prælatis regularium,& ſuperioribus localibus;vt Sãchez loc.cit.num.12.& 13.

7. Secundò dubitatur, vtrum poteſtas diſpenſandi in votis, & iuramentis,includat poteſtatem commutandi? Et affirmatiuè reſpondendum eſt, quando dicta poteſtas eſt ordinaria, de quo nullus dubitat,nec ſimiliter quis dubitat,habentem poteſtatem commutandi, non poſſe diſpenſare;ſed difficultas eſt,quando quis habet talem poteſtatem ex delegatione, vel ex priuilegio? Et etiam in his caſibus affirmatiuè reſpondet Palud. 4. d. 38.q.4. art.3.num.35.Sot.lib.7.de iuſtit.q.4. ar.3. verſ.ex his fit, vbi ſic ait. *Facultas diſpenſandi*

Digitized by Google

ſandi eadem eſt vbiq; commutandi, quia maior eſt facultas diſpenſandi; Idem docet Arag. 2.2.q.88.art.12.dicto 2.& q.89.art.9. propoſ.2, Alij autem cum Sanchez lib.8.diſp, 2. num. 15. putant contrarium eſſe probabilius, ſed verè primam opinionem cenſeo tutam.

8. Sed vtrum habẽs poteſtatem delegatam cõmutandi vota, & in eis diſpenſandi, vt fit in bulla Cruciatæ, & Iubilæi, poſſit etiã eandẽ poteſtatẽ exercere circa iuramẽta, ſoli Deo facta. Dico (habens poteſtatem delegatam) quia de habente poteſtatem ordinariam, non eſt dubiũ. Vnde affirmatiuè reſpondet Caiet. 2.2.q.89. ar. 9. his verbis. *Omnia iuramenta inferioribus Papa, quæ ſi eſſent vota, ſubeſſent eiſdem, quia cui conceſſum eſt poſſe ordinare in maius, cõceſſum quoq; eſt poſſe in minus*. Expreſſiùs id tenet Henriq. lib.7. de indulg. cap.30.n.5. Rodriq. 1. tom. ſumm. cap.192.n.30. Aragon.2.2.q.86, art.9. ver. Dico quartò. Imò iuxta Sanchez lib.8. diſp.2. num.19. Priuilegium ad iuramenta ſoli Deo facta cõmutanda, vel in eis diſpenſandi, extenditur ad vota.

9. Maius tamen dubium eſt, vtrum habens facultatem in iuramentis, & votis, vt ſupra, habeat etiam facultatem in votis, & iuramentis reſpectu eiuſdem rei factis? Et quidam negatiuè reſpondent, vt Azor. 1.p. lib. 11. cap. 10. quæſt. 2. & cap.18.q.16. Henriq. lib.7. de indulg. cap.30. num.5. & alij. Vnde Patres Societatis Ieſu, quibus Paulus III. conceſſerat facultatem commutandi vota, obtinuerunt a Gregorio XIII. vt dictum priuilegium extenderetur ad vota iureiurando firmata, vt Sorbus in compendio. priuileg. mendican. verb. abſolutio 2. quoad Sæculares concluſ.8. Alij autem, vt Emanuel Sà ver. votum vbi de voti irritat, & diſpenſat. num. 16. ait. *Habentem authoritatem vota commutandi, habere etiam, ſi fuerint iuramento firmata*; Et verè non video cur poſſit quis abſoluere, vel commutare vota, & iuramenta, & non poſtea idem poſſit, ſi fuerint facta in eadem re. Alij verò diſtinguunt, ſi iuramentum fuerit emiſſum in voti confirmationem, tunc poſſe habẽtem authoritatem commutandi, vel diſpenſandi, in his etiam diſpenſare, vel commutare; ſecus ſi iuramentum fuerit emiſſum independenter a voto, vt ſi quis priùs iurauerit, & poſtea vouerit idem, vel ſi poſt votum, immemor dicti voti, iurauerit. Ita Sanchez lib.8. de matr. diſp.2. n. 23. Sed etiam in hoc caſu, puto ſecundam opinionem tutam eſſe, & primam tutiorem.

10. Ex qua doctrina, aliud dubium conſurgit, nempè, vtrum habens poteſtatem à Principe legitimandi adulterinum, & inceſtuoſum, poſſit legitimare perſonam habentem ſimul vtrumq; vitium? Et quidquid aliqui dicant, reſpondendum eſt affirmatiuè, ſumus enim in caſu poteſtatis conceſſæ à Principe, in quo caſu, eſt facienda latiſſima interpretatio, vt diximus num. 4. Ita Angelus verb. diſpenſatio num.9. Sylueſt. ibidem num. 10. Henriq. lib.14. de irregular. cap.8. num.10. & quamplures alij. Neq; puto neceſſariã modificationem aliquorum aſſerentium, id eſſe verum, quando non adeſt damnum tertij, nam dictum damnum eſt per accidens, & dũmodo diſpenſatio fiat ex priuilegio Principis, quod latè eſt interpretandum, nemini ſic diſpenſans iniuriam facit.

11. Tertiò dubitatur, vtrum habens poteſtatem diſpenſandi, poſſit illam exercere in ſuam propriam perſonam? Sed ſciendum eſt, duplicem eſſe diſpenſationem, ſcilicet propriè, & impropriè, diſpẽſatio propriè dicta, eſt iuris relaxatio, & fit per actum iuriſdictionis, diſpenſatio impropriè dicta eſt licentia quædam, quã poſſunt ſuperiores concedere de aliqua re, v. g. conſtitutiones religionis præcipiunt, vt nullus abſq; ſuperioris licentia è monaſterio egrediatur, vel vt nullus frangat ieiunium religionis; dicta diſpenſatio non eſt iuris relaxatio, nec actus iuriſdictionis, ſed ſuperioritatis; & de hac facultate, ſeu impropria diſpenſatione nullus dubitat, quod Prælati, eodem modo, quo poſſunt illam exercere in ſubditorum beneficium, poſſint etiam vti in beneficium proprium, vt communiter omnes docent cum D.Thom. 2.2. q. 185. art. 8. Angelus verb. Monachus num.7. Sylueſt. verb. religio

ligio

Digitized by Google

ligio 6.q.10.& religio 7.q.12. Vnde quando ſuperiores in communi diſpenſant cũ ſubditis, dicta diſpenſatio extenditur ad ſeipſos, vt docet Sot.4.d.1.q.1. art. 4. in fin.corporis. Et tandem dicti Prælati poſſunt committere confeſſarijs vt cum ipſis diſpenſent in omnibus, in quibus ipſi ſuperiores poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis, vel abſoluere in confeſſione ſacramentali; nam dicti ſuperiores non debent eſſe peioris conditionis, quam ſubditi; & dum in cap.fin.de pœnit.& remiſs.conceditur Epiſcopis, & Prælatis exemptis religionum, vt ſibi confeſſarium eligere poſſint, conceditur etiam, vt ab illo abſolui poſſint ab omnibus, à quibus ipſi ſubditos abſoluere poſſunt, & ita declaraſſe S. Cõgregationem teſtatur Suarez de cenſuris diſp.41.ſect.2. num. 9. Et idem eſſe dicendum de caſibus occultis Epiſcopo cõceſſis in Concil.Trid.ſeſſ.24.cap. 6. de refor. Henriq.lib.6.de pœnit. cap. 4. num. 3. in comment.littera I. Sanchez lib. 8. de matrim.diſp.3.num.3.

12. Sed difficultas eſt; vtrum Prælati directè, & verè ſecum diſpenſare poſſint in omnibus, in quibus poſſunt cũ ſuis ſubditis? Vt in votis, in irregularitate, in præceptis Eccleſiæ reſpectu Summi Pontificis, &c. Et plures Doctores negatiuè reſpondent, vt Azor.1.par.lib. 5. cap. 15. q.6.Palud.4.d.24.art.3. num. 49. & d. 38. q.4.art.4.num.41. Angelus verb. votum 4.num. 7. Syluest. eodem verb. votum 4. q. 3.& alij plures, & ratio eſt, quia nemini licet authoritatem in proprio facto præſtare, ideſt, nullus debet eſſe iudex in propria cauſa; tamen dicendum eſt, ſummum Pontificem, Epiſcopos, & alios Prælatos ſiuè regulares, ſiuè ſeculares poſſe ſecum diſpenſare in omnibus, in quibus poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis; imò etiam habentes authoritatem tantummodo delegatam, id etiam ſecum efficere poſſunt, dũmodò delegatio nõ fuerit facta cũ quibuſdã perſonis ſpecificè nominatis, tunc enim dicta facultas non poteſt extendi vltra dictas perſonas; vt fusè Sanchez lib.8. diſp.3.num.68.& ſeqq. & ſequitur Filiuc. tract.10.de matr.par.2.cap.10. num. 295. & ſeqq. quod intellige etiam de vera, & propria diſpenſatione, vt num. anteced. declarauimus; & quod diximus de Prælatis, dicitur etiam de Principe abſoluto, poteſt enim ſecum diſpẽſare in omnibus, in quibus poteſt diſpenſare cum ſuis ſubditis quoad temporalia, vt Syluest. verb. lex q.14.& Sanchez loc.cit.num.7.

13. Eſt autem notandum dupliciter poſſe fieri dictam diſpenſationem. Primò per admiſſionem alicuius ad actũ, ad quẽ eſt inhabilis, vt per admiſſionem irregularis ad ordinem; tunc enim cenſetur ſuperior diſpenſare, dummodo ſciat inhabilitatem, & admittat. Secundò per taciturnitatem; ſcilicet, quando ſuperior videt aliquem exercentem aliquem actum illi prohibitum, & tamen tacet, dum liberè poſſet illum impedire, nam dicta taciturnitas, dicitur ratihabitio. Vide fusè hanc doctrinam apud Sanchez lib.8. diſp. 4.per totam,& Filiuc.tract.10.de matrim. par.2.cap.10. num. 299. Azorius autem temperat dictam doctrinam vltimò dictã de taciturnitate; ſcilicet, eſſe veram dummodo factum ſubditi eſſet contra talis ſuperioris edictum, ſecùs, ſi eſſet contra votum, vel ius commune, licet in eo poſſit dictus ſuperior diſpenſare; ſed contrariũ docet Palud.4.d.38.q.4.art.4.num.39.D. Anton.2.par.tit.11.cap.2.§.9.notab.2.qui Doctores præcipuè loquuntur de voto, & ſequitur idem Sanchez loc.cit.in fin. Sed verè in hoc caſu probabilior videtur ſententia Azorij, cum moraliter loquendo non cenſeatur Epiſcopus diſpenſare cum illo, quem videt comedere carnem, & habente votum ieiunandi; in illis tantum caſibus præſumi debet licentia ſuperioris, in quibus facultas diſpenſandi, vel approbandi omninò pendet ab ipſo; at in voti diſpenſatione non ita ſe habet, cum ſuperior non diſpenſet, nec diſpenſare poſſit pro ſuo libito, ſed quando fuerit interpellatus, & habuerit cauſæ cognitionem.

14. Vtrum autem Epiſcopus poſſit diſpenſare in lege Summi Pontificis, vel Concilij? Reſpondeo tunc tantum poſſe, quando in canone abſolutè permittitur in tali caſu poſſe diſpenſari, vel quando aliquid prohibetur cum clauſula, niſi cum eo diſpenſetur, & ſimiliter poterit Epiſco-

pus

Digitized by Google

pus in caſu neceſſitatis, quando caſus eſt Pontifici reſeruatus; ſed faciliter Pontifex adiri non poteſt; vt Sanchez ex communi opinione lib.8.diſp.5.& lib.2. diſp. 40. num.3.quibus vſq; modo notatis.

15. Quæritur, vtrum tantum Pontifex poſſit diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium? Reſpondeo, quædam impedimenta eſſe ex iure diuino naturali, & in his nequit Pontifex diſpenſare, vt communiter omnes Doctores aſſerunt, vt Sot.4.d.40.q. vnic. art. 3. verſ. in capite ergo, Palud.d.40. q.vnic. art. 3. num.20. P. Sot. lect.11. de matrim. ad fin. Nauar.cap.22.num.48.Syluest. ver. Papa q.17.Filiuc.tract.10.de matrim.2.par.cap. 10.num.301.Sanchez lib.8.diſp.6.nu.10. vt eſt conſanguinitas inter aſcendentes, & deſcendentes; vel iuxta alios eſt conſanguinitas tantum in primo gradu inter dictos deſcendentes,& aſcendentes.Quędam alia impedimenta eſſe tantummodo ex iure Pontificio, & in his certum eſſe, poſſe Summum Pontificem diſpenſare, ita communiter omnes nec poſſunt diſpẽſare legati à latere, Sanchez num. 15.& Filiuc.num.302.poſſet tamen dictus legatus, vel etiam Epiſcopus diſpenſare in dictis impedimentis in caſu magnæ neceſſitatis; quando tamen matrimonium iam eſſet bona fide contractum publicè, & impedimentum eſſet ſecretum, nec adeſſet facilis aditus ad Pontificem, & in ſeparatione adeſſet ſcandalum; vt optimè fusè probat Sanchez lib. 2. de matrimonio diſput.40.num.3.& lib.8.diſp.6.num. 20. Et ratio eſt, quia etiam in criminibus Sũmo Põtifici reſeruatis,poſsũt ab illis Epiſcopi abſoluere, quãdo non adeſt aditus ad Sũmum Pontificem, vt communiter omnes docent; id tamen non poteſt agere Vicarius Generalis Epiſcopi, ex ſe vt d. Sanchez diſp.40.nu.12. Licet Epiſcopus poſſit ei, vel alteri dictam facultatem delegare,vt quandocunq; caſus occurrit, in quo Epiſcopus poteſt diſpenſare, poſſit etiam ipſe Vicarius, vel alius ad id deputatus, neq; obſtat, quod facultas alteri cõmiſſa, delegari non poſſit, vt patet ex cap. vlt.§. fin. de offic. deleg. vbi ſic dicitur. *Nulli, cui commiſſum fuerit excommunicare, vel abſoluere aliquos diſpenſare cũ irregularitatibus, liceat hac alijs demandare, quia non ſibi iuriſdictio; ſed certum miniſterium potius committitur.* Nam reſpondetur. Epiſcopum poſſe delegare in his, & in omnibus alijs caſibus à iure, vel priuilegio Pontificis commiſſis non perſonæ,ſed dignitati,quia huiuſmodi iuriſdictio non erit delegata, ſed ordinaria, vt benè Sanchez lib.2.de matr. diſp.40.num.14. Syluest. verb. delegatus, q.4.Couar.3.var.cap.20. num. 6. 9. & 10. Nauar.cap.27.num. 45. & in proprijs terminis de impedimẽtis matrimonij, id docet Henriq.lib.11.de matrim.cap.3. nu.2. & alij, vnde caſus occulti ex Concil.Trident.ſeſſ.24.cap.6. de refor. Epiſcopo cõceſſi, benè poſſunt ab ipſo ſuo Vicario Generali, vel alteri delegari.

16. Secundò quæritur an poſſit Pontifex diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis, emiſſo in ordine ſacro, vel in profeſſione Religionis? Et de voto ordinis ſacri,certum eſt apud omnes, poſſe in eo Pontificẽ diſpenſare; ſed ad licitè diſpenſandũ,iuxta Caiet.in opuſc.tom.1. tr. 27. de diſpenſat.matrim.in Occidentali Eccleſia q.vnica verſ.quoad tertium, & to.3.in reſponſ. ad 12.ait. *Sufficere maius bonum ſpeciale ipſiuſmet clerici, conſideratis ſpecialibus circumſtantijs.* Alij autem dicunt, requiri cauſam publicæ vtilitatis; vnde peccaminoſa eſſet diſpenſatio, ſi fieret abſq; iuſta cauſa. Ita Caiet. loc. cit. Sot.4. diſt.38. q. 1.art.1.ad fin.corporis,& alij, ſed firmũ,& validũ eſſet matrimonium.Quoad votum ſolemne profeſſionis duæ ſunt ſententiæ. Prima aſſerit Summum Pontificem non poſſe in eo diſpẽſare: & ſic aſſerit expreſsè D.Thom.2.2.q.88.art.11. Sot.lib.7. de iuſtit,q.4.art.2.Aragon. ad dictum loc.D. Thom.verſ.propter hęc argumenta.Turrianus lib. 2. de votis monaſticis fol. 37. col. 2. & alij plures. Secunda ſententia, tenet partem affirmatiuam; vt Sanch.lib. 8.de matrim. diſp.6. num.6. qui affert D. Thom.4.d.28.q.1.art.4.quæſtiun.1. ad 3. Durand.q.2. num. 8. Richard. art.9. q. 1. P.Sot. lect.5. de matrim. in fin. Caiet.2.2. q.88.art.11. & in opuſc. tom.1. tit.27. de diſpenſat. matrim. in Eccleſ. Occident.q. vnic. verſ.videtur autem mihi,& alij quãplures.

Digitized by Google

plures, quos affert dictus Sanchez, & ſequitur Filiucc.tract.10. de matrim.2.p.ca. 10.num.303. Et verè hanc opinionem puto probabiliorem, quia credendum non eſt, Chriſtum Dominum nō reliquiſſe Eccleſiæ ſuæ omnem poteſtatem, quę expediens, & neceſſaria eſſet pro communi bono, & de facto plures Pontifices in hoc voto diſpenſarunt, vt ex pluribus refert dictus Sanch. apud quem alias rationes, videre quis poterit. Et notat in num.11. Talem religioſum ſic diſpenſatum, ex eo tempore, quo exuit habitum monachalem, & induit ſæculares veſtes, non teneri ad officium diuinum, ſicut nec tenetur ad alia onera religionis.

17. Tertiò quæritur, vtrum Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto caſtitatis, & Religionis? Et affirmatiuè reſpōderi poſſet, niſi Pontifex ex conſuetudine ſibi dicta vota reſeruaſſet, vt ait Sot.lib.7. de iuſtit.q.4.art.3.verſ.qui ſunt autem, ſtante igitur dicta reſeruatione, ad Summū Pontificem ſpectant dicta vota; quod intellige, niſi fuerint emiſſa à perſonis alterius poteſtati ſubiectis, vt à coniugata, ſeruo, filio, ſine licentia viri, domini, vel patris, tunc non poſſet Epiſcopus diſpenſare, ita Gutierez quæſt.Canon.lib.2.cap.22.num. 49. Item poterit Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis temporalis, ſcilicet ad annum, vel aliud tempus, D.Tho.2.2. q.88. ar.11.ad 2.& communiter omnes. Sic etiā poteſt diſpenſare in voto caſtitatis cōiugalis, Henriq. lib.7.de indulg.cap.30.nu. 3. Item poteſt diſpenſare in voto caſtitatis, quod alter coniux emiſit ad non petendum abſq; conſenſu ſui coniugis, Sylueſt. verb.votum 5.q.2.nnm.5. Imò idem eſt dicendum. Etiam ſi de licentia alterius coniugis votum emiſſum eſſet, vt Palacios 4. d. 32. diſp.2. col. 8. verſ. quod ſi votum. Et idem dicas, ſi vterq; de communi conſenſu dictum votum emiſerint, ſcilicet de non petendo, quia non eſt totale votum caſtitatis, cum ſemper teneantur reddere, & poſſint fornicari, vel ſoluto matrimonio, cum alio contrahere, Sāchez lib.8.de matrim.diſp.9.num.8. Item poterit Epiſcopus diſpenſare in voto virginitatis, quando vouens non intendit ſe obligare, niſi ad integritatem corporis cōſeruandam, non autem ad caſtitatem. Item poterit Epiſcopo diſpenſare in voto non contrahendi matrimonium, Azor. 1. par. lib.11.cap.19.q.5. Valent.2.2.diſp. 6. q. 6. punct.7.col.10.verſ.ex quo ſequitur, quod intellige; quando votum, vel iuramentū de non iterum contrahendo, eſſet factum Deo; ſecus ſi eſſet factum ad petitionem, & fauorem tertij, & iam dictus tertius tale iuramentum, vel votum acceptaſſet, tunc enim non poſſet Epiſcopus in præiudicium tertij à tali voto, vel iuramento abſoluere, vt v. g. ſi quis voueret ob bonum filiorum ad petitionem ſui coniugis, quod nullo modo cum alia contraheret, caſu quo ſoluatur dictum matrimoniū, tunc neq; in hoc, neq; in ſimilibus iuramentis, in quibus adeſt præiudicium tertij, poteſt ſe Epiſcopus ingerere, niſi remiſſionem obtineat à patiente præiudicium, vel à proprio coniuge, in cuius gratiam factum eſt votum, Sot.lib.8.de iuſtit.q.1.art. 9. ad 2. Item poteſt Epiſcopus abſoluere, ſeu diſpenſare in voto aſſumendi ordines ſacros, Valent.2.2.diſp.6.q.6.punct.7. verſ. Et quoad primum Azor. loc.cit. q. 9. Idē eſt dicendum de voto diſiunctiuè facto, cuius altera pars pertinet ad Epiſcopum, & altera ad Sūmum Pontificem, vt ſi quis voueret caſtitatem, vel religionem, vel aſſumptionem ordinis ſacri, Sanchez loc. cit.num. 8. Item poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto aſſumendi habitum fœminarum, ſeu Biguinarum, aut Bizochararum, cum non ſit habitus veræ religionis, Henriq.lib.7.de indulg.cap.30.num.6. E contra Epiſcopus non poteſt diſpēſare in voto ingrediendi Religionem ordinis militaris S.Io: quia eſt vera Religio, cum in ea tria ſolemnia vota emittantur; Lopez 2. par.inſtructor.cap.9.ad fin.& idem alij aſſerūt de alijs ordinibus militaribus, quod negat Sanchez lib.8.diſp.9.num.16. Quia alij ordines non ſunt verę religiones iuxta veriorem ſententiam, vt ipſe ait. Item poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto ſtrictioris religionis, vt poſſit quis eligere laxiorem, Azor.1.par.lib.11.cap.18. q.8. D. Anton.2.par.tit.11.cap.2.§.9.verſ. hoc autem videtur. Et ſi quis vouiſſet ſtrictiorē

religionem, & perſeuerantiam in illa, tunc teneretur ingredi, & ſi ferre non poſſet auſteritates religionis, poſſet exire, & Epiſcopus poſſet illum abſoluere ne teneatur, Sanchez loc. loc. num. 18. Sed ſi abſq; iuſta cauſa exierit, non poterit Epiſcopus diſpenſare, ne iterum redeat. Item poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt votum differatur iuſta de cauſa, v. g. quis vouit ab hinc vno anno velle religionem ingredi; poterit Epiſcopus diſpenſare iuſta de cauſa, vt votum differatur, dummodo non tamdiù differatur, vt vouens fiat impotens pro religione. Item poterit Epiſcopus diſpenſare in materia, in quā commutatum eſt votum reſeruatum; v.g. quis vouit caſtitatem, & Pontifex cum illo diſpenſauit, & commutauit in tot confeſſionibus ſingulis menſibus faciendis, vel vſque ad mortem, in his confeſſionibus poteſt iuſta de cauſa Epiſcopus diſpenſare, vel commutare. Ita Sanchez num. 20. & ſequitur Filiucc. tract. 10. de matrim. p. 2. cap. 10. num. 307. circa med. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 12. Syluest. verb. votum 4. q. 7. Sed Azor. 1. p. lib. 11. cap. 18. q. 11. dubiam putat hanc ſententiam, & alij omninò contrarium tenent.

Item poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto pœnali, vt ſi quis voueat non ludere ſub pœna ingrediendi religionem: Non enim eligitur religio ex amore, ſed ex actione odioſa; Et idem eſt dicendum, ſi quis voueat religionem, vel caſtitatem, ſi euadat præſens periculum, vel infirmitatem, &c. Eſt enim votum conditionatum, & non abſolutum ob amorem virtutis factum; non deſunt tamen, qui probabilius teneant, id eſſe verum ante conditionem adimpletam, ſed poſt ipſam, votum pertinere ad Summum Pontificem, quia fit abſolutum vide Sanchez lib. 8. diſp. 10. à nu. 11. & ſeqq. & Filiucc. loc. cit. Et nota, dicta vota caſtitatis, & religionis, non eſſe ita ſtrictè Pontifici reſeruata, licet ſint vota abſoluta, quin Epiſcopus poſſit in aliquo caſu etiam diſpenſare; nam Epiſcopus benè poterit etiam diſpenſare, quando adfuerit periculum incontinentiæ, nec facilis ſit recurſus ad Summum Pontificem, ſicut etiam diximus de alijs caſibus, ſimiliter Pontifici reſeruatis, quod fusè probat Sanchez lib. 8. diſp. 9. nu. 22. & 23. Item Epiſcopus non poterit diſpenſare in voto caſtitatis, vel religionis emiſſo ante conſummationem matrimonij; poterit autem poſt illius conſummationem, pro quo vide Sanchez loc. cit. diſp. 11. per totam, & Filiucc. tract. 10. de matrim. 2. p. c. 10. n. 307. propè fin.

18. Sed dubium eſt, vtrum poſſit diſpenſare ad petendum debitum cum eo, qui contraxit matrimonium voto caſtitatis? Et negatiuè plures Doctores reſpōdent, niſi adſit vrgens neceſſitas, ſeu periculum incontinentiæ. Ita Sot. 4. d. 38. q. 2. art. 1. ver. reddere etiam, Sylu. ver. diſpenſatio num. 15. & verb. matrimonium, 7. q. 5. in fin. Tolet. lib. 4. cap. 18. num. 2. Azor. 1. p. lib. 11. cap. 19. q. 8. & alij multi apud Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 12. num. 2. At probabilius dicendum eſt cum dict. Sanchez num. 4. Epiſcopum in tali caſu poſſe diſpenſare, quia id non eſt diſpenſare ad votum caſtitatis, ſed tantum diſpenſare quoad eius effectum ſtante dicta cauſa, nā vouens adhuc tenetur ad votum ſoluto matrimonio. Ita Henriq. lib. 12. de matr. cap. 2. num. 9. Rodriq. 1. tom. ſumm. c. 242. n. 2. Valent. 4. p. diſp. 10. q. 5. pū. 5. in fin. D. Anto. 3. p. tit. 1. c. 22. §. 2. in fin. & alij multi.

19. Secundum dubium eſt, vtrum poſſit Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum ratione affinitatis contractæ cum ſuo coniuge? Et quidquid dicant alij, affirmatiuè eſt reſpondendū ex vſu conſuetudinis iam præſcriptæ. Ita Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 12. n. 13. Palud. 4. d. 42. q. 1. art. 3. n. 28. Et præcipuè ſi non ſit facilis aditus ad Pontificem, vel adſit periculum incontinentiæ, vt Sylu. verb. debitum, q. 9. & alij multi apud dictum Sanch. num. 12.

20. Tertium dubium eſt, an poſſit Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum ob impedimentum cognationis ſpiritualis contractum inter coniuges? Et affirmatiuè etiam reſpondendum eſt, ex cōſuetudine iure præſcripta; ita Sanchez loc. cit. num. 15. Filiuc. tract. 10. de matrim. 2. par. cap. 10. num. 308. in fin. Valentia 4. par. 2. punct. 2. ad fin. & diſp. 10. quæſt. 5. punct. 5. in fin. & alij multi.

Sed

Digitized by Google

21. Sed quæritur, vtrum id quod dictum eſt de voto caſtitatis, vel religionis, ſit etiam dicendum de iuramento caſtitatis vel religionis, ita vt eodem modo dictum iuramentum diſpenſari, vel non diſpenſari poſſit, prout diximus de voto? Et multi affirmatiuè reſpondent, quia in iuramento includitur etiam promiſſio facta Deo, & ex conſequenti adeſt etiam votũ; Ita Caiet. 2.2.q.89.art.9. Sot.lib.8. de iuſt. q.1.art.9. Azor.p.1.lib.11.cap.10.q. 3. Aragon.2.2.q.88.art.12.dicto 1. Valentia 2.2. diſp.6.q.7.punct.4.verſ.& notandum eſt. Alij tamen contrarium tenent, nempè tale iuramentum ſpectare ad Epiſcopum, & patet tum ex bullis, & Iubilæis, in quibus tantummodo fit mentio de voto, & non de iuramento, tum etiam, quia iuxta D. Thom.2.2.q.89.art. 8. Fortius eſt vinculũ voti, quam iuramenti, vnde benè poteſt quis ſe obligare ad minus, & non ad maius, ita Tabbien.verb. iurare num. 21. ad fin. Nauar.lib.2.tit. de iureiurand. conſil. 3.num.4.& 5. & alij plures neoterici teſte Sanchez lib.8.de matrim.diſp.13.num.3. Sed ipſe Sanchez num. 4. ſic diſtinguit, ſi iuramentum ſit promiſſorium, tunc quia includit promiſſionem Deo facta, & ex conſequenti votum, dictum iuramentum erit Pontifici reſeruatum, ſi iuramentum ſit aſſertoriũ, ſcilicet abſq; animo ſe obligandi, vel promittendi Deo; ſed tantum quis iurat ad denotandum velle efficere tale propoſitum, tunc iuramentum pertinebit ad Epiſcopum. Tamen abſolutè loquendo, puto ſecundam opinionem probabilem, & tutam eſſe, quia votum ſolet fieri cum maturiori diſcurſu, & cum omnimoda voluntate ſe obligandi, & ideò meritò tantum votũ, & non iuramentum ſeruari ſolet.

22. Deinde quæritur, an requiratur iuſta cauſa ad valorem diſpenſationis? Quod tripliciter poteſt intelligi. Primò de diſpenſatione in lege ſuperioris. Secundò de diſpenſatione in lege ab ipſomet ſuperiore lata. Tertiò de diſpenſatione in conſtitutionibus ab aliqua communitate factis. Et quoad primam, dico, inferiorem inualidè diſpenſare in lege ſuperioris abſque iuſta cauſa, ita communiter omnes cum D. Thom. 2. 2.q.88.art.12.ad 2. Et Canoniſtæ in Gloſſ. in cap.non eſt ver.adimplere de voto. Vnde Summus Pontifex abſq; iuſta cauſa diſpenſans in voto, vel iuramento, aut alijs rebus ad ius diuinum ſpectantibus, inualidè diſpenſat; ſic etiam Epiſcopus diſpẽſans in præceptis Eccleſiæ, v.g. in ieiunio, miſſa, labore diebus feſtiuis, inualidè diſpenſat, ſi id agat ſine iuſta cauſa. Ita Sanchez lib.8.de matrim.diſp.17. num. 4. Filiuc.tract.10.de matr.2.par.cap.10.n. 309. Sot.lib.7. de iuſtit.q.4. art.3. verſ. rurſus circa eadem, Nauar.cap.fin.num.4. de Simon. Angelus verb. diſpenſatio num.3. & ibi Sylueſt. nu.5.& alij communiter. Quoad ſecundam. Dico ſuperiorem poſſe pro ſuo libito diſpenſare in lege propria abſq; vlla cauſæ cognitione, ita Abbas in cap. non eſt num.8.de voto, Nauar.cap.fin.nu. 4.de Simon.& in manuali prælud.9. num. 14. Caiet.1.2.q.96.art.5.ad fin.& communiter alij. Et quoad tertium idem eſt etiã dicendum, vt Sanchez loc. cit. num. 27. apud quem plura notantur, & ſequitur Filiuc.loc. cit. & num. ſeqq. Sed notandum, ſuperiorem diſpenſantem in lege propria abſq; iuſta cauſa, peccare, & quidem mortaliter, ſi ſit cum ſcandalo, vel in præiudicium aliorum, vt docet Nauar.in manual.prælud.9. num.14. & cap.25. num. 5. & ſequitur Sanchez diſp.18.num. 7.& idẽ eſt dicendum ex parte petentis dictam diſpenſationem.

Quænam ſint iuſtæ cauſæ diſpenſandi in Impedimentis Matrimonij. Cap. CXIII.

1 *Diſpenſatio contrahendi matrimonium in ſecundo gradu non fit, niſi inter magnos Principes ob cauſam publicam, licet ex alijs iuſtis cauſis ſoleat concedi etiam alijs inferioris conditionis.*

2 *Tres cauſæ reputãtur iuſtæ ad diſpẽſationẽ obtinẽdã. prima eſt, defectus dotis. ſecũda extinctio magnæ litis, tertia ſi nõ poſſit cum alijs iuxta ſuũ ſtatũ cõtrahere.*

3 *Duæ ſunt cauſæ iuſtæ diſpenſandi in voto caſtitatis, vel religionis ex parte materiæ, & quatuor ex parte vouentis.*

4 *Diſpenſationem impetrans tenetur omnia aperire, ſcilicet ea, quæ poſſunt retrahere ſuperiorem à diſpenſatione, vel ea, quæ ius præſcribit eſſe aperienda in tali materia.*

5 *Qualitates extrinſecæ nō pertinētes ad ſubſtantiam rei, non ſunt aperiēda in impetratione diſpenſationis.*

6 *Falſitas expoſita in impetratione diſpenſationis, reddit illam irritā, ſi fuerit cauſa diſpenſationis.*

7 *Quando petitur diſpenſatio conſanguinitatis, eſt explicandus gradus in linea recta, vel tranſuerſali, &c.*

8 *In impedimento affinitatis, vel publicæ honeſtatis, etiam plures res declarandæ ſunt.*

9 *In impedimento cognationis ſpiritualis, eſt explicanda perſona, cum qua eſt cōtrahendum matrimonium.*

10 *Diſpenſatio voti, vel iuramenti, vel vtriſq; ſimul, certis clauſulis eſt obtinenda.*

11 *In diſpenſatione conſanguinitatis, vel affinitatis eſt explicanda copula, ſi præceſſerit.*

12 *Copula in diſpenſatione cognationis ſpiritualis non eſt explicanda.*

13 *Si inter conſanguineos, vel affines fuerit habita copula, & tractatus matrimonij, eſt totum id explicandum.*

14 *Ad obtinendam diſpenſationem pro dictis conſanguineis, vel alijs non requiritur mandatum; ſed poteſt obtineri diſpenſatio etiam ipſis inſcijs.*

15 *Delegatio perſonalis ad diſpenſandum, extinguitur morte delegati, ſecus ſi delegatio fuerit realis.*

16 *Morte concedētis diſpenſationem, vel gratiam, non extinguitur gratia, vel diſpēſatio, niſi in certis caſibus.*

17 *Diſpenſatio voti caſtitatis, vel non nubendi non ſemper extinguitur per primum matrimonium.*

18 *Renuntians diſpēſationi, poteſt ea vti mutata voluntate, ſi ſuperior non acceptauerit renunciationem.*

19 *Priuilegium, vel conceſſio facta ob merita, vel ad modum contractus, reuocari non poteſt.*

20 *Quando agitur de conceſſione propria auctoritatis, conceſſio reuocari poteſt, ſed aliquando nec poteſt fieri.*

21 *Priuilegia non intelliguntur reuocata per reuocationem generalem, ſed plures conditiones requiruntur.*

22 *Confeſſores, qui volunt expedire litteras diſpenſationum Sacræ Pœnitentiariæ, debēt eſſe doctores in lege canonica, nec ſufficit ſi quis fuerit lector theologiæ, vel licentiatus, aut doctor iuris Cæſarei.*

23 *Mendicantes habent priuilegiū expediendi huiuſmodi litteras, dummodo fuerint ad hoc electi à Generali, vel Prouinciali, nec eſt neceſſaria confeſſio.*

1 EST primò notandum, in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. de matr. cap. 5. Statutum eſſe, ne diſpenſetur in ſecundo gradu, niſi inter magnos Principes, ſub quo nomine magnorum Principum veniunt non ſolum Principes abſoluti, ſed etiam omnes alij Principes, & Domini titulares, ſeu feudatarij iuxta Sanchez lib. 8. diſp. 19. num. 2. & Filiuc. tract. 10. de matrim. 2. par. cap. 10. num. 319. Sed meliùs videtur docere Suarez 3. par. q. 71. diſp. 31. ſect. 2. col. 4. Nempè ſub dicto nomine non comprehendi Marchiones, & Duces, qui Regibus ſubduntur, & ſic non debent ibi comprehendi niſi tantummodo Principes abſoluti, alioquin eſſet vanum illud verbum Concilij, inter magnos, ſi omnes Dominos velimus intelligere, & hoc quidem conſentaneum eſt rectæ rationi Cōcilij, vt euitetur frequentia diſpenſationū, licet Pontifices ex benignitate ſoleant diſpenſare etiam cū perſonis inferioris ordinis ex aliquibus cauſis, quarum prima eſt, ſi matrimonium eſſet contractum cum ignorantia rigoroſę prohibitionis Concilij, ſecundò ſi proles eſſet habita, tertiò ſi matrimonium ex lōgo tempore eſſet malè contractum, quartò ſi ſcandalum eſſet ſequuturum ex ſeparatione, quintò, ſi iuuenis pauper ſit, & Patruelis velit illam ducere, Nauar. lib. 4. conſil. tit. de conſang. conſil. 6. vel 13. Sanchez loc. cit. num. 4. Filiuc. loc. cit. §. & quia. Et nota cum eiſdem Doctoribus faciliùs eſſe diſpenſandum cū diui-

Digitized by Google

diuitibus, & potentibus, quia ad bonum commune magis eſt horum pax neceſſaria, quam pauperum, nec in hoc vlla datur exceptio perſonarum, vt ait D. Thom. 2.2.q.63.art.2.ad 2. & conſtat ex Concil. Trid.ſeſs.25.de matrim.cap.5.vbi dicitur. *Ne cum pauperibus diſpenſetur; ſed cum Principibus magnis in ſecundo gradu; & ob cauſã publicam.* Scilicet indirectè, quatenus bonum particulare, reddeat in bonum commune, vt explicat Sanchez loc. cit. num. 1.& Filiuc. ibidem. Eſt etiam notandum in propinquiori gradu, requiri vrgentiorem cauſam, & in conſanguinitate, requiri maiorem cauſam, quam in affinitate; vt ijdem Doctores. Quibus notatis.

2. Dico vniuerſaliter loquendo, tres cauſas eſſe reputandas iuſtas ad diſpenſationem obtinendam iuxta ſtylum curiæ, vt teſtatur Nauar.cap.22.num.87.§.ſeptimò dicendum eſt. Prima eſt, defectus dotis competentis. Secunda extinctio magnæ litis. Tertia, quod maior pars ſibi parium Ciuitatis, vel loci, ſint ei conſanguinei, vel affines, aut ſi non habeat ſufficientem dotem ad nubendum extra ſuum oppidum, vel locum, de quibus cauſis fusè diſcurrit Sanchez lib.8.diſp.19.à num.8. & ſeqq. Aliæ autem tres cauſæ iuſtæ ſolẽt addi à Doctoribus, quarum prima eſt, cõſeruatio diuitiarum in familia, ſecunda conſeruatio illuſtris familiæ, tertia excellentia meritorum; & alia cauſa eſt ſuſceptio prolis ex conſanguinea bona fide, ſcilicet cum ignorantia conſanguinitatis, vide Sanchez num.30.& ſeqq.& Filiuc.in cit.cap.10.à num.315.& ſeqq.

3. Quæ autem ſint cauſæ iuſtæ ad diſpenſandum in impedimentis non dirimentibus? Reſpondeo, in primis ſciendum eſſe, cauſam iuſtam in diſpenſatione voti caſtitatis, vel religionis, tunc cenſeri, quando obſtat excuſationi dictorum votorum; nam vt docet D. Thom.2.2. q.88. a.12.in fin.cap.diſpenſatio, vt ſit legitima, debet redundare in Chriſti honorem, vel Eccleſiæ vtilitatem. Idem docet Caiet. ibi dub.2. Valent.2.2.diſp.6.q.6.pun.7. & alij communiter; Imò ſi votum commutetur in minus, eo magis, requiritur cauſa obſtans executioni dicti voti, vt Sot.lib. de iuſtit. q.4. art. 3. verſ. quando verò; Aragon.2.2.q.88.art.12.verſ.circa 2.concluſionem. Cauſæ igitur iuſtæ diſpenſandi, quæ obſtant executioni voti, duæ ſunt ex parte materiæ voti, & quatuor ex parte vouentis. Prima ex parte materiæ eſt, ſi iuxta prudentis viri arbitrium adſit dubium an res promiſſa ſit facta mala, vel inutilis, aut maius bonum impediens, dico, ſi adſit dubium, quia quando verę res inutilis, vel mala facta eſt, aut impediens maius bonum, ex ſe votum eſt nullum, nec indiget diſpenſatione, & ita ſe explicat D. Thom.2.2. q.89. art.9. ad 3. Sot. lib.8.de iuſtit.q.1.ar.10.ad 3. Sanch.lib.8.diſp.20. n.8. Filiuc.tract.10. de matrim.2.p. ca.10. n.321. Azor.1.p.lib.11.c.19.q.17. Secunda cauſa ex parte materiæ erit dubium an quis vouerit, vel an votum obliget ob defectum materiæ, vel animi ſe obligandi; & de dubio an materia ſit bona, docet idẽ D. Thom.2.2.q.89. art.9. ad 3. Et etiam de dubio animi ſe obligandi, docet idem Sanch.num.11.& Filiucc.ibid.

Ex parte vouentis prima cauſa iuſta erit, ſi votum fuerit emiſſum ex animi leuitate, & ſine prudenti deliberatione, Sylu. verb.votum 2.p.q.13. Et ideò vota impuberum poſſunt diſpenſari abſq; alia cauſa. Metus autem in morbo, vel naufragio, ſi non excluſerit maturam deliberationẽ; non erit cauſa ſufficiens diſpenſationis, ſecùs verò ſi metus fuerit iniuſtè incuſſus licèt non fuerit grauis, erit enim ſufficiens cauſa diſpenſationis, ſic etiam error circa cauſam motiuã, vel finalem voti, erit cauſa ſufficiẽs diſpẽſationis. Fil.loc.cit.§.Tertia, Sanc.lo.cit.à n.12.& ſeq. Secũda cauſa ex parte vouẽtis eſt, ſi vouẽs verſetur in periculo tranſgrediendi votũ ob ſtatũ, in quo difficiliter poteſt illud adimplere. Quinta cauſa eſt magna difficultas ſuperueniens ad obſeruandum votum, ut ætas ſenectutis, ſcrupuli in recitatione officij diuini, & & ſimilia. Sexta cauſa eſt neceſſitas communis boni, ut fuſiùs Sanch. in cit. diſp. à n.17.& Filiuc.in cit.n.121.

4. Sed quæritur, vtrum taciturnitas veri, vel expreſſio falſi, reddat irritam diſpenſationem? Et quoad taciturnitatem veri, plures Doctores exiſtimant, tũc di-

diſpenſationem, vel gratiam obtemptam eſſe nullam, & ſubreptitiam, quando tacetur aliquid, quod ſit cauſa finalis, vel ſaltem impulſiua ad conceſſionem gratiæ, vel, vt clariùs loquamur, tunc eſſe ſubreptitiam, quando aliquid tacetur, quod ſi Princeps præſciuiſſet, vel gratiam non cōceſſiſſet, vel ſaltem non niſi cum magna difficultate: Ita Molin. tom. 3. de iuſtit. diſp. 591. n. 5. & 6. Menoch. de arbitrarijs lib. 2. centur. 3. caſu 201. n. 22. & alij multi; Sed etiam plures alij tenent, tunc tantum gratiam, ſeu diſpenſationem eſſe ſubreptitiā, quando tacetur aliquid, quod omninò retraxiſſet Principem à conceſſione gratiæ, Couar. lib. 1. var. c. 20. n. 5. verſ. falſitas verò; Et hoc idem videtur ſentire Molin. tom. 1. de iuſtit. diſp. 173. colum. 8. verſ. vt item legitimatio, vbi ait, *Neceſſe eſſe diſpenſationi proponi, quidquid eum à diſpenſatione eo pacto concludenda retraherent, alioquin eam eſſe ſubreptitiam*. Et hæc ſententia quidem vera eſt; quando ex iure, vel ſtylo Curiæ Romanæ nō præcipiatur modus proponendi caſum ad obtinendam diſpenſationem, tunc enim taciturnitas, omninò reddit gratiam irritam, etiam ſi Princeps, ſeu Pontifex conceſſiſſet gratiā, licèt dictam conditionem tacitam præſciuiſſet, Ita Sanch. lib. 8. diſp. 21. n. 17. & antea à num. 13. & ſeqq. & ſequitur Filiucc. tract. 10. de matr. c. 10. n. 324.

5. Sed nota qualitates, quæ taceri poſſunt, eſſe in duplici differentia, quędam poſſunt eſſe extrinſicæ, & non pertinentes ad id, quod de iure pertineat ad diſpenſationem, & dictæ qualitates non ſunt explicandæ, v. g. Titius occidit Caium Preſbyterum, non erit neceſſe, vt Titius dicat occidiſſe Caium Presbyterum, ad obtinēdam diſpenſationem irregularitatis contrahitur ratione homicidij tantum, & illud tantum eſt explicandum, & non qualitas presbyteratus, vt aliqui volebant, quos reijcit Sanchez lib. 8. diſp. 21. n. 22. Aliæ qualitates ſunt intrinſicæ pertinentes ad id circa quod ſit diſpenſatio, & hæ ſunt omninò exprimendæ, vt idem Doctor num. 18.

6. Quoad expreſſionem falſi, an ex ea vitietur diſpenſatio, idem eſt dicendum, nempè tunc diſpenſationem eſſe nullam, quando abſq; tali falſitate, minimè Princeps dictam diſpenſationem conceſſiſſet, aut non niſi cum aliqua moderatione; ſecus ſi conceſſiſſet, licet cū maiori difficultate, Sanchez dicta diſput. 21. num. 32. Et nota quod licet in gratia conceſſa addatur clauſula, motu proprio, adhuc nullam, & irritam eſſe, ſi falſitas fuerit expoſita, ſecus ſi fuerit tacita veritas, idem Sanchez à num. 47. & ſeqq. & Filiuc. loc. cit. Item ſi veri taciturnitas, aut falſi expreſsio fuerit circa cauſam impulſiuam, gratia erit valida, licet adfuerit dolus. Si autem fuerit circa cauſam finalem, & inde depēdeat tota gratia, tota eſt falſa, & irrita, at ſi ex illa dependeat pars tantum gratiæ, ſeu reſcripti; ſecundum dictam partem tantum erit irrita, vt ijdem Doctores; ſcilicet Sāchez à num. 53. & ſeqq. & Filiuc. in cit. nu. 324. Item nota quando plura ſunt impedimenta matrimonij, neceſſe eſt omnia ſimul aperire Pontifici, & nō vnum in vna ſupplicatione, & aliud in alia, vt ex communiori ſententia tradit Sanchez lib. 8. diſp. 23. num. 2. quem ſequitur Filiucc. nu. 326. licet contraria opinio etiam probabilis ſit, dum aſſerit, poſſe id fieri per plures ſupplicationes, vt Nauar. lib. 4. conſil. tit. de cōſang. cōſil. 4. n. 2. & 3. vel in 2. edit. conſil. 7. n. 2. & 3. Vega to. 2. ſummæ c. 34. caſu 97. ad fin. Graff. prima par. deciſ. lib. 2. cap. 81. num. 13. & alij, quibus notatis.

7. Dico, in impedimento conſanguinitatis hæc ſunt explicanda, ne diſpenſatio ſit ſubreptitia. Primò gradus dictæ cōſanguinitatis, vt primus, ſecundus, tertius, vel quartus. Secundò, ſi alter, vel vterq; contrahens ſit alteri coniunctus duplici titulo in eodem, vel diuerſo gradu, eſt totum id explicandum. Tertiò debet explicari, an conſanguinitas ſit in linea recta, vel tranſuerſali. Quartò ſi in explicando gradu inæquali, fœmina fuerit propinquior ſtipiti, id debet explicari; vt ſi fœmina fuerit amita, vel matertera in primo vel ſecundo gradu; quia eſt magis indecens. Molin. tract. 2. diſp. 161. Sanchez lib. 8. diſp. 24. num. 12. Sot. 4. d. 40. q. vnic. art. 3. col. 8. verſ. quartò demum. Si autem fiat error, vt loco quarti gradus, exponatur

tur

Digitized by Google

tur tertius, non erit ſubreptitia diſpenſatio, ſecus autem è contra, erit etiam ſubreptitia, ſi loco gradus affinitatis, dicatur conſanguinitatis, vel è contra, quia ſunt res diuerſæ. Sic etiam eſt explicandum,ſi vnus diſtet à communi ſtipite in gradu ſecundo, & alter in gradu tertio &c. Ita habetur ex ſtylo Curiæ Romanę,alioquin in omnibus dictis caſibus,diſpenſatio erit irrita; verum iuxta motum proprium Pij V. videtur tantum neceſſariò explicandus gradus primus tam in conſanguinitate, quam in affinitate, & idem Filiuc.nu.328.

8. Quando occurrit impedimentum affinitatis, & publicæ honeſtatis ex matrimonio rato. Primò debet exprimi gradus primus,ſecundus,tertius, vel quartus affinitatis. Secundò eſt explicãdum ſi fuerint affines ex duplici titulo. Tertiò ſi affinitas fuerit contracta ex pluribus fornicationibus, non eſt opus id explicare: ſed tantum ipſam affinitatem,ſicut nec irregularis eo, quod excommunicatus pluries celebrauerit, non tenetur mentionẽ facere multiplicis celebrationis, vt Sanchez lib. 8. diſp.24.num.7.Quartò non eſt neceſſe explicare maiorem propinquitatem fœminæ ipſi ſtipiti; ſed ſatis eſt dicere inęqualitatem graduum. Quintò eſt explicanda diſtantia graduũ in linea recta, vel tranſuerſa. Sextò eſt experimentum ſi publica honeſtas fuerit orta ex matrimonio rato, quia eſt magis indecens, ac ſi eſſet orta ex ſolis ſponſalibus, & ſimiliter, ſi error fuerit expoſitus circa diſtantiam graduum, idem eſt dicendum, ac diximus de gradu conſanguinitatis num. antecedenti, Filiuc.tract.10. de matrim.2.par.cap.10.nu. 329.330.& 332. ex Sanchez lib. 8. diſputat. 24.

9. Si autem impedimentũ ſit cognationis ſpiritualis. Primò eſt explicanda perſona, cum qua vinculum intercedit,vt ſi ſit cum perſona baptizata, vel patre,aut matre eius, cum indecentius ſit contrahere cum filia ſpirituali, quam cum matre. Secundò eſt explicandum an dicta cognatio fuerit contracta ex baptiſmo,an ex cõfirmatione, cum ex baptiſmo fortiùs vinculum oriatur; & debet explicari an ſit contrahendum cum confirmata, vel cum patre, aut matre eius. Quartò ſi duplici titulo contracta ſit cognatio ſpiritualis, eſt id explicandum, Filiuc.loc.cit. num. 331.

10. In impedimento voti, vel iuramenti,aut vtriſq; ſimul.Primò non eſt neceſſe explicare, an ſæpè fuerit dictum votum, vel iuramentum repetitum, Azor. 1. par.lib.11.cap.14.q.1.Si ſit votum, vel iuramentum ſoli Deo factum, ſufficit ſi explicetur votum,vel iuramentum, aut vnũ pro alio, quia æquiualent in obligatione, Tertiò ſi ad votum additum fuit iuramẽtum in confirmationem voti, vt in dubio ſemper ita præſumendum eſt,tũc ſufficiet, vt tantum explicetur votum, tunc enim iuramentum eſt, vt quid acceſſorium, ſecus autem ſi iuramentum fuerit factum independenter à voto, vel è contra,tunc enim vtrumque eſt declarandum. Quartò ſi iuramentum, vel votum non nubendi eſſet emiſſum in fauorem tertij, eſſet id explicandum, quia difficiliorem reddit diſpenſationem; Quintò ſi profeſſus cum ordinibus ſacris debeat contrahere, eſt vtrumque explicandum, cum ſint duo vincula dirimentia, Sextò, ſi fuerit Sacerdos, vel Diaconus, non ſatis eſt dicere eſſe in ſacris, ſed tenetur explicare gradum Sacerdotij, vel Diaconatus. Filiuc.tract.10.de matrim.c.10.n.334.

11. Deinde,cum impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis, eſt etiam explicanda copula, ſi fuerit habita ante diſpenſationem ex ſtylo Curiæ Romanæ, qui facit legem,vt Filiuc. tract.10. de matrim.cap.10.num.336.& Sanch.lib.8.diſp. 25.n.8.& diſp.21.n.16.Imò etiam ſi fuerit habita poſt Pontificis diſpenſationem,ſed antequam Ordinarius, vel Confeſſor illã expediſſet, quia clauſula in diſpenſatione apponi ſolita (ſi preces veritate nitantur) referuntur ad tempus conceſſionis Pontificis,& executionis Ordinarij,vel Confeſſoris,cui litteræ eſſent directæ, vnde ſi antequam Ordinarius, vel Confeſſor expediat, fuerit iterum habita copula, eſt iterum ad Summum Pontificem recurrendum; Ita ex pluribus docet dictus Sanch. loc.cit.diſp.30. num.15, licet Filiucc aſſerat id eſſe probabile, quando inceſtus eſt publicus,in quo caſu recurſus habetur ad

Da-

Digitized by Google

num. 1. de teſtam. vbi plures affert, Abbas in cap. quoniam num. 8. de offic. delegat. Filiucc. tract. 10. de matrim. ca. 10. n. 343. & alij.

16. Ex parte autem concedentis, nunquam diſpenſatio expirat etiam re integra, quidquid in hoc dicat Nauar. cap. 29. num. 253. & alij, quorum opinionem, licet probabilem æſtimet Sanch. lib. 8. diſp. 28. num. 87. Quando res eſt integra, attamen probabiliùs eſſe ait, diſpenſationem ſemper validam eſſe; Rodriq. qq. regular. tom. 2. q. 46. art. 7. & 1. tom. ſummæ c. 236. num. 3. Emmanuel Sà ver. diſpenſatio n. 6. & ver. gratia num. 3. Filiuc. loc. cit. n. 347. & alij plures. Vnde morte Pontificis non expirant litteræ gratiæ, vel conceſſionis, aut diſpenſationis, & hoc ſiue gratiæ ſint abſolutæ, ſiue conditionatæ, &c. Sed nota aliquando gratias expirare morte concedentis, re integra, ſcilicet, quando is, cui committitur gratia, eſt executor voluntarius, ſcilicet cui non præcipitur, v. g. concedit Pontifex, vt Titius poſſit diſpenſare cum quibuſdam perſonis particularibus, in hoc caſu, mortuo Pontifice, expirat facultas diſpenſandi, quia Titius dicitur delegatus, qui expirat morte delegantis; At quando delegatus eſt executor neceſſarius, eo quod Pontifex præcipiat, vt videat, & diſpenſet, tunc diſpenſatio, vel gratia facta non expirat morte Pontificis, vt optimè docet Sanch. loc. cit. & num. ſeqq.

17. Sed dubium eſt, vtrum diſpenſatio obtempta de voto caſtitatis, vel religionis, aut non nubendi, extinguatur per primum matrimonium? Reſpondeo, ſi diſpenſatio fuerit abſoluta, & totalis abſque vlla clauſula, vel reſtrictione, diſpenſatio non extinguitur, & poterit quis toties, quoties voluerit aliud matrimonium iure, primo coniuge mortuo; quando autem Epiſcopus diſpenſaret in aliquo caſu vrgenti, vt diximus cap. antec. tunc diſpenſatio non extenditur vltra dictum caſum. Si verò Abſolutio facta à Pontifice fuerit non abſoluta, ſed cum determinata perſona, tunc diſpenſatio extinguitur in primo matrimonio: vt Sanchez lib. 8. diſp. 31. à num. 8. & ſeqq. Et nota diſpenſationem, ſi v. g. fuerit conceſſa ab Epiſcopo, valere etiam extra territorium dicti Epiſcopi, ita, vt poſſit alibi ſic diſpenſatus matrimonium contrahere. Vt idem Doctor num. 17.

18. Secundum dubium eſt, vtrum impetrans, & poſtea renuncians diſpenſationi, poſſit mutata voluntate, illa frui? Et diſtinguendum eſt, vel renunciatio fuit acceptata à ſuperiore, vel non, ſi primo modo, non poterit poſtea dictus renuncians illa frui, per regulam 25. quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt de regulis iuris in 6. & ſumitur ex ca. prohibentur 2. q. 1. vbi habetur, *Is, quem pænitet, iurique ſuo renuntiat ac contradicit, non auditur ampliùs illud allegans*; Et ex l. finali Cod. de conditionibus inſertis, vbi dicitur, *Quod ſemel ab aliquo repudiatum eſt, redintegrari ab eodem non poteſt*. Si ſecundò modo, ſcilicet, ſi renunciatio non fuit acceptata à ſuperiore; & dictus ſuperior permanſerit in eadem voluntate, tunc poterit renuntians mutata voluntate illa diſpenſatione gaudere, patet ex cap. literas de procur. in 6. vbi ſic dicitur. *Licet is, qui procurator conſtituitur ab abſente, dixerit, præſentatum ſibi ſuſcipere nolle mandatum; hoc tamen nequaquam obſtante, quamdiù conſtituens in eadem perſtiterit voluntate, ipſum acceptare poterit, quandocunque placuerit*. Ex quo textu Gloſſ. finalis, Ioan. Andr. Archidiacon. Anchar. & alij in dicto textu docent, renuentem conſentire electioni, poſſe mutata voluntate eamdem acceptare, electoribus in eadem voluntate perſiſtentibus; & idem docent de iudice delegato, & arbitrio; Si enim quis renunciauerit ſuæ delegationi, & arbitrio, vel repudiauerit, poterit eodem modo mutata volũtate delegationem, vel arbitrium acceptare; Temperat tamen hanc doctrinam Sanchez lib. 8. diſp. 32. n. 3. dicens, id non habere locum in voto, neque in iuramento, quia dum quis repudiat diſpenſationẽ voti, vel iuramenti, eſt, ac ſi diceret, iterùm voueo, vel iuro, ad quod requiritur noua diſpenſatio. Sed hæc limitatio non placet, quia quando quis dicit nolo hanc diſpenſationem, vel illam repudio, idem eſt, ac ſi diceret, volo manere in meo voto,

Digitized by Google

puè in dicto iure Canonico, & maiori ratione, nec ſufficiet, ſi quis fuerit licentiatus; aut inter numerum Magiſtrorum connumeratus ex priuilegio, ſed neceſſe eſt, vt verè ſint tales, & promoti in aliqua Academia; & ſimiliter nec ſufficit, ſi quis ſit æſtimatus talis ex communi errore, & re vera nō ſit talis, ita Sanchez lib.8.diſp. 24. num. 5. & ſeqq. quam ſequitur Filiuc. tract. 10. de matr. par. 2. c. 10. n. 352.

23. Verum Patres Societatis Ieſu ex priuilegio Gregorio XIII. ſub die 3. Aprilis 1582. de licentia eorum Generalis, vel aliorum Superiorum, quibus dictam facultatem Generalis conceſſerit, nec non, & alij Regulares ob priuilegiorum communicationem de licentia Generalis, vel Prouincialis dictam expeditionē S. Pœnitentiarię exequi poterunt, dū fuerint Confeſſores approbati ab Ordinario, & à dictis Superioribus ad hoc ſpecialiter deputati, alioquin, quidquid actum fuerit, irritum erit, ita Rodriq. quæſt. regular. to. 1. q. 63. art. 8. Sanchez lib. 8. diſp. 34. nu. 11. Io: de la Crux de priuil. lib. 2. cap. 6. in fin. & alij. Sed vtrum ad id agendum requiratur confeſſio, an poſſit fieri extra illam? Et reſpondeo poſſe extra illam fieri, cum non ſit res pertinens ad Sacramētum pœnitentiæ, vt Sanchez lib. 8. diſp. 24. nu. 29. & 30. & idem eſt etiam dicendum de priuilegio Mendicantium abſoluendi, vel commutandi vota, poſſunt enim Confeſſores Mendicantes id agere etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, cum ſit res diuerſa à pœnitentia, vt idem Doctor docet eodem librum diſp. 16. num. 11. alias clauſulas, quæ poni ſolent in dictis diſpenſationibus matrimonialibus; vide apud Sāchez in cit. diſp. 24. & 25. quod tamen modo nō habet verū, reſpectu diſpenſationū matrimonialium, cum in literis diſpenſationum, quæ à ſacra Pœnitentiaria conceduntur, apponantur hæc verba. *Audita confeſſione, & non aliter*, prout P. Franciſcus Pellizzarius è Soc. Ieſu mihi teſtatus eſt, ſe vidiſſe in Formulario diſpenſationum, ipſi oſtenſo Romæ in Collegio Pœnitentiariæ S. Petri, ex mandato Illuſtriſſimi D. Cuccini tunc Regentis Sacrę Pœnitentiariæ, quæ verba habent vim conditionis ſubſtantialis; ſicque ea non impleta, actus erit irritus, vt patet.

DE VSU MATRIMONII

Vtrum vſus Matrimonij ſit licitus, vel præceptus, ex quibus cauſis erit illicitus, & quibus modis Coniuges peccare poſſint in tali vſu. Cap. CXIV.

1 *Coniuges ſub mortali tenentur reddere, etiam ſi alter coniux tacitè, vel interpretatiuè petat, ſecus ſi remiſsè, vel ad preces ſtatim acquieſcat.*

2 *Coniuges reddentes ſe impotentes crebis pollutionibus, vel accedendo ad alias fœminas, mortaliter peccāt ex hac cauſa præcisè, ſcilicet, quod impotentes ſe reddant.*

3 *Coniuges non poſſunt vouere ieiunia, vigilias, &c. quibus impotentes fiant ad debitum reddendum, niſi adſit licentia alterius coniugis; imò vxor excuſatur à ieiunio, ſi maritus noluerit.*

4 *Vxor poteſt non ieiunare in ieiunijs Eccleſiæ, ſi maritus ita præcipiat, ne deformis appareat.*

5 *Vxor eſt alenda à marito, etiam ſi recedat ob ſæuitiam, & quamuis dotem non dederit.*

6 *Maritus tenetur alere vxorem in carcerē detruſam, niſi fuerit factum diuortium; & in extrema neceſſitate, potius tenetur maritus ſubuenire parentibus, & filijs, quam vxori.*

7 *Nec vxor, nec filij tenentur ex bonis pro-*

prijs ſatisfacere debitis patris factis ob eorum gubernationem.

8 *Maritus, ſi non habuit dotem ſibi promiſſam non tenetur alere vxorem, niſi ipſa maneat in eius obſequium.*

9 *Maritus tenetur alimenta præſtare vxori, ſi ob impotentiã ei dos ſoluta non fuerit.*

10 *Maritus tenetur vxorem alere, quam duxit ſine dote, ſuppoſito, quod dicta vxor non habeat bona.*

11 *Vxor dimitti non poteſt ob non ſolutam dotem, & debet traduci in domũ mariti.*

12 *In aliquibus caſibus poteſt coniux peccare petendo, & non in non reddendo.*

13 *Ob inceſtum, vel cognationem ſpiritualem contractam, alter coniux innocens non tenetur reddere.*

14 *Peccabit coniux reddendo debitum marito in loco ſacro.*

15 *Maritus licet habeat votum caſtitatis, vel impedimentum affinitatis, aut cognationis ſpiritualis, poteſt ſe offerre vxori, ſi in illa videat periculũ incontinentiæ.*

16 *Diebus ieiuniorum, ſolemnitatum, & in quibus eſt ſumenda Euchariſtia, non erit mortale vti matrimonio.*

17 *Vſus matrimonij in loco ſacro eſt ſacrilegium, ſecluſo caſu neceſſitatis.*

18 *Modus ſeruandus in vſu matrimonij, tũc tantum erit vitioſus, quando aderit periculum effundendi ſemen.*

19 *Coniuges, ſi ſe abutantur modo ſodomitico, plura peccata committent.*

20 *Coniuges habentes copulam tempore menſtrui, non peccant mortaliter, nec ſi illam habeant tempore grauidationis.*

21 *Coniuges ſi fuerint inſani ſunt ſeparandi, & coniux non tenetur altero coniugi inſano reddere.*

22 *Cum detrimento ſalutis propriæ, vel alterius coniugis, non tenetur quis reddere.*

23 *Coniux non tenetur coniugi infecto morbo contagioſo reddere, imò neq; cum eo habitare.*

24 *Negare debitum ob paupertatem, ne multiplicetur proles, non eſt mortale ſecundũ aliquos, licet contrarium puto eſſe dicendum.*

25 *Negare debitum, ne filij naſcantur ex origine hebræorum, vel ſaracenorum, eſt peccatum mortale.*

1 CErtum, & de fide eſt, vſum matrimonij eſſe licitum, contra nonnullos hæreticos, quos confutat Bellar. lib. vnic. de matrim. à cap. 1. vſq; ad 5. Non tamen eſt ſub præcepto petere debitum. Sed benè eſt ſub præcepto illud reddere, ita vt coniuges mortaliter peccent, quoties non reddant coniugi petenti ſiuè expreſsè, ſiuè tacitè, ſiuè interpretatiuè, quod maximè occurrit in vxoribus, quæ ob pudorem non ſolent, niſi tacitè, vel ſignis petere, & tunc vir tenetur ſtatim reddere, alioquin mortaliter peccabit contra legem iuſtitiæ, vt D. Thom. 4. d. 32. q. vnic, art. 2. quæſtiunc. 1. Richard. ibi art. 1. q. 2. & alij omnes; vxores autem non tenentur tã faciliter credere, viros non petere ob pudorem, vnde tuta conſcientia poterunt expectare, vt viri expreſsè petant; ita Sot. 4. d. 32. quæſt. vnic. art. 2. verſ. at duplex, D. Thom. ibidem art. 3. ad 2. Sylueſt. verb. debitum q. 8. & alij; imò ſi ex aliquo ſigno vir conijciat periculum incontinentiæ in vxore, vel è contra, tenetur ſtatim reddere, & ſe offerre coniugi, vt illum liberet à tali periculo, vt idem D. Thom. loc. cit. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 1. Sot. 4. d. 31. q. vnic. art. 4. concluſ. 1. in fin. & d. 32. q. vnic. art. 2. P. Sot. lect. 14. de matrim. ad fin. Sed nota, non ſemper, vt coniux petit, velle obligare alterum coniugem ſub mortali, nec tanquam debitum; ſed ſolum alliciẽdo, & mouendo, & in tali caſu, dummodo non adſit periculum incontinentiæ, coniux non ſtatim mortaliter peccat nõ reddendo, quia multoties nolunt coniuges dictum debitum niſi cum ſatisfactione alterius coniugis; imò licet coniux remiſsè roget, ſi faciliter rogatus acquieſcat precibus nolentis reddere, nec erit culpa mortalis; non tamen debent eſſe preces adeò importunæ, vt vim quodammodo inferant, alioquin mortaliter peccabit cõiux non reddendo, ita D. Thom. 4. d. 32. q. vnic. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 4. Nauar. cap. 16. num. 25. Sot. loc. citat. & communiter omnes.

2. Ex qua doctrina colligitur, coniugem reddentem ſe impotentem ad debitũ coniugale reddendũ medijs illicitis, mortali-

taliter peccare, quia vigore iuſtitiæ quilibet tenetur ſe non impotẽtem reddere ad debitum perſoluendum, Angel.ver.debitum num. 6. Syluest.ibidem q.1.P.Ledeſ. de matrimonio dub. 71. concluſ. 2. ex D. Tho.4. d.32. quæſt.vnic. art.1.ad 3. Vnde crebrò ſe coniux polluens, vel accedẽs ad alias fœminas, ita vt non ſit ſufficienter aptus pro vxore, mortaliter peccat præcisè ex eo, quod ſe inhabilem reddit pro vxore, quod ſpecialiter eſt explicandum in confeſſione, Sanchez lib.9. de matrim. diſp.3.num.3. Imò etiam ſi media fuerint licita, vt immoderata ieiunia, vigiliæ, & ſimilia, adhuc coniux peccaret, ſi per illa abſque conſenſu mariti, vel è contra impotens fieret. Ita D.Anton.3.p.tit.1.cap. 20.§.10. Angelus loc.cit. Filiucc.tract.10. de matrim.p.1.cap.9.num.305. Sylu. loc. cit.& alij. Poteſt tamen coniux, ſecluſa fraude, aliqua honeſta exercere, vt ieiunia Eccleſiæ; & aliquas deuotiones, vel pia ſtudia, ſeu exercitia, licèt ex eis aliquãtulum extenuetur, dummodo inhabilis non fiat; Sanchez loc.cit.num.5. Sot.loc. cit.q.vnic.art.1.in fin.Filiuc.loc.cit.& alij. Non tamen è contra vir tenetur vti calidis, vt potentior efficiatur, ſufficit enim, vt tantum ſe abſtineat ab illicitis, quibus impotentior fiat Paludan. 4. diſtinct.32. quæſt.1. art.2. num.8. D.Anton. & Syueſt. loc. cit.

3. Hinc colligitur, neque virum abſque conſenſu vxoris, neque vxorem abſque conſenſu viri poſſe vouere ieiunia, vigilias, & ſimilia, quibus reddantur impotentes ad reddendum debitum, quia neuter eſt Dominus ſui corporis. Filiuc. tract.10.de matrim.p.1. cap.9. num. 306. Sanch.lib.9.diſp.3. num.7. Palud.4. d.38. q.3.art.1.concluſ.6.num.10.Nauar.ca.12. num.61. Angelus verb.votum, 2. num. 8. & alij; & idem dicas de voto longæ peregrinationis, imò iuxta Sot. lib.7. de iuſtit. q.3.art.1.verſ.an verò poſſit, & Rodriq.2. tom.ſumm.cap.90.nu.7. dicta vota etiam facta à viro ſunt ipſo facto nulla, nec indigent aliqua irritatione faciẽda ab vxore, & addit Sot.culpam admittere ſic vouentem; Tamen probabiliùs videtur dicendum, dicta vota obligare, ſed non poſſe coniugem vouentem illa exequi, donec alter coniux illa ſciat, & approbet, quod ſi non approbet, irrita erunt, ita communiter omnes, vt Caiet.2.2.q.88.ar.8. Nauar. cap.21.num.61. Sanchez.lib.9.diſp.3.n.8. qui Doctores ſimiliter addunt, nec poſſe vxorem habitum mutare, ſcilic. indui veſtibus votorum, & vulgò dicuntur, abſque conſenſu mariti, nec maritum indui veſtibus Eremitæ abſque conſenſu vxoris, quia huiuſmodi veſtes ſolent horrorem cauſare.

4. Item docent etiam Doctores, coniugem excuſari à ieiunio Eccleſiæ, quando ex eo fit impotens ad reddendũ debitum, tunc enim concurrunt duo præcepta vnum humanum, alterum naturale; in quo caſu, præceptum naturale præualet, & illud exequi debet, Caiet.ſumm.verb. ieiunium cap.8. de perſonis, quas obligat ieiunium, §.excuſantur infirmi, Nauar.ca. 21.num.16. Valent.2.2.diſp.9.q.2.pun.5. §.neceſſitas excuſans, Sanch. loc.cit.n.10. Imò ſi maritus noluerit, vt vxor ieiunet, vel ne deformis appareat, vel ne debilior fiat, vxor poteſt, & debet licitè obedire, & non ieiunare, ne mariti amorem, & concordiam amittat. Filiuc. tract.10.de matr. 1.p.cap.9.num.306. Sanch.lib.9. diſp.3.n. 11. Caiet.& Nauar.loc.cit. Et ſimiliter fœmina, quæ nubere vult, ſi non ieiunet, ne deformis appareat, poſſet excuſari; Quod puto verum in ieiunijs frequẽtibus, vt in quadrageſima, in quibus id accidere poteſt. Vide Sanchez num.12. Nota tamen, vxorem non excuſari à ieiunio ex præcepto Eccleſię, quando vir vellet, vt vxor illa non obſeruaret in contemptum Eccleſiæ, tunc enim potiùs Eccleſiæ, quam marito obtemperandum eſt, vt Philiarcus de offic. Sacerd.tom.1.p.2.lib.3.c.25.§.Quod ieiunia; Sanch.n.13.& alij.

5. Sed quæritur, utrum coniuges teneantur ſibi mutuo alimenta præſtare? Nam quod teneantur ſimul habitare, clarè cõſtat ex natura matrimonij, ut in principio declarauimus, & fusè probat Sanch. lib.9.diſp.4. Ad quæſitum reſpondeo, uirũ teneri alere uxorem, ſed ſi abſq; uiri culpa uxor propria temeritate recedat, uir ad nihil tenetur, quia uxor debet ſemper

manerę

manere in obſequium viri, cap. hæc imago, 33. q. 5. Nam qui facit, quod non debet, non recipit, quod oportet, l. ſi ea Cod. de condit. in ſer. Si autem vxor recedat ob ſæuitiam viri, alenda eſt, Couarr. 4. decret. 2. p. cap. 7. §. 5. num. 2. Sanchez lib. 9. diſp. 4. n. 20. Secùs autem ſi caſtigatio viri fuerit moderata, tunc enim non poterit vocari ſæuitia, permiſſum eſt enim viro vxorē corrigere, moderateq; punire, l. rei iudicatæ, ff. ſoluto matrim. Et nota, quod etiam ſi vxor dediſſet dotem, & abſque culpa mariti, recederet ab illo, nec eſſet alenda. E contra verò, vxor etiam ſi dotem non dedit, eſt alenda, ſi ex culpa mariti recedat, Lupus cap. per veſtras de donat. inter virum, & vxorem notabil. 3. num. 4. Surdus de alim. tit. 7. q. 16. nu. 14.

6. Et nota, virum teneri alere vxorem, in carcerem etiam perpetuam detruſam ob aliquam culpam, vel hæreſim, dummodo propter dictam hæreſim, non fuiſſet factum diuortium, & hoc ſi maritus habuit dotem, nam etiam vxor tenetur alere maritum bannitum, vel exulantem, nec habentem alimenta, ita probat Sanc. lib. 9. diſp. 4. n. 23. Sed quid agere debeat maritus, in caſu, quo haberet vxorem indigentem, & ſimiliter proprios parentes, filios, & cognatos pauperes; an teneretur potiùs ſubuenire vxori, quam parētibus? Et diſtinguendum eſt, ſi loquamur de neceſſitate extrema, vir potiùs tenetur ſubuenire parentibus, quam vxori, eſt enim longæ antiquiùs præceptum erga parētes, & multò nobiliùs, quā non eſt præceptum vxoris, & ideò priùs illi eſt obtemperandum quam iſti; Secluſo tamen caſu extremæ neceſſitatis, potiùs vir tenetur ſubuenire vxori, quam parentibus, ſumitur ex D. Thom. 2. 2. q. 26. art. 11. ad. 1. vbi Bannes, & Aragon. idem docent, Valentia ibi diſp. 3. q. 4. pun. 5. coroll. 10. Vir autem inops non tenetur alere vxorem, ſicut nec filios, licèt in extrema neceſſitate, eſſet etiam priùs ſubueniendum filijs, quam vxori, quia filij ſunt pars patris, ſcilic. ſubſtantiæ, & viſcerum patris. Et vxor non eſt pars viri, ſi verò vxor fuerit diues, & vir pauper, tenetur illum alere ex l. Si cū dotem 23. §. ſi maritus, ff. ſoluto matrimonio, vt ex pluribus docet Sanch. loc. cit. num. 26. & 27.

7. Sed maior difficultas eſt, vtrum mortuo marito, vxor, vel filij teneantur ex proprijs bonis ſatisfacere debitis mariti, vel patris, quæ contraxit ob gubernādam familiam tam quoad alimenta, quam quoad famulatum, &c. Et quamuis plures Doctores affirmatiuè reſpondeant, quorū opinionem probabilem iudicat Sanchez lib. 9. diſp. 4. num. 28. ex eo, quod dicta debita verſa ſunt in vtilitatem dictæ vxoris, vel filiorum, igitur; deficientibus bonis mariti, vel patris reſpectiuè, eſt ſupplendum ex bonis dictæ vxoris, vel filiorum. Tamen negatiuè reſpondendum eſt, quod quodam exemplo clarum reddo: v. g. Titius accepit mutuum à Caio, vt ſatisfiat ſuis creditoribus, & de facto eis ſatisfecit, deinde moritur Titius nullis relictis bonis, quibus Caio poſſit ſatisfieri; peto an in tali caſu, creditores Titij teneantur reſtituere id, quod acceperunt à dicto Titio? Et certè negatiuè omnes reſponderent; igitur etiam in caſu propoſito negatiuè eſt reſpondendum, quia maritus tenetur alere vxorē, & filios, & id, quod accipit vxor à marito, vel filij à patre, accipiunt tanquam quid eis debitum; Vnde non debent reſtituere, in caſu, quo non adſint bona patris, vel mariti reſpectiuè. Sanch. loc. cit. n. 29. vbi plura affert in huius Doctrinæ confirmationem.

8. Alia difficultas eſt, vtrum teneatur vir alere uxorem, à qua nullam dotem habuit? Nam id, quod diximus num. 5. Intelligitur, de uxore, quæ dedit dotem; Reſpondeo igitur ad difficultatem cum diſtinctione; ſi dos fuit promiſſa ſiue ab ipſa uxore, ſiuè à parentibus, ſiuè ab alijs etiam extraneis, ſub quorum tamen cura uxor manebat, & poſtea maritus illā non habuit, non teneri alere uxorē, uel ſi tantum partem dotis habuit, iuxta ratam, tenetur illam alere, ſi tamen uxor permaneat in obſequium mariti, tunc enim tenetur, ſicut famulam ſibi miniſtrantem, & ex debito coniugali, ut benè Abbas conſil. 85. n. 2. & 3. uolum. 2. Angelus cap. per ueſtras de donat. inter uir. & uxor. nu. 14. & ibi Ioan. Lupus notabil. 3. §. 1. num. 1.

& alij

Digitized by Google

& alij, vt infra num. 10. Et licèt quibuſdam non placeat dicta modificatio, quia iam vxor tenetur ad obſequia mariti, & ad dotem promiſſam, tamen reſpondeo, non ad omnia obſequia, vt ad illa, quæ ſeruitutem important, tenetur vxor, quia vxor eſt ſocia, & non famula; & ordinariè loquendo, vt praxis docet, aliud dominiũ tenent vxores, quæ dederunt dotem, & aliud illæ, quæ dotem non dederunt; vnde ſi non ratione dotis, ſaltem ratione ſeruitutis, & ſocietatis, ob quam non poteſt ſibi vxor alimenta quærere, tenetur maritus illam alere, nõ tamen eodem modo, ac ſi dotem dediſſet, quidquid in hoc dicat Sanchez lib. 9. diſp. 5. n. 9.

9. Verum magnum diſcrimen eſt inter dotem promiſſam ab ipſa vxore, vel ipſius patre, aut extraneo: nam ſi prosoluta, maritus non tenetur ad alimenta, miſſa fuerit ab extraneo, & non fuerit niſi tanquam famulæ ſibi miniſtranti, & ex debito coniugali, vt num. anteced. Si autem fuerit promiſſa ab ipſa vxore, vel patre, & ob impotentiam non fuerit ſoluta, tenetur maritus ad alimenta, dummodo non adfuerit dolus in promiſſione dotis, & tunc cenſetur adfuiſſe, quando iam ſciebant eorum impotentiam, & tamen promiſerunt dotem. Et ratio eſt, quia nec pater, nec vxor ex priuilegio conueniri poſſunt pro dote, quam facere non poſſunt, vt Borboſa l. maritum, 13. n. 57. & 67. & quod vterque careant dicto priuilegio quando doloſè promiſerunt, n. 71. ff. ſolut. matrim. Surdus de alim. tit. 7. q. 17. nu. 27. 30. & 36. contra doctrinam Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 18. num. 2. aſſerentem, virum non teneri alere vxorem, quando Socer non ſoluit, vel non poteſt ſoluere dotem, quam doctrinam reijcit Sanch. lib. 9. diputat. 5. num. 5. qui n. 7. notat ex Abb. & Io: Lupo loc. cit. maritum alentem vxorem non ſoluta dote, non poſſe petere dicta alimenta ab vxore, vel ab eius promiſſore, niſi proteſtetur, quia cenſetur donaſſe ex affectu maritali ex l. ſi quis liberis §. ſi mater ff. de liber. agnoſ.

10. Si autem dos à nemine promiſſa fuit, ſed verè maritus acceperit vxorem abſq; dote, tenetur illam alere, ita Molina tom. 2. de iuſtit. diſp. 425. §. ſi merito dos pag. 1136. Lupus loc. cit. num. 3. Angelus verb. dos num. 10. Sylueſt. eod. verb. q. 10. & communiter Canoniſtæ in cap. per veſtras de donat. inter virum, & vxor. ſi autẽ diues eſſet vxor, quamuis maritus illam accepiſſet abſq; vllo pacto dotis, adhuc teneretur illam conſtituere, alioquin maritus non teneretur ad alimenta; quia ſemper præſupponitur dos tacitè promiſſa, & ſi non ipſa vxor, ſed pater diues eſſet, teneretur maritus alere vxorem; ſed poſſet à dicto patre dotem petere, vt idem Molin. loc. cit. Sed quid ſi dos publicata fuerit ob crimen vxoris? Reſpondeo adhuc maritum teneri alere vxorem poſtquam admiſſa fuerit ad coniugale conſortium; nam ex debito coniugali, maritus tenetur alere vxorem, ita Doctores citati in nu. 8. & idem docet Surd. de aliment. tit. 7. q. 21. num. 6. & 7. Gomez l. 78. Tauri nu. 6. & Simach. de Cathol. inſtit. tit. 16. num. 19. Quam doctrinam puto eſſe intelligendam, quando vxor non habet parentes diuites, & ex ſua culpa dos fuit publicata; tunc enim eximitur maritus ab onere alẽdi, & ratio eſt, quia pater ſemper tenetur filiam alere, licet ex ſua culpa dotem amiſerit. Ita Molina I.C. de primog. lib. 2. cap. 16. num. 24. vbi quamplures affert. Si autẽ dos fortuitò periret, tunc indiſtinctè maritus teneretur vxorem alere ex l. ſi cum dotem 23. §. ſi maritus ff. ſolutio matrimonio vbi habetur. *Quid enim tam humanum eſt, quam fortuitis caſibus mulieris, maritum, vel vxorem, viri participem eſſe?* Imò nota iuxta doctrinam traditam num. 6. Maritũ teneri alere vxorem in carcerẽ, licet perpetuũ detruſam ob aliquod delictũ, ſi habuit dotem; vide etiam Filiuc. tract. 10. de matr. par. 1. cap. 9. num. 316.

11. Sed dubium eſt, vtrum maritus, in caſu, quo non teneatur, vt ſupra, vxorem alere, poſſit illam domo expellere, ſi fuerit traducta, vel non traducere? Et relictis varijs opinionibus, reſpondeo vxorem expelli non poſſe ob nõ ſolutam dotem, & eſſe traducendam, ſi non fuerit traducta, & ratio eſt, quia ius cohabitãdi procedit ex lege naturali, & diuina, ſicut obligatio reddendi debitum; dos autem eſt

quid

Digitized by Google

quid extrinſecum ipſi matrimonio, vnde non eſt rationi conſonum, velle dimittere vxorem contra legem naturalem, & diuinam, ob dotem non ſolutam; vt Molin. tom. 2. de iuſtit. diſp. 425. §. ſi marito dos, Couar. 4. decret. 2. par. cap. 7. num. 2. Sanchez lib. 9. diſp. 5. num. 17, & alij; quibus obiter dictis.

12. Quæritur, vtrum coniux aliquãdo poſſit peccare petendo, & non in non reddendo? Et affirmatiuè reſpondetur, quod quatuor vniuerſalibus regulis explicatur ob opinionum varietatem, prima regula eſt, non ſemper peccare coniugem reddendo, eo quod alter coniux peccet petendo; ita Sot. 4. d. 31, q. vnic, art, 3. verſ. inter ſoluendum, P. de Sot. lect. 16. de matrim. Couar. 4. decret. 2, par. cap. 3. §. 1. nu. 6. contra Vgolinum de Sacram. tract. de matrim. & quoſdam alios aſſerentes, negãdum eſſe debitũ, quoties petere eſt mortale; vnde ſi maritus putans matrimoniũ fuiſse contractum cum impedimento dirimente, petat, licet ipſe peccet, non tamen peccabit vxor certò ſciens, dictum impedimentum non adeſse, reddendo; ſecunda regula eſt, quoties coniux peccat tantum venialiter petendo, non poteſt alter coniux nõ reddere, nec in illo erit vlla culpa; P. Sot. loc. cit. Filiuc. tr. 10. de matrim. par. 1. cap. 9. num. 308. Tertia regula, quando exigere eſt mortale ex circũſtantia mala ipſius actus, vt quia petitur in loco ſacro, vel cum periculo abortus, tunc etiam erit peccatum reddere; ſecùs autẽ quando ex parte petentis habentis circũſtantiam petitionem prohibentem, actus eſt malus, vt ſi coniux petat cum voto caſtitatis, tunc alter coniux non peccat reddendo; P. Sot. loc. cit. D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 22. §. 2. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 5. num. 5. Couar. loc. cit. Filiuc. loc. cit. num. 111. & 112. Sanch. lib. 9. diſp. 6. nu. 7. Licet non deſint multi Doctores, qui aſſerant in dicto caſu voti, alterum coniugem non teneri reddere debitum, & hoc probabiliter quidem, ne cõiux innocens videatur cooperari peccato alterius; ita docet Richard. 4. d. 32. art. 2. q. 1. in corp. Sylueſt. verb. matrim. 7. q. 5. d. 6. Armilla ver. debitum nu. 19. Vgolin. loc. cit. & plures alij, quos affert Sanchez dicta diſp. cit. num. 1. & 7.

13. Item ratione inceſtus, vt ſi cõiux peccauerit cum conſanguinea vxoris, vel mariti reſpectiuè, non tenetur alter coniux reddere, & idem dicas ſi coniux contraxerit cognationem ſpiritualem cũ ſuo coniuge; imò non ſolum in primo caſu nõ teneretur ratione affinitatis, ſed nec etiã ratione adulterij, Sot. 4. d. 32. q. vnic. verſ. præſcindendo, Caiet. ſumma verb. matrimonium cap. vlt. de peccatis in vſu coniugij §. primus eſt, Sanchez loc. cit. num. 8. Filiucc. ibidem, & alij; & quamuis plures Doctores ſentiant, peccare mortaliter cõiugem, ſi reddat debitum coniugi inceſtuoſo petenti, niſi prius diſpenſationem obtineat, tamen contrarium videtur probabilius, quia vxor ob peccatum mariti, non eſt iure ſuo priuanda tam in reddẽdo, quam in petẽdo, & hoc maximè ſi videat aliquod periculum incontinentiæ in dicto coniuge inceſtuoſo, vel habente cognationem ſpiritualem, imò in tali periculo incontinentiæ tenetur cõiux ex lege charitatis ſuo coniugi ſuccurrere petẽdo, vel reddendo; ſecus autem, ſi ratione adulterij coniux innocens nollet reddere, nec petere, etiam ſi adeſſet dictum periculum incontinentię, & ratio; quare in primis caſibus, & non in hoc, coniux teneatur ſuccurrere ſuo coniugi, eſt, quia nemo ex lege charitatis tenetur alteri ſuccurrere cum graui damno, & detrimento; & cum per copulam cum adultero, vel adultera reſpectiuè amittatur ius celebrãdi diuortium, non videtur coniux obligatus reddere, nec petere debitum ob periculũ incontinentiæ ſui coniugis; quod non occurrit in primis duobus caſibus, Sanchez lib. 9. diſp. 6. num. 12. & 13. Et idem dicas de primis duobus menſibus poſt contractum matrimonium, conceſſis ſponſis ad ſe deliberandum, an velint perfectiorem ſtatum eligere, non enim tenetur coniux ob periculum incontinentiæ alterius cõiugis nec petere, nec reddere quia priuaretur tali priuilegio.

14. Quarta regula eſt, quando ex circumſtantia ipſius actus coniugalis, petitio debiti eſt prohibita ſub mortali, tunc red-

dere

Digitized by Google

dere etiam erit mortale, vt ſi coniux petat in loco ſacro, vel cum periculo abortus &c. vt iam ſupra diximus. Ita P. Sot. lect. 16. de matrim. in fin.

15. Eſt tamen notandum, maritum, cui prohibitum eſt petere ratione voti caſtitatis, vel affinitatis, aut cognationis ſpiritualis contractæ, poſſe, quoties voluntatem petendi, vel periculum incontinentiæ videat in coniuge, ſe offerre actui matrimonij, quia verè id vocabitur redditio, & non petitio; ita de viro, qui vouit tradit D. Thom. 4. d. 38. q. 1. art. 2. q. 2. ad 4. Sot. ibi q. 2. art. 1. verb. reddere, Nauar. ca. 16. num. 30. & alij communiter, verum id occurrit ordinariè loquendo in viro habente impedimĕtum; quia vxores ob verecundiam non ſolent ita apertè petere, ſicut viri, & ideò in viris id omnes concedunt; verum ſi id accideret etiam in fœminis, ſcilicet, vt maritus more fœminæ non auderet petere, poſſet idem agere vxor, vt Sanchez lib. 9. diſp. 7. num. 4. vide etiam Filiuc. in cit. cap. 9. num. 112. & eadem doctrina eſt etiam ſi ambo vouerint nunquam petituros, poterunt enim alter alteri ſe offerre, vt ſupra, idem Filiuc. nu. 113. & ex Sanchez num. 11.

16. Sed quæritur, quando actus matrimonij ſit ex ſe malus, & inducens culpam mortalem? Reſpondeo tunc actum matrimonij eſſe malum, & inducere culpam mortalem, quando coniuges aliquid operantur, ne proles concipiatur, nec ſufficit animus, ſeu deſiderium non habendi prolem, niſi adſit aliquod opus ad id factum; ita Palud. 4. d. 31. q. 3. art. 2. num. 15. Sanchez lib. 9. diſp. 8. num. 10. Nauar. cap. 16. num. 33. & alij; vtrum autem vti matrimonio tantummodo ad vitandam fornicationem, ſit peccatum aliquod, multi reſpondent eſſe veniale, ſed etiã plures alij docent, nullum eſſe peccatum, vt Sanchez diſp. 9. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 15. num. 4. & alij neq; ſimiliter aliqua culpa erit, ſi vſus matrimonij fiat ad ſalutĕ corporis, licet, alij dicant eſſe culpam venialem, ſi quis poſſit alio medio vti, vide Sãchez diſp. 10. Erit tamen culpa venialis ſi fiat ob ſolam delectationem, ita D. Thom. 4. d. 31. q. 2. art. 3. & alij omnes. Item ſecundum aliquos, vſus matrimonij diebus magnæ feſtiuitatis, vel proceſſionum ſolemnium, ieiuniorum, & rogationum, eſt culpa venialis, alij tamen dicunt, nec eſſe culpam venialem, quia in his diebus non vti matrimonio, non eſt de præcepto, ſed de cõſilio; vt ex pluribus probat Couar. cap. alma mater 1. par. §. 5. nu. 1. Sanchez diſp. 12. nu. 5. Quando autem quis eſt ſumpturus Euchariſtiam, tunc iuxta communem opinionem debet quis non vti matrimonio, alioquin ſecundũ multos Doctores, venialiter peccabit. Verum ſi debito fine quis eo vtatur, vt ex deſiderio prolis, vel ad euitandam aliquam illicitam paſſionĕ, nec erit veniale, patet ex D. Gregor. reſponſion. 10. ad interrogationes D. P. Auguſtini, & refertur in cap. vir cum propria 33. q. 4. vbi ſic habetur. *Si quis ſua coniuge non cupidine voluptatis captus, ſed ſolum liberorum creandorum gratia vtitur, de ſumendo corporis dominici, ſanguiniſq; myſterio, ſuo eſt relinquendum iudicio, quia à nobis prohiberi nõ debet accipere.* Idem docet D. Tho. 3. par. q. 80. art. 7. ad 2. D. Antonin. 3. tit. 13. cap. 6. §. 10. Syluestr. verb. Euchariſtia 3. qu. 11. Sanchez diſp. 13. Sed nota, nunquam licitum eſſe coniugi non reddere, ex eo, quod ſumpturus ſit Euchariſtiam, vel aliquid aliud agendum, poterit tamen vti moderatis precibus, vt coniux liberè quieſcat abſq; dicto actu, vt Sot. 4. d. 32. q. vnic. ar. 3. Sanchez num. 9. & paſſim alij.

17. Vtrum autem ratione excommunicationis alterius, vel vtriuſque coniugis, vſus matrimonij ſit illicitus? Reſpondeo negatiuè, non enim vxor tenetur vitare maritum excommunicatum, licet denunciatum, nec è contra, quod fusè probat Sanchez lib. 9. diſp. 14. Filiuc. tract. 10. cap. 9. num. 325. & alij communiter. Eſſet tamen illicitus dictus vſus in loco publico propter ſcandalum, & ſi fieret in loco ſacro, eſſet ſacrilegium, cum per ſeminis, vel ſanguinis effuſionem, Eccleſia polluatur ex iure Eccleſiaſtico ſic ſtatuente in cap. vnic. de conſecr. in 6. & cap. Eccleſijs de conſecr. d. 1. vt Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 15. punct. 1. §. præterea etiam, Sanchez diſp. 15. nu. 8. & alij communiter, licet non deſint, aliqui Canoniſtæ, qui aſſerant tan-

Digitized by Google

tum per copulam illicitam violari Eccleſiam, quorum opinionem fortè eſſe verã, ait Sot. 4. d. 13. q. 2. art. 3. verſ. ait quartò, Sed nullo modo eſt à communi opinione recedendum, vt Caiet. ſumm. verb. matrimonium, ca. ult. Suar. 3. p. q. 83. art. 3. diſp. 81. ſect. 4. §. 3. Nauarr. cap. 16. num. 32. & c. 27. num. 257. & alij omnes; In caſu autem neceſſitatis, vt ſi coniuges intra locum ſacrum obſeſſi eſſent, nec haberent aditum ad alium locum viciniorem, & dummodo obſeſſio eſſet ad longum tempus, ſecùs ſi ad breue tempus, in quo nullum adeſſet periculum incontinentiæ, nec eſſet magnũ incommodum non vti matrimonio, quod iudicio boni viri puto eſſe relinquẽdum; cum non poſſit aſſignari determinatum tempus, idem Sanchez num. 12. Filiuc. loc. cit. & alij. Et idem eſt dicendum de deſiderio habito in Eccleſia ad copulam, ſiuè cum vxore, ſiuè cum alia, vel alio, nam ſi tale deſiderium eſt habendi copulam intra Eccleſiam, erit ſacrilegium, licèt, non erit polluta Eccleſia. Si quis autem habeat tantum aſpectus, nutus, confabulationes, cogitationes, vel etiam tactus inhoneſtos in Eccleſia abſque tamen periculo pollutionis, vt loquitur Sanchez loc. cit. num. 21. vel vt meliùs dicamus, abſq; vlla pollutione; non erit ſacrilegium, nec circumſtantia neceſſariò aperienda in cõfeſſione, quia id, quod repugnat loci ſanctitati, eſt ipſa pollutio, ſeu ſeminis effuſio, vnde ipſa ceſſante, ceſſabit etiam ſacrilegium, & violatio Eccleſiæ. Et nota in omnibus caſibus, in quibus diximus non pollui Eccleſiã, vt v. g. in caſu copulæ habitæ à coniugibus in caſu neceſſitatis, nec erit Eccleſia reconcilianda; licèt Angelus verb. debitum nu. 35. dicat Eccleſiam pollui, etiam per copulam licitam; ſed contrarium communiter alij docent, vt pluribus docet Sanchez num. 14. & ſequitur Filiuc. nu. 326. & 327. vide plura pertinentia ad hanc materiam ſupra cap. 31. à num. 14. & ſeqq.

18. Quæritur deinde, quiſnam modus ſit ſeruandus in vſu matrimonij, quoad ſitum, ne vitioſus ſit? Et reſpondeo, modum naturalem coeundi eſſe, vt mulier ſit ſuccuba, vir autem incubus, quia hic modus eſt aptior ad ſemen effundendum, & retinendum; concubitus verò à latere, vel ſedendo, aut ſtando, aduerſatur aliquo modo naturæ recti concubitus, & ſi fiat præpoſterè, aut viro ſuccumbente, erit omninò modus contra naturam dicti concubitus; quibus notatis, plures Doctores docent, nõ ſeruare modum naturalem in uſu matrimonij, eſſe peccatum mortale, ita Præpoſitus rubric. deſponſal. num. 13. Monaldus ſumm. tract. de matr. tit. de bonis matrimonij ad fin. Palud. 4. diſt. 31. q. 3. art. 2. num. 15. niſi neceſſitas urgeat; ſed fiat cauſa ſolius delectationis, & quoad modum concubendi ſtando, à latere, uel ſedendo docet Abulenſ. c. 5. Matt. q. 227. eſſe ab his modis abſtinendum tanquam à culpa lethali, de modo autem præpoſtero, dicit omninò eſſe mortale, quando ob ſolam delectationem exercetur. Ita etiam plures alij, quos affert Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 16. num. 2. Attamen dicendum eſt, in nullo ex his modis adeſſe culpam mortalem, dummodo non adſit periculum emittendi ſemen, per quod impediretur generatio, nam quando adeſt tale periculum, peccat tam petens, quam reddens, nec ualet aliqua excuſatio timoris, quia potiùs quis mortem tenetur ſubire, quam modum inordinatum ſeruare, in quo adeſt periculum effuſionis ſeminis, ita Sanchez loc. cit. num. 3. 5. & 8. Filiucc. loc. cit. nu. 228. 229. & ſeqq. Sed utrum finita copula per uirum, mulier, ſi non adhuc conſummauerit, poſſit motu corporis, uel tactibus ſe, tangendo polluere, & conſummare, tam partem affirmatiuam, quam negatiuam docet Filiu. ibidem probabilem eſſe, licèt abſolutè illam doceat Sanchez li. 9. diſp. 17. num. 12. ſed uerè dictam partem affirmatiuam non multum intelligo; & nullo modo illam perſuaderem, quia ſaltem, eſt aperire uiam ad peccandum. Certum tamen eſt, omnem uoluntariam emiſſionem ſeminis extra uas, eſſe peccatum mortale, ſecùs ſi aliquando accidat præter intentionẽ ex nimia caliditate, uel ex quacunq; alia cauſa, unde ſi uir deueniat in talem impotentiam, ut non poſſit ſeminare intra uas, ſit omninò ei illicitus actus matrimo-

trimo-

Digitized by Google

trimonij, erunt tantum liciti tactus, &c. Abſque tamen periculo pollutionis, Caietan. 2.2.q.154. art.1.ad.4. Sanchez diſp. 17. lib.9. num.22. Sot.d.34. q.vnic.art.2. Filiuc. n.332. & communiter omnes alij.

19. Et ſi coniuges modo Sodomitico vſi fuerint, ſciant grauiſſimum peccatum commiſiſſe, maius, quã ſi fuiſſet commiſſum inter ſolutos iuxta D. P. Auguſtin. de bono coniugali tom.6.c.11. & refertur in c. Adulterij. 32.q.7. idem docet Sot.4. d.31.q.vnic.art.4.verſ. Appendix autem, vnde vltra peccatum contra naturã, adeſſet adulterium ex parte vtriuſque coniugis, quia talis vſus eſt contra fidem matrimonij; qua tenentur coniuges caſtè ſuum corpus alteri ſeruare ad naturalẽ actum, vt obſeruat Caiet. 2.2. q.154. art.1. in ſolut.ad.4.§.ad ſingula, & idem eſt talis actus ac ſi cum alio coniuge geſtus eſſet; quod confirmatur ex doctrina D. Ambroſ. lib. de Patriarchis, & habetur in cap. Nemo ſibi 32.quæſt.4. his verbis, *Nec hoc ſolum eſt adulterium, cum aliena peccare coniuge, ſed omne, quod non habet poteſtatem coniugy*. Et ſi per vim vir reduxerit ad tale peccatum, aderit etiam malitia raptus, & totum hoc eſt exprimendum in confeſſione; ſcilicet, non ſufficit dicere, commiſi peccatum contra naturam, ſed neceſſe eſt adere cum mea vxore, &c. Sanchez lib.9.diſp.18.n.4.& 5. P. Ledeſm. de matr.q.49.art.6.dub.2.Filiu.loc.cit.&alij.

20. Sed vtrum poſſint coniuges, poſt inceptam copulam deſiſtere ab vſu matrimonij? Reſpondeo, ſecluſo periculo ſeminandi extra vas, nullam eſſe culpam mortalem, ſecùs ſi adeſſet tale periculum; Palud.4.d.31.q.3.art.2. n.15. Caiet.2.2.q. 154.art.11.& art.1.circa ſolut.ad 4.§. Ad ſecundum verò caſum. Sic etiam, omne impedimentum illatum, vt impediatur fœtus conceptio, eſt culpa mortalis, quocunque actu fiat, vt S. Thom.4.d.31.in fin. Caiet.in cit. art.1. & communiter omnes. Non autem erit mortale, ſi quis habeat copulam cum vxore tempore menſtrui, eo quod impediatur conceptio, vt aliqui volebant, tũ quia nõ certa eſt conceptio, tum quia tempore menſtrui difficilior eſt conceptio, præter alias rationes, quas ex pluribus Doctoribus affert Sanchez lib.9. diſp.21.n.5. Caiet. dicto art.1. in reſol. ad 4.verſ.ad 3.dicitur; P. de Ledeſma de matrim.q.64.art.1.dub.3.& alij. Nec ſimiliter erit culpa mortalis habere copulam cum coniuge grauida, vel poſt partum, aut tempore, quo mater ſobolem lactat, vt probat Sanchez in diſp. 22. & ſequitur Filiuc.tr.10.c.9.n.336.& 337.

21. Quid autem ſit dicendum de tempore amentiæ? Reſpondeo, ſi ambo coniuges fuerint amentes, ſeparandi erunt, quia concurrerent ad damnum prolis; ſi autem alter ſit ſanus, poterit eſſe licitus concubitus, dummodo non adſit periculum abortus, vel damni coniugis ſani; & dictus ſanus tenetur reddere coniugi inſano petenti, niſi adeſſet periculum fornicationis, vel ſeminis effuſionis, tunc enim teneretur, niſi aliquod malum timeret ob amentiam dicti coniugis; poterit tamen dictus coniux ſanus excitare ſuum coniugem inſanum ad copulam habendam, quando nullum adeſſet periculum abortus, vel ſeminis effuſionis, vt ſupra. Vide Sanchez diſp.23.& Filiuc.n.338.

22. Item cum detrimento propriæ, vel alterius coniugis ſalutis coniux non tenetur reddere, vt communiter omnes aſſerunt cum D. Tho.4.d.32.q.vnic.art.1. Vnde coniux febri laborans non tenetur reddere ob graue damnum, quod inde ſequi poſſet, vt Sot.4.d.32.q.vnic.art.1. ad 2. Et idem aſſerit, de quolibet alio morbo, vel dolore, quoad tempus, quo coniux vexaretur. Item neque tenetur coniux reddere poſt prandium, ſaltem ſæpè, quia per coitum poſt cibum, fit corruptio ciborũ, & cruditates in ſtomacho, ob quod grauiter lædi poteſt vir, niſi admodum validus fuerit, & Paludan.4.d.32.q.1.art. 2.n.8. refert didiciſſe à quodam medico, virum quemdam in phtiſim incidiſſe, eo quod ſolebat poſt prandium copulam habere. Item neque in baldeis, neque poſt coniux tenetur reddere, ob graue periculum morbi. D. Anton.3.p.tit.1.c.20.§.20. Nec tenetur coniux immoderatè, & ſæpiùs, quam par eſt reddere petenti, quia notabiliter vires extenuantur, Sanch.lib. 9.diſp.24.num.6.

Digitized by Google

23. Item neque coniux tenetur coniugi leproſo, vel alio morbo infecto, vt morbo Gallico,&c. Reddere tum ob periculum infectionis, tum etiam ob horrorem, quem morbus contagioſus afferre ſolet, imò neque coniux tenetur habitare cum tali coniuge, ſi adfuerit periculum infectionis; ceſſante poſteà periculo, coniux ad vtrumque tenebitur, quod optimè probat Sanch. loc. cit. à num. 15. citatæ diſputationis 24. quem ſequitur Filiuc. tr. 10. de matr. c. 9. n. 340. & ſeqq.

24. Et nota, nullam eſſe culpam non vti matrimonio, ne multiplicetur proles, dummodo fiat ex communi coniugum conſenſu. Sot. 4. d. 32. q. vnic. art. 1. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 6. Non tamen ob hanc cauſam præcisè coniux eximitur à redditione debiti, ſi alter coniux petat, eſſet enim mortalis culpa, vt benè ait Angelus verb. debitum nu. 15. Sylu. ibidem pun. 8. & alij communiter, quidquid in contrarium videatur docere Sot. Verum plures Doctores aſſerunt non eſſe mortalem culpam, quando coniux negaret debitum, ne proles multiplicetur, eo quod non ſint ipſi coniuges potentes alere tot filios ob paupertatem. Ita expreſsè tenet Sot. loc. citat. Rodriq. 1. tom. ſummæ cap. 243. num. 1. Petrus de Ledeſma de matrim. q. 64. art. 1. Sanchez lib. 9. diſp. 25. & alij, quam opinionem dico probabilem ob Doctores, qui illam ſequuntur; ſed re vera mihi non placet ſaltem ſic vniuerſaliter dicta, quia id eſſet aperire viam pluribus peccatis, cum vnuſquiſq; ſemper ſe reputet pauperē in gradu ſuo, & ob amorem filiorum, quo cupiunt, vt diuites remaneant, poſſet quiſq; matrimonio non vti, & debitum negare, quod nefas eſt, & poſſet id eſſe cauſa multarum diſcordiarum inter coniuges, & multorum peccatorum; & ideò abſolutè puto eſſe dicendū, coniugem non poſſe non reddere debitū coniugi petenti ob dictā cauſam paupertatis, quia non ſunt facienda mala, vt veniant alteri bonum, & maximè temporale; non enim videtur rationabile frangere fidem matrimonij, & ceſſare à tam ſtricto vinculo, & debito, ne filij pauperes remaneant; licet, dicti Doctores id concedant tantum, quando parentes non ſunt filios alendo, & ideò dixi dictam opinionē probabilem, quod benè quiſq; notare debet, & præcipuè Confeſſarij, ne id quod non debent, concedant.

25. Erit tamen culpa mortalis negare debitum coniugi habenti originem ex Iudæis, vel Saracenis ad finem, ne filij naſcantur cum tali macula. Ita Sot. 4. d. 32. q. vnic. art. 1. Erit tamen licitum debitum negare ad euitandum magnum detrimētum in bonis fortunæ, aut famæ, vel ad comparandam in illis magnā vtilitatem Sanchez lib. 9. diſp. 25. num. 5.

26 *Pollutio nunquam eſt licita nec pro vitæ conſeruatione: nec licet actibus impudicis expellere ſemen, etiam corruptū, licet autem medicamentis; pollutionem tamen fluentem non tenetur quis impedire.*

27 *Omnis actio libidinoſa in ſe mortalis, ſi fiat cum præviſione pollutionis, inducet aliā culpam mortalem ratione pollutionis, neceſſariò explicandam in confeſſione.*

28 *Pollutio præviſa ex actione neceſſaria, vel corpori, aut animæ conuenienti, poterit excuſari à mortali.*

29 *Exercens actionem ex ſe turpem, & excitantem actus venereos abſq; vlla neceſſitate, vel vtilitate, mortaliter peccat, niſi actio eſſet venialiter turpis, & non efficaciter cauſaret pollutionem.*

30 *Tactus, oſcula, &c. ſi fiant inter coniugatos cum periculo pollutionis, inducent culpam mortalem.*

31 *Tactus, oſcula, &c. ſi non fiant in partibus impudicis inter ſpōſos de futuro, poterūt excuſari à mortali, ſecus ſi fiant in partibus impudicis.*

32 *Sponſos de futuro, licitum eſt deſiderare futuram copulam, ſicut etiam licitum eſt viduæ reſpectu copulæ præteritæ; non tamen eſt licitum delectationem ſumere in parte ſenſitiua.*

26. Quæritur, quando actiones turpes inter coniuges inducant culpam mortalem ob periculum pollutionis. Sed eſt primò ſciendum, pollutionem nunquam, & in nullo caſu eſſe licitam, nec pro vitæ conſeruatione, & licet poſſit quis ſibi amputare quodlibet membrum ob ſalutem cor-

corporis, tamen id non licet in effuſione ſeminis etiam ſi actibus licitis fieri poſſet, vt pharmacis,&c.& ratio diſparitatis,quia membra omnia ſunt ad bonũ indiuidui, & pro illius conſeruatio, ſemen verò eſt tantum pro conſeruatione ſpeciei cõceſſum à natura, vnde,non niſi pro dicta ſpecie procreanda adhibendum eſt. Secundò ſuppono,licet ſit ſanum conſilium,vt coniuges ſimul in vſu matrimonij ſe expectent,& ſeminent,& caſu quo quis tardior eſſet, poſſet ſe ante concubitum tactibus excitare;vt Caiet.2.2.q.15.art.11.dub.5. Tamen id non eſſe omninò neceſſarium; quamuis ſemen mulieris tum ad faciliùs generandum, tum ad reddendum conceptum pulchriorem, & nobiliorem,multũ conferat; non tamen eſt omninò neceſſarium, vt docet Auicenna lib.9. de anima. lib.cap.1. Albertus Magnus lib. 5. de animalibus cap. vlt. & communiter omnes Theologi cum D.Thom.3.par.q.31.ar.4. ad 3. Et ex experientia habemus, aliquas fœminas inuitas,in balneis recepiſſe ſemẽ virile,& concepiſſe,vt refert Sanchez lib. 9.diſp.17.num.9. Tertiò ſuppono non eſſe licitum conari expellere ſemen corruptum, & mutatum in accidentia venenoſa, cum delectatione tamen venerea, vt fricationibus,&c. Et ratio eſt tum propter dictam delectationem veneream, quæ eſt ex ſui natura mala, & inducens culpam mortalem, tum ob periculum pollutionis; & licet Sanchez contrarium docuit in lib.9.de matr.diſp.17.num.19. tamen mutauit poſtea ſuam ſententiam in præcept. decalogi tom.2,lib.5.cap.6.num. 12. Vbi dictam noſtram ſententiam tenet, & hæc opinio magis placet Rebellio lib.3.par.2. q.19.ſect.3.& hanc tenet Dian. 3.par. tr.5. miſcell.reſol.85.licet dictus Sanchez, Filiuc.tom.2.tr.30.cap.8,num.150. quos ſequitur ipſe Diana, aſſerant id licere medicamentis, non autem confricationibus; Bonacina autem,& alij putant id eſſe licitum etiam fricationibus, & quamuis ſequeretur ex accidenti pollutio, ſeu emiſſio boni ſeminis, quorum opinionem refert Diana 2.par.tr.16. reſol. 56. Ex qua doctrina colligitur, illicitum omninò eſſe cooperari ad ſeminis iam è lumbis deciſi effuſionem,licet eius retentio eſſet nociua ſaluti corporis; quando autem pollutio eſt in naturali fluxu, tunc nõ tenetur quis illam impedire,ceſſante periculo delectationis,vt Sot.4.d.12.q.1.art. 7. verſ. vnde ad argumentum,Sanchez lib.9.diſput.17. nu.17.Diana 3.par.reſol.21. tract. 5. miſc. & alij,quibus notatis ad quæſitum reſpondeo, tactus turpes inter coniuges inducere culpam mortalem, quando fiunt cũ periculo pollutionis extra vſum matrimonij, ſecus autem ſi fiant abſq; dicto periculo, vt Sanchez loc.cit.num.21.

27. Sed vtrum dicti tactus, vel aliæ actiones libidinoſæ factæ cum præuiſione pollutionis, inducant culpam mortalem, & neceſſariò explicandam in confeſſione? Reſpondeo, omnem cauſam in genere luxuriæ volitam cum pollutionis præuiſione, ſeu vt clariùs loquar,omnẽ actionem libidinoſam factam cum culpa mortali, & præuiſione pollutionis, inducere aliam culpam mortalem neceſſariò explicandam in confeſſione; ſecus autem ſi fuerit actio venialiter tantum libidinoſa cum præuiſione pollutionis. Ita Diana 1. par.reſol.65. Vbi plures affert,& ſimiliter ibi docet pollutionem præuiſam,non autẽ volitam ex ebrietate,vel nimio cibo, non eſſe culpam mortalem, quia licet hæc ſit actio peccaminoſa, non eſt tamen in genere luxuriæ, nec ex ſe ad pollutionẽ ordinata; & idem docet Sanchez lib.9.diſp. 45.nu.17.Imò Diana refert etiam ex Sancio in ſacris ſelectis diſp.21.num.15.& diſput.23.num.29. Cogitationes turpes, & tactus cum præuiſione nocturnæ pollutionis non volitæ, non inducere aliam cullam mortalem, quam opinionem dictus Diana affirmare non audet, nec ego affirmo, quia qui eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati; vnde omninò prima opinio tenenda eſt. Et nota, gaudere de pollutione in ſomnis habita ob corporis ſanitatem,non eſſe mortale, imò neq; veniale, vt ex pluribus docet Diana 3.par.tr.5.reſol.21.

21. Ex quibus dictis colligitur, pollutionem ſequutam præter intentionem ex cauſa aliqua neceſſaria,vel conueniente corpori,vt eſt cibus,& potus,vel animæ, vt eſt, orare, vel audire confeſſiones, &c.

non

Digitized by Google

non afferre ſecum culpam mortalem; vt expreſsè docet S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 5. in corp. Caiet. opuſc. tom. 1. tr. 22. de pollut. ex audientia confeſsionum q. vnic. ar. 1. & 2. Nauar. cap. 16. num. 7. Sanchez lib. 9. diſp. 45. nu. 4. & alij communiter, quod intellige ſecluſo periculo delectationis, quod periculum quiſq; euitare tenetur, vt idem Caiet. in cit. art. 2. §. animaduerte tamen. Vnde ſecluſo hoc periculo, non tenetur quis pedeſter incedere, eo quod expertus ſit pollutionum pati in æquitatione, vt Vaſq. 1. 2. q. 74. ar. 8. diſp. 113. nu. 8. Vega 2. tom. ſum. cap. 67. caſu 1. Nec ſimiliter erit culpa mortalis, ſi pollutio ſequatur, licet fuerit præuiſa ex amplexu iuxta patriæ conſuetudinem, vel ex tactu, quem ſolent Chirurgi facere, vt Sanchez loc. cit. num. 8. Imò iuxta Diana 3. par. tr. 5. miſcell. reſol. 85. in fin. neque quis peccat mortaliter, eo quod mundet verenda à lanugine, ne pruritum, aut fœtorem patiatur, & idem docet Reginald. tom. 2. lib. 22. cap. 3. num. 40. Et addit Sanchez loc. cit. num. 9. nec eſſe culpam mortalem refricare verenda ad ſedandum nimiũ pruritum ſecluſo periculo conſenſus.

29. Sed maior difficultas eſt, vtrum actio facta abſq; neceſſitate, vel vtilitate, vt ſupra, cum præuiſione pollutionis, afferat culpam mortalem? Et relictis varijs opinionibus, dicendum eſt, tunc adeſſe culpam mortalem ratione pollutionis præuiſè, & non intentæ, quando exercetur actio ex ſui natura turpis, & excitãs actus venereos. Ita Caiet. ſum. ver. pollutio ad fin. vbi ait, qui vult illicitas, & periculoſas cauſas pollutionis propriæ, conuincitur velle culpabiliter ipſam pollutionem. Quando autem actio eſt in rebus venialibus, licet cum præuiſione pollutionis, vt leuis tactus manus, vel viſus pulchræ fœminæ, verba, vel lectiones aliquantulũ libidinoſæ, &c. non cauſabunt culpã mortalem, vt iam diximus num. 27. & docet etiam D. Anton. 2. par. tit. 6. cap. 5. §. quantum ad cauſam, Sanchez li. 9. diſp. 45. nu. 19. Et ratio eſt, quia cum dictæ cauſæ non ſint niſi veniales, non poſſunt niſi leuiter in pollutionem influere; deinde quia nimis durum eſſet præceptum euitandi omnes cauſas leues, quod etiam expreſsè docet Caiet. 2. 2. q. 64. art. 8. §. & confirmatur. Nam malitia pollutionis, ex malitia cauſæ metienda eſt, vt pluribus docet idem Sanchez loc. cit. in fin. quando autẽ dictæ cauſæ, vt cogitationes turpes, tactus, lectiones, verba, &c. vt ſup. notabiliter influerent in pollutionem, tunc non poſſent dici cauſæ leues, & veniales, ſed mortales, & tunc ſimiliter pollutio eſſet mortalis quia cenſetur volita, & in confeſſione eſt aperienda non ſolum cauſa, ſed etiam ipſa pollutio, vt docet Ledeſma 1. par. 4. q. 21. art. 7. dub. 1. §. ad argumenta, Sanchez nu. 30. & alij.

30. Vtrum autem dicti tactus, oſcula, delectationes moroſæ, aſpectus, verba turpia, &c. Afferant culpam mortalem, ſi fiãt inter coniugatos cum periculo pollutionis ſiuè in vno, ſiuè in alterutro coniuge? Et affirmatiuè communiter omnes reſpõdent, vt Caiet. ſumma verb. matrimonij cap. vlt. §. vlt. & verb. interrogationes cõfeſſorum, in interrogationibus circa 6. præceptum, Nauar. cap. 16. num. 42. Sotus 4. d. 31. q. vnic. art. 4. in fin. Angelus verb. debitum num. 26. & Syluest. ibi q. 7. & cõmuniter omnes alij; temperant tamẽ hanc communem doctrinam Sanchez lib. 9. diſpur. 45. num. 35. & Filiuc. tract. 10. cap. 9. num. 356. aſſerentes id eſſe verum, quando dicta non fiant ex vrgenti neceſſitate; vt ad fouendum amorem, vel ex eo, quod alter coniux petat, attamen non video dictas cauſas eſſe neq; vrgentes, neque eſſe ſoluendum præceptum diuinum, & naturale, quale eſt non effundendi ſemen, niſi ad generationem; ob dicta ſeruanda, vnde non puto eſſe recedendum à cõmuni doctrina, quam tradit etiam Graffius 1. par. deciſ. lib. 2. cap. 82. num. 21. & cap. 74. in fin. Imò in delectatione moroſa copulæ coniugalis, licet non adſit culpa mortalis, vt probat idem Sanchez diſp. 44. num. 51. & diſp. 45. nu. 40. tamen ſi aderit tale periculum pollutionis, vtiq; erit mortalis, & fatetur idem Sanchez dicto num. 40. ex D. Antonin. & alijs pluribus.

31. Sed dubium eſt, vtrum oſcula, amplexus, & tactus non impudici excuſẽt à culpa mortali ſi fiant inter coniuges

de

de futuro? Et affirmatiuè reſpondendum eſt, quia ſicut copula honeſtatur per matrimonium de præſenti; ſic honeſtantur dicta oſcula, & tactus per ſponſalia, quæ ſunt inchoatio quædam matrimonij, Filiuc.tr.10.cap.9.num.357.Sanchez lib. 9. diſp.46.num.48.Caiet.ſumma verb.ſponſalitia,& 2.2.q.154.art.4. §. in reſponſ. ad 2. & alij communiter; ſecus autem eſt dicendum, ſi tactus fuerint impudici, vt in partibus inhoneſtis; nam dicti actus ſunt eiuſdem ſpeciei cum copula, quæ non licet, niſi iam coniugatis, vt ijdē Doctores.

32. Eſt tamen licitum ſponſis de futuro, ſaltem abſq; culpa mortali, deſiderare futuram copulam, & de illa gaudere, ſicut etiā dici poteſt de vidua reſpectu copulæ præteritæ; ac etiam de qualib. fœmina in abſentia mariti; non tamen poſſunt captare delectationem veneream in appetitu ſenſitiuo, quamuis aliqui id etiam admittant, vt Caiet. Valentia, Medin. Tabbien. & alij, quos affert Sanchez lib. 9. diſput.47.num.3. Sed probabilius, puto eſſe dicendum, talem delectationem eſſe culpā mortalem, ſi voluntariè ſumatur in parte ſenſitiua, quia tale obiectum prout eſt abſens, fit illicitum pro tali delectatione ſumenda, quæ nullo modo ordinatur ad generationem, vt benè docet dictus Sāchez num.4. Filiuc.nu.360. Vaſq.1.2.q.74. art. 8.diſp.114.num.3.& ſeqq. Nauar. cap. 16. num. 9. Poſſet tamen excuſari à mortali, quando delectatio eſſet in parte ſenſitiua per modum tranſeuntis, vt aduertit d. Filiuc.

DE DIVORTIO

Quid, & quotuplex ſit Diuortium, quando liceat ob adulterium, an detur compenſatio, & de alijs ad Diuortium ſpectantibus.

Cap. CXV.

1 *Quid ſit Diuortium, et quomodo diſtinguatur à repudio, & certum eſt repudium fuiſſe permiſſum Iudæis, vt quid licitū tunc temporis, poſt autem aduentum Chriſti Domini, omnibus eſt illicitum.*

2 *Certum, & de fide eſt, Diuortium eſſe licitum ratione adulterij de iure naturæ.*

3 *Ob ſolam voluntatem adulterandi, non poteſt dari Diuortium, datur tamen per peccatum Sodomiæ, & per quodlib. aliud peccatum, in quo diuiditur caro, ſeu sāguis cum alijs.*

4 *In tribus caſibus non poteſt fieri Diuortiū, nempè in caſu compenſationis, condonationis, & immunitatis culpæ.*

5 *Si maritus dedit cauſam adulterandi non reddendo debitum vxori, vel recedendo ab illa, probabile eſt non poſſe petere Diuortium, nec ſimiliter ſi alimenta denegauerit, vel illam eiecerit.*

6 *Adulteriū cōmiſſū ex errore, quod pluribus modis fieri poteſt, nō erit licita cauſa diuortij.*

7 *Coniux innocens petendo, vel reddendo debitum coniugi adultero, cenſetur condonare adulterium præteritum tantum.*

8 *Poſt Diuortium coniuges poſſunt religionē ingredi, vel ad ſacros ordines aſcendere reſpectu viri.*

9 *Coniux innocens in duobus caſibus tenetur omninò diuortium facere, ſcilicet, ſi ordines ſacros ſuſceperit, vel ad euitandum ſcandalum, vt ſi alij iudicarent ipſum conſentire in adulterium.*

10 *Coniux innocens non tenetur debitū reddere adultero etiam ſi adulterium ſit ſecretum, & quamuis ei præciperetur ſub pœna excommunicationis præmiſsè; quia teneretur ratione ſcandali.*

11 *Secluſo ſcandalo, coniux non tenetur cohabitare cum coniuge adultero, nec expectare ſententiam iudicis.*

12 *Ad Diuortium faciendum, requiritur certa notitia, & non ſuſpicio adulterij.*

13 *Per copulam cenſetur condonatum adulterium, & ſimiliter per oſcula, vel alios actus*

actus matrimoniales.

14 *Hæreſis, & Apoſtaſia à fide eſt iuſta cauſa faciendi diuortium, nec tenetur coniux innocens ad illum redire, licet ſe emendauerit, dummodo adfuerit ſententia iudicis declarantis hæreſim.*

15 *Per copulam habitam cum Apoſtata à fide poſt ſententiam vt ſupra, non ex hoc cõiux innocens nõ poterit petere diuortiũ, dummodo non habuerit animum condonandi delictum per dictam copulam.*

16 *Coniux innocens non poteſt petere Diuortium, niſi poſtquam alter coniux fuerit condemnatus, vt apoſtata, poſtquam cõdemnationẽ, nõ tenetur amplius dictus innocens illum acceptare, licet ſe correxerit, vt ſupra.*

17 *Ob nullum aliud crimen eſt licitum diuortium, niſi in caſu, quo coniux vellet inducere ad peccandum alterum coniugẽ.*

18 *Ob ſæuitiam poterit coniux recedere à cõiuge ſæuiente, & poteſt etiam fieri diuortium.*

19 *Sub nomine ſæuitiæ venit oĩs timor damni notabilis, ac etiam graues rixæ, diſſentiones &c.*

20 *Sæuitia non ſolum viri, ſed ipſius parentum poteſt eſſe iuſta cauſa diuortij. Et vir poterit ab vxore diſcedere, vel illam dimittere, ſi venefica fuerit, & noluerit ſe corrigere.*

21 *Ob Diuortium perpetuum cauſa ſæuitiæ, poſſunt coniuges ad religionem ingredi, vel ordines ſacros ſuſcipere.*

22 *Facto Diuortio filij educandi ſunt apud cõiugem innocentem expenſis nocentis, &c.*

23 *Iudex ordinarius cauſarum matrimonialium inter fideles eſt tantum iudex Eccleſiaſticus, nec circa matrimonium fidelium Principes poſſunt ſe ingerere.*

1 DIuortiũ diuerſimodè vſurpatur apud Theologos, & apud Iuriſconſultos; nam apud Theologos diuortiũ dicit ſeparationem quoad torum, & cohabitationẽ tantum, apud Iuriſtas dicit etiã diſſolutionem vinculi matrimonialis, vt conſtat ex toto tit. ff. de diuortijs. Vnde in hoc vltimo ſenſu, diſtinguitur diuortium à repudio, quia diuortium poterat fieri cũ ſeparatione, & diſſolutione vinculi matrimonialis, at repudium fiebat tum inter iã coniugatos, tum inter ſponſos de præſenti non dum cognitos l. inter ſtuprum, & l. inter diuortiũ 191. ff. de verb. ſignif. quod diuortium, vel repudium iam de fide eſt ceſſaſſe in lege Euangelica, vt conſtat ex verbis Chriſti Domini Matth. 19. *Dico autem vobis, quia quicunq; dimiſerit vxorẽ ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur, & qui dimiſſam duxerit mœchatur.* Et Matth. 5. *Ego autẽ dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Vtrum autem fuit dictum repudium, vel diuortium permiſſum Iudæis tanquam licitum, vel tanquam minus malum; non concordant Doctores; certum tamen eſt, eis licuiſſe, & potuiſſe id agere abſq; vlla culpa, quod videtur ſufficere, vt quis licitè poſſit dicere id hebræis fuiſſe permiſſum tanquam licitum; & hoc maximè quia in Deut. 24. verba legis non ſignificant conceſſionem minoris mali, ſed rei licitæ, his verbis. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de manu ſua.* Et Malach. 2. *Cũ odio habueris, dimitte dicit Dominus Deus Iſrael.* Ex quibus verbis videtur dicendum fuiſſe permiſſum à Deo dictum repudium vt quid licitum tunc tẽporis, licet poſtea adueniente tempore gratiæ, & perfectionis Euangelicæ, fuerit prohibitũ, vt põderat Gloſſ. interlin. ad cit. ver. Matth. 5. vbi ſic ait. *Doctrina Chriſti cõcordat legi naturali, quia iã eſt tẽpus perfectionis.* Et quod fuerit permiſſum repudium Iudæis, vt quid licitum docet D. Chryſ. homil. 34. in Matth. Albert. Magnus 4. d. 33. art. 25. & id ſupponit D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. ad 3. Durand. 4. d. 33. q. 3. art. 1. n. 7. Palud. q. 1. art. 2. n. 28. & quamplures alij, quos ſequitur Sanch. lib. 10. diſp. 1. nu. 7. Alij dicunt id fuiſſe permiſſum tanquã minus malum, vt Sot. 4. p. 33. q. 2. art. 2. D. Bonau. ibi art. 3. q. 1. & alij plures; Certum tamen eſt, dictam permiſſionem nunquam fuiſſe factam Gentilibus, ſed tan-

tum

Digitized by Google

tum Hebræis, & idoneum quam potuerunt, nec poſſunt dare libellum repudij: & poſt legem Euangelicam, id non poteſt fieri neque ab Hebræis cum iam ſit abrogata lex antiqua,&repudium ſit cõtra ius naturæ: & mortaliter peccarent id agendo, quia licet infideles non comprehendantur ſub pręceptis diuinis, cõprehẽdũtur tamẽ ſub præceptis naturalibus, & diuinis,vt eſt hoc non repudiandi vxorẽ, vt docet Abulenſ.in cap.19.Matth.q.63.Vnde cogendi eſsent infideles conuerſi ad fidem, vt iterum acciperent vxorem antea per ipſos repudiatas, quia illæ ſunt veræ vxores, nec dum illæ viuunt,poſſũt cum alijs contrahere, vt Sot.4. d.33.q.3. Abulenſ.loc.cit.& alij communiter, vt in principio etiam probauimus. Poſt igitur Euangelium eſt omninò apud omnes indiſſolubile matrimonium, & eſt de fide Catholica, vt ex pluribus Concilijs conſtat, & vltimò ex Concilio Tridentino, ſeſs.24.de matrim.canon.10.

2. Loquendũ eſt igitur tantummodo de diuortio primo modo vſurpato,ſcilic. quatenus ſignificat ſeparationem tori, & habitationis tantum: & de tali diuortio quæritur, vtrum licitum ſit ratione adulterij alterius coniugis? Et affirmatiuè reſpondendum eſt, cum ſit res certa,& de fide, vt patet ex verbis Chriſti num. anteced. allatis, & ex cap. gaudemus,cap. ex litteris, & ex cap.ſignificaſti de diuort. & quamuis Caſtro lib.2. de lege penali c. 4.in fin.aſserat, id eſse de iure diuino poſitiuo: Tamen veriùs eſt dicendum,id eſſe de iure naturæ, ſcilicet ex natura matrim.vt docet Sot.4. d.36.q.vnic.ar.1.cõcl.vnic.Henriq.l.11.de matr.c.17.n.1.&6. P.de Ledeſm. de matr. q.62.art.1. Filiuc. tr.10.c.10.n.365.Sanch.li.11. diſp.3.n.4. Baſil.Pont. de matr.li.9.c.16.n.4.& plures alij apud hos Doctores; Ex qua doctrina colligitur, diuortium eſſe licitum etiam infidelibus ob adulterium, & benè poſſe celebrari ob adulterium cõmiſſum tempore infidelitatis; & ſicut id poteſt vir reſpectu vxoris adulterantis,ſic poteſt vxor reſpectu viri adulterantis, cum in hoc pares ſint,quidquid in hoc aſſerat Caiet. cuius ſententiam temerariam vocant Sanc. loc.cit.n.6.& Filiuc.eodem loc. Et verè eſt contra omnes Doctores, vt benè dictus Sanchez probat ex Concilijs,Patribus, & Doctoribus,quod etiam docet Bonacc.de matrim.q.4.n.2.& Pontius n.3.dum indifferenter loquitur, & probat ex pluribus Concilijs, & Pontificibus; licitum eſſe diuortium ob alterius coniugis adulteriũ. Et quamuis accuſandi ius de adulterio & quoad pœnam criminalẽ, & ciuilẽ, duret per quinquennium l. Adult. S. C. ad legem Iuliam de adult.l.4.tit.17.par.7.tamen quoad diuortium non eſt pręſcriptũ, nec præſcribi poteſt tempus,vt conſtat ex cap.admonere 33.q.2. Vbi poſt ſeptenniũ conceditur viro facultas faciendi diuortium; nec valet præſcriptio viginti annorum, vt docet Gloſſ.in d.cap.admonere,& ſequitur,Palud.4.d.35.q.1.art. 5. nu. 33. Farinac.pract.crimin.1.par.q.10.num.20. Sanchez loc.cit.nu.9.Filiuc. tract. 10. ca. 10.nu.365.in fin.& alij.

3. Sed vtrum diuortium poſſit dari ob ſolam voluntatem fornicandi; vel ob peccatum ſodomiæ cum viro,vel alia fœmina,aut propria vxore, aut per peccatũ cum beſtijs, vel fœminæ cum fœmina,vel ob peccatũ mollitiei proprio, vel alieno adiutorio? Et quidã Doctores putant ob hæc omnia,& alia crimina luxuriæ, minimè poſſe dari diuortium, & ratio eſt, quia Chriſtus Dominus in verbis Matth. citatis in num.1. tantum permiſit diuortiũ ob adulterium, & non ob alia peccata luxuriæ, & cum ſimus in lege pœnali, mitior interpretatio ſumenda eſt. Ita tenẽt Abulenſ.in cap.5.Matth. q. 233. Palacios, Innocentius, Cardinalis, & alij, quos affert Sanchez lib.10.diſp.4.num.2.& hanc opinionem veram eſſe ait Baſilius Põtius lib. 9.cap.16. num. 5. licet nullum Doctorem pro ſe citet, imò aſſerit in praxi ſequendã eſſe contrariam opinionem, eo quod communis ſit inter Doctores,ſed verè dictam opinionem probabilẽ iudico, quod etiam tenet Filiuc.loc.cit.nu. 367. §. Porro hæc. Quia ſi per omne peccatum contra fidem matrimonij perpetratum eſſet licitum diuortium, puto paucos homines poſſe viuere cum vxoribus. Attamen in praxi nullus debet à contraria,& commu-

niore opinione diſcedere. Vnde ad quæſitum reſpondeo, in primis ob ſolam volũtatem fornicandi, vel committẽdi quodlibet peccatum luxuriæ, nõ poſſe dari diuortium, ita communiter omnes. Secundò dico, diuortium dari poſſe per omnes ſpecies luxuriæ, per quas cõiuges diuidũt carnem ſuam cum alijs ſiuè cum maſculis, ſiuè fœminis, ſiuè beſtijs, quod intellige quando aderit copula perfecta, ſcilicet cũ emiſſione ſeminis intra vas alienũ quodcunque ſit, & ratio eſt, quia tali modo fit carnis diuiſio, ob quod licitum eſt diuortium; quod etiam eſt verum, etiam ſi fœmina cõcubat cum alia fœmina, dummodo ſe corrumpant, & ſemen vnius intret in vas alterius ſiuè per inſtrumentum, ſiuè quocunq; alio modo. Per illas verò ſpecies luxuriæ, per quas coniux non diuidit carnem ſuam cum alijs, non poteſt dari diuortium, vt eſt peccatum mollitiei ſiuè proprio, ſiuè alieno adiutorio factum; & multo minus per tactus, oſcula, &c. nec ſi abſq; adminiculo viri ſemen intraret in vaſe, vt poſſet occurrere in balneis, nec ſi quis habeat copulã cum fœmina, vel viro, aut beſtia mortua; & tandem neque ſi quis habeat copulam ſodomiticam cum propria vxore; licet inuita; quia non eſt diuiſio carnis cum altera; ſed an diſcedere poſſit vxor, ſi maritus admonitus non reſipuerit, dicam infra, Sanchez loc. citat. à nu. 3. & ſeqq. Filiuc. loc. cit. Baſilius Pontius ibidem, Bonac. de matr. q. 4. punct. 5. num. 3. 4. & ſeqq. & alij communiter.

4. In tribus autem caſibus non eſt licitum diuortium ob adulterium, ſcilicet in caſu compenſationis, condonationis, & immunitatis culpæ; vnde, ſi vterque coniux adulterium commiſerint, non poterit dari diuortium, vt habetur in cap. ſignificaſti de diuortijs; nec quando vir vxorem proſtituit, vel cõſenſum præbuit ad adulterium per ipſam commiſſum, tunc enim nulli fit iniuria, ex generali regula, volenti, & conſentienti, nulli fit iniuria; & idem eſt dicendum, ſi maritus adulterij cõſcius, illud non prohibeat, cum poſſit, imò tanquam leno punitur l. 2. Cod. ad legem Iuliam de adulter. & ex communi id probãt Sanchez lib. 10. diſp. 5. num. 4. & 5. Filiuc. tr. 10. ca. 10. num. 371. Bonac. de matrim. q. 3. punct. 5. nu. 14. Poterit autem fieri diuortium quando vir fuit cauſa indirecta adulterij vxoris, vt ſi illam ex furore expellat, vel debita alimenta ei nõ præbeat, vt habetur in cap. ſignificaſti de diuortio, quod intellige, niſi maritus ad hunc finem vxorem expelleret, vel alimenta ei denegaret, nempè, vt incidat in adulterium, neq; erit licitum diuortium, ſi materialiter tantum coniux committat adulteriũ, vt ſi coniux ex errore, vel deceptione ei facta, alium, vel aliam reſpectiuè cognoſcat, vel quia putabat alterum coniugem mortuum, neq; ſi vxor fuerit cognita per vim cadentem in conſtantem virum, ſeu per violentiam ex cap. ita, & cap. propoſito 32. q. 5. imò multi Doctores, & probabiliter quidem docent, nec poſſe dari diuortium, & excuſari mulierem à pœna amiſſionis dotis, ſi vi cadente in fœminam conſtantem oppreſſa fuerit, vel ſi metu oppreſſa ob verecundiam, & timorem infamiæ, non clamauerit, vt Syluest. verb. adulterium q. vlt. ita videtur tenere Bonac. loc. cit. §. quartus caſus eſt, Henriquez lib. 11. cap. 17. num. 3. & 5. Et hoc probabile iudicat Sanchez, quamuis contrarium probabilius putet loc. cit. num. 16. quem ſequitur Filiuc. num. 373. §. ſecundus; idẽ docet Baſilius Pontius de matr. lib. 9. cap. 17. num. 8. Et ratio eſt, quia per talem metum nõ liberatur à culpa, igitur nec à pœna; ſed hæc ratio non videtur omninò cõuincere, cum vrgentior cauſa requiratur ad tantam pœnam; & ideò contrariũ, ſcilicet cum prima opinione ſentit etiam Reginal. lib. 31. num. 323. Graff. 2. par. deciſ. lib. 1. cap. 12. num. 72. caſu 2. Abbas vol. 1. conſil. 4. nu. 3. & alij, & vera vtraq; opinio probabilis eſt, & magnos patronos habet.

5. Nec ſecundũ aliquos, poterit dari diuortiũ, ſi vir dederit cauſam adulterij, negando debitum coniugale. Ita tenet D. Thom. 1. ad Corinth. 7. lect. 4. teſte Sanchez lib. 10. diſp. 5. nu. 7. Idem docet Angelus verb. debitum num. 7. in fin. Bartholom à Ledeſma de matr. dub. 65. ad fin. §. alij addunt; imò Gulielmus Borrilongus 4. d. 35. q. vnic. art. 2. propoſ. 8. Negat etiã

di-

Digitized by Google

diuortium nolenti habitare cum vxore,ſi ob id ipſa fornicetur, & id videtur tenere Emanuel Sà verbo diuortium num. 10. dum ibi ait, non poteſt dimittere, qui dedit adulterandi occaſionẽ; & idem antea dixerat verb. debitum coniugale num. 8. hanc doctrinam negat Sanchez loc.cit.& alij Doctores citati num.antec.quibus adde Pontium lib.9.de matr.cap.17. num.6. Et verè videtur id eſſe contrarium doctrinę dicto num.anteced.à nobis traditę; ad illa verba, poterit autem fieri,&c. Attamen ob authoritatem Diui Thomæ etiã præſens doctrina probabilis, & tuta iudicanda eſt, & idem ſumitur ex alia doctrina eiuſdem ſancti in 4.d.39.in fin.vbi ait, non poſſe infidelem conuerſum ad fidem petere diuortium coniugis infidelis, quæ commiſit adulteriũ, eo quod ab ipſo fuerit expulſa,quamuis vellet habitare abſq; offenſa Dei;quod etiam docet Vega tom. 1.ſummæ cap.13.caſu 12.& alij;omninò tamen id etiam negat Sanchez num. 8. Sed ex dicta doctrina Diui Thomæ,& aliorum colligitur etiam, vxorem ob ſæuitiam fugiẽtem, & poſt talẽ fugam committentem adulterium, non poſſe maritum eã accuſare, nec ab illa diuortiũ petere, quia ipſe vir fuit cauſa dicti adulterij; ita Couar.4. decret.2.par.cap.7.§.5.num.2. vbi plures refert, Tiraquell. l. 1. concubinali par. 1. gloſ.2.nu. 24. Io: Lupus rubric. de donat. inter virum,& vxor.§.20. num. 4. & 5. & §.64.num. 3. & in cap. per veſtras eod.tit. notab. 3. ad fin. & alij, licet contrarium doceat etiam dictus Sanchez li.10.diſp.5. num.10.cuius opinionem, quamuis ſupra num. 4. ſequuti ſumus cum alijs Doctoribus ibi citatis, tamen has opiniones etiã retuli tanquam probabiles, vnde ſiuè directè,ſiuè indirectè maritus ſit cauſa adulterij vxoris,non poterit petere adulteriũ, iuxta has opiniones,& idem dicas,ſi maritus negauerit alimenta vxoris, vel illam eiecerit.

6. Ratione immunitatis culpæ, nec ſimiliter poteſt dari diuortium, vt v. g. ſi coniux probabiliter credens coniugem mortuum, alteri nubat ex cap. cũ per bellicum 33.q.2. Quod intellige, niſi poſtquã certificatus fuerit de vita coniugis, copulam habeat, vel ſi cum dubio antea illam petierit,& obtinuerit,tũc enim,ſicut adeſſet culpa, adeſſet etiam, & pœna. Item ſi vxor fuiſſet violenter cognita, vt declarauimus num. 4. circa fin. Item ſi alter fraudulenter copularetur cum coniuge, nam tali coniugi non poſſet dari diuortiũ, vel ſi ex errore cum alio,vel alia copulam habuiſset,vt ſimiliter diximus in cit.num. 4. Item ſi poſt libellum repudij apud infideles, coniux repudiatus cum alio contraheret, ex cap.gaudemus de diuort.Filiuc. tract. 10.cap. 10.de matr.num.373. ex Sãchez lib.9.diſp. 5. qui fusè dictam doctrinam tradit ex pluribus Doctoribus.

7. Eſt etiam notandum circa condonationem, quod licet per illam coniux amittat ius petendi diuortium, ſi tacitè, vel expreſsè ab altero coniuge adultero ſcienter debitum reddat, vel ab eo exigat, tamen, ſi poſtea iterum idem coniux in adulterium dilabatur, poterit diuortiũ petere,quia reuiuiſcit ius amiſſum,vt docet Sanchez loc.cit.num.19.Bonac.de matrim.q.4.punct.5.num.14.§.ſextus eſt,Reginald.lib.11.num.33. & 332. Filiuc.ibid. num.382. & alij communiter. Deinde ſi ambo coniuges in adulterium lapſi fuerint,& alter ſe iam emendauerit, an poſſit petere diuortium ab altero, qui ſe non emendauit? Et affirmatiuè eſt reſpondendum,facta priùs monitione, vt Reginald.n.321.Sanch.lib.10.diſp.7.nu.4. Bonac.n.15.Filiuc.loc.cit.&alij.Nota etiam, poſt factum diuortium, poſse coniugem innocentem compellere coniugem adulterum ad ſe reuertendũ, quia diuortium fit in fauorem innocẽtis, vt Filiuc.n.381. Sanch.diſp.10.n.3. Bonac.nu.16. & communiter alij,vide etiam Azor.1.p.lib.13. c.14. q.13. Et ſi poſtea coniux innocens incidat etiam in adulterium, poterit coniux reiectus compenſationem petere à iudice, & adulterio probato poteſt, & debet iudex dictos coniuges vnire. Sanchez diſp.6.num.9.Filiuc.n.375.Bonac.nu.20. & alij. Item neque poteſt coniux ob occultum adulterium ab ipſo commiſsum petere diuortium ob adulteriũ publicum alterius coniugis, quia in foro conſcientiæ iniuria eſt compenſata, & in crimina-

Digitized by Google

libus benè datur compenſatio criminum, vt benè docet Põtius de matr.li.9.c.17.n. 5. Poteſt tamen cõiux, qui occultũ cõmiſit adulterium, petere debitum, cum ſimus in pœnalibus, in quibus requiritur ſententia judicis, vel ſaltem in hoc caſu eſſet neceſſaria ſcientia in altero coniuge dicti adulterij, & nolente habere commercium, ſecùs ſi contrarium cognoſceret adulter in coniuge innocente. Sanch.lib.10. diſp.6. n.9. quidquid in hoc dicat Rebell. lib.2.q. 17.n.3. Idem nobiſcum docet Bonac. loc. cit.n.20. Et alij Doctores citati.

8. Sed dubium eſt, vtrum poſt factum diuortium coniux innocens poſſit ordines ſacros ſuſcipere, vel profeſſionem, aut votum caſtitatis emittere? Et reſpondeo affirmatiuè; ſed cauſa dicti diuortij debet conſtare, ne coniux nocens dicat nullam eſſe profeſſionem, & compellatur redire ad vxorem, coniux autem nocens id non poteſt agere, quia eſt ad arbitrium coniugis innocentis illum reuocare, poterit tamen id agere poſtquam coniux innocens dictos ordines ſuſceperit, vel profeſſionẽ emiſerit; aut de licentia coniugis innocẽtis tacita, vel expreſſa, vt ſi poſt diuortium coniux nocens petat ſæpiùs à coniuge innocente remiſſionem criminis, & concedere noluerit, poterit ordines ſacros ſuſcipere, vel profeſſionẽ, aut votum caſtitatis emittere ex tacita voluntate ſponſi innocentis, nec poterit poſtea coniux innocens ampliùs nocentẽ reuocare, dummodo tamen id ſciat, & ſufferat, dum liberè poſſet impedire; Et nota, nec poſſe coniugem nocentem alterum ſtatum aſſumere ſcilicet, religionis, vel ordinis ſacri, ex eo, quod coniux innocens emiſerit tantum votum ſimplex caſtitatis, vel religionis. Filiuc.tr.10.c.10.n.382.& 383. Sanch. fusè lib.10.diſp.10.à n.10.& ſeqq. & per totam diſp.11. Bonacc.de matr.q.4.pun.5.nu.23. & alij.

9. Secundum dubium eſt, an ſemper teneatur, & poſſit coniux innocens dimittere vxorem ob adulterium? Et certũ, eſt quod nõ teneatur, imò licitè poterit cum eo habitare, vt expreſsè habetur in Conc. Nannetenſi c.12.& patet ex pluribus capitibus iuris Canonici teſte Baſilio Pontio de matr.lib.9.c.17.n.9. In duobus autem caſibus tenetur dimittere, Primò, ſi noluerit promoueri ad ordines ſacros. Secundò, ſi adfuerit ſcandalum, nempè, vt ſcientes adulterium dicti coniugis, putent etiã tali adulterio fauere, & conſentire coniugem innocentem; nemo enim poteſt ſe participem oſtendere criminis alteriùs. Vnde lib.6. conſtit.c.14. Clemens Romanus ſic loquitur. *Similiter, qui retinet eã, quæ legem naturæ violauit, legis violator eſt, S.R.E. qui adulteram retinet, ſtultus, & impius. Abſcinde eam à carnibus tuis, quia non eſt auxiliatrix, ſed inſidiatrix, quæ mentem ad alium declinauit.* Quam doctrinam tradit Magiſt. ſent.4.d.35.c.2.& ibi D. Tho. Bonau. Palud. & alij, quos ſequitur Pontius loc. cit. n.3. Sed nota, coniugem non poſſe dimittere ſuum coniugem adulterum, quando probabiliter tenet ſe incidere in incontinentiam, & nocentem fieri, tunc enim tenetur quis potiùs ſaluti ſuæ, quam alienæ proſpicere; vt Paludan.4.d.33.q.2.art.3. concluſ.4.& Pontius ibi num.4. idem etiã docet Sanch.lib.10.diſp.13.n.6.7.8.& 10.

10. Deinde quæritur, quid teneatur agere coniux innocẽs, ſi diuertere voluerit, vel coniugem adulterum dimittere? Ad quod quæſitum, duo, vel tria ſunt examinanda. Primum, an poſſit coniux innocens debitum negare coniugi adultero. Secundum, an poſſit non cohabitare, vel propria authoritate dimittere. Tertium, quæ ſcientia requiratur, ſeu notitia delicti, vt diuortium rectè celebrari poſſit; Et quoad primum, dicendum eſt, coniugem innocentem poſſe licitè negare debitum coniugi adultero, quamuis adulterium non ſit publicũ, nec adſit ſententia iudicis Eccleſiaſtici, ita plures Iuriſconſulti, & Canoniſtæ, & ex Theol.D. Thom.4.d.35. q. vnic.art.3.& ibi Bonau. art.vnic.q.3. Durand.q.1.art.2.n.7. Sot.4. d.36.q.vnic.art.3.concluſ.1.& communiter omnes alij, quos ſequitur Sanch.lib.10. diſp.12.n.5.& Filiuc.tract.10.c.10. n.385. Sed quid ſi Eccleſia præcipiat, vt debitum reddat dictus coniux innocens, quod benè poteſt facere iudex Eccleſiaſticus ad inſtantiam partis, eo quod adulterium nõ ſit publicum; ad quod reſpondet D.Tho. Bona-

Digitized by Google

Bonauent. Durand, & alij plures, innocentem teneri obedire, ſi adulterium probare non poterit. Alij tamen, licèt conſultiùs eſſe aſſerant obedire, tamen abſolutè docent, dictum coniugem innocentem nõ teneri, quia præceptum, vel etiam excommunicatio Eccleſiæ nititur falſę præſumptioni, in quo caſu minimè poteſt obligare in foro conſcientiæ, ita Palud. 4. d, 27. q. 4. art. 2. n. 11, & d. 35. q. 2. art. 2, n. 18. Sot. d. 36. q. vnic. art. 3. P. de Ledeſm. de matr. q. 62. art. 3. notab. 2. Abulenſ. c. 19. Mat. q. 72. in ſolut. ad 4. Quam opinionem licèt veram iudicem, tamen tenetur obedire dictus coniux innocens ratione ſcandali, & maximè ſi permaneret in excommunicatione per annum, quia tunc tanquam ſuſpectus de hæreſi haberetur ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de refor. in fin. verum ſi poſſet fugere ad loca remota vbi ſcandalũ omninò ceſſaret, nec teneretur reddere, vt Sanch. loc. cit. n. 6. & Filiuc. ibid.

11. Quoad ſecundum, an poſſit coniux innocens cum nocente non contrahere, & propria authoritate diuortium facere? Et reſpondendum eſt affirmatiuè in foro cõſcientiæ, & ſecluſo ſcandalo, quod apertè colligitur ex cap. Dixit Dominus, 32. q. 1. quod eſt D. Hieron. in c. 19. Matt. vbi ſic habetur, *Vbi fornicatio eſt, vel fornicationis ſuſpicio, liberè dimittitur vxor.* Ita cõmuniter omnes, vt probant Sanchez lib. 10. diſp. 12. num. 31. Filiuc. tract. 10. ca. 10. num. 386. Baſilius Pontius lib. 9. cap. 17. num. 2. Bellarm. lib. 1. de matr. cap. 14. & alij. Si autem adulterium publicum ſit, ita vt nullo modo celari poſſit; tunc etiam poterit coniux innocens diuortium facere nulla expectata Eccleſiæ ſententia, vt idem Sanchez nu. 25. & alij loc. cit. Verum ſi coniux innocens ob adulterium ſecretum, ex ſe diuortium facit, non permitteretur ab Eccleſia, & licitè poſſet Iudex Eccleſiaſticus illum compellere ad cohabitandum, reddendum, &c. vt idem Sanchez num. 14. Baſilius Pontius, & Filiucc. locis citatis, apud quos plura notãtur pertinentia tamen ad iudicium externum.

12. Quoad tertium quænam notitia requiratur, vt coniux innocẽs in foro cõſcientiæ poſſit diuortium facere? Reſpondeo requiri certitudinem moralem, qualis eſt ea, quæ habetur per ea, quæ ſi probarentur in iudicio externo, conuinceretur coniux de adulterio, non autẽ ſufficit qualib. ſuſpicio, ſed neceſſaria eſt ſuſpicio violẽta, quia hæc ſufficit ad cõdemnãdum ex cap. afferte, & cap. litteris de præſumpt. ita Sanchez num. 4. ex D. Thom. 4. d. 35. q. vnic. ar. 3. ad 4. Sot. 4. d. 38. q. vnic. ar. 3. verſ. circa ſingulas, Fil. loc. cit. n. 388. & alij communiter, vide plura apud Sanchez maximè pro foro externo.

13. Quæritur ſecundò, vtrũ per copulam, oſcula, & alios actus coniugales, ac per cohabitationem in propria domo, cenſeatur condonatum adulterium, ita vt deinceps ob dictum adulterium nõ liceat amplius diuortium petere? Reſpondeo affirmatiuè, vt fusè docet Sanchez lib. 10. diſp. 14. num. 6. 17. & 18. vbi plura notat potiùs ad forum externum, quam internũ ſpectãtia; & eandem doctrinam dicti Doctores tradit Filiuc. tract. 10. cap. 10. à nu. 391. & ſeqq.

14. Quæritur tertiò, vtrum hæreſis, vel Apoſtaſia à fide ſit cauſa faciendi diuortium? Et affirmatiuè reſpondendum eſt ex iure naturali, diuino, & humano, ſcilicet Eccleſiaſtico, ex cap. final. de cõuerſ. coniugat. cap. 2. cap. quanto de diuortijs, patet ex Apoſt. ad Titum 3. *Hæreticum hominem poſt vnam, vel alteram monitionem deuita;* & ita communiter omnes docent. Dubium tamen eſt, vtrum, ſi dictus Apoſtata, vel hæreticus corrigatur, & reconcilietur, teneatur coniux fidelis illum redeuntem recipere? Et reſpondendum eſt affirmatiuè, niſi dictus hæreticus fuerit per ſententiam Eccleſię declaratus talis; nam poſt dictam ſententiam, coniux fidelis poterit illũ acceptare, & non acceptare prout voluerit; vt deciſum eſt in cap. fin. de conuerſione coniugatorum, his verbis. *Mulier, quæ in fide remanſit, poteſt nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Eccleſiæ ſeparata, ad religionem liberè conuolare.* Et apertius id habetur in cap. de illa 6. de diuor. vbi ſic habetur, *De illa, quæ à viro ſuo labente in hæreſim, ipſius conſortium ſinè iudicio Eccleſiæ declinauit, videtur nobis, quod mulier ei, cum*

Digitized by Google

reuerſus fuerit eſt reddenda, quæ, & ſi reuerti noluerit, compellatur. Si verò iudicio Eccleſiæ ab eo receſſit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam. Ita Baſilius Pontius de matrim. lib. 9. cap. 17. num. 1, 2. & 3. Sãchez lib. 10. diſp. 15. per totam, Filiuc. tr. 10. cap. 10. num. 397. & 398. & alij.

15. Sed vtrum per ſpõtaneam copulam habitam cum tali hæretico poſt Eccleſiæ ſententiam; intelligatur condonatum delictum, ita vt nõ poſſit amplius cõjux fidelis ob tale delictum diuortium petere? Et negatiuè reſpondet Sanchez loc. cit. num. 26. Quando tamen coniux dictũ copulam habuit, vel quia putabat ad illã teneri, vel ſi nullum determinatum animũ habuit condonandi, vel non condonandi, & licet contrarium ſupra docuimus, & docet ipſemet Sanchez, quando agitur de condonatione ratione adulterij, quod iudicatur condonatum per copulam, ſiuè fuerit facta tali animo, vel non, dummodo voluntaria fuerit; attamen in hoc crimine requiritur expreſſus animus condonãdi, alioquin ſemper coniux innocens poterit diuortium petere. Ita etiam docet Filiuc. loc. cit. num. 398. §. de ipſo, contrarium tamen docet Pontius, & ſiuè ratione adulterij, ſiuè ratione hæreſis, vult, vt per copulam cenſeatur condonatum delictũ; ſed magis placet opinio Sanch. ratione fidei, & periculi apoſtaſiæ. Si autem copula fuiſſet habita ante ſententiam, tunc adueniente ſententia non cenſeretur condonatum delictum, niſi coniux habuiſſet intentionem condonandi dictum delictũ etiam poſt ſententiam; & ratio eſt, quia per tale delictum ante ſententiam non adhuc coniux innocens habebat ius faciendi perpetuum diuortium, & ideò non cenſetur condonatũ delictum, niſi vt dixi, dictus coniux innocens habuiſſet intentionem condonandi etiam poſt ſententiam, & in hoc conſentiunt tam Baſilius Pontius, quam Sanchez, & Filiuccius locis citatis.

16. Dubium tamen eſt, vtrum poſſit dari compenſatio, ſi alter coniugum commiterit adulterium carnale, & alter adulterium ſpirituale recedendo ab Eccleſia Catholica? Et reſpondendum eſt, coniugem Catholicum non habere ius faciendi diuortium perpetuum à coniuge Apoſtata, niſi poſtquam iudex Eccleſiæ declarauerit dictum coniugem apoſtatam, & hæreticum vt ſupra diximus, vnde, ſi coniux Catholicus inciderit in adulterium; benè coniux Apoſtata poterit ante dictam ſententiam, diuortium petere, quod non poteſt agere Catholicus, ſi Apoſtata ſe corrrexerit vt diximus n. 14. Et ſic ex hac parte nulla videtur poſſe dari compenſatio. Si autem dictus coniux Catholicus incidat in Adulterium poſt dictam ſentẽtiam coniugis Apoſtatæ, tunc aliqui dicunt poſſe dari compenſationẽ, dummodo Apoſtata corrigere ſe voluerit, alioquin non poſſet audiri. Attamen probabilius eſt dicendum, nec Catholicũ Adulterum teneri recipere dictum coniugem hæreticum reconciliatum, & è contra neque dictum hæreticum reconciliatum recipere coniugem Catholicum, & ſic neq; in hac parte datur cõpẽſatio: ita docet Baſilius Pontius lib. 9. de matr. c. 17. n. 6. Sanchez lib. 10. diſp. 16. per totam, & Filiucc. tr. 10. c. 10. n. 399. & alij apud ipſos.

17. Vtrum autem adſit aliud crimen præter dictum adulterium carnale, & ſpirituale, per quod licitum ſit fieri diuortiũ? Et reſpondeo, ob nullum crimen quodcunque ſit, licitum eſt diuortium fieri, niſi in caſu, quo coniux vitioſus pertraheret, & conduceret ſuum coniugem ad peccandum. Ita S. Thom. & communiter omnes Theologi, 4. d. 39. q. vnic. Sanchez lib. 10. diſp. 17. n. 3. & 4. Filiuc. loc. cit. num. 400. & ſeqq.

18. Sed vtrum ob ſæuitiam coniugis, licitum ſit diuertere à tali coniuge? Et reſpondeo affirmatiuè, quando ſæuitia tanta eſt, vt coniux nequeat cum tali coniuge ſæuiente habitare abſq; grauis damni periculo, & hoc, donec dictus ſæuiens ſufficientem ſecuritatis cautionem præſtet, ita habetur expreſsè in cap. litteras in fin. de reſtit. ſpoliator. his verbis. *Si verò tanta ſit ſæuitia, vt mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas prouideri, non ſolum non debet ei reſtitui; ſed ab eo potiùs amoueri, alioquin ſufficienti (ſi fieri poteſt) ſecuritate præuiſa, profectò videtur coniux ante cauſæ cogni-*

tio-

Digitized by Google

tionem, reſtituenda marito. Et in ca. ex tranſmiſſa eodem tit. ſic habetur. *Ipſam ei reſtitui faciatis, recepta tamen ſufficienti cautione, quod ei non debeat aliquod malum inferre. Si autem capitali odio ita mulierem vir proſequatur, quod meritò de ipſa diffidat, alicui probæ, & honeſtæ mulieri vſque ad cauſæ deciſionem cuſtodienda, ſtudioſius committatur.* Eſt tamen incontinenti probanda ſæuitia, vt impediatur reſtitutio coniugis vt habetur in cit. ca. litteras de reſtit. ſpoliator. ratione periculi incontinentiæ. Poſſet etiam propria authoritate coniux expellere, vel diuertere à domo ſpôſi ſæuientis, quando periculum eſſet in mora; vel non pateret facilis aditus ad iudicem, nec in tali ſeparatione adeſſet obligatio reddendi debitum, vt volebat Ouandus 4. diſt. 35. diſp. vnic. propoſ. 5. quem reijcit Sanch. lib. 10. diſp. 18. n. 4. ex doctrina Palud. 4. d. 39. q. 1. §. 4. n. 235. Nec excuſatur coniux ſæuitiẽs, ſi afferat culpam vxoris, v. g. Adulterium eſſe cauſam dictæ ſæuitiæ; quia non ex hoc poteſt vir propria authoritate punire; vnde Pelagius Pontifex, iuſſit adulteram marito reſtitui præſtita cautione non offendendi, vt habetur in cap. de Benedicto 32. quæſt. 1. Et quod dicitur de de ſæuitia mariti circa vxorem, dicitur etiam de ſæuitia vxoris erga maritum, ita vt, ſicut licitum eſt vxori diuertere à domo mariti ob eius ſæuitiam, vel quia videt inſidias ſibi parari &c. Ita licitũ eſt marito diuertere à domo vxoris, ſi in ea videat dictas inſidias ſibi parari, Couar. 4. decret. 2. par. cap. 7. §. 5. nu. 2. Sanchez lib. 10. diſp. 18. num. 8.

19. Sub nomine autem ſæuitiæ, venit omnis metus damni notabilis cadens in conſtantem virum, vt periculũ vitæ, crudelis caſtigatio, moleſta cohabitatio, diſcordiæ, iurgia grauia; coniugale debitum per vim extortum tempore, quo vxor nõ tenebatur ob infirmitatem, quando tamẽ id eſſet cum graui damno vxoris, vt cum periculo grauis infirmitatis, &c. ſecus tamen quando dictæ res non eſſent adeò graues, nec maritus illas faceret, niſi ad correctionem vxoris; & ſi dictæ res nõ timerentur etiam in futuro, non poſſent eſſe cauſa diuortij; ſed ordinariè loquendo, ſẽper adeſt talis timor, & ideò diuortium licitè fieri poſſet, niſi daretur ſufficiens cautio ſecuritatis. Nimius etiam furor mariti reddens cohabitationem periculoſam, & moraliter intolerabilem, eſt etiam legitima cauſa diuortij; Item ſi vir inebriari ſoleat cum periculo vitæ, vel grauis damni vxoris; Item ſi concubinam maritus teneat, vel alijs ſcelerib. deditus ſit, ex quib. poſſet damnũ vxori aduenire, vt ſi fuerit deditus latrocinijs, vel tonſioni monetæ, vel proditionibus Ciuitatis, Principis, &c. vide Sanchez lib. 10. diſp. 18. à nu. 10. & ſeqq. Filiuc. tr. 10. cap. 10. num. 403. & 404. Henriq. lib. 11. de matr. cap. 19. num. 7. & cap. 8. num. 13. & cap. 17. num. 7. Item peccatum cõtra naturam eſt cauſa diuortij, vt D. Thom. addit. ad 3. par. q. 62. art. 1. ad 4. Emanuel Sa verb. diuortium in additione.

20. Item, non ſolum ſæuitia viri, ſed etiam parentum ipſius, eſt iuſta cauſa faciendi diuortium, & petendi cautionem ſecuritatis, vt Graff. 1. par. deciſ. lib. 2. cap. 84. num. 3. & Sanchez num. 13. & in caſu, quo cautio ſufficiens non reperiatur tam in hoc, quam in alijs omnibus caſibus, ſẽtentia diuortij à iudice pronuncianda eſt ex cap. litteras in fin. de reſtit. ſpoliator. Vir etiam poterit ab vxore diſcedere, ſi fuerit venefica, vel filios occiderit, aut bona ipſius viri diſſipauerit, Sot. 4. diſt. 39. q. vnic. art. 4. ad 4. Quod intellige, niſi cautio ſufficiens præſtetur. Item pollutio extraordinaria habita cum alio, vel alia, eſt ſufficiens cauſa diuortij, vt ait Emanuel Sa verb. diuortium num. 1. & addit idem eſſe dicendum, ſi vir illa faciat cum propria vxore inuita, contrarium tamen docet P. Ledeſm. de matr. q. 62. art. 1. dub. 4. quem ſequitur Bonac. de matr. q. 4. punct. 5. num. 5. Qualis autem debeat eſſe cautio præſtanda à coniuge, pertinet ad forum, ſeu iudicem Eccleſiaſticum, pro quo vide Sanchez lib. 10. diſp. 18. à nu. 34. & ſeqq.

21. Duo dubia ſuperſunt diſſoluenda pro complemento huius materiæ, primum eſt, vtrum poſt diuortium authoritate iudicis Eccleſiaſtici celebratum, licitum ſit coniugi, vel vtriq; ad religionem ingredi, vel ad ſacros ordines aſcendere reſpe-

reſpectu viri? Et reſpondendum eſt, aut diuortium fuit conceſſum ad tempus, donec coniux ſæuiẽs iudicium acquirat, aut debitam cautionem tribuat, & in hoc caſu nullus ex eis poteſt ad religionem trãſire, neq; vir ſacros ordines aſſumere, altero coniuge inuito, vel diuortium fuit declaratum perpetuum ex ſententia iudicis, eo quod non ſperetur maius iudicium in ſæuiente, & in hoc caſu licitum erit ad religionem tranſire inuito altero coniuge, vel ſacros ordines ſuſcipere, ita Nauar. lib. 4. conſil. tit. de diuort. conſilio 5. in fine, Henriq. lib. 12. de matrim. cap. 5. nu. 10. in fin. Sanchez lib. 10. diſp. 18. num. 49. Filiuc. tr. 10. cap. 10. num. 406. & alij.

22. Secundum dubium eſt, apud quẽ coniugem debeant filij educari, & cuius expenſis poſt factum diuortium culpa alterius coniugis, vel abſq; vlla culpa, ſed quia matrimonium repertum fuit irritum ratione impedimenti dirimentis? Reſpondeo iure codicis, id erat ad arbitrium iudicis ex l. vnica Cod. diuortio facto, vbi ſic habetur. *Competens iudex æſtimabit vtrum apud patrem, aut apud matrem, matrimonio ſeperato, filij morari, ac nutriri debeant.* Quod triennium debebat eſſe, vt filij in primo triennio nutrirentur apud matrem, & poſtea ſemper apud patrem, l. nec filium C. de patria poteſtate. Iure autem nouo, filij ſunt educandi apud coniugem innocẽtem, ita habetur expreſsè in Authent. vt liceat matri, & auiæ §. illud ex Authen. ſi pater C. de diuortio facto, vbi ſic dicitur. *Si pater cauſam diuortij præſtiterit apud matrem ad ſecundas nuptias non venientem, liberi nutriantur patris expenſis, ſi verò contra, tũc apud patrem matris locupletis expenſis, niſi pater minus idoneus ſit; tunc enim apud matrem locupletem nutriantur.* Excipitur caſus infidelitatis, in quo ſemper filij educandi, ſunt apud fidelem, quamuis ex ipſius culpa fuerit celebratum diuortium. Item, ſi mater tranſeat ad ſecundas nuptias, filij educãdi ſunt apud patrem, quamuis ob ipſius culpam matrimonium fuerit irritè contractum; Tertiò ſi mater dedit cauſam diuortij, & locuples fuerit, vir autem pauper, filij educandi ſunt apud matrem ſuis expenſis. Et quoad dictas expenſas nota, ſi diuortium fuerit factum culpa patris, filij educandi ſunt apud matrem expenſis patris ex cit. Authen. ſi fuerit celebratum culpa matris, filij educandi ſunt apud patrem expenſis matris. Angelus verb. filius n. 22. Sylu. eodem ver. n. 24. Sanch. lib. 10. diſp. 20. n. 6. & 7. Filiuc. 408. & alij. Si autẽ diuortium fiat ob impedimentũ dirimens repertum, & verè bona fide fuerit contractum matrimonium, tunc filij educandi ſunt communibus expenſis patris, & matris; ſi verò alter coniugum contraxit in mala fide apud ipſum, & ſuis expenſis ſunt filij educandi, niſi eſſet pauper, & alter cõiux diues, tunc enim apud diuitem eſſent enutriendi; Et ambo coniuges fuerint in mala fide, filij ſunt illegitimi, & ideò eis debentur alimenta per primum trienniũ à matre, & deinceps à patre, ex citat. lege, Nec filium, Cod. de patria poteſtate.

23. Vltimò quærendum eſt, vtrum iudex ordinarius cauſarũ matrimonialiũ debeat eſſe tantum iudex Eccleſiaſticus? Et affirmatiuè reſpondendum eſt, vt etiã diximus ſupra ca. 95. nu. 27. in fin. patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 12. vbi ſic dicitur. *Si quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad iudices Eccleſiaſticos, anathema ſit.* Excipitur tamẽ cauſa dotis, donationis inter virum, & vxorẽ, alimentorum, & ſimilium, excipitur etiam matrimonium infidelium, quia Principes ſæculares habent authoritatem reſpectu matrimonij infidelium, cum non ſit Sacramentum, nec res ſpiritualis, vt ſæpè diximus; vnde benè poſſent illis præſcribere formam contrahendi matrimonium, & conſtituere impedimenta illud dirimentia; vt Sanchez loc. cit. in c. 95. n. 27. in fin. & ſequitur Bonac. de matri. q. 3. pun. 1. n. 5. & Filiucc. tr. 10. p. 2. c. 1. n. 4. & alij. Quidquid in contrarium afferat Baſilius Pontius lib. 6. de matrim. c. 2. n. 3. Cauſæ autem matrimoniales intelliguntur illæ, quæ neceſſariò reſpiciunt matrimonium, vel ex ipſo oriuntur, ita Baſilius Pontius lib. 6. c. 1. n. 9. quod probat ex cap. tuam de ordine cognationum, & ex Trid. can. cit. & in c. 2. n. 4. & 5. Idem Pontius ait, Principem ſæcularem nec poſſe ferre leges circa acceſſorium matrimonij, vt patet ex regula iuris 39.

Cum

Digitized by Google

Cum quid prohibetur, etiam omnia, quæ ſequuntur ex eo. Idem docet Felin. in cap.1. de ſponſalib.n.13.qui in n.14. etiam excipit cauſam dotis; id etiam docet Bellar. lib.1.de matr.c.32.& Palud.in 4.d.26.q.3. art.3.&alij,qui ſimiliter aſſerunt,ſtatutum ne poſſit contrahi matrimonium cum hominibus alterius Ciuitatis, eſſe inualidũ, quia infringit Eccleſiaſticam libertatem. Sequitur Dian.tr.de immun.p.1.reſol.74. cum multis alijs apud ipſum,& Bonac.de ſponſal.q.1.pu.6.n.5.vbi aſserit reclamationem ſponſalium, faciendam eſse coram Epiſcopo, quod probat ex c.1. de deſponſat.impuber.vbi habetur. *Si reclamauerint iudicio Eccleſiæ ſeparentur.* Idem docet Sanch. lib.1. de ſponſalib. diſp.51. nu.17.Rebel.2.p.lib.6.q.11. ſect.3.nu.25. qui citat Gomez, & ait eſse ſententiam omnium Doctorum; exceptuando ſimiliter cauſam dotis,idem aſserit Henriq.lib. 11.de matr.c.14.n.7. Guttierez c.29.n.71. & alij. Nec ſimiliter Principes ſæculares poſsnnt cogere ſuos ſubditos, nec alios, vt cum quibuſdam tantum contrahant,& non cum alijs ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda: vt habetur in Concilio Tridentino ſeſs. 24. de refor. matrim. cap. 9.

De aliquibus dubijs ad Matrimonium ſpectantibus. Cap. CXVI.

1 *Legatum,vel hæreditas relicta ſub hac cõditione, si non nubat, illud, vel illam acquirit, Legatarius etiam si nubat.*

2 *Pœna, quæ conſiſtit in non captando magno lucro,vel legato,aut hæreditate licitè poteſt poni in matrimonia contrahendo.*

3 *Conditio, vt legatarius accipiat aliquem de familia, vel conſanguineum in ſecundo gradu cum diſpenſatione Pontificis, eſt adimplenda à legatario.*

4 *Conditio, vt puella contrahat matrimoniũ de conſenſu patris, alioquin nõ lucretur legatum, valida eſt,& adimpleri debet.*

5 *Conditio, vt quis contrahat cum perſona nobili,eſt obſeruanda tam in primo,quã in ſecundo,& tertio matrimonio.*

6 *Conditio,vt filia nubat v.g.Titio,alioquin non acquirat id, quod ſupra legitimam eſt, ſeruari debet, alioquin, dictum lucrum filia amittit.*

7 *Conditio ſi Titius non nubat, maiorẽ quãtitatem accipiat, non eſt ſeruanda, & iam Titius illam acquirit.*

8 *Conditio, ſi Titius fiat religioſus,eſt ſeruãda,et ſi in anno nouitiatus Titius exeat à religione, adhuc lucratur legatũ, niſi mala fide intrauerit.*

9 *Conditio,vt quis contrahat cum alio,ſi primò noluerit, & poſtea voluerit, & res fuerit adhuc integra,poterit adimpleri, & acquiri legatum.*

10 *Conditio, vt puella nubat, ſi fiat monialis, lucrabitur legatum,vel ſi vt fiat religioſa, & ipſa nupſerit iuxta ſuum ſtatum, adhuc lucrabitur legatũ,vel hæreditatẽ, niſi teſtator id egiſſet amore religionis.*

11 *Conditio, vt Titius accipiat Bertam, ſed Berta non vult, & Titius vult, ſi poſtea Berta voluerit, Titius, re integra, tenetur illam ducere alioquin non lucrabitur legatum.*

12 *In legato facto Bertæ, ſi Titius illam ducat in vxorem; videndum eſt an fuerit factum intuitu Bertæ & tunc ſi per ipſam non ſteterit, lucrabitur legatum, licet Titius illam non accipiat, ſecus, ſi fuerit factum intuitu Titij.*

13 *Legatum factum Bertæ pauperi, ſi nubat Titio, & poſtea Titius moriatur, Berta illud acquirit ratione alimentorum; & similiter legatum factum Eccleſiæ, vt teſtator ſepeliatur in dicta Eccleſia,si ob excommunicationem,non poterit ibi ſepeliri, Eccleſia lucratur legatum.*

14 *Legatum ſub conditione si caſtè viuat, acquiratur per ſecundas nuptias, ſecus si fuerit factum à marito vxori, cum cenſeatur factum in odiũ ſecundarum nuptiarum,& similiter, si quis dicat lego centum Bertæ,si caſtè,& honeſtè viuat, lucrabitur Berta legatum,si nubat, ſed non si caſtè, & honeſtè non viuat.*

15 *Conditio, vt quis contrahat iuxta voluntatem tertij, non eſt neceſſariò adimplẽda, ſecus si teſtator dicat iuxta conſilium tertij.*

16 *Conditio, vt Berta habeat centum poſt mortem ſuam, ſi non nubat, eſt inualida, & ſtatim Berta acquirit legatum.*

17 *Conditio ſi vixerit vxor cum filijs meis in domo mea, non ſeruatur per ſecundas nuptias, & ideò vxor non acquireret legatum.*

18 *Conditio non nubendi in vidua, vel viduo, adimpleri debet, alioquin legatarius nõ acquiret legatum.*

19 *Legatum pro maritãdis fœminis honeſtis, non poteſt applicari viduis maritandis, nec fœminis maritatis, niſi eſſent pauperes, nec ſimiliter poteſt applicari fœminis volentibus ingredi monaſterium.*

20 *Legatum factum, vt Berta contrahat cum Titio, illud Berta non lucratur, ſi ingrediatur monaſterium, & non nubat.*

21 *Legatum factum Titio, ſi Bertam ducat, illud Titius non acquiret, ſi Berta ingrediatur monaſterium, ſecus ſi abſolutè diceretur, vt nubat.*

1 ALiqua dubia, quæ in hac materia videntur deſiderari, breuiter declarantur. Et primum eſt, vtrum legatum aut donatio facta ſub hac conditione, ſcilicet, ſi non nupſerit, tranſeat ad legatariũ, vel donatarium, licet matrimonium contrahat? Et affirmatiuè reſpondendum eſt, dummodo fœmina non ſit vidua, vel vir viduus, vt infra n. 18. Et ratio eſt, quia talis conditio vt turpis, aut impoſſibilis eſt æſtimanda, quæ à iure reijcitur, & eſt æſtimanda tanquam non appoſita. Et hoc tam in foro externo, quam interno. Ita Couar. 1. var. c. 19. n. 10. Molin. tom. 1. de iuſtit. tr. 2. diſp. 207. fol. 1268. Ledeſm. 2. p. 4. q. 18. art. 1. dub. 12. Angelus verb. hæres nu. 21. & ibi Tab. n. 17. Sylu. verb. hæreditas 4. in fin. & alij plures, quos ſequitur Sanch. lib. 1. diſp. 33. n. 2.

2. Secundum dubium eſt, vtrum validè apponatur pœna in matrimonio cõtrahendo, dummodo per illã non minuatur proprium patrimonium, ſed tantum hæc pœna conſiſtat in non captando magno lucro, aut hæreditate, legato, vel donatione &c. Et diſtinguendum eſt, aut dicta pœna, ſeu lucrum aſſequendũ imponitur ab ipſis contrahentibus, vel ab alijs; ſi primo modo, vt v. g. dicit Berta Titio promitto mille, ſi mecum contraxeris matrimonium; in tali caſu ſi promiſſio fuerit facta intuitu libidinis, erit nulla, ſecùs autem ſi cauſa dotis, & ad ſubeunda onera matrimonij, & hæc cauſa præſumenda eſt, ſi contrarium non probetur, tunc autẽ videtur facta cauſa libidinis, quando vir talem promiſſionem faceret fœminæ, niſi in caſu, quo talis vir ignobilior, aut ſenior eſſet; licita enim erit promiſſio, & adimplenda, cum cenſeatur facta in compenſationem. Si autem dicta pœna, ſeu lucrum captandum ſit impoſitũ ab alijs; vt ſi quis hæredem inſtituat Bertam, aut ei aliquid leget, aut donet hac conditione, ſi Titio nubat, dicta pœna, ſeu lucrum eſt iuſtè poſitũ, nec Berta poterit illud acquirere, niſi Titio nubat. Et ratio eſt, quia hæc non eſt pœna, ſed excitatio ad matrimonium contrahendum ſpe lucri, neque id præiudicat libertati matrimonij. Ita habetur in l. Titio, §. 1. ff. de condit. & demon. & l. 1. Cod. de inſtit. & ſubſtit. & nemo de hac concluſione dubitat, vt teſtatur Sanc. lib. 1. diſp. 33. n. 6. Ita docet Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 18. n. 1. Couar. loc. cit. n. 6. Io. Andr. Abbas. Anchar. Prępoſ. Angel. Sylu. & alij quos ſequitur dict. Sanch. vnde ſi teſtator præcipiat fœminæ, vt Titio v. g. nubat ſub pœna amiſſionis hæreditatis, aut legati, valida erit dicta pœna; nec dicta fœmina lucratur aliquid, niſi dicto Titio nubat, patet ex l. cum ita legatũ ſit, verſ. ſi Titio nupſerit, ff. de condit. & demonſtr. idem Mantica loc. cit. n. 2. Couar. 4. decr. 2. p. c. 3. §. 3. n. 7. & 8. Io. Lupus c. per veſtras notabil. 2. §. 2. n. 1. Molin. tom. 1. de iuſtit. tr. 2. diſp. 207. fol. 1265. & alij cũ dicto Sanch. n. 7. Et idem eſt dicendũ, ſi quis diceret, Conſtituo Titium, vel Bertam hęredem, ſi nubat cũ Berta, vel Titio reſpectiuè, alioquin volo hereditate priuari. Nã hęc pœna non conſiſtit in patrimonio iam habito minuendo, quæ cenſeretur turpis, ſed eſt de maiori commodo acquirendo, quod non eſt contra libertatem matrimonij, Couar. n. 7. Molin. I. C. li. 2. de primog. c. 13. n. 4. Io. Lupus n. 3. & alij citati.

3. Sed quid dicendum, ſi teſtator dicat, Conſtituo hæredem, vel legatariam, dum-

Digitized by Google

dummodo accipiat vnum de familia? Reſpondeo id tantum intelligi, dummodo adſit aliquis in familia, cum quo poſſit licitè abſq; vlla diſpenſatione contrahere; niſi teſtator explicet, ſumendam eſſe diſpenſationem; tunc enim legatarius tenetur conditioni ſtare. Imò etiam ſi teſtator dicat, dummodo accipiat Titium conſanguineum in ſecundo gradu habita Pontificis diſpenſatione, adhuc dicta cōditio valida eſſet; quia licet in Conc. Trid. ſeſſ. 24. de matr. c. 5. dicatur in hoc ſecūdo gradu non eſſe diſpenſandum, niſi inter magnos Principes. Tamen Pontifex adhuc ſæpè, licet, cum difficultate, diſpenſat, & ideò in tali caſu teneretur hæres, vel legatarius, diſpenſationem impetrare, alioquin erit hęreditate, vel legato priuatus; dummodo per ipſum ſtet, quominus diſpenſationem habeat, vide hanc doctrinam apud Sanc. lib. 1. diſp. 33. n. 9. & lib. 5. diſp. 5. n. 19. 20. & 21. Dicta tamen doctrina eſt intelligenda, quando dicta pœna ponitur citra præiudicium legitimæ, nam legitima cum ex iure filijs debeatur, eſſet reputanda, turpis cōditio. Reſpectu dictæ legitimæ, vt ſi pater diceret in teſtamēto, conſtituo meum hæredem Titium meum filium, vel Bertam meam filiam; dummodo contrahat cum tali matrimonium, eſſet tantū hæreditate priuat⁹, ſed nō legitima, quę nullā patitur conditionem, vt Couar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 3. n. 7. Mantic. vbi quamplures refert de coniectur. vlt. volunt. lib. 11. tit. 18. nu. 12. Molin. lib. 2. de primog. c. 13. n. 4. Erit etiā reijcienda conditio, quādo per illam grauaretur hæres, vel legatarius ad ducendam perſonam indignam, & acquireret hęreditatem, vel legatum, etiam ea conditione non adimpleta, vt expreſsè habetur in l. cum ita legatum, ff. de condit. & demonſt. niſi hæres, vel legatarius vidua, vel viduus erit, tunc enim conditio non erit nulla omninò, ſed conditio æſtimanda eſſet, ac ſi teſtator diceret, aut cum tali, aut nullo modo nubat; vnde ad acquirendam hæreditatē, vel legatum, aut deberet contrahere cum dicta perſona, aut cum nulla, alioquin, ſi cū alia perſona nuberet, amitteret hæreditatem, vel legatum. Sanc. lib. 1. diſp. 33. num. 12.

4. Sed quid, ſi dicatur conſtituo hæredem, vel legatariam Bertam, ſi nupſerit Titio, & poſtea Berta eo quod ſit virgo, ex conſenſu patris alteri nubat? Et reſpondendum eſt, Bertam hæreditatem, vel legatum lucrari, quia dicta conditio eſt intelligenda, ſi honeſtè poſſit; at nulla virgo honeſtè poterit alteri nubere ſine conſenſu patris; vnde licitè poterit lucrari hæreditatem, vel legatum in vtroque foro, vt Bald. vol. 1. conſil. 357. Mantic. loc. cit. tit. 16. in fin. Molin. I. C. lib. 2. de primog. c. 13. n. 22. & plures alij, cum Sanchez loc. cit. num. 13.

5. Tertium dubium eſt, vtrum conditio, vt quis contrahat cum perſona nobili, ſit ſemper ſeruanda: v. g. conſtituit teſtator Titium, vel Bertam hęredem, vel ei aliquid legat hac conditione, ſi contrahat cum perſona nobili, dicta conditio eſt non ſolum ſeruanda in primo matrimonio, ſed etiam in ſecundo, & tertio, ſi alter coniux decederet, vnde ſi prima vice contrahat cum nobili, & poſtea cum ignobili, amittit hæreditatem, vel legatum. Mantica de coniectur. vlt. volun. lib. 11. tit. 18. n. 3. Oldrad. conſil. 16. nu. 3. Paul. de caſtro l. hoc genus ff. de condit. & demonſtr. vbi plures affert, & teſtatur id ab omnibus recipi.

6. Quartum dubium eſt, vtrum legatum, vel hæreditas relicta cum conditione ſi filia v. g. nupſerit Titio, & poſtea dicta filia ingrediatur religionem, tranſeat ad illam etiam in dicto ſtatu? Et eadem quæſtio eſt, ſi pater diceret, relinquo centum Bertæ meæ filiæ, ſi monaſterium ingrediatur, & biſcentum, ſi matrimonium contrahat. In his caſibus multi Doctores fauore Religionis docent, dictam filiam acquirere hæreditatem, vel biſcentum, quia non debet præſupponi, voluntatem teſtatoris fuiſſe velle retrahere filiam à religione, & quatenus illa adfuiſſet, eſt reputanda conditio turpis, & non adimplenda, & ex conſequenti, filiam acquirere totam hæreditatem, vel legatum, ac ſi matrimonium contraxiſſet. Hanc opinionem tenet Couar. lib. 1. var. reſol. c. 19. nu. 10. his verbis. *Si alicui legata fuerint centum, ſi nupſerit, & is religionem fuerit profeſſus, idem legatum adipiſcitur, præſumitur enim teſtatorem*

de nuptijs cogitantem, idem facturum, ſi de ingreſſu religionis cogitaret. Idem docet Sylu. verb. legatum, 1. q. 9. & ver. hæreditas 4. in fin. Tabbien. ver. hæres, q. 16. n. 17. Bartol. Socin. & alij, quos affert Fagundez de iuſtit. & iure lib. 1. c. 8. n. 10. & antea Sanch. lib. 1. diſp. 34. n. 12. vbi dictam opinionem vocat probabilem, quod etiam aſſerit dictus Fagundez dum in nu. 13. aſſerit, contrariam opinionem eſſe probabiliorem. Secunda opinio, quam dicti Doctores ſequuntur, docet dictam conditionem eſſe licitam, non quatenus retrahit legatariā, vel legatarium à religione; hoc enim iniquum, & impium eſſet. Sed quatenus teſtator maiorem ſummam teſtetur pro matrimonio, quia ibi, cum ſint maiora onera, maiores opes ſunt neceſſariæ. Vnde in primo caſu, ſi filia nō nuberet, acquireret tantum ſuam legitimam, & in ſecundo, acquireret tantum centum; idem docet Molina tom. 1. de iuſtit. tract. 2. diſput. 207. Ad effugiendam autem opinionum varietatem, poſſet quis dicere lego. V. g. Titio, vel filiæ meæ centum, & ei, qui eam duxerit biſcentum, vel alios centum, ita Sanchez in cit. n. 13. §. vt tamen, alij plures Doctores ſequūtur hāc ſententiā vt apud dictos tres citat. Doctores videri poterit.

7. Sed quid, ſi teſtator dicat, relinquo Titio centum ſi non nupſerit, & quinquaginta, ſi nupſerit? Reſpondeo, Titiū, ſi nubat, acquirere centum, quia dicta particula ſi non nupſerit eſt contra bonum commune, & tanquam turpis æſtimanda; & idē dicas, ſi quis tantum dicat, relinquo centū ſi non nubat, acquirit enim centum, licet nubat ex dicta ratione, Vega li. 2. caſu 92. & 93. Fagundez de iuſtit. lib. 1. cap. 8. num. 16. & plures alij.

8. Vel quid dicendum, ſi quis dicat lego centum Titio, ſi religionē ingrediatur, & poſtea Titius poſt ingreſſum in anno nouitiatus, egrediatur? Reſpondeo Titium lucrari legatum, dummodo bona fide intrauerit, & poſtea exierit, iudicando dictum ſtatū non eſſe ad ſui commodū. Nā etiam qui vouit ingredi religionē, ſi poſt ingreſſum bona fide, egrediatur, non amplius tenetur ad votum. Ita D. Tho. 2. 2. q. vlt. art. 4. ad 3. Caiet. ibi, Richard. 4. d. 38. ar. 8. q. 3. Angelus ver. votum 3. n. 18. Sylueſt. verb. religio q. 19. Tabbien. ver. nouitius q. 7. Fagundez loc. cit. n. 14. & li. 6. c. 5. n. 50. Sanch. li. 1. diſp. 34. n. 17. & alij, quāuis plures Iuriſconſulti contrariū teneāt, vt apud dictum Fagundez, & Sanchez videri poteſt, & nota dictam doctrinam eſſe veram, etiam ſi teſtator dicat, lego centū, dummodo fiat religioſus; nam etiā ſi vouens dicat voueo religionem, vel religioſum fieri, dummodo bona fide ingrediatur, ſi poſtea exierit nō amplius tenebitur ad votum, quia vouens nō promittit perſeuerantiā, nec teſtator intēdit ad id obligare, vel vt loquitur Sanchez in cit. num. 17. §. nec conſtituo.

9. Et quid dicendum, ſi grauatus aliquam ducere, vel cum alio contrahere. Primò renuat, & poſtea pœnitentia ductus, matrimonium contrahat, an acquirat legatum, vel hæreditatem? Et diſtinguendum eſt, ſi teſtator dicat, legatarium eſſe priuādum, ſi cū requiſitus fuerit, renuerit, tunc nihil prodeſt pœnitētia; vel ſi ex eo, quod ipſe renuit, illa aliud matrimonium contraxit; ſi autem res adhuc fuerit integra, & cum effectu contrahat matrimoniū iuxta voluntatem teſtatoris, vtiq; legatū acquirit; vide Sanchez li. 1. diſp. 33. nu. 15. Sed quid ſi dictus grauatus v. g. ducere Bertā, illā non ducat, ſed ducat Martham; qua mortua ducat poſtea Bertā, an lucretur legatum? Et Corneus, teſte Acoſta l. cū tale §. ſi arbitratu lim. 3. n. 2. ff. de condit. & demon. ait in caſu ſimili, nempe, eum, cui aliquid legatur, ſi fiat religioſus, legatum acquirere, ſi primo nubat, & poſt mortem vxoris fiat religioſus. Sed in vtroq; caſu, contrarium eſt dicendum, quia conditio iam defecit, Sanchez loc. cit. num. 17.

10. Item dubitatur an legatum factū puellæ vt nubat, vel ſi nubat, illud lucretur, ſi monialis fiat? Et affirmatiuè reſpondendū eſt, vt docet Leſs. de iuſt. lib. 2. dub. 16. n. 127. Rebell. lib. 18. q. 13. num. 6. Emanuel Sà verb. legatum, Fagundez lib. 1. de iuſt. ca. 8. n. 16. §. dubium. Sed quid ſi legatum fuerit relictum puellæ conſanguineę, vt monaſterium ingrediatur, & ipſa iuxta ſuam conditionem nubat? Reſpondeo in hoc caſu ſtandum eſſe intētioni teſtatoris; nam

Digitized by Google

nam ſi teſtator id egerit, vt puella à periculis Mundi liberararetur ſtante eius paupertate, vel quia non poſſit dignum matrimonium contrahere, tunc ſi puella reperiat, vt accidere ſolet, & inueniat, aliquem ſuæ conditionis, qui ob amorem, vel pulcritudinem velit eam ducere, non amittit legatum, quia intentio teſtatoris non fuit amor religionis, ſed amor pudicitiæ, quæ benè habetur per dignum matrimonium. Sicut etiā ſi quis relinquat conſanguineo, vel amico cētum vt ſibi veſtem emat, aut fundum, ex quo viuat, debentur illi dicti centum, etiam ſi fundum, aut veſtem non emat, quia nō præſumitur teſtator voluiſſe ad id legatarium adſtringere, ſed tantū eius neceſſitati conſulere, Molin. tom. 1. de iuſt. diſp. 208. Emanuel Sà ver. legatū nu. 39. Fagundez loc. cit. §. Ad dubium ergo, & ſeqq. Bonac. de cōtract. diſ. 3. q. 1. punct. 4. propoſ. 2. nu. 6. & alij. Si autem teſtator id egerit amore religionis, vt præſumi debet, ſi puella fuerit diues, tunc non lucrabitur legatum, vide Fagundez §. Si verò, & ſeqq. vbi in praxi ait, ita decidiſſe quendam caſum ſimilem.

11. Quintum dubium eſt, Titius grauat Caiū, & Bertā ducat, Caius vult, & Berta non vult, poſtea pœnitentia ducta Berta vult, & Caius non vult, quæritur vtrum Caius acquirat legatum Titij? Reſpōdeo, re integra teneri Caium ducere Bertam, alioquin legatum non lucratur, re non integra, vt ſi Caius, ex eo, quod Berta noluit, cum alia contraxit, lucratur legatum, quia per ipſum non ſtetit quin fuerit contractū matrimoniū, patet ex doctrina ſupra tradita nu. 9. Et idem dicas ſi quis relinquat hæreditatem Titio, vel legatū, vt cōtrahat cū Berta, & ipſa noluerit, cēſetur adimpleta conditio, vt expreſsè habetur in l. 1. C. de inſtit. & ſubſtit. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 18. n. 37. Menochius de præſumpt. lib. 4. preſumpt. 183. n. 25. & alij cum Sanchez lib. 1. diſp. 33. nu. 19. & idem dicas ſi dicta fœmina cum alio contrahat, cenſetur enim adimpleta conditio.

12. Sed maius dubium eſt, quid dicēdum, ſi teſtator dicat, lego Bertæ centum, ſi Titius illam acceperit in vxorem, & Titius illam non ducat? & in hoc caſu reſpondet Menoch. de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 183. à nu. 32. cum alijs multis apud ipſum, Bertam non lucrari legatum, ſi Titius illam non ducat, quamuis per ipſam non ſtet, quia conditio eſt poſita in perſona Titij; idem docet Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 18. n. 37. Sunt tamen alij plures apud dictos Doctores oppoſitū ſentientes; ſed mediam viam puto eſſe tenendam, aut enim legatum fuit factum intuitu Bertæ, aut intuitu Titij, ſi primo modo, Berta acquirit legatum, ſi per ipſam nō ſteterit, ſecus autem ſi ſecundo modo. Ita Sanchez lib. 1. diſp. 33. n. 22. §. Sed melius ex Gregorio Lop. Si autē conditio mixta adimpleri non poſſit, vt quia Berta, vel Titius moriatur, tunc perit etiam legatum, vel inſtitutio; ita habetur in l. legatum de condit. inſertis, his verbis. *Cum mortuo filio priuſquam matrimonium cum eo contraheres, conditio defecerit, nulla ratione deberi tibi exiſtimas.* Ita Menoch. loc. cit. nu. 40. & 41. & Mantica loc. cit. Molin I. C. li. 2. de primogen. cap. 13. nu. 23. & ſeqq. licet P. Molina tom. 1. de iuſt. tr. 2. diſp. 207. & 206. in fin. aſſerat conditionem mixtā cenſeri adimpletam, ſi altera, cū qua quis grauatus eſt contrahere, moriatur, ſecùs ſi ipſe.

13. Sed nota in multis caſibus, conditionem mixtam, cenſeri adimpletam, ſi caſu adimpleri non poſſit; vt ſi legatum fuerit factum ratione alimentorum, v. g. fuit relictum legatum Bertæ pauperi, ſi nubat Titio; tūc ſi Titius moriatur, Berta acquirit legatum loco alimentorum, Couar. ca. 3. de teſtam. n. 11. verſ. 15. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 22. nu. 32. & 33. Menochius loc. cit. n. 42. vbi plures affert. Item ratione piæ cauſæ, etiā conditio mixta, ſi deficiat, cenſetur adimpleta, vt ſi quis leget centum alicui Eccleſiæ, vt ibi ſepeliatur, & poſtea, quia moritur excommunicatus, non poſſit ſepeliri in Eccleſia, dicta Eccleſia lucratur legatum idem Menochius n. 46. Angelus ver. legatum n. 10. Sylueſt. ibidem 1. q. 4. & 6. Sanchez lib. 1. diſp. 33. n. 26. apud quem plura notantur.

14. Sextum dubium eſt, an legatū relictum viduæ, ſi caſtè viuat, illud acquirat, tranſeundo ad ſecundas nuptias? Et diſtinguendum eſt, ſi dictum legatum fuerit

factum

Digitized by Google

factum à marito, cum cenſeatur factum in odium ſecundarum nuptiarum, & vt fides prioris matrimonij perſeueret, dicendum eſt, quod dicta vidua illud non acquirat; ſi autē fuerit relictum a patre, vel alio quouis, illud acquirit, quia per ſecundum matrimonium caſtè viuitur, vt Fagundez li. 6. de iuſt. ca. 5. n. 28. ex Couar. Syluest. Sāchez, & alijs multis. Et ſi legatum fuerit relictum cuidam fœminæ, ſiuè viduę, ſiuè nō à quocunq; cum hac conditione, ſi caſtè, & honeſtè viuat; adhuc dicta fœmina lucrabitur legatum, ſi contrahat matrimonium, at ſi in dicto matrimonio, vel extra illud caſtè, & honeſtè non viuat, nullo modo illud lucratur, imò etiam ſi fornicetur ſecretò, adhuc in foro conſcientiæ illud non lucratur, & tenetur ad reſtitutionem, ſi iam illud habuit, nec non tenetur reſtituere omnes fructus perceptos, neque requiritur iudicis ſentētia, cum ſit pura cōditio, ſinè qua non intendit teſtator, vt legataria legatum acquirat; imò ſufficit vna fornicatio, quando legatum fuerit factum à Marito, vel patre, aut matre, vel alia perſona conſanguinea, aut ſtrictiſſimo amico, cuius multū intereſt, vt dicta fœmina caſtitatem ſeruet; ſecus autem ſi legatū fuerit factum ab alia perſona, cuius id non multum intereſt, tunc enim requireretur aliqua actuum frequentia, vt fœmina poſſet dici, non caſtè, & honeſtè viuere, vide Fagundez, qui dictam doctrinam affert ex Sanchez, & alijs multis lib. 6. cap. 5. à num. 32. & ſeqq. Et nota fœminā nec dici caſtè, & honeſtè viuere, ſi ſæpè actus impudicos exerceat vt oſcula, tactus impudicos, &c. Secus autem, ſi ſemel, aut non niſi rariſſimè in id inciderit, idem Doctor nu. 37. ex Sanchez de matr. lib. 7. diſp. 91. nu. 40.

15. Septimum dubium eſt, vtrum legatum debeatur, ſi fuerit factum ſub conditione, vt fœmina, vel vir contrahat matrimonium iuxta voluntatem tertij? Et reſpondeo, tam conditionem non nubendi, quam non niſi iuxta voluntatem tertij, reputandā eſſe, vt nō appoſitam, quia eſt cōtra libertatem matrimonij, vnde non poteſt pater grauare filium vt cōtrahat iuxta cōſenſum matris, vel alterius, alioquin amittat, quod ſupra legitimam ei non cōpetit, niſi de mera patris voluntate; aliquī tamen dicunt ſecus eſſe dicendum, quando legatum eſſet à matre, vel alio, vt filius non contraheret, niſi de voluntate patris, quia id honeſtiſſimum eſt. Attamen, quia id etiam aduerſatur libertati matrimonij, contrarium etiam tenendum eſt, vide Sāchez de matr. lib. 1. diſp. 34. à n. 19. & ſeqq. Molin. tom. 1. de iuſt. diſp. 207. Henriquez lib. 11. de matr. cap. 6. n. 6. & cap. 12. nu. 6. Eſſet tamen conditio adimplenda, ſi in legato diceretur, ſi matrimonium contrahatur de conſilio alicuius, quia conſilium non eſt contra libertatem matrimonij, cū benè poſſit quis conſilium accipere, & poſtea ſuam opinionem ſequi; idem Henriq. loc. cit. Couar. 4. decret. 2. par. cap. 3. §. 8. num. 3. Sanchez loc. cit. nu. 24. & alij multi apud ipſum. Quod intellige, dummodo, ille, cuius conſilium requirendum eſt, non ſit abſens, & periculum ſit in mora, tunc enim poteſt matrimonium contrahi ſinè tali conſilio, Gloſſ. Clement. 1. de foro cōpet. & ibi Abb. n. 17. Rebuff. praxi benefic. tit. de forma Vicariatus nu. 95. & idem eſt dicendum ſi dictus, à quo petendum eſſet conſilium, moreretur viuente teſtatore, vel poſt mortem ipſius, quia non ſtat per legatarium quin conſilium petatur, Mantica de coniect. vlt. volunt. li. 11. tit. 18. nu. 11. Sanchez num. 27.

16. Sed quid, ſi quis dicat, Berta ſi non nubat, habeat poſt mortem ſuam centum? Reſpondeo dictam conditionem eſſe reijciendā quoad vtrumq; ſcilicet, quoad matrimoniū, & quoad tempus, vnde Berta poteſt matrimoniū contrahere, & ſtatim acquirit legatum; ſecus ſi diceretur poſt annum, vel quando meus filius fiet Doctor; tunc enim reiecta prima conditione, acquireret Berta legatum poſt dictum tēpus, l. cum tale §. Mæuiæ ff. de condit. & demonſtr. Anton. Gomez 1. var. cap. 12. n. 78. ex communi ſententia.

17. Quid autem eſſet dicendum, ſi teſtator diceret, lego mille vxori meæ, ſi vixerit cum filijs meis in domō mea, vel ſi cuſtodierit lectum meū? Reſpondeo, vxorē amittere legatū ſi nubat; quia dictæ cōditiones id important, ſcilicet, vt non trāſeat ad ſecundas nuptias ob bonum filiorum,

rum,& ob continuationem fidei matrimonialis, Fagundez lib.6.cap.5.n.31. ex Sanchez lib.7.de matr.diſp.91.num.21.& 23.

18. Sed nota, quamuis ſupra dixerimus, conditionem non nubendi, reijciendam eſſe; id eſſe verum in virgine non autem in vidua, vt conſtat Authen. de nupt. §.quæ verò collat.4.Couarr. 4. decret. 2. par.cap.4.§.9.n.11.Molin.tom.1. de iuſtit. tr.2. diſp. 207. & alij plures cum Sanchez lib.1.diſp.34.n. 29. Nomine autem virginis intelligitur, fœmina, quæ matrimoniũ non contraxit, licet corrupta fuerit, vel licèt, matrimonium contraxerit, illud tamẽ non conſumauit; idem Molin. & hæc conditio non nubendi poteſt etiam poni in viro viduo, vt Sanchez n.32. Abſolutè tamen dicta conditio poſſet poni in Eunuchis, quia ſunt inhabiles ad matrimoniũ, non autem poſſet poni in muliere ſterili, tum quia ſterilitas non eſt perpetua, tum quia non impedit matrimonium. Valida etiam erit dicta conditio non nubẽdi cuicunq; facta fauore piæ cauſæ, vt ſi quis leget mille Bertæ ſi nõ nubat, alioquin ſuccedat Eccleſia, vel monaſterium, aut pauperes; nam in hoc caſu, ſi Berta matrimonium contraheret, amitteret legatum, Sãchez loc.cit.n.34. Valet etiam conditio, ne contrahatur cum ignobili, vel deſcendentẽ à Iudæis, Saracenis, &c. Henriq. lib. 11. de matr.ca, 6. n.6.Molin.lib.2.de primog. cap.13.n.28.Sanchez num.40.& alij.

19. Octauum dubiũ eſt, vtrum legatum relictum pro maritandis fæminis honeſtis, poſſit applicari fœminis viduis maritandis, vel fœminis iam maritatis, aut volentibus religionem ingredi? Et quoad viduas, reſpondendum eſt negatiuè, quia dicta verba ſunt tantum intelligenda reſpectu primarum nuptiarum. Ita Mantica de coniect.vlt.volunt.lib.11.tit.21.num.5. Sylueſt.verb.legatum 1.q.5.nu.9. Quoad fœminas maritatas reſpõdendum eſt etiã negatiuè, quia maritatæ non ſunt maritãdæ, Bald.in l.final.n.11. C.de ſentent. quæ ſinè certa quant.Lupus in cap.per veſtras de donat.inter virum,& vxor.notab. 3.§. 12. num. 8. Si autem legatum diceret pro fœminis dotandis, tunc poſſent intelligi etiam fœminæ pauperes maritatæ ſinè aut cum parua dote, quia intentio teſtatoris intẽdit ſubleuare onera matrimonij; quæ reperitur etiam in dictis fœminis maritatis, Lupus loc.cit.Sanchez de matr. lib. 7. diſp.91.n.63.& 64.Fagundez lib.6.de iuſtit.cap.5.n.43.Quoad fœminas ingredientes monaſterium eſt etiam reſpondendũ negatiuè, quia intentio teſtatoris non eſt velle fauere volentibus ingredi religionem, ſed volentibus matrimonium contrahere; ſed ſi legatum fieret pro aliquibus puellis particularibus maritandis, vel pro aliqua puella; tunc ſi dictæ, vel dicta puella vellet ingredi monaſterium, vtique lucraretur legatum, vt diximus ſupra nu. 10. Quia mens teſtatoris præſupponitur velle fauere dictis puellis particularibus, illas collocando, & multò magis, ſi religionem eligant; quod non poteſt præſupponi in primo caſu, quia iam intẽtio teſtatoris eſt velle ſubuenire illis tantum, quæ matrimonium contrahere voluerint, Molin.to. 1.de iuſt, diſp. 207. affirmans eſſe communem opinionem, Sanchez lib.1.diſput. 33, num.29.Couar.lib.1.var.cap. 19. num.10. Mantica loc.cit, tit.18.n.26.Sylueſt. verb. legatum 1. q. 9. & alij cum Fagundez de iuſt.lib.6.cap.5.num,45.

20. Ex qua doctrina colligitur, quãdo coniecturæ oſtendunt mentem teſtatoris non fuiſſe, velle ſuccurrere nuptijs ſpiritualibus, ſed tantum carnalibus, legatum non poſſe applicari, niſi dictis nuptijs carnalibus; vnde ſi teſtator dicat, lego centum Bertæ, ſi nubat Titio, non poteſt intelligi de nuptijs ſpiritualibus, quia teſtator intendit bonum Bertæ, & bonum Titij, & vult dictis nuptijs ſuccurrere, ſecus autem ſi tantum diceret, lego Bertæ ſi nubat, cum benè poſſit vtrumq; intelligi, vt diximus num, 10. Quare in dicto caſu Berta non lucraretur legatum, niſi contraheret cũ Titio, Couar.de teſtam.ca.3.n.11.verſ. ſexto ex proxima, Mantica loc. cit. Menochius de præſumpt, lib.4.præſumpt.148. nu.23. Et ſi moriatur v. g. Titius antequã ſit Berta in mora notabili non nubendi, & vellet vitam cælibem ducere, nec acquirit legatum, niſi cum alio contrahat; idem Couar. num.12.& alij. Sed tunc etiam dicendum eſt, poſſe Bertam acquirere legatum, ſi mona-

naſterium ingrediatur, quia ex rationabili coniectura, teſtatorem ita diſpoſuiſſe credendum eſt, ſi caſum præcognouiſſet, Couar. num. 11. cit, Sanchez lib. 6. diſp. 33. n. 30. Si autem moriatur ipſa Berta, tunc debet dictum legatum applicari alteri puellæ volenti matrimonium inire ſiuè cum dicto Titio, ſiuè cũ alio; nec poteſt applicari puellæ volenti religionem ingredi, cũ id non fuerit intentum à teſtatore; ſed tãtum matrimonium temporale, vt ijdem Doctores, & Fagundez de iuſtit. lib. 6. cap. 5. num. 46. & 47. hæc doctrina magis confirmat id, quod diximus ſupra num. 6.

21. Item, ſi teſtator dicat relinquo mille Titio, ſi acceperit in vxorem Bertã; tunc coniectura eſt, teſtatorem velle etiã matrimonium temporale, & non ſpirituale, vnde ſi Berta monaſteriũ ingrediatur, Titius non acquiret legatum. Ita Menoch. de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 148. num. 7. Vbi plures aſſert; ſecus autem ſi teſtator diceret, relinquo centum Bertæ, ſi nõ nubat, tunc non eſt præſumendum velle teſtatorem retrahere Bertam à religione, ſed potius illam ad eam iuuare, & allicere, & ideò legatum lucraretur, Menochius num. 6. Mantic. li. 1. de coniect. ult. uolunt. tit. 18. num. 26. Fagundez loc. cit. num. 48. Sanchez lib. 1. diſp. 33. num. 30. & alij, quæ ſufficiant pro hac materia.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc opere continentur.

A

ABBATES, an poſſint conferre ordines minores, & Sacramentum confirmationis, etiam non ſubditis, tàm regularibus, quàm ſæcularibus, cap.63.num.8.

Abſolutio à cenſuris, an validè detur per illa verba. Ego te abſoluo. cap.40.num.6.

Abſolutio à peccatis, an poſſit dari ſub conditione de præterito, de præſenti, vel de futuro, cap.40.num.7.& 8. An poſſit dari abſenti nu.9. Et an pluribus ſimul, nu.10.

Abſoluendi poteſtas, an de fide ſit in Eccleſia ſub nomine clauium, cap.40. nu.11. An ad abſoluendum à peccatis requiratur poteſtas ordinis, & iuriſdictionis, nu.12.13.

Abſoluendi poteſtatem, an Apoſtoli acceperint à Chriſto Domino, cap.40.nu.14. Claues reſpectu Summi Pontificis quid ſignificent num.15. Et quid reſpectu Sacramenti pœnitentiæ num.16.

An diuiſio clauium competat etiam poteſtati iuriſdictionis nu.17. Et an eius actus adequatè ſint in Summo Pontifice n.18.

Abſolui, an quis poſſit à reſeruatis in Diœceſi vbi reſeruati non ſunt, cap.51.num.1.

Abſoluendi facultatem, quam Prælati habent in alios, an poſſint illa vti in ſeipſos, cap.51.num.6.

Abſoluere, an aliquando poſſit ſimplex cōfeſſarius à reſeruatis directè, c.51.nu.11. Et an poſt abſolutionem dicta reſeruata remaneant materia neceſſaria confeſſionis, nu.12.

Abſolutus à cenſuris, & votis vigore Iubilæi, an cenſeatur benè abſolutus, ſi Iubilæum non perficiat, cap.62.nu.8.& cap.64.num.11.

Abſolutus virtute Iubilæi à reſeruatis, & cenſuris ſaltem in communi, vt fit in ordinaria abſolutione, an ſi poſt elapſum Iubilæum recordetur alicuius peccati, vel cenſuræ reſeruatæ, poſſit abſolui, c.64.nu.4. & 7. Et an quis poſſet abſolui à iuramentis virtute Iubilæi nu.6.

Abſolutus à votis in communi virtute Iubilæi, an poſtea indigeat alia relaxatione, & an commutatio votorum poſſit à confeſſore alteri committi, & fieri poſt elapſum Iubilæum, cap.64.num.8.

Abſolui, an poſſit Epiſcopus virtute Iubilæi à confeſſore non approbato, cap.64.in fine.

Abſolui, an quis poſſit ab hæreſi virtute Iubilæi, cap.64.nu.13. vel virtute Bullæ cruciatæ, ibidem.

Accidentia panis, & vini in Euchariſtia quonam modo maneant, & an poſſit ex eis aliquid generari cap.22. nu.11. & cap.23.nu.14.& 17.

Acholitus miniſtrans Sacerdoti rebaptizanti, an ſit ſuſpenſus, cap.16.num.1.

Actus præambuli, vel ſubſequentes peccatum, an conſtituant nouum peccatum, cap.47.nu.8.

Adæ, & Euæ coniugium, an fuerit Sacramentū, c.2.n.4.in fine.

Adoptio quid ſit, & quomodo dirimat matrimonium. Vide cognatio legalis.

Ætas neceſſaria ad Matrimonium quænam ſit, c.110.nu.25. Et an ſi contrahatur matrimonium ante dictam ætatem ſit irritum iure Eccleſiaſtico tantum, num.26.

Ætas pubertati proxima reſpectu Matrimonij, quænam ſit, cap.110.nu.35.

Affinitas quid ſit, c.106.nu.1. Quos gradus habeat, & quando contrahatur nu.2. An duo Fratres poſſint accipere duas Sorores in vxores n.3. An contrahatur affinitas, ſi copula fuerit habita cum fœmina ſenſibus deſtituta nu.4. Et an contrahatur vſque ad quartum gradum, ibid. An dirimat Matrimonium iure naturæ in primo gradu lineæ rectæ, nu.5. Et an contrahatur, ſi copula fuerit habita cum infideli, vel habente ſororem infidelem, num.6.

Alienari, an poſſit res litigioſa, cap.83.nu.3.

Altare quotuplex ſit, c.32.nu.1. An ſit neceſſarium ad ſacrificium Miſſæ, n.2. Quonā modo amittat conſecrationem, n.3. An ſit mortale celebrare abſque Altari, num.4. Et an in eo requirantur Tobaleæ, Corporale, Candelæ accenſæ, Crux, &c.num.5 & 6.

Amentes, & carentes vſu rationis, vel energumeni, an poſſint priuari Sacram. Euchar. tempore mortis, c.19.n.13.& 14.

Angeli, an poſſint eſſe Miniſtri Sacramentorum, c.7.n.2.& ſeq.

Animæ ſeparatæ, an poſsint eſſe Miniſtri Sacramentorum, cap.7.num.7.

Animæ in Purgatorio, an poſsint tam ipſis, quam alijs aliquid impetrare, c.49.nu.16.& c.69.nu.18.

Annus Interſtitiorum quomodo ſit computandus, c.67.nu.8.

Aquæ benedictæ ſi addatur aqua, an fiat tota benedicta etiāſi in infinitum addatur, cap.57.num.5. in fine.

Archiepiſcopus, an poſsit abſoluere à caſibus occultis Papæ reſeruatis in Diœceſi ſuffraganei tēpore viſitationis, c.51.n.5.

Arrhæ quid ſint, & quid ſignificent in Hiſpania, c.101.n.1. An illas teneatur reſtituere mulier, quæ illas habuit eo, quod

Digitized by Google

fuerit reputata Virgo à Marito, num. 2. & an peccauerit dicta mulier fingendo ſe virginem, ac etiam parentes, & alij ad id concurrentes, num. 3.

Arrhæ quem valorem non poſſint excedere in Regno Caſtellæ, & an requiratur inſinuatio, c. 101. nu. 4. An arrhæ ſint minuendæ, eo quod bona Mariti ſint etiam minuenda, cum bona fide illa poſſideat, & non ſint ſua, nu. 5. Et quid ſi promittens arrhas habeat maioratum, nu. 6. vel fuerit melioratus à Patre cauſa matrimonij, num. 7.

Arrharum promiſſio vltra decimam partem bonorum, quæ promittens poſſidet, an ſit valida quoad exceſſum, & an vxor poſſit dictum exceſſum poſsidere, c. 101, nu. 8. An dictæ arrhæ ſint deſumendæ ex tota hæreditate, an tantum ex parte, de qua promittens poterat diſponere, num. 9.

Arrhas an teneatur maritus ſoluere, ſi ei non fuerit Dos promiſſa ſoluta, vel pars tantum, c. 101. nu. 10. An pupilli, & minores arrhas conſtituere poſsint, nu. 11. An poſsit filiusfamilias num. 12. Et an mulier ſoluto matrimonio de arrhis diſponere poſsit, num. 13.

Arrhæ, an poſsint fieri in contractu ſponſalium amittenda à frangente fidem, cap. 89. nu. 4. & 5.

Attritio ex metu Gehennæ, an ſit bona, & honeſta, c. 44. nu. 13. & 14. Et quid ſi proueniat ex fœditate peccati num. 15. An attritio poſsit fieri contritio, vel attritus poſsit fieri contritus, num. 16.

Attritio, an ſufficiat ad Sacramentum Pœnitentiæ, & qualis eſſe debeat, cap. 55. num. 2. An neceſſariò debeat eſſe ſaltem ante abſolutionem Sacramentalem, n. 3. Et quid ſi confeſsio fuerit tantum de venialibus, num. 5.

B

BAptiſmus in adultis, an requirat aliquam diſpoſitionem ad effectum gratiæ, cap. 3. num. 9.

Baptiſmus an poſsit adminiſtrari ab Angelis, vel ab animabus ſeparatis, cap. 7. num. 6. & 7.

Baptiſmus quid ſit, & quomodo inſtitutus, c. 11. nu. 2. & 3. Quænam ſit eius materia remota, & quænã proxima, n. 6. & 12.

Baptiſmus quibus liquoribus confici non poſsit cap. 11. num. 8. An poſsit confici aqua ex ſale, vel gelu reſoluta, num. 9. Et quid de aqua quæ diſtillat ex vite, vel arbore num. 10. Aut ex vaporibus denſatis, num. 11.

Baptiſmus, an neceſſariò ſit faciẽdus per trinam immerſionem, vel ablutionem, c. 11. nu. 13. Et quid ſi fiat proijciendo puerum in ciſterna, num. 15. & 16.

Baptiſmi forma quænam ſit, c. 12. num. 1. An mutari poſsit, & an plures poſsint vnum baptizare nu. 3. & nu. 9. Particula ego, & Amen, an ſit mortale omittere, nu. 4.

Baptiſmus, an eſſentialiter ſit conficiendus per verbum Baptizo, c. 12. nu. 5. Dicere Baptizaris, vel Baptizetur, an fiat Baptiſmus, nu. 6. an eſſentialiter requiratur expreſsio perſonæ baptizati per illud verbum te, num. 7.

Baptiſmi forma, an mutetur ſi quis pluries repetat, Ego te Baptizo, cap. 12. num. 8. vel ſi quis pronunciet formam modo corrupto, num. 9.

Baptiſmus, an omninò ſit conficiendus per expreſsionem trium perſonarum Sanctiſsimæ Trinitatis, c. 12. nu. 10. Et quid ſi fiat in nomine Chriſti tantum, n. 11. Et an eſſentialiter requiratur, vt dicatur in nomine & non in nominibus, nu. 12.

Baptiſmus an cõficiatur ſi fiat nominibus æquipollentibus perſonis Sanctiſsimæ Trinitatis, c. 12. n. 13. An eſſet Baptiſmus ſi quis diceret in nomine Patris, Ieſu, & Spiritus Sãcti, ibid. An ſi quis diceret in nomine Sanctiſsimæ Trinitatis, nu. 14. vel adderet formæ B. Virginem, vel alium Sanctum, nu. 15.

Baptiſmus, an fuerit datus ab Apoſtolis in nomine Chriſti tantum, cap. 12. num. 16.

Baptiſmus, an ſit conficiendus cum ablutione, & forma verborum ſimul, cap. 12. nu. 17. Et quænam quantitas aquæ requiratur ad Baptiſmum, num. 18.

Baptiſmus quotuplex ſit, c. 13. nu. 1. An ſit vnus tantum quatenus eſt Sacramentum, nu. 2. Et an poſſit iterari, nu. 3.

Baptiſmi Miniſter quis ſit, c. 13. nu. 4. Miniſter neceſſitatis quid debeat obſeruare, vel an v.g. Mulier debeat baptizare præſente Viro, vel vir ſæcularis præſente Sacerdote, aut Sacerdos præſente Epiſcopo, ibidem, & nu. 5. & ſeq.

Baptiſmi Miniſter vi ordinis, an ſit tãtum Epiſcopus, & Sacerdos, cap. 13. num. 5. Et Miniſter iuriſdictionis, & ordinis ſit tantum Parochus Sacerdos, num. 6. & 8.

Baptiſmus, an poſsit à pluribus dari, c. 3. nu. 9. & 10. An requiratur Patrinus, n. 11. Et quid ſi conferatur tempore neceſsitatis, n. 12. Et an poſſint eſſe plures Patrini, nu. 13.

Baptiſmus, an ſtatim conferri debeat adultis, c. 14. nu. 1. An in adultis requiratur eorum conſenſus, aut alia diſpoſitio, nu. 3. An requiratur cõſenſus Parentum, vel Domini reſpectu ſerui, n. 4. An teneantur adulti peccata confiteri, vel contritionem habere, nu. 5. & 6. Et an requiratur fides, num. 7.

Baptizari, an debeant ſtatim pueri Chriſtianorum, & an ſit de fide, cap. 14. num. 8. & 9. An inuitis parentibus aliquando poſsint baptizari, num. 10. Quo tempore ſint baptizandi, num. 11.

Baptizandi, an ſint pueri in vtero materno. Et quid ſi puer non naſcatur totaliter, & adſit periculum mortis, c. 14. num. 12. Natiuitas neceſſaria ad Baptiſmum quomodo intelligatur nu. 13. Et quid ſi mater fuerit damnata ad mortem, ibid.

Baptizari, an poſſint pueri Infidelium non ſubditorum Eccleſiæ, vel Principibus Chriſtianis, c. 14. n. 14. An in aliquibus caſibus baptizari poſſint, etiam inuitis parentibus, num. 5. Et an requiratur conſenſus vnius tantum, vel vtriuſque parentis, num. 16.

Baptizari an poſsint pueri Turcharum ratione voti, quod ſolent facere Turcæ, cap. 14. num. 17.

Baptizari, an poſsint pueri Infideliũ ſtatim, ac habuerint vſum rationis, etiam inuitis parentibus, cap. 14. num. 18.

Baptizari, an poſsint pueri Infideliũ ſubditorum, ſeu mancipiorum ipſis parentibus inuitis, c. 14. n. 19. Et quid de filijs Infidelium apoſtatarum à fide, nu. 20. An teneantur Principes Chriſtiani pueros dictorum Infidelium baptizari facere, vel an poſsint illos vendere ſi fuiſſent bello capti, nu. 21.

Baptizari quonam modo poſsint, vel non poſsint expoſiti, vel monſtrum, cap. 14. num. 22.

Baptizari an poſsint furioſi, & amentes, cap. 14. num. 23.

Baptiſmus, an deleat omnem culpam originalem, actualem, & omnem pœnam, cap. 15. nu. 1. 2. 3. & 4. Et an remittat irregularitatem, num. 5.

Baptiſmus, an conferat gratiam æqualem omnibus, c. 15. nu. 6. Et quinam ſint eius effectus, num. 7.

Baptiſmus, an ſit ſimpliciter neceſſarius ad gratiam, & gloriã, cap. 15. nu. 8. & 9. An aliquando adulti poſsint ſaluari per baptiſmum flaminis, nu. 10. Et vtrum idem ſit dicendum de pueris, num. 11. & 12.

Baptiſmus collatus abſque intentione ex defectu miniſtri, an poſsit ſuffragari baptizato, c. 15. nu. 13.

Baptiſmus ſanguinis vtrum poſsit pueris ſuffragari, c. 15. num. 14. 15. & 16. & quo tempore baptiſmus cœperit eſſe neceſſarius, num. 17.

Baptiſmus, an iterari poſsit, & in quam pœnam incidat iterans, cap. 16. num. 1.

Baptiſmus, an ſit conferendus præuio Catechiſmo, Exorciſmo, & Scru-

Digitized by Google

& Scrutinio, cap.16.nu.2. 4. & 5. Et quis debeat fungi tali officio, num.6.

Baptiſmus fictè acceptus, an conferat gratiam, cap.16.num.7. An recedente fictione baptizatus conſequatur gratiam. Et an ad tollendam fictionem requiratur contritio, n.9.

Beata Virgo, an fuerit capax Sacramentorum, cap.8. num.1.

Benedictiones nuptiales, an ſint ſub mortali præmittendæ ante conſummationem matrimonij, c.99.n.17. An poſsit præcipi ab Epiſcopis, vt dictæ benedictiones ſemper præmittantur, ibidem. Et an ſit mortale illas omninò omittere, num.18.

Benedictiones, an ſint dandæ ſecundis nuptijs, c.109.num.4. Et quid ſi alter coniugum illas habuerit, ibid. An ſi Matrimonium reperiatur irritum, benedictiones ſint in alio Matrimonio repetendæ, n.15. In quas pœnas incidat illas impendens in caſu non permiſſo, nu.6. Quis poſsit illas elargiri. In quas pœnas incidant illas alij elargiendo abſq; debita facultate, n.4. Et an Religioſi incidant etiam in excommunicationem, ſi illas impendant abſque facultate obtenta, n.8.

Benedictiones nuptiales an poſsint dari illis temporibus, quibus Matrimonium contrahi non poteſt, c.111.n.3. An poſſint dari tempore Interdicti, vel ceſſationis à Diuinis, vel in Eccleſia ſpecialiter interdicta, nu.7. Et an diebus, in quibus ſuſpendi ſolet Interdictum, nu.8. Et an poſsint dari exiſtenti in excommunicatione maiori, n.14.

Beneficium Eccleſiaſticum quid ſit, c.77.n.1. Quotuplex ſit n.2. & 3. Quo iure inſtitutum, & quid poſsit Pontifex in beneficijs, & an poſsit aliquē beneficio, aut penſione priuare, n.4.

Beneficium, an quis poſsit procurare pro ſe, ſi adſit dignior, c. 80.n.6. in fine.

Beneficium qui acceptare non poſsint, cap.77.n.5. & ſequenti, & num.15.

Beneficiarij quam ætatem habere debeant, c.78.nu.1. Quænam ætas requiratur ad Canonicatum, vel penſionem habendam in Eccleſijs Cathedralibus, & quænam in alijs beneficijs minoribus, n.2.

Beneficiarij quam ſcientia habere debeant. c.78.nu.3. & quam Archidiaconi, & alij habentes curam Animarum, n.4. An illiterati ſint omninò incapaces beneficiorum, num.5.

Beneficia an poſsint conferri excommunicatis, ſuſpenſis, &c. cap.78.num.6. & cap.80.num.8.

Beneficiarius habens Parochiam, an teneatur inter annū Preſbyteratum ſuſcipere, cap.78.n.7. An teneatur ad reſtitutionem fructuum, ſi accepit beneficium abſque tali animo, ibid. An idem ſit dicendum ſi habuit animum non reſidendi, &c. nu.8. An dicta pœna extendatur ad alios beneficiarios, n.9. An Parochia comendari poſſit non Presbytero, vel ei in titulum dari, nu.10. An ad dictam pœnam requiratur ſententia Iudicis, nu.11. Et an beneficiarij teneantur habere animum inſeruiendi cum habitu, & tonſura ſub pœna reſtitutionis fructuum, ibidem.

Beneficiarius habens vnum beneficium, an poſſit aliud obtinere, c.78.nu.12. Quænam dicantur beneficia incompatibilia, vel compatibilia, nu.13. Et vtrum quis poſſit obtinere duo beneficia ſimplicia abſq; diſpenſatione, nu.14.

Beneficiarius habens beneficium ſufficiens, an excuſetur à culpa, ſi obtineat aliud beneficium à Pontifice, c.78. nu.15. Et quid ſi quis obtinuerit ſecundum beneficium, tacendo primum per ignorantiam, vel obliuionem, num.16.

Beneficium quando cenſeatur ſufficiens, c.78. nu.17. Et quam pœnam incurrant accipientes plura beneficia incompatibilia, vel compatibilia, ſed abſque notificatione primi beneficij, num.18. & 19.

Beneficia quibus modis acquirantur, & amittantur c.79.nu.1. Quid ſit præſentatio facienda à Patrono iuris patronatus, quomodo fieri debeat, & quotuplex ſit, ibidem. Ius patronatus quibus modis acquiratur, nu.12. Quibus iuribus fruatur patronus in Eccleſia, nu.3. Quibus modis poſſit patronus in alios transferre ius patronatus, quomodo requiratur conſenſus Epiſcopi, ibid. & num.4.

Beneficij patronus intra quod tempus teneatur præſentare ad beneficium obtinendum, cap.79.num.5. Quomodo teneatur præſentare idoneum, nu.6. Quid ſi plures præſentauerit nu.7. An teneatur præſentare digniorem num.8. Et an poſſit præſentare abſentem num.9.

Beneficiarij patronus bonæ fidei, an poſſit præſentare, &c. An ſi poſtea nouerit non eſſe ſuum Dominum, debeat priuari per ipſum præſentatus cum reſtitutione fructuum perceptorum, c.79.n.10. An Pontifex poſſit iuri patronatus derogare, & quomodo, & quid de alijs inferioribus Papa, num.11.

Beneficij iuris patronatus inſtitutio ad quem pertineat, cap.29. num. 12. Et quid ſi patronus negligens fuerit in præſentando, vel Prælatus Epiſcopo inferiori in inſtituendo, num.13.

Beneficia conferre ad quos de iure ſpectet, cap.80.num.1. Intra quod tempus poſt vacationem ſint conferenda, num.2. An ſi Epiſcopus conferat beneficia per litteras, poſſit poſtea alteri idem beneficium conferre, antequam primus renuntiet, num. 3. Et quibus conditionibus ſint beneficia conferenda, num.4.

Beneficia, an poſſint conferri digno relicto digniori, & an collator teneatur ſcire, an quis ſit dignus beneficio, cap.80.nu.5. & 6. An dignus teneatur ad reſtitutionem, ſi ipſi, & non digniori fuerit collatum beneficium eodem, n.6. Et an ſi ſciens collator conferat indigno beneficium, collatio reuoluatur ad proſſimum ſuperiorem, num.7.

Beneficia, an poſſint conferri Clericis prima tonſura initiatis, cap. 8. num. 8. Et an ſit capax beneficij ille, qui accepit primam tonſuram ſine debitis litteris dimiſſorijs, num.9.

Beneficium ſuſcipiens, an teneatur obſeruare cælibatum, cap. 80.num.10. Et an teneatur habere animum perſeuerandi in ſtatu clericali, num.11.

Beneficiarij, an teneantur ad reſidentiam, an teneantur ad reſtitutionem ſi non reſideant, cap.80.num.12. & 13. An idem dicendum ſit de Prælatis regularium dicto nu.13.

Beneficiarij in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis quonam modo teneantur reſidere, cap.80.num.14.

Beneficiarij ex quibus cauſis excuſentur à reſidentia, cap.80. num.15.

Beneficiarij in quo loco, & quomodo teneantur, reſidere c.81. nu.1. An teneantur fructus reſtituere ſi non reſideant, nu.2. An ſi non reſideant per quindecim, vel decem dies teneantur reſtituere, num.3. Et an ex ſubita neceſſitate poſſit quis non reſidere abſq; licentia ſuperioris, num.4.

Beneficiarij non recitantes officium diuinum, an fructus beneficij teneantur reſtituere, cap.80.num.5.

Beneficiarij, an ſint Domini fructuum beneficiorum, cap.81.nu. 6. An teneantur fructus ſuperfluos in pios vſus expendere, nu.7. An ex fructibus neceſſarijs poſſint alere parentes pauperes, filios illegitimos, &c. num.8. Et an idem ſit dicendum de penſionarijs, num.9.

Beneficiarij, an poſſint diſponere de fructibus diſtributionum, prout voluerint, cap.81.num.10.

Beneficiarij, an debeant in pios vſus conuertere bona empta fructibus ſuperfluis beneficiorum, cap.81.num.11.

Beneficiorum electio, vide ver. Electio.

Beneficiorum permutatio, an ſit facienda cum reſignatione beneficiorum in manu ſuperioris, c.83.nu.1. & 17. An deb eſſe libera, & quid ſi ſit facienda à beneficiarijs di

I N D E X.

Diœceſis,n.2.Et an beneficiũ non debeat eſſe litigioſum,n.3.

Beneficiorum permutatio ſi fuerit acceptata,an dicta beneficia ſint tantũ permutantibus conferenda,c.83.n.4. An ad permutationẽ requiratur conſenſus patroni,vel eligentium,n.5. An valeat permutatio fictè facta nempè ab vno habente,et alio non habente beneficium,ſed fingente illud habere,nu.6.

Beneficium vnum,an poſsit permutari cum pluribus beneficijs, c.83.n.7. An beneficia reſeruata Summo Pont. poſsint permutari abſq; ipſius auctoritate,& an poſsint reſignari,n.8.

Beneficij reſignatio quid ſit,c.83.n.9. Quotuplex ſit reſsignatio expreſſa,n.10. An debeat eſſe libera,& fieri in manibus habentis auctoritatem approbãdi illam, n.11. An beneficium reſignatum in gratiam vnius,poſsit alteri conferri,num.12. Et an requiratur conſenſus patroni,vel eligentium,num.13.

Beneficij reſsignatio quonãmodo ſit facienda,& ex quibus cauſis ex Bulla Pij V.c.83.n.14.exponuntur dictæ cauſæ n.15. Et quomodo non poſsint dicta beneficia reſignata offerri cõſanguineis reſignantis,nec Epiſcopi approbantis reſignationem,n.16.Et an ad id obligetur etiam Cardinalis. An reſignans poſsit adſtringi abſque voluntate Epiſcopi ad tenendum beneficium,n.17. Et quæ nam ſint crimina,ob quæ beneficiarij amittant beneficia,num.18.

Beneficiarius ſi fiat miles, an beneficium amittat, & quid de penſionario,cap.85 num.3.

Beneficiarius quæ damna patratur,ſi matrimonium, aut ſponſalia contrahat,cap 8.nu.10. Sed fuſius, cap.104. à nu.27. vſque ad finem capitis.

Beneficiarius, an amittat beneficia per matrimonium tantum, & non per ſponſalia,c.104.n.26. Et ſi quis inhabilis ad beneficia,vt eſt illegitimus, obtineat diſpẽſationem ad illa obtinenda,& poſtea matrimonium cõtrahat, an poſſit mortua vxore,dicto priuilegio frui,n.27. Et idem quæritur de obtinente diſpenſationem ad plura beneficia, & an mortaliter peccet ſi non ſtatim beneficia relinquat, & teneatur ad reſtitutionem, num.28. Et quid ſi inualidè contrahat ex quacunque cauſa,num.29. Et quid ſi contrahat cum conſanguinea,num.30.

Beneficiarius, an amittat penſiones per matrimonium, c.104. nu.31. An poſsit Clericus poſt matrimonium frui priuilegio Canonis,& fori,nu.32. An amittat dicta priuilegia per negotiationem,num.33. Et ſi dimittat veſtes & tonſuram,an omninò amittat dicta priuilegia, num. 34. Et an eius vxor fruatur etiam dictis priuilegijs,num.35.

Bimeſtre conceſſum ſponſis poſt matrimonium ratum, an ſit cõceſſum ad ingrediendum religionem, vel ad profitendum, c. 93.nu.18. An poſſit per Iudicem(cauſa cognita)reſtringi dictum tempus,vel prorogari,nu.19. Et an ſit computandum de puncto ad punctum,num.20.

Bulla de celebratione Miſſarum, cum declarationibus Sacræ Congreg.per extenſum ponitur,cap.35.in fine.

Bulla de diebus feſtiuis, qui ex præcepto ſeruandi ſunt, ponitur per extenſum,cap.36.in fine.

C

CAlix,& Patena, an debeant conſecrari ab Epiſcopo,cap. 32.n.8.Et quid ſi ex errore aliquis celebrauerit in vaſis abſq; conſecratione,an debeant poſtea conſecrari,num.9. Et idem quæritur de alijs indumentis benedictis, ibidem.

Calix, & Patena ſi deaurentur, an debeant poſtea conſecrari, cap.32.nu.10.Et an ſi cuppa Calicis ſeparetur à pede amittat conſecrationem,num.11.

Canonici an ſatisfaciant Choro per ſolam aſſiſtentiam, cap.72. num. 8. in fine.

Capitulum ſede Epiſcopali vacante, an poſſint diſpenſare in omnibus caſibus occultis,conceſſis Epiſcopis,cap.112.num, 6.& cap.117.num.6.

Caſus reſeruati in iure communi Epiſcopis, qui ſint, & an vere adhuc ſint reſeruati,cap.50.num.12.

Caſus qui nam poſsint reſeruare,c.50.n.9.Et an illos poſſint reſeruare tàm ſibi,quàm alijs, ibid. An peccata non habentia cenſuram reſeruari poſſint,n.10. Et quid de peccatis venialibus,vel mortalibus internis,nu.11. Et an omnia mortalia abſolutè ſeruari poſsint,num.12.

Caſus reſeruati reſpectu Regulariũ,qui,& quot ſint,c.50.n.13. An pro bono alicuius Conuentus particularis multiplicari poſſint, & an Prælati poſſint præcipere ſub pœna excommunicationis ſibi reſeruatæ alios caſus vltra prædictos,nu. 14.

Caſus reſeruati,an aliquando directè abſolui poſſint à Confeſſario non habente talem facultatem,c.51.n.11.Et an poſt abſolutionem, dicti reſeruati maneant materia neceſſaria confeſſionis,num.12.

Caſus Epiſcopis conceſsi à Concilio Trid.an tranſeant ad Capitulum ſede vacante,c.117.num.6.& ſupra c.112.num.6.

Caſuum reſeruatio, an auferatur etiam per confeſsionem inualidam,cap.51.num.13. An tollatur per obliuionem,nu. 14. Et an poſsit vna reſeruatio tolli ſine alia,num.15.

Catechiſmus, an impediat matrimonium contrahendum, cap. 111.num.15.

Cathecumini quinam dicebantur, & quinam ad præſens ſint, cap.16.num.3.

Cauſa principalis efficiens effectum Sacramenti,quænam ſit,& quænam inſtrumentalis,cap.6.num.1.

Cauſa phyſica,& moralis,quænam dicatur,cap.6.num.7.

Cauſæ matrimoniales, an pertineant tantum ad Iudicem Eccleſiaſticum,cap. 115.num.23.

Cenſus vitalitij, an ſint ſemper conſtituendi ad idem pretium, cap.101.nu.6.in fine.

Character vnde dicatur,& in quibus Sacramentis conferatur, c.5.nu.1. & ſeq. An dabatur in Sacramentis legis veteris, nu.4. An ſit poteſtas ſpiritualis,nu.5. An ſit character Chriſti,& ſubiectetur in intellectu,nu.8.

Circumſtantia ſponſalium, an ſit neceſſariò aperienda in confeſsione,cap.87.num.1.

Circumſtantiæ aggrauantes,an ſint neceſſariò aperiendæ in cõfeſsione,cap.46.nu.11. Quotnam ſint,num.12.Et quomodo intelligantur,num.13.

Circumſtantia loci ſacri quoad furtum, an ſit neceſſariò explicanda,cap.46.num.14.

Circumſtantia virginitatis tàm reſpectu maris,quàm fœminæ, an ſit ſemper aperienda,cap.46.num.15.

Circumſtantia conſanguinitatis, vel affinitatis, an ſit ſemper aperienda, cap.46.num.16.

Circumſtantia delectationis moroſæ cum Virgine, vel Moniali, an ſit neceſſariò explicanda in confeſsione, cap. 46. num.17.

Circumſtantia copulæ habitæ cum Sacerdote religioſo, quonam modo ſit explicanda,cap.46.num.18.

Circumſtantia durationis temporis, quando explicãda ſit, cap. 47.nu.8. Et quid de circumſtantia voti, officij, & ſcandali, num.9.& 10.

Claues Eccleſiæ quid ſignificent reſpectu Summi Pontificis, & reſpectu Sacramenti pœnitentiæ, c.40.num.15.& 16. Quid veniat ſub nomine clauium nu. 17. Et an omnes actus clauium adequatè ſint in Summo Pontifice,num.18.

Clerici nomine, an decenter vtatur Eccleſia, cap. 67. num.2. An dicti Clerici debeant vti habitu,& tonſuræ,num.3. An ſint exempti, tàm quoad perſonas, quàm quoad bona, &

lites

Digitized by Google

lites iure humano, cap.67. num.4. & 5.

Clerici habentes ordines ſacros, an teneantur ſeruare legem cælibatus, cap.67. nu.6.

Clerici non recitantes Litanias in proceſſionibus; an ſint priuandi parte diſtributionis quotidianæ, cap.73. num.12.

Clericus quando amittat beneficium. Vide beneficiarius.

Clericus ſi contrahat matrimonium, an fruatur priuilegio Canonis, & fori, cap.104. num.32. An amittat dicta priuilegia per negotiationem, num.33. Si dimittat veſtes, & non tonſuram, an omninò dictis priuilegijs priuetur, num.34. Et an vxor dicti Clerici coniugati fruatur dictis priuilegijs, num.35.

Clerici exiſtentes in ſacris, Religioſi, & Moniales, an incurrant in excommunicationem ſi contrahant matrimonium, cap.104. num.36.

Cognatio ſpiritualis in Baptiſmo cum quibus contrahatur, cap.13. nu.14. An contrahatur ſi quis alium leuet per errorem, nu.15. Et an pater ſuſcipiens filium, contrahat impedimentum petendi debitum, num.16.

Cognatio ſpiritualis quid ſit, cap.105. num.6. An contrahatur in baptiſmo priuato, nu.7. Quid requiratur, vt patrini contrahant dictam cognationem ſpiritualem, num.8. An poſſit contrahi per procuratorem, num.9. An quilibet baptizatus habens vſum rationis tenere poſſit, & ſi teneat ad confirmationem, an debeat eſſe confirmatus, num.10.

Cognatio legalis quid ſit, cap.105. nu.11. An oriatur ex adoptione perfecta, & imperfecta, & quoniam modo differant hæ duo adoptiones, nu.12. Quæ conditiones requirantur de iure communi, vt quis adoptare poſſit, nu.13. Et quibus modis ſoluatur adoptio, num.14.

Cognatio legalis, an ſit propinquitas perſonarum proueniens ex adoptione, & inter quas perſonas contrahatur, cap.105. num.15. An ſemper dirimat matrimonium, licet proueniat ex adoptione imperfecta, nu.16. An inter omnes, inter quos contrahitur, dirimat matrimonium, num.17. Et an tale impedimentum ſit perpetuum reſpectu omnium, inter quos contrahitur, num.18.

Cognatio ſpiritualis animo inſidiandi contracta, ſcilicet vt alter coniux priuetur ſuo iure, an impediat matrimonium contrahendum, cap.11. num.26.

Communio, an ſit facienda ex præcepto diuino tempore mortis, cap.19. nu.15. Et quid ſi infirmus ſuperuiuat per alios octo, vel decem dies, num.16. An ex præcepto diuino quis teneatur communicare aliquando intra annum, num.17. Et quid de tempore tentationis grauis, vel ſi ſuperueniat peccatum mortale, num.18.

Communio, an ſit licita quotidie, cap.20. nu.12.13. & 14.

Communio, an neceſſariò ſit facienda, ſi per ipſam faciliter ſuperentur graues tentationes, cap.19. num.18.

Communio. Vide verbum Euchariſtia.

Concionator, an peccet mortaliter, concionando cum peccato mortali, cap.9. num.12.

Confeſſio, an poſſit eſſe informis ex defectu doloris, cap.45. nu.4. An recedente fictione detur gratia, & an ſi confeſſio fuerit tantum de venialibus requiratur formalis attritio ſaltem reſpectu alicuius peccati, num.5.

Confeſſio quid ſit, & quas conditiones habere debeat, cap.46. num.1. & ſequentibus. An debeat fieri cum dolore, num.3. An ſit ſecretè facienda, num.4. Et an poſſit præcipi confeſſio publica, num.5.

Confeſſio, an neceſſariò ſit facienda voce humana, & propria, cap.46. nu.6. An ſint in ea explicanda omnia peccata mortalia, nu.7. An peccet pœnitens ſi vni confeſſori confiteatur peccata venialia, & alteri mortalia, num.8.

Confeſſio facta confeſſario habenti titulum coloratum, an valida ſit, cap.98. num.10.

Confeſſio inualida quando dicatur, cap.47. num.11. & quando ſit, vel non ſit repetenda, ibidem.

Confeſſio facta cum ratihabitione de præſenti, vel de præterito, an valida ſit, cap.93. num.20.

Confeſſio, an neceſſariò debeat eſſe integra, etiam quoad numerum peccatorum, cap.47. nu.1. Et vnde ſumatur numeratio, ſeu multiplicatio peccatorum, num.2. & ſeq.

Confeſſio valida, an ſit aliquando iteranda, cap.47. num.12. An ſit iteranda, quia pœnitens oblitus eſt pœnitentiæ, num.13. An ratione confeſſionis generalis, nu.14. Et an ratione voti, vel ſtatuti Religionis, num.15.

Confeſſio repetenda, an ſi repetatur eidem confeſſario ſint iterum peccata explicanda, cap.47. num.16.

Confeſſio de peccatis venialibus, an præcipi poſſit, cap.47. num.17.

Confeſſio facta cum mendacio de rebus non pertinentibus ad confeſſionem, vel non neceſſarijs, an ſit valida, cap.47. nu.18. Et quid ſi pœnitens ſibi imponat peccatum veniale, quod non fecit, vel mortale, num.19. Et an confeſſio neceſſariò requirat præuium examen conſcientiæ, num.20.

Confeſſio, an ſufficiat, vt ſit formaliter integra ratione inſtantis periculi mortis, cap.48. num.1. An ad euitandum damnum, graue proprium, vel alterius, num.2. An ratione ignorantiæ culpabilis, num.3. & 6. vel obliuionis dicto num.3. An ratione caſus reſeruati, num.4. An ne manifeſtetur complex, num.5. An ne propaletur pœnitens, num.3. An ob nimiam ſollicitudinem confeſſarij, vel linguæ impedimentum, & imperitiam, num.8. An ratione infirmitatis contagioſæ, num.9.

Confeſſionis miniſter, an ſit tantum Sacerdos, & an confeſſio facta non Sacerdoti aliquid proſit, cap.49. num.1.

Confeſſionis miniſter, an neceſſariò habere debeat iuriſdictionem, cap.49. num.2. & qui talem iuriſdictionem habeant, num.3.4. & 5.

Confeſſio, an pariat obligationem ſeruandi ſecretum, cap.51. num. 9. Et an peccatum iniuſtitiæ, & ſacrilegij committat agens contra ſigillum confeſſionis, ibidem. An ex ſola confeſſione Sacramentali oriatur tale ſigillum num. 10. Et an ex confeſſione facta laico, vel alio, num.11.

Confeſſionis præceptum, an ſit de iure diuino, & quos comprehendat, cap.54. num.1.2. & 3. Et an obliget etiam extra articulum mortis, num.5.

Confeſſionis præceptum Eccleſiaſticum quos, & quomodo obliget, & an comprehendat tantum habentes culpam mortalem, cap.54. num.6.7. & 8.

Confeſſionis præceptum, an poſſit adimpleri in toto anno, cap.54. num.9. Et an teneatur aliquando quis anticipare confeſſionem, num.10.

Confeſſionem per interpetrem, an aliquando quis facere teneatur, cap.54. num.11. Et quid de confeſſione per ſcriptum, num.12.

Confeſſio inualida, an adimpleat præceptum, cap.54. num.13. Et quæ pœnæ ſint impoſitæ contra tranſgreſſores huius præcepti, num.14.

Confeſſor, an poſſit relinquere Sacrificium Miſſæ, & currere ad petentem confeſſionem, cap.28. num.14. in fine.

Confeſſor ſi non dicat illa verba ab omnibus peccatis tuis, vel nomina perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, an peccet, c.40. num.2. in fine, & quid de pronomine, Ego ibidem in principio.

Cõfeſſor reſpectu habẽtiũ plura domicilia, vel quaſi domicilia,

Digitized by Google

aut nullum domicilii quis dicatur,c.49.n.7.Et cui teneantur confiteri fideles qui reperiuntur apud infideles,ibid.

Confeſſor proprius reſpectu Parochi, Epiſcopi, & Cardinalium quis ſit,cap.49. nu.8. Et quid de familia Summi Pontificis, & Cardinalium,num.9.

Confeſſor, an poſſit mortu Epiſcopo confeſſiones audire. Et quid ſi nullum fuerit ei tempus taxatum, cap.49.num.13.

Confeſſores regulares reſpectu eorumdem regularium,an poſſint abſoluere fratres alterius Prouinciæ,vel Conuentus quando ibi reperiuntur,c.50.n.6. Et quid de ipſorum Prælatis,ibid.

Confeſſor,an debeat habere poteſtatem, bonitatem,& ſcientiã, c.50.num.1.2.& 3.Et quænam neceſſariò teneatur ſcire ad validitatem Sacramenti,num.4.

Confeſſor , an neceſſariò debeat eſſe approbatus à ſuo Epiſcopo, etiamſi audire debeat confeſſiones aliorum Epiſcoporum , vel Prælatorum, c.50. nu.5. An approbatus ſimpliciter in vna Diœceſi,cenſeatur approbatus in omnibus,nu.6. An talis approbatio ſit neceſſariò facienda ab Epiſcopo Confeſſoris,an pœnitentis,nu.7. Et an Confeſſores ſimpliciter approbati,vt ſupra teneantur ſubiacere examini aliorum Epiſcoporum vbi morantur, num.8.

Confeſſores Mendicantes vigore priuilegiorum à quibus peccatis abſoluere poſſint,vel non poſſint,cap.51.num.7.

Confeſſor,an poſſit abſoluere à non reſeruatis, & mittere pœnitentem ad ſuperiorem,cap.51.num.10.

Confeſſor,an debeat cogere pœnitentem,vt ſtatim reſtituat ante abſolutionem,cap.52.num.2. An teneatur cognoſcere diſpoſitionem pœnitentis,ibid. & an teneatur examinare eius conſcientiam,num.3.

Confeſſor, an teneatur monere pœnitentem ſi inuincibiliter non poſſit cognoſcere rem non eſſe ſuam , vel matrimonium non eſſe ratum, cap.52.num.4.

Confeſſor,an poſſit ſequi opinionem probabilem pœnitentis, relicta ſua probabiliori,c.52.nu.5. An teneatur monere pœnitentem ſi in confeſſione non fuit aliquis error eſſentialis, vel contra tertium,num.6.& 7. Et an qui fingit ſe confeſſorem, fiat irregularis,num.8.

Confeſſor , an poſſit loqui extra confeſſionem cum pœnitente de auditis in confeſſione,c.52.nu.16. An loqui poſſit cum alijs de dictis rebus de licentia pœnitentis,nu.17. Et an confeſſor poſſit hoc munus exercere ſi in ſomnis impletum,&c.Ibid.

Confeſſor,an poſſit fieri cautior,& prudentior ex notitia habita in confeſſione,c.52.nu.21.Et an aliquando licite vti poſſit dicta notitia,num.22.

Confeſſor ex notitia habita in confeſſione , an poſſit negare ſuffragium illi , quem nouit in confeſſione indignum , cap.52. num.23.

Confeſſor, an teneatur eodem modo tenere ſub ſigillo pœnitentem, ac eius complicem in confeſſione manifeſtatum, c.53. num.4. & an de licentia ipſius pœnitentis poſſit vti notitia confeſſionis in correctione complicis, num.5.

Confeſſor, an teneatur imponere pœnitentiam, cap.56. num.4. & ſeq. Cætera pertinentia ad ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam, vide in dicto cap.

Confeſſor,an teneatur monere pœnitentes,qui ex errore contraxerunt matrimonium,cap.94.num.20.

Confeſſores ſæculares,an poſſint extra Sacramentum pœnitentiæ vota commutare, vel in eis diſpenſare, necnon diſpenſationes ſacræ pœnitentiariæ expedire, c.113.nu.23.

Confeſſores pro expeditione diſpenſationum matrimonialium ſacræ pœnitentiariæ , an debeant eſſe Doctores, & Magiſtri, cap.103. nu. 22. Et quid circa id poſſint confeſſores mendicantes,num.23.

Confirmationis Sacramentum , an de fide ſit , eſſe in Eccleſia, cap.17.nu.1. Quomodo, & quando inſtitutum,num.2.& 3.

Confirmationis materia remota, an ſit Chriſma ex oleo,et balſamo confectum,c.17.nu.4. An requiratur,vt recens ſit,num. 5. Et an eſſentialiter Chriſma ſit ab Epiſcopo conſecrandum, num.6.& ſeq.

Confirmationis materia proxima , an ſit vnctio ex Chriſmate in fronte facta, cap.17. num.9. An eſſentialiter ſit facienda manu , & pollice Epiſcopi, num.10. An requiratur manus impoſitio,nu.11. & quare materia huius Sacramenti conſecretur,& non aliæ aliorum Sacramentorum,num.13.

Confirmationis forma,quænam ſit,& an mutari poſſit,cap.17, num.14.& 15.

Confirmationis effectus, an ſit character, & augmentum gratiæ,cap.18.nu.1.& 2.

Confirmatio , an habeat maiorem gratiam quam baptiſmus , cap.18.nu.3.

Confirmationem omittere,an ſit mortale,an ſit pueris,& amentibus miniſtranda,c.18.nu.4.5.& 6. Et an requiratur vnus tantum patrinus,num.7.

Confirmationis Miniſter,an ſit tantum Epiſcopus cap.18,num. 8. An Epiſcopus poſſit confirmare ordinandos, licet non ſit ex ſua Diœceſi num.9. Et quibus cæremonijs Chriſma conficiatur,num.10.

Confiteri,an & quando teneantur fideles,qui reperiuntur apud infideles,cap.49.nu.7.in fine.

Conſanguinitas quid ſit,& quomodo diuidatur in gradus,& lineam,& quomodo cognoſcantur eius gradus per lineam directam,& tranſuerſalem, cap.105.nu.1.2.& 3. An vſque ad quartum gradum dirimat matrimonium iure Eccleſiaſtico , & in primo gradu lineæ rectæ iure naturali diuino , nu.4. Et an in primo gradu lineæ lateralis Pontifex diſpenſare poſſit,num.5.

Contractus à iure prohibiti an firmentur iuramento,vel an ſint omninò irriti,nec ad iuramentum requiratur relaxatio,cap. 95.num.18.

Contractus ob publicam vtilitatem prohibiti à lege , an ita irriti ſint , vt neque requiratur relaxatio iuramenti, cap.95. num.22.

Contractuum ſolemnitas,an ſit facienda iuxta vſum loci,in quo ſit contractus , & excipiatur contractus dotis , qui videtur faciendus iuxta conſuetudinem loci,in quo vir habet domicilium, cap.98.num.3.in fine.

Contractus, an ſint validi inter virum , & vxorem præter donationem,cap.99.nu.2.in fine.

Contritio quid ſit,& in quo formaliter conſiſtat, cap.44. nu.1. & 2. An neceſſe ſit , vt procedat ab actu amoris Dei ſuper omnia, num.3. Et vt pœnitens habeat propoſitum non peccandi in futurum,num.4.

Contritio, an neceſſe ſit, vt ſit intenſa in aliquo gradu, cap.44. nu.5. An vt habeat aliquam temporis durationem,nu.6.Et an vt cadat ſuper omnia peccata diſtinctè cognita,nu.7.

Contritio , an virtualiter dicatur maior , & minor reſpectu diuerſorum peccatorum,cap.44.nu.8.Et an poſſit dari de vno peccato mortali ſine alijs,num.9.

Contritio actiuè,procedat ex gratia habituali,cap.44.num.10. Quonammodo ſit diſpoſitio ad gratiam,nu.11. Et quomodo differat ab attritione,num.12.

Contritio, vel ſaltem attritio, an debeat eſſe ſaltem ante abſolutionem peccatorum,cap.45.num.3.

Crimina dirimentia matrimonium quænam ſint , & quomodo homicidium proprij coniugis ſit impedimentum dirimens , cap.108.num.1.2.& 3. An fides data de matrimonio cum adultero , aut contractus matrimonij viuente coniuge dirimat matrimonium,nu.4. An dicta fides debeat eſſe acceptata,nu.5.

ta,nu.5. An ſufficiat taciturnitas ad dictam acceptationẽ, ibid. Quando adulterium, & quando raptus dirimant matrimonium. Vide verbum impedimentum tertij criminis.
Cultus diſparitas. Vide impedimentum.

D

Delectatio moroſa inter coniuges præteritæ copulæ coniugalis, an, & quando ſit culpa mortalis, cap.114.nu.30. in fine. Et an ſit mortalis illam ſumere ex oſculis, tactibus, aſpectibus, &c. Et quid ſi adſit periculum pollutionis, ibid.
Delectatio moroſa inter ſponſos de futuro ex oſculis, tactibus, &c. quando proſit ex culpa mortalis, c.114.nu.31.
Delegare qui poſſint, cap.49.num.11. An poſſit delegatio aliquando durare poſt mortem delegantis, num.13. An etiam delegatio poſſit concedi dando facultatem pœnitenti eligendi ſibi confeſſorem, num.16. Et quibus modis poſſit quis aliquam habere facultatem eligendi confeſſorem nu.17. Quos caſus comprehendat delegatio, ſcilicet, an in ea includantur caſus Prælato reſeruati, num.20. Et an facultas præſumpta, vel interpretatiua ſufficiat ad tribuendam facultatem eligendi ſibi confeſſorem, num.21.
Delegatus, an poſſit delegare, cap.112.num.15. circa fin.
Denunciationes, ſeu publicationes matrimonij. Vide ver. matrimonium.
Deuotio quid ſit, cap.76.num.1. An ſit actus voluntatis, num.2. An ſit actus religionis, num.3. An aliquando ſumatur pro quadam ſuauitate ſpirituali, num.4. Quomodo differat deuotio ab affectu colendi Deum, num.5. In quibus conſiſtat deuotio, num.6. Quænam ſit cauſa deuotionis, num.7. & 8. Et quis eius effectus, num.9.
Diaconus, & Subdiaconus, an peccent mortaliter, ſi canant Euangelium, vel Epiſtolam in peccato mortali, c.9.nu.9.
Diaconus, an poſſit ex officio baptizare, & prædicare, cap.13. num.5. & 8.
Diaconus tempore neceſſitatis, an poſſit miniſtrare Euchariſtiam; & quando id poſſit extra caſum neceſſitatis, de licentia Parochi, vel Epiſcopi, cap.28.nu.5. & 7.
Dimiſſoriæ à quo Epiſcopo concedendæ ſint, & an extinguantur morte concedentis, cap.66.nu.8. An quomodo ſint concedendæ à Prælatis Regularium, cap.62.num.7.
Diſpenſare quis poſſit in impedimentis non dirimentibus matrimonij, cap.111.nu.32. Et an tantum Pontifex poſſit diſpenſare in voto caſtitatis, vel religionis, ibidem.
Diſpenſandi poteſtas, an ſit latè interpretanda, cap.112.nu.4. Et in quos caſus extendi poſſit, ibidem. Quid faciendum in caſu dubio tàm reſpectu diſpenſationis, quàm reſpectu poteſtatis, num.5.
Diſpenſatio quomodo differat ab interpretatione, irritatione, & abrogatione, c.112.nu.1. Quid ſit diſpenſatio, nu.2. an poſſit extendi ad caſum ſimilem, ibidem. An ſit ſtrictè interpretanda dicto loco, & in quibus caſibus ſit latè interpretanda, num.3.
Diſpenſans in votis, & iuramento ex facultate delegata, an poſſit etiam illa mutare, cap.112.num.7. An idem poſſit cum iuramentis ſoli Deo factis, num.8. Et quid de votis iuramentis, num.9.
Diſpenſandi facultas, an extendatur ad ſeipſum, cap.112.num.11. An directè Prælati poſſint diſpenſare cum ipſiſmet, nu.12. Et an admiſſio facta à Prælato ad actum prohibitum, cenſeatur diſpenſatio, vel quid ſi ſuperior videat, & taceat, num.13.
Diſpenſare, an poſſit Epiſcopus in lege Summi Pontificis, vel Concilij, cap.112.num.14. Et quomodo poſſit diſpenſare in impedimentis dirimentibus, num.15.
Diſpenſare, an poſſit Summus Pontifex in omnibus impedimentis dirimentibus matrimonij, cap.112.nu.15. An poſſit in voto ſolemni caſtitatis, nu.16. Et an tunc ſic diſpenſatus teneatur ad Officium Diuinum, ibidem.
Diſpenſare quando poſſit Epiſcopus in voto caſtitatis, vel religionis, cap.112.num.17. An poſſit diſpenſare ad petendum debitum ratione voti caſtitatis, vel affinitatis, aut cognationis ſpiritualis prohibitum, num.18.19. & 20. Et an eadem doctrina ſit de iuramentis caſtitatis, vel religionis, num.21.
Diſpenſans in lege ſuperioris abſque iuſta cauſa, an valida diſpenſatio ſit, c.112.nu.22. Et quando Princeps, vel alius Superior peccet diſpenſando in lege propria abſque iuſta cauſa, ibidem.
Diſpenſatio ab irregularitate obtenta ratione homicidij Sacerdotis, an valeat ſi non exprimatur occiſum fuiſſe Sacerdotem, cap.113.num.5.
Diſpenſatio contrahendi matrimonium in ſecundo gradu quibus, & ob quos caſus concedatur, cap.113.num.1. & 2.
Diſpenſatio in voto caſtitatis, vel religionis ex quibus cauſis concedatur, cap.113.num.3.
Diſpenſationem impetrans, quæ teneatur aperire, vt diſpenſatio bona ſit, cap.113.nu.4. An qualitates extrinſecæ ſint aperiendæ nu.5. Et quando falſitas expoſita reddat irritam diſpenſationem, num.6.
Diſpenſationem deſiderans in conſanguinitate quænam debeat explicare, cap.113.nu.7. Et quænam in impedimento affinitatis, vel publicæ honeſtatis, num.8. Et quæ in impedimento cognationis ſpiritualis, num.9.
Diſpenſatio voti, vel iuramenti, vel vtriuſque ſimul quonammodo ſit impetranda, cap.113 num.10.
Diſpenſatio in conſanguinitate, vel affinitate, an ſit impetranda cum expreſſione copulæ habitæ, c.113. nu.11. An idem ſit etiam neceſſarium in cognatione ſpirituali, nu.12. Et quid ſi adfuerit etiam tractatus matrimonij, nu.13. Et an ad obtinendam dictam diſpenſationem requiratur mandatum, vel poſſit obtineri, etiam ipſis inſcijs, num.14.
Diſpenſatio quando expiret morte delegati, vel delegantis, c.113.num.15. & 16.
Diſpenſatio voti caſtitatis, vel non nubendi, an extinguatur per primum matrimonium, cap.113.num.17.
Diſpenſationi electioni, vel gratiæ conceſſæ renuntians, an poſſit poſtea illa frui, cap.113.num.18.
Diſpenſationis litteras ſacræ pœnitentiariæ quis, & qualis confeſſor expedire poſſit, c.113.num.22. Et quid poſſint circa id confeſſores regulares, num.23.
Diuortium quid ſit, & quomodo differat à repudio, c.115.nu.1. An ſit licitum diuortium iure naturæ, num.2. An poſſit fieri ob ſolam voluntatem adulterandi, vel an requiratur peccatum, per quod fiat carnis diuiſio, num.3.
Diuortium in quibus caſibus non poſſit dari, c.115.nu.4. An ſit licitum ſi maritus dederit cauſam directè, vel indirectè adulterio commiſſo, nu.5. Quid ſi adulterium fuerit commiſſum ob errorem, num.6.
Diuortium, an poſſit fieri, ſi poſt adulterium, coniuges copulam habeant, vel an cenſeatur condonatum delictum, c.115.nu.7. Et poſt diuortium, an coniuges poſſint religionem ingredi, vel ad ſacros ordines aſcendere, nu.8. & 21.
Diuortium in quibus caſibus coniux innocens teneatur facere, c.115.n.9. An teneatur debitum reddere, ſi adulteriũ fuerit ſecretum, & adſit præceptum, vel excommunicatio iudicis, nu.10. Et an teneatur coniux innocens habitare cum coniuge adultero ante iudicis ſententiam, num.11.

Diuortium,ut licitè fiat, quæ notitia adulterij neceſſaria ſit, c. 115.nu.12.Et an per copulam,oſcula,& alios actus matrimoniales,cenſeatur condonatum delictum,num.113.

Diuortium,an poſſit fieri ob hæreſim,vel apoſtaſiam à fide,cap. 115.nu.14. An teneatur ad illum redire ſi ſe emendauerit, ibid. & infra nu.16. Et ſi cum eo habeat copulam, an poſſit poſtea petere diuortium,nu.15. An neceſſariò debeat expectare coniux innocens ſententiam iudicis, & poſt ſententiam an poſſit non redire,licet ſe correxerit,coniux damnatus,num.16.

Diuortium,an ſit licitum etiam in caſu,quo coniux vellet inducere ad peccandum alterum ſuum coniugem,c.115.nu.17. An etiam licitum ſit ob ſæuitiam,num.18. An ſub nomine ſæuitiæ veniat omne malum notabile, quod poſſet aduenire coniugi,nu.19.Et an non ſolum ſæuitia viri, ſed etiam ipſius parentum poſſit eſſe cauſa diuortij, nu.20. An vir poſſit diſcedere ab vxore maga, ibid. Et an poſt factum diuortium, poſſint coniuges ad religionem ingredi,vel ad ſacros ordines aſcendere reſpectu viri, nu.21.& ſupra num.8.

Donatio inter coniuges quotupliciter ſit, cap.99. nu.1. An donatio ſimplex valida ſit inter coniuges, nu.2. Et an idem ſit dicendum,ſi fiat inter conſanguineos alterius ſponſi,ibid.

Donatio inter Imperatorem,& Imperatricem,vel inter Principes,& Principiſſas,an ſit valida, & an idem ſit dicẽdum quotieſcunque donatio inter coniuges, non fiat cum iactura donantis,& vtilitate donatarij,cap.99.num.3.

Donatio inter coniuges,an ſit valida, ſi res ſit tranſitura in dominium alterius coniugis, poſt mortem coniugis donantis, cap.99. num.4. Et quid dicendum ſit, quando coniuges non fuerint veri coniuges, ſed putatiui, num.5. Et an valida ſit donatio, ex qua coniux donans non fiat pauperior, licet donatarius fiat ditior,num.6.

Donatio inter coniuges bonorum acquiſitorum, & acquirendorum,an ſit valida, cap.99. num.10. An idem ſit dicendum de donatione remuneratoria, num.11. Quæ conditiones requirantur ad talem donationem,ibid. An vxor poſſit conſtituere dotem marito,& è contra ratione nobilitatis, vel minoris ætatis,num.12. Et an id maritus poſſit agere in præiudicium legitimæ debitæ aſcendentibus, vel deſcendentibus, num. 13. Et quando confeſſio facta à marito de receptione dotis,quam verè non recepit,cenſeatur donatio,num.14.

Donatio cauſa mortis inter coniuges, an valida ſit, cap.99. num.15.

Donatio inter coniuges,an firmetur iuramento,c.99.nu.16. Et quid ſi maritus iurauerit habuiſſe dotem,& teneri illam reſtituere ob ſpem,quam habebat,& poſtea non habuit,an teneatur reſtituere,cap.99.num.17.

Donatio inter coniuges, an firmetur morte coniugis donantis, & quæ conditiones requirantur,cap. 99.nu.18. An donatio facta à viro vxori valida ſit, licet non fuerit facta traditio rei donatæ,nu.19.Si coniux donatarius præmoriatur,an valida ſit donatio,nu.20. Et an valida ſit,ſi donatio fuerit vltra quincentum ſolidos abſque inſinuatione, num.21.

Donatio inter coniuges quando cenſeatur reuocata ob mutationem voluntatis expreſſam,vel tacitam, cap.99.num.22.

Donatio inter coniuges, an retrotrahatur vſque ad tempus factæ donationis. An poſſit ante mortem res vſucapi. Et an ſtatim ſequuta morte donantis, res donata tranſeat in dominium coniugis donatarij, nulla expectata hæreditatis aditione,cap.99.num.23.

Donatio inter coniuges, ſi fuerit reuocata, an coniux donatarius teneatur reſtituere omnes fructus tàm naturales, quàm induſtriales,cap.99.num.24.

Donatio inter coniuges, an remaneat confirmata per mortem ciuilem coniugis donantis,cap.99.nu.25.

Donatio ſponſalitiæ largitatis, an ſtatim tranſeat ad donatarium,& quid ſi per ipſum non ſtetit,cap.100.nu.1. An poſſit fieri vltra quincentum abſque inſinuatione, & quid ſi matrimonium non ſequatur, ibidem. Sponſa, an dictam donationem acquirat, vel dimidiam partem per ſolam traductionem ad domum ſponſi,ſi non adfuit oſculum, nec copula, num.2.Et quid ſi ſponſalia,vel matrimonium fuerit nullum ob aliquod impedimentum dirimens,num.3.Et quid ſi ſponſalia diſſoluantur abſque culpa contrahentium, num.4.

Donatio ſponſalitiæ largitatis ſi fuerit facta, & ſimul etiam fuerint datæ arrhæ, an poſt conſummatum matrimonium vxor poſſit accipere arrhas, vel ſponſalitiam largitatem ad eius libitum,c.100.num.5.& quid ſi diſſoluantur ſponſalia, & adfuerit oſculum, nu.6. An dicta ſponſalitia largitas ſit tradenda ante matrimonium, nu.7. quanta poſſit eſſe nu.8. & ſupra num.1.

Donatio facta à marito vxori de veſtibus, an cenſeatur vera donatio,& ſimiliter ſi illas vxor donaſſet marito,cap.100. num.9.

Donatio facta à ſponſo ſponſæ de veſtibus, an cenſeatur vera donatio, & quid ſi fuerint veſtes pretioſæ, cap.100. nu.10. quid de veſtibus donatis à ſocero nurui,nu.11. vel de donatis à patre filio,num.12.& quando ſunt computandæ in ſortem,iuxta quem valorem ſint computandæ, num.13.

Donatio facta vtrique ſponſo ab extraneis, vel ab amicis, an ſit communis inter ſponſos, & quid ſi facta fuerit à conſanguineo vtriuſque ſponſi,cap.100.num.14.

Donatio facta ſponſæ à conſanguineis mariti, & è contra, cuiſnam cenſeatur facta,cap.100.nu.15. An cenſeatur firmata per mortem alterius ſponſi,num.16. An ſit ſicut ſponſalitia largitas,cuius dimidiam partem acquirit vxor per oſculum, & totam per copulam matrimonialem, num.17.

Dos,quam quis fecit vxori putãs illam habuiſſe virginem, ſed verè non erat virgo,an ſit reſtituenda,cap.101.num.2.

Dos,an ſit aſſignanda filiæ ſi inuitis parentibus nupſerit, & an ob hanc cauſam poſſit exhæredari, c.95.nu.27.& 28.

Dotis contractus, an ſit celebrandus cum ſolemnitate loci, in quo vir habet domicilium,cap.98.num.3 in fine.

Dubitans de poteſtate ordinis, vel iuriſdictionis, an poſſit ſacramenta miniſtrare, cap.9.num.3.

Dubitans, an promiſerit, vel acceptauerit futurum matrimonium, an teneatur adimplere ſponſalia, vel ſi promiſit neſciens naturam promiſſionis, c.87.nu.6.in fine.

Dubitans,an habuerit vſum rationis neceſſarium ad ſponſalia, an debeat tenere partem negatiuam,c.87.nu.18. in fine.

E

ECcleſia quando dicatur violata, cap.13. nu.14.15.& 16. & cap.114.nu.13. An celebrare in Eccleſia violata, ſit ſub aliqua cenſura prohibitum,nu.24. & quid faciendum,ſi dum Sacerdos celebrat, accidat violatio,num.25.

Eccleſia,an polluatur per vſum matrimonij,per tactus inhoneſtos,per nutus,vel confabulationes ſimiliter inhoneſtas,cap. 114.num.17.

Electores,an teneantur expectare abſentem, vel proximum ad pubertatem,&c.cap.82.nu.4. An omnes electores ſint vocandi, vt electio ſit valida, num.5. & an poſſint alios, vel alium ſubſtituere pro ſe,ibidem.

Electio,an poſſit fieri,Eccleſia non vacante,& quomodo differant electio,collatio,& præſentatio, cap.82.nu.1. Ad quos ſpectet electio,num.2.Elector an debeat eſſe ſaltem Subdiaconus,& quid de Clericis Regularibus,& an Laici,vel Conuerſi

Digitized by Google

uerſi profeſſi poſſint concurrere ad eligendum,& eſſe de capitulo,num.3.

Electio, an poſſit cadere ſuper excommunicatum, ſuſpenſum, &c. vel exiſtentem in peccato mortali, aut in excommunicatione minori, cap.82. nu.6. Electio ſuper quos cadere poſſit num.7. An ſit facienda intra tres menſes, & non noctis tempore,nu.8.Et an poſſit fieri clandeſtinè,vel in loco interdicto, num.9.

Electio quotupliciter fiat,cap.82. nu.10. & quando electio deuoluatur ad proximum ſuperiorem,num.11.

Electus, an teneatur conſentire in ſuam electionem, & an melius ſit conſentire,quam deſſentire, cap.82.num.12.

Electio facta non vocato vno electore, an poſſit annullari, etiamſi omnes conſenſerint in electione,cap.79.num.7.

Electio, an ſemper facienda ſit de digniori, & quid ſi non ita fiat,cap.80.à num.5.& ſeqq.

Epiſcopus,an poſſit abſolui virtute Iubilæi à confeſſore non approbato,cap.64. in fine.

Epiſcopus, an teneatur eſſe in gratia dum benedicit Chriſma, vel conſecrat vaſa ſacra,&c.cap.9.num.10.

Epiſcopus, an poſſit confirmationis Sacramentum miniſtrare ordinandis,licet,non ſint de ſua Diœceſi,cap.18.num.9.

Epiſcopis, an ſint aliquis caſus à iure reſeruati, c.50. nu.12.

Epiſcopus, an poſſit abſoluere à delictis Pontifici reſeruatis, ſed occultis, cap.51.num.2. & an idem dicatur de Abbatibus exemptis num.3.& de Prælatis Regularibus, nu.4.

Epiſcopus, an poſſit diſpenſare in caſibus pertinentibus ad ius commune,vel Pontifici reſeruatis, cap.111.num.4.

Epiſcopus,an poſſit aliquando diſpenſare in lege Summi Pontificis,vel Concilij, cap.112. num.14. & an aliquando poſſit diſpenſare in impedimentis dirimentibus.

Epiſcopus in quibus caſibus poſſit diſpenſare in voto caſtitatis, vel religionis, c.112. nu.12. An poſſit diſpenſare ad petendum debitum ratione voti caſtitatis,vel affinitatis prohibitum,nu.18.& 19.& an idem poſſit ratione cognationis ſpiritualis,nu.20.Et an idem poſſit in iuramentis, num.21.

Epiſcopatus,an ſit ordo, cap.65. in quo conſiſtat eius officium, nu.7.& quæ nam ſit eius materia,& forma,num.13.

Equites S.Iacobi Calatrauæ, & ſimiles, an poſſint expendere, fructus Commendarum,prout voluerint,cap.81.num.12.Et an idem ſit dicendum de Equitibus S. Ioannis Baptiſtæ, num.13.

Equites Religionum militarium, an ſint veri religioſi, cap.93. num.6.

Error quodammodo differat ab ignorantia,cap.113. nu.1. An error perſonæ dirimat matrimonium,nu.2. Et an illud dirimat iure naturali,an iure humano,num.3.

Error qualitatis,an irritet matrimonium, cap.103.nu.4. Quid ſi error qualitatis tranſeat in errorem perſonæ,& quomodo dicatur tranſire, nu.5. Et quid ſi quis oſtendat aliam filiam pulchriorem,vt decipiat ſponſum, num.6.

Error conditionis ſeruilis,an, & quando dirimat matrimoniũ, c.103.nu.8.Et in dubio,ad quem ſpectet probare non adeſſe, vel eſſe talem conditionem ſeruilem, num.9.

Error ſeruitutis ſcriptitiæ,vel originariæ,an dirimat matrimonium,cap.103.num.10.

Errans in conditione ſeruili, ſi ea cognita poſtea habeat copulam,an fiat validum matrimonium, cap.103.num.11.

Error ſeruitutis, an dirimat matrimonium iure humano tantum, c.104.nu.14. Quid ſi talis error procedat ex ignorantia craſsiſsima, num.15. Et debeat eſſe talis, vt errans fiat peioris conditionis,num.16.

Euchariſtia, an ſit vnum tantum Sacramentum inſtitutum à Chriſto Domino, cap. 19. num. 1. Et quas ſignificationes habeat, num. 2.

Euchariſtia, an definiatur, Sacramentum continens ſub ſpeciebus panis, & vini, Corpus, & Sanguinem Chriſti, cap.19. num.3. An fuerit inſtituta in vltima Cœna,num.4. An poſt lotionem pedum,& anno Chriſti 34.inchoato,nu.5.& quænam figuræ præceſſerunt ex ea, num.6.

Euchariſtia,an ſit neceſſaria pro remiſſione peccatorum,vt pro conferenda prima gratia, cap.19. num.7. An eius ſumptio actualis ſit medium ſimpliciter neceſſarium ad perſeuerandum in gratia, & ad beatitudinem, nu.8. vel an ſit tantum efficax medium ad id num.9.

Euchariſtia ſi adminiſtraretur paruulis, an illis conferret gratia,cap.19.num 10.

Euchariſtiæ vſus an ſit neceſſarius ex præcepto diuino, cap.19. nu.11. An hoc præceptum ſe extendat etiam ad non baptizatos,ſcilicet infideles,nu.12. An ad carentes vſu rationis, num.13.Et an ad energumenos, num.14.

Euchariſtia an ex præcepto diuino ſit ſumenda tempore mortis,cap.19.num.15. Et ſi infirmus non moriatur ſtatim, an iterum teneatur illam ſumere,num.16. An obliget vt ſumatur aliquoties in vita,nu.17.Et an ex accidenti,vel ratione tentationis,vel peccati mortalis ex præcepto diuino,iterum quis teneatur illam ſumere,num.18.

Euchariſtia an ſit ex præcepto poſitiuo ſumenda, ſemel in anno, cap. 20. num. 1. In qua ætate obliget dictum præceptum, num. 2. Et an in caſu mortis ſit ſumenda etiam in minori ætate,num.3.

Euchariſtiæ ſumptio reſpectu filiorum, ſeruorum, &c. An ſit procuranda à Patre,Domino,tutore,&c.cap.20.num.4.

Euchariſtiæ præceptum quomodo intelligatur obligare tempore Paſchatis, cap.20. num.5. Qui non ſuſcipit in Paſchate, an liber maneat vſque ad aliud Paſcha,num.6.Et an in aliquo caſu,quis teneatur communionem anticipare, num.7.

Euchariſtiam accipiens in peccato mortali,an ſatisfaciat præcepto,c.20. nu.4. An tranſgreſſor huius præcepti ſtatim incidat in aliquam cenſuram, num.9. Et an poſsit hoc præceptum adimpleri in Eccleſia Cathedrali, num.10.

Euchariſtiam an poſsit quis ſumere in alijs Eccleſijs die Paſchatis,cap.20.num.11.

Euchariſtiam quotidie ſumere,an ſit licitum, c.20. nu.12. An potiùs ſæpè quam rarò ſumenda ſit,nu.13.Et an concedi debeat,vt octauo tantum quoque die ſumatur, num.14.

Euchariſtiæ materia,an ſit panis,& vinum,c.21.nu.1.An poſſit conſecrari vna materia ſine alia, nu.2. Et an in id poſsit Pontifex diſpenſare,num.4.& 5.

Euchariſtiæ materia,an debeat eſſe præſens Sacerdoti certo,& definito,cap.21.nu.6.& 7. An qualibet minima quantitas, vel magna conſecrari poſsit,num.8. An ad conſecrationem ſufficiat virtualis intentio, num.9. An guttæ vini affixæ in calice ſint conſecratæ,ibidem.

Euchariſtia an ſit conficienda in pane triticeo coagmentato ex farina, & aqua naturali, & cocto igni per modum aſſationis,cap.21.nu.10.11.& 12.

Euchariſtia an poſsit confici tam in azimo, quàm in fermentato,cap.21.nu.13. Et quid de Sacerdotibus Latinis,& Græcis dum reperiuntur in altera Eccleſia,num.14.

Euchariſtia, an poſsit confici à Latino in fermentato ob viaticum miniſtrandum,vel in azimo à Græco in caſu, quo non adeſt alius panis,cap.21.num.15.

Euchariſtiæ materia remota, reſpectu ſanguinis, an ſit vinum vitis,c.22.nu.1. Quodnam vinum excluditur,num.2.& an ſuccus Vuarum,vel Muſtum ſit apta materia, num.3.

Euchariſtiæ,ideſt ſanguini, an miſcenda ſit aqua naturalis ante conſecrationem,nu.4. Quonammodo id licitum ſit,nu.5. An debeat

Digitized by Google

debeat eſſe in parua quantitate, num.6. & quid ſi ponatur aqua roſeacea, vel alius liquor, num.7. An dicta mixtio aquæ debeat fieri tantum in Miſſa, cap.22.num.8. An poſſit eſſe calida num.9. Et ſi non fuerit conuerſa in vinum ante conſecrationem, an conuertatur in ſanguinem, num.10. & quid ſi dicta aqua non conuerteretur in ſanguinem mediante vino, num.11.

Eucharistia, ſcilicet corpus, & ſanguis Chriſti, an contineatur ſub ſpeciebus panis, & vini, cap.23.num.1. An de potentia abſoluta poterat Chriſtus inſtituere, vt ſubſtantia panis ibi remaneret, num.2. Et an vi conſecrationis maneat ſub ſpeciebus panis Corpus Chriſti, & ſub ſpeciebus vini ſanguis Chriſti, num.3.

Eucharistia, an conficiatur cum annihilatione panis, & vini, cap.23.num.4. An tranſubſtantiatio fiat in inſtanti, nu.5. Et an verè poſſit dici, ex pane fit Corpus Chriſti, num.6.

Eucharistia, an contineat Corpus Chriſti cum ſuis accidentibus vi conſecrationis, an ex concomitantia, cap.23.num.7. An totus Chriſtus ſit in omnibus partibus ſpecierum diuiſim, num.8. An poſſit dari tam minima quantitas, in qua non ſit Corpus Chriſti, num.9. & an ſit totus Chriſtus in ſingulis partibus coniunctim, num.10.

Eucharistia, ſcilicet Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, an poſſit videri oculo corporeo cap.23.num.11. An poſſit videri naturaliter ab intellectu beato, num.12. & quando deſinit eſſe, an tantum amittat præſentiam ſacramentalem, num.13. An deſinat eſſe per aliam ſucceſſionem ſubſtantiæ, num.14. Quando apparet caro, vel puer, an ſit ibi Chriſtus adorandus eodem modo, num.15. Et quid in tali caſu ſit agendum, num.16.

Eucharistia ſpecies, an poſſint efficere totum id, quod poſſent, ſi adeſſet ſubſtantia panis, & vini, cap.23.num.17. Et an ſi miſceatur cum vino, vel alio liquore, deſinat eſſe Chriſtus, num.18.19.& 20.

Eucharistia, an fuerit inſtituta à Chriſto Domino forma verbis expreſſa, cap.24.num.1. An verba conſecrationis ſint proferenda à Sacerdote recitatiuè, & ſignificatiuè ſimul, num.2. & quid ſignificet illud pronomen hoc, & hic, nu.3.

Eucharistiæ forma reſpectu panis, quænam ſit, cap.24. num.4. quid ſignificet illa particula, enim num.5. An, & quomodo dicta forma mutari poſſit num.6. & 7. & an verbum eſt, omitti, vel mutari poſſit, num.8.

Eucharistiæ forma reſpectu ſanguinis quænam ſit, cap.24. n.9. quomodo mutari poſſit, num.10. Et an noui Sacerdotes dum ordinantur, debeant illam proferre cum intentione conſecrandi, num.11.

Eucharistia, an conferat maiorem gratiam vni, quam alteri, vel quia ſumitur ſub vtraque ſpecie, cap.25.num.7.

Eucharistiæ effectus principalis, an ſit augumentum gratiæ, c.25.num.1. An conferat primam gratiam ex ſui inſtitutione, num.2. vel ſaltem aliquando illam conferre poſſit, n.3.

Eucharistia accepta cum peccato veniali, vel cum affectione ad illud, an conferat gratiam, cap.25.num.4. An ſecundus effectus eius ſit remittere venialia, num.5. & an detur dictus effectus poſt deglutionem ſpecierum, num.6.

Eucharistia, an conferat maiorem gratiam vni, quam alteri ex opere operato, cap.25.num.7. An ſpecies ſacramentales dum ſunt in ſtomacho, poſſint cauſare maiorem gratiam, num.8.& 9. Et an propter hoc ſint ſumendæ ſpecies in maiori quantitate, num.10.

Eucharistia, an operetur ſuos effectus poſt ſumptionem, & præſentiam Chriſti, cap.25. num.11. Manducans has ſpecies ſucceſſiuè in peccato mortali, an poſſit recipere gratiam, ſi pœniteat, num.12.

Eucharistiæ effectus, an ſit etiam excitare animam ad deuotionem, cap.25.num.13. An ſit eius præſtare auxilium actuale, &c.num.14.

Eucharistia reſpectu corporis, an moderet fomitem peccati, & alios etiam bonos effectus faciat, cap.25.num.15. An eius effectus ſit reſurrectio corporum cum gloria in die iudicij, num.16.

Eucharistia, an ſit adoranda, ac ſi Chriſtus appareret ibi in propria ſpecie, cap.25.num.17. Et an ſit adoranda abſolutè adoratione actuali ſcilicet, abſque conditione, num.18.

Eucharistiæ ſumptio, quotupliciter ſit, cap.26.num.1. An ſumere hoc ſacramentum ſpiritualiter, quam ſacramentaliter, ſit peccatum mortale, num.1. & 2.& quo iure teneatur peccator confeſſionem præmittere, num.3.

Eucharistia, an poſſit ſumi in caſu neceſſitatis cum ſola contritione, cap.26. num.4. in quibus caſibus quis non cenſeatur habere neceſſitatem, num.5.& 6. Et an ſi quis timeat graue damnum, vel iniuriam, poſſit omittere confeſſionem, num.7.& quid ſi quis habeat caſum reſeruatum, num.8.

Eucharistia in qua neceſſitate, & in quibus caſibus poſſit ſumi cum ſola contritione, cap.26. num.9. & 10. Et an ſufficiens cauſa ſit, ſi non adſit proprius confeſſarius, num.11. An quis in dictis caſibus teneatur poſt ſumptionem ſtatim confiteri, num.12. Et an peccator poſſit ſtatim poſt confeſſionem, Euchariſtiam ſumere, num.13.

Eucharistiam, an poſſit ſumere dubitans de aliquo peccato, an illud commiſerit, cap.26.num.14. An ſi quis accedat cum peccato mortali, duo peccata committat, num.15. & quid ſi accedat cum excommunicatione, num.16.

Eucharistia, an peccatoribus ſit deneganda, cap.26.num.17. 19.& 23. An ſit deneganda peccatori occulto, ſi ſecretè petat, num.20. quid ſi ſacerdos cognoſcat indignitatem ex confeſſione, num.21. & quid ſi publicè petat, num.22.

Eucharistia, an neceſſariò ſit ſumenda cum ieiunio naturali, cap.27.num.3. Quomodo frangatur, vel non frangatur dictum ieiunium, num.4.& 5. An indigeſtus, vel in ſomnis poſſit illam ſumere, num.6. Et an ratione neceſſitatis, vel ad perficiendum ſacrificium poſſit quis communicare non ieiunus, num.7.8.11.& ſeqq.

Eucharistiam per modum viatici, an ſæpius poſſit ſumi in eadem infirmitate, & quid de communione, ſeruato ieiunio, cap.27.num.8. Et an ob aliquam neceſſitatem extrinſecam poſſit etiam quis communicare abſq; ieiunio num.14.

Eucharistia an ſit adminiſtranda ſuſpecto de crimine, cap.27. num.15.& 16.

Eucharistia ſub vtraque ſpecie, an iure diuino ſit licita, & quid de iure Eccleſiaſtico, cap.28. num.1. & 2. Et an in aliquo caſu licita ſit non obſtante iure Eccleſiaſtico, num.3.

Eucharistiæ miniſter reſpectu conſecrationis, an ſit Sacerdos ritè ordinatus, cap.28.num.4. An idem dicendum ſit de Sacerdote hæretico, ſchiſmatico, excommunicato, &c. ibidem. Et an miniſter adminiſtrationis ſit Sacerdos habens iuriſdictionem propriam, vel delegatam, num.5.

Eucharistiæ miniſter tempore neceſſitatis, an ſit quilibet Sacerdos tàm ſæcularis, quàm regularis, cap.28.num.6. An ſit etiam Diaconus, num.7. Et an miniſter teneatur vigore iuſtitiæ adminiſtrare hoc ſacramentum toties, quoties fideles voluerint, ibidem.

Eucharistiam, an poſſit tàm Sacerdos, quàm laicus ſibi ipſi miniſtrare tempore neceſſitatis, cap.28.num.8. Et an id poſſit Sacerdos extra caſum neceſſitatis, & extra Miſſam, nu.9.

Eucharistia, ſi fuerit miniſtrata à regularibus tempore mortis, An ſtatim ſint excommunicati excommunicatione Papali, cap.28.num.10. Vtrum aliquando liceat ſæcularibus tangere

Digitized by Google

tangere Euchariſtiam, num.11. Et an miniſtrans hoc ſacramentum, teneatur eſſe in gratia, num.12. Et quot peccata committat ſi plures ſucceſſiuè communicet, exiſtens in peccato mortali, ibidem.

Euchariſtia, an poſſit adminiſtrari populis in qualibet hora diei, cap.28.num.13. An teneatur miniſtrans uti omnibus cæremonijs in adminiſtrando non obſtantte caſu neceſſitatis, num.14. Et quid ſi miniſtrans non poſſit vti pollice, & indice in adminiſtrando ob chiragram, num.15.

Euchariſtiam, an poſſit quis accipere ab excommunicatis, hæreticis, vel peccatoribus, cap.28.num.16.

Examen conſcientiæ, an ſemper debeat præcedere confeſſionem, cap.47.num.20.

Extrema Vnctio, an ſit ſacramentum inſtitutum à Chriſto Domino, cap.57.num.1.& 2. An eius materia remota ſit oleum benedictum ab Epiſcopo, num.3. Modus dictæ benedictionis à quo fuit inſtitutus, num.4. Et an in dicto oleo poſſit aliquid miſceri, num.5.

Extremæ Vnctionis quænam ſit materia proxima, cap.57.nu.6. quænam ſit forma eſſentialis num.7. An ſit pronuncianda modo deprecatiuo, num.8. quænam verba ſint de eſſentia dictæ formæ, num.9.

Extrema Vnctio quomodo definiatur, cap.57.num.10. An ſit danda in omni periculo mortis, etiam in eadem infirmitate, num,11. quos effectus habeat, num.12. in qua vnctione illos conferat, num.13. Et an aliquando illos poſſit conferre in tertia, vel quarta vnctione, num.14.

Extremam Vnctionem ſumere quis poſſit, cap.58.num.1. Parochus, an poſſit illam dare oſtendenti actus attritionis tantum, num.2. Et quæ partes corporis ſint vngendæ, num.3.

Extremæ Vnctionis miniſter quis ſit, cap.58.num.4. An hoc ſacramentum poſſit confici à pluribus Sacerdotibus, num.5. & ſi infirmus interim moriatur, vel dubitetur an ſit mortuus, quid facere debeat Sacerdos, num.6. Et an poſſint regulares hoc ſacramentum miniſtrare, num.7.

Extrema Vnctio, an ſit ſumenda ex præcepto, & an poſſit omitti, cap.58.num.8. An poſſit hoc ſacramentum accipi ante viaticum, num.9. Et an ante confeſſionem, num.10.

Extremam vnctionem, an ſub mortali Parochi teneantur miniſtrare, cap.58.num.11. An teneatur cum periculo propriæ vitæ, num.12. An teneatur ſeruare ritus ab Eccleſia præſcriptos circa orationes, veſtes, miniſtrum, &c. nu.3.

F

Filia, an poſſit exhæredari eo, quod nupſerit inuitis parentibus, cap.95.num.27. Et an parentes in tali caſu teneatur ei dotem aſſignare, num.28.

Filij legitimi Præsbyterorum, an poſſint habere beneficium vbi eorum pater aliud beneficium habuit, cap.77.num.12.

Filius, an teneatur credere Matri dicenti ipſum non eſſe legitimum, cap.77.num.13.

Filij, an teneantur contrahere matrimonium quod Pater promiſit, cap.95. num. 25. Et quid ſi dictum matrimonium eſſet neceſſarium dicto Patri, ibidem.

Filij, an poſſint contrahere inuitis parentibus, & an ſaltem teneantur ab illis conſilium petere, cap.95.num.26.

Filius melioratus à Patre cauſa matrimonij, an poſſit amittere dictam meliorationem per reuocationem factam à Patre, cap.103.num.7.

Filij, an ſequantur conditionem Patris, quoad honorem, & quoad ſeruitutem conditionem matris, cap.103. num.21. Et vt proles ſit libera, an ſufficiat, vt Mater fuerit libera tempore conceptionis, vel tempore natiuitatis, num.22. & quid agendum ſi proles ſit ſerua duorum, ab vno fuerit tantum manumiſſa, num.23.

Filij infidelium, an debeant ſequi conditionem Patris, an Matris conuerſæ ad fidem, cap.103.num.6.

Filij, an teneantur ſatisfacere debitis Patris ob alimenta eis præſtita, cap.114.num.7.

Filij facto diuortio apud quem coniugem debeant educari, cap. 115.num.22.

Filius. an ſit præſtanda dicenti, habere facultatem, vt abſoluatur, vel obtinuiſſe diſpenſationem publicationum matrimonij, cap.98.num.23.

Fœmina, quæ per vim, & metum conſentit in copulam, an poſſit incontinenti ſemen eijcere antequam recipiatur in matrice, cap.93.num.17.

Fœmina ſe fingens virginem, vt tanquam virgo nubat, an teneatur reſtituere arrhas, vel dotem à marito ei factam, cap.101. num.2. vel an peccet mortaliter tàm ipſa, quàm eius parentes ad id concurrentes, num.3.

Fœmina, an teneatur inciſſionem pati, vt ad conſummationem matrimonij apta reddatur, cap.110.num.13.

Fœmina, quæ nubere vult, an poſſit excuſari à ieiunio, ne macilentior appareat, cap.114.num.4.

Fœmina, an poſſit delectationem ſumere à copula præterita habita cum marito, cap.114. num.32. Et an idem poſſit ſponſa reſpectu futuræ copulæ, & an poſſit inter ipſam, & ſponſum de futuro dari oſcula, fieri tactus non impudici, &c. num.31.

Fœmina ſi poſt vſum matrimonij immediatè procuret corruptionem, quam non habuit in vſu matrimonij, an peccet mortaliter, cap.114.num.18.in fine.

G

Gratia ſacramentorum, an conferatur maior ratione melioris miniſtri, cap.4.num.6.& 7.& cap.6.num.2.

Gratia obtenta, quando expiret morte delegati, vel delegantis, cap.113.num.15.& 16.

Gentilibus, an vnquam fuit licitum libellum repudij, ſicut fuit Hebræis, & an ſi ſuſcipiant fidem, teneantur recipere vxores à ſe repudiatas tempore infidelitatis, cap.115.num.1.

H

Hæretes, an poſſit abſolui per Iubilæum, vel Bullam Cruciatæ, cap.64. num.13. Hebræi, an poſſint conſtituere impedimentum dirimens matrimonium, vt poſſunt alij Principes reſpectu infidelium, cap.102.num.3.

Hæreditas, an ſtatim tranſeat in dominium hæredis, & an idem ſit dicendum de legato, cap.99.num.8.

Hæreditatem, vel legatum recipiens, eo quod hæres inſtitutus illud, vel illam repudiauerit in damnum creditorum, an teneatur reſtituere, cap.99.num.8. & an peccauerit hæres repudians in damnum ſuorum creditorum, ibidem.

Hermaphroditus an, & quomodo poſſit matrimonium contrahere, vel ad ordines promoueri, cap.110.num.33.

Homicidium an, & quomodo dirimat matrimonium, cap. 108.num.1.2.& 3.

Horæ Canonicæ quid ſint, cap.72.num.1.& 2. quot ſint num. 3. quo iure inſtitutæ, num.4. vbi, & quomodo ſint dicendæ, num.5. An tantum ad miniſtros Eccleſiæ ſpectet illas dicere in Choro, num.6. Quænam Eccleſiæ teneantur habere Chorum, & Officium ibi recitare, num.7. An Epiſcopi, & Prælati teneantur in Choro aſſiſtere, & an omnibus regularibus debeat eſſe cura ſatisfaciendi Choro, num.8.

Horas

Digitized by Google

Horas Canonicas, qui teneantur recitare, cap.72.num.9. An habentes beneficium, & non fructus ad illas teneantur, nu. 10. quid de Canonicis, ibidem. Et quid ſi adfuerit conſuetudo non percipiendi fructus primi, & ſecundi anni, nu.11. An habentes tenue beneficium, teneantur ad illas recitandas, num.12. & quid ſi cum beneficio tenuo adſit etiam ſeruitium, num.13.

Horas B.Virginis, an teneantur penſionarij, & habentes præſtimonium recitare, cap.72.num.14.

Horas Canonicas, an quis teneatur recitare ratione Eccleſiæ commendatæ, cap.72.num.15.

Horas Canonicas, an Religioſi Choro deputati teneantur recitare, cap.72.num.16. & quid de fugitiuis, & eiectis, num. 17. An Prælati Religioſorum poſſint cum eis diſpenſare circa dictam recitationem Horarum Canonicarum, nu.18.

Horas Canonicas, an quis poſſit recitare permutando ordinem non ſolum Horarum, ſed etiam totius Officij, cap.72. num.19.& 20.

Horæ Canonicæ, an ſint recitandæ iuxta formam Breuiarij Pij Quinti, & an poſſint recitari de Sancto non aſſignato in Breuiario Romano, cap.73. num.7. An ſint ordinatim dicendæ in Choro, num.2. An requiratur intentio, & attentio, num.3. Et an ſi beneficiarij recitent ſine intentione, & attentione, teneantur ad reſtitutionem, num.4.

Horæ Canonicæ ſi non dicantur à beneficiarijs exiſtentibus in Choro, an debeant percipere diſtributiones, cap.73. num. 5. & an beneficiati debeant perſonaliter Choro ſatisfacere, num.6.

Horæ Canonicæ, an ſint canendæ in Choro cum magno ſilentio, cap.73. num.7. An ſine interpolatione, num.8. Et an omnia, quæ dicuntur in Choro, ſint etiam dicenda ore proprio, num.9.

Horæ Canonicæ ſi dicantur cum nimia celeritate, an inducant culpam mortalem, & quæ nam dicatur pars notabilis reſpectu Chori, cap.73.num.10.

Horæ B.Virginis, Officium Defunctorum, Septem Pſalmi, &c. An ſint ex præcepto recitandi, cap.73.num.11. Et quid de Precibus diebus Rogationum, num.12. An in Horis Canonicis ſit aliquid addendum, vel minuendum, num.13. An recitandæ ſint in Choro ſtatutis horis, num.14.

Horæ Canonicæ, an ſint recitandæ, etiam priuatim, iuxta Breuiarium Pij Quinti, cap.74. num.1. An ſint recitandæ ordinatim, & debitis horis, num.2. An poſſint recitari cum vno, vel pluribus, & an neceſſe ſit, vt ambo recitantes ad inuicem ſe intelligant, num.3. Et an relinquere partem notabilem officij, ſit culpa mortalis, num.4.

Horæ Canonicæ ſi non dicantur in vno die, quot peccata ibi adſint, cap.74. num.5. Quid nam ſit recitandum alternatim, & quid ſit tantum audiendum, num.6.

Horæ Canonicæ, ſcilicet Matutinum, in Choro, an poſſit recitari pro die ſequenti, cap.74.num.7.

Horæ Canonicæ, an poſſint omitti ratione infirmitatis, cap. 74. num.8. Et quid ſi non poſſit infirmus recitare niſi cum ſocio, num.9. vel non niſi aliquam horam tantum, num.10.

Horas Canonicas recitans cum habente priuilegium recitandi in Breuiario breui, an ſatisfaciat, cap.74.num.11. An recitantes cum nimia celeritate ſatisfaciant, num.12. An ratione ignorantiæ quis excuſetur à culpa, ſi non recitet horas Canonicas, num.13. Et vtrum idem ſit dicendum de non habente Breuiarium, num.4. Et an non habens Breuiarium, teneatur memoriter recitare illam partem, cuius recordatur, num.15.

Horæ Canonicæ, ſi non recitentur ab habentibus ordines ſacros, & beneficium, an committant duo peccata, cap.74. num.16. An habens beneficium liberetur à reſtitutione, ſi ſatisfaciat alia die, num.17. Et an teneatur reſtituere fructus primorum ſex menſium, ſi in ipſis non recitauerit horas Canonicas, ibidem.

Horæ Canonicæ, ſi omittantur ſecundum partem, cap.74. num.18. Et an facienda ſit reſtitutio, num.19.

Horæ Canonicæ, an poſſint omitti ex timore mortis apud infideles, cap.74.num.20. An incompatibile exercitium etiam excuſet, num.21. An cenſuræ Eccleſiæ nu.22. Et an diſpenſatio Summi Pontificis, num.23.

Horas Canonicas omittens in quam pœnam incurrat, cap.75. num.1. An ad dictam pœnam requiratur ſententia iudicis, num.2. An quis illam incurrat ſi ex legitimo impedimento illas omittat, num.3.

Horas Canonicas non totaliter recitans ob ſeruitium Chori, an ſatisfaciat, cap.75.num.4.

Horas Canonicas non recitans, an teneatur ad reſtitutionem, etiam ſi habeat titulum onerоſum, cap.75. num.5. Et an Canonicus, & beneficiarius poſſit ſupplere per alium, num.6.

Hoſtia non conſecrata, an in aliquo caſu poſſit dari pro conſecrata, cap.27. num.17.

I

Ieiunium naturale, an ſit neceſſarium ad ſumptionem Euchariſtiæ, cap.27.num.7. An includantur ea, quæ accipiuntur per modum ſalinæ, num.4. An rumpatur dictum ieiunium per ſaccarum in ore poſitum, num.5. Et in quibus caſibus poſſit quis abſque ieiunio communicare, num.7.11. 12. & ſequentibus.

Ieiunare, an teneatur fœmina, ſi ex ieiunio fiat impotens ad reddendum debitum, vel ſi maritus noluerit, vt ieiunet, & an excuſetur etiam fœmina, quæ nubere vult, ne macilentior appareat, cap.114.num.4.

Ignorantia craſſa, an excuſet à pœnis, & cenſuris contra præſumentes impoſitis, cap.104.num.37.in fine.

Ignorantia, quomodo differat ab errore, cap.103.num.1.

Illegitimi per profeſſionem, an ſint capaces ordinis, & beneficiorum regularium, cap.77.num.6. An Epiſcopus poſſit promouere illegitimos ad ordines minores, & beneficia ſimplicia, num.7. An poſſit conferre Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis, vel duo beneficia ſimplicia, num.8. An poſſit conferre illis beneficium ſimplex, habens annexum aliud beneficium cum cura animarum, num.9.

Illegitimi quotupliciter ſint, & an in diſpenſatione petenda, ſit explicanda deformitas illegitimitatis, cap.77. num.10. Legitimatus per ſubſequens matrimonium, an indigeat diſpenſatione ordinis, & beneficij ſubreptitiè ſuſcepit ante matrimonium, num.11.

Illegitimi, an poſſint habere beneficium, vbi eorum pater fuit Epiſcopus, Decanus, &c. vel vbi aliud beneficium habuit, cap.77.num.12. & quid de filijs legitimis Præsbyterorum, ibidem.

Illegitimus, an cenſeatur ille, qui natus eſt ex matrimonio inualido bona fide contracto, cap.77.num.15.

Illegitimus bona fide ordinatus, & ſuſcipiens beneficium, ſi poſtea cognoſcat ſuam illegitimationem, & exerceat actus ordinis, an fiat irregularis, cap.77.num.14.

Illegitimus diſpenſatus ad obtinenda beneficia, ſi contrahat matrimonium, an poſſit diſpenſatione frui mortua vxore, cap.104.num.27.

Impedimentum matrimonij, an poſſint conſtitui à Principibus ſæcularibus reſpectu infidelium tantum, & an id poſſint

Digitized by Google

Hebræi, cap.12.num.3. An conſuetudo habeat vim introducendi impedimentum dirimens, & è contra, vt dirimens non dirimat, num.4. Contrahens cum impedimento dirimente, an tantum vnum peccatum committat, num.5. Quid ſi contrahat ob metum cadentem in conſtantem virum, num.6. & quid ſi habeat impedimentum continens ſpecialem malitiam peccati, vt conſanguinitatis, voti,&c. num.7.

Impedimenta matrimonij dirimentia, an poterit Eccleſia conſtituere reſpectu fidelium, & quæ illa ſint, cap.102.num.1. & 8. An omne præceptum Pontificis prohibens matrimonium, illud irritet, num.2.

Impedimentum conſanguinitatis, vide conſanguinitas. Sic etiam affinitatis, vide affinitas, & ſic de cæteris, ſi hic non notentur.

Impedimentum publicæ honeſtatis vndè proueniat, & vſq; ad quem gradum dirimat matrimonium, cap.106.num.7. An oriatur ex ſponſalibus ſub conditione contractis, nu.8. An ex ſponſalibus, quæ diſſoluuntur ex amborum conſenſu, num.9. Si quis habeat poſt ſponſalia copulam cum ſorore ſponſæ, an poſsit poſtea ampliùs contrahere cum illis, num.10. Et quando dictum impedimentum prouenit ex matrimonio rato, an impediat vſq; ad quartum gradum, etiam ſi matrimonium reputetur nullum, num.11.

Impedimentum cultus diſparitatis, an dirimat matrimonium iure Eccleſiaſtico, & an intelligatur cultus diſparitas in Cathecumeno, cap.107. num.1. An intelligatur in Hæretico, vel Apoſtata à fide, & quid ſi quis cum ijs contrahat, num.2.

Impedimentum criminis dirimans matrimonium, an ſit homicidium, adulterium, & raptus. An homicidium debeat perpetrari ex voluntate amborum volentium contrahere, cap.108.num.1. Quid ſi alter machinantium mortem fuerit infidelis, num.2. Quot, & quæ conditiones requirantur, vt homicidium dirimat matrimonium, num.3.

Impedimentum ſecundi criminis ſecluſo adulterio, an conſiſtat in fide data de futuro matrimonio cum adultero, vel contractu matrimonij viuente coniuge, cap.108. num.4. An dicta fides data, ſeu promiſſio debeat eſſe acceptata, & an ſufficiat taciturnitas, num.5.

Impedimentum tertij criminis, an ſit raptus, & quæ conditiones requirantur ad raptum, cap.108.num.9.& 7. An ſit raptus abducere puellam volentem abduci, ſi ſub nullius poteſtate ſit, num.8. Quid ſi abducatur precibus importunis, num.9. An ſit raptus, ſi quis rapiat ſponſam volentem rapi, num.10. An raptus ſit circumſtantia aperienda in confeſſione, num.11. Quando raptus erit impedimentum impediens matrimonium cum quacunque, num.12. Quænam ſit pœna raptus ex iure ciuili, num.13. Quænam ex iure canonico, num.14. Quando raptus dirimat matrimonium, num.15. & quomodo ob raptum incurrantur pœnæ Concilij Tridentini, num.16.

Impedimentum ligaminis quid ſit, cap.109. num.1. An mulierem habere plures viros, ſit contra præceptum naturale, ibidem, & quid de pluralitate vxorum reſpectu eiuſdem viri, num.2.

Impedimentum in potentiæ quid ſit, & quotuplex ſit, cap.110.num.1. An tantum in potentia perpetua dirimat dirimat matrimonium, num.2. Et quid ſi quis patiatur maximam difficultatem in coeunbendo, num.3. Et an mulier debeat per inciſionem apta fieri, ibidem.

Impedimenta non dirimentia quot, & quæ ſint, cap.111. num.1.

Impedimentum criminis quot, & quæ crimina impedientia contineat, cap.111. num.21.

Impedimenta dirimentia quando pertineant tantum ad Summum Pontificem, & an poſſint aliquando pertinere ad Epiſcopum, cap.112.num.23.

Impetrare, an quis poſſit gratiam ſanctificantem pro alio, cap.4.num.7.

Impotentia perpetua ad ſeminandum intra vas debitum, an dirimat matrimonium, & quid ſi mulier arcta nullo modo ipſa fieri poſſit à copulam, cap.110.num.4.

Impotentia perpetua pariendi, an dirimat matrimonium, cap.108.num.8.

Impotentia reſpectiuè perpetua, an dirimat matrimonium, cap.110.num.9. An tunc cenſeatur perpetua, quando nulla arte humana auferri poſſit, & quid ſi poſſit auferri per miraculum, num.10. An ſit etiam perpetua, ſi non poſſit auferri niſi per actum peccaminoſum, num.11. & quid ſi non poſſit, niſi cum periculo vitæ, num.12. & an fœmina teneatur inciſionem pati, vt ad conſumandum matrimonium apta reddatur, num.13.

Impotentia perpetua, an dirimat matrimonium iure naturali, cap.110.num.20.

Inceſtus cum affine, ſcilicet cum conſanguineæ vxoris, vel mariti reſpectiuè, an impediat matrimonium contrahendum vſq; ad quartum gradum, cap.111.num.22. An ignorantia excuſet, nempè ſi quis ignoret eſſe conſanguineam vxoris, ibidem.

Indulgentiæ an verè poſſint ab Eccleſia concedi, cap.61.num.1.& an ad illas diſpenſandum, requiratur tantum poteſtas iuriſdictionis, num.2.

Indulgentiæ an poſſint attingere remiſſionem culparum venialium, cap.61.num.3. An culparum venialium, num.4. An per Indulgentias poſſint remitti omnes pœnæ Deo debitæ ex peccato, num.4. An diuidatur Indulgentia in plenariam, & partialem, num.5. An idem ſit Indulgentia plenaria, & Iubilæum, num.6.& quid ſignificent illæ particulæ contritis, & confeſſis, num.7.

Indulgentiæ an remittant pœnas peccatorum venialium, cap.61.num.8. Dies, & anni Indulgentiam quid ſignificent, num.9. Theſaurus ſpiritualis vndè prodeunt Indulgentiæ, an verè detur in Eccleſia, num.10. & an Indulgentiæ concedi tantum poſſint ex dicto theſauro, num.11.

Indulgentia quotuplex ſit, cap.62.num.1. Opus Indulgentiæ, an ſit religioſè faciendum, num.2. An diruta Eccleſia maneat Indulgentia, & quid ſi ſtatim reædificetur, num.3.

Indulgentiam impoſitam etiam ab Epiſcopo, an poſſint religioſi accipere, cap.62. num.4. An concedentes Indulgentias poſſint illas lucrari, num.5. Quas conditiones debeat habere ſuſcipiens Indulgentias, num.6. & an recedente culpa mortali quis accipiet fructum Indulgentiæ, num.7.

Indulgentia, an ſit ſemper accipienda præcedente confeſſione, cap.62. num.8. An neceſſariò ſit aliquod opus faciendum ad Ingentiam conſequendam, num.9. An ſit faciendum in gratia, num.10. Et an debeat fieri per ſuſcipientem Indulgentiam, num.11.

Indulgentiam an omnes æqualiter ſuſcipiant, cap.62.num.12.& 13.& an vnico opere poſſit quis plures Indulgentias ſuſcipere, num.14.

Indulgentiæ, an proſint Animabus, Purgatorij, cap.62. num.11. Et an accipiens Indulgentiam pro dictis Animabus teneatur eſſe in gratia, num.16.

Indulgentia, an poſſint concedi abſque cauſa pia, cap.63.nu.1. An ad Indulgentiam communem requiratur cauſa communis, num.2.

Indulgentias qui concedere poſſint, vel non poſſint ex iure diuino,

Digitized by Google

nino, vel humano, cap.63. num.3.4.5.& 6. Qui illas poſſint delegare, num.8. Et an delegatis ſit neceſſarium ſacramentum ordinis, num.9.

Indulgentiæ an ſemper acquirantur prout ſonant, ſcilicet ſecundum illam quantitatem, &c. cap.63. num.10. Et an poſſit Indulgentia accipi pluſquam ſemel in die, num.11.

Indulgentia, an expiret morte concedentis, cap.63. num.12. Et an reuocatio Indulgentiæ ſit notificanda illis, qui illa fruuntur, num.13.

Infamia proueniens ex raptu, an, & quando inducat irregularitatem, cap.108. num.14.

Interdictum Epiſcopi, an regulares teneantur obſeruare, cap.2. num.8.

Interſtitiorum diſpenſatio ad quem pertineat, cap.67. num.8. Et quomodo computandus ſit annus interſtitiorum, ibidem.

Irregularitas an contrahatur à marito ſuſcipiente ordines ſacros, abſque conſenſu vxoris, cap.104. num.36.

Irregularitas proueniens ex infamia, an ſit per Iudicem declaranda, num.108. num.14.

Iubilæum quid ſignificet, cap.64. num.1. Quando incipiat annus Iubilæi, & an in eo ſuſpendantur omnes Indulgentiæ, num.2. Eccleſiæ an ſint viſitandæ abſque culpa mortali, num.3. Et an ſemel tantum poſſit quis Iubilæum lucrari, & abſolui, num.4.& 7.

Iubilæum duarum hebdomadarum, an poſſit quis accipere, ſi eodem die Dominico confiteatur, & communicet, cap.64. num.5. An poſſit quis abſolui à iuramentis virtute Iubilæi, num.6. An durante tempore Iubilæi poſſit quis ſemper abſolui à votis, vel repetitis actionibus poſſit iterum Iubilæum lucrari, & abſolui, num.2.

Iubilæi priuilegium, an poſſit confeſſor alteri committere in commutatione votorum, vel dictam commutationem facere poſt elapſum Iubilæum, cap.64. num.8. Et an abſolutus ſaltem in communi à votis indigeat poſtea alia relaxatione, ibidem.

Iubilæum an poſſit quis lucrari in vltimis diebus, in quibus non poteſt omnia opera facere, cap.64. num.9. An qui noluit abſolui à votis, vel irregularitate, poſſit poſtea abſolui tranſacto Iubilæo, num.10. An abſolutus a cenſuris, & votis, ſi poſtea non ſumat Iubilæum cenſeatur abſolutus, num.11. Et an qui fuit abſolutus à reſeruatis vigore Iubilæi, ſi poſtea illud non acquirat, peccet mortaliter, num.12.

Iubilæum, an comprehendat peccatum hæreſis, cap.64. num.13. Et an confeſſoris approbati ab Ordinario, ſint etiam regulares approbati à ſuis Prælatis, num.14.

Iudex ſecularis, in quibus cauſis matrimonialibus poſſit ſe ingerere, vel non ingerere, cap.95. num.27. in fine, & cap.115. num.23.

Iudici interroganti, an promiſſio fuerit facta; An promiſſor, qui fictè promiſit, teneatur affirmatiuè reſpondere, cap.88. num.22.

Iuramentum licet factum ex metu graui, an obliget, cap.91. num.12.

Iuramentum additum contractibus irritis, an obliget, & relaxatione indigeat, cap.95. num.18. & ſi fuerit extortum metu leui, an poſſit per Epiſcopum relaxari, num.19.

Iuriſdictio, an ſit neceſſaria Confeſſori, cap.49. num.1. & 2. qui illam habeant, num.3.4.& 5. & an poſſit exerceri extra Diœceſim, vel Parochiam, num.6.

Iuriſdictio, an delegari poſſit, cap.49. num.10. qui illam poſſint delegare, num.11. & vſquequò delegatio duret, num.3. & an iuriſdictionem habentes in foro externo, poſſint ſibi eligere confeſſorem, cap.49. num.18.

Iuriſdictio, an poſſit introduci per conſuetudinem, quoad electionem confeſſoris, cap.49. num.19.

L

Laici, ſeu Conuerſi profeſſi regularium, an poſſint concurrere ad electiones, vel eſſe de capitulo iure communi ſpectato, cap.82. num.3.

Legatum an tranſeat ſtatim in dominium legatarij, & an idem ſit de hæreditate, cap.99. num.8.

Legatum, vel hæreditatem acceptans, eo quod hæres inſtitutus illud, vel illam repudiauerit in damnum creditorum, an teneatur reſtituere, & an peccauerit hæres repudians, cap.99. num.8.

Legatum quando intelligatur reuocatum, cap.99. num.22.

Legatum in ſpecie factum, an tranſeat ſtatim per mortem teſtatoris in dominium legatarij, cap.99. num.8. An requiratur hæreditatis additio, ibidem, & an idem ſit dicendum de alijs legatis, num.23. Quid ſi pater obliget filium contrahendi cum Berta ſub pœna omiſſionis hæreditatis, aut legati, num.2. & quid ſi teſtator dicat, vt Legatarius accipiat aliquem de familia, vel conſanguinea in ſecundo gradu, num.3.

Legatum factum, vt puellam contrahat de conſenſu Patris, an illud acquirat, ſi ſecus fecerit, cap.116. num.4. Quid ſi teſtator dicat, vt legatarius contrahat cum perſona nobili, an id debeat obſeruari, tàm in primo, quàm in ſecundo matrimonio, num.5. & quid ſi dicat, vt filio Titij nubat, num.6.

Legatum, vt ſi Titius non nubat maiorem quantitatem accipiat, quam ſi nubat. Quomodo ſit obſeruandum, cap.116. num.7. Quid ſi dicat teſtator ſi Titius fiat regularis, & poſtea in anno nouitiatus exeat, num.8. & quid ſi grauetur contrahere cum alio, primò noluerit, & poſtea voluerit, num.9.

Legatum, vt puella nubat ſi fiat monialis, an illud acquirat, cap.116. num.10. & quid ſi vt fiat religioſa, & ipſa nubat iuxta ſuum ſtatum, ibidem. Quid ſi dicatur, vt Titius accipiat Bertam, quæ primò vult, & poſtea non vult, & quid de legato facto Bertæ, ſi Titius illam duxerit, & Titius illam non ducat, num.12.

Legatum factum Bertæ pauperi ſi nubat Titio, & poſtea Titius moriatur, an legatum acquirat Berta, cap.116. num.13. vel quid ſi quis leget Eccleſiæ centum, vt ibi ſepeliatur, & poſtea, ibidem non poſſit ſepeliri ob excommunicationem, ibidem.

Legatum factum ſub conditione ſi castè legatarius, vel legataria viuat, quomodo ſit ſeruandum, vel quid ſi dicatur, ſi castè, & honeſtè viuat, cap.116. num.14. Quid ſi Teſtator dicat, vt legatarius contrahat matrimonium iuxta voluntatem tertij, num.15. vel de eius conſilio, ibidem, vel vt Berta habeat centum poſt mortem ſuam ſi non nubat, num.16.

Legatum, vt vxor viuat cum filijs teſtatoris in domo ſua, vel vt ſeruet lectum eius, an debeatur vxori tranſeunti ad ſecundas nuptias, cap.116. num.17. Quid ſi legetur viduæ, vel viduo, ſi non nubat, an debeatur ei legatum ſi nubat, num.18.

Legatum pro maritandis fœminis honeſtis, an poſſit applicari viduis maritandis, vel fœminis maritatis, vel volentibus ingredi monaſterium, cap.116. num.19. Quid ſi legatum fiat Bertæ, vt contrahat cum Titio, & ipſa ingrediatur monaſterium, num.20. & quid de legato facto Titio ſi Bertam ducat, & Berta ingrediatur monaſterium, num.21.

Legitimationem an acquirat illegitimus ob profeſſionem emiſ-

ſam

Digitized by Google

ſam in Religione, vide Profeſſio. An tollat illegitimitatem, ibidem.

Lex pœnalis, an afficiat ignorantes, cap.98.num.1. Et an reddat actum irritum, ibidem.

Lex lata à Principe cum clauſula irritante contractum, niſi fiat iuxta formam ab ipſo præſcriptam, an irritum reddat contractum, etiam ſi fuerit matrimonium in locis, vbi non obſeruatur Concil. Trident. cap.98.num.3. in fine.

Libellus repudij, quare erat licitus in veteri lege, & non in lege Euangelica, cap.93.num.2.

Licentia tacita, vel ex ratihabitione, quando ſufficiat ad audiendas confeſſiones, vel ad aſſiſtendum matrimonio, cap.98.num.20.& 21.

M

Maleficium, ne conſumetur matrimonium quotupliciter fiat à Dæmone, cap.110.num.14. An ſi fuerit perpetuum dirimat matrimonium, num.15. An cenſeatur perpetuum ſi non poſſit auferri niſi per miraculum, & quid ſi poſſit auferri per Orationem, Exorciſmos, &c. num.16. An ſit etiam perpetuum ſi per triennium conſumari non poſſit, nu.17. An ſit licitum petere, vt maleficium ſoluatur alio maleficio, num.18. Et an licitum ſit deſtruere ſigna maleficij, vt ſanitas acquiratur, num.19.

Maria Virgo quando contraxerit verum matrimonium cum S. Ioſeph, cap.94.num.4.

Maritus, an poſſit ſe vendere in præiudicium vxoris, cap.103 num.20.

Maritus, & vxor quomodo poſſint ad religionem tranſire, cap.104.num.8.& 9.& quando poſſit vxor maritum à religione reuocare, & an mortuo coniuge reuocante, teneatur reddere reuocatus ad religionem, num.10. An ad Iudicem ſpectet dicta reuocatio num.11. Et an coniux remanſus in ſæculo ſit compellendus ad omittendum votum caſtitatis, ſi fuerit ſenex abſque ſuſpectu continentiæ, vel ad religionem profitendam, ſi fuerit iuuenis, num.12.

Maritus, & vxor ſi abſque licentia alterius coniugis profeſſionem emiſerit, an valida ſit, & ad quid teneatur, c.104. num.13. An ſi fuerit alter eorum inualidè profeſſus, vel reuocatus ab altero coniuge, poſſit dicto coniuge reuocante mortuo, matrimonium contrahere, num.14. & an dum eſt inualidè profeſſus poſſit ad coniugem reddire, etiam dicto coniuge non petente, num.15. Et an ſit valida profeſſio ſi poſt illam emiſſam alter coniux conſenſerit, num.16.

Maritus, vel vxor, qui obtinuit licentiam à ſuo coniuge ingrediendi religionem per vim, & metum, an validè profiteatur, & an coniux adulter poſſit reuocari à religione alterum coniugem, cap.104.num.17.

Maritus abſque licentia vxoris, an poſſit ad ordines ſacros, vel minores promoueri, cap.104.num.19. & ſi fuerit electus ad Summum Pontificatum, an poſſit ab vxore reuocari, num.20. & quid ſi fuerit promotus ad ordines ſacros ante, vel poſt conſummatum matrimonium, num.21. Quid requiratur ſi maritus voluerit aſcendere ad ordines ſacros, num.22. An poſſit ab vxore reuocari, num.23. Mortuo marito profeſſo, an poſſit validè matrimonium contrahere, num.24. & quid requiratur, vt maritus poſſit promoueri ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum, num.25.

Maritus ſuſcipiens ordines ſacros abſque vxoris licentia, an fiat irregularis, cap.104.num.37.

Maritus, qui non poteſt exigere ratione voti ſimplicis caſtitatis, vel ratione adulterij, vel alterius cauſa, an poſſit modeſtè petere, non autem coactè, cap.104.num.13.& 21.

Maritus, & vxor, an teneatur reddere debitum matrimonij, cap.114.num.1. Quid ſi petitio fiat tantum tacitè, ſeu interpretatiuè ibidem. An dicti coniuges teneantur ſe impotentes non reddere, num.2. An poſſit vouere ieiunia, peregrinationes, &c. inconſulto altero coniuge, num.3. & an vxor poſſit non ieiunare, eo quod maritus ſic præcipiat, num.4.

Maritus, an teneatur ſubuenire potius vxori, quam parentibus, vel filijs, cap.114.num.6.

Maritus an teneatur alere vxorem, etiamſi dotem non dederit, vel in carcerem detruſa fuerit, cap.104. num.5.& 6. Quid ſi ei fuerit dos promiſſa, & poſtea non ſoluta, num.8. & 9. Quid ſi illam ſine dote duxerit num.10. & an poſſit illam dimittere ob non ſolutam dotem, vel domum non traducere, num.11.

Maritus, vel vxor in quibus caſibus non teneatur reddere licet non poſſint, vel poſſit petere, cap.114.num.12. & 13. Quid ſi vir petat in loco ſacro, num.14. Et ſi maritus non habeat impedimentum non petendi, an poſſit ſe offerre coniugi, ad copulam habendam, num.15.

Maritus abutens vxore, ſcilicet modo ſodomitico, quot peccata committat, cap.114. num.19. An peccet ſi vtatur matrimonio tempore menſtrui, num.20. An teneatur reddere, ſi vxor fuerit inſana, & è contra, num.21. An teneatur cum detrimento propriæ, vel vxoris ſalutis, num.22. & quid ſi alter coniux habeat morbum contagioſum, num.23.

Maritus, vel vxor, an poſſit non vti matrimonio, ne proles multiplicetur, cap.114. num.24. vel an poſſit ob cauſam alter eorum negare debitum, ibidem, vel an poſſit ne filij naſcantur cum macula originis Hebreæ, vel ſimili, eo quod alter coniux deſcendat ex tali progenie, num.25.

Maritus, & vxor, an poſſint actus venereos facere, vt ſe tangere, oſculari, verba inhoneſta referre, &c. quamuis adſit periculum pollutionis, cap.114.num.30.

Matrimonium contrahere ante pubertatem, an ſit mortale, cap.87.num.20.& fuſiùs, cap.110.num.15. & ſeq.

Matrimonium, an quis poſſit contrahere animo non conſummandi, ſed ingrediendi religionem, cap.90.num.8.

Matrimonium quotupliciter nominetur, cap.92.num.1. Quomodo definiatur, num.2.& quotuplex ſit, num.3.

Matrimonium, an ſit homini naturale, cap.92. num.4. Quomodo inſtitutum in lege naturæ, & gratiæ, num.5.

Matrimonium Adæ, & Euæ, an fuerit ſacramentum, cap.2. num.4. in fine.

Matrimonij præceptum, an adhuc duret in lege Euangelica, cap.92. num.6. & ſi caſu omnes decederent remanentibus religioſis, an tenerentur dicti Religioſi Matrimonium contrahere, num.7. Et an in aliquo caſu poſſit quis teneri ad Matrimonium contrahendum, num.8.

Matrimonium an ſit Sacramentum conferens gratiam, cap.92. num.9. An poſſit dari inter fideles, quin ſit Sacramentum, num.10.

Matrimonij materia, & forma, quænam ſit, cap.92.num.11. Quinam ſint miniſtri Matrimonij, num.12. Et ſi contrahatur cum infideli, an ſit Sacramentum ex parte fidelis tantum, num.13.

Matrimonium infidelium, an fiat Sacramentum, ſi dicti infideles baptizentur, cap.92.num.14.

Matrimonium, an poſſit contrahi per procuratorem, & ſit verum Sacramentum, cap.92.num.15. Et ſi poſtea mandans reuocauerit mandatum etiam per actum internum, an ſit validum Matrimonium, num.16. Quibus verbis debeat vti procurator, num.17. Et an mandatum procuræ debeat dari coram Parocho, & teſtibus, num.18. Et an dictum Matrimonium per procuratorem, vel etiam per nuncium,

cium, vel epiſtolam ſit faciendum coram Parocho, & teſtibus, num.19.

Matrimonium, quonam iure ſit omninò indiſſolubile, cap.93. num.1. Quare libellus repudij erat licitus in veteri lege, & non in lege Euangelica, num.2. Et an Summus Pontifex poſſit diſpenſare, vt Matrimonium ratum diſſoluatur, num.3.

Matrimonium ratum, an diſſoluatur per ſubſequens Matrimonium conſummatum, & an Pontifex poſſit ſtatuere legem, vt dictum matrimonium ratum diſſoluatur per ſubſequens matrimonium conſummatum, cap.93.num.4.

Matrimonium infidelium, an poſſit diſſolui per Summum Pontificem, poſt ſumptum Baptiſmum, cap.93.num.5.

Matrimonium ratum, an diſſoluatur per profeſſionem emiſſam in religione approbata, & an nomine Religionis intelligantur, etiam in Religione Militum, ſeu Equitum, cap.93. num.6. Et quonam iure diſſoluatur num.7.

Matrimonium ratum, an diſſoluatur ſi vnus emittat profeſſionem, & alter maneat in ſæculo, & an ſi dictus manens in ſæculo fornicetur dicatur adulter, cap.93. num.8.

Matrimonium, an dicatur conſummatum per ſolam effuſionem ſeminis intra vas, cap.93. num.9. Quod ſi vir tantum penetret vas abſque ſeminis effuſione, vel ſi tantum mulier effundat ſemen, num.10. Et quid ſi vir tantum, & non mulier illud effundat, num.11.

Matrimonium, an dicatur conſumatum per copulam habitam ante matrimonium, cap.93.num.12.

Matrimonium an dicatur conſummatum per copulam vi habitam in primo bimeſtri, cap.93.num.13. An ſponſa, quæ paſſa eſt, iam poſſit ingredi religionem in tali caſu, num.14. Et idem ſit dicendum de copula habita per metum grauem, num.15. An ſponſus peccet mortaliter extorquendo talem copulam, num.17. Et an ſponſa in tali coitu poſſet in incontinenti ſemen reijcere ne concipiat, num.18.

Matrimonium poſtquam fuerit conſummatum, an ſponſi teneantur in illud ſolummodo conſentire in primo bimeſtri, ſi non habeant intentionem ingrediendi religionem, cap.93. num.21. Et an dicto bimeſtri elapſo, & non conſummato matrimonio poſſent adhuc ſponſi ingredi religione, num.22.

Matrimonium an dicatur conſummatum, ſi ſponſa iuret non conſumaſſe, cap.93.num.23.

Matrimonium an de fide ſit non poſſe contrahi abſque proprio conſenſu, cap.94. num.1. An poſſit ſuppleri à Deo, num.2. Et an Eccleſia an poſſit aliquos ſæculares matrimonio coniungere abſque eorum conſenſu, vel aliquam compellere, vt alteri nubat, num.3.

Matrimonium contrahens, an teneatur habere conſenſum tradendi alteri coniugi ius in ſuum corpus, cap.94. num.4. Quænam bona debeant neceſſariò intendere contrahentes, num.5. & 6. Et an, vt ſponſi contrahant abſque culpa, debeant habere finem procurandi ſobolem, & fugiendi fornicationem, num.7.

Matrimonium an eſſentialiter ſit contrahendum cum conſenſu tàm interno, quàm externo, cap.94.num.8.

Matrimonium an neceſſariò ſit contrahendum verbis, vel ſufficiant ſigna conſenſum experimentia, cap.94.num.9. An conſenſus amborum ſponſorum neceſſe ſit, vt ſemel præſtetur, num.10. Et quodnam tempus debeat eſſe inter vnum, & alterum conſenſum, num.11.

Matrimonium contrahens per vim, & metum, an ſufficiat ſi poſt intrinſecè iure conſentiat, cap.94.num.12.

Matrimonium an ſit validum, ſi contrahentes putent habere impedimentum dirimens, & contrahant, cap.94.num.13. Et ſi tantum ſponſus ſciat habere impedimentum dirimens, & poſtea impetret diſpenſationem, vel ceſſet impedimentum, an teneatur monere ſponſam, & an iterum ambum conſenſum præſtare, vt matrimonium ſit validum, num.14. Quod ſi impedimentum fuerit occultum, & iam ceſſauerit, an neceſſarium ſit monere alterum ſponſum, & iterum ambo conſenſum præſtare, num.15.

Matrimonium nullum ob occultum impedimentum, an eo ceſſante, ſit iterum coram Parocho, & teſtibus contrahendum, cap.94.num.16. Et quid ſi adfuerit periculum, vt impedimentum detegatur, vel quid ſi tantum ſciatur, ita vt probari poſſit, num.17.

Matrimonium iterum contrahendum per mutuum conſenſum, an fiat validum per copulam maritalem, cap.94. num.18. & 19.

Matrimonium inualidè contrahentes, an ſint monendi à Confeſſario id ſciente, cap.94.num.20.

Matrimonium metu graui extortum, ſi ſequatur copula eodem metu habita, an validum ſit, cap.95.num.25.

Matrimonium ob metum leuem, ſed reſpectiuè grauem, an ſit validum, cap.95.num.16. Et an idem ſit dicendum de ſponſalibus, num.17.

Matrimonium metu graui extortum, an ſit validum, ſi firmetur iuramento, cap.95. num.20. Et quid ſi contrahatur per verba de futuro, num.21.

Matrimonium contractum inuitis parentibus, an validum ſit, & an parentes poſſint impedire matrimonium filiorum, cap.95.nu.23. Et excommunicatio Concil. Trident. contra impedientes, vel compellentes ad matrimonium, quas nam perſonas comprehendat. num.24.

Matrimonium quibus conditionibus contrahi poſſit, cap.96. num.1. Et quæ conditiones poſſint adeſſe in matrimonio, & eius conſenſu, num.2.

Matrimonium, an ſit nullum, ſi conditiones fuerint contra bona matrimonij, cap.96.num.3. Quid ſi conditio fuerit poſſibilis, & honeſta de præſenti, de præterito, vel de futuro, num.4. Et an in conditione de futuro neceſſarium ſit, vt conſenſus perſeueret vſque ad completam conditionem, nu.5.

Matrimonium ſub conditione honeſta de futuro, an poſt illam adimpletam ſit iterum per nouum conſenſum contrahendum, cap.96. num.6. & 7. Et iuxta opinionem affirmatiuam, an eſſet iterum contrahendum coram Parocho, & teſtibus, num.9.

Matrimonium contractum ſub conditione de futuro cum duabus fœminis, ſi eodem tempore conditio impleatur, an matrimonium ſit cum aliqua earum validum, cap.96.num.8.

Matrimonium contractum ſub conditione obſeruandi perpetuam caſtitatem, vel ſtatim profitendi religionem, an ſit validum, cap.96.num.10. Et quid ſi conditio fuerit, vt alter eorum non poſſit exigere, num.11.

Matrimonium contractum ſub conditione contraria bonis matrimonij poſita tamen ab vno coniuge, an ſit validum, cap. 96. num.10. Et quid ſi in ſponſalibus fuerit oppoſita talis conditio, num.13.

Matrimonium contractum ſub conditione impertinenti, an ſit validum, cap.96.num.14. Et quid ſi conditio fuerit, ſi adulteres, vel prolem impedias, num.15. Et quid de alijs conditionibus poſitis per modum demonſtrationis, & cauſæ, ibidem.

Matrimonium inter Iudæos, & Paganos ſub conditione, vt liceat dari libellum repudij, an ſit validum, cap.96.nu.16.

Matrimonium clandeſtinum quotupliciter fiat, cap.97.num. 1. An celebrantes matrimonium abſque denunciationibus incidant in pœnas matrimonij clandeſtini, num.2. Quid ſi fuerit celebratum cum maiori parte vicinatus, num.3.

Digitized by Google

Et ſi celebratum fuerit abſq; Parocho, & teſtibus, an contrahentes incurrant dictas pœnas clandeſtini, & an ſit mortale, num.4.& 5.Et quonam modo potuit Eccleſia tale matrimonium irritare, num.6.

Matrimonium an ſit celebrandum præmiſſis denunciationibus à proprio Parocho intra Eccleſiam,&c.cap.97.num.7. An Epiſcopus poſſit diſpenſare, num.8. Quænam ſint iuſtæ cauſæ diſpenſandi, nu.9. Quando teneatur Epiſcopus diſpenſare, nu.10.An ob dictam diſpenſationem poterit aliquam pœnam pecuniariam imponere, num.11.Et ſi nollet diſpenſare, an poſſent contrahentes appellare, num.12. An aliquando matrimonium poſſit contrahi abſque denunciationibus, nec expectata diſpenſatione, num.13.Et quid ſi Parochus aſſiſtat matrimonio clandeſtino, ſcilicet contracto abſque denunciationibus ex timore mortis ſibi minatæ, vel quid ſi omninò illas omittat. num.14.& 23.

Matrimonium contractum abſque denunciationibus ex diſpenſatione, vel ſine illa, an poſſit conſumari abſque peccato mortali, cap.97.num.15.Et an toties, quoties copulam habuerint, mortaliter peccent, num.16.

Matrimonium conſumare ante benedictiones, an ſit mortale, vel an poſſit præcipi ab Epiſcopo ſub excommunicatione, vt dictæ benedictiones ſemper præmittantur, cap.97.num.17. An ſit mortale illas omninò omittere, num.18. An ex dictis denunciationibus quilibet teneatur manifeſtare impedimentum quamuis occultum, num.19. Qnid ſi ſciatur dictum impedimentum ex auditu, num.20. Et an teneantur contrahentes impedimenta manifeſtare, ſi fuerint interrogati ab Epiſcopo, num.21.

Matrimonium clandeſtinum contrahentes, in quas incidant pœnas, cap.97. num.22. Et in quas incidat Parochus, vel alius aſſiſtens abſque licentia proprij Parochi, num.23. An Sacerdos regularis ſi aſſiſtat abſque dicta licentia Parochi ſit non ſolum ſuſpenſus, ſed etiam excommunicatus, nu.24. & in quas pœnas incidant teſtes clandeſtino matrimonio aſſiſtentes, num.25.

Matrimonium an ſit neceſſariò contrahendum coram Parocho, & teſtibus, & an excuſet ignorantia contrahentium, cap.98. num.1. Et quid ſi fideles reperiantur in locis, in quibus non fuit receptum Concil.Trident.num.2. Vel an fideles ad dictos locos euntes, vel indè tranſeuntes, poſſint ibi contrahere iuxta leges dictorum locorum, & non aliter, num.3.

Matrimonium, an ſit contrahendum coram Parocho, vel alio Sacerdote de eius mandato, in cuius Parochia contrahentes morantur, cap.98. num.4.Et an tàm ſponſi, quàm ſponſæ Parochus aſſiſtere poſſit, vel facultatem alteri concedere, nu.6.& 7.Et quid ſi Parochus, vel alius Sacerdos dum aſſiſtit matrimonio fuerit excommunicatus, dicto num.7.& 8.Vel quid ſi Parochus non habuerit iuſtum titulum, num.9. & 10. Vel quid ſi matrimonium fuerit contractum coram laico communiter æſtimato Sacerdote, dicto num.10.

Matrimonio qui nam poſſint aſſiſtere præter Parochum, c.98. num.17. An Parochus interdictus ne aliquos matrimonio coniungat, validè aſſiſtat, num.18.Et an Sacerdos, cui data eſt talis facultas, poſſit aſſiſtere extra Parochiam committentis, num.19.

Matrimonium an validum ſit, ſi Sacerdos aſſiſtat cum licentia tacita Parochi, & quid ſi fuerit interpretatiua de futuro, vel de præſenti, aut præterito, cap.98.num.20. & 21. Et quid ſi Parochus videat aliquem Sacerdotem aſſiſtere, & intrinſecè non conſentiat, num.22.Et an Sacerdos teneatur fide præſtare dicenti, obtinuiſſe facultatem aſſiſtendi, numer.23.

Matrimonium an neceſſariò ſit contrahendum, dicente Parocho. Ego vos coniungo,&c. cap.98.num.24. An præſentia Parochi, & teſtium debeat eſſe non ſolum phyſica, ſed etiam humana, num.25. An ſufficiat, vt audiant, vel ſaltem videant ſigna conſenſum ſignificantia, num.26. An horum præſentia per vim habita, vel per modum tranſitus ſufficiat, num.27.

Matrimonium ſi contrahatur coram Sacerdote, cui per vim, & dolum Parochus conceſſit licentia aſſiſtendi, vel ex mendacijs ei dictis, an ſit validum, cap.98.num.28. Et an Parochus debeat ſimul, & non ſucceſſiuè cum teſtibus aſſiſtere, num.29.

Matrimonij impedimenta. Vide verb. impedimenta matrimonij.

Matrimonium contrahens cum propria ſerua, an fiat irregularis, cap.103.num.12.in fine.

Matrimonium cum Cathecumeno, an validum ſit, cap.107. num.1.An inter fidelem, & hæreticam, & quando peccet fidelis contrahendo cum hæretica, num.2.

Matrimonium inter infideles, an validum ſit, & quid ſi alter eorum conuertatur, & antea dediſſet libellum repudij, c.107. num.3. An teneatur non relinquere vxorem volentem habitare abſque iniuria fidei, num.4. Quando teneatur illam relinquere, num.5.Et filij eorum cuius nam conditionem ſequi debeant, num.6.

Matrimonium infidelium licet conſummmatum, an dirimi poſſit per conuerſionem alterius coniugis, cap.107.num.8. In quibus caſibus ſoluatur dictum matrimonium, num.10. Et an tunc dirimat matrimonium, quando coniux fidelis aliud contrahit matrimonium, & non antea, num.11. Et quid ſi terminus aſſignatus ab Eccleſia coniugi infideli fuerit elapſus, num.12. An quandocunque licitum ſit coniugi fideli matrimonium dirimere, poſſit etiam religionem ingredi, vel ſacros ordines ſuſcipere, aut votum caſtitatis emittere, nu.13.Et quid ſi poſt ingreſſum religionis alter coniux infidelis conuertatur, num.14.

Matrimonium contrahens cum impotentia temporali, v.g. cum magna infirmitate, an peccet, cap.110.num.2.in fine.

Matrimonium contractum cum Eunuchis, an validum ſit, c.110.num.5.Quid de matrimonio contracto cum ſerua, num.6. Et quid ſi contrahatur cum ſterili, num.7.

Matrimonium diſſolutum ratione frigiditatis, ſi poſtea vir reperiatur potens, an ſit reſtaurandum, cap.110. num.21. Quid ſi fuerit ſolutum ratione maleficij, num.22. Et quid ſi poſt ſolutionem matrimonij, coniuges profeſſionem emiſerint, vel vir ordines ſacros ſuſceperit, & poſtea reperiantur apti ad matrimonium, num.23.

Matrimonium conſummatum, an poſſit dirimi per quodlibet impedimentum dirimens ſuperueniens, cap.110.num.24.

Matrimonium an poſſit contrahi tantum in annis pubertatis, cap.110. num.25. Et quid ſi quis præſumeret eſſe potens ante dictam ætatem, ibidem. An iure Eccleſiaſtico dictum matrimonium ante pubertatem ſit irritum, num.26. An Pontifex, vel Epiſcopus poſſit diſpenſare, ibidem. Et ſi pubes non adhuc ſit aptus ad copulam matrimonialem, an contrahere poſſit, num.27. An tunc ſit exſpectandum tempus perfectæ pubertatis, num.28. Quando malitia ſuppleat ætatem reſpectu matrimonij, num.29. Quibus modis probetur, an adſit tali malitia, num.30. Et ætas pubertati proxima reſpectu matrimonij, quando dicatur, num.31.

Matrimonium an validè contrahi poſſit tempore mortis, & an per illud proles fiat legitima, cap.110.num.32.

Matrimonium an contrahere poſſit Hermaphroditus, c.110. num.33.

Matrimonium, vt ſciatur fuiſſe contractum cum impotentia

perpetua dirimente Matrimonium, an debeat prius per triennium probari, an verè adſit dicta impotentia, cap.110. num.34. à quo tempore ſit incipiendum dictum triennium, nu.35. Et quænam matronæ eligi debeant ad iudicandum, an puella adhuc ſit virgo, & an debeant eligi à Iudice tantum, num.36.

Matrimonium quibus temporibus contrahi non poſſit, c.111. num.2. An ſaltem poſſint benedici nuptiæ, num.3. Et an Epiſcopus poſſit in aliquo caſu diſpenſare, vt Matrimonium contrahatur, num.4.

Matrimonium an contrahi poſſit tempore Interdicti, vel ceſſationis à diuinis, cap.111.num.5.

Matrimonium an poſſit contrahi cum excommunicatione, cap. 111.num.9. An ſit peccatum contrahere cum excommunicato tolerato, num.10. & ſeqq. Et ſi ſponſi ambo fuerint excõmunicati, & contrahant, quot peccata committant, n.13.

Matrimonium ob quæ vota non poſſit contrahi, cap.111.n.17. Et ſi contrahatur ad quid teneantur coniuges, num.20.

Matrimonij vſus quando erit vitioſus, cap.114.nu.18. Et coniuges ſi ſe abutantur modo ſodomitico, quot peccata committant, num.19. Et an peccent ſi habeant copulam tempore menſtrui, num.20.

Matrimonium contractum cum Moniali, an impediat Matrimonium contrahendum, cap.111.num.29.

Matrimonium contrahere cum impedimentis non dirimentibus, quando ſit peccatum mortale, c.111.num.31. Et quis poſſit in illis diſpenſare, num.32.

Matrimonij vſus, an ſit interdictus diebus ieiunorum, vel ſolemnitatem, vel quando eſt ſumenda Euchariſtia, cap.114. num.16. Et an ſit ſacrilegium illo vti in ſacro, num.17.

Medici quando teneantur relinquere infirmos, ſi non confiteantur ante triduum, cap.54.num.4.

Mendacium in confeſſione, an ſemper ſit mortale, & reddatur confeſſio nulla, cap.47.num.18. & 19.

Mendacium an dicatur non ſolum verbis, ſed etiam factis, cap.101.num.3.

Menſes, & anni quomodo ſint computandi in fauorabilibus, & quomodo in pœnalibus, cap.93.num.20.

Metus quotuplex ſit, & quæ conditiones requirantur, vt metus grauis dicatur, aut cadens in conſtantem virum, cap.95. num.1. An metus grauis ſit, ſi malum timeatur in perſona parentum, conſanguineorum, affinium, &c. num.2. & quænam mala afferant metum grauem, & an illum afferat, ſeu cauſare poſſit metus reuerentialis, num.3.

Metus reuerentialis præciſè, an annullet profeſſionem, & matrimonium, cap.95.num.4. Et ſi cum tali metu adſint preces importunæ, an poſſint cauſare metum grauem, tàm reſpectu matrimonij, quàm profeſſionis, num.5.

Metus grauis, an ſemper contractus annullet, vel aliquando ſint tantum annullandi, cap.95.num.6.

Metus grauis incuſſus ad alium finem, ſed cauſans matrimonium, an illud irritet, cap.95.num.7.

Metus iniuſtè incuſſus à cauſa libera, an irritet matrimonium, cap.95.nu.8. Quid ſi fuerit iuſtè incuſſus à Iudice, vel alio, num.9. Et an ſit neceſſarius quidam vſus, quem faciunt aliqui Iudices, ſcilicet, quod nolint concedere facultatem contrahendi matrimonium intra carceres, ſed extra, num.10.

Metus grauis an ſit, ſi Iudex præciſè compellat ſtupratorem, vt ducat ſtupratam, cap.95.num.11.

Metus grauis, an irritet matrimonium iure naturali diuino, an tantum iure Eccleſiaſtico, cap.95. num.12. An ſponſi cognita inualiditate matrimonij, poſſint ſtatim ſe diuidere, num.13. Et an contrahens matrimonium per metum, mortaliter peccet, num.14.

Miniſtri Matrimonij, & aliorum Sacramentorum, quando peccent adminiſtrando Sacramenta in peccato mortali, cap.111.num.9.

Miſſam melioris Miniſtri, an proſit ad maiorem gratiam, cap. 4.num.7.

Miſſam audire ab excommunicatis, hæreticis, & peccatoribus, an quis poſſit, cap.28.num.16.

Miſſæ nomen vndè proueniat, cap.29.num.2. quid ſit, num.3. An Miſſæ ſacrificium fuerit inſtitutum à Chriſto Domino, quoad ſubſtantiam tantum, num.4. An ibi offeratur Chriſtus in propria ſpecie, num.5. Vtrum hoc ſacrificium eſſentialiter conſiſtat tantum in conſecratione, num.6. & 7. Et an in conſecratione vtriuſque ſpeciei, num.8.

Miſſæ ſacrificium, quod ſit ab Eccleſia, quomodo diſtinguatur ab illo, quod fuit factum à Chriſto Domino in vltima Cœna, cap.29.num.9. An Chriſtus ſit principalis offerens, num.10. An tantum Sacerdotibus ſit conceſſa facultas offerendi hoc ſacrificium, num.11. Et an poſſint etiam fideles offerre per Sacerdotem, num.12.

Miſſæ ſacrificium, an poſſit offerri tàm pro ipſo Sacerdote, quàm pro alijs, cap.29. num.13. An poſſit Sacerdos excludere aliquem fidelem à participatione huius ſacrificij, num.14. Et quid de excommunicatis, & peccatoribus, vel infidelibus, ibidem. An hoc ſacrificium poſſit offerri pro Defunctis, num.15. An pro beatis, & an pro damnatis, num.17.

Miſſæ ſacrificium, an habeat aliquem effectum ex opere operato, cap.30.num.1. An conferat primam gratiam, & remiſſionem peccati mortalis, num.2. An conferat augumentum gratiæ ex opere operato, num.3. Et an remittat peccata venialia ex opere operato, num.4.

Miſſæ ſacrificium, an remittat aliquam pœnam ex opere operato, cap.30.num.5. An proſit pro bonis temporalibus, nu. 6. Et an operetur aliquem effectum ex opere operato tàm in offerentibus, quàm in illis, pro quibus offertur, num.7.

Miſſæ ſacrificium, an validè applicetur à Sacerdote, etiam ſi applicatio fuerit contra iuſtitiam facta, cap.30. num.8. Et ſi nulli applicetur, cui remaneat eius fructus, num.9. Et an Sacerdos poſt conſummationem poſſit applicare ſacrificium, num.10. vel illud applicare pro primo daturo eleemoſynam. num.11.

Miſſæ fructus ex opere operato, an poſſit pro alijs offerri, cap. 30. num.2. Et quænam conditiones requirantur ad percipiendum fructum ex opere operato, num.13.

Miſſæ valor, an ſit infinitus intenſiuè, cap.30. num.14. & 15. An ſit infiniti valoris extenſiuè, nu.16. Et an valor, quem applicat Sacerdos pro alijs ſit infinitus, num.17.

Miſſæ ſacrificium, an ſit infinitum ad impetrandum, cap.30. num.18. An magis proſit viuis, quam Defunctis, num.19. Et an poſſit applicari tàm pro viuis, quàm pro Defunctis, num.20.

Miſſæ ſacrificium, an ſit neceſſariò faciendum aliquoties in anno à quolibet Sacerdote, cap.31.num.1. Et quid de Sacerdotibus Mediolanenſibus, num.2.

Miſſæ ſacrificium, an aliquando poſſit fieri pluries in vno die, cap.31.num.3.

Miſſæ an poſſint celebrari in Paraſceue, & Sabbato Sancto, cap.31.num.4.

Miſſæ in qua hora poſſunt incipi, cap.31.num.5. Et quid de die Natiuitatis, nu.6. & in qua hora poſſint terminari, num.7.

Miſſæ an debeant celebrari intra Eccleſiam, & an ſit mortale celebrare extra Eccleſiam, cap.31.num.8. & 9. Et quid de regularibus, num.10.11. & 12.

Miſſæ celebrare in Eccleſia violata, an ſit mortale, c.31.n.13. Ex quibus actibus Eccleſia dicatur violata, n.14.15. & 16. & ſeqq.

Digitized by Google

& ſeqq. An celebrans in dictis Eccleſijs incurrat aliquam cenſuram, num.24. Et quid faciendum, ſi dum Sacerdos celebrat, violatio fiat, num.25.

Miſſa an neceſſariò ſit celebranda in Altari, cap.32. num.2. An ſit mortale conſecrare abſq; Altari, & an poſſit Epiſcopus diſpenſare, num.4. An in Altari requirantur Tobaleæ, Candelæ, Miſſale, Crux, Corporale, &c. nu.5. & 6. Et quam munditiam debeat habere præcipuè corporale, num.7.

Miſſa an poſſit celebrari abſque Calice, & Patena ab Epiſcopo conſecrata, cap.32. num.8. Et ſi ex errore fuit celebratum in Calice, & Patena non conſecrata, an poſtea conſecrari debeant, num.9. Et quid ſi deaurentur, num.10. vel ſi ſeparetur cuppa à pede, num.11.

Miſſæ veſtimenta, quænam ſint, & quomodo neceſſaria, c.33. num.1.2.3. & 4. quam ſignificationem habeant, & ex qua materia, forma, & colore conſtare debeant, vel quando amittant benedictionem, ibidem.

Miſſam celebrare ſine veſtibus ſacris, an ſit mortale, & an teneatur Sacerdos potius morte ſubire, quam abſque veſtibus celebrare, cap.33. num.5.

Miſſam celebrare nudis pedibus, vel cooperto capite, an liceat, cap.33. num.6. Et an liceat illam celebrare ante recitatum Matutinum, num.7.

Miſſa an ſit celebranda iuxta ritum Miſſalis, cap.33. num.8. & 9. Et an ſit mortale mutare in Canone nomen Epiſcopi dicto, num.9.

Miſſam votiuam, vel de Requie, celebrare in diebus feſtiuis, an ſit mortale, cap.33. num.10. Et vtrum omittere Credo, vel Gloria, aut aliquas orationes ſit mortale, num.11.

Miſſa an poſſit Sacerdos aliquid addere, cap.33. num.12. An poſſit mutare, vel mutilare cæremonias, num.13. Et an poſſit dici Miſſa de aliquo Sancto non aſſignato in Miſſali, ibidem. Et quomodo defectibus in Miſſa occurrentibus ſit occurrendum, num.14.

Miſſa celebrare ex iuſtitia commutatiua, quando teneatur Sacerdos, cap.34. num.1. Quando Parochus teneatur ratione officij, num.2. Et an ex pacto ſit applicanda Miſſa pro illo, qui tribuit eleemoſynam, num.3.

Miſſæ ſtipendium quodnam ſit, & an Miſſæ poſſint redigi ad minorem ſummam, cap.34. num.4.5. & 6. An poſſint Sacerdotes diuites accipere ſtipendium, num.7. Et an pauperes poſſint accipere duplicatum ſtipendium ob paupertatem, num.8.

Miſſæ an ſaltem aſſiſtere debeat vnus Miniſter cap.34. num.9. Et an poſſit eſſe fœmina, num.10. Et quænam dictus Miniſter teneatur obſeruare, num.11.

Miſſa an ſit celebranda loco, tempore, &c. prout dans eleemoſynam voluerit, cap.35. num.1. Et ſi fuerit celebranda quotidie ex obligatione, an poſſit Sacerdos aliquando non celebrare, num.2. Quid ſi dictus Sacerdos infirmetur, num.3. Et an ſi celebret extra locum aſſignatum, teneatur reſtituere, num.4. Et quid ſi ſit obligatum celebrare in Altari priuilegiato, num.5.

Miſſa ordinaria, an poſſit celebrari loco Miſſæ votiuæ, vel de Requie, cap.31. num.6. An Sacerdos ſatisfaciat, ſi Miſſam per partes offerat, num.7. Vel ſi acciperet aliud ſtipendium ratione præſentiæ tantum, num.8. vel ratione ſuæ partis Miſſæ, num.9.

Miſſa ſi fuerit per alium celebrata, an ſit ei tribuenda eadem portio, quæ habenti beneficium correſpondet, cap.31. num.10. An poſſit Sacerdos ratione feſtiuitatis duplicatū ſtipendium accipere, n.11. Et an Miſſæ poſſint anticipatè celebrari, nu.12. vel aliæ accipi celebrandæ poſt menſem, num.13.

Miſſa, vt applicetur, an ſit neceſſaria intentio actualis, vel virtualis tantum, cap.31. num.14. Et an Sacerdos in Miſſa ſolenni teneantur legere Epiſtolam, & Euangelium, nu.15. Et quænam ſint decreta edita circa celebrationem Miſſarum, num.16.

Miſſa an ſit audienda diebus feſtiuis ſub præcepto, cap.36. nu.1. & 2. Quas partes habeat Miſſa, & an relinquere vnam ex illis ſit mortale, num.3. Et an in die Natiuitatis Domini per vnam Miſſam quis ſatisfaciat præcepto, ibidem.

Miſſam audiens ex deuotione, ſi poſtea cognoſcat eſſe diem feſtum, an teneatur iterum Miſſam audire, cap.36. num.4. An ad Miſſam audiendam requiratur attentio, & intentio, num.4. & 5.

Miſſæ an poſſit quis ſatisfacere, ſi habeat in ea voluntatem libidinoſam, vel recitet alias orationes, aut confiteatur, vel faciat examen conſcientiæ, cap.36. num.6. & 8.

Miſſam audire quotidie, an Epiſcopi teneantur, c.36. num.7.

Miſſæ an poſſit quis ſatisfacere abſque præſentia corporali in Eccleſia, cap.36. num.9.

Miſſa in quibus diebus feſtiuis ſit audienda, c.36. num.10.

Miſſam an quis teneatur audire, ſi ſit diſceſſurus ad locum, in quo non eſt feſtiuitas, cap.36. num.11.

Miſſa an ſit audienda, ſi feſtum Annunciationis venerit in Paraſceue, cap.36. num.12.

Miſſam, ſi quis non audiret, ſed poſſet tantum audire dimidiam partem, an teneatur illam audire, cap.36. num.13.

Miſſæ an quis ſatisfaciat, ſi illam audiat in Oratorio priuato, cap.36. num.14.

Miſſa ex quibus cauſis omitti poſſit, cap.37. num.1.2. & ſeqq. An habens priuilegium tempore interdicti, teneatur Miſſam audire num.2. Et vtrum habens legitimum impedimentum non audiendi Miſſam in Eccleſia, teneatur illam audire in ſuo Oratorio, quod habet approbatum, num.4.

Monaci an ſint excommunicati, ſi adminiſtrauerint Sacramenta Matrimonij, Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis, c.13. n.8. Et an poſſint tenere ad Baptiſmum, nu.11. in fine.

Mulier, quæ ſe finxit virginem, vt nubere poſſet, an teneatur reſtituere donationes habitas à Marito, eo quod fuerit putata virgo, & an peccauerit ipſa, & alij, qui ad id concurrerunt, cap.101. num.2. & 3.

N

NEgotiatio Clerici interdicta quænam ſit, & an acquiſita ex vna tantum negotiatione ſubdantur ſpolio Apoſtolico, cap.86. num.11.

Nobilitas vera, an debeat prouenire ex patre, & matre, cap.103. num.21.

Nuptiatus an cenſeatur completus poſt inceptam vltimam diem anni, cap.113. num.10.

Nuptiæ ſucceſſiuæ, an licitæ ſint, c.109. n.3. Secundæ nuptiæ, an ſint benedicendæ, & quando, n.4. Et ſi matrimonium inualidum reperiatur, an benedictiones permaneant, ita vt non ſint poſtea iterum accipiendæ, nu.5. In quas pœnas incidat Parochus tribuens benedictiones in caſu non permiſſo nu.6. An illas debeat tantum impendere Ordinarius, vel Parochus contrahentiū, n.7. In quas pœnas incidant alij illas impendentes abſq; horū licentia, ibidem, & an Religioſi incidant tantum in excommunicationē illas impendendo, n.8.

Nuptiæ an benedici poſſint temporibus, quibus Matrimonium contrahi non poteſt, c.11. nu.3. An poſſint benedici tempore interdicti, vel ceſſationis à diuinis, & an in Eccleſia ſpecialiter interdicta, n.7. An poſſint benedici illis diebus, in quibus Interdictum ſuſpendi ſolet, num.8. Et an ſi ſponſi reperiantur in excommunicatione maiori, num.14.

O

OCciſio vxoris, vel mariti, an impediat matrimonium contrahendum, cap.111.num.25.

Occiſio Presbyteri, an impediat matrimonium contrahendum, cap.111.num.27.

Occiſio proprij filij, an impediat matrimonium contrahendum, cap.111.num.30.

Officium Diuinum, an teneatur recitare Clericus in ſacris, vel Religioſus, ſi cum eo diſpenſauerit Summus Pontifex, vt matrimonium contrahat, cap.112.num.16.

Officium Diuinum, vide horæ Canonicæ.

Oleum non benedictum, ſi addatur Oleo benedictum, an fiat totum benedictum, etiam ſi ſemper addatur in infinitum, cap.57.num.5. in fine.

Opera bona facta in gratia, & mortificata per ſubſequens peccatum, an reuiuiſcant per pœnitentiam, cap.42.num.13. Et quid de operibus factis ſine gratia, num.14. & cap.55. num.5.

Operari ex timore, an ſit malum, cap.44.num.14.

Opus vt ſit ſatisfactorium quomodo neceſſe ſit, vt procedat à libera voluntate, cap.55.num.6. Opus factum ex præcepto, an ſit ſatisfactorium; num.7. Et an opus tàm internum, quàm externum poſſit eſſe ſatisfactorium, num.8.

Opus, vt ſit ſatisfactorium pro peccatis, an neceſſariò debeat eſſe pœnale, cap.55.num.9. An omnia opera pietatis poſſint eſſe ſatisfactoria, num.10.

Opera ſatisfactoria in gratia facta, quomodo ſint ſatisfactoria de condigno, cap.55.num.11. Et quas conditiones requirat opus, vt ſit ſatisfactorium de condigno, num.12. Et an ad ſatisfactionem ex opere operantis, requiratur opus ſatisfactorium, num.13.

Opera ſatisfactoria ab alijs præcepta, ſeu teſtata, an ſint facienda in gratia à faciente illa, vt valere poſſint ad remiſſionem pœnæ, cap.60.num.9. & 10.

Opinio probabilior, an ſit ſemper ſequenda, quando agitur de materia, & forma Sacramentorum, c.98.n.5. circa finem.

Oratio quotuplex ſit, cap.68. num.1. Quid ſit num.2. Quid in ea peti debeat, num.3. Et an in ea requiratur actus intellectus, & voluntatis, num.4.

Oratio an ſit facienda cum intentione, & attentione, cap.68. num.5. An requiratur intentio actualis, vel virtualis, num. 6. & 7. Et quibus modis poſſit quis attendere ad orationem, num.8.

Oratio an ſit neceſſaria neceſſitate medij, cap.68. num.9. & 10. An ſit neceſſaria ex præcepto naturali diuino, num.11. Quomodo debeat eſſe continua, num.12. An obliget tempore neceſſitatis, num.13. An extra dictum tempus ſit etiam adimplendum, num.14. Et an poſſit differri ad longum tempus, num.15.

Oratio aliqua vocalis, an ſit facienda ex præcepto naturali diuino, cap.69.num.1. An ſit facienda ex præcepto diuino, num.2. An ex præcepto Eccleſiæ, num.3. Et an detur aliquod præceptum Eccleſiæ ad memoriter retinendum aliquam orationem vocalem, num.4. & 5.

Oratio an debeat eſſe diuturna, cap.69.num.6. An oratio poſſit fieri in omni loco, num.7. An poſſit fieri pluribus modis, num.8. An poſſit fieri verſus orientem, num.9. & 10.

Orare an poſſint diuinæ perſonæ, cap.69.num.11. Sancti, ſeu Animæ beatæ quonammodo orare poſſint, n.12.13. & 14. Et an poſſint orare pro ipſis reſpectu gloriæ accidētalis, n.15.

Orare exiſtentes in Purgatorio, an poſſint pro ſeipſis, cap.69. num.16. An poſſit tàm pro ſeipſis, quàm pro benefactoribus impetrare, num.17. & 18.

Orare an poſſit infideles, & peccatores, cap.69.num.19.

Orare an tantum conueniat creaturæ rationali, c.69.num.20.

Orare an quis poſſit tàm pro omnibus in communi, quàm in particulari, non autem pro damnatis, cap.70.num.1. An orare poſſimus pro Sanctis, num.2. & 3. Et an pro eo, quem ſcimus eſſe damnatum, num.4. & 5.

Orare an debeamus pro omnibus indifferenter, ſiue prædeſtinatis, ſiue non, cap.70. num.6. An pro eo, qui mortuus eſt cum finali impœnitentia, num.7. An pro inimicis, num.8. & 9.

Orare an debeamus petendo abſolutè, cap.70.num.10. Neceſſaria ad vita, an poſſumus abſolutè petere, num.11. An petere debeamus tribulationes vel mala, num.12. Quid verè petere debeamus, num.13. Et qui ſint effectus orationis, num.14.

Oratio Dominica quomodo explicetur, cap.71.num.1. & ſeqq.

Ordo, ſeu Sacramentum ordinis quid ſit, cap.61.num.1. à quo, & quomodo inſtitutum, num.2. Quot ſint ordines, & an omnes ſint Sacramentum, num.3. Epiſcopatus an ſit ordo, num.4. & 5. Et quid de Archiepiſcopatu, Papatu, prima Tonſura, &c.num.6.

Ordinis Epiſcopatus quodnam ſit officium, cap.65.num.7. In quo conſiſtat officium Presbyteratus, & aliorum ordinum maiorum. num.8.

Ordinis materia quænam ſit, cap.63.num.9. Quænam ſit materia Sacerdotis, ibidem, quænam materia Diaconatus, num.10. Quænam materia Subdiaconatus, num.11. Et quænam materia aliorum ordinum, num.12. Quænam materia Epiſcopatus, num.13. Sed quænam materia fuerit inſtituta à Chriſto Domino pro ordinibus, vide num.10.12. & 15. An dictæ materiæ debeant phyſicè tangi in traditione ordinum, num.14. An debeant etiam tangi ab Epiſcopis, num.15. Et ſub quibus formis debeant dictæ materiæ porrigi, num.16.

Ordinis effectus quinam ſint, cap.66.num.1. An ſolus Epiſcopus ſit Miniſter ordinis, num.2. & 3. Cardinales, an poſſint conferre ordines minores, num.4. Epiſcopus an validè poſſit ordinari ab vno, vel duobus Epiſcopis, num.5. Presbyteri an poſſint minores conferre auctoritate Summi Pontificis, ſicut Abbates, num.6. An Epiſcopus poſſit ordinare ſuum familiarem non ſubditum, ibidem. Epiſcopus proprius, an dicatur ille, in cuius Diœceſi ordinandus eſt natus, vel habet domicilium, vel beneficium, num.7. Et quid ſi quis habeat beneficia in pluribus Epiſcopatibus, ibidem. Et an litteræ dimiſſoriæ extinguantur morte concedentis, num.8.

Ordinari an poſſit omnis maſculus baptizatus, licet puer, cap. 66.num.6. Fœmina, & Hermaphroditus, an poſſint ordinari, n.10. Quinam iure humano ordinari non poſſint, num. 11. Qui ex defectu libertatis, num.12. Et qui ratione delicti, num.13.

Ordines ſuſcipiens, quas conditiones habere debeat, cap.66. num.14. Pro diſpenſatione interſtitiorum, an requiratur aliqua cauſa, num.15. Et an ordinandus debeat eſſe confirmatus, num.16.

Ordines ſuſcipiens ab alieno Epiſcopo, in quas pœnas incidat, cap.66.num.17. Et tàm ſuſcipiens, quàm conferens ordines ficto patrimonio, an ſint ſuſpenſi, num.18. Et quid de vltramontanis, ibid. Et quid ſi quis ſuſcipiat ordines ſacros ficto patrimonio, vel ei fictè donato, num.19.

Ordinis Sacramentum an decenter, & ritè tradatur cum ſacris vnctionibus, cap.67.num.1.

Ordines habentes, an decenter vocentur Clerici, cap.67.num. 2. An debeant vti habitu, & tonſura, nu.3. An ſint exempti de iure humano, num.4. & 5. Et an ſi habuerint

Digitized by Google

ordines maiores, teneantur ad legem cælibatus, num.6.

Ordines minores quando poſſint Abbates conferre, cap.67. num.8. Et quomodo annus interſtitiorum computandus ſit in ordinibus, ibidem.

Ordines minores, vel primam tonſuram ſuſcipiens innodatus cenſuris, an incurrat aliam cenſuram, vel inhabilitatem, & quid de ordinibus ſacris, cap.80.num.8.

Ordines ſacri, an habeant annexum votum ſolemne caſtitatis iure Eccleſiaſtico, cap.104. num.3. Quid ſi quis illos ſuſcipiat abſque intentione ſe obligandi ad dictum votum, num.4.

Ordines ſacri per vim, & metum collati, an ſint validi, & an inducant obligationem obſeruandi votum caſtitatis, c.104. num.5. Et quid ſi quis fuerit ordinatus ante vſum rationis, vel ante annos ſexdecim completos, num.6.

Ordines minores, an inducant impedimentum matrimonij, & an peccet ſic ordinatus contrahendo, vel dictos ordines ſuſcipiendo abſque animo perſeuerandi in ſtatum clericali, cap.104.num.7.

P

PArochus ſuſpenſus per triennium, quia interfuit matrimonio clandeſtino, an poſſit abſolui, cap.97. num.23.

Parochus an poſſit priuare amentes Euchariſtia tempore mortis, & quid de carentibus vſu rationis, & energumenis, cap.19.num.13.& 14.

Parochus in quam pœnam, & culpam incurrat ſi omittat denunciationes in celebratione matrimonij, & quid ſi id agat ad effugiendam mortem ſibi minatam, cap.97. num.14. & 23.

Parochus an teneatur ſemper confeſſiones ſuorum ſubditorum audire, cap.52.num.1.

Parochus circa Sacramentum Extremæ Vnctionis. Vide Extrema Vnctio.

Parochus an neceſſariò requiratur ad matrimonium contrahendum, cap.98.num.1. Et quid de locis, in quibus non fuit receptum Concil.Trident.num.2. & 3. An requiratur Parochus in cuius Parochia contrahentes morantur, num.4. Et an ſufficiat Parochus ſponſi, vel ſponſæ, num.5.

Parochus non Sacerdos, an validè poſſit aſſiſtere matrimonio, cap.98. num.6. An poſſit facultatem aſſiſtendi concedere Sacerdoti tantum, & quid ſi talis Sacerdos fuerit excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, &c.num.7. Et Parochus, vel Sacerdos aſſiſtens matrimonio, an mortaliter peccet, ſi fuerit excommunicatus, & aſſiſtat matrimonio, ibidem.

Parochus proprius, an ſit ille, qui eſt proprius Sacerdos ad audiendas confeſſiones, cap.98.num.13. Et Parochiani, an ſint illi, qui in dicta Parochia habent domicilium, vel ibi accedunt animo manendi, ſeu habitandi, ibidem.

Parochus vagorum quis dicatur, & qui dicantur vagi, cap. 98.nu.14. Ad quid teneatur Parochus vagorum, ſi debeat illas matrimonio coniungere, num.15. Et quid ſi alter ſponſus tantum fuerit vagus, num.16.

Parochus, & teſtes, an debeant aſſiſtere non ſolum phyſicè, ſed etiam humano modo, ſcilicet cum aduertentia ad matrimonium, cap.98. num.25. An ſit neceſſarium, vt ſaltem videant ſigna connotantia conſenſum matrimonij, num. 26. An ſufficiat eorum præſentia per vim habita, vel per modum tranſitus, num.27. Et an Parochus, & teſtes debeant eſſe ſimul, num.29.

Parochus an poſſit relinquere ſacrificium, & currere ad petentem confeſſionem, cap.28.num.14.in fin.

Peccatum complicis, an ſit aperiendum in confeſſione, cap.48. num.5. & cap.53. num.1. & ſeqq.

Peccatum hæreſis, an poſſit dimitti virtute Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ, cap.64.num.13.

Peccator, qui celebrauit, vel communicauit cum ſola contritione ratione neceſſitatis, an teneatur quam primum confiteri, cap.26.num.12. Et an teneatur peccator communionem differre poſt confeſſionem, num.13. Vel ſi dubitet, an commiſerit aliquod peccatum, vel an illud confeſſus ſit, an teneatur confiteri, num.14. Et ſi accedat ad communionem cum peccato mortali, quot peccata committat, n.15.& 16.

Peccatoribus an ſit deneganda communio, cap.26. num.17. 19.& 23. Quid ſi fuerint peccatores occulti, & occultè petant, num.20. Et quid ſi peccatum cognoſcatur tantum per confeſſionem ſacramentalem, num.21. Et quid ſi publicè petant, num.22.

Peccatum in Spiritum Sanctum, in quo ſenſu dicatur irremiſſibile, cap.41.num.6.

Peccata mortalia, an aliquando poſſint remitti ſine pænitentia, cap.41.num.7. Et quid de potentia Dei abſoluta, num.8. An vnum peccatum mortale remittatur ſine alio, num.9. Et quomodo remiſſis peccatis mortalibus, remittatur etiam pœna æterna, & temporalis, num.10.

Peccata venialia, an remitti poſſint ſine auxilio ſupernaturali, cap.42. num.1. & 2. Et an remitti poſſint per pænitentiam formalem, vel virtualem, num.3. An per actum attritionis, vel alium actum contrarium, nu.4. Et poſt hanc vitam, quomodo dicta peccata dicantur remitti, num.5.& 6.

Peccata venialia, an remittantur etiam per ſacramenta, cap. 42.num.7. Et an per ſacramentalia, num.8.

Peccata remiſſa, an redeant per ſubſequens peccatum, cap.42. num.9. Et an ſi quis ad eadem peccata redeat, grauius peccet, num.10.

Peccator an ſemper teneatur pænitere de peccatis, dum ei in mentem occurrunt, cap.43.num.6. Et an teneatur ſtatim poſt peccatum commiſſum conteri, num.7.

Peccator an teneatur actus extrinſecos pænitentiæ facere, cap. 49.num.9.& 10.

Peccata an ſint iuxta eorum ſpecies aperienda in confeſſione, cap.46. num.9. & 10. Et quid de eorum circumſtantijs, num.11. & ſeqq.

Peccata an aperienda ſint in confeſſione iuxta eorum numerum, cap.47. num.1. Peccata interna quomodo multiplicentur, num.2. Et quomodo externa, num.3.

Peccata an poſſint eſſe plura in vno actu phyſico, vel ſi procedant ab vno impetu, cap.47. num.4. & 5. Qui vnicò actu proponit non ieiunare in Quadrageſima, quot peccata committat, num.6.

Peccatorum actus qui antecedunt, vel ſubſequuntur ipſum peccatum, an conſtituant nouum peccatum, cap.47.num.7.

Peccata quomodo multiplicentur ratione voti, officij, vel ſcandali, cap.47.num.9. & 10.

Peccata reſeruata, ſed abſoluta, an aliquando remaneant materia neceſſaria confeſſionis, cap.51.num.12.

Penſionarij, & habentes praſtimonium, an teneantur recitare Officium B.Virg.cap.72.num.14. & c.85.num.10.

Penſionarij an poſſint diſponere de fructibus penſionis iuxta eorum libitum, cap.81.num.9.

Penſio quid ſit, & quomodo detur, cap.84.num.1. & 2. An ſit quid ſpirituali annexum, An debeat dari iuſta de cauſa, & quid ſi obtineantur ex falſa cauſa, num.4.

Penſio an poſſit aſſignari in fructibus beneficiorum, an ipſo beneficiario, cap.84. num.5. An poſſit dari tantum Clerico habenti ætatem ſeptem annorum, num.6.

Penſio an poſſit aſſignari ſpurio, & an ſi diſpenſetur ad primam

Digitized by Google

mam tonſuram, intelligatur diſpenſatus ad penſionem, & è contra. Et an diſpenſatus ad beneficium, intelligatur diſpenſatus ad penſionem, cap.84. num.7. Et an poſſit aſſignari penſio excommun cato, num.8.

Penſionem an quis in conſcientia tenere poſſit, abſque iuſta cauſa, quamuis diſpenſatus à Pontifice, cap.84.num.9.

Penſio, an poſſit transferri ad filium legitimum, vel illegitimum, cap.84.num.10.

Penſio, an poſſit aſſignari in fructibus beneficij habentis ius patronatus, cap.84.num.11. Quonammodo poſſit aſſignari in Parochia, num.12. Quomodo Epiſcopatui, num.13. Et an poſſit aſſignari penſio in fruct bus diſtributionum, ibidem.

Penſio an extinguatur per mortem penſionarij, vel per matrimonium contractum, aut per profeſſionem in religionem, vel promotionem ad Eccleſiam Cathedralem, vel Metropolitanam, cap.85.num.1.2.& 3.

Penſio an poſſit remitti à penſionario, abſque vllo conſenſu Pontificis, cap.85.num.4.

Penſio an cenſeatur amiſſa, ſi penſionarius acquirat beneficium, ex cuius fructibus habeat penſionem, cap.85. num.5. An penſio redimi poſſit anticipata ſolutione, num.6. Et an illius fructus poſſit redimere beneficiarius, in caſu, quo penſionarius poſſit illos vendere, num.7.

Penſio an poſſit alteri dari ſine authoritate Pontificis, cap.85. num.8. Et quibus, & quomodo habentes priuilegium illam alteri dandi, debeant illam transferre, num.9.

Penſionarius, an poſſit exigere penſionem antequã obtineat litteras Pontificias talem penſionem concedentis, c.85.n.10.

Penſio an ſit ſoluenda à beneficiario excommunicato, & non percipiente fructus ex beneficio, cap.85.num.11. Et quid ſi fructus beneficij perierint omnes, vel ſecundum partem, num.12.

Piſſis vbi conſeruatur Sanctiſſimum Sacramentum, an debeat conſecrari, vel ſaltem benedici, cap.32.num.12.

Pænæ contra non communicantes, vel non confitentes ſemel in anno quænam ſint, cap.54. num.14.

Pænitentia vnde dicatur, an ſit ſecunda tabula poſt naufragium, & in quibus conueniat, & differant pænitentia, vt virtus, & pænitentia, vt ſacramentum, cap.38.nu.1.& 2.

Pænitentia, an habeat pro obiecto materiali, opus bonum, & pro obiecto formali ius diuinum, cap.38.num.7. & 8.

Pænitentia, an ſit actus ſupernaturalis, cap.38, num.9. Et an debeat eſſe vniuerſalis de omnibus peccatis, num.10.

Pænitentia, an debeat eſſe cum deteſtatione ſuper omnem malum pænæ, cap.38.nu.11. An proprium peccatum deteſtabilius ſit, quam alienum, & an malum pænæ proprium deteſtabilius ſit, quam malum culpæ alterius, num. 12. Et an præſentia ſit omninò neceſſaria poſt peccatum, num.13.

Pænitentia quas res habeat certas, & de fide, cap.39, num.1. Quomodo definiatur quatenus Sacramentum eſt, num.2. Et quomodo quatenus conſtat ex materia, & forma, num.8.

Pænitentiæ ſacramentum in voto, an ſufficiat ad remiſſionem, c.39.n.3. Et an ſit neceſſarium ex præcepto diuino, n.4.

Pænitentiæ materia remota, an ſint peccata actualia, cap. 59.num.5. Quænam dicatur materia neceſſaria, & quænam ſufficiens, ibidem, num.6.& 7. Et an hoc ſacramentum eſſentialiter conſtat ex materia, & forma, num.8.

Pænitentiæ materia proxima quænam ſit, cap.39.num.9. Et an cæremoniæ, quæ fiunt in Sacramento pænitentiæ, ſint neceſſariæ. num.10.

Pænitentiæ Sacramenti forma quænam ſit, & quænam verba, ibi eſſentialiter dicantur, cap.4. num.1.2.& 3. Per dictam formam, an indicetur tantum peccatorem eſſe abſolutum, num.4. Et quid verè dicta verba ſignificent, Et an ſi Sacerdos dictis verbis formæ intendat etiam abſoluere à cenſuris, validè abſoluat, num.6.

Pænitentiæ Sacramenti forma, an poſſit dari ſub conditione de præſenti, de præterito, vel de futuro, cap.40. num.7. & 8. An poſſit dari abſenti, num.9. Et an pluribus ſimul, num.10.

Pænitentiæ Sacramentum, an confici poſſit ſine poteſtate ordinis, & iuriſdictionis, cap.40.num.12.& 13. Et an Apoſtoli illas acceperint à Chriſto Domino, num.14.

Pænitentia, vt eſt virtus, an ſit habitus ſupernaturalis infuſus in voluntate, & an fuerit in Chriſto Domino, & B. Virgine, cap.41. num.1. An ſufficiens ſit ad abolenda omnia peccata licet enormiſſima, num.2. & 3. Et an ſemper in hac vita habeamus gratiam ſufficientem ad pænitentiam, num.4. & 5.

Pænitentia, an dari poſſit de peccatis in Spiritum Sanctum, cap.41. num.6. An aliquando poſſi it remitti peccata ſine pænitentia, num.7. Et quid ſi loquamur de potentia Dei abſoluta, num.8.

Pænitentia, an poſſit eſſe cauſa remiſſionis vnius peccati, & non alterius, cap.41. num.9. Et quonammodo per illam remittatur, pæna æterna, & temporalis, num.10.

Pænitentia, an poſſit eſſe cauſa, vt virtutes infuſæ reſtitantur, cap.42.num.11. An per pænitentiam quis reſurgat ad priſtinam dignitatem, num.12. Quid de operibus mortificatis, num.13. Vel factis abſque gratia, num.14.

Pænitentiæ partes integrales quænam ſint, cap.43. num.1.

Pænitere, an quis teneatur ex præcepto diuino, cap.43.num.2. An impœnitentia ſit ſpeciale peccatum diſtinctum ab alijs num.3. An dictum præceptum pænitendi ſit naturale diuinum, num.4.& 5. Et quomodo obliget, num.8.

Pænitentia quatenus ſacramentum, an requirat actum formalem pænitentiæ, vt conferat eius effectum, cap.45.nu.1. An ſufficiat attritio, & qualis eſſe debeat, num.2. Et an ſaltem debeat eſſe ante abſolutionem, num.3.

Pænitentiæ ſacramentum, an poſſit eſſe informe ex defectu doloris, cap.45.num.4. Et ſi confeſſio fuerit de venialibus, an etiam requiratur formalis attritio, num.5.

Pænitens an poſſit confiteri vni Confeſſori peccata venialia, & alteri mortalia, cap.46.num.8.

Pænitentia in quibus caſibus ex præcepto diuino ſit facienda, cap.43.num.8.

Pœnitentia publica, an impediat matrimonium contrahendum, cap.111.num.28.

Pollutio procurata à fœmina poſt vſum matrimonij, ad illum perficiendum, an ſit licita, cap.114.num.18.in fine.

Pollutio copulæ coniugalis, & ſimiles maculæ, an impediant ſumptionem Euchariſtiæ, cap.27.num.7.

Pollutio an liceat pro vita cõſeruatione, an liceat expellere ſemen corruptũ medijs fricationibus, & an quis teneatur impedire pollutionẽ fluentẽ, c.114.n.26. Quãdo pollutio prœuiſa inducat ſpecialem culpã mortalẽ neceſſariò explicãdã in cõfeſſione, n.27.28.& 29. Quid ſi præuideatur in oſculis, tactib. &c. Inter cõiuges, n.30. Vel inter ſpõſos de futuro, n.31.

Pontifex, an poſſit diſpenſare in omnibus impedimentis dirimentibus, cap.112.num.15. Et an poſſit diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis, num.16.

Prælati regulares, vt Priores, Guardiani, &c. An poſſint audire confeſſiones ſæcularium abſque licentia, & examine Epiſcopi, cap.48.num.2. §. Vtrum autem.

Prælatus an poſſit repudiare hæreditatem, vel legatum abſque ſolemnitate, abſque culpa, & an poſſit repudiare in beneficium alterius, cap.99.num.9.

Præce-

Digitized by Google

Præceptum an poſſit fieri de re, quæ eſt tantum de conſilio facienda, cap. 97. num. 17.

Prælati regulares, an poſsint abſoluere ſuos ſubditos à caſibus Papalibus occultis, cap. 51. nu. 4.

Prælati an teneantur concedere facultatem abſoluendi, quando à ſubditis petuntur, cap. 51. nu. 8.

Prælati an poſsint abſoluere tantum à reſeruatis, & remittere pœnitentem ad alium confeſsionem, cap. 51. num. 9. Et an è contra confeſſor verſa vice, poſsit abſoluere pœnitentem à non reſeruatis, & mittere illum ad ſuperiorem, nu. 10.

Prælati regulares, an poſſint abſoluere religioſos eiuſdem ordinis extra eorum Prouinciam, vel Conuentum, cap. 50. num. 6. Et an ſibi poſsint eligere confeſſorem non approbatum, ibidem, & num. 5.

Prælati, ac etiam ipſemet Pontifex, & alij Pontifice inferiores, quomodo iuriſdictionem habeant circa Sacramentum pœnitentiæ, cap. 49. nu. 2. 3. & 4.

Prælati regulares quomodo teneantur reſidere, c. 80. nu. 13.

Principes an poſsint condere leges pertinentes ad matrimonium, & an tàm ipſi, quàm Iudices poſsint ſe ingerere in cauſis matrimonialibus, exceptis cauſis dotalibus, cap. 95. nu. 27. & cap. 115. nu. 23.

Priuilegia, & conceſsiones, quomodo reuocari poſsint, vel non poſsint, cap. 113. nu. 19. Et quid requiratur ad eorum reuocationẽm, num. 20. & 21.

Procuratio, ſeu mandatum procuræ, quomodo poſsit reuocari, & quid, ſi quis fuerit inſtitutus Procurator per litteram, vel Nuncium, cap. 92. num. 15. in fine.

Profeſsio an annullet matrimonium ratum, c. 93. nu. 6. & 7.

Profeſsio ficta quonam modo obliget, c. 104. nu. 3. in fine.

Profeſsio, an poſsit fieri poſt inceptam vltimam diem anni nouitiatus, cap. 113. nu. 20.

Promittens ignorans naturam promiſsionis, vel promittens abſque animo ſe obligandi, an teneatur illam ſeruare, c. 87. num. 6. in fine.

Promiſsio acceptata, quamuis non inducat aliud damnum, quam promiſsionem rei promiſſæ, an inducat obligationem ſub mortali, cap. 87. num. 6.

Promiſsio matrimonij facta præſenti, & tacenti, an inducat obligationem, cap. 87. num. 8. Et quid ſi facta fuerit præſenti loco abſentis, num. 9.

Promiſsio matrimonij gratuita, an poſsit reuocari antequam acceptetur, c. 87. nu. 12. Et quam deliberationem requirat promiſsio matrimonij, num. 13.

Promiſsio alieni matrimonij cum iuramento, ad quid obliget iurantem, cap. 88. num. 13.

Promiſsio matrimonij fictè facta ad habendam copulam, an obliget ad contrahendum, cap. 88. num. 14. Et quid ſi promittens ſit notabiliter maior conditione, & fictè promiſerit, num. 15.

Promiſsio facta à muliere de futuro matrimonio ad obtinendam copulam à viro, an illam obliget ad contrahendum, vel ad aliquid aliud cap. 88. nu. 16.

Promiſsio fictè facta ad habendam copulam in quibus caſibus obliget promittentem, cap. 88. num. 17. Et quid ſi mulier neſciebat diſparitatem, nec poterat cognoſcere fictionem, num. 18.

Promiſsio fictè facta, an obliget promittentem, ſi ſponſa, vel eius parentes noluerint dictum matrimonium, c. 88. n. 19.

Promiſsio fictè facta de matrimonio à ſciente puellam fuiſſe corruptam, an illam obliget ad contrahendum, cap. 88. num. 20.

Promiſsio fictè facta de matrimonio, ex qua mulier nullum damnum paſſa ſit, an obliget promittentem, c. 88. nu. 21.

Promiſsio fictè facta, an obliget promittẽtem ad reſpondendum Iudici interroganti, feciſſe promiſsionem, c. 88. nu. 22.

Promittens ingredi religionem ſub tali pœna, an teneatur ad illam, & quid ſi promiſerit ſuſcipere baptiſmum ſub aliqua pœna, cap. 89. num. 7.

Publicationes, ſeu denunciationes matrimonij. Vide ver. Matrimonium.

Purgatorium, an ſit c. 59. n. 1. & ſeqq. vbi ſit. An ſit propè Infernũ n. 2. Quas pœnas ibi Animæ patiantur, n. 8. Et an crucietur à vero igne, n. 6. Et quomodo ignis agat in illas, n. 10.

Purgatorij pœna, an acerbiſsima ſint, cap. 59. num. 11. An ibi ſint Dæmones cruciantes Animas, num. 12. Quomodo ſint dictæ pœnæ diuturnæ, num. 13. An durent in eadem intentione, num. 14. An poſſint inde Animæ exire, nu. 15. An ſint in ſtatu merendi pro ſe, vel pro alijs, nu. 16. & cap. 69. num. 18. Et an certæ ſint de ſua ſalute, & cognoſcant tempus, quo pœnæ duraturæ ſint, num. 17.

Q

Qui tacet conſentire videtur. An intelligatur tantum in ſui fauorem, & non in ſui præiudicium, cap. 87. num. 6.

R

Raptus ſponſæ alienæ de præſenti, an impediat matrimonium contrahendum, & quid ſi ſponſa conſentiat, cap. 111. num. 24.

Raptus, vide verb. Impedimentum tertij criminis.

Ratihabitio quotupliciter ſit, & quando ſufficiat ad validitatem actus, cap 98. num. 20.

Regulares an poſſint incipere Miſſas poſt duas horas à media nocte, cap. 31. nu. 6. Et an poſſint illas finire aliquando poſt tres horas à meridie, num. 7.

Regulares an poſſint celebrare in Oratorio, & grancijs Monaſterij, c. 31. n. 10. & 11. Et an poſſint in Arcibus, & Caſtris, ad quæ ob bella confugiunt, cap. 12.

Regulares an poſſint audire confeſsiones fidelium abſque alia obligatione confitendi Parocho, c. 49. nu. 12.

Religioſus an poſsit rogare volentem ſibi aliquid donare, vt conſanguineo, vel alteri donet, cap. 99. nu. 7. Et an peccet, ſi non acceptet donationem abſque iuſta cauſa, ibidem, vel an poſsit illam alteri renunciare, num. 9.

Religioſus, cuius vxor remanſerat in ſæculo cum voto caſtitatis, an poſsit aſſumi ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum, niſi vxor religionem ingrediatur, c. 104. nu. 25. in fine.

Religioſus contrahens matrimonium, an ſit excommunicatus, cap. 104. num. 36.

Renuncians ſuæ electioni, vel diſpenſationi ei factæ, an poſsit mutata voluntate frui dicta electione, vel diſpenſatione, c. 113. num. 18.

Repudium quare erat licitum in lege veteri, & non in lege Euangelica, cap. 93. num. 2.

Repudium, an fuerit conceſſum Iudæis, vt quid licitum, & an poſt Chriſtum omninò ceſſauerit, cap. 115. num. 1.

Res ſacræ, & Eccleſię, an poſsint conuerti ad vſus profanos, & è contra, cap. 32. num. 14. & 15.

Reſidentia, vide Beneficiary.

Reſtituere an teneatur, qui fictè promiſit matrimonium ad habendam copulam, & poſtea non contrahit, quia eſt notabiliter maior conditione, cap. 88. num. 15. Et quid ſi mulier neſciebat dictam diſparitatem, nec fallacem promiſsionem, num. 18.

Sacer-

Digitized by Google

S

Sacerdos aſsiſtens matrimonio ex ſola ratihabitione, an validè aſsiſtat, cap.98.num.20.

Sacerdos, & alij Miniſtri Sacramentorum, an teneantur eſſe in gratia, dum Sacramenta adminiſtrant, cap.9.n.4.5.& ſeqq. Et quid ſi adminiſtrant tantum Sacramentalia, num.10. Et an Miniſtri, ſeu contrahentes matrimonium teneantur eſſe in gratia, num.11.

Sacerdotes dum ordinantur, quonam modo debeant proferre formam conſecrationis, cap.24.num.11.

Sacerdos Latinus apud Græcos, vel Græcus apud Latinos, quomodo ſe gerere debeant circa Sacrificium Miſſæ, cap. 21. num.14.

Sacerdotes, an debeant proferre formam Euchariſtiæ recitatiuè, & ſignificatiuè ſimul, cap.24.num.2.

Sacerdos ſi in Miſſa, vel antea recordetur alicuius peccati mortalis, quid facere teneatur, cap.26.nu.9.& 10. Et ſi ex neceſsitate celebrauerit cum ſola contritione, an teneatur quamprimum confiteri, num.12.

Sacerdos an debeat denegare Euchariſtiam peccatoribus, cap. 26.nu.17.19.& 23. An debeat denegare peccatori occulto, ſi ſecretò petat, nu.20. Quid ſi Sacerdos cognouerit indignitatem ex confeſsione Sacramentali, nu.21. Et quid ſi publicè talis indignus petierit, num.22.

Sacerdos, vel Diaconus extra Miſſam, ſi ſe communicet indignè, quot peccata committat, cap.26. num.18. & cap.28. num.12.

Sacerdos Euchariſtiam ſumens extra Miſſam, an debeat habere Stolam, cap.27.nu.1.

Sacerdos extra Miſſam, an poſsit conficere Sacramentum ad communionem dandam infirmo morti proximo, cap. 27. num.10.

Sacerdos in quibus caſibus poſsit communicare non ieiunus, cap.27.nu.11.12.& ſequentibus.

Sacerdos an poſsit partem ſuæ hoſtiæ alteri præbere pro communione, cap.28.nu.13.in fine.

Sacerdos an poſsit aliquem fidelem excludere à ſacrificio Miſſæ, quoad participationem dicti ſacrificij, cap.29. nu.14. Et quonam modo poſsit, vel non poſsit ibi orare pro excommunicatis, ibidem.

Sacerdos regularis an validè poſsit applicare Miſſam contra voluntatem ſuperioris, cap.30.num.8.

Sacerdos an validè applicet Miſſam etiamſi applicatio fuerit facta contra iuſtitiam, c.30.nu.9. An poſsit illam applicare poſt conſecrationem, num.10. Et illi, qui primo daturus eſt Eleemoſynam, num.11.

Sacerdos an poſsit relinquere ſacrificium, & currere ad petentem confeſsionem, cap.28.nu.14.in fine.

Sacerdos an teneatur aliquando intra annum celebrare, c.31. nu.1. Et quid de Sacerdotibus Mediolanenſibus, nu.2.

Sacerdos an poſsit celebrare pluries in die, c.31.nu.3.

Sacerdos dum ſacris veſtibus induitur, an teneatur recitare orationes in Miſſali poſitas pro dictis veſtibus induendis, cap.33.nu.9.in fine.

Sacerdos an poſsit conſecrare particulas, per ipſum non oblatas cum Hoſtia, cap.33.nu.15.

Sacerdos dum dicit Dominus vobiſcum, & ſimilia verba quoſnam alloquatur, cap.34.nu.12.

Sacerdos ſimplex an poſsit abſoluere in articulo mortis, c.49. nu.14. Et an poſsit extra dictum articulum abſoluere à venialibus, & mortalibus aliàs confeſsis, vel oblitis in confeſsione, num.15.

Sacerdos regularis ſi aſsiſtat matrimonio abſque licentia Parochi, an ſit ſuſpenſus, & excommunicatus, cap.97. num.24.

Sacerdos an poſsit miniſtrare Sacramenta dum manet in excommunicatione tolerata ſi illa fideles petant, c.111.n.10. Et an fideles ab ipſo poſſint accipere ea, ſi videant ipſum illa miniſtrantem, num.11.

Sacramentum quid ſit, & quotupliciter poſſit conſiderari, cap. 1. num. 1. & 2. An vniuocè conueniat definitio Sacramenti omnibus Sacramentis nouæ, & veteris legis, num.3.

Sacramentum quas res debeat ſignificare, lib.3.c.1.nu.15. Et quomodo differant Sacramenta nouæ legis à Sacramentis veteris legis, cap.1.num.6.& 7.

Sacramenta nouæ legis quomodo differant inter ſe, c.1.nu.8. Et an in eis fuerint neceſſariæ res ſenſibiles determinatæ, cum determinatis verbis, nu.9.10.& 11.

Sacramentorum materia, & forma an mutari poſſit, cap. 1. num.12.

Sacramentum confeſſionis, & matrimonij, an conſiſtant ex rebus, & verbis, vt alia Sacramenta, c.1.n.11.§.Occurrit.

Sacramenta, an & quomodo fuerint neceſſaria, c.2.nu.1. 2. & 5. An fuerint neceſſaria in ſtatu innocentiæ, num.4. Et an in ſtatu naturæ, num.6.

Sacramenta an inſtrumentaliter cauſent gratiam, cap.3.nu.12. An ſit de fide, quod cauſent gratiam, num.2. An conferant etiam virtutes, & dona ſpiritualia, ac etiam aliam gratiam Sacramentalem, nu.3.& 4.

Sacramenta an ſint inſtituta omnia ad conferendam primam gratiam, c.3.nu.5. An habeant ſupradictas virtutes ex paſſione Chriſti, nu.6. An id agant ex opere operato, num.8. Et quid de Sacramentis veteris legis, nu.7.

Sacramenta noua legis an ſemper operentur effectum gratiæ, & quam diſpoſitionem requirant, cap.3.nu.9.

Sacramentorum effectus, an detur tantum per votum, ſeu deſiderium, cap.4.nu.1. Et an per deſiderium pœnitentiæ, & baptiſmi deleatur peccatum mortale, & originale reſpectiuè, num.2.

Sacramenta an conferant gratiam ſanctificantem, quando ſumuntur tantum, cap.4.num.3. Et quid de gratia Sacramentali, ibidem.

Sacramenta in quo inſtanti conferant gratiam, & an illam conferant ſublata fictione, cap.4.num.4.

Sacramenta an operentur æqualem effectum in æquali ſubiecto, c.4.nu.5. Et quid proderit ſi conferantur à meliori miniſtro, num.6.& 7.

Sacramenta conferentia caratherem, quæ ſint, vide in verb. Carather.

Sacramentorum effectum an poterat Chriſtus Dominus operari in anima, vt homo tantum, c.6. nu.3.& 4.

Sacramentorum inſtitutionem quare Chriſtus ſibi tantum reſeruauerit, cap.6.nu.5. Et an poterat communicare hanc poteſtatem Miniſtris, num.6.

Sacramenta an operentur effectus in anima, vt cauſa phyſica, an vt cauſa moralis, cap.6.nu.8.& ſeqq.

Sacramenta an poſſint conferri à malis Miniſtris, & an peccent mali Miniſtri illa adminiſtrando, cap.6.nu.11.& ſeqq. Et quid ſi adminiſtrent tanquam Miniſtri neceſſitatis, num.13.

Sacramenta an omninò requirant Miniſtros neceſſitatis, cap. 7. num.1. Angeli, an poſſint eſſe Miniſtri Sacramentorum, num. 2. 3. & 4. Et quid de Animabus ſeparatis, num.7. Et an tantum homines ſint Miniſtri Sacramentorum, num.8.

Sacramentorum Miniſtri, an debeant habere intentionem, & fidem,

dem, cap.7.nu.9. & 14. Et an intentio debeat eſſe actualis, an virtualis,num.13.

Sacramentorum, an omnes viatores fuerint capaces, etiam B.Virgo, cap.8.num.1.

Sacramenta an requirant intentionem in ſuſcipiente, cap. 8. num.2.& 3.

Sacramenta an neceſſariò requirant aliquam diſpoſitionem in ſuſcipiente,cap.8.num.4.

Sacramenta an ſint tantum ſeptem, & an hoc ſit de fide certum,cap.8.nu.5. Et ob quam rationem, tantum ſeptem Sacramenta fuerint inſtituta,num.6.

Sacramenta, an omnia ſint æqualia, & quid circa hoc de fide ſit credendum, cap.8. nu.7. Et quomodo Sacramenta comparentur inter ſe,nu.8.& 9.

Sacramenta quonam modo ſint neceſſaria, & vtilia, cap.8. num.10.

Sacramentorum Miniſtri, quam poteſtatem habere debeant, cap.9.num.1. Quomodo obligentur Sacramenta miniſtrare, num.2. Et quid ſi dubitent de poteſtate ordinis, vel iuriſdictionis,num.3.

Sacramentorum Miniſtri, an teneantur eſſe in gratia, dum miniſtrat,c.9.nu.4.5.& 6. Et quot peccata committant,ſi adminiſtrent in peccato mortali, num. 7. Et quid de Miniſtris adiuuantibus,nu.8.& ſeqq.

Sacramentorum Miniſtri, an teneantur obſeruare ritum Eccleſiaſticum in adminiſtratione Sacramentorum, cap.9.nu.13. Et an ſit de fide,ibidem.

Sacramentorum vſus,an ſit de præcepto,cap.10.nu.1.& 2. Et an in neceſſitate adſit aliud præceptum, num.3.

Sacramenta ſuſcipiens, an teneatur omnia præſtare, quæ pertinent ad ſubſtantiam Sacramentorum, cap.10. num.4. Et an teneantur ſe diſponere, vt gratiam recipere poſſint, num.5.

Sacramenta an ſint petenda ab indignis Miniſtris, cap.10. nu. 6.& ſeqq.

Sacramentorum Miniſtri,an teneantur ſemper non dare Sacramenta indignè petentibus, cap.10. num.10. Et an teneantur aliquam diligentiam adhibere antequam illa tribuant, num.11.

Sacramenta petere ab excommunicato tolerato,an fideles poſſint,cap.111.nu.10.circa fin. Et quid ſi videntes illum miniſtrantem,ea recipiant,nu.11. Vel quid ſi quis inducat excommunicatum non toleratum ad adminiſtrandum Sacramenta,num.12.

Sacramenta an, & quæ poſſint miniſtrari tempore Interdicti, cap.111.nu.5.in fin. Et an poſſint miniſtrari in Eccleſia ſpecialiter interdicta,num.6.

Sacrilegium an ſit, & quando per copulam habitam in Eccleſia, & quid ſi fuerint habitæ confabulationes inhoneſtæ tactus,&c.cap.114.num.17.

Satisfactio reſpectu peccatorum quotupliciter ſit,cap.55.nu.1. Quomodo definiatur ſatisfactio voluntariè aſſumpta, nu.2. Et an per illam aſſequantur fideles remiſſionem pœnæ temporalis,ibidem.

Satisfactio peccatorum voluntariè aſſumpta, an neceſſariò ſit facienda in ſtatu gratiæ, cap.55.num.3. Et an poſſit obtineri remiſſio pœnæ vnius peccati, & non alterius, num.4.

Satisfactio, quæ imponitur pœnitenti à confeſſore, an ſit pars Sacramenti,& conferat effectum ex opere operato, cap.56. nu.1. In quo conſiſtat talis effectus, num.2. Et quando recipiatur,num.3.

Satisfactio an ſit neceſſariò imponenda à confeſſore, cap. 56. num. 4. Quomodo ſe gerere debeat confeſſor in imponenda pœnitentia, num.5. An poſſit imponere tàm opera interna, quàm externa, num.6. An poſſit imponere opere ex præcepto facienda, num.7. Et an tàm opera in communi,quàm in particulari,num.8.

Satisfactio an neceſſariò ſit accipienda à pœnitente, c.56.nu.9. Quando ſit adimplenda,nu.10. An facta in peccato mortali,conferat effectum,nu.11. Et an ſit mortale illam adimplere in peccato mortali,nu.12.

Satisfactio Sacramentalis, an poſſit adimpleri per alium, cap. 56.num.13. An poſſit commutari ab æquali, vel ſuperiore confeſſore, & è contra, an confeſſor poſſit mutare pœnitentiam ſuperioris,nu.14.& 15.

Secretum naturale,an ſit detegendum ob bonum publicum,vel ad euitandum damnum tertij,cap.97.nu.19.

Seruorum quot genere reperiantur,cap.103.nu.3.

Seruitutis error,vide error ſeruitutis.

Seruitus an iure naturæ dirimat matrimonium, c.103. nu.11. Et an contrahens cum ſerua,fiat irregularis, ibidem.

Serui ſcilicet mancipia, an poſſint inuitis Dominis contrahere, & an Domini poſſint illa vendere in partes diſtantes,c.103. num.13.

Seruus,vel ſerua,ſi collocentur in matrimonium à proprio Domino,an fiant liberi,cap.103.nu.17. Quid ſi Dominus faciat ſeruæ inſtrumentum dotale, nu.17. Et an ſi quis ducat propriam ſeruam,dicta ſerua fiat libera,nu.19.

Sigillum confeſſionis vnde oriatur,& quot peccata committat frangens ſigillum confeſſionis,c.52.nu.9. An ex ſola confeſſione ſacramentali oriatur ſigillum,nu.10. An ex confeſſione facta laico,vel alio, nu.11.

Sigillum confeſſionis, an oriatur ex omni materia confeſſionis, & quid ſi pœnitens accedat animo inducendi confeſſorem ad peccandum,cap.52. num.12. An oriatur ex peccato publico, num. 13. Et an ex peccatis venialibus in communi, num.14.

Sigillum confeſſionis à quibus ſit ſeruandum, cap.52. num.15. Et quomodo, num. 18. An frangatur per actum externum indirectum, nu.19. Et an in aliquo caſu liceat confeſſori aliquem actum externum facere ad euitandam mortem, licet aliquo modo peccatum detegatur,num.20.

Sigillum confeſsionis frangens in quas pœnas incurrat,& quomodo debeat probari hoc crimen,cap.52.nu.24.

Simonia an ſit, pecunijs auferre impedimenta, vt quis liberè poſſit ſuſcipere baptiſmum,vel ingredi religionem,aut aliud opus bonum facere. Et an ſit licitum præbere munera animo alliciendi ad fidem,Religionem,&c.cap.89.nu.7.

Sodomia cum propria vxore quot peccata importet, & quomodo ſit explicanda in confeſſione,cap.114.num.19.

Species ſacramētales quonam modo eſſe habeant, & an ex eis poſsit aliquid generari,c.22.nu.11. & cap.23.n.14. & 17. Et quid ſi miſceantur ſpecies vini cum alio liquore,vel cum alio vino,nu.18.19.& 20.

Spolium beneficiariorum ex quibus bonis ſit faciendum, c.86. nu.1. An dictum ſpolium pertinent ad Cameram Apoſtolicam iure Pontificio, nu.2. An debeatur in foro conſcientiæ, & ante vllam iudicis ſententiam,nu.3. Et à quibus perſonis ſit faciendum dictum ſpolium,num.4.

Spolium Cameræ Apoſtolicæ, à quibus perſonis non ſit faciendum,cap.86.num.5. Ex quibus bonis ſit faciendum,num.6. & 7. Et an bona apoſtatarum, etiam dicto ſpolio ſubijciantur,num.8.

Spolium an ſit faciendum ex acquiſitis ex negotiatione, vel contra canones, ſi beneficiarij habeant facultatem teſtandi, c.86.nu.9. An vt dicta bona ſubijciantur ſpolio, ſit neceſſaria ſententia iudicis,num.10. Et quænam bona dicantur acquiſita

quiſita

Digitized by Google

quiſita ex negotiatione,nu.11. Et quanam acquiſita contra canones,num.12.

Spolium an ſit faciendum ex bonis acquiſitis ex negotiatione, vel contra canones ab habentibus tantum ordines minores, cap.86. nu.13. Et an tantum bona beneficiaria, non autem patrimonialia, nec quaſi patrimonialia veniant ſub ſpolio, num.14.

Spolium an ſit faciendum ex bonis beneficiariorum, quorum beneficia non excedant valorem 30. Ducatorum, cap. 86. num.15. Et an ſucceſſores beneficiariorum ab inteſtato, poſſint ſibi aliquam compenſationem facere propria authoritate,num.16.

Spolium an ſit faciendum ex fructibus malè perceptis ob malam adminiſtratione officij factam à beneficiario,cap.86.nu.17. Et quid de acquiſitis ex Simonia,ibidem.

Spolium an ſit faciendum tàm ex mobilibus, quàm immobilibus emptis pecunijs beneficiorum,cap.86.num.18. An tàm fructus beneficiorum, quàm penſionum veniant ſub ſpolio, num. 19. Et quid de indumentis, inſtrumentis, & alijs ad cultum diuinum ſpectantibus,num.20.& 21. Et quid ſi dicta indumenta, &c. Fuerint empta pecunijs matrimonialibus,num.22.

Spolium an ſit faciendum ex fructibus diſtributionum, & an ſi beneficiarius decedat abſque ſucceſſoribus, eius bona fiant Cameræ Apoſtolicæ,cap.86.nu.23.

Spolium an ſit faciendum ex fructibus Eccleſiarum, & beneficiorum vacantium,cap.86.nu.24.Et quid ſi vacatio proueniat ex reſignatione beneficij,nu.25.

Spolium,an ſit faciendum ex Cardinalibus, cap.86.nu.26. An ex Equitibus S.Ioannis,num.27.Et quid de bonis religioſorum degentium extra religionem,nu.28.

Spolio non ſubiecti vigore priuilegij teſtandi,an poſſint diſponere de paramentis,inſtrumentis,&c. cap.86.nu.29.

Spolium an ſit faciendum ex fructibus beneficij reſignati, c.86. nu.30. An conſuetudo non faciendi ſpolium excuſet à dicto ſpolio,nu.31.Et quid ſi beneficiarij iam diſſipauerint,vel donauerint inter viuos fructus beneficiorum, nu.32.

Sponſalia quid ſint,& quas conditiones habere debeant, c.87. nu.1.An ſit neceſſaria promiſſio acceptata verbis,aut ſignis æquiualentibus,num.2. Si fiat promiſſio animo non conſummandi matrimonium,an ſit valida,nu.3. Et quid ſi fiat votum contrahendi matrimonium ad effugienda peccata luxuriæ,nu.4.Vel quid ſi fiat intuitu pietatis,vt ducendi pauperem,vel meretricem,nu.5.

Sponſalia vt ſint valida, an debeant procedere ex mera deliberatione, & quanta debeat eſſe dicta deliberatio, cap.87. num.6.& 13.

Sponſalia inter quas tantum perſonas fieri poſſint, cap.87. nu. 14. An ſurdus, & mutus illa contrahere poſſint, & quid ſi quis fuerit etiam cæcus, nu.15. Et quid de inſanis,& mente captis,num.16.

Sponſalia an requirant ætatem ſeptem annorum tàm in ſponſa, quàm in ſponſo,cap.87.n.17. Et ſi malitia ſuppleat ætatem, an poſſint contrahi ante ſeptennium, nu.18. An ſit mortale illa contrahere ante dictum ſeptennium, nu.19.

Sponſalia an contrahantur verbis, vel ſignis æquiualentibus cum animo contrahendi inita, cap.88.nu.1. An verba tàm quoad ſonum, quam quoad ſignificationem debeant ſignificare contractum de præſenti, nu.2. Quid ſi dicatur contraho tecum in craſtinam,vel ex nunc habebo te in vxorem,nu.3. Et quid ſi dicatur ducam te, vel promitto me te ducturum, vel alio modo, num.4.

Sponſalia an fiant per modum loquendi dubium, cap. 88. num. 5. Et quid ſi dicatur, nullam ducam niſi te, vel non contraham niſi tecum, num.6.

Sponſalia an intelligantur contracta per matrimonium clandeſtinum, cap.88. nu.7. Et quid ſi fuerit contractum inter impuberes,vel inter puberem,& impuberem,nu.8.

Sponſalia an cenſeantur contracta ſi fiant per parentes filij præſentibus,& tacentibus,cap.88.nu.9. Quid ſi fuerint contracta ab alijs,quam à parentibus,nu.10. Mater an veniat ſub nomine parentum, ita vt eodem modo ſponſalia contrahere poſſint,ac pater,num.11.Et an ſi dicti parentes contrahant pro filijs abſentibus, requiratur dictorum filiorum conſenſus aliquo ſigno externo expreſſus, nu.12.

Sponſalium verba, an debeant dirigi ad perſonam certam, & determinatam, & quid ſi pater promittat vnam ex filiabus,cap.88.num.13.

Sponſalia ſi fuerint contracta abſque vllo termino,an tunc tantum obligent ſponſos, quando alter eorum fuerit ab altero requiſitus,cap.89.nu.1. Et an ſi aliquis eorum noluerit contrahere matrimonium, poſſit compelli, & per quem iudicem,num.2.

Sponſalia an poſſint contrahi ſub aliqua pœna perſoluenda à frangente fide,cap.89.nu.3.An poſſint arrhæ dari amittendæ per frangentem fidem, num.4. Et ſi recipiens arrhas noluerit contrahere, an teneatur ſtatim reſtituere dictas arrhas, & quid ſi adfuerit alia pœna, num.5. Et an poſſint ad ſponſalia adhiberi fideiuſſores,& obligari ad pœnam,vel an poſſint dari pignora per modum arrhæ,nu.6.

Sponſalia an contrahi poſſint cum pacto, & pœna, vt ſponſus teneatur moram trahere in tali Ciuitate, vel Oppido, & an ſi ſponſus non ſeruet fidem, vxor teneatur illum ſequi, cap. 89.nu.8.& ſecluſo hoc pacto. An vxor teneatur ſemper comitari ſuum virum,num.9.

Sponſalia an debeant celebrari coram Parocho, & teſtibus, cap.89.num.10.

Sponſalia, vel Matrimonium fictè contractum, an diſſoluatur per ſubſequens ex animo factum,cap.89.nu.21.

Sponſalia an dirimantur tantum per ingreſſum religionis, cap. 90. nu.1. An ſi ſponſus exeat à religione, poſſit cum quolibet contrahere,nu.2.Et an ſi ſponſalia fuerunt iurata,ſit primum contrahendum matrimonium,& poſtea ante conſummationem ingrediendum religionem, nu.3.

Sponſalia cum copula habita,an ſint valida,ſi fuerint inita poſt votum caſtitatis,vel religionis, c.90.n.4. An ſponſus poſſit emittere votum caſtitatis, vel religionis poſt dictam copulam habitam,licet ad inſtantiam ſponſæ, nu.5. Et quid ſi illud emiſerit,ibidem.

Sponſalia an diſſoluantur per votum ſimplex caſtitatis antea, vel poſtea factum,cap.90. nu.6. An illa irritet etiam reſpectu vouentis,num.7.Et an quis poſſit contrahere matrimonium animo non conſummandi, ſed ingrediendi religionem, num.8.

Sponſalia an firma remaneant, ſi poſt illa ſponſus emittat votum caſtitatis,& poſtea relaxationem obtineat,c.90.nu.9.

Sponſalia an dirimantur per ſuſceptionem ordinis ſacri,vel per votum ſuſcipiendi talem ordinem, cap.90.nu.10.Et an vouens talem ordinem ſacrum, teneatur ſtatim obſeruare caſtitatem vigore voti,num.11.

Sponſalia an dirimantur ex parte amborum, ſi alter ſponſus contrahat cum alio matrimonium, cap.90.nu.12.

Sponſalia ſecunda inita cum copula, an diſſoluant prima inita ſine copula,cap.90.num.13.

Sponſalia ſecunda iurata, an dirimant prima non iurata, cap. 90.num.14.Quid ſi ex iuſta cauſa dirimantur prima,an remaneant valida ſecunda, ibidem.

Sponſalia inita ante ſeptennium, vel poſt,ſed ante pubertatem, an ſint

an ſint

an ſint valida, & quando annullari poſsint, cap.90.nu.15. An ſponſalia impuberum inita cum iuramento poſſint annullari veniente pubertate abſque iuramenti relaxatione, num.16.

Sponſalia puberum, vel impuberum, an poſſint annullari per mutuum diſſenſum, cap.90.num.17.

Sponſalia an diſſoluantur per diſceſſum ſponſi in partes longinquas, cap.90.num.18.

Sponſalia an dirimantur per ſubſequentem fornicationem, & quid ſi ambo fornicati fuerint vel copula per vim ſequuta eſſet, cap.90.num.19.

Sponſalia an dirimantur per impedimentum tantum dirimens matrimonium, cap.90.num.20.

Sponſalia an dirimantur per morbum contagioſum, vel aliam fœditatem, cap.91.num.1. An propter nimiam aſperitatem, & ſæuitiam, nu.2. Et an propter paupertatem ſuperuenientem, num.3.

Sponſalia an poſſint dirimi, ſi ſponſa diues noluerit aſſignare dotem ſponſo, eo quod ſponſus iurauerit illam accipere, cap.91.num.4.

Sponſalia an poſſint dirimi, ſi iuſta cauſa iam exiſtebat tempore ſponſalium, ſed non fuit cognita, &c. cap.91.nu.5.

Sponſalia contracta per dolum, an ſint ipſo facto irrita, & quid ſi dolus fuerit factus à tertia perſona tantum, c.91.nu.6.

Sponſalia an firma maneant, ſi ſponſus poſtquam ſciuerit iuſtam cauſam dirimendi ſponſalia, cognouit carnaliter ſponſam, cap.91.num.7.

Sponſalia facta cum iuramento, an ſi adſit iuſta cauſa illa dirimendi, ſit abſolutio iuramenti accipienda, cap.91.nu.8.

Sponſalia per votum intrinſecum, an ſint nulla, & an ſponſus habens talem vitium, quod ſi ſciretur ab altero ſponſo iuſte poſſet ſponſalia dirimere, poſſit exigere, & cogere alterum ſponſum ad matrimonium contrahendum, cap.91.nu.9.

Sponſalia ſi iuſtè poſſint diſſolui, an requiratur ſententia iudicis, cap.91.num.10. Quis ſit iudex in huiuſmodi cauſa, num.12. Quonam modo ſit probanda, ſeu debeat eſſe certa talis cauſa, num.13.

Sponſaliorum cauſa ſi eſſet occulta, & afferens infamiam, vt eſt fornicatio reſpectu famæ, & tamen ipſa nollet ſponſalia dirimere, an denunciari poſſet iudici, cap.91.nu.11.

Sponſalia celebrata per metum leuem, vel grauem, an annullari poſſint, & quomodo, cap.91.num.14.

Sponſalia per metum grauem inita, an ſint ipſo iure irrita, cap.91.num.17.

Sponſalia per metum grauem celebrata medio iuramento, an irrita ſint, & an ad iuramentum requiratur relaxatio, cap.95.num.22.

Sponſalia inita ſub conditione contraria bonis matrimonij, an ſint valida, cap.96.num.13.

Sponſalitia largitas, vide Donatio ſponſalitiæ largitatis.

Sponſalia an poſſint contrahi tempore, quo non poteſt contrahi matrimonium, cap.111.nu.3.in fine.

Sponſalia an contrahi poſſint cum excommunicato, cap.111.num.10.

Sponſa tribuens conſenſum raptui, an tàm ipſa, quàm rapiens contrahat perpetuum impedimentum contrahendi matrimonium, cap.111.num.24.

Sponſus poſt ſponſalia habens copulã cum conſanguinea ſponſæ in primo gradu, an priuetur matrimonio tàm ipſius ſponſæ, quàm eius ſororis, cap.111.num.23. Et quid ſi copula fuerit habita poſt contractum matrimonium, ibidem.

Sponſi de futuro, an poſſint deſiderare copulam futuram, & ex ea delectationem ſumere, cap.114.nu.32. Et an inter ipſos licita ſint oſcula, tactus, &c.num.31.

Stipulatio, ſeu acceptatio facta nomine abſentis, quam obligationem pariat, cap.83.nu.10. Et quid ſi poſtea non fuerit acceptata ab abſente, num.11.

Suadere minus malum ad euitandum maius, an liceat, c.111.nu.17. An liceat ſuadere minus damnum Titij tantum, & non damnum Caij, quando fur eſſet paratus vtrique malum inferre, nu.18. Et an liceat ſuadere furi, vt ſinat bona mea, & furetur bona aliena, num.19.

Suffragium quid ſit, cap.60. num.1. An fideles poſſint ad inuicem ſe iuuare ſuffragijs, num.2. An ſuffragia habeant effectum infallibilem de condigno, tàm ſi applicentur pro viuis, quàm pro mortuis, num.3.& 5.

Suffragia an prodeſſe poſsint defunctis, cap.60. num.4. Et an à Deo ſint ex iuſtitia accipienda, num.5. An iuuent tantum pro remiſſione pœnarum, & non pro culpa, nu.6.

Suffragium faciens, an debeat eſſe in gratia, cap.60.num.7. Et quid ſi fiat nomine Eccleſiæ, ibidem. Qui dicantur ſuffragia facere nomine Eccleſiæ, num.8. Et an ſi fiat ex iuſſione alterius, neceſſe ſit, vt exequens iuſſionem ſit in gratia, num.9. & 10.

Suffragia an ſint applicanda ab illo, qui illa facit, & non ab alio ſuperiore, cap.60.num.11.

Superior non habens iuſtum titulum, an validè operetur, ſi habeat tantum titulum coloratum, &c. cap.98.num.9.& 10.

Superiores an poſſint applicare opera ſubditorum in ſatisfactionem aliorum contra voluntatem ſubditorum, cap.60.num.11.& cap.63.num.7.

T

Tactus inhoneſti confabulationes, &c. Similiter inhoneſtæ habitæ in Eccleſia, an neceſſariò ſint aperiendæ in confeſſione, cap.114.num.17.

Teſtamentum faciens, an neceſſe ſit, vt maneat in gratia, vt legata pia iuuent illum ad pœnam, & ſi non fuerit factum in gratia, quid poſsit teſtator facere, vt illi proſit, cap.60.num.9.

Teſtator an patiatur in Purgatorio, quoadusque ſatisfactiones per ipſum relictæ non fiant, cap.60.nu.9. Et quid ſi præcipiat reſtitutionem, & non fiat, num.10.

Teſtes neceſſarij ad matrimonium, an debeant ibi aſſiſtere non ſolum phyſicè, ſed etiam humano modo, ſcilicet cum attentione, cap.98.nu.25. An ſit neceſſarium, vt audiant verba, vel ſaltem videant ſigna conſenſum ſignificantia, n.26. An præſentia per vim habita, vel per dolum ſufficiat ad matrimonium, nu.27. Et quid ſi fuerit per modum tranſitus, ibid. Et quam ætatem debeant dicti teſtes habere, nu.29.

Titulus coloratus quando reddat actum factum à ſuperiore non habente iuſtum titulum validum, cap.98. nu.9. Etiam debeat adeſſe error communis, & an ſufficiat error vnius, vel duorum, n.10. Et ſit validus actus etiam reſpectu ſcientium titulum eſſe inualidum, num.12.

V

Vagi qui dicantur, & quis ſit eorum Parochus, c.98.num.14. Quid teneatur agere dictus Parochus, ſi debeat matrimonio vagorum aſſiſtere, num.15. Et quid ſi vnus ipſius tantum fuerit vagus, num.16.

Vaſa ſacra, Eccleſiæ, &c. An ſint digna aliqua veneratione, & adoratione, cap.32.num.13. Quis poſsit ea tangere, vel corporalia, aut pallas lauare, &c. Ibidem.

Vendens an teneatur aperire defectus rei venditæ, cap.101.num.3.

Veſti-

Digitized by Google

Veſtimenta pro celebratione Miſſarum, & præcipuè corporalia, quam munditiam habere debeant, cap. 32. nu. 7. Et ſi eis quis vtatur antequam benedicantur, an ſint poſtea benedicenda, num. 9.

Veſtimenta benedicta, & alia ſacra, an poſſint conuerti ad vſus profanos, & è contra, an res profanæ poſſint conuerti ad vſum ſpiritualem, & ſacrum, cap. 32. nu. 14. & 15.

Veſtimenta ſacra, an ſint neceſſaria ad ſacrificium Miſſæ, quænam ſint, & quid ſignificent, cap. 33. num. 1. 2. & 3. Ex qua materia, forma, & colore conſtare debeant. Et quando amittant benedictionem, num. 4.

Veſtimenta ſacra, an ſub mortali ſint neceſſaria, & ita vt quis potius mortem ſubire teneatur, quam ſine illis celebrare, cap. 33. num. 5.

Viaticum an poſſit ſæpius ſumi in eadem infirmitate, & quid de communione ſeruato ieiunio, cap. 27. nu. 8. An damnatus ad mortem debeat recipere viaticum, num. 9.

Vicarius Epiſcopi, an poſſit abſoluere & diſpenſare in impedimentis dirimentibus, & in alijs caſibus, & criminibus occultis conceſsis Epiſcopis; & in quibus Epiſcopus poſſit diſpenſare, cap. 112. num. 15.

Vicarius generalis Epiſcopi, ſi conferat beneficium Epiſcopo vidente, & patiente, an validè conferat, cap. 98. num. 20. in fine.

Vir an poſſit diſcedere ab vxore maga, &c. cap. 115. nu. 20.

Virginem ſe fingens, vt tanquam virgo nubat, an teneatur reſtituere arrhas, vel dotem, quam ei fecit maritus, cap. 101. num. 2. Et an peccet mortaliter tàm ipſa, quàm parentes, & alij ad id concurrentes, num. 3.

Vota an confeſſores regulares poſſint mutare, & in eis diſpenſare extra Sacramentum pœnitentiæ, cap. 113. nu. 23.

Vota facta à marito, vel vxore, ieiunandi, peregrinandi, vel ſe induendi habitum votorum, vt vocant, &c. An ſint valida, cap. 114. num. 3.

Votum factum Deo ducendi aliquam, ſi poſtea vouens voluerit obſeruare cælibatum, an valeat, & obliget, cap. 83. nu. 2.

Vouens ſuſcipere ordines ſacros, an ſtatim teneatur ad caſtitatem, cap. 90. num. 11.

Votum, & matrimonium licet, factum ex metu, an obliget, cap. 95. num. 12.

Votum reale filiorum habentium ætatem annorum 25. & vltra, an pater poſſit irritare, cap. 101. num. 12.

Votum ſolemne, & ſimplex, quomodo differant, cap. 104. nu. 1. An votum ſolemne irritet matrimonium ſolo iure Eccleſiaſtico, num. 2. Et an votum caſtitatis ſit annexum ordinibus ſacris, etiam iure Eccleſiaſtico, nu. 3. Et quid, ſi quis accipiat ordines ſacros abſque intentione ſe obligandi ad votum caſtitatis, num. 4.

Votum caſtitatis emiſſum à marito, an illum priuet omni petitione debiti, an tantum priuet coacta quodammodo petitione, ſeu exactione, cap. 104. num. 13.

Votum caſtitatis, vel religionis, aut non nubendi, an impediat matrimonium, cap. 111. num. 17. Et ad quid teneantur coniuges, ſi contrahant, num. 20.

Votum caſtitatis, & religionis, an pertineant ad Summum Pontificem, quoad diſpenſationem, cap. 111. num. 32.

Votum caſtitatis, & religionis, quas cauſas exigant, vt in eis diſpenſari poſſit, cap. 113. num. 3.

Votorum, & iuramentorum diſpenſatio quonam modo ſit impetranda, & quid ſit in impetratione exprimendum, cap. 113. num. 10.

Votum caſtitatis, vel non nubendi, ſi in illis fuerit diſpenſatum, an exſpiret diſpenſatio per primum matrimonium, cap. 113. num. 17.

Votum factum de religione, ſi poſt ingreſſum vouens exeat, an amplius teneatur ad votum, cap. 116. num. 8.

Vxor Clerici coniugati an fruatur priuilegio Canonis, & Fori, ſicut fruitur maritus, cap. 104. num. 35.

Vxorum pluralitas quonam modo fuit prohibita, & quonam modo conceſſa in veteri lege, cap. 109. nu. 2. Et an pluralitas virorum reſpectu vnius fœminæ ſit iure naturæ prohibita, nu. 1. Et vtrum licitum ſit habere plures vxores, vel plures viros ſucceſſiuè, num. 3.

Vxor an poſſit non ieiunare in ieiunijs Eccleſiæ, ſi ſic maritus præcipiat, cap. 114. num. 4.

Vxor quando ſit alenda, vel non alenda à marito, cap. 104. nu. 5. Et quid ſi fuerit in carcerem detruſa, nu. 6. 8. & ſeqq.

Vxor an teneatur ex bonis proprijs ſatisfacere debitis mariti factis ob alendam familiam, cap. 114. nu. 7.

Vxor an poſſit dimitti, vel domum non traduci ob dotem non ſolutam, cap. 114. num. 11.

Vxor an poſſit diſcedere à marito ob ſæuitiam, vel adulterium, &c. Vide verb. diuortium.

Vxor mortuo marito, quas veſtes, & iocalia acquirat, cap. 100. num. 9.

Vxor an teneatur ſequi ſuum virum, cap. 89. num. 9.

Vxor an poſſit conſtituere dotem marito, & è contra, cap. 99. num. 12.

FINIS. LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google